image
not
available

A 1

DE HUMANIS AFFECTIBUS CIENDIS,

ET

COËRCENDIS

Ad hominem de eorundem ſervitute manumittendum,

ET

Ad libertatem Chriſtiani inſtituti, ſeu per regiam cœli viam, manuducendum.

OPUS

TRIBUS TOMIS DIGESTUM

Moribus corrigendis, vitijs amovendis, virtutibus promovendis, pietati fovendæ, amoliendæ impietati accommodatum.

Uberrimâ variæ eruditionis ſacro-profanæ ſupellectili, Florulentis SS. Patrum aſſertis, doctrinis, & ſacrarum ſcripturarum interpretamentis locupletatum.

Sacris præſertim Concionatoribus, Viris aſcetis, & evangelicarum virtutum culturæ addictis perutile.

TOMUS SECUNDUS

De Affectibus in Animo concupiſcente.

AUTHORE,

R. P. D. CAJETANO FELICE

VERANI

Clerico Regulari, Sacræ Theologiæ Profeſſore.

Nunc primùm in lucem prodit.

Cum Gratia, & Privileg. Sac. Cæſar. Majeſt. Permiſſúque Superiorum.

MONACHIJ,
Sumptibus Joannis Jacobi Remy Bibliopolæ.
Formis MATHIÆ RIEDEL.

ANNO M. DCC. X.

116

REGALI CELSITUDINI,
SERENISSIMO, POTENTISSIMO,
INVICTISSIMO

MAGNO
VICTORI
AMEDEO II.

SABAUDIÆ,
ET
MONTISFERRATI

DUCI,

Pedemontium, & Inſubriæ Ciſpadanæ
PRINCIPI,
REGI CYPRI &c. &c.

DOMINO DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

QUæ de ciendis, coërcendiſque humanis Affectibus lucubrationes anguſtis hiſce comprehenduntur folijs, profundiſsimum deciduæ in flexum ad pedes REGALIS VESTRÆ CELSITUDINIS ſe ſe pleno demittunt affectu, ſubjiciunt obſequio; quò nutantes fulcimentum, exiguæ

magnitudinem, & obſcuræ nitorẽm è veſtri Nominis decore, quibus prætexitur, nanciſcerentur. Unà cum Spiritu varios Deus homini Affectus indidit, qui ſi ad amuſsim componantur recti dictaminis heroicarum fiunt virtutum prodromi; quôsque ſi Stoicâ falce quispiam radicitùs amputâret, ſtipitem faceret ex homine ſine vigore, absque ſenſu. Quod cum non lateat REGALEM VESTRAM CELSITUDINEM, in id incumbit ſtudij, quô eosdem ad regulam moderetur honeſti, & eas compeſcat animi paſsiones, quæ ſi proprio ſinerentur impètu ferri per ſenſuum indulgentiam à virtutis decôre facilè deflecterent.

Nil viro Principe dignius, nil laudabilius, quàm ſibi imperare, & animum averſione exaſperatum amore reconciliare; irâ commotum lenitate ſedare; concupiſcentiâ percitum temperantiâ cohibere; indignatione æſtuantem affabilitatis lenocinio ſopire; mœrore obnubilatum lætitiæ ſplendore ſerenare. Sibi qui ita Princeps imperat cæteris anteire non minùs virtute, quàm dignitate videtur: populos juſtitiâ; & clementiâ regit; hâc probos blandè ad ſui trahit amorem; illâ improbos à ſceleribus retrahit; & parta viribus regna prudentiâ ſervat. Idque bellica veſtra virtus edocet, quæ arces munitiſsimas, ac propugnacula expugnatu difficillima ab Exteris occupata, & præſidiario milite annis plurimis detenta, quibus Veſtræ veluti premerentur Ditiones Martia Fortitudine, ſuijuris effecit, Pinarolium, & Caſalium S. Evaſij, ſuásque provincias auſpicatiſſimè laxo tractu dilatavit, multiplicavítque; cum Ducatus univerſus Montisferrati; & Inſubria Ciſpadana lætentur Veſtro nunc ſubjici imperio, veſtriqúe Dominij eſſe glorientur.

Tametſi

Tametsi Majores Vestri jamdudum jus in illum acquisiverint legitimum, AYMO scilicet ob ductam in uxorem VIOLANTIDAM filiam THEODORI Palæologi, cujus Genealogia tres recenset Imperatores Constantinopolitanos, pactúmque initum, quò lineâ deficiente Masculinâ, causâ augmenti Dotis Provincia Montisferrati Violantidæ pleno esset jure: & iterum CAROLUS Sabaudiæ Dux anno Epochæ Christianæ 1485. Calendis Aprilis BLANCAM duxerit in uxorem filiam GUILIELMI Palæologi, qui cum sine maribus successoribus decessisset, adiverit BLANCA hæreditatem, ac instituerit legitimum hæredem CAROLUM, ejúsque successores SABAUDIÆ DUCES: adhuc interjecti obices plenam totius Provinciæ possessionem distulère, donec favente Numine Bellica Vestra Virtus lites omnes dirimeret; & obstacula, quæ Adversarij calamus per plura anteacta sæcula injecerat, victor vester ensis uno superaret conflictu, quò Augustam Taurinorum à pertinaci vendicavit obsidione pulsis, fugatisque hostibus; & victorias, quibus nomine prælusit, bellica fortitudine esset gloriosè assecuta. Vestra cum adolescentia didicerunt, & victoriæ adolescere; florêre in juventa, & uberioribus semper gliscere incrementis; fructúsque tandem dare optatos.

Quòd si debellatus ad Harbellam Darius Persarum Rex MAGNI nomen fecisse fertur Alexandro Macedoni, eò quia cum triginta sex Græcorum millibus ducenta Persarum millia fuderit, profligaverit: potiori jure Regali Vestræ Celsitudini tot præclaræ delatæ victoriæ insigne hoc MAGNI cognomen suppeditant. Docuit Deus manus vestras ad prælium, & digitos erudivit ad bellum, quò victorijs animo ætate major, consilio maturior, prudentiâ adultior

assuesceret, & triumphis. Idque causæ, cur in parando exercitu peritissimos semper delegerit militum Ductores, sciens ab ijsdem rem totam bellicam pendêre; cur militarem disciplinam fortiter servatam voluerit, à qua res prosperè bello gestæ suam ubique gentium originem traxerunt? Lucullus enim, & Pompejus numero inferiores, sed militari disciplinâ superiores Mithridatem, & Tigranem fregerunt, ac eò gloriosiores egerunt triumphos, quò cum hoste viribus validiore pugnas iniverunt. Epaminondas quatuor non ampliùs peditum millibus, & quadringentis equitibus, Lacedemoniorum quatuor supra viginti peditum millia, equitúmque mille quingentos rupit, vicitque; & delata victoria soli tributa fuit militari disciplinæ, quæ rara fuit in Epaminonda. Alexander quadraginta Macedonum millibus orbem propemodum universum subjugavit ob servatam in bello disciplinam. Hanc cum fortiter tueretur REGALIS VESTRA CELSITUDO occupatas ab hoste Allobrogicas arces inconcussa pectoris firmitate est aggressa; & Alpium abrupta juga accessu difficillima, quæque natura, & ars ad aggressores quósque arcendos munierant, innatæ veluti oblita sterilitatis ad primum Vestrum accessum in fœcundam, ac uberrimam statim fronduerunt palmarum segetem; & suo VICTORI Principi repetitis tormentorum fragoribus plauserunt. Firmior ut staret Gloria bellicæ Vestræ Virtutis, ceciderunt hostes ex Alpinis montibus, quos Natura rupibus, & Ars arcibus communierat: nec mirum,

Ipse sui victor vicit VICTORIVS hostes.
Cui, qui se vicit, non metuendus erat?

Cum

Cum igitur æquè hoſtes exteriùs, ac interiùs animi affectus ad uberiora victoriarum incrementa coërceat, vincátque gloriosè: placeat Regali Veſtræ Celſitudini has de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis lucubrationes libenti animo accipere, quas flexo poplite ad Veſtros pedes demiſsè procumbens offero in perennis teſſeram obſequij.

Scribebam Monachij in Bavaria in noſtris Ædibus SS. Cajetani, & Adelhaidis pridie Nonas Decembris Epochæ Chriſtianæ Anno 1709.

Regalis Veſtræ Celſitudinis

Humillimus, Obſequentiſſimus, Obligatiſſimus Servus, & Subditus.

D. CAJETANUS FELIX VERANI
Clericus Regularis.

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

Hoc opus de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis ad hominem ab eorundem servitute manumittendum, & ad libertatem Christiani instituti, seu per regiam ad cælestem patriam viam manuducendum, ab Admodum Reverendo Patre CAJETANO FELICE VERANI Clerico Regulari SS. Theologiæ, & Juris Canonici Doctore, piè conceptum, erudi è scriptum, & perdoctè expensum, juxta assertionem Theologorum, à quibus fuit approbatum typo publico evulgari posse censeo, fore sperans, ut non modicum sit emolumentum ijs allaturum tum sæcularibus, tum Ecclesiasticis, qui Christianarum sunt studio virtutum addicti. Actum Frisingæ die 10. Decembris 1707.

FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS. SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonicus Capitularis, Scholasticus, Vicarius in spiritualibus Generalis, & Officialis, Librorum Censor.

Facultas Reverendissimi Patris Præpositi Generalis Ordinis Clericorum Regularium.

Hoc opus, cui Titulus est præfixus *de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis ad hominē de eorumdem servitute manumittendum; & ad libertatem Christiani instituti, seu per regiam cœlestis Patriæ viam manuducendum &c* in tres Tomos distributum, *à R.P.D. Cajetano Felice Verani* nostri Ord. Sacræ Theol & Jur. Can. Professore compositum, & à duobus nostris Theologis, quibus id commisimus recognitum, & approbatum, ut typis mandetur; quod ad nos spectat facultatem concedimus, in quorum fidem præsentes litteras manu propria subscriptas, & solito Sigillo nostro munitas damus Romæ apud S. Silvestrum Montis Quirinalis Nono Kalendas Septembris 1706.

D. THOMAS CARAFA Præpositus Generalis Clericorum Regulatium.
D. PETRUS Ab Ecclesia Secretarius.

Con-

Confirmatio ejusdem Facultatis.

CUm opus inscriptum *De humanis Affectibus ciendis &c.* ab ejus Authore *P. D. Cajetano Felice Verani* nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Professore fuerit continuatum, ac in tres tomos distributum, & à duobus nostris Patribus approbatum; ut etiam ejus editio in secundo, & tertio tomo continuetur; quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has litteras manu propriâ subscriptas solito nostro sigillo firmavimus. Datum Romæ apud S. Silvestrum Montis. Quirinalis die 17. Septembris Anno 1707.

D. LUDOVICUS FINALIS Præpositus Generalis Clericorum Regularium.
D. JOSEPH MARIA ALIPRANDI Secretarius.

Approbationes Theologorum.

HAs dissertationes *de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis &c.* *à R. P. D. Cajetano Felice Verani* nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Lectore elucubratas ex mandato Reverendissimi Patris nostri Generalis D. Thomæ Carafa diligenter pervolvi; cúmque se nihil mihi obvium dederit Fidei orthodoxæ, aut bonis moribus dissonum; quinimò ad virtutum culturam, pietatem promovendam, vitia amovenda per coërcitionem pravorum Affectuum, & excitationem proborum frequens incitamentum multiplici temperatum eruditionum illicio, eas publica luce dignas censeo, fore sperans, ut plurimum emolumenti sint virtutum cultoribus allaturæ. Monachij in Bavaria ex nostris Ædibus SS. Cajetani, & Adelhaidis die 26. Julij 1706.

D. CAROLUS ANDREAS SCHLECHTEN
C. R. S. Theologiæ Professor.

HOc opus, cui Titulus prætexitur *De Affectibus ciendis & coërcendis &c. à R. P. D. Cajetano Felice Verani* nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Lectore, jussu Reverendissimi Patris nostri Generalis D. Thomæ Carafa sedula perpendi discussione; nec quidquam reperi, quod Fidei orthodoxæ, aut bonis moribus dissentiat; quinimo moribus corrigendis, virtutibus promovendis, vitijs amovendis, pietati fovendæ, impietati amoliendæ omnia accommodata: edisserunt enim Dissertationes quàm umbratiles sint dignitatum splendores; quàm vanæ honorum cogitationes, quibus homines mentem implent; quàm vacua vota acervandarum divitiarum, quibus impensiùs inhiant. Quapropter cum totum opus in eum collineet scopum, ut à vitijs legentes avertat, & ad virtutum Evangelicarum studia alliciat, ut prodeat in lucem, meum propensiùs hìc adnecto votum. Datum Monachij in Bavaria ex nostris Ædibus SS. Cajetani, & Adelhaidis die 26. Julij 1706.

D. ANTONIUS REINDORFF, Clericus Regularis Sacræ Theologiæ Professor.

Elen-

ELENCHVS
Diſſertationum, ac Paragraphorum, qui in hoc Tomo continentur.

Dissertationum, & Paragraphorum.

§. VIII.

R.P.D.

R.P.D. CAJETANI FELICIS VERANI

Clerici Regularis.

DE AFFECTIBVS HVMANIS CIENDIS, & COËRCENDIS IN APPETITU CONCUPISCENTE PROOEMIUM.

Quæ ad affectus humanos generatim sumptos visa sunt pertinuisse, in præcedentibus donavimus explicatu. Dilabimur nunc ad eorundem species, propiúsque ad singulorum expendendas naturas, explicandásque proprietates accedimus. Horum principium, si spectetur appetitus est sensibilis, non hominibus tantùm, verùm & ipsis brutis inditum; & cum hujusmodi appetitus adæquata partitione dividatur in concupiscibilem, & irascibilem; ex affectibus alij à concupiscibili leniter fluunt; alij motu concitatiore ab irascibili erumpunt. Hujus partitionis aptam analogiam exhibent ipsa gravia, quibus duplex est à natura inditus nisus, veluti geminus appetitus innatus, ad motum unum, alterum ad quietem. Quinimò eorundem gravium nisus adhuc bipartitur; unus siquidem fertur ad tollendos obices, ac vincenda, quæ fiunt obvia impedimenta: alter ad resistendum, ac renitendum externæ violentiæ retrahenti grave á sua quiete; ille activus est, hic veluti passivus: haud dispari ratione nisus appetitionis ad motum est in proportionatum finem, ad quietem in possessione ejusdem finis; & quia in ejus assecutione plerúmque ei obviant obices superatu difficiles, suas vali-

validiùs vires exerit, séque ipsum fortiùs urget ad amovenda hæc impedimenta, obicésque arcendos; qui vel prohibent motum ad finem; vel perturbant quietem in fine; exinde urget ad obices abigendos, ne à propria deijciatur quiete: nonnunquam si affectus sit vehemens, vincitur ipse ab obsistente etiam pacato, ac frigido; eíque tunc contingit quod olim in Ægypto igni, & Nilo. Refert Suidas Chaldæos ignis cultores se jactare consuevisse, quia eorundem Numen reliqua, quæ ubíque terrarum à gentibus colerentur, vinceret, déque ijsdem prostratis eò illustriùs triumpharet, quò clariùs splendesceret; quippequi igne cætera solverentur, vel cinefierent idola. Verùm fuit sacerdos quispiam callido vir ingenio, qui cavam æneam statuam Nilij fluvij, ut ab Ægyptijs id temporis colebatur, conflari curavit, ea vafritie, ut plena esset foraminibus, quæ cerâ æneo illitâ colore obduxerat, ac statuæ cavitatem aquâ oppleret: suum Ægyptius sacerdos Numen adduxit, ad singulare certamen cum Idolo Chaldæi, à quo ignis statim Nili statuæ subjicitur; qui postquam afflare cœpit liquefactâ cerâ illicò per patentes rimulas, & aperta foramina ingens aquarum vis à Numine Ægypti foras emanavit, quâ subjectus ignis extinctus est; non absque rubore Chaldæi adacti tunc fateri Numen Ægyptiorum valentiùs esse illo Chaldæorum. Idem nonnunquam videtur in concitatioribus contingere affectibus, qui tametsi accensi in appetitu præsertim irascente flammescant; si in hominem incidant mitem, natura frigidum, virtute patientem extinguuntur: perinde ac ignis Chaldæorum Numen à Nilo Ægyptiorum idolo perimitur.

Tripliciter possunt pathemata in homine considerari: primò ut sunt motus, & affectiones corporis animalis communes etiam brutis: secundò ut sunt affectiones ipsius animæ percipientis easdem corporeas affectiones: tertiò ut eædem in homine dicuntur dominari, ac bonitatem induere, vel malitiam, súntque propterea dignæ præmio, vel pœna. Humanorum affectuum, prout hominis sunt proprij Doctor Angelicus D. Thomas bipartitam edocet classem juxta duplicem appetitum concupiscibilem, & irascibilem; è quibus veluti à proprijs radicibus omnia, & singula pullulant in homine pathemata; & senarium numerum complet in recensendis affectibus, qui ab appetitu oriuntur concupiscibili; quinarium verò in ijs assignandis, qui ab appetitu irascibili impetu erumpunt acriori: illos dicit Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Gaudium, & Tristitiam; hos spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, Iram. Galenus *lib. de cognoscendis, & curandis affectionibus* dividit humanos affectus in excandescentiam, iram, timorem, mœrorem, invidiam, cupiditatem, amorem, & odium; quorum

rum origo est anima sentiens; non enim hujusmodi pathemata ab anima dimanant intelligente, neque vegetante, cum nec in plantis, neque Angelis, nec in ipsa hominis mente, seu in-tellectu ullæ sint affectiones. Hinc finis horum affectuum est perfectio corporis animati, ut commodè se habeat, ac per-fectè suas exerat functiones: quod est veluti centrum, in quo viventia quiescunt. Stoici verò ad quatuor duntaxat fontes, voluptatem scilicet, & dolorem, spem, & desperationem om-nes utriusque appetitus referunt commotiones. Plato etiam sub finem Timæi arctiùs loquitur, & ex duabus tantùm radici-bus omnia educit pathemata, quæ censuit progerminare ex vo-luptate, & dolore. Laxiùs verò Aristoteles *2. Rhetoricorum* ex boni, malíve præsentis, vel absentis, varia, & multiplici ratione plura recenset motuum genera. Iram, mansuetudinem, Amorem, Timorem, Confidentiam, Verecundiam, Invere-cundiam, Gratiam, Commiserationem, Indignationem, Æ-mulationem, & Delinitionem.

Quo verò discrimine uterque appetitus concupiscibilis, & irascibilis differat, non videtur ita perspicuum, quin res diversis sit interpretationibus obnoxia. Placuit plerísque totum discri-men eò referri; quia cum mala plurima in humanam vitam pro sua conditione, ac vicissitudine crebrò incidant, & bona sen-sibilia plerúmque desint, fit, ut homo frequenter incitetur irâ, & impatientia ob malorum, quæ nollet, præsentiam: sæpiús-que concupiscentiâ ob absentiam boni, quod pro viribus nititur enancisci; perinde, ac malum imminens declinare: ex quo ori-tur, ut appetitus sentiens non aliter possit moveri, quàm in pro-secutionem boni possessi, vel possidendi; vel fugam, & aver-sionem mali, ut disconvenientis. Alij appetitum irascibilem differre censent à concupiscibili; quia ille, si suas vires exerit, animi vim, impetúmque prodit; cúmque in ira animus præser-tim emineat; ideò à Græcis eodem nomine Animus, & ira effertur; concupiscibilis verò videatur veluti quidpiam superad-ditum, quasi animæ inhærere tanquam effectus illius iners, ac pacatus: hæcque ratio, cur appetitus concupiscibilis minimè fe-ratur in bonum arduum, sed pronum, quò faciliùs illud enan-ciscamur; cum è converso irascibilis in bonum arduum, quód-que difficiliùs assequimur, suas exerat vires, ac tendat; adeò ut ad ejus assecutionem opus sit vegetiori impetu, nisúque ere-ctiore.

Alia interpretatio petita ex utróque bono arduo, pronóque eorum est, qui autumant bonum arduum ad animum pertine-re, magísque internis sensibus copulari, quàm externis adhæ-rescere; & inter hæc bona recensent gloriam, honorem, po-tentiam politicam, aliáque id genus, quæ à sensibili avulsa ma-

teriæ concretione, sensus fugiunt exteriores: cúmque bonum minimè arduum, utpote corporeum, sensibúsque externis facilè obvium percipiatur tactu, vel gustatu, accedente proximè eo, quod olfactum afficit; inque bona ista ferri appetitum concupiscibilem per quoslibet suos motus edocent, quibus conjunctione magis corporea adhærent pathemata, locíque propinquitate intimiùs ijsdem incumbunt: quæ verò ardua sunt, hæc, & sublimiora, minúsque appetitum demulcent irascibilem: hæcque explanatio utriúsque appetitus Platoni suffragante Aristotele præ cæteris arrisit; qui affectus promanantes ab appetitu concupiscibili communes homini, & brutis effecit, & naturales propterea dicuntur; eò quia nutu suo naturam viventis corporis sequantur: imò & necessarij vocantur, quia ijsdem opus habeat quodvis animal, ut & propriæ studeat indemnitati, & vitam propriam tueatur: tales sunt timores, quibus refugit quisque ab ijs, quæ corpus lædere queunt; vel quod deterius, etiam necem inferre: tales etiam sunt sitis, fames indices propriæ indigentiæ. Qui verò rationales dicuntur appetitus, hi solis insunt hominibus, cujusmodi sunt appetitus Gloriæ, Honoris, alíque id genus, qui vitæ tuendæ, conservandæque speciei minimè, saltem de proximo, famulantur.

Hinc ex humanis affectibus juxta exigentias, & proclivitates; alij in infinitum dicuntur excurrere, etiam cum objecto concupito, & præsente fruuntur; talis est amor, tale Desiderium inexplebile opum congerendarum, honorúmve acquirendorum, vitæque protrahendæ, usque ad declinandam, si foret possibile, Libitinam. Alij suis clauduntur limitibus, cujusmodi sunt, Desideria edendi, bibendi, dormiendi, alísque id generis appetitus, quibus limitem natura fastidio, vel nauseá præstituit: ídque propterea interest discriminis rationales inter, & irrationales affectus, quia illi suapte indole limitibus dedignantur coarctari; cùm isti suis claudantur angustijs. Tametsi plerúmque judicium intellectûs, & voluntatis arbitrium hos utriúsque appetitus antecedant affectus: interdum tamen sola praeunte imaginatione concitantur, mentísque pacatæ malaciam, perinde ac orta, & exæstuans procella, commovent, ac perturbant, sus déque evertunt. Verùm quamvis hanc voluntas ciere passionum procellam, suo quandóque possit arbitrio, non tamen id immediatè, & proximè assequitur: siquidem nemo ex mero libito imperare sibi cum effectu potest, ut irascatur, amet, doleat, aut tristetur; quemadmodum potest liberè, proximè, ac immediatè motum imperare progressivum, artúsque corporis localiter movere; sed adminiculo indiget præeuntis imaginationis, quæ objecta exhibeat Amoris, Iræ, vel Tristitiæ: non enim excitantur pathemata, nisi ab objectis ima-

imaginationi altiùs impressis, quæque propterea appetitum sentientem efficaciùs urgeant. Amor enim humanorum affectuum Princeps elicitur ex imaginatione objecti, quod valdè congruum sit, ac consentaneum homini: exhibito siquidem per ministram imaginationem hujusmodi objecto, per nervorum ostiola fit spirituum animalium affluxus, ac illapsus, quô appetitus concupiscibilis ad eos urgetur motus eliciendos, quibus objectum illud prosequitur, ut sibi congruum; adeò ut appetitus propendeat, feratúrque per talem motum in bonum sibi consentaneum: nec quidquam aliud est prosecutio, quàm tendentia facultatis appetitivæ in bonum, ut sibi congruum.

Quia verò potest objectum diversimodè ab imaginatione repræsentari ut congruum, varius est amor ex diversitate ipsius impressionis, ac patheticæ affectionis: hinc fames, & Soror ejus sitis, quædam dicuntur esse amoris species, ad quas revocatur ea generalis passio, quæ animalis instinctus vulgò dicitur: Perficitur autem hujusmodi motus cum entelechia, seu continuata energia, vique perpetua se movente; quia non solùm imaginatio exhibens objectum externos determinat motus appetitûs; verùm etiam internos ciet, qui optimo congruunt corporis statui: effervescente mox amore in objectum congruum sanguis agitatur, cordis fibræ dilatantur, arteriæque pulsus augetur, fitque uberior respiratio ob majorem æstuantis sanguinis in pulmones affluxum: quinimo interdum adeò sanguinis effervescentia exuberat, ut vel ipsæ costæ, quæ pectoris sunt munimenta altiùs solitô attolantur: & nonnunquam etiam disrumpantur, ut contigisse in S. Philippo Nerio, aliísque divini amoris igne sanctiùs æstuantibus fertur: adeò tamen blandus est æstus, & dulcis amor, ut suaviter totius corporis artus titillet, eliciátque humorem, qui diductis ob calorem poris in sudores foras evaporet; atque ex diffusione sanguinis splendeant, turgeántque oculi, fibriæque nerveæ veluti ab æstu spirituum commotæ inordinatè subsiliant. Contraria tamen ferè omnia ex opposito odij pathemate contingunt.

Quia verò patheticæ animi commotiones aliæ sunt corpori commodæ; & aliæ dissentaneæ, placent illæ, ut delectatio spiritualis; displicent istæ, ut opposita tristitia, ad quam solent abnutus sequi: suis etiam anima gaudijs, & doloribus spiritualibus afficitur, soléntque excitari ex occasione similium affectionum in appetitu sentiente: hæcque ratio, cur hæ spirituales affectiones determinent corporeas; ex nexu siquidem animæ cum corpore, appetitus sentiens excitatur, determinatúrque juxta intellectiones spirituales: tanta est energia portionis superioris, ut inferioris organa immutet, moveat, corporeásque excitet imaginationes, ad quas pathemata sequuntur utriusque appetitus con-

cupiscentis, & irascentis. Imaginatio etiam diversa lenius, acriùsque repræsentat objecta, quibus appetitus sentiens determinatur ad suos motus depromendos. Interdum per energiam animæ affectus unus æquilibrio compensatur alterius excitati, motúmque pugnaci oppositione tranquillitas invehitur mentis, ac pacata malacia; quatenus affectus oppositi ex adverso nitentes, se se comprimunt, coërcéntque, ne ullus inde sequatur tumultus, neque turbata commotio: analogiam exhibent duo in opposita loca trahentes idem grave, unum versus orientem, alter in occasum; si vires sint pares, adeo ut unus obsistat alteri, coërceatque motum nitentem in partem contrariam, quamvis uterque toto nisu intermedium grave in suam trahat partem, neuter illud movet, quod sua propterea gaudet quiete: perinde potis est anima excitans diversam imaginationem phantasticam determinare motum spirituum, oppositum ex diametro alteri pathetico motui; ut si primus fuerit ad peripheriam, alter vergat in centrum; sicque pro rata cessat prior motio spirituum, & tranquillitas à sua non dejicitur, quâ gaudet, malacia.

Coërcetur nisus pathematis, si post exhibitum imaginationi certum objectum, innotescat homini malum, quod ipsi imminet, vel periculum, ad quod se injicit per lethalem noxam se á summo bono avertendi: subóritur tunc duplex oppositus affectus, desiderium boni, & fuga mali, móxque delectatio, vel tristitia preslè sumpta; hacque pathematum oppositione comprimuntur affectus; neque adeo acris fit commotio. Plerumque tamen obtingit, insuetam spirituum commotionem excitari exhibito sensibus objecto, quod relatè ad hominis statum, nec consentaneum est, neque dissentaneum, sed duntaxat novum; & huic vis etiam inest inducendi corpoream immutationem per excitationem admirationis; hæret tunc homo ad insuetam novitatem attonitus, & admirabundus: cum primum autem incipit novitas desinere, extinguitur admiratio; cui sola novitas obstetricatur.

DIS-

DISSERTATIO I.

De Amore Humanorum Affectuum Principe, Déque Amicitia ritè ineunda.

§. I.

Infeliciter amat, qui Deum summum bonum non amat; nullibi amor noster satiari potest, nullibi extra Deum quiescere. Veri amoris natura expenditur.

1. PRincipem humanos inter affectus sedem occupat amor ex bono natus, & cor hominis enatus in cunis; oritur enim amor ex bono appetitui concupiscibili ab intellectu præostenso, ut consentaneo, & congruo; gignitur quædam tunc admiratio, ad quam sequitur in ipso appetitu complacentia, quæ propriè nomen sortitur amoris, qui propterea est voluntatis erga aliquem inclinatio. Quamobrem Amor est complacentia boni, seu illa prima impressio, quâ afficitur appetitus, cum sibi complacet in bono ei exhibito, ut congruo. Hinc Aristoteles definit amorem, nil aliud esse, quàm volitionem boni alicui; & amare idem esse, ac velle alicui bonum. Loquimur hic de amore animali, & rationali, quorum uterque est actus elicitus, non verò de illo amore, quem S. Dionysius *cap. 4. de Divinis Nominibus* vocat naturalem; quia hic amor non est actus ullus elicitus alicujus facultatis; sed tantùm quædam propensio, & veluti pondus naturæ in bonum sibi consentaneum; quo pacto lapis dicitur centrum amare, & ignis locum sursum, in quem nititur; in quo sensu ait Augustinus: *Amores corporum momenta sunt ponderum*, sive deorsum gravitate trudantur, sive sursum levitate nitantur. Unde juxta præsens institutum amare est velle bonum alicui, & bonum illius causa; & hic amor est primus voluntatis fœtus, & cæterorum affectuum Princeps; quia sicut primum in cœlis mobile cæteros interiores orbes, quos suo ambitu continet, motu pariter versat, ac rapit; ita omnes affectus uno comprehensi amoris ambitu, unius etiam amoris conversione moventur: siquidem Gaudium, Tristitia, Desiderium, Fuga, Spes, Desperatio, Timor, Audacia, Ira, obstetricante bono consentaneo, præsente, vel absente ab amore nascuntur.

1. *Rhetor. cap. 4.*

11. *de civit. cap. 28.*

2. Hinc amor motio quædam est, ac incitatio animæ cum insueta, sed idonea fibrarum agitatione, ac spirituum animalium ad se se conjungendum, vel re ipsa, vel voluntate, aut nisu, seu omni meliori, ac idoneo modo cum re, vel objecto, quod nobis ut congruum, & conveniens exhibetur; apparétque propterea nobis optimè futurum, si cum re illa nobis exhibita copulemur, eámque possideamus. Hic autem amor, si excitetur erga objectum quod minoris æstimamus, quàm nos ipsos, dicitur simplex affectio, quâ circa res præsertim inanimas, vel rationis usu, habitúque destitutas afficimur; ut circa equum, canem. Sin verò æquè æstimemus, ac nos ipsos, dicitur *amicitia* laxè tamen usurpata; hócque amore cæteros solemus homines prosequi. Quòd si pluris facimus, quod amamus; hic amor devotio dicitur, quâ Principes potissimum prosequimur. Cum verò rei, quam amamus, aptè copulamur, ac idoneè juxta cujusvis amoris naturam, eo ipso imaginamur quidpiam boni rei convenire eidem, & inde suboritur benevolentia, quæ est propensio quædam, & inclinatio ad conjungendum bonum conveniens rei, quam amamus.

Ex Poëtarum commentis Plato in convivio fabulam narrat de Amoris natalibus: 3.
ait ipse. Cùm nata esset Venus parato convivio discubuerunt reliqua Numina, & Consilij filius Porus, affluentiæ Deus. Cúmque cœnati essent, Penia (seu paupertas) mendicatura cibum, ac cœnæ susceptura reliquias, utpote epulis illic abundantibus, venit, & circa fores obversabatur. Porus nectare ebrius, cum nondum vinum fuerit in usu, Jovis hortum ingressus conciliante somnum vapore obdormivit. Penia verò inopiâ compulsa juxta illum accubuit, & ex illo amorem concepit, qui ex matris ingenio pauper, pulchritudini tamen, ac bonitati, jugiter copulatur.

Hinc describitur amor vegetus, alacer, 4.
floridus, decertans candore cum liliis, rubore cum rosis, ocellis cum syderibus, dentibus cum margaritis; ore, & risu cum sororibus Gratijs. Caput illi multiformi cincinnorum

cumulo

cumulo variatur; quos non externa calamistri, aut ciniflonum opera finxit, nec ars ulla pinxit fuco; sed ad domesticum cordis ardorem simplicitas formavit plicatiles in annulos, & natura crispavit, perinde ac: *Nunc apio viridi crispatur florida tellus:* nulla in blandula ejus fronte nubes, nulla corrugata asperitas; sed arridens serenitas. Ejus propterea oculos nulla obducit fascia, quia intimæ cordis notiones in iisdem clarescunt; non enim quidquam celare novit; nudo pectore est candidus, quia nullus dolus cor infuscat, quod propterea dextrâ præmonstrat manu; nec alio magis delectatur, quàm corde.

5. Sed sinamus hæc commenta Poëtis, id verum, quòd pulchritudo cum bono semper copulata illex est amoris, fàxque illius cupiditatis, quâ nutritur amor, qui si bonus est, illuc semper tendit, unde suam traxit originem; seu ad bonum accedit, quia à summo bono procedit. Duplex est amor; alius quô diligmus Deum, & creaturam rationalem propter Deum; & hic amor propriè charitatis dicitur: alius, quo absolutè diligimus creaturam denudatam à respectu ad Deum: & hic secundus amor multiplex est, alius naturalis convenientiæ, quo amore debent se invicem diligere omnes homines ob uniformitatem naturæ: alius est amor carnalis attinentiæ, qualis est inter parentes, & filios; inter fratres, & sorores; inter consanguineos, & affines: alius est amor spiritualis colligantiæ, quam promovet unitas professionis; & hic amor est inter Christianos ad invicem ob unitatem fidei, & inter artifices ejusdem professionis, licèt figulus dicatur figulum odisse: alius est amor legalis conditionis: qualis est inter Dominos, & servos, & è converso: alius amor conjugalis adhærentiæ, & reperitur inter virum, & uxorem: alius est amor socialis inter socios contubernales, vicinos, concives: alius amor amicitiæ, qui inter amicos fovetur: hoc interest discrimen inter amorem concupiscentiæ, & amicitiæ, ait D. Thomas *1. 2. q 24.* quia amore concupiscentiæ, quis in bonum magis, quod alicui vult, fertur; quàm in illum cui vult: sed amore amicitiæ magis in illum, cui bonum vult; onde amore concupiscentiæ diligit quis se ipsum magis, quàm personam amatam: amore autem amicitiæ non amat quis sua commoda; sed unicè amici bonum appetit: hæ omnes amoris species honestate circumvestiuntur, dummodo regulentur juxta rationem; quæ regula est honestatis in actus derivandæ.

6. Amor charitatis, quo Deum diligimus est enixè optandus, & à Deo fusis precibus expostulandus, cum præcipiat Deus, ut eum ex toto corde diligamus: discutiat quisque propriam conscientiam, & in statera districti examinis appendat cor suum; observétque quis in ea prævaleat amor; quod in lance dilectionis præponderat, hoc idolum est, quod quis colit. O quàm infeliciter diligit, qui Deum summum bonum non diligit! cupit amor expleri; & nullibi satiari potest, nullibi extra Deum quiescere, cum quævis creatura vacua sit, deficiens à summo bono, & vanitati obnoxia. Magna est vis amoris; siquidem in rem amatam transformat amantem. Est amor quædam à se peregrinatio; à se abest omnis, qui amat; nihil cogitat de se, nil providet, agit nihil, & nisi ab amato, suscipiatur nullibi est.

Verus amor soli adhærescit honestati. 7.
Mens siquidem amore persula tendit ad pulchritudinem: Pulchritudo concinnitatem includit; concinnitas non distat à temperantia; temperantia autem bono, & honesto concordat. Promovetur amor, mente, oculis, aure; menti si hæreat plurimùm virtutum delectatur ornatu. Si foveatur oculis, discolori flore, vel pictura, ac diversarum linearum concordia allicitur. Si in auribus vigeat, musico pascitur concentu; & harmoniæ consonantiâ nutritur, quâ etiam efferata mitescunt ingenia: hac siquidem arte lapides sibi obsequentes habuit solo citharæ pulsu Orpheus, qui harmoniæ blandimento belluas dedocuit nativam feritatem, inditámque sibi sævitiem; & Euri, Notique furentes impetus in medio aëre coërcuit. Hac industria tumentes commoti pelagi fluctus compescuit Amphion; & è profundis gurgitibus squammigerum gregem accivit ad choreas: Lusciniæ etiam, & alaudæ, aliæque canoræ aviculæ homines ipsos rapiunt, detinéntque; cum vocis suæ divitias exponentes varietate admirabili innumeros fingunt sonos, quos nunc in longum æquabiliter producunt, nunc intorquent; jam minutiùs, ac concisiùs emittunt, modò inflectunt, nunc crispant vocem, mox intendunt, remittunt, semper allicientes, nunquam tædio afficientes.

Signa amoris hæc habentur, aliquem cupidè, ac frequenter intueri, ejúsque delectari aspectu, porrigere eidem manus, lacrymas ab oculis elicere, ignita iterare suspiria, pallore suffusas habere genas; obrigere in extima cute, cùm latet in intimis præcordiis flamma. Hic amor est, qui odisse segnitiem consuevit, & gaudet impetu ferri. Quòd si pudori copuletur, animum abstergeret ab omni turpitudine: si honestati adhæreat ad sublimiorum virtutum nobilem culturam hominem invitat. Si in amicum feratur, nil cogitat, quàm quod eidem est commodo virtutis causâ. Sapiens, ait Seneca, habere animum vult, ut amicitiam exerceat, ne tam magna virtus otio torpescat: non ob hoc, quod Epicurus dicebat, ut habeat, qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula conjecto; opem ferat inopi: sed ut aliquem habeat, cui ipse ægro assideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet. 8.

Rara tamen est avis, vera, & proba in humanis amicitia; quis enim non impin- 9.

gat

gat in scopulos æquora enavigans amoris? cum vafius hisce in fluctibus ludat error, qui cum mentitur malaciam, extempore sævit in procellas? Quis insidias omnes deludat? quis æstus, vorticésque scyllæis pejores declinet? dolosi fluctus etiam firmiores deverrunt rupes; & obarmata navigia excutientes, tanquam pilas, huc, illúcque ac si essent pelagi lusus impellunt, adigúntque ad naufragium. Amicitia si fuerit simulata lædit, cum ludit; venenum propinat, cum osculatur; & inter amica pocula fundit toxica, quibus enecet. Secura bolide explorandum est humani pectoris profundum; quia ut aiebat Leo Magnus: *Plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* Insidiator est, qui blanda exhibet vireta, ut latentes porrigat serpentes; qui rosas ostendit, ut feriat spinis; qui amorem oculis, fronte, verbis loquitur, & exitiale intus alit odium in pectore.

10. Arduum est, amicum verum à fucato, & fraudulento dignoscere, cum utrinque comitas urbanitatis, & amica verba splendeant; non tamen idem in utroque character: siquidem in vero amico severior quædam benignitas, firmior benevolentia, ac maturior dictio: in Larvato autem comitas fucata, urbanitas affectata; risus, qui in extimis tantùm nascitur labijs; non qui ab imo erumpat pectoris. Quòd si verba factis componantur facilè fucato amico larva detrahitur, & qualis sit dignoscitur. Adversa itidem, quæ obtingunt amicum ab hoste secernunt: quemadmodum incurrentes in pelago procellæ naucleri peritiam retegunt, ita adversa amici produnt characterem: cautè, ac maturè procedendum in amicorum delectu, naufragium semel passi serò imperitiam ingemiscunt naucleri; & illisam scopulis navem alteri concredunt in cassum gubernatori. Quod in Nauclero, id in amici faciendum est delectu. Experimentum ab alio sumamus, ut alieno edocti exemplo, pericula, quæ possent imminere, declinemus. Priùs quàm amicum deligas, vide, quomodo se habuerit in aliorum amicitia, quomodo steterit, an urgentibus adversis opem amico tulerit; an eidem prolabenti dextram porrexerit, an verò magis impulerit; an suæ magis, quàm amici utilitati studuerit: qui proprijs tantùm inhiat commodis, veram nequit amicitiam cum alio inire. Cum totus amor proprijs nitatur commodis, his cessantibus, necesse est amor extinguatur; perinde ac sublato fundamento nequit domus stare; quinimo si larvatus amicus majora ab hoste commoda speraverit, odium pro amore reponet, & hostem induet, cum sola commodi magnitudine amorem metiatur. *Hæ sunt amicitiæ* (ait Seneca) *quas temporarias populus appellat. Qui causa utilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis erit. Hac re florentes, amicorum turba circumsedet: circa eversos ingens solitudo est; & inde amici fugiunt, unde probantur.* Qui propriæ tantum utilitatis est amicus, ubi primùm adversa insonuerint, amicitiam exuit; quia spes arescit commodi hauriendi.

Amicitia metum etiam abigit, si vera, ac proba fuerit. Nemo enim sincerè amat, 11.
quem metuit; ut nec eum, à quo se metui putat; quia ubi metus, ibi plena fiducia esse nequit: & teste Tullio: *Nihil stabile est, quod infidum est.* Hinc metus, & perfecta amicitia nunquam jugali vinculo unà copulantur: qui metuunt, possunt quidem externa simulatione amicitias excolere, sed brevi defecturas. Nisi vacuum à timore pectus fuerit, nunquam arcana, quæ intus molitur, foris emittet; excubante fele in murium venatum, nunquam hi è proprio exeunt foramine; quia cavent, quem metuunt. In delectu igitur amicorum cautio adhibenda est; ne cum ijs amico fœdere copulemur, à quibus postea cogamur recedere, nósque pœniteat, necessitudinem cum iisdem contraxisse. Amicitia, ut stabilis sit, necesse est, solâ nitatur virtute, sine qua amicitia esse non potest: amicus deligendus sit vir probus, in quo virtus suam fixerit sedem; vitiis indulgentes amicitiam corrumpunt; scitè Plato: *solus bonus soli bono amicus est; malus autem, nec bono, nec malo unquam revera amicus efficitur*; non enim bonum, & malum simul coalescunt; quemadmodum nec vitium, & virtus simul eidem hærent menti; quia amor ratione innititur, à qua improbitas recedit: unde soli boni, amici esse possunt, ac propterea soli probi sunt in amicitiam deligendi, verè Tullius, *Dispares mores disparia studia sequuntur; quorum dissimilitudo dissociat amicitias*: cùm sit vera amicitia ex eudem Cicerone, rerum omnium cum benevolentia, & charitate summa consensio, ubi morum dissensio est, amicitia esse non potest. Quòd si vir probus malo adhæreat, verendum tunc est, ne & ipse improbitatem contrahat, quia ut scitè ille

Unaque conspectâ livorem ducit ab una.

Zizania dicuntur fœcundiùs crescere, 12.
adolescere citiùs, & boni naturam seminis vitiare, atque in propriam vertere; plúsque in humano corpore habet virium ad humores corrumpendos modicum venenum, quam pleraque pharmaca ad invectam malignitatem propulsandam. Fortiùs malorum exempla trahunt, quàm retrahant bonorum documenta; cum natura & ipsa corrupta pronior sit ad vitiis indulgendum: *serpunt enim vitia*, ait Seneca, *& in proximum quemque transiliunt, & contacta nocent. Itaque ut in pestilentia, cavendum est, ne corruptis jam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatúque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus. Initium morbi est, ægris sana miscere.*

Hinc amicitiæ pretium pluris censendum illo gemmarum; quia si illæ pretium 13.
à raritate hauriunt, rarior est perfecta amicitia,

citia, cum Cicero ex omnibus sæculis nonnisi tria, aut quatuor enumeret amicorum paria; & Plutarchus Theseum, & Pyrothoum; Achillem, & Patroclum; Orestem, & Pyladem; Damonem, & Pythiam; Epaminondam, & Pelopidam, & rara recenset amicorum exempla. Da verum amicum, & ejus consortio amara statim dulcescunt; lævigantur scabra, mollescunt dura, mitescunt aspera, hilarescunt tristia; levia fiunt, quæ pondere premunt; tranquilla, quæ procellas invehebant; Eccles. 6 quia ut ait Syracides, *Amicus fidelis medicamentum est vitæ.* Vera tamen amicitia illa est, ait S. Bernardus, *quæ nihil in rebus amici quærit, nisi solam benevolentiam; scilicet ut gratis amet amantem se.* Verus amor proprio non studet commodo, si verus est amor: inhians honoribus, si Principem amet, à quo illos speret; is non Principem, sed honores amat: quoties cogitata, aut sperata intercurrunt bona; bonorum tunc est amor, non animorum; qui propria amat commoda, se ipsum duntaxat amat; quia sibi tantùm vult bonum: amicitia autem ad se ipsum nulla est, omnis enim amicitia mutua est, & ad alium, cui amore consociatur. Hujus beneficio amicitiæ non homines tantùm reconciliantur, verùm etiam plurimum Reipublicæ adferunt emolumenti. Livius Salinator, & Nero Consules simul renuntiati difficillimo Reipublicæ tempore amicitiæ junguntur fœdere; & ultro, citróque injuriarum, quibus antea dissidebant, immemores; mutuis consilijs, ferróque Hannibalem fregerunt; & Romanam Rempublicam non solùm servârunt incolumem; verùm etiam lauro coronârunt triumphali. Regna etiam amore parta, amore steterunt; & armis comparata, armis perierunt. Nullum Regnorum præsidium amore fortius; nec ullum munimentum amore firmius, vicinorum Principum amicitia pro vallo semper stetit; & quæ regna arma everterant, amor, & amicitia restituerunt. Validior est amor omnibus armis; siquidem ab armis arma cadunt; & metus in castris jugiter nutritur; cum anceps semper sit Martis alea: secus ubi verus amor, ibi timor nullus; qui verè amat, nec mortem ipsam timet. Ad quæ non impellit amor? hic Martyrum turmis alas addidit, quibus promptiùs evolarent ad gladios, secures, ignes, serras, uncos, tanquam ad rosas, violas, lilia; nimirum amor, non solùm inconcussæ firmitatis lorica eorum pectus obarmaverat, sed etiam contra truculentæ Libithinæ minas, quas non pluris fecerunt, quàm catelli latratus obfirmaverat. Hinc illæ audiebantur inter flammas, & gladios, voces veri gaudij, cum suaviores rosis prunas amor efficeret; mollius lanâ ferrum; favo dulcius liquatum plumbum; cum constet, fornaces ardentes, craticulas ignitas, accensas lampades, picatas vestes, armatas rotas, & alia sexcenta tormentorum genera pro Deo amato tolerata delicias fuisse sanctis Martyribus, rosas vernantes, & lilia eblandientia.

§. II.

De causis excitantibus affectum amoris.

CAusæ, quibus amor excitatur, & excitatus adolescit, tres sunt, quarum præcipua est rei bonitas cognita, ut congrua, & consentanea amanti; est meridiano jubare clarius, amorem nonnisi in bonum ferri. Neque innatum hunc, inditúmque omnibus sensum abjecerunt Platonici, quamvis amoris objectum pulchrum statuerint; quia Platonici quidquid quomodolibet bonum est, idem pulchrum dixerunt. Est siquidem pulchri, & boni ingens affinitas, nodúsque insolubilis inter utrumque; hæcque pulchritudo bono jugali veluti vinculo juncta illex est amoris; fax cupiditatis; ait enim S. Dionysius, *lib. de divin. Nomin. cap. 4. Pulchrum, & bonum omnibus esse desiderabile, amabile, ac diligibile.* In scripturis iidem, ut notat S. Augustinus, plerumque bonum sumitur pro pulchro, quòd si pulchrum est idem, ac bonum; jam objectum appetitus prosequentis est bonum ex Platonicis: & hæc est ratio, cur pulchrum dicatur amorem ciere, & quasi è somno excitare, & ad se trahere, perinde ac succinum paleas, cinosura magnetem, hic ferrum; quia cum pulchritudo quælibet in creaturas derivata sit vestigium quoddam illius summæ pulchritudinis, quæ in Deo pleno jubare splendet; & divina bonitas, seu pulchritudo omnem extorqueat amorem; necesse est, pulchritudinem quamlibet à Patre luminum, & splendore gloriæ ejus in creaturas derivatam allicere ad sui amorem. 14.

15 de civit. c. 13.

Ab inexhausto divinæ pulchritudinis fonte tres scaturiunt rivuli in creaturas irriguo delabentes fluxu. Unus Angelicos percutit intellectus, seu mentes illas defœcatas, ab omni labe detersas. Alter per intellectuales animas, quas Deus ex altissimo domicilio demersit in terram; ut essent in hac depressa valle, qui cœlestia contemplarentur, & in amorem raperentur Dei conditoris: siquidem ea est humanæ mentis vis; ut è caligine rerum mortalium, ipsa cœli penetralia pervadat; astrorum ortus, obitus, cursus, recursus, progressiones, institutiones notet, describátque solis deliquia; lunæque defectiones, quas in posterum tempus prædicat; quinimo mentes etiam ab omni conjunctione materiæ sinceras perlustrat, & usque ad primum creaturarum Satorem contendit; cujus majestatis perculsa radiis beata circumfunditur caligine: Tertius rivulus cæteris longè inferior varia irrigat corpora, quibus inest pulchritudo, ac efflorescit ad blandum oculorum illicium, quô amor intus excitatur; delectantur enim oculi pulchro, & à pulchri aspectu gignitur admiratio; à qua producitur quædam complacentia, & à qua excitatur amoris ignis, quô præcordia flagrant. 15.

16. Orator affectum amoris excitaturus in puerum JESUM ejus describat pulchritudinem, blandè, ac specinsè loquatur *De specioso formâ præ filijs hominum*; dicat, tantam esse hujus infantis specinsitatem, ut omnium formas extinguat, intuentium sensus rapiat, & amorem accendat; ejus faciem nectare diffluere, & cœlesti ambrosiâ; oculos cœli syderibus umbras injicere; genas nonnisi rosas immixtas lilijs venustè exhibere; mentum, & labia sedes esse Gratiarum; ac totum infantem nonnisi gratias spirare. Hæc qui audiunt in amnrem rapiuntur pueri JESU. Pulchrè ejus Pulchtitudinem describit Jacobus Bidermanus, simúlque amorem excitat. *Lib. 1. narrat. 4.*

Phœbea face purior puellus,
Astris clarior omnibus puellus
Formis omnibus, elegantiisque,
Rebúsque omnibus, omnibusque quotquot
Sunt usquam, fuerúntque, erúntque pulchris,
Unus pulchrior omnibus puellus.

17. In excitando amore stylus est adhibendus dulcis, candidus, fusus, sine salebris, qui quasi pellucidus fnns sedatè fluens per pratorum vireta flnres blandè densculetnr: verba sint selecta, mollia, lactea, sonantia, lenia, elegantia, nnn secus, ac micantibus illusa flosculis asarota: mollitiem, ac melleam effundant suavitatem; injiciántque jucunditatis illecebram; ut præstitit Martialis in mollissimo, ac eleganti epigrammate *12 lib. 9.* De Earino Domitiani, qui idem pnllet, ac vernus.

Nomen cum violis, rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam, quod sapis, Atticósque flores
Quod nidos olet alitis superba:
Nomen nectare dulcius beato.
Quo malles cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti.
Quòd si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinésque,
Nomen nobile, molle, delicatum,
Versu dicere non rudi volebam,
Sed tu syllaba contumox repugnas;
Dicunt Earinon tamen Poëta.

18. Secunda amnris ciendi causa se tenet ex parte amantis, estque similitudo, seu cnnvenientia amantis cum re amata, tunc enim res amata trahit ad se quodammodo amantem tanquam aliquid sui: & amans itidem fertur in rem amatam, veluti in aliqnid pertinens ad se ipsum: hinc dicitur: *Omnis homo simili sibi sociabitur*, idque spiculn naturæ lumine unvit Atistoteles ubi ait: *Similia similibus mox gaudent, & homo homini jucundissimus.* Aristoteli videtur adhæsisse Seneca, ubi adhnrtans ad amnrem proximi ait: *Natura nos cognatos edidit, cum ex ijsdem, & eodem gigneret: hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit.* Similitudo affectum amnris excitat; quia in iis, qui nnbis sunt similes, continetur aliquid ad nns pertinens, & nns in ipsis quodammodo elucemus, ut docet Aristoteles *2. moral. cap. 18.* & cum nemo sit, qui se ipsum impensissimè non diligat; necesse est, eos amemus, qui nnbis sunt similes. Hæc autem causa excitatrix amoris est adeo efficax, ut Nazianzenus *Orat. 18.* asserverit, similitudinem studinrum, atque institutorum non minus devincire, quàm vinculum cnnsanguinitatis, & affinitatis. Nec contra hanc amoris causam sunt simnltates, quæ plerumque inter similes, & ejusdem instituti hnmines excitantur juxta vulgatum effatum: *Figulus figulo invidet*; quia id per accidens obtingit: quatenus homines tametsi ob similitudinem se diligerent, nihilnminus quia se vicissim impediunt in assecutione alicujus boni, eò quia alter alterius lucrn obstet; ratinne hujns incommodi dicitur figulus figulo invidere; seu artifex artifici. quòd si præfatum excluderetur incnmmodum, mutuis se amnribus prosequerentur. Est igitur similitudo conciliatricula per se, & ex prnprin ingenio amoris; & ingens ad animos vinciendos incitamentum, adenut rectè cecinerit Ovidius *Eccles. 13.* *Lib. 7. moral. cap. 4.* *Epist. 96.*

Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
Et servat studij fœdera quisque sui
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubia navita puppis amat.

Tertia cnnciliatricula amoris causa est ipse amor, siquidem amor unius rei progenerat amnrem alterius habentis connexionem cum illa, qua ratinne beneficentia, & benefica voluntas dicitur conciliare amorem, quatenus amnr beneficij accepti excitat ad amandum benefactorem: amant omnes eos, qui benefecerunt, aut quos putant velle benefacere; quæ affectio est omnibus à natura indita, etiam belluis immansuetioribus, quæ naturalem nblitæ feritatem cicures, ac mites suis cblandiuntur benefactnribus. Hinc amor dicitur parere, & alere alterius amorem mutuum; in quo sensu ait Seneca: *Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine ullius venefica carmine: si vis amari, ama.* Hac ratione Jnannes adhortans nns ad Deum enixim, & toto corde amandum, ait: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Ratio, cur is, qui alterum amat ab ipso facilè redamatur, est, quia prnprium amoris est nnire affectivè amantem cum amatn, ac efficere, ut bnnum amantis sit quodammndo amati; hæcque ratio, cur ab amato amans redametur; quia ut scitè Aristoteles: *Amabile* 19. *Epist. 9.* *Epist. 1. c. 4.* *Lib. 8. Ethic. cap. 2. & 3.*

bonum, unicuique autem proprium: Unde amor amorem parit, & eos, qui nos amant, amamus: è converso eos non diligimus, quos novimus non esse in nos propensos amore: eleganter hoc idem adstruit S. Ambrosius inquiens: *Ad incentivum charitatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat; nec minus redamare se prebet, quàm ipse amatur; idque amicitiæ fidelis patet exemplis, quàm gratia? quid tam insitum naturæ, quàm ut diligentem diligas? quid tam insitum, atque impressum affectibus humanis, quàm ut eum amare inducas in animum, à quo te amari velis?*

2 officior. cap. 2.

20. Causa amoris conciliatricula est etiam consanguinitas; hi enim facilè vinculo copulantur amoris, qui sanguinis necessitudine junguntur. Amorem excitat à consanguinitate D. Ambrosius in oratione, quam habuit de obitu Satyri fratris, ait ipse, ciendo affectum fraterni amoris. *Ego te frater hæredem feceram; tu hæredem me reliquisti; ego te superstitem optabam; tu me superstitem dimisisti. Quid mei successor hæredis? quid agam mea vita superstes? quid agam exsors hujus, quod cupio luminis? Ego te frater non requiram, aut possim unquam oblivisci tui? quas grates? quæ munera referam tibi! Nihil à me præter lacrymas habes. Aut fortasse securus meriti tui, quas solus superstites habeo lacrymas, non requiris. Nam etiam cum viveres, fieri prohibebas, mœrémque magis nostrum, quàm tuam mortem tibi esse testabaris dolori; Habeo planè pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio jam possit avellere: habeo quas complectar reliquias: habeo tumulum, quem corpore tegam: Utinam potuissem adversus mortem tuam meum corpus objicere? Si gladijs petitus esses, me potiùs pro te obtulissem. Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus; nihil flatus meos inspirâsse morienti. Putabam enim, quòd aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te transfunderem.* Nonnullis interjectis eliciens suavissimas fraterni amoris lacrymas subdit. *Teneo igitur Te frater, nec mihi te mors, aut tempus avellet. Ipsæ dulces lacrymæ sunt, ipsi fletus jucundi, quibus restinguitur ardor animi; & quasi, laxatus evaporat affectus. Neque enim sine te esse possum; aut tui non meminisse unquam, aut meminisse sine lacrymis. ô amari dies, qui interruptam copulam perdidis! ô flebiles noctes, quæ tam bonum consortem quietis, & individuum mihi comitem perdidistis!* hactenus Ambrosius colliquescens lacrymis, ex amore in fratrem post exutam mortalitatem.

21. Sunt aliæ minus præcipuæ conciliatriculæ causæ amoris, quas inter recensetur conversatio, & alloquiorum commercium; quâ ratione per fomenta Epistolarum amicitiæ jamdudum initæ dicuntur convalescere, ac conservari, tametsi locis sint amici dissiti. Fovetur amor mutuis conversationibus; perinde ac frigescit silentio: eleganter Ennodius *lib. 5. Epist. 2* id obfirmat. *Frigescit charitas quam verborum avarus despicit ventillare. Sine cultura est diligentia non in usum reducta: per paginas styli frequentia vivaci pabulo insitam pectoribus nutrit amicitiam.*

Conciliant itidem amorem ea, quæ nobis nonnisi impenso labore comparavimus; quæ enim multo labore paravimus, pretiosa nobis sunt, ac perchara. Hinc Aristoteles *9. Ethic. cap. 7.* assignans rationem, cur matres impensiùs filios diligant, quàm Patres; ait, matres majorem, ac diuturniorem laborem impendisse in liberis edendis, ac educandis. Hæcque etiam ratio est, cur arctior in senibus sit parsimonia; oritur enim hæc tenacitas ex amore in congestas divitias, & partas diuturno labore; quas postea hæres laborum parentis nescius profundit, dilapidat, abligurit. 22.

Rei raritas amorem etiam conciliat, quatenus raritas pretium auget; unde parentes, qui unicum tantùm habent filium, futurum iisdem superstitem, impensiùs eum amant; quia unica proles ob raritatem crescit pretio, & bonitate: hac ratione omne rarum charum vulgò dicitur, sic omnia peregrina, quæ ex dissitis regionibus ad nos transvehuntur solemus pluris æstimare, magisque diligere; quia ut eleganter Tertullianus: *Hæc omnia de raritate, & peregrinitate gratiam possident. Denique intra terminos suos patrios non tanti habentur, semper abundantia contumeliosa in se ipsam est. Apud Barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos habent; & divitijs malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* Ita est, videlicet aurum sui copiâ, pretium acquirit raritate. In auri patria aurea compede vinciuntur ad ignominiam nefarij. In auri exilio splendet aurum, ac triumphat in Regis capite. 23.

Lib. de habitu mulierum cap. 7.

Amant etiam se homines, si bona habeant communia, déque iisdem simul lætentur, vel in iisdem periclitentur: si simul in societatem laborum, vel fructuum venerint, si commune nanciscantur contubernium. Conciliant itidem amorem vitæ honestas, & nominis claritas. Amamus enim, quos intelligimus morum innocentiâ, ac vitæ honestate cæteros antecellere; vel nominis famâ commendabiles esse. Talibus nituntur omnes amici fieri; quin & ipsi improbi hoc specioso amicitiæ nomine cum viris clarioribus propriam latagunt obtegere improbitatem; quasi amicorum splendoribus umbras omnes propriæ infamiæ abigant, nacti, & ipsi ex alieno nitore commendabilem claritatem. Amari etiam solent affabiles in communi consuetudine; qui neque sunt exprobratores beneficiorum; neque vitiorum censores, qui nemini sunt molestiæ, à conviciis abstinent, irascentibus non adversantur; & si ira fuerunt perciti, statim reconciliantur. 24.

§. III.

§. III.

Donantur explicatu effectus amoris, & indicantur remedia eundem ab honestate deflectentem coërcendi.

25. PLures hic affectus producit effectus, cùm blandè intimas pervadit mentes, cor humanum igneo suo telo sauciaturus; penetrat enim instar fulminis intimiores hominis sensus, quos citra violentiam, sine strepitu, absque ullo tumultu vincit, sibique suaviter devincit. Ubi amor humanum pectus occupat, sincerum ibi cor pandit, gaudétque animi candore, & glorioso fulgere nomine. Nullâ amans beneficiorum inficitur oblivione; quinimò illatas sibi injurias delere, irrogatas offensas obliterare, ingesta convicia oblivione conterere eidem est supra cætera volupe; & unicè optimis tum animi, tum corporis prænitere dotibus; melioremque promereri fortunam. In id tamen præcipuè incumbit studij, ut alios sibi benevolos efficiat; non inanibus verborum illecebris, non fucatâ mentientis oris lætitiâ; non larvata adulantis eloquij sirenulâ, aliísque id genus artibus, quibus amicitia corrumpitur; sed morum probitate, sincero cordis candore, virtutum culturâ, cæterísque præsidijs, quibus amor aliena pervadit pectora, suásque altiùs radices agit.

26. Cæterum præcipui amoris effectus quatuor solent recenseri, quorum primus est unio, ut liquet ex Aristotele, qui cum Aristophane docet, amantes in unum quasi cum rebus amatis coalescere. *2. Politic. cap. 2.* Dupliciter autem dicitur amor unire: primò formaliter, quatenus ipse amor propensio quædam est amantis in bonum amatum; adeò ut sit quidam veluti nexus utriúsque: secundò effectivè quatenus amantem excitat, ut quærat conjunctionem aliam realem cum re amata, unde Augustinus ait: *amorem esse veluti juncturam quandam, quæ amantem cum re amata copulat, vel copulare appetit.* *Lib. 8. de Trinit. cap. 10.* Idque fit beneficio benevolentiæ, quâ amans redamat, ac redamatur: hæcque ratio, cur Antistes Mediolanensis re, & nomine ambrosiâ perfusus asseruerit; nil tam utile, quàm amari, nílque tam injucundum, quàm non diligi; *Lib. 2. de officijs cap. 7.* quia popularis, & grata est omnibus bonitas, quæ blandè humanis illabitur sensibus: etenim si amor mansuetudine morum, moderatione præcepti, affabilitate sermonis, ac modestiæ gratiâ juvetur, nil fortius est ad cogendam personam amatam in unum cum amante coalescere; siquidem quos verus amor semel conjungit, nec mors separat.

27. Secundus effectus amoris est ectasis, idque secundum apprehensionem; eò quia amor id efficiat, ut amans jugiter de re amata cogitans abstrahatur cogitatione à rebus alijs. Vel secundùm effectum formalem amoris, quatenus amor censetur quodammodo ex se prodire, & ferri amatorio impetu in rem amatam juxta vulgatum illud effatum, quo amor magis dicitur esse, ubi amat, quàm ubi animat.

28. Tertius amoris effectus est zelus, qui provenit ex intenso amore, éstque quidam vehemens appetitus ea removendi, quæ adversantur amori, obstántque rei amatæ. *Zelus*, ait S. Ambrosius, *amor, & charitas est: valida est sicut mors charitas: durus est zelus, quem nulla vincit hujus vitæ illecebra; & omnia ipse superat:* *In Psal. 118.*

29. Pro quarto effectu amoris recensentur quædam animi affectiones, ut languor, liquefactio, & fervor, juxta illud cantic. 9. *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* Hæc nomina, si referantur ad ipsum motum appetitûs, qui propriè est amor, nonnisi metaphoricè intelliguntur; quia ut docet D. Thomas, *Quæst. 28. art. 5.* languor ille significat quandam tristitiam, si res amata non sit præsens, sed absit. Liquefactio quandam aptitudinem ad recipiendam rem amatam. Fervor promptitudinem amantis ad operandum, & exequendum id, quod oportet ratione rei amatæ. Sin autem præfata nomina referantur ad immutationem corporalem, possunt intelligi in sensu proprio cum D. Thoma: *Quæst. 48. art. 2.* ita tamen ut languor, seu infirmitas corporalis non intelligatur esse effectus hujus affectus absolutè, & per se, quia passio amoris potiùs juvat sanitatem corporis propter proportionem cum motu ipso vitali corporis: unde per accidens tantùm sequitur languor ex affectu amoris; & tunc contingit, quando amor est adeò vehemens, ut immutatio corporis ei adnexa sit etiam noxia.

30. Alexipharmaca adhibenda in hujus affectus remissione; quando nimis acer temperandus est, ac minuendus; vel etiam pravus è corde prorsus evellendus, non videntur parata adeò facilia: incendium momento extinguere; & fulmen è nube excussum retundere; hoc opus, hic labor. Nihilominus quando amor est inordinatus omnis movendus est lapis, ut amoveatur ipse ab intimis medullis, quia tunc plura solet damna inducere, quæ minimè declinantur, nisi amor inordinatus coërceatur. Fertur amor inordinatus in objectum rationi dissonum; quod tametsi extima specie videatur pulchrum, si tamen larvam ei detraxeris, furentem habebis Megeram torquendis, dilaniandisque hominibus in Erebo natam. Nil enim pulchrum, nílque bonum dici potest, quod damna, & extrema invehit discrimina; quod in flagitia, in miseriam, in calamitatem homines perducit, & cujus finis sola est pœnitentia: unde hic amor minimè legitimus est, sed animi exlegis prava concupiscentia, & à vero amore perniciosa pro-

l. confess. cap. 1. lapsio; quapropter S. Augustinus vocat hujusmodi amorem coinquinationem veræ amicitiæ per sordes concupiscentiæ, & obnubilationem candoris ejus per tartaream libidinem.

31. Cùm igitur pravus hic amor plura invehat damna, cædésque minetur, coërcendus omnino est; ne insurgat; ne præcordia occupet. Frœna igitur sunt injicienda huic indomito, recalcitranti, ac ferocienti equo, quorum primum est, non solùm cogitationem, verùm etiam sensus omnes exteriores avertere ab objecto perversè dilecto, ne species boni in illo relucens incentivum sit amoris perversi. Impuris præsertim cogitationibus obsistendum est in primo earundem accessu; & quidem ea celeritate, quâ quis ignitum carbonem à pretiosa, vel serica excuteret veste, ne quidquam damni ab igne sericum contraheret. Rectè præcipiunt sapientes ad insanum hunc amorem, adhuc in suis pubescentem incunabulis jugulandum; ut primum ad nos accessum eidem prohibeamus, avocantes aliò cogitationes, mentem occupantes in rebus alijs, præsertim æternis; hac arte non solùm vis intemperantis amoris remittitur; sed prorsus extinguitur: ut enim rei amatæ præsentiâ, quasi fomite nutritur, sic vegetior crescit amoris flamma: ita ubi objectum, quod amatur, ex oculis eripitur, & omnis de illo cogitatio exulat à mente, languescit amor, & paulatim extinguitur.

32. Accessum huic amori concedere, perinde est ac eidem cedere. Proxima deditioni est arx, cujus Præfectus incipit cum hoste miscere colloquia. Etiam scintilla quamvis minima, si in tormentarium delabatur pulverem ingentes ruinas suscitat. Præcidenda est omnis occasio pravitatis: subtrahendum omne fomentum, quod peti posset à gula, à nimio haustu, à pravorum convictu, à malorum societate; & præsertim à quibusdam affectiunculis, quæ blandè irrepunt, & licèt sub initijs malæ non putentur, sunt nihilominus principia gravioribus peccatis præludentia, quibus sensim sine sensu fascinata mens adhærescit. Plures possent recenseri homines sapientiâ insignes, quos incautus fœminæ aspectus dementavit; & quos non prostravit in castris Mars; protrivit in gynæceis Venus. Non affero hic Samsonis, Davidis, & Salomonis toties decantata exempla. Sunt pleráque alia recentiora, imò & quotidiana. Extremæ est dementiæ tot inter ætatum, gentiúmque documenta adhuc aliquid audere, nec imminens declinare discrimen? Hoc tamen humanæ datur pervicaciæ; ut nunquam credat homo alios cecidisse, nisi & se ipsum viderit lapsum. Mulier, quæ à Deo adjutrix facta fuerat viro; dulo serpentis adblandientis, ac spondentis scientiam boni, malique, personam sumpsit hostilem, & cum favum exhibet blanditiarum; venenum porrigit lethale; nil in fœminarum illecebris, quod non sauciet, non vulneret, non interficiat. Fugiendum est mulieris colloquium declinandum contubernium; assueta hominem è paradiso expellere; nil potest homo ab ipsa sperare, quàm Erebi cruciatus, quàm gehennæ tormenta.

33. Secundum quod perverso, intractatóque amori frœnum injicitur, quo coërcetur, imò & penitus prosternitur; est occasiones quaslibet promptiùs declinare, quàm hominem epidemicâ infectum lue. Nil magis familiare, quàm variis prætexere excusationes necessitatis, consuetudinis miscendi colloquia intentione pura cum fœminis, sanguine, vel amicitiâ nobis devinctis: verùm latet anguis in herba; obducunt fucata vitrea scorpiones, qui mox exilientes venena spargunt: etenim ab insolita consuetudine prodeunt nocituræ libertates, incauta colloquia, gestus leviores, aspectus impudentes, neglectus modestiæ, tactus inverecundi, quibus paulatim pudor deponitur, & tota exuitur verecundia: Sunt enim hæc omnia perinde ac arida, siccáque fomenta, quibus amoris insani flamma succenditur, & incrementum subit; adeò ut qui robore suffusus ad solum mulieris horrescebat vestigium; jam lascivientes oculos in nudatum pectus injiciat; & blando intus operante amore flammas priùs experiatur, quàm credat posse accendi; damnáque priùs patiatur, quàm periculum sentiat. Emittit hæc flamma, priusquam excitetur fumum, quo oculus caligat; postea obcæcatur; & insano hoc igne correptus veluti sardonicâ jam sartur herbâ ridendo moritur. Ridicula sanè mors, cujus pater est gaudium, mater fucata voluptas, & sorores lachrymæ.

34. Tertium frœnum est mentem alijs, & quidem honestis implere cogitationibus; perinde ac clavus clavo truditur; ita amor amore extinguitur: proinde animo insanis obsesso amorihus, alia studia, quibus ipse honestè delectari valeat, sunt instillanda, & alia objicienda, quibus laudabiliter detineatur occupatus. Plures ab hac improbi amoris ægritudine amœniorum studia litterarum, alios venationis exercitia, quosdam susceptæ peregrinationes sanârunt. Verùm est Diogenis effatum apud Laërtium lib. 6. *Amor est otiosorum negotium.* Fovet otium insanum amorem, cui favet; otio siquidem corporis vires mollescunt, & concupiscentiæ fomes crescit vegetior, ut non abs re Livius dixerit. *Otio plebem lascivire.* *Decad. 1. Lib. 1.* Nil est in vita nequius, nil scelestius otio, quod radix est omnium flagitiorum, qua ratione Nomothetæ pœnas statuerunt acerbissimas contra desides, & otio torpescentes, eósque in re infames dixerunt. Solon itidem in suis legibus inertiam hanc severissimè culpavit, ut fontem putidissimum, à quo mala scaturiunt omnia. Hinc illud S. Bernardi:

nardi: *Ex otio, atque ignavia cogitationes pravæ, & concupiscentia multiplicantur; donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur.*

35. Mens otio torpescens concupiscentijs illicitur, quibus promptiùs adhæreſcit; ſecus ſi fuerit rebua diſtenta ſerijs, gravibus laſſata negotijs; vix tempus ei ſupereſt ea cogitandi, quæ à pravis concupiſcentijs poſſent exhiberi; otium apertis ulnis titillantem complectitur concupiſcentiam; quæ Euro turbulentior fœdas excitat pectoria jactationes, mentiſque fluctus decumanis ſæviores; ut vix è tabula ſpes illuceat ſalutis. Eripitur menti Deus ſol juſtitiæ, agglomerantur perinde, ac cinereæ nubes, fœdæ cogitationes, quibus ſuccedunt tenebræ Ægyptijs denſiores; & ex inde cordis navis, ut loquitur prætactus Bernardus, in errorum brevia impingit, vel ad ſcopolos alliſa infame patitur naufragium. Rectè Polybius otium dixit, omnium eſſe ſeditionum fontem, quid otio indulgens ſpetare ab hoc fonte poteſt, quàm rivos putidos, amarulentos, veneno infectos? quid ab hac ſcaturigine, quàm lethei corrupti fluminis putidiſſimos latices? quid ab hoc turbulentiſſimo torrente, quàm funeſtiſſimos exitus? Non ſolùm fons eſt otium omnium malorum; verùm etiam ſchola improbitatis, Ecclef. 32. quia ut ait ſapiens. *Multam malitiam docuit otioſitas*, imò eſt ſcelerum officina, in qua perinde, ac in Vulcani ſpecu, fornacibus, & incude procuditur quidquid mali à malis cuditur. Occupanda eſt mens in alijs rebus honeſtis; defatiganda negotijs; quia ut loquitur Seneca: *Nihil tam certum eſt, quàm otij vitia negotio diſcuti.* Negotijs vitia diſcutiuntur; & labore otium frangitur. Vir ſapiens imitatur belli duces, qui militarem inſolentiam laboribus, itinerúmque defatigationibus compeſcunt. Carnis inſolentia laboribus eſt coërcenda, ne nos exerceat in noſtram perniciem. Perverſum, ac inſoleſcentem, ut coërceamus amorem, obſtandum eſt primis motibus, quibus nos urget: nulla tutior victoria, nulla minus ſanguinis dat, quàm cùm quis, ut primùm pericula inſonuerint, aliò mentem vocare ſatagit, eámque à fœdis avocare cogitationibus, quas pravus ſuggerit amor.

36. Quartum frœnum veſano amori coërcendo aptum eſt bonorum virorum conſuetudo; quippe ut ait Seneca: *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat: aliquem habeat quis amicum, quem vereatur, cujus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non aſpectus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat: O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quóque ejus ſe componat!* In hujus tamen viri probi delectu difficultatem non modicam experiuntur profani amoris aſſueti titillationibus; ſi illis proponas Franciſcum extremæ paupertatis ſtudioſum, nimis riget: ſi remiſſioris inſtituti Dominicum, nimis in ſacro ſudat ſuggeſto. Si Eremi cultorem Brononem, nimia ſolitudine feras potiùs in ſylvis, quàm homines in foro imitatur: Si Auguſtinum ſtudijs jugiter addictum; non illis placet die, noctúque chartis impalleſcere. Si Hieronymum tundentem pectora ſaxo, ſpecus Bethleemæa aliò mentem avertit. Si Baſilium jejunijs carnem rationi ſubigentem; hominis auſteritas horrorem ingenerat. Si Athanaſium in ſicca deliteſcentem ciſterna, detrectant ſepulchrum ingredi, antequam mortalitatem exuant. Si Chryſoſtomum aurea eloquentia ferreos homines à vitijs deterrentem, exilij timor non ſinit homini adhærere. Si Pacomium Eremi incolam, non placet frigidâ ſemper ſitim extinguere, & ruſticano pane famem acuere potiùs, quàm explere. Si Joannem Baptiſtam Chriſti prodromum in deſerto, detrectant favos ex laborum aſperitate ſugere. Quàm difficile eſt eum invenire, cujus vitæ ratio, & oratio placeat? ſed ſi homines diſplicent, placeat Deus, quem ubique nobis præſentem vereamur; & quod coram hominibus non audemus agere; horreamus hoc idem coram Deo cogitare. Denuum ad malè ſanum amorem minuendum; vel etiam extinguendum nil præſtantius, quàm preces ad Deum fundere, eniximque rogare, ut velit auxilia nobis ſuppeditare, quibus fœdis valeamus cogitationibus obſiſtere; & præſidijs abſtinentiæ ſe præmunire cum ſine Cerere, & Baccho dicatur frigere Venus. Sunt hujuſmodi præſidia chalibea illa ſcuta, quibus conjurata in hominum perniciem tela potentiùs infringuntur, vel ſaltem contuſa hebeſcunt.

Cæterum ſi homines ſint frequentandi, 37.
ij ſeligantur, ex quorum conſuetudine aliquid virtutis accedat, & tota vitij decedat ratio. Nil ſiquidem promptiùs in bonum, pravúmque impellit, ac revocat, quàm proborum, improborúmque conſuetudo. Senſim enim ſine ſenſu mores irrepunt, radices altiùs in naturæ ſolo agunt, à quo nonniſi difficulter evelluntur. Paſſim idem auditi, & videri aliquid affricat. Sunt minuta quædam animalia, quæ cum mordent, vix ſentiuntur mordere, tumor tamen ſubſequens aculeum indicat. Idem obtingit in improborum conſuetudine. Vulgatum eſt; bonos mores è congreſſu corrumpi malorum. Hinc ſcitè de mulieribus ait Tertullianus. *Loquaces, otioſæ, vinoſæ, curioſæ, contubernales, vel maximè caſtimoniæ propoſito officiunt: per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica; per otium ſe à veritate deducunt, per vinolentiam quidvis mali inſinuant; per curioſitatem æmulationum libidines convehunt, nulla ejuſmodi feminarum de bono loquitur caſtitatis.* Noxia ſemper viro fuit muliebris conſuetudo, nam

&

& si improbitas absit, si forma adsit, speciositas rapit; & oculi mulieris castæ haud castè feriunt, inest, nescio quid illecebræ etiam, cum loquitur castitatem; hinc monet Sapiens Eccles. 24. *In medio mulierum noli commorari.* Quòd si mulier impudens fuerit, quid tunc dicendum de illius contubernio, & consuetudine? quid de lasciviente ornatu per crispatam comam luxuriante? quid de inverecunda oculorum jactatione? quid de velo non tegente pudorem pectoris? quis nesciat hæc omnia folles esse excitandis ignibus apprimè accommodatos, ac fomenta libidinum? Vitandæ omninò sunt fœminæ, quæ laciniosis pomparum illecebris, veluti retia in singula corporis membra expandunt viros aucupaturæ minùs cautos. Abigatur pravus amor; omnis eidem subtrahatur fomes; solius Dei foveatur amor, qui unus virtutis est præmiator, & scelerum vindex. Claudam cum Bëtio.

O felix hominum genus!
Si vestros animos amor,
Quo cælum regitur, regat.

DISSERTATIO II.

Amoris divini in homines illabentis effecta produnt summæ bonitatis ad extra diffusiones in mundi opificio.

§. I.

Eodem amore, quò Deus electos prædestinavit ad gloriam, mundi molitionem destinavit ad usuram, quam à vespere primi diei fuit auspicatus, ut memores magis occasûs vita simus, quàm aurora.

1. DEus ab omni mortali concretione secretus, ab omni materiei crassitie liber, undíque collucet, omniáque lustrat, & illustrat: continet siquidem omnia, & non ambit; omnia portat, quamvis onus non sentiat, cui pro domicilio est splendor inaccessus, pro amictu circumfusum lumen; quamvis sit nobis abditus, atque retrusus, veluti ex omni parte densa caligine circumseptus, ac in obscuro delitescens; eò quia tametsi ejus beneficio quandam ipsius enanciscamur prænotionem; imò & indita sit nobis à natura ejus cognitio, quam delere nemo possit; adhuc nihil de Deo cogitando assequi valemus, nisi per adminicula, quæ è cœli, terræque pulcherrimo ornatu ab ipso nobis descripto haurimus; vel per ea superiora lumina, quæ nobis pro naturæ suæ bonitate, & in omnes homines benefica munificentia impertiri voluerit: & quamvis hujus summæ majestatis inexhausta bonitas cumulatissimum totius perfectionis florem complectatur, sibíque plenissimè sufficiat, re nulla indigeat; adhuc tamen cùm ea sit suæ bonitatis indoles, ut se ipsam, quasi nescia in se continere, in alios munifica transfundat largitate, quibus suum prodit amorem, suos in nos thesauros abundè profundere voluit.

Quamvis se itidem ad intra intelligens producat Verbum, quo uno omnia dicit, loquitúrque; & quia pater, & filius mutuò se prosequuntur amore, spirant tertiam in divinis personam, seu Spiritum sanctum, sítque propterea Deus unus, & trinus, seu una suprema simplicissima, ac infinita natura in tribus personis Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ex quibus Pater aliundè non est, non factus, non creatus, non genitus, non ab alio dimanans, sed à se, & in se existens, principium sine principio ab æterno, non alterius beneficio, sed sua vi cohærens, sítque fons ille totius bonitatis, ex quo ad intra prodeunt Filius, & Spiritus sanctus, & ad extra quidquid luminosi, ac nitidi in cœlo splendet, quicquid pulchri, elegantis, pretiosi in terra viget; clamétque omnis creatura, vel in cœlo sursum, vel in terris deorsum *ipse fecit nos.* Cúmque omnis in creaturis pulchritudo ab hoc divino, æternóque fonte derivet; eâ jugiter efflorescit pulchritudine, ut hanc nullis cogitationibus, quamvis defœcatissimis valeamus plenè attingere. Quis enim potis sit immensam illam, & infinitam naturam 2.

nullo

nullo temporum spatio coërcitam, nullo locorum regione circumscriptam plenâ assequi cognitione? quæque per omnia se diffundit, & extendit, licèt inextensa, & sine materiæ concretione omninò simplex, absque labis aspersione pulcherrima, æterna sine detrimenti metu, sine vicissitudine varia, & sine varietate una in tribus personis, in quibus tamen nunquam nascitur, emoritur nunquam, sed semper eadem à se, & in se sine accessione cumulatissima; absque decessione diffusa, sine lege nunquam effluens, sine necessitate semper exundans, sitque triplex personarum hypostasis in una, eadémque divinitate distincta; Patris scilicet ex se se non aliunde venientis, neque facti, neque procedentis; Filij verè geniti, sed non facti; Spiritus Sancti non geniti, nec facti, sed procedentis: & quamvis verè distinguamus tres personas in una, eadémque divinitate non tamen eas possumus sejungere, cum pater sine filio esse nequeat, nec filius absque patre, imò nec pater nuncupari sine filio, nec filius sine patre generari: & cum in utróque eadem natura, eadem prorsus mens, ac una voluntas sit, meritò ambæ personæ unus sunt Deus: quia quidquid est in Patre ad filium transfluit, quem ante hujus universi molitionem sibi ad intra genuit, eàdem, & unâ secum voluntate, omnipotentiâ, virtute, sapientiâ, ac naturâ præditum; fueritque ante omnem creaturam candor lucis æternæ, speculum purissimum, imago absolutissima bonitatis Dei, nec in eo sit quicquam mortale, quidquam inæquale, aut dissimile, sed augustissima omnia, & divina, & quia Deus se ipsum semper ab æterno intelligit, ideò æternum ab omni æternitate semper filium progenerat habentem cum progenitore eandem prorsus essentiam, ac naturam, ut nimirum filium generet sibi omnino parem, numerisque omnibus, quos divinitas exigit, absolutum, generétque propterea æternus æternum, infinitus infinitum, immortalis immortalem, beatus felicem, sagax sapientem, robustus validum, integer incorruptum, dives opulentum: ita enim Verbum divinum ex mente procedit paterna; seu generatur sapientia illa divina, excelsa, sublimis apta ex se se, bonitate mitis, comitate gravis, fœcunditate felix, sine ortu antiquissima, sine occasu novissima, sine incremento maxima, parens honestatis, comes sanctitatis, moderatrix affectuum. Et quia Pater, & filius se se summo, eóque infinito prosequuntur amore, procedit ab utróque Spiritus Sanctus singulari notione secretus à notione Patris, & filij; licèt utriusque eandem prorsus totam naturam, mentem, voluntatem, totámque perfectionum plenitudinem in se contineat, & licèt unus sit è tribus, non tamen alius, aut dissimilis, sed prorsus idem, quia utriusque naturæ simplicitate consubstantialis, ac prorsus æqualis.

Cùm nihil ab æterno in illo summo 3.
pellucidissimo divinitatis fonte esset, quod per se optimum, ac præstantissimum mirabiles amores non excitaret sui; necessum fuerat, ut summæ huic bonitati amor inveniretur æqualis; & quia Deum diligere, ut æquum fuerat, nemo poterat, nisi Deus, qui in omni æternitate semper comprehendit, quo, & quanto amore diligenda sit natura omnium præstantissima, ut hæc amaretur, quatenus tanta divinitas exigeret, opus fuit, ut quoddam patrem inter, & filium incendium arderat charitatis, quo alteri vita est impertita omninò sempiterna, nempè Spiritui Sancto à Patre simul, & filio procedenti, seu à duabus quidem personis, sed unico duntaxat spirandi principio, sintque propterea tres personæ Pater, qui solus à nullo est; Filius à Patre ab æterno genitus, & Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio pari procedens æternitate; & quamvis Pater, Filius, & Spiritus S. personarum distinguantur proprietatibus, unius tamen & ejusdem prorsus naturæ sunt; sintque propterea unus Deus, quo nihil majus, pulchriùs nihil, aut jucundiùs, non solùm esse potest; sed neque excogitari: eúmque ante mundi constitutionem solus sibi sufficientissimus esset, sæculisque innumerabilibus, annisque æternis sua frueretur sapientia, bonitate, pulchritudine, intueretúrque perfectiones singulas, & infinitas, quas in se possideret, gaudióque inæstimabili sibi complaceret; nihilominus diffusurus extra se suam bonitatem, quâ alia à se itidem diligeret, cogitavit de mundo condendo, déque civitate stabilienda electorum, quos cum sigillatim sibi præsentes haberet, foveret amore, ac dulcissimo complecteretur affectu; voluit eos ex nihili inanitate extrahere, seu è classe possibilium ad eam traducere futurorum, ut quandóque existerent, fieréntque cives cœlestis patriæ, ibíque donarentur æterna beatitate.

Ex eodem igitur amore, quô Deus 4.
decrevit electos condere, hominésque creare, spectabilem hanc mundi, seu rerum omnium molem statuit, mirâ pulchritudine, partium consensione, ac contrariorum harmonia construere; ut nimirum per operum divinorum contemplationem mentes hominum ad ipsius Conditoris Dei cognitionem, venerationem, & amorem assurgerent. Ea igitur est vis amoris in Deo erga homines, ut mundum universum condiderit hujus tesseram amoris. Et quamvis potuisset Omnipotentis manus totam molitionem uno absolvere momento; certo nihilominus dierum intervallo placuit parem potentiæ sapientiam in rebus digerendis, ornandísque demonstrare. Et quam-

vis ars ab operis rudimento consueverit semper ad ampliora progredi; cùm tamen natura non à rudioribus incipiat, sed tyrocinium ponat in absolutione operis excellentioris, nesciátque à minimis inchoare; quâ ratione in humano opificio primum omnium membrorum molitur cor, ut exinde in venustando vultu, concinandóque capillamento, veluti fatigata conquiescat: ita Deus totius naturæ Author ex nihilo suæ vocis imperio extractutus hanc peramplam mundi molem sui nobilissimi, ac elegantissimi artefacti initium posuit cœlum: *in principio creavit Deus cœlum, & terram,* hoc est prima die (si tamen dies erat, quæ solari lumine nondum lustraretur) è nihilo cœlum empyreum condidit, mundíque adorsus est structuram non à rudioribus, sed à nobiliore, & absolutiore ejus parte, hoc est a cœlo Empyreo, quod suam sortitur nomenclationem à lucis copia, ac splendoris nitore, quod etiam destinatum fuit beatorum domicilium: & cum Empyreo mentium itidem condidit ab omni corporea crassitie discretarum innumeras myriades, seu Spiritus, geniósque cœlestes, quos Angelos vocamus, ait S. Augustinus soliloq. c. 8. *Verbum. per quod dixit Deus: fiat lux; facta est lux; natura scilicet Angelica.* Voluit nimirum diem ante splendere luce, quàm umbris noctescere: ut inde discamus, & nos, maximos, vel in ipsis initijs esse, & tarda molimina excutere. Ex nihilo postea prodiêre terra, & aqua: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.*

Genes. 1.

Genes. 1.

5. Qoid? quòd noctis cæcitas terræ consocietur inanitati? an quia ubi inanitas, nullúmque virtutis germen; ibi tenebræ, ac cæcitas? delitescunt in tenebris, jacéntque in umbra mortis, quotquot culturam negligunt virtutum, otij indulgentes inanitati: ubi inanitas tellurem occupat, ab hac sterilitatis non exulat probrum; neque circumfusa caligo: vel quia sterilescentibus hominibus ex neglectu virtutum vepreta in ijsdem prodeunt vitiorum, quæ tenebris obteguntur; cùm malè agentes lucem priùs noverint odisse, quàm videre. Sin verò terra inanis tunc, & vacua fuit, aqua tamen tellurem suo complexu cohibens se se ad cœlum usque expandebat, *& Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sive autem hic Spiritus Deus esset, vel aër, aut ventus, variè varij sentiunt. Verùm inde documentum haurimus, eandem esse Dei, ac procellarum sedem, neque procul ab ærumnosis Deum esse, cujus Spiritus procellis incubat: nimirum si fluctus adversæ fortunæ nos exagitant, si procellæ divexant, si tempestates in naufragium videntur impellere, in spem erigamur Dei opitulantis; aquis enim, & procellis assuetus, vel in ipso mundi exordio incubare; nobiscum adest exoptatam suppeditaturus opem, quâ è periculo eruamur, servemúrque incolumes: adeò Deus homines diligit, ut instructos voluerit in adversitatibus antequam eos conderet; ut cùm primùm traducti ex nihilo fuissent omnem in Deo Satore fiduciam ponerent.

Sin verò spiritum Domini ventos intelligamus, innatant hi crispatis fluctibus, cùm tamen montium rupes, cautiúmque scopulos etiam quatiant; nimirum mollia, & flecti assueta exagitari quidem possunt, rarò tamen ad ruinas quati; asperiora verò, & prædura, quia flecti nescia disrumpuntur priùs, quàm flectantur: & tunc cum terra, & aqua sine præexistente materia producerentur, nullus adhuc erat rerum ornatus, nulla forma, sed singula tenebris adhuc involuta, donec divino imperio lux quædam in aquis coruscaret in longum, latúmque diffussa fulgorem, *dixítque Deus, fiat lux:* nimirum lucem evocavit operum prænuntiaturus pulchritudinem: ídque nobis datur documento nil posse nos inchoare absque divini Numinis luce, & evangelium non erubescere, sed palam profiteri; si beata cœlestis gratiæ lux in nostra delabitur pectora, si tenebras è mente excutit, ad opus accingamur; cujus pulchritudo cœlo arrideat, Deo placeat: *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona, & divisit lucem à tenebris:* quia cohærere cum luce dilabentis in nos divinæ gratiæ minimè valent pravorum affectuum caligines, vitiorúmque tenebræ, quæ propterea excutiuntur, dispaténtque, accessu benefici luminis. Sed cur cùm optimè noverit Deus à se factam lucem, eam probaturus ab umbris sejunxit? forsan, ut nos doceret nostris non superbire operibus, tametsi bona sint; amor siquidem opificem assolet in proprium pertrahere artefactum, in quo sibi complaceat; raróque nobis displicent, quæ à nobis dimanârunt. Vel lucem sejunctam voluit à tenebris, ut electos instrueret, pravorum consortia prorsus declinare, & à malis prorsus abstinere socijs. Qui lux est, caveat, ne dum tenebras studeat illustrare propriam amittat ipse venustatem; fiátque tenebris concolor, qui propriam lucem cuperet alijs impertiri; scimus enim Petrum coram ancilla friguisse ad ignem, & destitutum illo amoris æstu, quo paratum se dixerat potiùs emori, quàm à fidelitate in Magistrum deficere, eum pernegâsse: scimus inter fœminas Salomonem desipuisse: scimus Judam auro inhiantem ex Apostolo conversum in Apostatam, ac Magistri evasisse proditorem, qui ab eodem fuerat custos auri convertendi in usum Apostolorum institutus. Genes. 1. *In principio*, seu *in Filio*, ut explicant D. Augustinus, Ambrosius, Basilius, & alii plures per filium quasi per sapientiam Patris omnia

6.

Lib. de Genes. ad lit. cap. 1.

Homil. Hexaem.

omnia tradnѐta ex nihilo, & condita sunt, *Ad Colos. 1.* ut etiam docet Apostolus, idque mysticè, & symbolicè: quia in sensu litterali *in principio* perinde est, ac in primordio, seu initio non æternitatis, nec ævi, sed temporis, & mundi, id est à principio, cum mundus cœpit à Deo Conditore traduci ex nihilo; dicitúrque in primordio temporis, non quòd tunc jam fuerit mutos primi mobilis, seu mensura nostri temporis; quia nondum primum mobile conditum fuerat, sed à primordio temporis, seu mundi, hoc est cœli, & terræ; cùm enim traduci cœperint ex nihilo, suum habuère initium, quo cœperunt existere in tempore: res siquidem corporea mensuratur tempore, sive moveatur, sive quiescat, est enim tempus mensura corporum; sicut ævum Angelorum, & æternitas Dei. Hinc dicitur Deus creâsse cœlum, & terram, non in tempore, sed in principio temporis, quia ut rectè D. Augustinus. *Loc. cit. num. 200.* *Tempus à creatura, & creatura cœpit ex tempore: utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

7. Solum igitur divinum imperium ab initio ex nihilo cœlum extraxit, & terram, *factúmque est vespere, & manè dies unus.* Sed cur ab extrema diei parte dies inchoatur, cùm Deus mundi molitionem exorsus sit à cœlo præstantissima rerum conditarum parte? si vespere dies emoritur, & mane oritur, cur à vespere auspicatur tempus primi diei? an quia voluit nos Deus memores magis occasus vitæ, quàm auroræ? quid hoc? an quia die caret vita præsens, quâ caligine ærumnarum, tenebrísque miseriarum involvimur diem expectaturi in alia vita, quæ nescit occasum? ita est, dies mundi tyrocinium in luce ponit abiturus mox in extremam caliginem; sed dies, quo Deus in homines operatur beneficium, suum orditur initium à caligine, tenebrísque ærumnarum, ne alliciamur, hæreamúsque rebus hisce fluxis, & interitui obnoxiis; sed diem expectemus veræ felicitatis post brevem præsentis vitæ cursum. *Factum est vespere, & mane dies unus:* nimirum præcedit vespera, quia dies, qui subsequitur, non ampliùs occidit, nec emoritur, si semel post vesperam mortalis hujus vitæ, ærumnarum, laborum, ac calamitatum tenebris circumfusæ, dies nobis illucescat felicitatis, donemúrque æterna beatitate, dies non ampliùs ulli est occasui obnoxius, & ideò *factum vespere, & mane*, quia aurora subsequens vesperam hujus vitæ, diem pariet nullis fœdum nubibus, nulli obnoxium occasui, nullísque ampliùs tenebris claudendus.

§. II.

Adeò grata obtingunt Deo resipiscentis lachrymæ, ut eandem cum ipso sedem occupent, cœlum ornent tot stellis coruscum, quot lachrymarum rivulis fit irriguus resipiscens.

Secundum diem efficit lux illa rudis, & imbecilla, qualis est, cum abeunte nocte diluculum instat; & condidit rerum Sator hac die cœlestes Orbes, quos 8.
Moyses firmamentum vocat. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis,* *Genes. 1.* hoc est, cœlestes orbes medios posuit inter aquas superiores, quas christallinas vocant, & inferiores, seu elementales. Sed cur medio hoc interstitio aquarum, suspensi sunt cœli, nullis illuminati sideribus, nec ulla circumacti sua, vel externa incitatione? an cœlestes illi orbes non propter sidera, sed ut aquis famularentur, easque divortio sejungerent, conditi fuerunt? Verùm medij inter aquas positi fuerunt cœli, ut illa duo primigenia corpora, aër ex aqua, & ignis ex aëre prognata suas occuparent sedes; igneum elementum in sublime niteretur, & proximiorem cœlis regionem inspirabili sua natura insideret; & terra aquis circumfusa mundi totius occuparet meditullium, centrúmque proprio clauderet sinu. An non miramur fœcunditatem aquarum? ijs enim rigata tellus non solùm flores perinde ac sidera parit; sed & irrigatum cœlum sidera germinat, quasi vernantes rosas. Non otiosas credamus aquas, quæ super cœlos sunt; quia siderum floribus irrigandis sunt opportunæ. Vel si aquæ cognationem cum lachrymis contrahunt, certè firmamentum diu sideribus destitutum esse non poterat, cùm eidem aquæ christallinæ imminerent: ea est vis lachrymarum, ut hæ non solùm eandem cum Deo occupent super firmamentum sedem, verùm & cœlestes accendant ignes, cœlúmque ornent tot stellis coruscum, quot aquarum rivulis irriguum. Quàm gratæ obtingunt Deo hominum resipiscentium lachrymæ, cùm dissitas eas noluerit à proprio suo throno, sed intra beatorum confinia eas receperit? nimirum quamvis suaptè natura infra aërem debeant aquæ jacere, terrisque incubare; supra cœlestes orbes eas tamen voluit Deus locatas, quasi suæ studiosior voluptatis, quàm aquarum naturæ provisor; sibiq; magis oblectamento lachrymarum voluit indulgere, quàm earundem naturæ locum exigenti inferiorem. Non fuit Deo satis, cœlestis suæ urbis januas gemmis illuminâsse, & margaritis exstruxisse; nisi in proximis christallinis aquis, lachrymarum imago patriæ eblandiretur beatorum; à qua cùm lachrymæ exulent, locatas tamen voluit

aquas, quæ circumvallarent, cingerentque Urbem illam beatorum; ut inde disceremus post peccatum nonnisi per lachrymas nobis patere ad beatitatem ingressum. Sed cur si super firmamentum aquas posuit, quæ lachrymas præsignarent; micantibus postea syderibus deforis firmamentum insignivit? An ut amœnissimum nobis exhiberent hortum tot floribus pictum, quot stellis micantem, & cui irrigando in superiori ejus superficie fluerent aquæ? Verùm ut alliceremur ad cœlestes delicias, irriguæ Regioni siderum flores deesse non debuerant; ut vel jugiter vernantes siderum rosæ, nobis nunquam perituras paradisi delicias ostenderent.

9. Tertia die aquarum, & terræ sublatâ confusione cœpit tellus in speciem glomerata ingentis orbis ex aquis emergere: & istæ in cavernas recedere, in longè, latéque pelagi tractus se diffundere, è vario montium foras erumpere hiatu, currere in flumina, stagnare in paludes: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida.* Terra autem sentiens sui Satoris præceptum germinandi, eidem obtemperatura cœpit statim vestiri multiplici herbarum genere, ornari plantis, venustari arboribus, cœperúntque campi segetum copiâ, ac densitate fluctuare; fluviorum ripæ mira stirpium varietate luxuriare, arbores fructibus gravidari, & plantæ omnes suas depromere divitias, proferre poma ordine quidem inverso, ac nunc contingit: aratio siquidem sationem, satio occationem, occatio sarritionem modò præcedit; sed sub illo mundi exordio tametsi nulla præcesserit, aratio, satio, occatio & sarritio tellus obtemperatura Conditoris nutui illicò herbas, flores, fructus ad omnem protulit amœnitatem. Quòd si nunc arbores priùs radices deorsum agunt, postea sensim sine sensu germinant, ac incrementum in stirpes subeunt, móxque in ramos, se extendunt, dividúntque; frondium comas ad ornatum emittunt, & ad opulentiam fructuum copias primò quidem è floribus erumpentes, inde paulatim excrescentes acerbitatem produnt in adolescentia, & dulcedinem in senecta; hæc autem omnia uno eodem tempore ad Dei Conditoris nutum contigère in mundi exordio, cœperúntque illicò arbores grandescere, radices agere, vestiri frondibus, ditescere fructibus; quia nimirum nescit amor tarda molimina; cúmque Deus hæc omnia conderet propter hominem, ut ei suum proderet amorem, voluit ut statim, cùm primùm crearetur, omnia inveniret parata, non solùm ad necessaria vitæ subsidia, sed ad delicias, quibus illicò perfunderetur, & ad omnem amœnitatem, quæ eidem esset oblectamento.

10. Verùm cur Deus aquas jusserit à terra recedere, si hanc voluit statim herbas promere, & poma proferre? an non rigari priùs debuit tellus, ut in hanc herbarum, messium, plantarum, germinúmque prorumperet ubertatem? cur siccatur tellus ab aquis dissociata, cum jubetur germinare herbas, flores, plantas, & fructus producere? Aquarum subsidijs feliciùs, & feraciùs tellus innatam depromit fœcunditatem. Verùm licèt aquas sejunxerit, jusseritque recedere, non tamen omninò separari, quia indiget aquis tellus, ut luxuriet in herba, rideat in flore, ditescat in fructu; non ita tamen obruatur aquis: ut inde disceremus, & nos superflua resecare, nec divitijs, quæ vitijs cognatione nominis sunt affines, ex pronitate naturæ inhiare. Mare, quia aquarum redundantijs plenum, obnoxium est etiam procellis, & fœtum naufragijs; stagnum verò, quod modica quiescit in unda, ridet Euri, Notique impetus, quibus in procellam nunquam potest commoveri. Non solùm jussit Deus terram germinare, herbámque depromere virentem, verùm & semen unà cum fructu edere; *germinet terra herbam virentem, cujus semen in semetipso sit super terram.* An quia non sit pluris faciendus fructus, qui sine semine, veluti absque hærede, maturit? siquidem sine superstite totaliter perit, cùm cadit; secus, qui semen substituit, in funere quodammodo vivit Phœnici haud absimilis: eo tantùm discrimine, quia Phœnix nonnisi moriendo suam prodit fœcunditatem; quatenus ex sepulchrali cinere redivivus resurgit, & quia perit, cùm se parit; minimè se pariturus, nisi periturus esset: ex fructibus verò, tametsi non marcescant, adhuc semina fluunt, quibus in posthumam prolem vitam transmittant. Semina enim ex fructibus decisa fructus pariunt illis consimiles, ex quorum plantâ effluxerunt.

§. III.

Cœlorum ornatus, syderum vernantes rosæ, solis micantes nitores, luna nocturna lampadis solatia ad Deum mundi Opificem amandum nos alliciunt, exhibéntque fomenta amoris.

11. Quartum mundi natalem diem illustrârunt cœlestia illa luminaria, quorum unum, quod mundi universi est lampas præesset diei, & alterum nocti, ad tenebras, vel excutiendas, vel mitigandas: & stellarum micantes chori, ducentésque harmonicis cœlestium orbium motibus suas choreas. *Fecitque DEUS duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præ-* Genes. 1.

præesset nocti: quibus addidit stellas, quæ ut micantes rosæ jugiter vernantes nos ad cœlestes allicerent delicias, cùm cæca nos occupat nocturna caligo; vel tanquam gemmæ non tam cœlestes illustrarent orbes suis nitoribus, quàm plurimum ijsdem adjicerent pretij: ab hisce luminaribus alterna prodeunt dierum, noctiúmque discrimina, imò & quadripartita anni tempora: tempestatum signa, prognostica, & vegetantium ubertas, vel caritas. Nil pulchrius, utiliúsque cœlestibus illis corporibus, quæ vel tacendo nos erudiunt, edocéntque Dei conditoris bonitatem, quam amemus; scientiam, quam miremur; summámque excellentiam, quam admiremur; adeò ut nonnisi insipiens, & prorsus cæcutiens blateret, non esse Deum

Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* & rectè insipiens cùm prorsus desipiat. Si non est Deus cœli conditor, quis ex hominibus cœli fornicem construxit? Si non est supremus Aurifex Deus, quis aureum veluti discum quasi in mensa, solem in cœlo posuit? si non est, qui facem præparet splendentem, accendátque ad dispellendas nocturnas caligines, excutiendásque tenebras, quis argenteam lunæ lampadem nocte illucentem accendit? Si non est, qui illuminet, quis astrorum lichnos accendit in cœlo? si non est opifex, quis cœli opificium dedolavit? quis sideribus micantia pretia indidit? quis tot vernantibus floribus, quot micantibus astris cœlos ornavit? quis cœlum veluti tectum magnæ hujus terræ domui superposuit? & in illo tot magistros, quot lumina; ut nos instruerent, manuducerentque ad Artificis Dei notitiam, ejúsque artis summam peritiam laudandam? pulchrè Theodoretus de

Serm. 4. providentia sub initium: *Dum cœlum oculis nostris expositum magnitudinem simul & pulchritudinem suam spectandam præbet, & hominibus tecti locum, & usum exhibet, tacens quoque factorem suum prædicat, & omnium linguas ad laudis decantationem invitat. Et veluti cùm domum aliquam, quæ summo artificio extructa, & solido, stabilíque fundamento innixa, angulis quoque rectissimè coaptata, latitudine, & longitudine, altitudinéque justa proportioni per omnia respondet, tum fenestris etiam probè, & ordine dispositis illustratur, & omnibus ijs, quæ ad ædificiorum splendorem faciunt ornata, & instructa est, conspicimus; mox ipsum architectum admiramur, & absentis imaginem animo concipimus, omnémque proportionis, quæ in ædificio cernitur, formam ad illius artem solemus referre. Sic etiam cùm cœlum intuemur, & utiles illos, commodósque cœlestium syderum motus, nequaquam hæc adoramus; sed horum opificem encomijs, & laudibus pro virili mente nostra vehimus, & ex operum magnitudine, simul, & pulchritudine authorem illorum justa animi contemplatione æstimamus. Verè enim, & meritò hæc animis nostris volvimus. Quòd si tanta est operum magnitudo, quantus est operum conditor? Et si tanta inest rebus conditis elegantia, quantam sapientissimi illius omnium Creatoris pulchritudinem esse convenit.* Tria igitur Theodoretus in cœlis suspicit magnitudinem, pulchritudinem, & utilitatem.

Ea est cœlestium corporum vastitas, 12.
ut eorundem expansio longè, latéquè per immensa diffundatur spatia; firmamentum siquidem cum inferiores orbes effusissimæ amplitudinis ambiat, tot sydera tantæ vastitatis, quantam Astrologi mathematicis ostendunt ratiocinijs, complectatur, qui potis est ejusdem vastitatem, ac veluti immensam magnitudinem emetiri? fateamur necesse est, tantæ esse firmamentum vastitatis, ut nostrum longè captum superexcedat. Sydera enim, quæ à nobis veluti exiguæ lucernæ, aut igniti clavi cœlo infixi conspiciuntur, tantùm abest, ut argumentum præbeant exilitatis in tanta sensuum nostrorum infirmitate, & infidelitate; ut potiùs inde conjiciatur summam esse syderum, & cœlorum, quibus insunt, elongationem à terra, proinde summam amplitudinem sola à nobis perceptibilem ratione comprehendere; perinde ac eorundem in motu pernicitatem vix intellectu assequi valemus, cùm enim tantò distent à nobis intervallo, totúmque terraqueum globum sua circumeant vertigine spatio horarum quatuor supra viginti, necesse est imperceptibili circumagantur pernicitate, ut de solis vertigine intulit Cleomedes inquiens: Lib. 2 de mundo.
Si intelligamus equum emissum in amplam decurrere campi regionem, paritérque ex horizontis limite solem exire, quoad totus emicuerit, prope manifestum fuerit conjectantibus, non minus stadijs decem profecturum. Avis autem celerrima multipliciter magis equo transibit. Sagitta adhuc velocissimo effluxu multò plus volucre, ut non paucioribus prætereat stadijs tanto temporis intervallo: Si igitur equo, æquè celerem mundi viam fecerimus, decem invenietur stadiorum solis dimetiens: sin avi celerrima multò major: sin sagitta non minor ducentis stadijs. Ob has igitur res omnes, pedalis non erit, neque quantus videtur. Quod igitur infinities sagittâ velocior sit mundi meatus ab hujusmodi disciplinis cognoverimus.

Hinc Seneca, *Solem quem velocissimum* 13.
esse scimus, nemo nostrum videt moveri, nec 1 natur. quæst. c. 4.
ere crederemus, nisi appareret ipse: nimirum ob vastitatem spatii, quod decurrit, ita ludimur, ut nobis moveri non videatur, quod quavis emissa sagitta longè ocyùs fugit: ut enim ratiocinatur Scholiastes *lib. de mundo* ad Alexandrum: Cùm Sol intra horas quatuor supra viginti eam peragret cœli oram, quâ discurrit, necesse est, ut semidiametri ratione, non minus ducentis septem millibus milliarium unius horæ defluxu peragret, ac proinde tanta sit ejus celeritas, quæ vix advertitur, & non nisi immani intervalli immensitate nobis lentescit. Non enim nisi

vis ars ab operis rudimento consueverit semper ad ampliora progredi; cùm tamen natura non à rudioribus incipiat, sed tyrocinium ponat in absolutione operis excellentioris, nesciátque à minimis inchoare; quâ ratione in humano opificio primum omnium membrorum molitur cor, ut exinde in venustando vultu, concinandóque capillamento, veluti fatigata conquiescat: ita Deus totius naturæ Author ex nihilo suæ vocis imperio extracturus hanc perampłam mundi molem sui nobilissimi, ac elegantissimi artefacti initium posuit cœlum: *in principio creavit Deus cælum, & terram*, hoc est prima die (si tamen dies erat, quæ solari lumine nondum lustraretur) è nihilo cœlum empyreum condidit, mundíque adorsus est structuram non à rudioribus, sed à nobiliore, & absolutiore ejus parte, hoc est a cœlo Empyreo, quod suam sortitur nomenclationem à lucis copia, ac splendoris nitore, quod etiam destinatum fuit beatorum domicilium: & cum Empyreo mentium itidem condidit ab omni corporea crassitie discretarum innumeras myriades, seu Spiritus, geniósque cœlestes, quos Angelos vocamus, ait S. Augustinus soliloq. c. 8. *Verbum, per quod dixit Deus: fiat lux; facta est lux; natura scilicet Angelica.* Voluit nimirum diem ante splendere luce, quàm umbris noctescere: ut inde discamus, & nos, maximos, vel in ipsis initijs esse, & tarda molimina excutere. Ex nihilo postea prodière terra, & aqua: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.*

Genes. 1.

Genes. 1.

5. Quid? quòd noctis cæcitas terræ consocietur inanitati? an quia ubi inanitas, nullúmque virtutis germen; ibi tenebræ, ac cæcitas? delitescunt in tenebris, jacéntque in umbra mortis, quotquot culturam negligunt virtutum, otij indulgentes inanitati: ubi inanitas tellurem occupat, ab hac sterilitatis non exulat probrum; neque circumfusa caligo: vel quia sterilescentibus hominibus ex neglectu virtutum vepreta in ijsdem prodeunt vitiorum, quæ tenebris obteguntur; cùm malè agentes lucem priùs noverint odisse, quàm videre. Sin verò terra inanis tunc, & vacua fuit, aqua tamen tellurem suo complexu cohibens se se ad cœlum usque expandebat, *& Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sive autem hic Spiritus Deus esset, vel aër, aut ventus, variè varij sentiunt. Verùm inde documentum haurimus, eandem esse Dei, ac procellarum sedem, neque procul ab ærumnosis Deum esse, cujus Spiritus procellis incubat: nimirum si fluctus adversæ fortunæ nos exagitant, si procellæ divexant, si tempestates in naufragium videntur impellere, in spem erigamur Dei opitulantis; aquis enim, & procellis assuetus, vel in ipso mundi exordio incubare, nobiscum adest exoptatam suppeditaturus opem, quâ è periculo eruamur, servemúrque incolumes: adeò Deus homines diligit, ut instructos voluerit in adversitatibus antequam eos conderet; ut cùm primùm traducti ex nihilo fuissent omnem in Deo Satore fiduciam ponerent.

Sin verò spiritum Domini ventos intelligamus, innatant hi crispatis fluctibus, cùm tamen montium rupes, cautiúmque scopulos etiam quatiant; nimirum mollia, & flecti assueta exagitari quidem possunt, raro tamen ad ruinas quati; asperiora verò, & prædura, quia flecti nescia disrumpuntur priùs, quàm flectantur: & tunc cum terra, & aqua sine præexistente materia producerentur, nullus adhuc erat rerum ornatus, nulla forma, sed singula tenebris adhuc involuta, donec divino imperio lux quædam in aquis coruscaret in longum, latúmque diffusa fulgorem, *dixítque Deus, fiat lux:* nimirum lucem evocavit operum prænuntiaturus pulchritudinem: ídque nobis datur documento nil posse nos inchoare absque divini Numinis luce, & evangelium non erubescere, sed palam profiteri; si beata cœlestis gratiæ lux in nostra delabitur pectora, si tenebras è mente excutit, ad opus accingamur; cujus pulchritudo cœlo arrideat, Deo placeat: *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona, & divisit lucem à tenebris:* quia cohærere cum luce dilabentis in nos divinæ gratiæ minimè valent pravorum affectuum caligines, vitiorúmque tenebræ, quæ propterea excutiuntur, disparéntque, accessu benefici luminis. Sed cur cùm optimè noverit Deus à se factam lucem, eam probaturus ab umbris sejunxit? forsan, ut nos doceret nostris non superbire operibus, tametsi bona sint; amor siquidem opificem assolet in proprium pertrahere artefactum, in quo sibi complaceat; raróque nobis displicent, quæ à nobis dimanârunt. Vel lucem sejunctam voluit à tenebris, ut electos instrueret, pravorum consortia prorsus declinare, & à malis prorsus abstinere socijs. Qui lux est, caveat, ne dum tenebras studeat illustrare propriam amittat ipse venustatem; fiátque tenebris concolor, qui propriam lucem cuperet alijs impertiri; scimus enim Petrum coram ancilla friguisse ad ignem, & destitutum illo amoris æstu, quo paratum se dixerat potiùs emori, quàm à fidelitate in Magistrum deficere, eum pernegâsse: scimus inter fœminas Salomonem desipuisse: scimus Judam auro inhiantem ex Apostolo conversum in Apostatam, ac Magistri evasisse proditorem, qui ab eodem fuerat custos auri convertendi in usum Apostolorum institutus. Genes. 1. *In principio*, seu *in Filio*, ut explicant D. Augustinus, Ambrosius, Basilius, & alii plures per filium quasi per sapientiam Patris omnia

Lib. de Genes. ad lit. cap. 1.

Homil. Hexam.

omnia traducta ex nihilo, & condita sunt, [Ad Coloss. 1.] ut etiam docet Apostolus, idque mysticè, & symbolicè: quia in sensu litterali *in principio* perinde est, ac in primordio, seu initio non æternitatis, nec ævi, sed temporis, & mundi, id est à principio, cum mundus cœpit à Deo Conditore traduci ex nihilo; dicitúrque in primordio temporis, non quòd tunc jam fuerit motus primi mobilis, seu mensura nostri temporis; quia nondum primum mobile conditum fuerat, sed à primordio temporis, seu mundi, hoc est cœli, & terræ; cùm enim traduci cœperint ex nihilo, suum habuêre initium, quo cœperunt existere in tempote: res siquidem corporea mensuratur tempore, sive moveatur, sive quiescat, est enim tempus mensura corporum; sicut ævum Angelorum, & æternitas Dei. Hinc dicitur Deus creâsse cœlum, & terram, non in tempore, sed in principio temporis, quia ut rectè D. Augustinus. [Loc. cit. num. 180.] *Tempus à creatura, & creatura cœpit ex tempore: utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

7. Solum igitur divinum imperium ab initio ex nihilo cœlum extraxit, & terram, *factúmque est vespere, & manè dies unus.* Sed cur ab extrema diei parte dies inchoatur, cùm Deus mundi molitionem exorsus sit à cœlo præstantissima rerum conditarum parte? si vespere dies emoritur, & mane oritur, cur à vespere auspicatur tempus primi diei? an quia voluit nos Deus memores magis occasus vitæ, quàm auroræ? quid hoc? an quia die caret vita præsens, quâ caligine ærumnarum, tenebrísque miseriarum involvimur diem expectaturi in alia vita, quæ nescit occasum? ita est, dies mundi tyrocinium in luce ponit abiturus mox in extremam caliginem; sed dies, quo Deus in homines operatur beneficium, suum orditur initium à caligine, tenebrísque ærumnarum, ne alliciamur, hæreamúsque rebus hisce fluxis, & interitui obnoxiis; sed diem expectemus veræ felicitatis post brevem præsentis vitæ cursum. *Factum est vespere, & mane dies unus:* nimirum præcedit vespera, quia dies, qui subsequitur, nón ampliùs occidit, nec emoritur, si semel post vesperam mortalis hujus vitæ, ærumnarum, laborum, ac calamitatum tenebris circumfusæ, dies nobis illucescat felicitatis, donemúrque æterna beatitate, dies non ampliùs ulli est occasui obnoxius, & ideò *factum vespere, & mane*, quia aurora subsequens vesperam hujus vitæ, diem pariet nullis fœdum nubibus, nulli obnoxium occasui, nullisque ampliùs tenebris claudendus.

§. II.

Adeò grata obtingunt Deo resipiscentis lachrymæ, ut eandem cum ipso sedem occupent, cœlum ornent tot stellis coruscum, quot lachrymarum rivulis fit irriguus resipiscens.

Secundum diem efficit lux illa rudis, & imbecilla, qualis est, cum abeunte nocte diluculum instat; & rondidit rerum Sator hac die cœlestes Orbes, quos Moyses firmamentum vocat. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*, hoc est, cœlestes orbes medios posuit inter aquas supetiores, quas christallinas vocant, & inferiores, seu elementales. Sed cur medio hoc interstitio aquarum, suspensi sunt cœli, nullis illuminati sideribus, nec ulla circumacti sua, vel externa iritatione? an cœlestes illi orbes non propter sidera, sed ut aquis famularentur, easque divortio sejungerent, conditi fuerunt? Verùm medij inter aquas positi fuerunt cœli, ut illa duo primigenia corpora, aër ex aqua, & ignis ex aëre prognata suas occuparent sedes; igneum elementum in sublime niteretur, & proxlmiorem cœlis regionem inspirabili sua natura insideret; & terra aquis circumfusa mundi totius occuparet meditullium, centrúmque proprio clauderet sinu. An non miramur fœcunditatem aquarum? ijs enim rigata tellus non solùm flores perinde ac sidera parit; sed & irrigatum cœlum sidera germinat, quasi vernantes rosas. Non otiosas credamus aquas, quæ super cœlos sunt; quia siderum floribus irrigandis sunt opportunæ. Vel si aquæ cognationem cum lachrymis contrahunt, certè firmamentum diu sideribus destitutum esse non poterat, cùm eidem aquæ christallinæ imminerent: ea est vis lachrymarom, ut hæ non solùm eandem cum Deo occupent super firmamentum sedem, verùm & cœlestes accendant ignes, cœlúmque ornent tot stellis coruscum, quot aquarum rivulis irriguum. Quàm gratæ obtingunt Deo hominum resipiscentium lachrymæ, cùm diffitas eas noluerit à proprio suo throno, sed intra beatorum confinia eas receperit? nimirum quamvis suaptè natura infra aërem debeant aquæ jacere, terrísque incubare; supra cœlestes orbes eas tamen voluit Deus locatas, quasi suæ studiosior voluptatis, quàm aquarum naturæ provisor; sibiq; magis oblectamento lachrymarum voluit indulgere, quàm earundem naturæ locum exigenti inferiorem. Non fuit Deo satis, cœlestis suæ urbis januas gemmis illuminâsse, & margaritis exstruxisse; nisi in proximis christallinis aquis, lachrymarum imago patriæ eblandiretur beatorum; à qua cùm lachrymæ exulent, locatas tamen voluit

8.

[Genes. 1.]

vis ars ab operis rudimento consueverit semper ad ampliora progredi; cùm tamen natura non à rudioribus incipiat, sed tyrocinium ponat in absolutione operis excellentioris, nesciátque à minimis inchoare; quâ ratione in humano opificio primum omnium membrorum molitur cor, ut exinde in venustando vultu, concinandóque capillamento, veluti fatigata conquiescat: ita Deus totius naturæ Author ex nihilo suæ vocis imperio extracturus hanc peramplam mundi molem sui nobilissimi, ac elegantissimi artefacti initium posuit cœlum:
Genes. 1. *in principio creavit Deus cælum, & terram,* hoc est prima die (si tamen dies erat, quæ solari lumine nondum lustraretur) è nihilo cœlum empyreum condidit, mundíque adorsus est structuram non à rudioribus, sed à nobiliore, & absolutiore ejus parte, hoc est a cœlo Empyreo, quod suam sortitur nuncupationem à lucis copia, ac splendoris nitore, quod etiam destinatum fuit beatorum domicilium: & cum Empyreo mentium itidem condidit ab omni corporea crassitie discretarum innumeras myriades, seu Spiritus, geniósque cœlestes, quos Angelos vocamus, ait S. Augustinus soliloq. c. 8. *Verbum, per quod dixit Deus: fiat lux; facta est lux; natura scilicet Angelica.* Voluit nimirum diem ante splendere luce, quàm umbris noctescere; ut inde discamus, & nos, maximos, vel in ipsis initiis esse, & tarda molimina excutere. Ex nihilo postea prodiere terra,
Genes. 1. & aqua: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.*

5. Quid? quòd noctis cæcitas terræ consocietur inanitati? an quia ubi inanitas, nullúmque virtutis germen; ibi tenebræ, ac cæcitas? delitescunt in tenebris, jacéntque in umbra mortis, quotquot culturam negligunt virtutum, otii indulgentes inanitati: ubi inanitas tellurem occupat, ab hac sterilitatis non exulat probrum; neque circumfusa caligo: vel quia sterilescentibus hominibus ex neglectu virtutum vepreta in iisdem prodeunt vitiorum, quæ tenebris obtegontur; cùm malè agentes lucem priùs noverint odisse, quàm videre. Sin verò terra inanis tunc, & vacua fuit, aqua tamen tellurem suo complexu cohibens se se ad cœlum usque expandebat, *& Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sive autem hic Spiritus Deus esset, vel aër, aut ventus, variè varii sentiunt. Verùm inde documentum haurimus, eandem esse Dei, ac procellarum sedem, neque procul ab ærumnosis Deum esse, cujus Spiritus procellis incubat: nimirum si fluctus adversæ fortunæ nos exagitant, si procellæ divexant, si tempestates in naufragium videntur impellere, in spem erigamur Dei opitulantis; aquis enim, & procellis assuetus, vel in ipso mundi exordio incubare, nobiscum adest exoptatam suppeditaturus opem, quâ è periculo eruamur, servemúrque incolumes: adeò Deus homines diligit, ut instructos voluerit in adversitatibus antequam ens conderet; ut cùm primùm traducti ex nihilo fuissent omnem in Deo Satore fiduciam ponerent.

Sin verò spiritum Domini ventos intelligamus, innatant hi crispatis fluctibus, cùm tamen montium rupes, cautiúmque scopulos etiam quatiant; nimirum mollia, & flecti assueta exagitari quidem possunt, rarò tamen ad ruinas quati; alperiora verò, & prædura, quia flecti nescia disrumpuntur priùs, quàm flectantur: & tunc cum terra, & aqua sine præexistente materia producerentur, nullus adhuc erat rerum ornatus, nulla forma, sed singula tenebris adhuc involuta, donec divino imperio lux quædam in aquis coruscaret in longum, latúmque diffusa fulgorem, *dixítque Deus, fiat lux:* nimirum lucem evocavit operum prænuntiaturus pulchritudinem: idque nobis datur documento nil posse nos inchoare absque divini Numinis luce, & evangelium non erubescere, sed palam profiteri; si beata cœlestis gratiæ lux in nostra delabitur pectora, si tenebras è mente excutit, ad opus accingamur; cujus pulchritudo cœlo arrideat, Deo placeat: *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona, & divisit lucem à tenebris:* quia cohærere cum luce dilabentis in nos divinæ gratiæ minimè valent pravorum affectuum caligines, vitiorúmque tenebræ, quæ propterea excutiuntur, dispaŕentque, accessu benefici luminis. Sed curcùm optimè noverit Deus à se factam lucem, eam probaturus ab umbris sejunxit? forsan, ut nos doceret nostris non superbire operibus, tametsi bona sint; amor siquidem opificem assolet in proprium pertrahere artefactum, in quo sibi complaceat; raróque nobis displicent, quæ à nobis dimanârunt. Vel lucem sejunctam voluit à tenebris, ut electos instrueret, pravorum consortia prorsus declinare, & à malis prorsus abstinere sociis. Qui lux est, caveat, ne dum tenebras studeat illustrare propriam amittat ipse venustatem; fiátque tenebris concolor, qui propriam lucem cuperet aliis impertiri; scimus enim Petrum coram ancilla friguisse ad ignem, & destitutum illo amoris æstu, quo paratum se dixerat potiùs emori, quàm à fidelitate in Magistrum deficere, eum pernegâsse: scimus inter fœminas Salomonem desipuisse: scimus Judam auro inhiantem ex Apostolo conversum in Apostatam, ac Magistri evasisse proditorem, qui ab eodem fuerat custos auri convertendi in usum Apostolorum institutus. Genes. 1. *Lib. de Gen. ad lit. cap. 1.*
In principio, seu *in Filio*, ut explicant D. Augustinus, Ambrosius, Basilius, & alii plures per filium quasi per sapientiam Patris *Homil. Hexam.*

omnia

omnia tradncta ex nihilo, & condita funt, ur etiam docet Apoftolus, ídque mysticè, & symbolicè: quia in sensu litterali *in principio* perinde est, ac in primordio, seu initio non æternitatis, nec ævi, sed temporis, & mundi, id est à principio, cum mundus cœpit à Deo Conditore traduci ex nihilo; dicitúrque in primordio temporis, non quòd tunc jam fuerit motus primi mobilis, seu mensura nostri temporis; quia nondum primum mobile conditum fuerat, sed à primordio temporis, seu mundi, hoc est cœli, & terræ; cùm enim traduci cœperint ex nihilo, suum habuêre initium, quo cœperunt existere in tempore: res siquidem corporea mensuratur tempore, sive moveator, sive quiescat, est enim tempus mensura corporum; sicut ævum Angelorum, & æternitas Dei. Hinc dicitur Deus creâsse cœlum, & terram, non in tempore, sed in principio temporis, quia ut rectè D. Augustinus. *Tempus à creatura, & creatura cœpit ex tempore: utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Ad Colos. 1.

Loc. cit. num. 280.

7. Solum igitur divinum imperium ab initio ex nihilo cœlum extraxit, & terram, *factúmque est vespere, & manè dies unus.* Sed cur ab extrema diei parte dies inchoatur, cùm Deus mundi molitionem exorsus sit à cœlo præstantissima rerum conditarum parte? si vespere dies emoritur, & mane oritur, cur à vespere auspicatur tempus primi diei? an quia voluit nos Deus memores magis occasus vitæ, quàm auroræ? quid hoc? an quia die caret vita præsens, quâ caligine ærumnarum, tenebrísque miseriarum involvimur diem expectaturi in alia vita, quæ nescit occasum? ita est, dies mundi tyrocinium in luce ponit abituros mox in extremam caliginem; sed dies, quo Deus in homines operatur beneficium, suum orditur initium à caligine, tenebrísque ærumnarum, ne alliciamur, hæreamúsque rebus hisce fluxis, & interitui obnoxiis; sed diem expectemos veræ felicitatis post brevem præsentis vitæ cursum. *Factum est vespere, & mane dies unus:* nimirum præcedit vespera, quia dies, qui subsequitur, non ampliùs occidit, nec emoritur, si semel post vesperam mortalis hujus vitæ, ærumnarum, laborum, ac calamitatum tenebris circumfusæ, dies nobis illucescat felicitatis, donemúrque æterna beatitate, dies non ampliùs ulli est occasui obnoxius, & ideò *factum vespere, & mane*, quia aurora subsequens vesperam hujus vitæ, diem pariet nullis fœdum nubibus, nulli obnoxium occasui, nullísque ampliùs tenebris claudendus.

❀ (o) ❀

§. II.

Adeò gratæ obtingunt Deo resipiscentis lachrymæ, ut eandem cum ipso sedem occupent, cœlum ornent tot stellis coruscum, quot lachrymarum rivulis sit irriguus resipiscens.

8. Secondum diem efficit lux illa rudis, & imbecilla, qualis est, cum abeunte nocte diluculum instat; & condidit rerum Sator hac die cœlestes Orbes, quos Moyses firmamentum vocat. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*, hoc est, cœlestes orbes medios posuit inter aquas superiores, quas christallinas vocant, & inferiores, seu elementales. Sed cur medio hoc interstitio aquarum, suspensi sunt cœli, nullis illuminati sideribus, nec ulla circomacti sua, vel externa incitatione? an cœlestes illi orbes non propter sidera, sed ut aquis famolarentur, easque divortio sejungerent, conditi fuerunt? Verùm medij inter aquas positi fuerunt cœli, ut illa duo primigenia corpora, aër ex aqua, & ignis ex aëre prognata suas occuparent sedes; igneum elementum in sublime niteretur, & proximiorem cœlis regionem inspirabili sua natura insideret; & terra aquis circumfusa mundi totius occuparet meditullium, centrúmque proprio clauderet sino. An non miramur fœcunditatem aquarum? ijs enim rigata tellus non solùm flores perinde ac siders parit; sed & irrigatum cœlum sidera germinat, quasi vernantes rosas. Non otiosas credamus aquas, quæ super cœlos sunt; quia siderum floribus irrigandis sunt opportunæ. Vel si aquæ cognationem cum lachrymis contrahunt, certè firmamentum diu sideribus destitutum esse non poterat, cùm eidem aquæ christallinæ imminerent: ea est vis lachrymarum, ut hæ non solùm eandem cum Deo occupent super firmamentum sedem, verùm & cœlestes accendant ignes, cœlúmque ornent tot stellis coruscum, quot aquarum rivulis irriguum. Quàm gratæ obtingunt Deo hominum resipiscentium lachrymæ, cùm dissitas eas noluerit à proprio suo throno, sed intra beatorum confinia eas receperit? nimirum quamvis suaptè natura infra aërem debeant aquæ jacere, terrísque incubare; supra cœlestes orbes eas tamen voluit Deus locatas, quasi suæ studiosior voluptatis, quàm aquarum naturæ provisor; sibiq; magis oblectamento lachrymarum voluit indulgere, quàm earundem naturæ locum exigenti inferiorem. Non fuit Deo satis, cœlestis suæ urbis januas gemmis illuminâsse, & margaritis exstruxisse; nisi in proximis christallinis aquis, lachrymarum imago patriæ eblandiretur beatorum; à qua cùm lachrymæ exulent, locatas tamen voluit

Genes. 1.

 aquas

omnia traducta ex nihilo, & condita sunt,
Ad Colos. 1. ut etiam docet Apostolus, idque mysticè, & symbolicè: quia in sensu litterali *in principio* perinde est, ac in primordio, seu initio non æternitatis, nec ævi, sed temporis, & mundi, id est à principio, cum mundus cœpit à Deo Conditore traduci ex nihilo; diciturque in primordio temporis, non quod tunc jam fuerit motus primi mobilis, seu mensura nostri temporis; quia nondum primum mobile conditum fuerat, sed à primordio temporis, seu mundi, hoc est cœli, & terræ; cùm enim traduci cœperint ex nihilo, suum habuêre initium, quo cœperunt existere in tempore: res siquidem corporea mensuratur tempore, sive moveatur, sive quiescat, est enim tempus mensura corporum; sicut ævum Angelorum, & æternitas Dei. Hinc dicitur Deus creâsse cœlum, & terram, non in tempore, sed in principio temporis, quia ut rectè D. Augustinus. *Tempus à creatura, & creatura cœpit ex tempore: utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* (Loc. cit. num. 180.)

7. Solum igitur divinum imperium ab initio ex nihilo cœlum extraxit, & terram, *factúmque est vespere, & manè dies unus.* Sed cur ab extrema diei parte dies inchoatur, cùm Deus mundi molitionem exorsus sit à cœlo præstantissima rerum conditarum parte? si vespere dies emoritur, & mane oritur, cur à vespere auspicatur tempus primi diei? an quia voluit nos Deus memores magis occasus vitæ, quàm auroræ? quid hoc? an quia die caret vita præsens, quâ caligine ærumnarum, tenebrísque miseriarum involvimur diem expectaturi in alia vita, quæ nescit occasum? ita est, dies mundi tyrocinium in luce ponit abiturus mox in extremam caliginem; sed dies, quo Deus in homines operatur beneficium, suum orditur initium à caligine, tenebrísque ærumnarum, ne alliciamur, hæreamúsque rebus hisce fluxis, & interitui obnoxiis; sed diem expectemus veræ felicitatis post brevem præsentis vitæ cursum. *Factum est vespere, & mane dies unus:* nimirum præcedit vespera, quia dies, qui subsequitur, non ampliùs occidit, nec emoritur, si semel post vesperam mortalis hujus vitæ, ærumnarum, laborum, ac calamitatum tenebris circumfusæ, dies nobis illucescat felicitatis, donemúrque æterna beatitate, dies non ampliùs ulli est occasui obnoxius, & ideò *factum vespere, & mane*, quia aurora subsequens vesperam hujus vitæ, diem pariet nullis fœdum nubibus, nulli obnoxium occasui, nullisque ampliùs tenebris claudendus.

❀ (o) ❀
❀

§. II.

Adeò grata obtingunt Deo resipiscentis lachrymæ, ut eandem cum ipso sedem occupent, cælum ornent tot stellis coruscum, quot lachrymarum rivulis fit irriguus resipiscens.

8. SEcundum diem efficit lux illa rudis, & imbecilla, qualis est, cum abeunte nocte diluculum instat; & condidit rerum Sator hac die cœlestes Orbes, quos Moyses firmamentum vocat. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*, hoc est, cœlestes orbes medios posuit inter aquas superiores, quas christallinas vocant, & inferiores, seu elementales. (Genes. 1.) Sed cur medio hoc interstitio aquarum, suspensi sunt cœli, nullis illuminati sideribus, nec ulla circumacti sua, vel externa incitatione? an cœlestes illi orbes non propter sidera, sed ut aquis famularentur, eásque divortio sejungerent, conditi fuerunt? Verùm medij inter aquas positi fuerunt cœli, ut illa duo primigenia corpora, aër ex aqua, & ignis ex aëre progenita suas occuparent sedes; igneum elementum in sublime niteretur, & proximiorem cœlis regionem inspirabili sua natura insideret; & terra aquis circumfusa mundi totius occuparet meditullium, centrúmque proprio clauderet sinu. An non miramur fœcunditatem aquarum? ijs enim rigata tellus non solùm flores perinde ac sidera parit; sed & irrigatum cœlum sidera germinat, quasi vernantes rosas. Non otiosas credamus aquas, quæ super cœlos sunt; quia siderum floribus irrigandis sunt opportunæ. Vel si aquæ cognationem cum lachrymis contrahunt, certè firmamentum diu sideribus destitutum esse non poterat, cùm eidem aquæ christallinæ imminerent: ea est vis lachrymarum, ut hæ non solùm eandem cum Deo occupent super firmamentum sedem, verùm & cœlestes accendant ignes, cœlúmque ornent tot stellis coruscum, quot aquarum rivulis irriguum. Quàm gratæ obtingunt Deo hominum resipiscentium lachrymæ, cùm dissitas eas noluerit à proprio suo throno, sed intra beatorum confinia eas receperit? nimirum quamvis suaptè natura infra aërem debeant aquæ jacere, terrísque incubare; supra cœlestes orbes eas tamen voluit Deus locatas, quasi suæ studiosior voluptatis, quàm aquarum naturæ provisor; sibiq; magis oblectamento lachrymarum voluit indulgere, quàm earundem naturæ locum exigenti inferiorem. Non fuit Deo satis, cœlestis suæ urbis januas gemmis illuminâsse, & margaritis exstruxisse; nisi in proximis christallinis aquis, lachrymarum imago patriæ eblandiretur beatorum; à qua cùm lachrymæ exulent, locatas tamen voluit

aquas, quæ circumvallarent, cingeréntque Urbem illam beatorum; ut inde disceremus post peccatum nonnisi per lachrymas nobis patêre ad beatitatem ingressum. Sed cur si super firmamentum aquas posuit, quæ lachrymas præsignarent; micantibus postea syderibus deforis firmamentum insignivit? An ut amœnissimum nobis exhiberent hortum tot floribus pictum, quot stellis micantem, & cui irrigando in superiori ejus superficie fluerent aquæ? Verùm ut alliceremur ad cœlestes delicias, irriguæ Regioni siderum flores deesse non debuerant; ut vel jugiter vernantes siderum rosæ, nobis nunquam perituras paradisi delicias ostenderent.

9. Tertia die aquarum, & terræ sublatâ confusione cœpit tellus in speciem glomerata ingentis orbis ex aquis emergere: & istæ in cavernas recedere, in longè, latéque pelagi tractus se diffundere, è vario montium foras erumpere hiatu, currere in flumina, stagnare in paludes: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida.* Terra autem sentiens sui Satoris præceptum germinandi, eidem obtemperatura cœpit statim vestiri multiplici herbarum genere, ornari plantis, venustati arboribus, cœperúntque campi segetum copiâ, ac densitate fluctuare; fluviorum ripæ mira stirpium varietate luxuriare, arbores fructibus gravidari, & plantæ omnes suas depromere divitias, proferre poma ordine quidem inverso, ac nunc contingit: aratio siquidem sationem, satio occationem, occatio sarritionem modò præcedit; sed sub illo mundi exordio tametsi nulla præcesserit, aratio, satio, ocratio & sarritio tellus obtemperatura Conditoris nutui illicò herbas, flores, fructus ad omnem protulit amœnitatem. Quòd si nunc arbores priùs radices deorsum agunt, postea sensim sine sensu germinant, ac incrementum in stirpes subeunt, móxque in ramos, se extendunt, dividúntque; frondium comas ad ornatum emittunt, & ad opulentiam fructuum copias primò quidem è floribus erumpentes, inde paulatim excrescentes acerbitatem produnt in adolescentia, & dulcedinem in senecta; hæc autem omnia uno eodem tempore ad Dei Conditoris nutum contigêre in mundi exordio, cœperúntque illicò arbores grandescere, radices agere, vestiri frondibus, ditescere fructibus; quia nimirum nescit amor tarda molimina: cùmque Deus hæc omnia conderet propter hominem, ut ei suum proderet amorem, voluit ut statim, cùm primùm crearetur, omnia inveniret parata, non solùm ad necessaria vitæ subsidia, sed ad delicias, quibus illicò perfunderetur, & ad omnem amœnitatem, quæ eidem esset oblectamento.

10. Verùm cur Deus aquas jusserit è terra recedere, si hanc voluit statim herbas promere, & poma proferre? an non rigari priùs debuit tellus, ut in hanc herbarum, messium, plantarum, germinúmque prorumperet ubertatem? cur siccatur tellus ab aquis dissociata, cum jubetur germinare herbas, flores, plantas, & fructus producere? Aquarum subsidijs feliciùs, & feraciùs tellus innatam depromit fœcunditatem. Verùm licèt aquas sejunxerit, jusseritque recedere, non tamen omninò separari, quia indiget aquis tellus, ut luxuriet in herba, rideat in flore, ditescat in fructu; non ita tamen ut obruatur aquis: ut inde disceremus, & nos superflua resecare, nec divitijs, quæ vitijs cognatione nominis sunt affines, ex pronitate naturæ inhiare. Mare, quia aquarum redundantijs plenum, obnoxium est etiam procellis, & fœtum naufragijs: stagnum verò, quod modica quiescit in unda, ridet Euri, Notique impetus, quibus in procellam nunquam potest commoveri. Non solùm jussit Deus terram germinare, herbámque depromere virentem, verùm & semen unà cum fructu edere; *germinet terra herbam virentem, cujus semen in semetipso sit super terram.* An quia non sit pluris faciendus fructus, qui sine semine, veluti absque hærede, maturit? siquidem sine superstite totaliter perit, cùm cadit; secus, qui se men substituit, in funere quodammodo vivit Phœnici haud absimilis: eo tantùm discrimine, quia Phœnix nonnisi moriendo suam prodit fœcunditatem; quatenus ex sepulchrali cinere redivivus resurgit, & quia perit, cùm se parit; minimè se pariturus, nisi periturus esset: ex fructibus verò, tametsi non marcescant, adhuc semina fluunt, quibus in posthumam prolem vitam transmittant. Semina enim ex fructibus decisa fructus pariunt illis consimiles, ex quorum plantâ effluxerunt.

§. III.

Cœlorum ornatus, syderum vernantes rosæ, solis micantes nitores, lunæ nocturnæ lampadis solatia ad Deum mundi Opificem amandum nos alliciunt, exhibéntque fomenta amoris.

Quartum mundi natalem diem illustrârunt cœlestia illa luminaria, quorum unum, quod mundi universi est lampas præesset diei; & alterum nocti, ad tenebras, vel excutiendas, vel mitigandas: & stellarum micantes chori, ducentésque harmonicis cœlestium orbium motibus suas choreas. *Fecitque DEUS duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præ-* 11. Genes. 1.

praesset nocti: quibus addidit stellas, quæ ut micantes rosæ jugiter vernantes nos ad cœlestes allicerant delicias, cùm cæca nos occupat nocturna caligo; vel tanquam gemmæ non tam cœlestes illustrarent orbes suis nitoribus, quàm plurimum ijsdem adjicerent pretij: ab hisce luminaribus alterna prodeunt dierum, noctiúmque discrimina, imò & quadripartita anni tempora: tempestatum signa, prognostica, & vegetantium ubertas, vel caritas. Nil pulchrius, utiliúsque cœlestibus illis corporibus, quæ vel tacendo nos erudiunt, edocéntque Dei conditoris bonitatem, quam amemus; scientiam, quam miremur; summámque excellentiam, quam admiremur; adeò ut nonnisi insipiens, & prorsus cæcutiens blateret, non esse Deum (Psalm. 13.) *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* & rectè insipiens cùm prorsus desipiat. Si non est Deus cœli conditor, quis ex hominibus cœli fornicem construxit? Si non est supremus Aurifex Deus, quis aureum veluti discum quasi in mensa, solem in cœlo posuit? si non est, qui facem præparet splendentem, accendatque ad dispellendas nocturnas caligines, excutiendásque tenebras, quis argenteam lunæ lampadem nocte illucentem accendit? Si non est, qui illuminet, quis astrorum lichnos accendit in cœlo? si non est opifex, quis cœli opificium dedolavit? quis sideribus micantia pretia indidit? quis tot vernantibus floribus, quot micantibus astris cœlos ornavit? quis cœlum veluti tectum magnæ hujus terræ domui superposuit? & in illo tot magistros, quot lumina; ut nos instruerent, manuducerént que ad Artificis Dei notitiam, ejúsque artis summam peritiam laudandam? pulchrè Theodoretus de providentia sub initium: (Serm. 4.) *Dum cælum oculis nostris expositum magnitudinem simul & pulchritudinem suam spectandam prabet, & hominibus tecti locum, & usum exhibet, tacens quoque factorem suum prædicat, & omnium linguas ad laudis decantationem invitat. Et veluti cùm domum aliquam, quæ summo artificio extructa, & solido, stabilíque fundamento innixa, angulis quoque rectissimè coaptata, latitudine, & longitudine, altitudinique justa proportioni per omnia respondet, tum fenestris etiam probè, & ordine dispositis illustratur, & omnibus ijs, quæ ad ædificiorum splendorem faciunt ornata, & instructa est, conspicimus; mox ipsum architectum admiramur, & absentis imaginem animo concipimus, omnémque proportionis, quæ in ædificio cernitur, formam ad illius artem solemus referre. Sic etiam cùm cælum intuemur, & utiles illos, commodósque cælestium syderum motus, nequaquam hæc adoramus; sed horum opificem encomijs, & laudibus pro virili mente nostra vehimus, & ex operum magnitudine, simul, & pulchritudine authorem illorum justa animi contemplatione æstimamus. Verè enim, & meritò hæc animis nostris voluimus. Quòd si tanta est operum magnitudo, quantus est operum conditor? Et si tanta inest rebus conditis elegantia, quantam sapientissimi illius omnium Creatoris pulchritudinem esse convenit.* Tria igitur Theodoretus in cœlis suspicit magnitudinem, pulchritudinem, & utilitatem.

Ea est cœlestium corporum vastitas, 12.
ut eorundem expansio longè, latéquè per immensa diffundatur spatia; firmamentum siquidem cum inferiores orbes effusissimæ amplitudinis ambiat, tot sydera tantæ vastitatis, quantam Astrologi mathematicis ostendunt ratiociniis, complectatur, qui potis est ejusdem vastitatem, ac veluti immensam magnitudinem emetiri? fateamur necesse est, tantæ esse firmamentum vastitatis, ut nostrum longè captum superexcedat. Sydera enim, quæ à nobis veluti exiguæ lucernæ, aut igniti clavi cœlo infixi conspiciuntur, tantùm abest, ut argumentum præbeant exilitatis in tanta sensuum nostrorum infirmitate, & infidelitate; ut potiùs inde conjiciatur summam esse syderum, & cœlorum, quibus insunt, elongationem à terra, proinde summam amplitudinem sola à nobis perceptibilem ratione comprehendere; perinde ac eorundem in motu pernicitatem vix intellectu assequi valemus, cùm enim tantò distent à nobis intervallo, totúmque terraqueum globum sua circumeant vertigine spatio horarum quatuor supra viginti, necesse est imperceptibili circumagantur pernicitate, ut de solis vertigine intulit Cleomedes inquiens: (Lib. 2 de mundo.) *Si intelligamus equum emissum in amplam decurrere campi regionem, paritérque ex horizontis limite solem exire, quoad totus emicuerit, prope manifestum fuerit conjectantibus, non minus stadijs decem profecturum. Avis autem celerrima multipliciter magis equo transibit. Sagitta adhuc velocissimo effluxu multò plus volucre, ut non paucioribus prætereat stadijs tanto temporis intervallo: Si igitur equo, æquè celerem mundi viam fecerimus, decem invenietur stadiorum solis dimetiens: sin avi celerrima multò major: sin sagitta non minor ducentis stadijs. Ob has igitur res omnes, pedalis non erit, neque quantus videtur. Quod igitur infinities sagittâ velocior sit mundi meatus ab hujusmodi disciplinis cognoverimus.*

Hinc Seneca, *Solem quem velocissimum* 13.
esse scimus, nemo nostrum videt moveri, nec ire crederemus, nisi appareret ipse: (1 natur. quæst. c.4.) nimirum ob vastitatem spatii, quod decurrit, ita ludimur, ut nobis moveri non videatur, quod quavis emissa sagitta longè ocyùs fugit: ut enim ratiocinatur Scholiastes *lib. de mundo* ad Alexandrum: Cùm Sol intra horas quatuor supra viginti eam peragret cœli oram, quâ discurrit, necesse est, ut semidiametri ratione, non minus ducentis septem millibus milliarium unius horæ defluxu peragret, ac proinde tanta sit ejus celeritas, quæ vix advertitur, & non nisi immani intervalli immensitate nobis lentescit. Non enim nisi

infinitis prope spatijs abducta tanta, & tam inenarrabilis pernicitas vasti syderis novies terrarum, mariúmque molem exsuperantis, usque eo velut pigresceret, ot oorati non posset, nisi post decursum spatium. Deficient autem verba, & cum verbis numeri, si ab hoc tam celeri solis rotatu ad celeritatem fixorum syderum contemplandam feramur: siquidem ad stellatum cœlum, ut notat Scholiastes à corruptibili mundi parte spatium myriadum bis mille sexcentarum, & ampliùs interjacet, ex quo infertur, cœlum stellatum sexcentas, octoginta quatnor myriadas milliarium, cujuslibet horæ spatio ut minimum percurrere.

14. Ea itidem est cœlestium corporum pulchritudo, ut cum eorundem vastitate mira nectatur elegantia, quam cœlum vel tacens, ut ait Chrysostomus, per oculos, non per aures nos docet. Quòd si in sublunaribus rebus corporeis, pulchritudo quæ ijsdem inest in quandam nos rapit admirationem ob partium concinnitatem, simetriam, functionum proportionem, munerum varietatem; certè major est, & longè uberior, quæ in cœlis suspicitur elegantia, tam ex ijsdem emanata corporibus, quàm ex eorundem profecta motibus, quos Philo in Cosmopœia astrorum vocat choreas admiratione dignissimas ob ordinem, cursus, & recursus mirè concinnos, quibus veram illam videntur exemplarem musicam continere, quam postea homines sois impressam animis didicerunt: hinc Author libri de mundo, hanc cœlorum innuens pulchritudinem ait: *Et quidnam est singularium partium, quod cum eo comparari possit ordine, quo cælestiu motus temperatus est, & constitutus, sole utique, & luna, reliquis item syderibus intra spatia se moventibus exquisitissimè, & modulatè à sæculo in sæculum alterum.* Tanta est cœlorum pulchritudo, quæ ex tantis, támque speciosis efflorescit corporibus, ut si eam spectemus, minimè expensione egeat, aut descriptione; attentam tamen, ac seriam exposcit considerationem, ut uberius eam hauriamus: ut enim Aristoteles apud Tullium. Quamvis qui eam nunquam hausisset oculis, sed nunc primùm eam conspiceret, hebesceret animo, obrueretúrque miraculis; nihilominus & sentiendi, & suspiciendi assiduitate nobis videtur vilescere, quia nimirum seriò non perpendimus, quæ & quanta sit syderum elegantia, planetarum species, astrorum venustas, cœlorum concinnitas, ut enim ait Seneca: *Ipse mundus quoties per noctem ignes suos fudit, & tantùm stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet?* Potest quilibet, si velit, id experiri, si nocte serena amplo insidens campo, pio mentis affectu in micantia cœli sydera, errantes citra errorem planetas, Lunámque argenteam noctis lampadem oculos defigat, & intueatur, ut loquitur Ambrosius: *quomodo per luna, & stellarum fulgorem cælum velut quibusdam floribus coronatum ita ignitis luminaribus micet, ut paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum vivis monilibus renitere. Unde à plerísque ornamentum cæli est nuncupatum, eò quia sit stellarum monile pretiosum.*

Homil. ad populum.

Lib. de mund. cap. 6.

Lib. 2. de natur Deor.

4. de benefic cap. 23.

4. Hexam. cap. 2.

15. Quis ita cæcutiat, ut Solis ex eo non commendet pulchritudinem, cùm sit oculus mundi, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, & creaturæ præstantia? ut loquitur idem Ambrosius *cap. 1.* est enim astrum hoc aureum, Lucis munificum parentem, cùm nil sit in hoc inferiori spectabili mundo, vel ad speciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius, vel ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos usus invehendam efficacius? movet enim vim insitam, promovétque naturam inferiorem, ut per varia herbarum, florum, plantarúmque genera suas exerat vires, depromat divitias, producat fructus. Sol siquidem est, qui vim quandam vitalem, ac corporibus salutarem communicat, æquè vegetantium multitudini, ac animantium generibus. Idem in æthere sol præstat, quod in animali cor, in homine animus: siquidem sol in mundo vices temporum temperat, annorum series distribuit, novos semper redeuntes flores instaurat, annique partes ita dividit, ut inter se se non secus, ac in musico choro voces ad harmoniam nectantur. Est Sol, qui reliquorum syderum constituta dimensione moderatur motus, qui reliquis syderum turbis suos impertitur nitores; cujus influxus in abditissimos quosque terrarum penetrat recessus, terræ pervadens viscera, ubi gemmas, aurúmque progenerat.

16. Lunæ itidem pulchritudo mira est, & constans, vel in suis inconstantijs, ac mutationibus, quibus obnoxia phases suas variat varios juxta aspectus ad solem. Hæc solis annuos cursus, spatijs consequitur menstruis, quia terris familiarissima utpote destinata in tenebrarum remedium, noctis solatium, umbrarum levamen: quis lunam non miretur modò curvatam in cornua, modò æqua portione divisam, nunc sinuatam in orbem; nunc maculosam, & pleno orbe immensam, simúlque senescentem, ac ita pari decremento deficientem, ut modò sit pernox, nunc sera, modò nulla, & nunc iterum conspicua, & ijsdem incrementis maxima, quibus deficientibus minima, & nulla mox evadat; jámque humilis, & excelsa, nec semper uno, eodémque tenore, sed nunc admota cœlo, modò contigua montibus, aliàs in aquilonem elata, vel etiam ad austros dejecta. Proxima cardini minimo ambitu vicenis diebus, septennisque, & tertia diei parte peragat spatia eadem, quæ Saturni sydus planetarum omnium altissimum annis triginta. Est itidem in lunæ cursu quædam solstitij similitudo & ab ipsa plura dimanant, quibus & animantes aluntur, crescunt, pubescunt

Et

Et quamvis sit paulò major dimidia terræ parte, iisdem tamen vagatur spatiis, quibus Sol, cum quo sive congrediens, sive digrediens, eam semper, quam ab ipso lucem mutuat, in terras demittit. Quis pulchritudinem recenseat stellarum, quæ in duas partitæ classes miram cœlo conciliant venustatem? aliæ siquidem spatiis immutabilibus ab ortu ad occasum commeant, nullam unquam proprij cursûs inflectentes vestigium: & aliæ, quæ continuas suas conversiones iisdem spatiis conficiunt.

17. Mirabiles sunt itidem planetarum motus, qui stellæ vulgò errantes audiunt, tametsi citra errorem omnes suas peragant periodos, quis enim dicat astra illa errare, quæ ab orbe condito eadem inviolabili lege suos servant gressus, progressus, & regressus, reliquos motus constantes, raptúsque. Quid admirabilius in stellis earum motibus, quibus mox occidunt, nunc oriuntur; occultantur, & iterum emergunt; recedunt, & revertuntur; abeunt, ut iterum adsint; mox antecedunt, nunc subsequuntur: nunc celeriùs, nunc tardiùs moventur, & ex motionum pari disparitate, concordique discordia annum signant, quem Mathematici magnum vocant, & fit cum solis, lunæ, & quinque errantium planetarum ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatijs est conversio absoluta. Quod verò ad cumulum accedit totius pulchritudinis est, nunquam cœlestes illos syderum flores defecisse, nunquam aruisse, nec quidquam passos detrimenti, cùm sublunares pulchritudines illicò marceant, arescant, & deficiant: húncque cœlestis pulchritudinis florem expendens Chrysostomus, contra Anomæos ait: *Vides cœlum hoc, quàm pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum sit; quemadmodum vario stellarum ordine exornetur, & splendeat, quantum edurare potuerit temporis, jam enim quinque millia annorum, atque etiam plus servatur, & constat, nec tamen longo temporis spatio effectum est, ut senescat; sed ad modum corporis adolescentis robusti floret, vigétque ætate; & quam principio fortitum est cœlum, pulchritudinem, eandem integerrimam servat, & nulla ex parte factum deterius tanto temporis spatio.* Ut inde conjiciamus, quàm vanidæ, & fucatæ sint terræ pulchritudines, quæ vix ortæ occidont; arescunt cum florent; deficiunt, cum videntur incrementa sabire: tametsi ampla sint, & splendida Regum palatia, auro illita, gemmis illuminata, sectis lapillis fulgentia immensis fulta columnis, nitido incrustata marmore; si tamen cœlum suspiciamus, conferamúsque cum ejus pulchritudine, non ampla palatia, sed angusta tuguriola nobis apparent; non splendidæ aulæ, sed obscuræ terræ rimulæ nobis videntur esse; neque latum unguem differre à ludicris puerorum ædificiis, neque à nidis ex luto, ac festuca compactis, neque à formicarum subterraneis cavernulis. Hinc D. Ambrosius asserit, esse rationi perquam consentaneum, & naturali hominis propensioni accommodatissimum in hæc cœlestia spectacula non solùm corporis defigere oculos, verùm & mentis dirigere intuitus, ut enim scitè Seneca lib. de vita beata: *Natura artis sibi, ac pulchritudinis sua conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum operis sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formosa, solitudini ostenderet. Ut scias, illam spectari voluisse, non tantùm aspici; vide quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit, & circumspectum omnium nobis dedit: nec erexit tantummodo hominem, sed etiam ut ab ortu sydera in occasum labentia, prosequi posset, & vultum suum circumferre cum toto; sublime fecit illi caput, & collo flexibili imposuit. Deinde sena per diem, sena per noctem signa produxit, nullam non partem sui explicuit, ut per hoc quæ obtulerat ejus oculis cupiditatem faceret etiam cæterorum.*

Homil. 2.

4. Hexam: cap. 1.

Cap. 32.

18. Spectatores nos vult cœlum suæ pulchritudinis, ut inde alliciamur ad ejus delicias, & terræ contemnamus fucatas voluptates, ac terræ venustates, quæ perinde ac flores diurnam non diuturnam exhibent pulchritudinem; erigendus igitur affectus noster est in cœlum, præsertim cùm id ordo servandus exigat: eatenus Deus: *in principio creavit cælum, & terram,* ut ediseat normam nostros dirigendi affectus. Primò cœlum condidit, deinde terram ex nihilo traduxit, hanc ut servemus ordinem, cœlum docemur terræ præferre, primósque nostros affectus, imò & omnes, totósque in cœlum dirigere. Si nostrum vivere nil est, quàm aliquid quærere. Id à nobis quærendum, quod est primò quærendum, idque procul dubio cœlum est, non terra: *Quærite primùm Regnum Dei.* Cœlum comparare, cœlestia quærere, terrena non curare, nostra sit cura, non tam prima, quàm tota: illud sit nobis quæsitu primum, quod est inventu summum. Condidit in nobis rerum omnium Sator spiritum, quo vivimus, non tamen, ut terræ, sed cœlo vivamus, cùm non propter cœnum, sed propter cœlum conditi simus: pericula incurrimus, nobísque perniciem inferimus, si quid aliud impensiùs amemus præ eo, ob quod conditi sumus, quævis animi nostri actio quædam est quasi creatio, (quoties enim suas animus noster vires exerit, agitque, aliquid recèns esse incipit, quod prius non fuerat. Hoc autem ut ordinatè procedat non terræ hærere debet, sed cœlo adhærere, cùm Deus *in principio cælum creaverit,* quod terræ prætulerit: illud à nobis priùs quærendum, quod Deus primùm condidit, vultque, ut prius quæramus: *Quærite primùm Regnum Dei.* nimirum quærendus est ipse Deus, qui sit finis omnium nostrorum actuum; si alia præter Deum

Matth. 6.

Deum desideramus, illud nos perdimus, nósque simul perdit.

19. Quid censendum esset de homine, cui contractior esset calceus, quàm pes, si partem abscinderet pedis, ut reliquum pedis calceo se accommodaret, nonne id ei insaniæ daremus? cùm non calceum propter pedem, sed pedem velit propter calceum. Par est vesania nostræ mentis, párque insania cordis, si inverso ordine terram præferimus cœlo, tempus æternitati; interitui obnoxia immortalibus; caduca, & deficientia nunquam perituris, & tandem putidum, fœculentúmque cœnum splendido, rutilantíque cœlo. Ita præ omnibus quærendum nobis est cœlum, ut præ illo cætera negligamus in terra, quæ cùm sit infra nos, calcanda, non colenda à nobis est. Quàm indignum homini recto, & ad cœlum erecto curvari ad terram! eatenus statum sublimem, corpúsque rectum præter cæteras animantes sortitus est homo, ut non revolvatur deorsum, neque cœlestem vultum ad terram projiciat, sed oculos eò dirigat, quò illos naturæ suæ conditio direxit. Non venit homo in mundum, non conditus fuit in terra, ut terræ hæreret, sed ut cœlo adhæreret; cœnum despiceret, cœlum suspiceret; ut ab eodem susciperetur, à quo conditus fuit.

20. Errat homo toto cœlo à cœlo, si quid aliud quærit extra cœlum. Non enim sua aliunde commoda sperat homo, quàm à cœlo, cujus beneficentia etiam in terris est tanta, ut si corporum cœlestium destituerentur terrena influxibus, quidquid cum plantis vegetat, cum brutis sentit, cum hominibus discurrit, deficeret: est enim cœlum quod in terris messes inaurat, arbores fœcundat, prata colorat, flores pingit, vites purpurissat, colles vestit, valles inumbrat, campos locupletat; hortorum areas florum illuminat pigmentis; arborum comas illiciente exornat viriditate: quicquid enim in terris aliquid præsefert utilitatis effectus est cœli in hæc inferiora derivatus, sunt enim sydera influxus, quibus glisçunt in pratis pascua, luxuriant in hortis flores, virescunt in sylvis arbusta, maturiunt in arboribus fructus, spumant in vite vendemiam uvæ, flavescunt in campis segetes: & præ cæteris perspicui sunt influxus solis, & lunæ; est enim utrumque sydus vas Altissimi admirabile, quo munifica largitate diffunduntur in terras stillicidia bonorum omnium: horum enim beneficio agnoscimus in supremis infima, & in infimis suprema, quò gradatim ad divinam progredientes pulchritudinem nostrum in summo bono figamus affectum.

21. Quotidiana & prorsus admirabilis est ex utilitas, quæ ex cœlo, astrisque primariis in nos derivatur, & quorum circumactione dierum, noctiúmque emergunt vicissitudines, temporum mensuræ dissectæ in annorum periodos, cursúsque menstruos: & præsertim nostræ instructioni accommodata monitio: oritur siquidem, & moritur dies, & nos cum ipso etiam deficimus: memoriam hujusmodi vicissitudines refricant, & ob oculos humanam nostram exhibent conditionem, ne radices in terris egamus, sed in tanta, & quotidiana temporis fuga nostram urgeamus salutem; per hanc dierum vicissitudinem ad eam properemus æternitatem, quæ occasûs nescia nunquam deficiet. Hanc lucis, ac tenebrarum vicissitudinem pulchrè edisserit Theodoretus *Serm. 1. de providentia* inquiens: Diem, ac noctem veluti sorores quasdam videre est, quæ temporis spatio ad hominum usus invicem mutuantur simul, & benevolè redeunt. Deficiente enim jam hyeme, & novo illucescente vere, quando multi admodum hominibus circa sua opera labores exoriuntur, utpotè profectiones, & peregrinationes, naviúmque à portu deductiones, quando, & mare stratum, & hyberni frigoris rigore liberum est, terráque segetibus supetbiens agricolam ad culturam vocat, & plantæ hortulanum ad putationem, purgationem, irrigationem, & sarritionem invitant. Tunc (inquam) dies operationis tempus hominibus augens, à nocte horas mutuò sumit, & paulatim quidem eas recipit, ne nimio augmento iis noceat, qui ejus operâ ad res suas conficiendas utuntur. Nimius enim & major solito labor, si subitus incidat, corporibus non mediocriter nocet, quæ nulli aliquandiu labores exercuerunt. Quapropter paulatim suum illud incrementum recipit dies. Ubi verò ad medium æstatis perventum est, desinit quidem mutuò sumere, mox verò debiti solutionem aggreditur, adeo ut hanc, nec vel in unici diei moram procrastinando rejiciat. Paulatim autem, & lentum, quemadmodum ante acceperat, ita quod acceptum est, reddit. Deinde ubi autumni tempore nocti æqualis factus est, se hac minorem fieri non pudet, nec sororem conjugem debito fraudare sustinet, sed deficiens, licèt non ante cesset, quàm debitum omne persolverit, tunc quoque non contemnendam, & longam quietem, quâ homines curari possunt, temporis opportunitatem conficiens. Cùm enim frigoris, pluviarum item, lucti, & cœni molestiâ domi desidere cogimur, nox & ipso die nobis multò jucundior est, hactenus Theodoretus.

Ex hac autem cœlorum, & astrorum vicissitudine, magnitudine, pulchritudine, & efficacitate, & præsertim ex eorundem concentu, & præclara dispositione efficax desumitur argumentum, quo etiam non cognoscentes litteraturam introeant in potentias Domini, assurgántque eò luculentiùs in Dei conditoris notitiam, quò per solis, lunæ, cæterorúmque astrorum splendores clariùs edocentur; est enim cœlestis hæc pulchritudo quidam veluti clamor naturæ promulgantis opificem suum, quia ut rectè Augustinus: *Non divinorum librorum* 22. *11. de Civit. c. 4.*

rum tantummodo authoritas esse Deum prædicat, sed omnis qua nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus universa ipsa rerum natura preclamat habuisse se præstantissimum Conditorem, hæcque præcipua est utilitas, quæ ab astris in nos derivatur, nobis edissere Conditoris Sapientiam, ejúsque ingerere notitiam. Aliæ recensentur pedissequæ utilitates, quæ suam à primariis astris originem trahunt, & præ cæteris illa etiam, quâ cœlestes ignes minores, sunt hominibus commodo, eò quia nocturnas tenebras temperent, præsertim nocte illuni; æquora trajicientes deducunt, eisque viam præsignant etiam per itinera nullis detrita vestigiis; non enim sinunt æquora equorum, aut mulorum, vel viatorum pedibus calcari, nec curruum rotis percurri, cùm nec ipsa navium patiantur vestigia, quæ vix impressa delentur.

§ IV.

Mira in piscibus maris, & volucribus aeris ingenia uberrimum nobis suppeditant argumentum laudandi Conditoris Dei Sapientiam, & bonitatem amandi.

23. QUintus dies piscibus, volucribúsque obtigit natalis, *dixit etiam DEUS: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cæli:* ex quo liquet, utrumque genus piscium, & volucrum suam ab aquarum fœcunditate traxisse originem, & ex aqua propagatum quidquid, vel pennis aërem, vel pinnis undas secat: & licèt aves, & pisces dispares videantur, ac dissimili dissociati natura, adhuc tamen non modica est avium, pisciúmque cognatio, ut notat D.
Lib. 1. Hexa. cap. 24. Ambrosius. Aqua enim quæ propria est piscium sedes, & aër avium receptaculum, duo sunt elementa naturæ proprietatibus perquam affinia, & cognata cum utrumque Diaphanum sit, humidum, molle, permeabile, subtile, agitabile, quò fit, ut promptiùs in aquam aër mutetur, vicissímque aqua in aërem. Hinc æquè avibus, ac piscibus levitas inest, & agilitas; si aves pennis muniuntur ad volatum; pisces pinnis, squamísque construuntur ad natatum: hæcque ratio, cur æquè aves, & pisces vesica careant, lacte, & mammis destituantur, ne scilicet volatum avibus, & natationem piscibus impediant. Rursus utrísque affinis motus, gressus, & progressus, quòd enim est piscibus natatus, idem est avibus volatus, síntque propterea pisces, si ex motu deducatur illatio, aves aquatiles, & aves pisces aërei, cùm tam aves, quàm pisces caudâ suum dirigant cursum; videantúrque homines artem edocuisse nauticam, cùm longè, latéque diffusa æquoris spatia naves trajiciant expansis velis tanquam pinnis, pisces imitantes; vel aves explicato alarum remigio, & clavo, seu timone, perinde ac caudâ navis fluctuantia dirigentes itinera. Demum quia plures aves aquatiles sunt ut Cygni, anseres, fulicæ, halcyones.

Hine censet D. Augustinus pisces factos esse ex aqua densiori, & volucres ex subtiliori proximiùs accedente ad aërem. 24. *Lib. 3. de Genes. ad lit. cap. 8.*
Quòd verò dicatur *producant aquæ* hebraicè legitur *Iisretsu*, seu ebulliant, vel scaturiant in ingenti multitudine, quia proprium est piscibus, ranísque turmatim uno partu innumeros propemodum fœtus edere, tanta est eorundem fœcunditas, ac prolifica propagatio: hæcque ratio, cur pisces indociles sint, imò & stolidi, ut cicurari non possint ob nimirum redundantis humoris luxuriem; habent tamen & pisces inditas suas proprietates, quibus instruuntur ad damna declinanda, & pericula, quæ imminent, præcavenda, ut notat D. Basilius. *Homil. 7. Hexam.* Herinaceus enim marinus cùm ventorum perturbationem præsenserit, calculum haud exiguum subit, sub quo veluti sub ancora se ipsum stabilit: idque conspicientes nautæ futuram præsagiunt procellam. Vipera itidem murenæ marinæ nuptias expetit, & sibilo suam amasiæ indicat præsentiam, quæ accurrens mari copulatur: Vipera tamen quasi ob nuptiarum venerationem virus priùs evomit, quàm Murenam adeat. *Loc. cit.*
Rursus: *Neque piscium genus dimidia parte dentibus est armatum, ut bos, vel ovis: neque enim quisquam piscis ruminat, nisi scarus solus, sed omnes acutissima frequentium dentium acie muniuntur, ne si mora in molendo traheretur, diffueret alimentum per humorem. Quidam limo, quidam alga vescuntur: alter alterum devorat, ut minor esca sit majoris.*

25. Imò dolosè ad id etiam procedunt; cancer enim ut ostrei carnes depascatur, sibique consular arrepto lapillo conchæ imminet, expectátque, donec ad solem se pandat & cùm primùm aperitur, lapillum in concham demittit, quo claudi nequeat; statímque eam invadit voraturus ejus carnes. Polypus saxo adhærescens ejusdem induit colorem; & cæteros pisces ad ipsum, veluti ad saxum adnatantes capit, vorátque. Innumeræ sunt miræ piscium proprietates, quas fusè edisserit Ulysses Aldrovandus post Plinium, & Plutarchum. Sed cur jubentur aquæ producere reptile animæ viventis? Vocantur pisces animalia reptilia? quia cum pedibus careant, solo ventre aquis incubant, quasi per fluctus repentes. Sunt tamen amphibia, quæ licèt pedibus non destituantur piscibus ta-

men accenseatur; cujusmodi sunt Fibri, Lutræ, Hippopotami; non tamen gradiuntur aquis innatantes, sed pedibus veluti remigio utuntur: & hisce affines sunt cygni, anseres, anates, & aliæ id genus aves, quæ pedibus minimè dissectis, perinde ac remis aquas excutiunt, quas innatant. Magna igitur cognatio est aves inter, & pisces; utrumque enim genus ex aqua productum per ova nascuntur, quæ faciliùs in matrice multiplicantur, quàm fœtus, quos utero terrestria gestant animantia.

26. Quòd si miras natura piscibus proprietates indidit; fortàssis mirabiliores, quæ volucribus insunt, etiam minorioribus. Quis apum industriam in favis construendis, melle legendo, disponendo, totando non miretur? ut sibi consulant, comparéntque ad usus vitæ necessaria Rempublicam constituunt, consilia privatim, gregatímque ineunt, labores dividunt; neque ante fabas florentes præsertim in Italia exeunt ad opera. Cúmque primùm labores instituerint, nullus iisdem otio dies perit, nisi aëris inclementia, cœli pluviæ, ventorum flatus id eis prohibeant. Primùm favos construunt, ceram efficiunt, cellásque conficiunt, dividúntque. Ratio operis ex Plinio: hæc est. *Interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino, vel triplici bombo, ut buccino aliquo reliquas adhuc somno sopitas: tunc universæ praevolant si dies mitis futurus sit, & aër pacatus; prædivinant enim ventos, imbrésque, quos si præsentiant, se tectis continent. Cæterum cœli arridente temperie, cùm agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttásque lanugine totius corporis. Juniores ad opera exeunt, & onera convehunt: seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant. Sunt etiam intus officia divisa, aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, quod allatum est. Non enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis, & cibi fiat, & temporis. Struunt orsæ à concameratione alvei, textúmque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis, circa singulos arcus. Favi superiori parte affixi, & paulum etiam lateribus simul hærent.*

Lib. 11. cap. 9. & 10.

27. Quos in admirationem non rapiunt gruum excubiæ? quas noctu vicissim agunt, ut cæteræ tutiùs indormiant: exacto siquidem tempore præstituto ad indulgendum quieti, quæ excubias egit emisso clangore, se ad somnum componit, cui alia succedit, & quam ipsa acceperat cæteris reddit excubando securitatem: per aëra cum volant certo quasi ordine aciem construunt, mox in columnam extensæ, modò geminam parallelam describentes lineam, nunc curvantur in cornu, variásque ita figuras componunt, ut una semper cæteras præeat, quæ tamen stato tempore munere suo perfuncta ad totius agminis se terga vertit, munúsque cæteras ducendi proximè succedenti resignat. Quis indolem non miretur ciconiarum? quæ proprios senescentes parentes propriis circumtectos alis fovent, victúmque iisdem lautè suppeditant, & utrinque eos suis alis sublevant. Symbolum pietatis à filiis impendendæ parentibus. Cornices etiam cum avolant turmatim uniuntur, tutantúrque contra cæteras aves, symbolum præstitæ tutelæ.

Quis mores non commendet Hirundinis? parva est avis minusculo corpore, sed egregiè pia, sublimis affectu, quæ licèt indiga rerum omnium, eo tamen artificio nidos construit è trabe, vel pariete pendulos, ut sine metu imminentis ruinæ hæreant firmis innixi fundamentis. Pro hisce compingendis multiplici volatu huc, illúcque discurrunt hirundines stramina quæsituræ, quæ ore legunt, deferunt: lutum verò eum deferre pedibus nequeant, extremitates pennarum aqua madefaciunt; móxque pulvere se se involventes lutum sibi efficiunt, quo nidum compingant, in quo positis ovis pullos excludunt, quòd si quispiam eorum pupugerit, læseritque oculos adhibitâ herbâ chelidoniâ veluti collyrio pristinum ijsdem visum restituunt. Abeunt unà cum cœli temperie, & easdem redeunte vere post longa itinera diductas; non modò ad assuetas sibi sedes, verùm etiam ad eandem planè trabem iterum nidificaturas reverti deprehendimus. Quòd si nidus aliquid in absentia fuerit detrimenti passus, ruinas instaurant; summitatem pennarum aqua imbuunt, quibus promptiùs pulvis adhærescat, fiátque cum humido limus, quo veluti gypso, aut calce utuntur; festucas itidem, & minutos surculos colligunt, quos veluti lapides adhibent in sui restauratione nidi, cujus fabrica speciosa est, ac instar pavimenti complanata sine textorarum rimulis, ne frigus irrepat nocumentum teneris allaturum pullis. 28.

Quis non miretur Halcedinem juxta marinum littus media fermè hyeme cum procellosiores bacchantur fluctus, majorique impetu perflant venti, ova locare; & ilicò quiescere fluctus, silere ventos, faveres malaciam per totos septem dies, quibus incubat ovis halcedo, pullósque excludit? & inde alios succedere septem dies maris tranquillitate, aëris serenitate, cœlique temperie prorsus arridentes, quibus pullos enutrit? Quis non commendet turturis castimoniam cum mortuo compare detrectet alteri se jungere? Quis multiplicem, variúmque non miretur in avibus 29.

avibus incessum? aliæ siquidem ambulant, ut cornices: saliunt aliæ ut passeres, merulæ; currunt aliæ ut perdices, rusticulæ: aliæ ante se pedes jaciunt, ut ciconiæ, grues: aliæ raro intervallo expansis alis aëra diverberant, quatiúntque; cum aliæ creberrimè, quædam majore ex parte compressiùs volent, ictúque gemino aëra exagitent. Anates verò, anseres, aliæque aquatiles aves natatione videntur magis delectari, quàm volatu, pedésque propterea habent non diffissos, sed continuos, membranæ instar expansos, ut commodiùs fluitare, & innatare valeant: & has inter aquatiles aves cygnus prolixiore collo in profundam aquam immisso piscariam exercens pisces venatur in aquis.

30. Sed cur cum aqua multiplici fœtu fœcunditatis suæ pompam explicuerit, & terra herbarum varietate, florum elegantiis, plantarum ubertate se fœcundam ostenderit, solus aër in hac elementorum ubertate sterilescat, & aves suæ inquilinæ Regionis è fluctibus potiùs aquarum emerserint, quàm ex defœcatiori aëre suam traxerint originem? An quia sit aër cædium officina, in qua fulmina cuduntur in mortalium perniciem? An quia non rectè cohærere potuissent volucrum cantus, & stridor fulgurum? An quia ubi nubes unà congredientes pugnas instituunt, classicum personant, repetito tonitru, tormenta explodunt fulminum excussione; ibi nonnisi timor animos occupet, prohibeátque segetes colligi vitæ alimenta?

31. Verùm quis id credat, cùm nonnisi per aëra volucres liberiùs vagentur tametsi nubes ventis coactæ solem abripiant, obstrepent tonitru, terreant fulgure, feriant fulmine. Si cunas avibus prohibuerunt fulmina, cur nunc domicilium exhibent, & præbent? cur sunt aves aëreæ regionis inquilinæ, si fulminum expavent officinam? cum nonnisi in sinu cudantur fulmina nubis? forsassis fiunt aves aëris inquilinæ tametsi ab aquis natæ, & prima sua in fluctibus obtinuerint incunabula, ut nos edocerent patriæ contemptum, & homines à patria extorres plus proficere, quàm patriæ immorantes? si enim aves aquis incubarent, seu patriæ immorarentur, in qua propria habuerunt incunabula vix reperent in undis cum reliquo piscium grege, cùm extra patriam in aëre volitent, & in sublime ferantur.

32. Sed cur post Protoparentum in paradiso lapsum, cùm terra desierit ex se florere, aves nihilominus nascantur è terra, cùm ante culpam fuerint ab aquis emersæ? Quid enim damni obtigit terræ peccanti, si cùm herbis sterilescit, avibus fœcundatur? cur aves saltem post Adæ scelus primæva sua non repetierint incunabula. Verùm suum spectârunt volucres commodum, quod promptiùs ut emanciparentur priora respuerunt cunabula: ante Adæ lapsum terris immorabatur homo: ad volatum autem, & libertatem conditæ aves nidos non in terris, sed in aquis fixerant, ne libertate in terris destituerentur, cum Adam ante lapsum suum exercuerit imperium in animantes omnes: quo ubi per lapsum excidit; excusso timore perdendæ libertatis non ampliùs in aquis, ubi fuerant natæ, sed in terris enactæ sunt commodius domicilium citra libertatis detrimentum, cum libero volatu per aëra, sylvas, plantas, campósque divagari possent: ubi ex Rege reus factus fuit Adam, ærumnis pro satellitio stipandus, jam avium cunæ in terras delatæ non ampliùs hominis libertatem, & avium servitutem, sed libertatem avium, & hominis famulitium designârunt, ibíque modò degunt, ubi libero volatu longè, latéque exporrecta aëris spatia, protenta montium fastigia, diffusas camporum planities discurrunt, ac pervagantur: nimirum compedes nostras exprobrant aves arboribus innatæ, licet primævas cunas in aquis enactæ: nascuntur volucres in terris liberè deperditam ab homine libertatem ob Protoplasti lapsum exprobraturæ.

§. V.

Mundi Opificis Sapientia eò ad sui amorem nos allicit uberiùs, quò in minutioribus animalculis splendet luculentiùs.

33. SExtus divini opificij dies, natalis fuit animantibus, jumentis, reptilibus, bestiis: quâ die effictus etiam ex humo homo, cui immortalem juxta suam imaginem Sator cœlestis animam inspiravit, intelligendi, appetendi cum ratione reminiscendi facultate præditam, cæterísque condecoratam gratiis, cumulatam donis, ornatam virtutibus, ac primævæ innocentiæ venustatam ornamentis cum pleno in cuncta animantia dominatu. Sicut quinta die dederat Deus incolas aquæ, & aëri, ita hac sexta die munifica largitate est impertitus incolas terræ. Sed cur cum cætera elementa suis non destituantur incolis natantibus in unda cum piscibus; volantibus in aëre cum volucribus; currentibus, & ambulantibus in terra cum quadrupedibus, bipedibúsque, solùm ignis elementum incolis careat? non enim putârim Salamandram, nec aliud animal ali in igne posse, nec diu in flammis perdurare: Dioscorides siquidem, ut etiam Matthiolus asserit à se plures Salamandras in ignem conjectas fuisse, quæ brevi consumptæ sunt. Experimur etiam, pyraustas, & lampyrides, quæ paulò majores Lib. 2. cap. 56.

sunt muscis, nonnisi ad brevissimum tempus in igne vivere. Nulli igitur sunt igni incolæ dati, quia nimirum in sublime nitens, & fumi emittens volumina ambitionem prodit ac superbiam, duas scilicet inflatas sorores inanitate tumidas, quæ nonnisi lapsus, & præcipitia ijs spondent, quos in sublime evehunt; & elementum indicant ignis rerum duntaxat destructionibus inhiantis. [Genes. 1.] Dixit Deus *producat terra animam viventem:* hoc est animalia viventia, non quòd terra hæc effecerit animalia, quorum causa efficiens solus Deus fuit, sed quia terra materiam suppeditavit, fuítque causa materialis, non efficiens; fueríntque animalia non producta, sed exorta ex terra, quatenus emanârunt, & prodière ex terra, & quidem omnes terrestrium animalium species homogeneæ; quæque per commistionem maris, & fœminæ ex una duntaxat enascuntur specie: id enim videbatur exigere mundi perfectio, cùm enim DEUS sex diebus suum opificium perfecerit, & exornaverit; debuerunt omnium terrestrium animalium species condi, cum septimo die cessaverit à productione novarum specierum: quapropter sexto hoc die creatæ fuerunt bestiæ omnes etiam veneno infectæ, ut serpentes; sibíque invicem inimicæ, ac carnivoræ, ut lupus, & ovis, fuitque hujusmodi antipathia ijsdem cum natura indita: & licèt ante lapsum Adæ lupus ovi esset inimicus, ejúsque perniciem moliretur, necem illaturus, DEI tamen providentia impedivisset, ne lupus in ovem sæviret ante speciem satis propagatam, ne tota species statim periret. Hine pertinuit ad naturalem constitutinnem, ut omnes bestiæ herbis vescerentur, non enim quidquam noxium terra protulit, cùm DEUS animantibus dederic omnem herbam; si omnem, certè non ut nocumentum inferret; sed ut terræ germina ijsdem prodessent, non obessent.

34. Neque ullum facessit negotium ex animalibus nonnulla cum veneno fuisse condita; cùm Id exigetet mundi perfectio, non enim universum omnibus rerum generibus fuisset integrum, si species serpentum, bestiarúmque venenatarum defuissent, præsertim cùm contraria contrarijs magis relucescant: id etiam utilitatis attulerunt, & commodi venenata animalcula, nt cæterarum bonitas magis commendaretur: neque quavis destituuntur venenatæ bestiolæ bonitate cùm ad alexipharmaca præparanda plurimum præleferant momenti, ac utilitatis; non verò hac sexta die condita fuerunt minuta ea animalia, quæ ex sudore, exhalatione, putrefactione nascuntur, cujusmodi sunt pulices, mures, vermiculi; quia hujusmodi bestiolæ non formaliter, ut loquuntur scholastici, sed tantùm in potentia, ac seminali ratione fuerunt conditæ; quatenus creati hac die fuerunt ea animalia, ex quorum certa affectione bestiolæ erant nsturaliter exorituræ. Cætera verò animalia quamvis corpore exigua, ac minutissima, ut formicæ, aranei, bombices, muscæ hac die proprias à rerum Satore naturas suscepêre, ut luculentius DEI commendarent magnificentiam, landárentque Sapientiam: pulchtè Tertullianus: *At quum & animalia irrides minutiora, quæ maximus Artifex de industria, ingenijs, aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate secundùm Apostolum: Imitare si potes apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine si potes illas ipsas lectuli bestias, cantharidis venena, muscæ spicula; culicis, & tubam, & lanceam: qualia erunt majora cum tam modicis, aut juvaris, aut læderis? ut nec in modicis despicias Creatorem.* [Lib. 1. contra Marcionem cap. 14.] & S. Augustinus ait: *Quis disposuit membra Culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, suúmque motum? unam bestiolam brevem minutissimam considera, quam volueris: si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ, quâ movetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum Culici, quo sanguinem sugat? quàm tenuis fistula est, quâ sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista, expavescis in minimis; lauda magnum.* [In Psal. 148.]

35. Quis in bombyce DEI non miretur Sapientiam. Est bombyx ex Erucarum genere vermiculus corpore tenerrimus ex semine genitus papilionis, ab India non multis abhinc sæculis in Europam advectus; nasci enim bombyces in Co Insula tradunt aliqui apud Plinium ex Cupressi, Terebinthi, Fraxini, Quercus floribus imbre decussis, terræ halitu animante. [Lib. 11. c. 23.] Est autem bombyci fœminatum sinus hospitium æquè ac auspicium vitæ; fovetur enim pectore, & complexûs custoditur illecebrâ etiam nondum natus, nimirum animum illaqueat, antequam fila ducat: móxque mori foliis pastus, & auctus, vel in arbores ut apud Indos, vel sub tectis in excisos ex arboribus ramulos conscendit reptando, ibíque araneum imitatus, per os evomens ex alvo distenta pastu, & quasi nendo filum ducens tenuissimum, ac firmissimum, aurum colore exhibens artificiosissimè pauculis diebus sibi texit, construítque, sepulchrum dixerim, an nidum? Ovo enim est edicula formâ persimilis, párque magnitudine; móxque opere absoluto in hoc moli pretioso, volubilíque nido se involvit, includítque vermis qui-

dam;

dam, & moritur; sed inde oritur aliquot post menses, sed non jam vermis repens, sed papilio alis instructus ad volatum: nimirum sepulchrum à se conditum ingreditur vermis; & egreditur redivivus papilio; Phœnicis æmulus tumulum sibi construit surrecturus ad thalamum. Quis non miretur Dei incomprehensibilem magnitudinem in hoc minutissimo verme, in hoc laborioso Opifice nendis Regum vestibus enato? Quis non miretur naturæ audacis opus tam grande, pretiosum, ac artificiosum à minutissimo verme oculorum quasi aciem fugiente, ingenti cura, summo studio perfectum, ac absolutum?

Quis in formica minutissimo animalculo summam Dei non miretur sapientiam?
36. tametsi abjectum videatur formica insectum,
est tamen Dei opus tam rel dignitate præstans, artis subtilitate limatum, operisque perfectione absolutum, quàm humanis sensibus tenue, rude, & impolitum appareat. Quamvis adeò tenue, ac minutum sit animalculum, ut vix oculos feriat, nostróque objiciatur obtutui, singulis tamen est suis instructum partibus, perinde, ac magnus, & ingens Elephas: sunt ipsi fulgentes oculi, quibus acutissimè, quæ ipsi obviant, objecta coloribus picta, lustrat, inspicítque; sunt cæteri sensus, quibus propiùs accedens ad flores eorum effusos percipit odores; auræ susurros auribus; mollitiem, vel scabritiem rei tactu. Deus Sator duriusculis partibus, perinde ac ossibus minutissimum interstinxit corpusculum; venulas per membra singula, perinde ac ramos diffudit; à summo vertice per dorsi vertebras ad caudam usque diffluentem dilatavit medullam; neque ei desunt reliqua perfecti corporis membra, & organa, per quæ spiritus acer, vegetus, æstuosus affunditur, neque ipsi jecur, & in jecore vasculum bilis receptaculum; neque renes desunt, neque cor costularum interstinctione quasi parietibus circumseptum; imò quod mireris, non solùm singula, quæ ad corporis absolutam pertinent perfectionem, complectitur minutum hoc animalculum; verùm & virtutes, quæ animo inserviunt ornamento: etenim non solùm ingenio pollet, industriâ viget, verùm etiam prudentiæ, fortitudinis, & religionis non obscura collucent in formica vestigia.

Scimus in prudentiæ comitatu duas esse virtutes primarias, cautionem, & provi-
37. dentiam, & illam in malis arcendis totam
esse; hanc in bonis procurandis: & has virtutes inesse formicis ex eo conijcitur, quòd Rempublicam habeant non Solonis, aut Lycurgi præscriptis institutam, sed æternis naturæ legibus constitutam: & ne continuus in diurnis operibus labor dissociet amicitias, interrumpat socialis vitæ commercia, minuat mutua gaudia, voluptatésque, quibus afficiuntur ex mutuis fœderibus, amicitiisque, statis temporibus interquiescunt, nundinásque veluti exercentes miti hilaritate, frequentiori accursu simul conveniunt, sibique eblandiuntur, ac per jucundas, suavésque consociationes singulari perfunduntur lætitiâ; revertuntur deinde in proprias domunculas, quas sibi multiplici meandro flexuosas ad varios constrnxerunt usus, & quidem nocte illuni, seu silente luna, quasi syderis absentia contristatæ, mœrore confectæ in suis squalidæ jaceant cavernulis. Verùm ubi cœli facies clementior arridet excusso otio foras erumpit atratus formicarum exercitus, & proxima pabulatur rura. Procedunt verò tali ordine, ut nulla alteri sit impedimento, nulla oriatur confusio, sit iisdem unus ardor, mens eadem, quamvis munia diversa; aliæ siquidem prædas per calles angustos magna corporis convectant contentione, nunc pedibus aversæ, nunc humeris obnixæ; aliæ suppetias allaturæ lassis occurrunt, & onera corpusculis majora simul trahunt, ne sub fasce neutra succumbat: aliæ venientes cum prædis gratulationibus excipiunt; aliæ morsibus humum egerunt, aliæ constructis aggeribus meatus excludunt aquarum: illæ delata, & congesta grana dente corrodunt, & veluti forcipe dividunt, ne germinent in herbam: istæ nimiâ humiditate madida grana exsiccant, apricantúrque in sole: demum nulla est, quæ otio torpescat, omnes proprijs funguntur muneribus, laborant assiduè: neque magis laboriosæ sunt, quàm fortes.

Quis aranei in erudito suæ telæ textu summam Dei non agnoscat sapientiam. Or-
ditur telas tali ingenio, ea industriâ, & peritiâ, ut ars nulla possit operis imitari industriam, & opificij tenuitatem; diu multum discurrit, hac, illácque circuit in idem sæpiùs redit, & se ipsam consumit, cum suam multiplicium filorum absolvit rotulam. Exenterat siquidem, eviscerátque se se, ut suum opus textile ex arte concinnet, quod ut sublime suspendat, affigat, firmétque contra ventorum impetus, contra pluviarum illapsus, millies circuit, it, reditque, nec visceribus suis parcit, quæ in tenuissimam hanc impendit texturam, tantique operis molimini, ejus sufficit uterus, sive sit intus lanigera quædam fertilitas, sive corrupta alvi natura, quæ materiem stato tempore suppeditet, ex qua tam moderato ungue, [illegible] tereti filio, & tam æquali deducit stamina; ipso se pondere usus, ut quidquam ad operis perfectionem desiderari nequeat. Texere è meditullio incipit circinato orbe subtegmina adnectens, maculásque paribus semper intervallis, & nonnunquam crescentibus, & ex angusto dilatans nodo implicat indissolubili. Mirum sanè quanta arte cælat, pedicas sentulato rete grassantes. Mirum quàm aptè flatibus illu-

illudendis laxitates sinuum interponat. Cùm verò translucidum hoc & subtilissimum conopeum, jam pendet alligatum, & textile opus absolutum; domunculam ipse araneus sibi construit concameratam; & quidem remotam ab operis centro, ne aucupem volitantes muscæ timeant. Verùm si captura incidat, quamvis extremæ hæreat plagæ, pernici cursu araneus prædam invadit, filísque jam diductis implicat, medium disrumpens retis, ne musca multiplici vinculo irretita, ac compede illigata avolet, eámque in concameratum defert specum, & iterum exiens scissuras reficit retis; addítque, quæ ad muscæ involucrum adhibuit fila, totúmque rete ad pristinam restaurat polituram.

39. Ex hisce aliisque bestiolis liquet, quâ sapientiâ rerum Sator mundum condiderit. Quis edisserat virtutes, proprietates studia cæterarum animantium. Ursa ait D. Basilius, licèt plena sit fraudis, informes tamen quos utero fœtus edit, natos linguâ lingit, ac in speciem sui efformat. *Homil. 9. Hexam.* Quid? quòd homo pater filios suos instituere sibi similes negligit? Eadem gravi affecta cæde, & consauciata vulneribus mederi sibi novit, herbæ, cui nomen est phlomos, ulcera subjiciens sua, ut solo curentur attactu. Serpens quóque pastu fœniculi cæcitatem excutit acceptam. Testudo visceribus pasta serpentis, cùm venenum adverterit sibi serpere, origano utitur in medicinam suæ salutis. Videas etiam vulpem lachrymulâ pinûs medentem sibi. Clamat Jeremias. *Jerem. 6.* *Turtur, & hirundo, agri passeres custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognovit judicia Domini.* Novit etiam formica explorare serenitatis tempora: nam ea præsagiens madidos fructus foras exportat, ut jugi sole siccentur. Boves impendente pluvia ad præsepia se tenere noverunt, alias foras spectant, & ultra præsepia cervices extendunt, ut prodire se velle testentur, eo quòd imminet aura serenior. Ovis sub adventum hyemis inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam rapit, eò quòd præsentiat asperitatem, & sterilitatem hiemis futuram. Hericius, si quid insidiarum præsenserit, spinis suis clauditur, atque in sua arma se colligit, ut quicunque eum contingendum putaverit, vulneretur. Idem futuri providens, geminas sibi respirandi vias munit, ut quando Boream flaturum cognoverit, septemtrionalem obstruat, quando Noto cognoverit detergi aëris nubila, ad septemtrionalem se conferat, ut flatus declinet obvios, & è regione nocituros. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti.* Hæc Basilius. De Tigride autem subdit: ira percitam suorum raptorem catulorum ad internecionem insequi; qui tamen varia per vias specula insequenti objicit tigridi matri, in quibus ubi se ipsam speculatur putans catulorum esse gressum, sistit, & quasi fœtum lactatura residet, sicque pietatis decepta studio iram præconceptam exuit, vindictam deponit: idque patrisfamilias documento est, quanto suos debeat liberos amore prosequi. Móxque pergit S. Basilius ad venaticos canes, qui ex vestigijs mira sagacitate fugientes odorantur lepores, quos insequuntur. Plura etiam exempla congerit canum, qui suorum homicidas herorum detexêre, & vindicârunt.

Deinde pergit, inquiens. Quid nos dignum nostro referimus Creatori? cujus cibo vescimur, & dissimulamus injurias, & sæpe inimicis Dei eas, quas a Deo accepimus epulas, exhibemus? agniculus balatu frequenti absentem matrem citat, ut responsuræ vocem excitet; multis licèt versetur in millibus ovium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem, illa quoque inter multa agniculorum millia solum filium, tacito pietatis testimonio recognoscit. Pastor errat in discretione ovium, agniculus verò in agnitione matris nescit errare. Nondum catulo dentes, & tanquam habeat, ore proprio se quærit ulcisci. Nondum cervo cornua, & tamen fronte præludit, atque ex ea, quæ nondum experta sit, tela minitatur. Lupus, si prior hominem viderit, vocem eripit, despicitque eum tanquam victor vocis ablatæ. Idem si se prævisum senserit, deponit ferociam, nec potest currere. Leo gallum, & maximè album veretur. Capra vulnerata dictamnum petit, & de vulnere excludit sagittas. Leo æger simiam quærit, ut devoret, quo possit sanari. Leopardus capræ agrestis sanguinem bibit, & vim languoris evitat. Omnis fera ægra canis hausto curatur sanguine. Ursus æger formicas devorat. Cervus oleæ ramusculos mandit: ergo feræ norunt expetere, quæ sibi prosint, & solus homo remedia sua ignorat? Imo allio homo delectatur, quod Leopardus fugit? jejuni hominis sputum, si serpens gustaverit, emoritur. Conijce, quanta insit jejunio virtus, cujus solum sputum serpentes enecat. Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, spillæ folia superjacit; & homo negligit, quomodo adversum lupos nequitiæ spiritualis se tueatur. 40.

Pergit Basilius, edisseritque, cur Deus angustiora colla Ursis, Tigridibus, ac Leonibus effinxerit, quia nimirum cùm feræ sint carnivoræ, quæque difficulter cicures fiunt, consultiùs erat, ne prolixitate donarentur cervicis; secus videmus camelis, equis, & bobus longiora dedisse colla, imò & promuscidem elephantis, quia cùm sint animalia cæteris altiora, possent beneficio prolixioris colli terræ germina carpere, quibus pascerentur. Elephanti intolerabili impetu ruunt in hostes, ac veluti mobiles montes in prælijs, pugnísque húcque, illúcque discurrunt impavidi. Dicuntúrque ad trecentos, & ampliùs annos vitam protrahere. 41.

De

Homil. 9. Hexam. De reliqnis animalibus S. Basilius ait: *Bos constans est, & strenuus; asinus autem piger: equus libidine incenditur: lupus mitescere nequit: vulpes insidiosa, & ad dolos concinnandos sagax: cervus timidus, laboriosa formica; canis gratiosus, & iusta semel amicitia tenax, ac memor: Leo animosus, ideóque solitarius: velut enim tyrannus animantium pares honores, congressiones cum cæteris non acceptat, sed aspernatur, qui neque ad pabulum hesternum accedit, neque ad reliquias venationis suæ unquam redit. Vehemens est Panthera, impetuosa, & pernix, ideóque flexilis, & agilis: pigerrima est ursa, solitaria, & dolosa.*

42. Hæc omnia animantium genera producta fuerunt à Deo sexta die, fuerúntque terræ fœtus, cùm jusserit rerum Sator ex terra produci animam viventem. Paruit enim terra voci sui Conditoris, & materiam suppeditavit, quâ animalia quæque effingerentur, & quia didicerat, vel ab ipso mundi exordio terra Deo parêre, paruit semper imposterum ejus nutui, quando sinum suum disrupit patente hiatu Numini rebelles voratura: nimirum ea est obedientiæ suavitas, ut semel impleta dediscì difficulter possit, cupiátque semper Deo parêre, qui semel paruit; utinam homines perinde ac terra didicissent Deo parêre? lapsu Protoplasti non præcipites ruissemus in ærumnarum, miseriarúmque baratrum. Si homines didicissent statim Deo parêre, non cecidissent, nec secundò vocati, fuissent obluctati. Quia verò Abraham divino obsecuturus jussui patria egressus Ægyptum extorris fuit ingressus; non detrectavit postea filium Isaacum è proprio abstrahere sinu, Deóque immolare, cùm enim didicisset primo parêre Dei jussui; volupe ipsi fuit præcipienti Deo iterum obsequi etiam cum jactura proprij filij

§. VI.

Homo ad imaginem, & similitudinem Dei conditus fuit, ut intellectu clariùs eum cognosceret, voluntate ferventiùs amaret; & per uberiorem divinæ perfectionis participationem proximiùs ad suum accederet Conditorem.

43. Conditis jumentis, reptilibus, & bestijs eodem die sexto, effictus quoque ex humo homo fuit, dixit Deus, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quibus verbis alloquitur Deus Pater non Angelos, quasi ipsis præceperit humanæ fabricæ structuram, sibique tantùm reservaret fabricam animæ rationalis, uti putârunt præ cæteris Plato *in Timæo*, & Philo *lib. de opific. sex dier.* quod tamen placitum SS. Patres præsertim Augustinus detestantur, ut impium, quia Deus opus non adhibuit Angelorum; sed per se ipsum corpus hominis è limo terræ effinxit, ejúsque animam creavit, ídque vel ex eo infertur, quia Deus non dixit, *facite* ad imaginem vestram: sed *faciamus* hominem ad imaginem nostram, unde Deus Pater alloquitur alias duas divinas personas Filium, & Spiritum Sanctum, ejusdem secum naturæ, potentiæ, & operationis, ut notat D. Basilius. Verùm si totæ tres personæ non solùm hominem, sed & reliquas condiderunt creaturas, cur in sola hominis productione mentio fit trium personarum? quia nimirum Deus hominem conditurus; veluti rem magnam moliturus deliberat, & consultat; *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* cùm sit homo imago Sanctissimæ Triadis, ejúsque sapientiæ testimonium, opúsque perfectissimum; síque, ob quem conditæ fuerant reliquæ omnes creaturæ, mundúsque totus, complectatúrque ipse gradus rerum omnium spiritualium, & corporalium, ac vocetur propterea Microcosmus; ideo majore videbatur ejus creatio indigere deliberatione: & à Platone Horizon dicitur universi disterminans superius hemisphærium ab inferiore, quatenus homo conjungit in se creaturas superiores, seu Angelos cum inferioribus; convenit enim homo cum Angelis, quatenus intelligit, liberè vult, discurrit, & nobiliore sui parte est spiritualis; & communicat cum brutis per sensus, quibus videt, audit, olfacit, gustat, palpat, comedit, dormit, & alia id genus præstat brutis communia: hinc S. Clemens. Deum hominis Satorem alloquens ait: *Formâsti hominis corpus ex quatuor elementis, animam verò ex nihilo, & quinque sensus ad certamen virtutis dedisti, & mentem ipsius animæ tanquam aurigam sensibus præfecisti.*

Lib. 10. de Civit. cap. 5.

In Hexam.

Lib. 7. const. Apostol. cap. 35.

Hinc Deus mundum hunc sensibilem instar ornatissimi condidit palatij, instruxitque propterea illum rebus omnibus, quæ ad usum, oblectationem, & scientiam erant opportuna; & hæc etiam ratio, cur Deus hominem post cæteras condiderit creaturas; priùs enim debuerat palatium construi, ornari, omnibúsque non solùm ad humanæ vitæ sustentationem necessarijs instrui, verum & ad sensuum oblectamenta, animíque voluptatem, floribus, plantis, arboribus campis, montibus, vallibus, hortis, viridarijs, fontibus, ac fluminibus locupletari, ut delicijs affluens homini etiam esset oblectamento, cùm primùm in mundum induceretur, fierétque ejus Incola. Placuit etiam Diogeni teste Plutarcho asserere, mundum quasi templum Deo sacrum, ac pulcherrimum conditum fuisse, in quo homo induceretur, ut ejus esset Antistes, & sacerdotio fungeretur pro cæteris creaturis, ac Numini gratias ageret pro tot beneficijs, quibus singulas in mundo creaturas cumulavit. 44.

Lib. de Tranquil. animæ.

lavit, simúlque propitium ijsdem Deum redderet, non tam fusis precibus, quàm immolatis victimis, quibus Deum flecteret ad uberiora addenda bona, & mala quæque excludenda: & hæc forrassis ratio, cur in veste Poderis summi sacerdotis Aaronis totus esser terrarum orbis descriptus. *Sapient. 18.* Unde Lactantius de ira Dei cap. 14. *Sicut mundum propter hominem Deus machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum, rerúmque cœlestium. Solus enim est, qui sentiens, capax rationis, intelligere possit Deum, qui ejus opera admirari, virtutem, potestatémque perspicere valeat; ideóque sermonem solus accepit, linguámque cogitationum interpretem, intellectum rerum omnium lustratorem, & exploratorem, ut enarrare majestatem Domini sui posset.*

45. *Epist. 38.* Autumat nec abs re D. Ambrosius hominem eatenus a Deo post omnes, & singulas conditum creaturas, ut cùm esset earundem donandus imperio, inveniret statim, quibus præesset; seu omnes mundi opes, totam plantarum supellectilem, florum venustatem, pratorum amœnitatem; volucrum species singulas, piscium totum squamigerum gregem, animalium quadrupedium genera, in quæ omnia suum exerceret imperium, essétque quasi Rex elementorum, per quæ veluti per quosdam gradus dirigente ratione, prælucente intellectu, vigente voluntate ad cœli conscenderet regiam, ait Ambrosius: *Hujus difficilis itineris viatorem non facilè reperies, illum virum, qui ita animi inductione formatur, ac voluntate, ut minima sit cum suo corpore familiaritas; neque in ullum ingrediatur vitiorum contubernium, nullus assentationum pumicetur sermonibus, neque in rotis secundorum temporum positus humiles fastidiat, mœsta fugiat, sanctorum laudes excutiat, & elevet, cujus animam non inflectat mœstitia, non frangat injuria, nulla solicitet suspicio, libido non exagitet, non expugnent passiones corporis, non inquietet vanitatum appetentia, voluptatum gratia. Meritò ergò postremus quasi finis naturæ formatur ad justitiam inter cætera animantia justi arbiter. Rectè igitur novissimus conditus fuit quasi totius summa operis, quasi causa mundi, cùm propter hominem facta sint omnia, quasi omnium habitator elementorum: inter feras vivit, cum piscibus natat, super aves volat, conversatur cum Angelis, terram inhabitat, cœlo militat, sulcat mare, aëre pascitur, cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, auceps in aëre, hæres in cœlo, Christi cohæres.*

46. Subit tamen mentem dubitatio, in quónam sita sit in homine imago, quâ Deo est persimilis. Non enim homo intelligitur idea hominis abstracti, & universalis, qui sit causa exemplaris omnium singularium hominum, ut ex Platone perperam censuit Philo; idea siquidem hominis abstracti cum ab æterno extiterit in mente Dei, non fuit initio temporis cum cæteris condita creaturis. Cum igitur Deus dixit: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, hominem intellexit non in idea, sed extra mentem productum, seu Adamum primum hominem, primum parentem.

Sed dubium mentem pulsat, in quónam sita hæc Dei in homine imago, & similitudo. 47.
Scio variè, ac diversimodè de hac imagine sensisse sanctos Patres: ait enim D. Basilius. *Homil. 10. Hexam.* *Per imaginem animæ impressam mea obtinui rationis usum: verùm Christianus effectus, utique similis efficior Deo.* D. Chrysostomus *homil. 9. in Genes.* censet, hominem dici conditum ad Dei imaginem ob principatûs rationem; & ad similitudinem, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo, mansuetudine, lenitate, cæterarúmque virtutum studio, quod & Christus dicit: *similes estote patri vestro, qui in cœlis est.* Hoc idem etiam sentit Augustinus; *Libro contra Adimantium cap. 5* & D Bernardus ait, *Lib. 1 de anima.* imaginem hanc Dei hominis præseferre animam, inquiens: *Imago siquidem in gehenna uri poterit, non exuri, ardere, sed non deleri*, quia nimirum nulli obnoxia corruptioni, nec interitui, torqueri quidem potest gehennali igne, non destrui. per similitudinem autem intelligit culturam virtutum, seu animæ ornamenta, ac studia pietatis. Subdit Bernardus, *similitudo non sic, sed aut manet in bono, aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter jumentis insipientibus similata*, cum igitur animi ornatus, utpote adscititij obliterentur accessu peccati, quo miserè anima devenustatur, omnibúsque suis spoliatur ornamentis, fit, posse quidem in homine deleri Dei similitudinem, non ita obliterari imaginem.

Idque procedit, si à similitudine sejungatur imago, quæ tamen à plerisque haud distinguitur, censentes particulam Et, ad imaginem, & similitudinem minimè disjunctivam esse, sed copulativam; ut sensus sit ad imaginem similitudinis, seu ad imaginem similem, ut innuitur *Sapient. 2.* idque ex eo videtur vero similius, quia scriptura promiscuè usurpat hæc nomina: siquidem *Genes. 9.* dicitur homo factus ad imaginem Dei, & *Genes. 5.* ad similitudinem Dei, & *Genes. 1.* ad imaginem, & similitudinem Dei. Non tamen putes, hominem Dei esse imaginem, quatenus Deus est summum bonum complectens totam, & inexhaustam perfectionum plenitudinem, non enim homo est æternus, omniscius, omnipotens, immensus ut Deus; sed tantùm est Dei imago quoad illa atributa, quæ munifica largitate Deus creaturæ communicat intellectuali. Hinc hæc Dei in homine imago relucet in hominis mente, eò quia sit 48.

homo

homo naturæ intelligentis, sitque animal rationale: per rationem siquidem mentem, & intellectum homo Deum refert, cui præ cæteris creaturis est similior, seu proximius accedit ad Deum, quatenus per uberiorem divinæ perfectionis participationem cæteris creaturis perfectione antecellit.

49. Est anima in homine Dei imago, quia perinde ac Deus, ab omni est materiei sejuncta crassitie, nulli obnoxia interitui, à quavis corporis fœce defœcata in partes minimè sejungenda, sed prorsus individua, indivisibilis, ut ipse Deus. Ex eo autem, quòd interitui obnoxia non sit, sequitur, esse æternam à parte post, & immortalem; in quo censet Origenes sitam esse hanc in homine Dei imaginem, quia sicut Deus æternus est, & immortalis, ita & anima, hoc tamen discrimine, quia hæc in tempore creata æternùm est duratura, Deus verò, quia simplicissimus, & totam includit perfectionum plenitudinem, & est à se, omne respuit initium, cùm semper fuerit, sit, ac futurus sit, quod est; non enim Deus præteritum novit, aut futurum, sed tantum præsens indefectibile, non fluens, sed stans; non oriens, nec occidens, sed jugiter vigens.

50. Rursus ex eo, quòd sit anima, à quavis corporea mole discreta, & spititualis, est intellectu, voluntate, & memoriâ prædita, quibus præ cæteris animantibus est homo sagax, multiplex, acutus, acer, memor, plenus rationis, & consilij: est enim intellectus in homine mens, quæ res omnes abditas investigat, comprehendit, digerit, componit, cui tributum est ab optimo parente Deo, non solùm ut cæteras animi facultates arbitratu suo moderetur, verùm etiam, quæ lunæ complexu coërcentur, veluti proprijs utatur; est enim mens in homine, quæ veluti illuminata syderibus leges appetitui repugnantes præscribit, quæ frœnum injicit passioni reluctanti. Voluntas est altera in animo facultas, quâ homo reliquis dominatur, tantæ firmitatis, ut vis nulla mortalium movere eam possit nisi volentem, neque de suo gradu dejjcere nisi annuentem; neque ad unum potiùs, quàm alterum adigere, nisi consentientem; nulla siquidem pars animi ita est sui juris, sicut ipsa voluntas, quæ in suam trahit potestatem appetitus omnes, sensúsque omnes. Tertia in animo facultas est memoria insidens intimo capite ad imas aures: ibi enim fertur cella nescio quæ angustissima loco, capacitate latissima, dispositione mirifica inesse, in quam mirifico quodam naturæ artificio veluti distinctam sedibus, distributam armarijs, divisam loculis, instructam arculis, quasi in ærarium, thesaurúmque amplissimum asportari dicuntur rerum omnium species: sitque propterea thesaurus non gemmis, non margaritis, non auro, argentóque refertus, sed rebus pretiosioribus, quas sensibus percepimus, vel mente concipimus, vel ipsis cogitationibus fingimus. In hoc itidem ærario conditæ asservantur res à nobis gestæ, fictæ, dictæ, lectæ, selectæ; latent enim in illis receptaculis hæc omnia in suis imaginibus, ac simulacris, quæ per sensuum vehicula transmissa fuerunt in sanctius hoc memoriæ ærarium. In hac igitur triplici potentia intellectûs, voluntatis, & memoriæ censet Damascenus sitam in homine Dei imaginem.

51. D. Ambrosius tamen hominem dicit Dei imaginem, eò quia libero gaudeat arbitrio. Nissenus ex eo, quòd sit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, visionis Dei, omnísque boni, adeò ut hæc capacitas sit in homine Dei imago. D. Basilius hanc sitam esse in eo putat, quia præsit homo sua potestate cunctis animalibus, quibus dominatur: & etiam, quia contineat homo cæteras creaturas, quatenus intelligendo fit omnia, quo pacto dicitur homo continere omnia, ac similis esse Deo, in quo omnes res continentur. Augustinus (*Lib. 10. de Trinit. cap. 10.*) tamen luculentiùs hanc explicat similitudinem, quia sicut Deus Pater per intellectum se cognoscens producit Verbum, seu Filium, quem cùm amat, producit Spiritum Sanctum: ita homo intelligendo se ipsum producit in mente verbum intelligibile suiipsius expressivum, sibíque simile, ex quo procedit in voluntate amor. Igitur est homo imago, & similitudo Dei primò ratione dominij homini dati in cæteras animantes. (*Genes. 1.*) *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli.* Secundò ob similitudinem divinarum virtutum. Tertiò ob modum existendi in rebus, etenim neque Deus, neque anima rationalis cùm sint spiritus, nullo circumscribuntur loco. Quartò ob libertatem arbitrij. Quintò ob carentiam materiæ, & ex eo, quòd nulli sit animus interitui obnoxius. Sextò ob cognitionem Dei, amorem, & cultum: nil enim horum habet homo commune cum bestijs. Septimò ob sapientiam, & providentiam, quarum ope cognoscit homo finem suarum actionum, quas eò dirigit, quò tendere debet. Octavò ob actus intellectûs, & voluntatis, quibus verbum suipsius expressivum producit, & amorem. Hæcque imago Dei in homine est naturalis, quæ neque peccato deletur, est siquidem ipsi naturæ intimè, & indelebiliter impressa; ut obliterari nequeat, nisi natura ipsa penitus destruatur.

Præter hanc naturalem Dei imaginem adhuc alia supernaturalis homini inest sita in gratia justificante, donisque supernaturalibus; est siquidem gratia sanctificans, quâ homo fit consors naturæ divinæ; perinde

ac anima; quia imago est naturalis Dei Conditoris, vitam impertitur corpori; ita gratia, quia imago est supernaturalis Dei, vita est animæ: & eum utráque imagine conditos fuisse Protoplastos nulli est dubium cum ipsis in primo suæ creationis instanti cum gratia sanctificante infusæ fuerint simul omnes virtutes theologicæ, & morales, ut etiam justitia originalis, quæ præter præfatos virtutum habitus quandam specialem includebat assistentiam, Deique assiduam manutenentiam, quâ motus omnes appetitus inferioris sive irascibilis, sive concupiscibilis rationi obtemperarent: hac enim præveniente impediebantur, ne moverentur contra dictamina rectæ rationis, regulásque honestatis: sicut enim appetitus inferior rationi subjiciebatur, cui obsequebatur, ita etiam ratio Deo, ut nonnisi juxta æternas regulas quidquam præscriberet appetitui inferiori, ut hinc oriretur interna pax, rectitudo, & sanctitas, ut perpetuâ frueretur homo tranquillitate, quam nisi peccâsset Adam, in posteros eam transfudisset.

§. VII.

Deus sui tesseram amoris daturus homini rerum omnium mortalium, & immortalium, cælestium, terrestrium impertitus est perfectiones, quibus cæteris antecelleret creaturis.

53. QUàm beneficus est, & munificus Dei amor in hominem, cum tot favoribus, ac beneficijs eum cumulaverit? nec aliud est amare, quàm velle alteri, quem amore prosequimur, bonum, & Deus quidquid in mundi molitione condidit, totum homini voluit, eique dedit. Extollamus in cœlum oculos, miremúrque immensos illos orbes sine colore cæruleos, sine igne lucidos, sine defatigatione circumactos: tot astra in ijsdem scintillantia, æternúmque lucentes faces, & ex istis alias alijs majores, alias junctas, dissitas, sine numero in numerum suas ducentes choreas, Solem astrorum tenentem principatum ita moveri, ut cum terras larga luce impleverit, easdem modò his, modò illis in partibus pertranseat; & ipsa terræ umbra noctem efficiat, cujus beneficio solis æstus temperantur; & arescentes ex diurno calore arbusta nocturno rore imbuta restaurantur. Miremur astrum istud aureum, cœli vigilem oculum, lucis parentem, quo in hoc spectabili mundo nil est pulchrius ad speciem, nil ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius, nilque ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos usus invehendam efficacius: miremur inquam solem vim totam vitalem, ac salutarem corporibus tum vegetantium, tum sentientium, ac discurrentium communicantem. Inspiciamus nocturnam mundi accensam lampadem lunam, annuos cursus, spatijs menstruis attingentem, modò æqua portione divisam, modò in cornua curvatam, & nunc in orbem sinuatam. Descendamus ad aërem modò nubibus fœdum, grandine turbatum, pluvijs madidum, fulgetris coruscum, fulminibus armatum, nunc puro fluore tranquillum, nunc cometis minacem.

Ab aëre nos demittamus in aquas, ubi 54.
longè, latéque diffunditur æquor, vel fluvij obliquis, rectísque meatibus decurrunt suos in mare exoneraturi fluctus; & mare modò ventis exagitatum fluctibus intumescit, procellis periculosum; & nunc pristinæ restitutum tranquillitati subsidens malaciâ eblanditur; inde lustremus terrarum tractus alios assurgentes in colles, & montes, alios descendentes in ima vallium: alios in camporum planities se dilatantes, & hìc frondescere in plantas, illic lascivire in flores, alibi virere in pratis, vel sylvescere in nemora: hæc enim omnia, & singula propter solum hominem condidit munificus Deus tesseram sui amoris ei exhibiturus, quem etiam solùm ex animantibus voluit sagacem, multiplicem, acutum, memorem; rationis, & consilij plenum, ut saperet, intelligeret, prævideret, & provideret; imò eidem unico elargitus est æternitatis æmulam immortalitatem; animum scilicet individuum, ac simplicem, impartibilem; qui nec dirimi possit, nec distrahi, sitque totus in singulis corporis membris infusus, & diffusus, ut omnibus, singulísque artubus vitam impertiatur, & motum, sitque, vel solus homo epitome totius universitatis in eodem contractæ; est siquidem in ipso vita, quâ stirpes imbutæ vegetant; sensus, & motus, quibus animantes rationis expertes pollent; intelligentia; quâ mentes illæ cœlestes à mortali concretione sejunctæ omnia intelligunt, lustrant, cognoscunt; liberum arbitrium, cujus beneficio sui juris, suæque spontis est voluntas, cui nullæ possunt compedes injici, nullo cogi imperio.

Est itidem præteritorum memor, præ- 55.
sentium sagax, futurorum providus viribus instructus, sensibus munitus, intelligentia vigens utque omnia intelligeret; quia non ut cætera animalia in ventrem proijcitur, sed staturâ est homo rectus, celsus, & excitatus, ut ex humo promptiùs, faciliúsque se converteret ad syderum aspectum, & è cœno ad cœlum suos dirigeret oculos, seu alliceretur à venustate sui domicilij, sibi à Deo Satore præparati, ut Deo consociatus perpetua donetur felicitate: & hæc ratio cur plenus sit

rationis, memoria instructus præteritorum, præsentium ornatus animadversione, providentiâ præditos futurorum, ut cœlum animo conciperet, & per studia virtutum, exercitia pietatis, culturam justitiæ illud consequeretur; agnosceréque non tam sibi, quàm Deo se natum; & legis æternæ sibi primùm, deinde alijs suasor esset, & interpres; cùm sit homo appetens societatis, omnis humani, divinique juris debuit intelligens esse, ut justitiæ diligens, & cultor honestatis, officijque moderator haberetur, ac humanitate esset blandus, comitate affabilis, religione pius, liberalitate munificus, innocentiâ simplex, puritate castus; leges conderet, alios regeret, & ad eum dirigeret finem, ob quem fuit homo a Deo conditus.

56. Imò Deus uberiora daturos homini sui amoris documenta in eodem rerum omnium genera illigavit mortalium, immortalium, cœlestium, terrestrium, ut suo complexu comprehendat, possideátque vitam arborum, sensum animalium, rationem Angelorum, imperiúmque divino simile: in quatuor itidem corporis humoribus terram devinciret, aquam, aërem, & ignem, & sydera ipsa vultu, oculisque exhiberet, & quamvis claritate cœlestia non æquent sydera, supparem tamen haud exhibent præstantiam. Imò præter astra minora exteriùs in oculis splendentia, duo adhuc in homine collucent splendidissima sydera, ratio scilicet, & oratio, quæ referunt illas lampades maximas astrorum Principes, quarum altera diem accendit, & alia noctem illuminat, ac tenebras mitigat; sicut enim duo hæc luminaria magna cœlo, in quo fixa circumaguntur, plurimum adjiciunt ornamenti, mundúmque inferiorem, cui præsunt, illuminant: ita ratio, & oratio hominem mirificè ornant, & caput, in quo proprias obtinent sedes, mirificè decorant, nobilitántque reliquum corpus, cui præsunt. Quòd si duo illa in cœlis luminaria dierum, noctiúmque curriculis menses ordiuntur, annos texunt, & annis series addunt sæculorum; ratio, & oratio in homine vitam humanam auspicantur, quæ tum animi luce, tum corporis tenebris, tum prosperitatis, ac felicitatis permixtione dierum, noctiúmque vices exhibeont, tempúsque protrahunt in menstruas, annuásque occupationes. Certè maxima sunt hæc Dei amoris in hominem documenta, cùm quidquid cæteris est elargitus creaturis, in uno illigaverit homine, quem ad imaginem, & similitudinem suam condidit: & quamvis hæc Dei imago in corpore hominis, propriè non reluceat; resplendet tamen quodammodo, quatenus corpus hominis imago est mentis; statura enim recta, & vultus in cœlum erectus animum prodit corporis moderatorem cœlesti saltem origine æternitatis capacem, intelligentiâ plenum, consilio, & prudentia pollentem, & tunc sapere, intelligere, providere, proinde quamdam Dei similitudinem præseferre: si enim mirum est corporis opificium, certè longè præstantius erit illud animi; si enim tanti æstimatur vitrum, quanti non debet margaritum, vel adamas fieri?

57. Quòd verò corporis opificium prorsus mirabile sit, ex eo conjicitur, quia Deus, ut ait Lactantius Firmianus. Solidamenta corporis, quæ ossa dicuntur nodata, & adjuncta, invicem nervis illigavit, & constrinxit: quibus mens si excurrere, aut resistere velit tanquam retinaculis uteretur, & quidem nullo labore, nullóque conatu, sed vel minimo nutu, totius corporis molem temperaret, flecterétque: & aut visceribus operuit, ut quem deceret, locum haberent, & perinde ac ossa solida tegerentur. Rursus visceribus ipsis venas admiscuit quasi rivos per universum corpus divisos, per quos discurrens humor, & sanguis omnia, & singula membra succis irrigaret vitalibus: hæc præterea viscera in eum formata modum, quod unicuique generi aptum fuerit superjecta pelle contexit, quam vel sola pulchritudine decoravit, vel septis adoperuit, vel squamis munivit, vel plumis insignibus adornavit. Illud verò commentum Dei mirabile, quod una dispositio, & unus habitus innumerabiles animantium prælerat varietates. Nam in omnibus fere, quæ spirant, eadem series, & ordo est membrorum. Primum enim caput, & huic annexa cervix, item collo pectus adjunctum, & ex eo prominentes humeri, adhærens pectori venter, ultimo loco femora, pedésque, nec solùm membra suum tenorem, ac situm in omnibus servant, sed etiam partes membrorum, nam in uno capite certam sedem possident aures, certam oculi, nares, os, & in ore dentes, & lingua. Hactenus Firmianus. Ex eo autem, quòd cætera animantia prona sint in humum, & in ventrem projecta, & solus homo statura sit rectus, inde monetur cœno non adhærere, sed cœlo inhiare, ut enim cecinit Poëta

Pronáque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlúmque tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus,

Lib. de opific. Dei cap. 7.

58. Hoc est mundum Deus homini condidit, & hominem sibi, hic enim finis, hæc meta, in hunc scopum omnia nostra dirigenda sunt studia, ut Deum enanciscamur, eíque adhæreamus cum lucem, quá frui-

fruimur; spiritum quem ducimus; commoda, quibus utimur ex munifica, ac benefica largitate enacti fuerimus antequam nati: iis utamur, sed non abutamur, ut nos adducant ad Deum, non abducant à Deo, qui omnia regit, singula gubernat, cursum astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines in nostra dirigit commoda. Quis tam vecors, qui cùm cœlum suspexerit, Deum non videat sibi beneficum? eum quidquid splendet in cœlo, movetur in aëre, innatat aquis, floret in campis, maturescit in plantis propter hominem, ut ejus consuleret commodis, condiderit? Hæc igitur est hominis felicitas, hæc sola beatitudo, Deum nosce, eique servire, æternúmque suâ potiri contemplatione: hinc Augustinus 1. confess. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum; donec requiescat in te:* cœlum enim & terra, omnisque, quæ nos circumstat creatura clamat, ut Deum amemus, & per miram creaturarum varietatem assurgamus ad luculentiorem Dei notitiam, quâ in summi Boni amorem trahatur voluntas: ex mundi enim, & totius creaturæ sensum ferientis externum seria perpensione ad opificis Dei existentiam, & bonitatem evincendam, ac veluti sensibiliter exhibendam, per gradus quosdam ascendidimus. *Via enim nobis*, ait Clemens Romanus: *ad intellectualia, & invisibilia, ab his, quæ videmus, & contrectamus: datur; sicut continetur, in arithmeticis disciplinis, ubi sùm de divinis quæritur ab inferioribus ad superiores numeros ascenditur. Cùm verò de præsentibus, & visibilibus ratio exponitur, de superioribus ad inferiores numeros ordo dirigitur.*

1. recognit.

59. Liber est cœli amplitudo, aëris latitudo, & terræ mira varietas per sensus nos docens explicatiùs sapientiam Conditoris, quam contemplemur; bonitatem Satoris, quam amemus; sunt enim creaturæ omnes natura discrepantes, proprietatibus differentes, genere diversæ, specie variæ, sive aquis innatantes, sive aërem percurrentes, sive in campis germinantes, sive in cœlis splendentes, clamores quidam naturæ Opificem suum promulgantis, ut etiam, non cognoscentes literaturam, introeant in potentias Domini; verámque hauriant doctrinam, quam creaturæ omnes edisserunt, ut enim ait Augustinus. *Non divinorum librorum tantummodo authoritas esse Deum prædicat: sed omnis, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus universa ipsa rerum natura, proclamat habere se præstantissimum Conditorem:* cujus sapientiam series, & ordo partium mundum compingentium luculenter ostendit; etenim si nihil primum in ordine causarum assignetur, & unaquæque causa ab alia in infinitum pendeat, consequens est, visibilem hanc mundi machinam, casu ita dispositam, ac si nulla voluntas sit superior, à qua fuerit ordinata in unum aliquem omnium finem; proinde esset veluti chaos absque ulla causarum, effectuúmque conspiratione, & concentu; quod prudens quisque æstimator, ut & quivis alius, nisi prorsus cæcutiat, statim videt esse incredibile; præsertim in tam mira dissentientium creaturarum consensione, partiúmque sibi adversantium conspiratione, & contrariorum harmonico concentu. Hinc si animalia, & plantas casu fieri non dicimus; quantò magis id de universo asserere fatuum erit?

11. de Civit. c. 8.

60. Certè quis nisi mente captus dixerit suspiciendam rerum connexionem, consensionémque tam variarum naturarum in unam, eandémque totius harmonici universi conspirationem nullo dirigente supremo Opifice casu obtigisse? Id ut argumentatur Tullius, perinde foret, ac annalas Ennii, aliúdve spissum opus ex innumeris propemodum litterarum compactum formis, casu, & sine ordine in terras excussis coaluisse; aut prolixas tabellas pluribus elegantioribus depictas figuris, ex fortuito colorum in ipsas delapsu artificiosissimè potuisse pingi; vel ingentia palatia ex lignorum, lapidúmque fortuito concursu potuisse construi, & in eo distingui miro, & eleganti ordine pavimenta, lacunaria, cameras, contignationes, scalas, tectum, ostium, vestibulum, areas, fenestras, conclavia anteriora, supera, infera, interiora, cubicula, aulas, porticus, Musæum, vastiaria, zetas, horrea, speculas voluptarias, podia, turres, cellas vinarias, lignarias, penuarias, panarias, pistrinas, cœnaculum, coquinas, stabula, & alia ad structuram perampli palatij accersita; quòd si ex mira hujus perampli palatij structura conijcimus, artificem aliquem in tam varias, & elegantes partes ædificium divisisse, plurésque Operarios desudâsse in fabricæ jaciendis fundamentis, erigendisque parietibus: ita ex mira totius universi constitutione Sapientissimi Artificis Dei non possumus non mirari sapientiam, & admirari Bonitatem, quam enixim amemus, eique jugiter indeficiente hæreamus affectu, rectè Epictetus apud Arianum. *Ex apparatu ipso operum solerti, & artificioso pronunciare solemus effectorem esse artificem aliquem, nec temerè, & casu evenisse ista: ergo horum quidvis suum nobis declarat artificem: aspectabilia verò illa in mundo corpora, inspectiones etiam, & oculis undique lumen effusum Opificem suum non testabuntur?* Artificiatum quodvis peritiam sui prodit artificis: neque statuam ad singularem sculptam elegantiam, omnibúsque suis absolutam numeris sine artifice in arte perito pu-

2. de natur. Deorum.

Lib. 2. cap. 6.

putamus prodiisse. *Et cum statuam* ait Trismegistus cap. 5. Pimandri *Absque fabro, & pictore fieri nullus asserere audeat, miram mundi hujus constitutionem sine conditore constitisse putabimus?*

61. Est enim partium mundi ad se invicem communis affectio ineluctabile argumentum, quo Opificis Dei summam Sapientiam, infinitam Bonitatem inferimus, quod argumentum expressit Basilius inquiens: 4. Hexam. *Terra est sicca & frigida, aqua humida & frigida, aër calidus, humidus; ignis calidus, & siccus: sic enim fit qualitatis convenientia, & consensus, ut vis progrediatur, quâ alterum cum altero misceatur. Nam & in proximum elementum se quodque vertit propter communem qualitatem, & propter contrariorum propinquam communionem coaptatur: veluti ut terram, quæ sicca est, & frigida, frigoris cognatio cum aqua; sic cum aëre aqua contingit, & copulatur, quoniam is aqua interjecta quasi duarum impressione cum utraque qualitate adjacente, cum terra frigore, & cum aëris humore copulatur. Rursus aër medio suo quasi sequester naturam pugnantem ignis, & aqua sibi conciliat, aquam humore, ignem calore. Ignis porrò qui calidus, & siccus est calore cum aëre colligatur, siccitate in terra societatem revertitur. Ita orbis & progressus quidam aptus existit elementorum, quæ inter se conveniunt & consentiunt omnia. Hinc propriè elementorum eis nomen accommodatum est.* Hactenus Basilius, qui nomine elementi Orat. pro Christianis. consensum, seu concentum designat, quasi mundus, ut notat Athenagoras, musicum sit Dei organum, & universum hoc, ut ait Philo Lib. de plantat. Noë. tanquam in literata musica concinat minaces contrariarum naturarum concursus dirimente suadela divino arbitrio interposita.

§. VIII.

Dei amor in hominem opere impensiùs, quàm voce se prodit; & harmonico rerum concentu eum allicit ad cœlestia possidenda, quæ nulli sunt interitui obnoxia.

62. A Deo Deus hominem adamavit, ut harmonico rerum concentu voluerit eum allicere ad ea possidenda bona, quæ munifica largitate fuerat ei impertitus in mundi molitione, ut iisdem cum animi oblectamento frueretur. Sterilis non est amor Dei in hominem cum tot bona, quot sunt creaturæ, ex quibus mundus coalescit, pepererit: ut nimirum edoceremur opere impensiùs, quàm verbo, & nos Deum redamare: etenim si verus est amor, prodigus est, non parcus; & quamvis prisci homines carere oculis Amorem crediderint; non tamen eum manibus putârunt destitutum. Amare, & manum claudere, perinde est, ac solem noctem parere, non diem invehere: qui verè diligit promptiùs manum, quàm os aperit; & opere fortiùs, quàm verbo se prodit. Jonatas dilexit Davidem veluti animam 1. Reg. 18. suam: *dilexit eum Jonatas quasi animam suam*: verùm non linguâ, sed manu suum Jonatas in Davidem comprobavit amorem: *Nam exspoliavit se Jonatas tunica, quâ erat indutus, & dedit illam Davidi, & reliqua vestimenta sua*, nimirum amor prædator est amantis, quem etiam tunica spoliat induiturus dilectum: ex amore prodire liberalitatem ex eo crediderim, quia ad incrementum amoris crescere, & liberalitas semper consueverit: imò non tantùm Jonatas spoliavit se tunicâ, quâ Davidem indueret; verùm & reliquis se vestimentis nudavit, quia amor nuditate gaudet, quâ pectoris aperiat sinceritatem, cordisque candorem: neque propterea Jonatas quidquam sibi reservavit, quod Davidi, quem vero, sinceróque amore, prosequebatur, non extraderet. Adeo cum amore connexa sunt munera, ut ubi hæc desunt, & ipse amor deficiat: nihili æstimatur amor, si tantùm ex ore prodeat, non ex munifica manu exiliat, hinc Joannes in divini amoris schola eruditissimus ait: *Filioli non* 1. Joan. 3. *diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate*, non quòd lingua inficiari debeat, quem præcordia profitentur amorem, sed quia verus amor non est, qui tantùm ludit in verbis, & non nutritur in opere; qui tantùm nascitur in ore, & non adolescit in manu: ea est vera dilectio, quæ operibus comprobatur.

Hinc Deus, quia hominem adamavit, 63. operibus suum voluit amorem comprobatum; non solùm suæ participem bonitatis instituit, cùm ex nihilo traduxit ad rerum omnium creaturarum usuram, eique impertitus fuit corpus rectum, quo cæteris dominaretur animantibus, & promptiùs cœlum suspiceret, ob quod conditus fuit; verùm etiam animam nulli obnoxiam interitui, ab omni materiei crassitie sejunctam impartibilem, individuámque, ac sibi similem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: Quàm munificus, quàm o- Genes. 1. peratorius, ac fœcundus est Dei amor in hominem? quem tot beneficiis cumulavit, tot honoribus insignivit, tot creaturarum divitiis locupletavit? Hinc David: *Tu dixisti, & facta* Psalm. 140. *sunt; tu mandâsti, & creata sunt*: amavit Deus hominem nec aliter hunc suum explicuit amorem, quàm operibus, bonisque quibus hominem cumulavit, mundum enim propter hominem condidit, & hunc propter se ipsum, est enim Deus finis, meta, & scopus hominis: lucem quâ fruimur; spiritum, quem ducimus; commoda, quibus utimur munifici sui amoris agnoscimus esse notas; vult tamen Deus, ut iisdem utamur quidem, sed non abutamur: nimirum ut quæ munifica manu est nobis elargitus, nos ad ipsum adducant, non abducant. Quis enim tam

 vecors,

vecors, qui cùm cœlum suspexerit non videat esse Deum, qui cursum astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, cœlorum ordines, conservat, regit, & gubernat?

64. Ex hoc enim mundi apparatu, partiúmque concentu Deum intulit Justinus. Sciscitanti enim græco cuidam, unde evincator, Deum existere: respondet, argumento id demonstrari luculentissimo, non per aures, sed per oculos instruente homines, nimirum ex rerum, quæ extant, constitutione, ac perseverante diuturnitate, quæ providentiam, mundi rectricem apertè indicat. Hanc mundi constitutionem, ejúsque partium harmonicum concentum, Dei existentiam evincere præclarè ostendit S. Athanasius oratione contra idola post medium inquiens: *Quis cerneus contrarias inter se naturas, coaptatas tamen esse, & concordem harmoniam tenere, veluti quis videns ignem frigido, & siccum humido commixtum esse, atque hac sibi invicem non resistere, sed unum quasi corpus absolvere, non secum cogitet, foris, & seorsim esse eum ab istis, qui ista in hunc modum conjunxerit?* Et paucis interjectis subdit: *Quis animadverso in dissimilibus, contrariisque, parem, similémque ordinem ex illis constari, non animo ratiocinetur unam esse vim, potentiámque, qua ista dispenset, & gubernet, pro cujus arbitrio omnia ita ritè in eo statu perseverant? Ipsa enim per se nunquam vel constiterint, vel apparuerint, ob mutuam, qua in illis est naturæ discordiam.* Est post non multa pergit inquiens: *Non igitur pugnantia, & contraria ex ipsa natura in unum coalescerent, nisi præstantior aliquis esset, & Dominus, qui ea conjungeret, cui & ipsa elementa tanquam ancillæ dominæ sua obsequentes cedunt, & obtemperant. Non enim singula ad suam ipsorum naturam respectantia eum alijs depugnaut; sed eum, qui ea ita coagmentavit, Dominum agnoscentia, concordiam inter se fovent: & naturaliter quidem inter se contraria gubernatoris tamen voluntate, in amicitiam conciliantur.*

Quæst. 6. ad Orthodox.

65. Mundum igitur rerum omnium Sator Deus condidit propter hominem in sui amoris tesseram, quem cùm amat, bonis, ac beneficiis cumulat, ut ex creaturis assurgat ad veram sui Conditoris cognitionem, quem redamet, non tantùm ore tenus, sed manu, & opere; plebeus siquidem est amor, qui tantùm linguam movet, & manus non aperit ad muneta profundenda, sed linguam tantùm solvit ad verba effundenda; verus, & regius amor est, quem dona, & munera produnt, neque id probatu est difficile; scimus enim de veneratione à pastoribus Christo in præsepio Bethleemitico præstita nullam ab Evangelistis mentionem fieri, cum tamen, vel maximè Matthæus commendet cultum, quem Reges Magi Deo nostra induto humanitate præstitêre, quem etiam non paucis describit, *& procidentes adoraverunt eum*, sed cur venerationem reticet à Pastoribus nocte illa accurrentibus ex vicinis Bethleemiticis campis, & cultum commendat à Regibus puero JEsu præstitum? quia nimirum amor, quo Pastores fuerunt Deum in cunabulis venerati, manus non aperuit, quamvis linguas moverit; ideóque amor fuit, sed plebeus; qui verò fuit à Magis præstitus, amor fuit Regius, quia non linguam tantùm movit, sed & manus aperuit: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.*

Matth. 2.

Matth. 2.

66. Non legimus à Pastoribus quidquam Deo oblatum, proinde eorum amor, cultúsque tanquam pastoritius, & plebeus reticetur; & sola reverentia, solúsque amor, quo natum JEsum fuêre Magi prosecuti, commendatur, quia manus aperuit, munerum profusione, nimirum ut loquitur D. Leo Papa *quia quod cordibus credunt, muneribus protestantur.* Fuerunt enim oblata munera, delati thesauri è Regionibus dissitis Regii amoris præconia, ac tesseræ veri affectûs ex corde, non ad linguam tantùm, sed & ad manus prodeuntis: tunc enim cordicitùs amare se natum in terris Deum Magi comprobârunt, cum suis apertis thesauris, manibus dona obtulêre. Dei in homines fuerunt Magi amorem æmulati; non enim Deus hominem amat, nisi suam eidem profundat bonitatem; amat Deus hominem, quatenus vult ei bonum, cum perinde sit amare, ac velle bonum, & ille divinum æmulatur amorem, qui non ore tenus, sed & manu per oblata munera suum comprobat amorem.

67. Nemo jam impenso amore suum prosequitur amicum, ut Deus Pater Deum Filium dilexit, ait enim Matth. 3. De filio suo nostra induto humanitate, & suam in Thabore prodente divinitatem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* sed non putes hunc æterni Patris in Deum Filium muneribus vacuum amorem, nec aliqua laborantem sterilitate, siquidem æternus pater amore, quo æternum filium prosequitur, omnia sua communicat; est enim generatio ad intra, quæ licèt ex intellectu profecta propriè amor non sit, ex amore tamen identico proficiscitur, & non quidem ex amore sterili, sed fœcundissimo, quo omne bonum secum trahit: *sciens, quia omnia dedit ei pater in manus*, nimirum omnia dedit filio, quem super omnia diligit. Hanc enim amoris excellentiam erga Filium explicare voluit Pater per amplitudinem largitatis; quia enim Deus Pater in filio suo à se dilecto bene, seu summè sibi complacuit, omnia dedit ei, seu eandem naturam, bonitatem, totámque perfectionum plenitudinem; *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Joan 13.

68. Neque Dei amor hanc tantùm cum divinis prodit personis fœcunditatem, verùm etiam cùm homines suo dignatur amore prosequi: suas etiam amoris flammas muneribus feraces, & ab omni sterilitate probro alienas ostendit: non enim munificus

Deus

Deus homines diligit, quia suis eos donis afficiat. Etenim descenderat de monte Synai Moyses divini jubaris circumfusus nitoribus, lucísque cœlestis illustratus splendoribus, adeò ut se ipsum ampliùs non videret in uberrimo divini splendoris incremento: Exod. 34. *Et ignorabat, quia cornuta esset facies sua ex consortio Domini.* Sed unde hoc? ut Moyses frontis radios, quos munificus Deus in Synai fastigio amore munifico ei impertierat, non viderit? si cornua plena erant lucis, si proprios aliis nitores delegaverant, cur perspicua Moysi non fuerunt splendentia cornua? quia nimirum divinus amor id præstat, ut vel nesciens homo beneficiis cumuletur, quamvis prævia nulla præmittat merita, nullámque præambulam dispositionem, priùs muneribus afficiatur, quàm cognoscat, se divinis affici beneficiis: nulla Moyses merita præmiserat, quibus frontem præpararet ad divinos suscipiendos radios; sed quia Deus Moysem adamavit suis eum illustravit radiis: Exod. 33. *Novi te ex nomine; & invenisti gratiam coram me:* accesserat Moyses Deo gratus, montem conscenderat Deo charus, & montem descendit lumine clarus; suâ ipsum insignivit luce Dei amor, quô Deus Moysem prosequebatur; ut illustriùs splenderet, clariúsque cæteris innotesceret: quos enim Deus amat, hos munerum luce illustrat: neque divinus amor meritis indiget, quibus ejus flamma innutriatur; ubi enim est amor, ibi & merita amati: abhorret amor à vacuitate, probrúmque fastidit sterilitatis.

69. Id enim interest discriminis inter profanum, & divinum amorem, quia ille nuditate gandens, quos amat, spoliat, dejicítque in probrosam paupertatem: amor autem divinus vestit, quos afficit; ornat, quos prosequitur; beneficiis cumulat, in quos tendit; fitque propterea connexa cum amore liberalitas; nec credamus pauperem, quem à Deo noverimus dilectum. Josephus à fratribus invisus, & ab Ægyptio Hero odio habitus pauperrimus visus fuit; sed quia dilectus à Patre pretiosa indutus veste apparuit, & in paterno testamento majore parte donatus: *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Rursus eum Herus Ægyptiacus cœpit eum amore prosequi, divitiis statim affluxit, totam enim Putiphar ei domum tradidit: quia ubi amor, ibi liberalitas; imò adeo est amor munificus, ut vel ipsum cor, in quo nascitur, adolescitque secum trahat, donétque amanti; verus enim amans non est, qui cor sibi reservat.

Præcipuum, & primum amantis donum est, quod in amante est excellentius, ac præcipuum, seu cor; sed probet manus affectum cordis. 70. In amato vivit, qui impensè amat; & qui solum Deum amat, fit amans totus Dei, & Deus amantis: quisque verè amat, sibi moritur, oritur in amante, cui vivit, dicátque propterea qui verè amat; ubi sum, ibi non sum, quia ubi non sum, ibi est amor: se mutuo prosequentes amore commutatis spiritibus vivunt alter alterius, quia uterque utrique traditur, & uterque ab utroque accipitur. Hinc amans servus dicitur, quia unicè alteri adhærescit, sed servus est liber, estque ingenuus, captivus, hinc Doctor gentium amantium Magister ad Ephes. 3. ait: *Ego Paulus vinctus Christi,* nimirum gloriosiùs ei obtigerat esse vinctum Christi, quàm Monarcham mundi. Tametsi amans vinculo obstrictus amoris sit captivus, nil tamen suæ deperdit libertatis; quia nil liberius voluntate, ex qua nascitur amor: & quamvis non sit sui juris, se tamen possidet, secúmque alium possidet; quia uterque se possidet, quamvis non in se, sed in altero. Hæc est amoris victoria vincere, & vincire triumphatorem sui; uterque vincitur, quia vincit.

Qui Deum verè amat, Deò vivit, non 71.
sibi, quia dum sibi moritur, oritur Deo; se amittit, sed se reperit in Deo, cui quod est in se præstantius, seu cor, ex quo nascitur amor, elargitur. Pretiosa tamen est hæc mors amoris, quâ amans qui sibi moritur, Deo oritur: cor deperdit, sed vitam emit divinam, quâ reparatur humana. Non amat, qui se in donum non exhibet amanti: veritas amoris exhibitio est muneris, nec alia luculentiori ratione verus probatur amor, quàm per largitatem bonorum. Quia Jacob supra cæteros suos filios Josephum dilexit, præ cæteris eum pretiosiùs vestivit: *Israel* Genes. cap. 37. *autem diligebat Joseph super filios suos, fecitque ei tunicam polymitam,* quâ nimirum à suis distingueretur fratribus, & elegantia vestis in filio singularitatem proderet affectûs in patre, qui plus dedit filio, quem plus cæteris dilexerat: amoris enim gradus per donorum computantur numeros: non amat, qui os aperiens, manus claudit: ille amat vehementiùs, qui largitur effusiùs, largiúsque profundit in dilectum munera: qui Deum amat, se dat Deo, & quem verbis amorem exprimit, operibus expromit.

DIS-

DISSERTATIO III.

Amorem Dei in hominem luculenter produnt æternis Patris Filius noſtra indutus humanitate; & Spiritus Sanctus multiplices diſpertitus in linguas, quibus totidem amantiſſima pacis oſcula libâſſe viſus eſt, ac hominibus eblandiri.

§. I.

Opifex Dei amor, quem ex humo hominem finxit, non ſolùm omnibus in terreſtri paradiſo cumulavit deliciis: verùm etiam è cœno in cœlum evexit æterna beatitate donandum.

1. Quantum amaverit Deus hominem ex eo conjicimus, quia non ſolùm ex nihilo eum traduxit, ut ex humo homo fieret, & è cœno natus cœlo deſtinaretur, donandus æterna beatitate; verùm univerſum condidit veluti palatium, quod inhabitaret omni eleganti ſupellectili ornatum; eíque thori addidit conſortem: condidit ſiquidem Deus hominem, cui nomen indidit Adæ, ex cujus ſopiti coſta Evam formavit ejus uxorem, quibus regimen commiſit cæterorum viventium, & in alimenta menſam eis propoſuit orbem terrarum longè, latéque frugiferum, animúmque iiſdem impertiit interitui haud obnoxium, quem etiam inſtruxit non tantùm notitiâ rerum omnium naturalium, verùm etiam ſcientiâ earum, quæ vires excedunt naturæ; eíſque fuit propterea gratiam elargitus ſupernaturalem, quâ ab ipſo ortu divino eſſent grati Numini, ejúſque familiares, amici, & filii conſtituerentur; aliáque addidit dona ſupernaturalia, quibus appetitus inferior ad nutum pareret rationi, & hæc Deo; dedítque præter animum utrique corpus vividum, robuſtum, defœcatum ab omni impuritate, ſucco vitali vegetum, membrorum omnium compage, & ſenſuum perfectione abſolutiſſimum, eximia itidem præditum venuſtate ab interitu immune, nulli ægritudini, nulli vulneri, aut dolori obnoxium; addiditque innocentiæ primigeniæ beneficium, ſeu juſtitiam, quæ ab origine ſuam trahit nomenclationem, nimirum ſpiritum liberum, ſui juris, cui appetitus omnes, cupiditates ſingulæ ad nutum obtemperarent; hacque felicitate donati homines ad plurima protraherent vitam ſæcula, quæ cum ſeneſcere inciperet, eandem pomo vitali aliquoties inſtaurarent, donec in cœlum abſque prævia ægritudine, ſine ullo dolore, ſine funeris timore transferrentur, victuri inter Angelos in cœlis, qui priùs fuerant inter homines verſati in terris.

Imò hæc naturæ, & gratiæ primæva ornamenta eo obtinuit Adam pacto, ut ſi in obſequio Dei perſiſteret, ea poſteris omnibus veluti hæreditario jure transfunderet, ſin verò Numini non parêret tam ſibi, quàm poſteris eamdem amitteret, ſibique, & ſuis poſteris neceſſitatem injiceret moriendi. Locus verò, in quo Protoplaſti degerent ſingulari fuit amœnitate conſitus; erat ſiquidem hortus, ſedes totius honeſtæ voluptatis, & vivarium omnium deliciarum, ſurgebant ibi artificioſis diſpoſitæ ſpatiis ſylvæ, ſaltúſque, plantaria, vireta, pomaria, & una venuſtiſſima voluptas in mille ſparſa concolores florebat voluptates, omnéſque terrarum opes in hoc uno erant hortenſi clauſæ amphitheatro; ubi cœli ſerenitas, aëris clementia, telluris flores ridebant, cœleſtíſque auræ placidiſſima temperies, ſyderúmque favor, ſoliſque adblandiens lumen arridebant: ibi quadrupedum omne genus cicur; volucrum pictæ, ac canoræ turmæ, harmonico cantu feſtivè plaudentes: Piſcium ſquammigeri natantes greges ad nutum obſequentes; arbores fructibus onuſtæ, & tellus omnigena florum varietate picta: & ne animantes ſitirent, vel tellus areſceret, aut ſiccitate ſqualeret, fons è meditullio ingens par maximis quibuſq; fluviis erumpebat, qui pellucidis rivis in alios ſe quatuor diſcriminabatur amnes. 2.

Geminam Numinis munificentia addidit arborem unam ad vitæ fomentum, & 3.
alteram ad virtutis exercitium: illa in medio paradiſi ſuas egerat radices, ut ad ipſam è cunctis partibus æqualis pateret acceſſus, &

ſpatium,

ſpatium; hæcque arbor vitæ fuit, cujus vis medica licèt immortalitatem carpentibus, & edentibus non impertiret; longiſſimam tamen vivendi facultatem ſuppeditaret. Alia arbor, quæ ſcientiæ boni, & mali nomenclationem fuerat ſortita ex eventu magis futuro, quàm ex vi ſapientiæ inditæ, perquam amœno defixa fuit in loco, foliorum comis, frondiúmque ornatu, ac pomorum forma prorſus elegans; & licèt Protoplaſti pleni eſſent totius amœniſſimi horti poſſeſſores, ut tamen fiduciariam ſuam ſervitutem exigui ſaltem tributi haberent penſione teſtatam; mandatum acceperunt à Deo, ne pomum ſcientiæ boni, & mali guſtandum carperent, niſi perdere jus immortalitatis ſibi, ſuiſque poſteris vellent. Verùm cum jam dudum invidia hoſtem torqueret tartareum, quòd homines ea donatos videret in terris felicitate, & longè majori futura donandos in cœlo, cujus ipſe poſſeſſione deturbatus fuerat, ſerpentem, ceu animal præ cæteris aſtutum, & ſagax ingreſſus, vocalem artibus ſuis effecit, cui etiam formam addidit plenam inſidiarum, vultúmque ad illecebras, & blandimenta effictum.

4 Cúmque fortâſſis Eva per eas paradiſi voluptuoſas delicias inceſſu vagaretur ſolitatio, conſiſteretque propriæ indulgens curioſitati ad arborem ſcientiæ boni, & mali; adfuit ibi ſerpens, ſive circumvolutus arboris cauli, ſive ſubter arborem in caudam erectus, qui perinde ac Soror ſororem alloquitur, mirâ ſermonis illecebrâ ejus primùm ſategit ſibi benevolentiam captare, dein virus peſtiferæ cupiditatis, & deſiderium excellendi ſupra humanam conditionem inſtillat mixtum dulcedine pleniſſimæ libertatis; & quamvis mulier horreret præcepti ſibi injuncti transgreſſionem, cum unicum tantùm fuerit, nec ſervatu difficile, & ad eum duntaxat finem injunctum, ut Dei ſe cognoſcerent mandatis obnoxios; cui tenerentur obſequi: præſertim quia in hoc præcepto vel maximè miſerentis Dei illuxerat bonitas, ſuaviſque providentia, ne labores fingerent homines in præcepto illo ſervando: lignum ſiquidem, cujus eſum interdixerat, procul ab oculis ablegaverat, ne facilis ad ejus poma carpenda pateret acceſſus, cùm arborem vitæ medio in paradiſo collocaverit omnibus obviam, pomis onuſtam. Durius enim fuiſſet ſi ejus arboris uſum interdixiſſet, quæ & obvia eſſet, & ſola delicias præberet: ſed mulier terreſtres illas pervagata voluptates arborem vidit ſcientiæ boni, malíque genitricem, & ſicut eam animi libido pepulerat, Geneſ. 3. oculos in ejus poma curioſa injecit. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis:* nimirum vidit, quia anguis eloquentiâ ſubdolus, ac vafer æquè illecebris, ac inſidiis ejus deprædicaverat excellentiam: & quamvis pulchritudo eidem antea ineſſet, quia tamen nondum ſerpentis fuerat ſermonibus colorata, nec verborum fucis depicta, fœminam inditus ſibi decor non pellexerat. Quàm pernicioſus ſerpens! verborum illecebris divini inſtillans transgreſſionem præcepti ad eſum pomi, ac lapſum pertraxit: nimirum amor venuſtatis vitam adimit, nóſque à ſummo bono avertit: ex quo enim arbor ſcientiæ cœpit optari, viſa ſtidem fuit fœminæ etiam delectabilis; ut inde diſcamus; quàm cautos nos eſſe oporteat ſive in commendatione bonorum, ſive in malorum vituperatione: *vidit mulier, quod bonum eſſet ad veſcendum* nimirum cœpit pallato ſapere, ſed quomodo ſapuit, ſi nondum pomum prægustaverat? ſapuit, quia oculus de illius ſuavitate jam intulerat judicium, id ei ſuadente angue; quatenus guſtum illius pomi, ita ei ſuaſerat, ut perſuaſerit.

Invaſit igitur mulier dentibus pomum 5.
ſtirpis ſibi prohibitæ; & arbitrata in pomo beatitatem Deo invidendam devorâſſe, quavis diſrupta mora ad maritum convolat vim pomis illis inſitam laudatura; mortiſque metu tergiverſantem virum pellicit; pomúmque exhibet, quod acceptum dente momordit; deglutivitque una cum malo illo etiam mortem, tam ſibi, quàm toti ejus poſteritati: *comedit, deditque viro ſuo* Geneſ. cap. 3. *qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum, cúmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata.* Sed cur aperti ſunt oculi amborum poſtquam Adam pomum illud ſibi vetitum comedit? an non ambos aperuerat Eva oculos cùm pomi pulchritudine fuiſſet anguis ſuaſu delectata? *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis*, ſi pomi pulchritudo oculos Evæ illexerat, certè mulier ambos aperverat oculos, quibus uberius ex pomi pulchritudine hauriret oblectamentum; ſed rectè amborum oculi nonniſi poſtquam Adam pomum comedit, dicuntur aperti; quia ſi Eva ſtatim ac pomum momordit, erubuiſſet in ſua nuditate, horruiſſet procul dubio, nec viro præbuiſſet illud comedendum, quod noxium deprehenderat. Comedit igitur Eva, ſed ejus oculi minimè aperiuntur, niſi poſtquam Adam pomum deglutivit: ſed mentem pulſat dubitatio, cur pomum illud ocyus in fœminam virus non effuderit. Scio pomum fuiſſe ſcientiæ, quæ fœminam minimè plusquam virum decet: ſed cur poſt eſum viri ſupplicium ambobus æquè infligitur? an quia Principum delicta nocentiora ſunt?

6. Malè carptum à fœmina malum momordit, deglutivitque Adam, & unà cum ipſo malorum iliadem; unicus enim interdicti pomi morſus in miſerias omnes non Protoplaſtos tantùm, ſed & totum humanum genus detruſit. Fuit pomum illud infauſta illa Pandoræ pixis, ex qua ſcelerum omnium portenta, & ſuppliciorum omnium

genera in hominum perniciem, ac internecionem eruperunt: invexit comesum pomum famem in terris, probrosam sterilitatem in segetibus, cruenta bella inter homines, grassantes pestes in Urbibus, calamitatum turbas, ærumnarum exercitus, morborum agmina in perniciem hominum; hinc minantur in aëre tonitrua, delabuntur nivium velera, coruscant fulgura, irrumpunt fulmina, sæviunt procellæ, conteruntur segeres grandine: quódque deterius, & malorum maximum pomi morsus nos paradiso exclusit, & in vallem omnium calamitatum protrusit.

§. II.

Amorem Dei in homines tota tres Personæ Divinæ luculenter obtestatæ sunt, cum æterni Patris filius nostram induit humanitatem, assumpsitque infirmitatem ut sua nos gratiâ corroboraret, eúmque impensiùs amaremus.

7. TAntus fuit æterni Patris misericordissimi filij amor in homines perditos, ut quamvis divina justitia Protoplastos de inobedientia illa, suique præcepti transgressione in jus vocaverit, & pro legitimo tribunali læsæ divinæ Maiestatis reos egerit, ut digna de sontibus supplicia sumerent: nihilominus contranitente, partésque suas efficaciter agente Dei misericordia, cogitavit cogitationes pacis, & non afflictionis & Pater misericordiarum sic mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret; cujus amor in homines non alio redimendos pretio, quàm suo sanguine, tantus fuit, ut paratissima voluntate, & promptissima charitate statim responderit, *Ecce venio*, & suscepturus in se omne onus satisfaciendi pro humano genere, dedit semetipsum pro delictis hominum; cum enim esset in forma Dei, sen incognitionis matutinæ æterno lumine, in quo omnia futura objectivè præsentia sunt, & distinctissimè conspiciuntur: *semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo: imò factus etiam obediens usque ad mortem, & quidem mortem crucis.* Quanta sit assuetudinis vis inde conjicimus, cum vel ipse Deus post tot frequentatos humanitatis actus in mundi molitione, hominúmque protectione, tandem etiam ipsemet habitu inventus sit ut homo; sicut Apostolus loquitur; *& habitu inventus ut homo*; imò ad prodigium intensioris amoris accessit, quia cum unico voluntatis assensu homini potuisset ignoscere, & in solio gloriæ suæ permanere, adhuc proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, ut scribit Apostolus ad Hebræos 12. hoc est præ gaudio comprobandi hominibus amorem, quo eos prosequitur ignominiâ contemptâ crucem sustinuit.

8. Sed quid in hoc amoris augmento molitus est Spiritus sanctus, cui proprium est misereri semper, & parcere, ac postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus? certè & gaudium Spiritus sancti maximum fuit, cum & ipse Spiritus sanctus amor sit, qui propterea voluit ipsemet in utero Virginis Christi corpus efformare ex purissimo Virginis sanguine, membra distinguere, artus compingere, nervos distendere, totúmque corpus ad singularem absolvere perfectionem, ut docet D. Thomas inquiens: *Cùm ex maximo Dei amore Filij Dei incarnatio facta sit, rectè Spiritui sancto, qui est amor Patris, & filij corporis formatio attribuitur:* Propterea ipse ab æterno hominibus divinæ dona gratiæ præparavit, quibus opitularetur, quinimò missus & ipse fuit in eodem illo æternitatis splendore, & decreto, ut hominibus fieret amabile Dei donum, quia ut docet Augustinus, *Spiritus sanctus. ita datur sicut donum Dei, ut etiam se ipsum det sicut Deus*, ut etiam docet D. Thomas; hinc liquet, in opus redemptionis nostræ amorem conspirâsse omnium divinarum personarum, quatenus à Patre eximiè amante homines Filii crux imperata fuit; & à Filio vehementissimè cupiente homines, quos amat, redimere, suscepta fuit; & à sancto Spiritu itidem homines adamante ad crucem suscipiendam fuit Christi caro adaptata: & tandem ab amante tota Trinitate redemptio nostra ex vi amoris statuta; nimirum: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret:* hoc est ita dilexit hominem, ut decreverit Verbum æternum hominem fieri, ut hominem proprio suo redimeret sanguine: hinc Bernardus ait: *Ludebam ego, in plateis eram, verebatur intus de me judicium mortis. Audiens hoc unigenitus in sinu Patris flebat multum, & posito diademate redemit me. Ergo ne adhuc ludam, & eludam ejus lachrymas?*

1 p q. 32. art. 1.

Lib. 15. de Trinit. cap. 10.

1. p q. 38. art. 1.

1. de Nativ. Domin.

9. Vivificaturus igitur Dei Filius hominem peccato enectum, nostram voluit humanitatem induere, & carnem fieri, séque mediatorem offerre Patrem inter, & hominem, qui medius est divinas inter personas, ut hoc amabili cantico humanitatis, indurata velut marmora corda hominum ad flammas emolliret amoris, ad studia flecteret virtutum, & à vitijs avocaret; voluitque ex puro in homines amore nasci, lactari, esurire, sudare, imò & sanguinem effundere adamantinam humani cordis duritiem fracturus: nósque ut amorem doceret, ascendit crucem Magister amoris, velut cathedram, dolorosissimæ passionis, ubi in virginea suæ carnis papyro atramento sui cruoris, clavorum calamo scripsit verba illa, *JEsus amor crucifixus pro homine, ut amet homo* librum scilicet impressit, qui nonnisi documenta contineret amoris, quem homines edoceret, pro quibus redimendis Deus Pater filium suum unigenitum tradidit, & non quidem ex alia causa, nisi quia homines dilexit, non eo amore, quo cuncta condidit, sed quo homines singulari prosecutus amore ad vitam promovet supernaturalem æterna donandos beatitate.

Quam

Quàm grandis, mirúsque Dei amor tum enim Deus omnem in se bonitatem contineat, totiúsque perfectionis florem immarcescibilem, omnémque amabilitatis rationem, sitque in se summum bonum, amabile, infinitum, nec ulla indigeat re, opéque externa, adhuc suum voluit amorem ad homines extendere, quasi non contineret ipse summam bonitatem, quæ totum suum infinitum adæquaret amorem. Imò tametsi hujus affectûs nonnisi in tempore obtigerit effectus, hominem tamen ab æterno sic dilexit, ut statuerit filium suum unigenitum dare; hinc Cyrillus: *Mirus profectò amor Dei in homines, cum æternus fuerit unà cum Deo*, quia ut ait Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 17. *Consilium Dei æternum fuit de his, quæ futura erant, opus tamen novum*: & eò est insignior hic amor, quò ex sola Dei prodierit bonitate, cum nulla urgente necessitate Deus sic homines dilexerit, ut filium suum daret: amavit homines omnino liberè, cum posset eòs non diligere; quia nil ex se boni continet homo, sed totum ex munifica Dei largitate possidet bonum, quod in se continet. Se ipsum Deus necessariò amat, quia est necessariò summè bonus, ex quo amore necessario procedit Spiritus sanctus ad intra æqualis Patri, & filio; tametsi non possit Deus se non amare, potest tamen mundum non amare, sicut potuit mundum non condere. Potuit etiam hominem non diligere amore supernaturali, nec eum dirigere ad æternam beatitatem, & tamen omnino liberè nulla coactus necessitate hominem voluit amore prosequi tam naturali, quàm supernaturali, quamvis nulla inde ipsi utilitas resultaret.

Lib. 1. thesaur. cap. 1.

10. Moris est, ut homo hominem propter aliquod suum diligat commodum, sed Deus homines amavit, tametsi nulla inde ei utilitas obtingeret, cum Deus nulla re extra se indigeat, & omnem intra se sufficientiam, ac perfectionem habeat: continet enim Deus eminenter quidquid boni, & pulchri creaturis inest, & quidem modo longè perfectiori, perinde, ait Dionysius de divinis Nominibus, ac argentum perfectiùs est in auro, quàm in se ipso, & cum Deus longè eminentiori ratione contineat quidquid boni inest creaturis, nullum potest à creatura incrementum bonitatis suscipere, quo fit, ut Deus homines diligat non propter suam utilitatem, sed ob commodum eorundem hominum, quo pacto ait Irenæus, Deum constituisse Abrahamum sibi amicum propter solam ipsius Abrahæ utilitatem, non verò quòd aliquid commodi Deo inde accresceret: quoad enim hoc incrementum supervacanea Deo est creaturarum productio, cùm Deus antequam conderet creaturas, mundúmque traduceret ex nihilo, eíque suam communicásset bonitatem, ejusdem prorsus fuerit perfectionis, totémque plenitudinem bonitatis, ac perfectionum comprehenderet, quam nunc habet: hoc enim erat Deus, antequam essemus conditi, quod nunc est; adeò ut tametsi in nihilum redigeremur, adhuc nil Deo detraheretur, ut ait Augustinus, qui addit, Deum ab æterno decrevisse homines condere, quamvis nonnisi in tempore eos plasmaverit, ut ostenderet, se hominibus non indiguisse cùm sine homine ab æterno omninò beatus, summéque perfectus fuerit: tota enim gloria, quæ ex mundi, hominisque creatione Deo accrescit, extrinseca est; non quæ aliquid ponat intrinsecè incrementi: & quamvis ex puro amore Deus mundum condiderit, ut hic amor uberior splenderet in homine, non solùm hunc perinde ac cæteras creaturas amore est prosecutus naturali, sed etiam supernaturali, quo eundem ad æternam eveheret beatitatem, & quidem absque ullo hominis merito præcedente.

Lib. 4. cap. 28.

Lib. 12. de Civit. cap. 17.

11. Id interest discriminis inter nostrum, & Dei amorem, quia noster amor invenit, & supponit in objecto amato, quod amet: Dei verò amor non supponit, sed ponit quod amat; non enim Dei amor invenit in amato rationem amandi, sed ipse, quia amat amabilem constituit rem, quam amore prosequitur: hinc naturali amore, quo Deus rerum Sator mundum amavit, ipsum condidit, & eo ipso, quòd creaturae amavit, ijsdem dedit, ut essent, ac continerent bonitatem, quâ forent amabiles; nullum enim naturale bonum præcessit in creaturis, quod amaret, sed Deus ex eo, quòd ipsas amaverit, ijsdem fuit amabilitatem impertitus: ita in amore supernaturali, tametsi nulla hominis merita præcesserint; nec ullum in homine supernaturale bonum; illud Deus posuit, cùm primùm hominem cœpit amore prosequi supernaturali.

12. Imò non solùm in homine nulla præcesserunt merita, sed prævia fuerunt demerita: non enim invenit Deus in homine bonum, quod amaret, vel meritum, ob quod diligeret; sed potiùs malum, quo ab homine averteretur; & demeritum, ob quod odio, & pœna eum prosequeretur: hinc Apostolus ait: *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est*, & quidem summa est Dei charitas commendatione digna, quòd cum odio, & pœna essent homines digni, eos nihilominus impensè dilexerit: imò etiam si præcognoverit, plurimos futuros tanto amori ingratos, ac suo amore abusuros; unde Chrysostomus ait: *Commendat Deus charitatem suam, quòd pro ingratis filium dederit*, & quidem ex prævia futurorum præscientia.

Ad Rom. 5

Homil. 20.

13. Inter homines appetitus, & affectus rationi dissentanei & prævia ignorantia, ut plurimum in causa sunt, cur res subinde ament, quas postea amâsse nollent, pœniteátque amantes sui amoris: plures sunt, qui cum beneficiis aliquem cumulaverint, quem postea cum à gratitudine deflecten-

tem legibus deprehenderint, pœnitet ipſos beneficii præſtiti; at Deus, quia omniſcius, ſumma Sapientia, & ſcientia, ſumma æquitate, ac prudentia homines utroque proſequitur amore naturali, & ſupernaturali, illo quos cumulet bonis naturæ; hoc, ut promoveat ad æternam beatitatem: & licèt nullam deprehenderit Deus in creaturis cauſam eosdem amandi, non tamen in Deo amante defuit ſumma ratio diligendi, quia ut ſcitè Chryſoſtomus: *Infinita Dei bonitas radix eſt, & ratio amandi homines, quamvis omni dilectione indignos.* Eſt ſiquidem tanta Dei bonitas, ut ipſa ſola ſufficiat ad rationem & cauſam amandi, nullâ requiſita ex parte eorum, qui amantur, causâ.

Homil. 7. epiſt. ad Timoth.

14. Cùm igitur Dei amor fœcundus ſit, ac beneficus, conſtituátque rem ipſam amabilem, quam ſuo proſequitur amore, eò eſt inſignior Dei amor in homines, quò non auri, argentive cumulos, non gemmarum acervos, non bona ſingula, quæ mundo inſunt tantum hominibus dedit amore naturali, quo eos fuit proſecutus; verùm etiam amore ſupernaturali, ut homines mortuos peccato, redivivos vocaret, traherétque ad æternam beatitatem Filium ſuum unigenitum munificâ largitione impertitus eſt: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam:* nimirum tantâ amoris vehementiâ, nilúque mundum dilexit, ut filium ſuum unigenitum daret, hoc eſt non Angelum, non creaturam aliam excellentiorem, quam condere potuiſſet, non mundum alterum, quem pulchriorem, & excellentiorem potuiſſet creare: ſed quod eſt longè majus proprium ſuum filium dedit, ex quo intulit D. Paulus. Nec proprio pepercisse filio, ut ſuum in homines expleret amorem; *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo cum illo non omnia nobis donavit?* ſi excellentiam amoris ex magnitudine rei dono datæ dignoſcimus, divini amoris in nos excellentia ſumma procul dubio fuit, cùm res ex vi ejusdem amoris data, fuerit ipſe æterni Patris Filius, *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, hoc eſt filium *ſuum* non alienum, Nos cùm Deum diligimus nil ex parte noſtra Deo damus cùm ſingula, quæ poſſidem?, noſtra non ſint, ſed Dei, à quo accepimus. Malum tantum ſuam ex nobis originem trahit, à Deo verò quicquid boni nobis ineſt: ſecus æternus Pater, quia homines adamavit filium verè ſuum, ſeu ejusdem cum Patre ſubſtantiæ, ejúrque naturæ mirifica dedit profuſione, ut fieret homo, hominem redempturus; & quidem dedit filium quamvis unigenitum, ſi enim plures habuiſſet, & unum duntaxat ex amore, quo homines proſequitur iiſdem dediſſet, non ita ingens Dei in homines fuiſſet amor, ut ex eo, quod unicum filium ſuum dederit, & quidem non adoptivum, ſed naturalem, ejusdémque cum Patre naturæ, ejusdémque eſſentiæ non ſpeciè, ſed numericè: neque hunc ullo pretio venalem exhibuit, ſed dono omnino gratuito donavit hominibus, ſeu Principem ſubditis, herum famulis, innocentem reis: imò, & dedit non ſolùm, ut cum hominibus converſaretur, ut hominibus imperaret, ſed ut pro hominibus mortem oppeteret, tormenta, dolores, convicia, crucem, & mortem ſubiret: idque ex purò amore, ut à morte æterna homines liberaret, & ſua morte mortem noſtram debellaret; & vita donaremur æterna, nulli obnoxia interitui: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* Joan. 3. ſed cur ſaltem non eſt par ratio, ut omnis, qui credit etiam exaltetur pro eo, hoc eſt moriatur pro æterni Patris filio, ſicut hic pro hominibus mortem ſubivit? adhuc ingens fuiſſet beneficium à Deo hominibus collatum, & Dei amor plurimum commendaretur, cùm filium voluerit exaltari in cruce, licèt repoſceret etiam homines pro filio exaltari; & nihilominus id non exegit, ſed filium exaltari voluit in cruce: & ab hominibus, quod facillimum erat, tantùm petiit, nimirum veram, & ſinceram fidem, eámque ob eorundem hominum commodum, *ut omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Joan. 3.

Ad Rom. 8.

Moritur unigenitus Dei filius in cruce, 15.
ut nos commoriamur in baptiſmo; maduit ipſe ſanguine, ut nos luſtrali unda ablueremur; pendet è cruce, ut nos fide viva in eum reſpicientes exaltaremur in Dei Regno. Maluit filium ſuum unigenitum mori, quàm homines emori: *ut omnis qui credit in eum, non pereat:* in nos voluit æternus Pater totam redundare utilitatem ex unigeniti ſui nece, ne nos moreremur, ſed erepti à gehennali morte vitam in cœlis conſequeremur æternam: ſed cur non ob Angelos, quos priùs homine Deus condiderat, & perfectioris ſunt naturæ, Dei unigenitus filius non petiit in cruce exaltari? Nimirum ut inde, uberior in homines Dei amor illuceſceret, qui ſi voluiſſet, etiam Angelos potuiſſet è tartareis liberare ſpecubus: noluit tamen Deus beneficium hominibus præſtitum, Angelis elargiri, Nusquam enim Angelos apprehendit, ſed relictâ majori, & perfectiori creatura ad minorem ſe convertit, & ne moreretur, voluit unigenitum ſuum noſtram induere mortalitatem, ut cum illam exueret, à morte liberaremur æterna donati felicitate, & quamvis potuerit id præſtare, tametſi ejus unigenitus mortem non ſubjiſſet; voluit tamen eum noſtram aſſumere humanitatem, & mortem crucis oppetere, ut luculentiùs Dei amor in homines ſplenderet, cujus præſtantiam, & magnitudinem, cum non

vale-

valeret Evangelista sufficienter exprimere, paucis usus verbis dixit, *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Joan. 3.

§. III.

Magister Christus veri amoris nobis documenta traditurus crucis cathedram ascendit; sëque ligno affigi passus est, ut pro malè carpto à Protoplastis pomo, vera nobis daret scientiæ fructum.

16. INsurrexerant justitia, & veritas pro divino tribunali, sed misericordia statim justitiæ obviavit, cui & satisfecit pretium exhibens redemptionis nostræ in sanguine unigeniti filij Dei hominis facti, & in ara crucis immolati. Ex Virgine nascitur filius Dei, ut confœderarentur justitia, & pax: tunc enim, ut ait Regius Psaltes. *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi; justitia, & pax osculatæ sunt.* Tradidit nobis Deus filium suum, ut disceremus nos, & Deo reddere, quæ sunt Dei, ac vomeres, sicas abigeremus, & enses; abundantia siquidem pacis gladios omnes, & enses, ac quidquid bellum sapit, longè abigit, solisque excultis oleis delectatur. Parcite, aiebat Pax, nulla ampliùs altercatio homines decet, cum filius pacis regnaturus inter homines fieri voluerit homo. Sed cur potiùs, cùm esset homo, crucem elegit, quâ à morte liberaretur homo, cùm certum sit, vel unico tantùm elicito amoris actu potuisse hominem à Christo liberari? An quia ut Magister bonus è crucis cathedra exemplo fortiùs, quàm verbo documenta virtutum nos edoceret? An quia hoc genus mortis maximè conveniret satisfactioni pro peccato primi parentis, qui contra Dei mandatum pomum ligni vetiti sumpsit, & comedit? videbatur siquidem conveniens, ut Christus pateretur se ligno affigi, ut fructum æternæ vitæ, ac sapientiæ, hac de causa restitueret ligno, quem Adam eidem sustulerat: defuerat ligno fructus à Protoplastis malè carptus, hunc restituturus filius Dei se ipsum passus est ligno affigi, cùm dixerit per Regium Prophetam Psal. 64. *Quæ non rapui, tunc exolvebam.*

Psalm. 84.

17. An ut censet D. Chrysostomus, in excelso ligno, & non sub tecto pati maluit, ut etiam ipsius aëris turbaretur natura, & beneficium ejus sanguinis simul redundaret in terram decurrentis de latere cruoris stillatione mundatam? Maduit terra Christi sanguine, ut non ampliùs sentes, & tribulos germinaret, sed rosas produceret excultæ virtutis, perfectæ charitatis. An crucem prælegit, ut in editiori, eminentiorique loco moriens nobis ascensum, viámque sterneret è cœno in cœlum? cum Joan. 12. dicat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* An quia ut censuit S. Gregorius Nissenus, hocce necis genus videretur universali mundi congruere salvationi, eò quia figura crucis in quatuor extrema partita virtutem significet, & providentiam illius, qui in ea pependit, per singulos terrarum tractus diffusam? An ideò in cruce expansis manibus mori voluit, ut alterâ manu veterem populum; & alterâ eos, qui ex gentibus sunt, ad se traheret? An quia ut ait D. Augustinus, hoc elegit mortis genus, ut plures, eásque diversas nos edoceret virtutes, effétque Magister latitudinis, altitudinis, longitudinis, & profunditatis, de quibus loquitur Apostolus: siquidem latitudo, quæ inest crucis ligno, quod transversum desuper figitur, bona significat opera, cùm ibi manus operum ministræ extendantur; longitudo in eo, quòd ab ipso ligno transverso ad terram usque conspicuum est, quia ibi persistitur, ac perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo in ea ligni parte, quæ à transverso sursum eminet ad caput crucifixi; quia benè sperantium superna est spectatio. Jam verò ea pars ligni, quæ terræ infixa occultatur profunditatem significat gratuitæ gratiæ: hinc Augustinus ait: *lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.*

Tom. 3. homil. de cruce & latrone.

Epist. 120. cap. 26. Tom. 2.

Tract. 119. in Joan. Tom. 9.

An quia hoc mortis genus plurimis responderet veteris testamenti figuris; siquidem figura crucis fuit in lege veteri lignea arca, quæ humanum genus ex diluvio terras omnes inundante, ac mergente liberavit. Lignea virga, quæ in manu Moysis sicca vestigia per mare rubrum Dei populo recedenti de Ægypto aperuit, & Pharaonem cum suo exercitu Israëlitas insequentem ad internecionem submersit. An non figura crucis illuxit, cum idem Moyses lignum in aquam injecit amaram, quæ statim dulcescere didicit? Cùm lignea virga petram percussit, & pellucidos elicuit latices in solatium populi desertum pervagantis, sitímque extinguendam acriori successam ardore? Cum eadem lignea virga Amelechum prostravit, cum Moyses ipse circa virgam expansis manibus se extenderet? hisce siquidem singulis ad lignum crucis veluti per quosdam gradus via sternebatur. Benè hæc omnia; sed cum D. Augustino. Crucem unigenitus Dei filius potissimum elegit propter exemplum virtutis: ait enim Augustinus: *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo rectè viveremus, suscepit.* 18.

Lib. 83. quæstionum Quæst. 25.

Pertinet autem ad vitam rectam ea, quæ non sunt metuenda, non metuere. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt, ut ergo nullum genus mortis rectè viventi homini metuendum esset, hoc genus mortis in cruce ostendendum fuit. 19.

Nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo execrabilius. Quas igitur æterno Patri gratias referemus pro tanto beneficio nobis præstito in filio suo unigenito, quem dignatus est in terras mittere, ut nos è cœno extraheret, traherétque in cœlum? quibus obsequijs huic summo amori, ac infinitæ misericordiæ respondebimus? cùm enim adhuc inimici essemus, eique per peccatum exosi, ac perditi, nos sic dilexit, ut filium suum unigenitum daret nostra indutum mortalitate, ut fieret frater noster, nobísque suppetias daret, infirmitates nostras, & languores ferret; tenebrásque, quibus mens nostra cæcutiebat, discuteret, nobísque viam salutis sterneret, ostenderétque, quà sit eundum, nobis relinquens virtutum exempla, quibus ejus sequeremur vestigia; & sanguine, quo ipse maduit nostrorum deleret maculas criminum; corda nostra irrigaret ad culturam virtutum, & nostras ablueret, & abstergeret conscientias.

20 Ingens sanè divini amoris opus fuit, filium suum velle carnem nostram assumere, ut in eadem passibilis pro nobis satisfaceret divinæ justitiæ; innocens pro reo; Princeps pro subdito; herus pro famulo. Actum erat de humano genere à summo bono per Protoplasti violatum præceptum averso, & in exilium detruso sempiternum. Nil supererat opis, nil subsidij ab ulla creatura sperandum erat, eò quia divinæ justitiæ ab ulla creata natura condigna satisfactio pro crimine protoplasti non poterat exhiberi: nec ulla spes salutis supererat nisi æternus Pater ex summo amore, quo homines prosequitur, filium suum misisset divinæ justitiæ pro nobis satisfacturum; nimirum filium sibi consubstantialem, coæternum, uniusque cum patre naturæ, ut nostram assumeret passibilem, doloribus infirmitatibus, necíque obnoxiam, ut scilicet homo passibilis nobis similis effectus suis cruciatibus, & morte, divinæ pro nobis satisfaceret justitiæ. Quas gratiarum actiones æterni Patris unigenito filio pro tanto amore, quo pro nobis voluit homo fieri, pati, & mori, rependemus? Rex gloriæ è summo cœlo dimitti voluit in imum terræ suppetias vilissimis suis, & quidem rebellibus, inimicisque allaturus mancipijs. Imò & labores, dolorésque suscipere, necémque crucis sustinere, & quidem suprema majestas pro vilissimo vermiculo. Apocal. 13. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti sumus, sed sui ipsius pretioso sanguinis quasi agni immaculati, agni occisi ab origine mundi.* Vicit amor unigeniti filii Dei exempla omnia antiqua, & recentia, vicitque amoris universa miracula; cum voluerit se ipsum tradere pro hominibus, ne hi perennibus extraderentur flammis? quid? & homo adhuc Deum non diliget? adhuc concupiscentijs suis adhærebit? adhuc suis se tradet falsis insanijs? Ecce mittitur altissimi Dei filius, amantissimi Patris unigenitus, jubetúrque manibus nocentium tradi, vulneribus confodi, doloribus discruciari, & cruce occidi, ut balsamo pretiosissimi sui sanguinis nostris mederetur vulneribus, *dolores nostros ipse tulit, & livore ejus sanati sumus.*

Quas rependemus Spiritui sancto gratias cum præ cæteris omnibus nos dilexerit, ac divitias bonitatis suæ uberrima largitione in nos effuderit? illud enim est ejus benignitatis ingenium demittere se ad infima, corroborare debilia, curare infirma, colligere abjecta, erigere humilia, ditare inopes, & ibi effusiùs suas tradere opes, ubi indigentia est major; est enim Sanctus Spiritus summus amor, omnipotens, lumen æternum, ratio incommutabilis, dulcedo æterna vivificans ad sentiendum, stimulans ad appetendum, afficiens ad amplectendum, dilatans ad cupiendum, justificans ad promerendum; inflammans ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, roborans ad virtutem, moderans ad sapientiam, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad beatitatem, circumdans ad securitatem, nósque suis cumulat beneficijs, replet gratijs, cingit donis, ut nos excitemur ad redamandum eum, à quo tot perfundimur favoribus. Hæc est vis amoris, ut amantem effectu mutet in amatum, deficiat in se, ut efficiatur idem cum dilecto: ita amor amantem afficit erga objectum, quod amat, ut vi affectûs, quantum in se est suum exuat esse, desinátque sibi vivere, ut dilectum induat, ejúsque vivat spiritu; nec ampliùs verus amans de se cogitat, sed totus cogitatione simul, & affectu est in dilecto, cujus tantùm bona cogitat, & cupit; fit propterea amoris proprium, inducere amantem, ut sui obliviscatur, à se deficiat, sibique moriatur, ut in unico uberiùs vivat à se dilecto: hoc amore, qui Deo adhæret, unus cum ipso fit spiritus, eadem vita. Utinam Deum ex toto, verôque corde amaremus! caducis non cuperemus inhærere mundi quisquilijs, non hæreremus fluxis, non immoraremur interitui obnoxijs, sed hisce omnibus moreremur, ut unicè viveremus cum Deo. 21

22 Tantus fuit Christi amor in nos, ut nec momentum ab origine suæ conceptionis permiserit otiosè dilabi, sed operatus jugiter fuerit cogitationes pacis, & nunquam afflictionis: & quamvis sensus animi, & præcelsas ejus cogitationes in Virginis Matris utero nemo noverit, nisi qui scrutator est cordium: putârim tamen duo præsertim toto eo tempore, quo in virgineo fuerat utero commoratus appretiativè intendisse, quæ postea usque ad extremam spiritûs in cruce emissionem unicè fuerunt eidem cordi, & cum quavis respiratione re-

reciprocavit ; gloriam scilicet æterni Pa-
tris, & redemptionem humani generis,
seu salutem animarum ; ad id enim factus
est Deus homo in terris ; ut elevaretur ho-
mo in cœlis, eúmque ab interitu vendica-
ret, & in salutem assereret ; proinde non
detrectavit mortem subire, convicijs impe-
ti, doloribus torqueri, vulneribus dilace-
rari, & mortem subire ; sed gaudens pa-
ratum ad hæc se exhibuit, *Ecce venio, ut*
faciam voluntatem tuam, Deus meus volui,
Psal. 39. *& lex tua in medio cordis mei.* Qui enim
verè amat, eum dolores, & cruciatus non ex-
terrent ; & Apostolus, quia verè amavit,
Ad Rom. 9. cupiit anathema esse pro fratribus suis : si
homo verè Deum amaret, non sineret se
allici à carnis illecebris, mundi fallacijs,
In solliloq. cap. 31. dœmonum technis ; hinc Augustinus. *Væ*
tempori, quo te non cognovi, nec amavi!
ò pulchritudo tam antiqua, quàm nova!
quàm serò te amavi. Ab ipso igitur primo
momento, quo fuit Christus in virgineo
Matris utero, cœpit in cœlis mereri per
continuas oblationes factas æterno Patri,
& ita cumulatè, ut nequeat quis omnia in-
æstimabilia excogitare merita, quæ proma-
nârunt à Deo, & homine infinitæ excellen-
tiæ.

23. Quòd si anima nostra sitiat, & arescat,
jam habet, quo possit se reficere in hoc pel-
lucido aquarum fonte, cujus typus fuit fons
ille Jacobi, qui ovibus suis plurimum attu-
lit solatij ; & cum Dei filius Virginis non
horruerit uterum, se è summo abjecit dig-
nitatis gradu ad cœnum nostræ humanitatis
descensurus ; ea enim fuit vis amoris, ut
cum proprium sit ignis sursum niti, & in
sublime avolare ; amor Dei in homines de-
labi è summo cœlo in imum voluit terræ,
ut nimirum nos doceret in carne Deus hu-
militatem, & ne vermiculi cristas ampliùs
extolleremus, ac propria laude, & jactatio-
ne, non ampliùs turgesceremus. Hinc
Matth. 11. Christus suadet nobis, vel maximè hanc vir-
tutem, *Discite à me, quia mitis sum, &*
humilis corde, humilitatem nos docet, &
mansuetudinem, quia christianæ humilita-
tis individua comes est mansuetudo, mentís-
que pacatæ supernè immissa tranquillitas.
Quòd si olim fuit Deus exercituum terribi-
lis, magnificus, fortis, zelotes ; nunc ho-
mo factus adeò voluit humanitati adhærere,
ut ab eadem nunquam sejungeretur ; quia ex
amore in homines totus humanus, mansue-
cus, & tractabilis excussis cogitationibus
afflictionis nil voluit cogitare nisi cogitatio-
nes pacis, & ut Rex pacificus voluit mun-
dum ingredi, quasi ros in vellus, cùm silen-
tio cadit ; & nasci, cum totus orbis esset
in pace compositus.

§. IV.

Puellus JESUS in cunis specio-
sissimus intuentium rapiens sensus, &
amores, cor exposcit nostrum, ut non aliò,
quàm in ipsum amorem nostrum diriga-
mus, ferventiúsque eum
amemus.

BEllorum strepitus, hominum clades, 24.
tumultus armorum aversatur Deus
cogitans cogitationes pacis, & non
afflictionis ; silentium amat, cum nonnisi
semel intra se locutus in tota æternitate uno
omnia dicat in Verbo, quod à nobis ut audire-
tur nocte intempesta ; cùm medium silen-
tium tenerent omnia, edi, ac nasci voluit
Bethlehemitico in specu, & quidem in via,
cùm non esset locus in diversorio ; quia fa-
ctus Deus viator voluit in via nasci, ut vias
nostras dirigeret exemplo fortiùs, quàm
verbo ; & ut suum nobis statim amorem pro-
deret, voluit in agro Bethlehemitico, seu
in campo panis, fieri caro, ne obsonium
nobis in via deesset, & quo viatores refice-
remur, præsto esset : nimirum frumentum
electorum paleis jam maturum adhærescit,
& ideo in domo panis fit caro, ut de se ipso
convivium hominibus appararet. Vel pa-
leas pro cunis elegerat, quia cùm amore
arderet in homines aptam concipiendæ flam-
mæ materiem statim quæsivit, ut quem ve-
nerat in terras ignem missurus, promptiùs
flammas spargeret ; & homines ad amorem
inflammeret ; neque timendum erat, ne fri-
gerent in hyeme, cum in paleis divini amo-
ris flamma accubuerit ; materia nutriendo
igni apta omnem excutere frigoris rigorem
debuerat, cum divini amoris foveret ignem :
neque ulla erat aëris pertimescenda asperi-
tas, cum tenerrimus ille divini infantis va-
gitus, pacifera cœli næniola terris eblandita
mitigaret omnem rigorem, accenderétque
homines ad sui amorem, cujus flamma, ut
clarior illucesceret inter noctis tenebras, in
lucem edita paleis innutritur : nimirum in
noctis meditullio, ac medius inter feras
cicures nasci voluit, sedem virtutis æquè
oriens, & moriens occupaturus ; extrema
declinans medium natus occupavit locum
bovem inter, & asinam, & denatus medi-
us inter latrones : seu quam virtute vitam
inchoaverat, clausit ; ut nos in studio vir-
tutum edoceret perseverantiam. Imò pa-
storibus circumdatus medius etiam inter pa-
stores se spectabilem mundo tradidit, &
rectè, decuit enim, quem Joannes prædixe-
rat agnum futurum tollentem peccata mun-
di, nasci inter pastores, à quibus priùs ag-
nosceretur, & quidem cum lupi procul ab-
essent, & pax placidissima orbem totum
tranquillaret : decuit siquidem dissidentia
hominum capita odium deponere, quando
unigenitus à Patre nova amoris bella elegit,
quibus efferatos hominum animos, & mu-
tuis

tuis sævientes odijs, humanitate loricatus humanissimè expugnaret: nimirum adeò assueverat frequentandis ex amoris impulsu humanitatis actibus, ut tandem non solùm actu, sed & habitu inventus fuerit, ut homu; adeò invaluit assuetudo, ut etiam in æterni Patris filio in alteram transiret naturam.

25. Sed cur divinus amor, cùm ei locus non fuerit in diversorio, voluerit in campo hyemare? an cœlestem hospitem exceperat tuguriolum non alio illustre splendore, nec elatum supellectile, quàm solis radio, quia cum cœli amplitudines reliquisset, non potuit in terris, nisi angusta invenire mapalia? Quem amplitudo cœlorum capere non potest, nonnisi angustum potuit in terris ei hospitium obtingere. Secesserat in suburbanam casam paritura Virgo cum ejus conjuge Josepho, uterque Virgo campum petijt, cùm nondum urbes virginitas, & sanctitas incolerent. Hyems tunc erat, tempestas perfrigida; cui nox intempesta incrementa adderet riguris. Verùm cùm primùm in paleis divini amoris ignem virgo reclinavit, vitales æstatis cœperunt calores fervescere, & quæ antea frigore hyemaverat terra, cœpit æstuare, quia sol divinus virginem inter & taurum natus, hoc est medius vernam inter temperiem, & autumnum, nonnisi æstatem flammis ferventem amoris poterat invehere.

26. Sed si totus fuit natus in terris amor igneus, cur vagit, & frigore tremit nudulus amor, cur rigidiora frigora jacentem in palea puellum adurunt, quem jam divinus calor adusserat? Venerat dolores, & molestias subiturus pro homine; ideò cùm primùm in terris apparuit factus homo, hominis passiones assumpsit, divinæ pro homine satisfacturus justitiæ: quàm ardens in ipso fuerat desiderium tormenta, incommoda, ærumnas, dolores, subeundi, & tolerandi! cùm nec prima sui natalis momenta permiserit sine incommodis diffluere. Sed si frigore tremuit, & lachrymulas elicuit, salutarium scilicet dulorum gemmea tyrocinia; nulla tamen unquam fœcundiote pluviâ permaduit tellus; nec ulla nox puriore perfusa rore stillicidia effudit pretiusiora.

27. Sed cur Virgo mater tenellum pannis puellum involvit? An non Regium puerum purpureæ auro, gemmísq; nitentes decent fasciolæ? An non purpureus splendor natum in terris decet amorem? cur igitur nascens in campo rusticatur amor in pannis medius inter pastores, ac rusticellos? an quia rustico more mavult pannosus esse, quàm purpureus? nimirum in terris humiliatus, pannolus vix natus voluit spectari, & purpuram assumere in prætorio ad ignominiæ incrementum. Non tamen ita fuit pannis involutus, quin jacens in præsepio solutis brachijs lævam manum pectori admoveret extensâ porrectâ ad circumstantes dexterâ: sed quid, quòd sinistra super pectus dimissâ, dexteram extenderet ad spectatores? An aliquid, ut peteret subsidij in ea mendicitare? sed si cœli erat thesaurus; si divinitatis ærarium, quid ab hominibus mendicat, qui cœli thesauros possidet? si plenitudo terræ, & universa, quæ cœli ambitu continentur, ipsius sunt, ad quid stipem petere? cur potiùs, si mendicare libet, à Patre non petit, non ab homine, expectaturus ab ipso benedictionem: implet siquidem omne animal Deus benedictione: cur igitur à Patre non petit, si quid expetit, cum paratus sit omnia extradere? *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* Psalm. 2. ah! non petit sua, sed nostra commoda; non aurum, non argentum, non purpuram, non sceptrum, nec diademata petit natus in terris divinus amor, sed cor hominis. *Prabe fili mi cor tuum mihi*, Proverb. 23. hoc enixim peto, ait, natus in terris divinus amor, cor hominis; quamvis veste caream, non tamen purpuram exposco, non vestes cupio, sed cor hominis: nudus jacens mihi gratulor, dummodo hominis calefiam amore: ita ast, qui cœli thronum reliquerat, terræ regna fastidit, & tantùm cor hominis enixim efflagitat: ex manibus alterâ proprium custodit cor, & alterâ illud quærit hominis, sinistrâ sibi militat adhæsurus dexterâ homini.

Sed cur potiùs à dilectissima matre non expetijt cor, cùm præ cæteris omnibus puriori, ac intensiori flagraret amoris flammâ? 28 cur Virgo mater non statim cor præbuit filio? An quia unà cum filio cor hominibus dederat; & corde caruit, cùm primùm filius claruit, quem in terris pepererat? si ibi cor est ubi amor, cùm fuerit totus amor Virginis in filio, ita edidit filium ex utero, ut cor suum cordi infixum filij etiam deposuerat? Quòd si ibi cor dicitur esse, ubi adesse censemus thesaurum? totus virginis matris thesaurus unicus erat filius, quem peperit, quem cùm reclinâsset in præsepio, ibi etiam cor suum posuerat, ubi filium deposuerat; neque enim potuit mater cor in pectore habere, cùm filium videret in fœno jacentem; ubi jacet puellus JESUS, ibi ardet cor matris. Hinc non à matre cor petijt puellus jacens in palea, cùm sciret maternum cor à se jam possideri. Sed à peccatoribus cor petit; sed cur? an quia corde ipse careat? indiget, qui mendicat, & petit; non petiturus, si possideret: quid? quod cor petat hominis? an quia caret ipse corde? ita prorsus est, cùm homines amaret, ejúsque amor totus arderet in homines, ab hisce cor petit, quia ibi cor, ubi amor: *vulnerâsti cor meum*, ait, Cant. 4. amore scilicet, ubi hebraicè legitur, *abstulisti cor meum*, non igitur mirum, si cor quærit, qui noverat sibi cor ablatum.

Sed

29. Sed cur excors puellus JESUS ? cur tam anxiè cor nostrum petit ? ad id sanè, ut nos impensiùs amet, sibi cupit cor restitui, ut iteratò illud intentiori amore nobis exhibeat. Præbeamus igitur excordi puello cor nostrum, ut nos ardentiùs amet, eatenus nostrum in fœno emendicat cor; quia sibi sentiens cor deesse, fortassis timet, ne minus nos amet. Quòd si excordem non dicamus JESUM, & adhuc exposcentem nostra corda; id sanè, ut suo, & nostro possit ardentiùs amare: in tanta enim rerum omnium inopia non vestium, non domesticæ supellectilis; non domûs, auri, aut argenti carentiam pavet, sed nudus amor inopiam timet charitatis. Plura cupit in suo pectore includi corda suum scilicet, & nostra; ut grandiori amoris exæstuet incendio, & nos, non tantùm suo, sed & nostro amet corde. Vel nostra petit corda, ne nostrum in aliud dirigamus amorem, quàm in ipsum; vult nos excordes nostra petens corda. *Præbe fili mi cor tuum mihi*, ut eum duntaxat, & quidem impensiùs amemus, & in ipso duntaxat vivamus, quia ibi vita, ubi cor: vivimus igitur in puello JESU, si nonnisi JESUM amemus, si cor nostrum ei præbeamus: Imò caremus corde, si puello JESU cor nostrum enixim petenti non præbeamus: quis non amet JESUM, à quo tam impensè amamur? si non amet, silice est durior, & ilice insensibilior omni destitutus affectu: quem puelli JESU lachrymulæ non emolliunt, quem divini infantis vagitus tenerrimi non flectunt, non homo, sed stipes creditur.

30. Ne simus excordes, donemus, & nos cor nostrum infanti JESU illud petenti; donemus ei cor, si velimus cor possidere, seu puerum JESUM; si cor nostrum puer iste possideat, cor JESU nostrum erit, neque excordes sumus, si ita excordes: cor nostrum, si JESUS possideat, dat, & nobis cor suum; & quia in corde JESU cor nostrum est, non ampliùs excordes, sed bicordes sumus; suo nimirum, & nostro viventes corde: ut JESUM igitur possideamus, cor nostrum ipse possideat. Nolimus propterea à munere manum retardare, demus illi mente sincera, animo munifico, & candido cor nostrum, ut suum possideamus, & nostrum: plura & nos emendicemus corda, quò intentiùs JESUM amemus.

31. Tyrocinia sui amoris in homines posuit, vel in cunis, æterni Patris Filius; & ut terræ ubertatem nobis sponderet, spicas voluit in cœlo apparere, quasi sol ad agni nuptias vocatus nonnisi spicis coronatus voluerit comparere. Cùm sperarent homines de cœlo panem, quò uberiùs reficerentur, debuerant in cœlo spicas suspicere; quia si terra hyemavit rigidiùs ob frigida hominum corda, quàm ex gelidis undis; æstas fuit in cœlo, ubi spicæ apparuêre flavescentes in sole, & Deus Pater eo æstuavit amore in homines, ut iisdem suum etiam extraderet unigenitum, seu unicum filium ita Patris exhaurientem fœcunditatem, ut eidem fratrem addere, nec velit, nec possit: & licèt ejus fœcunditate facundissimus, nonnisi unicum profert Verbum, à quo tamen numeri damnum compensatur, cum ipsa sui apprehensione cuncta comprehendat, unicâ locutione omnia exprimat. Est siquidem Dei filius ejusdem cum patre naturæ; ex cujus fœcunditate procedit, quamvis nativitatem non præcedat conceptio, cùm idem sit ipsi concipi, & nasci; & licèt ante Luciferum genitus, adhuc in splendoribus natus est; & quamvis totam acceperit à Patre suam substantiam, adhuc cum Patre omnia habet communia. Avos, abavos, Proavos, Atavos non recenset licèt nobilissimus, cui tota nobilitas à solo Patre derivat, & licèt genere antiquissimus majoribus tamen caret, quia Patri est prorsus æqualis. Quòd si vera nobilitas sine majoribus splendet in unigenito æterni Patris: discant homines propria tantùm gloriari nobilitate, quam virtus parturit; non ea Majorum, ac prædecessorum, quæ cum sanguine in ipsos derivatur.

Hic igitur æterni patris filius nasci voluit in terris ex virgine, & homo fieri, ut similis similem amaret; alliceretque ad sui amorem, & quidem pluribus documentis, quæ tunc cœlum, terra, & elementa dederunt: ministravit siquidem terra oleum, ut veniente sponso ornatas haberemus nostras lampades, seu amoris lichnum accensum: vel suppeditavit nascente Christo tellus oleum, ut sub tanto duce nobiles initiaremur Athletæ; & ne deesset materia inungendi Christi pugiles luctaturos cum tartaro: scaturivit terra oleum, vel quia nondum obduxerant vulnera nostra cicatrices, quia nondum fota oleo, quod propterea tellus ministrat; & ut circumligarentur, adfuerunt, & fasciæ, quibus noster amor etiam involueretur. Vineæ itidem Engaddi haud procul à tauro solem sentientes illicò floruerunt, nimirum sol in signo tauri ortus vernam prodit temperiem, ideòque tacitè flores apparuêre in Engaddi vineis. Ut discerent homines flores dare virtutum. Neque defuêre alia è sinu Patris in terram delapsi amoris signa, siquidem ara cœli novos Romæ mystas annuntiavit, & ne plebeo crederetur Numini dicata in triplici sole, trina fuit eidem lampas appensa; neque elementum aquæ sensu fuit lætitiæ destitutum, cùm plures exilierint fontes, qui grato murmure per varios discurrentes meandros, nato Christo plauderent; nimirum tripudia egerunt aquæ cum hominum salutem ab aquis, seu fonte Baptismi prænoscerent initiandam. 32.

33. Imò quia veritas in terris tunc orta fuit, mendacia pati in terris ampliùs non potuit; & quia veritas claruit, caruit responsis omne mendax oraculum. Imò Principem pacis in terris senserat etiam Jani templum, ter ab Augusto in signum pacis clausum, quòd si Augustus clausit in terris Jani templum; aperuit natus in terra unigenitus æterni patris fores cœlestis patriæ, non tamen alia clave, quàm illâ crucis; & ne ampliùs nobis clauderentur, clavem ipsam dejecit in terras, ut in arbitrio esset hominis cœlum sibi aperire. Hæc fuerunt rudimenta divini amoris allicientis homines ad redamandum. Et ne crederes per signa, tantùm extrinseca voluisse nos instruere in schola amoris, voluit, & ipse tesseram sui amoris proprio adnotare sanguine lapideo cultro recisus: neque hyemali frigore remitti potuit ardor ille amoris, sed potiùs debuit magis intendi, quia impatiens quasi moræ è pectore exilivit, & per sanguinem foras erupit, fuit hæc sanguinis effusio, primum sui sacrificij libamen, cœpitque pretio sanguinis divinæ satisfacere justitiæ, simúlque nobis suum amorem prodere, quando vix natus non de alieno, sed de proprio sacrificium obtulit, & eò pretiosius, quò sufficiens fuisset, ut mundus totus redimeretur: nimirum stigmata amoris in nostræ salutis tesseram voluit exprimi, ut altiùs menti nostræ imprimeretur ejus amor; qui ut lacteam nobis ad cœlum viam sternere, suam à sanguine maluit inchoare; quia venerat dolores nostros portaturus, voluit statim eos experiri, ut eosdem nobis minueret; major enim semper ei cura fuit de nobis, quam de se ipso: hinc mulieribus conquerentibus de vulneribus ipsi inflictis, respondit. *Filiæ Jerusalem nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Ita conscissus virgis, fractus vulneribus, gravatus, ac pressus patibulo filias fuit Jerusalem allocutus; nec madere eas lachrymis passus, voluit ipse madere sanguine.

Luc. 23.

§ V.

Suo Christus indormit periculo, ut ocyus discrimini occurrat hominum, quos impensè amat, & quorum saluti enixim studet.

34. Adeò sui immemor, & nostri memor erat Christus Servator, ut potior de homine ei cura fuerit, quàm de se ipso; idque pluries comprobatum voluit. Scimus periclitatam bis Petri cymbulam in mari Matth. 8. *Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse autem dormiebat*, cùm enim in altum paulò longius essent profecti, vident Apostoli coire paulatim nubes, tonare cœlum, micare ignes, ruere noctem; præliari Euros, Notósque in aëre, & abigere maris malaciam, fluctus excitare, qui veluti spumantes furore naviculam oppugnabant, cujus tabulata periclitabantur; cúmque Christus dormiret in eadem navicula; tametsi totum cœlum videretur in mare descendere, & omnia inter se elementa permisceri, & navem fluctibus jactari, & unà cum undis mox ad sydera tolli, & cum ijsdem dehiscentibus ad manes usque deprimi, tunc Discipuli imminens declinaturi naufragij periculum suppetias à dormiente petunt. Tunc enim discipuli accesserunt ad Dominum, & *suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus.*

35. Quid? quòd Christus futurorum præscius, præsentium ita videretur quasi ignarus, ut instantem procellam, tempestatis horam, tempus periculi non præcaveret, & vigilantibus cæteris ipse solus somno sopiretur? an quia probare voluerit suos in navi Discipulos? siquidem gubernatoris peritiam non serena probat temperies, sed procellosa prodit tempestas; blandiente aura, favente zephiro, arridente Favonio navim regit etiam ultimus nauta; æquoris malacia artis nauticæ vix peritiam exigit, trajicitur mare remorum verberatione, adigitúrque ad parendum, & fluxa sua itinera sternenda: sed in ventorum confusione, in aëris, marisque tumultu; cum aquarum montes sursum, déque volvuntur, cùm navis non secus, ac arietibus, ac balistis oppidorum muri, fluctibus quatitur decumanis, & subscudibus revulsis, laxatísque compagibus per hiantes rimas via undis aperitur in navim; tunc quæritur primi ars Magistri, qui clavum dirigat, & navim regat: hinc discipuli, cùm vidissent sibi industriam defuisse nautarum, & in naviculam maria sævire, fluctus insurgere, & ventorum agmina irruere; tunc ad ipsum Gubernatorem universi, Rectorem mundi, elementorum Magistrum, trepidi confugêre, enixim rogantes, ut fluctus sedaret, periculum submoveret, & salutem desperatis redderet. Suscitatus à Discipulis Magister Christus sola jussione repressit mare, coërcuit ventos, abegit turbines, tranquillavit mare, *tunc surgens imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.*

36. Secundum periculum, quod Petri naviculæ imminuit, describit Matthæus: *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, Quarta autem vigilia noctu venit ad eos ambulans super mare.* Quid? quòd antea sæviente procella dormit Christus in navicula fluctibus agitata, & modò super undis discurrit relicto monte, ubi pernox Patrem alloquebatur? Quid, quòd non rogatus à Discipulis sæviente procella, insolescentibus undis, intumescentibus fluctibus, relicto monte, mare

Matth. 14.

in

ingreditur, suisque pedibus tumentia terga submisit, stravit, ac turbulentos vortices sedavit, motus frœnavit, marinos æstus coërcuit, fluctus compescuit: & per liquefactam viam, per fluxa itinera, æquoris terga pedibus pressit, perinde ac si solida saxa forent. Quid? quòd super mare JESUS deambulans prodigiosa divinitatis suæ ostentatione nulla provocatus laborantium voce statim periclitantibus accurrit; cum suæ explicandæ patientiæ adeo parcus aliàs
Matth. 17. esset, ut indignaretur oblato sibi à turbis energumeno? *Accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens, Domine miserere filio meo, quia lunaticus est. Respondens Jesus, ait, ô generatio incredula, & perversa? usque quo patiar vos.*

37. En quàm ægrè pateretur trahi se ad pompam depromendam signorum humilitatis studiosus, qui virtutum omnium erat Magister, virtutem patrandi miracula, ac insueta dandi signa excellentioris potentiæ occuluit: cum tamen jactatâ fluctibus Petri cymbâ ultro mare ingreditur, minasque fluxi elementi, tumorésque tumultuantium fluctuum pede libero premit, accurritque Discipulis periclitantibus suppetias allaturus? Quid hoc, an non fluctibus exagitata periclitabatur Petri navis, cùm Christus in eadem dormiret? quinimo tunc non solùm jactabatur, verùm & fluctibus operiebatur, cum Christus dormiret; & nunc cur solicitus accurrit, cum non ita periculum immineat, sed tantùm marinis jactetur cymba undis. Quid quòd concussam minori impulsu cymbam prodigijs servat, quam neglexerat graviori quassatam turbine, somno in eadem sopitus? Ut suum in homines amorem proderet, neglexit navis regimen somno sopitus, cùm majus immineret periculum: adfuit ipse in navi cum fluctibus operiretur; abfuit verò, cùm tantùm jactaretur: accurrit igitur, cùm abest; dormit verò, cum adest: tardiùs obstitit communi discrimini, cui ipse obnoxius cum suis Discipulis erat, hoc est, propter neglexit periculum, cui seriùs obfuit; cùm verò soli periclitarentur Discipuli moras quásque disrupit, & ut promptiùs procellam coërceret, fluctus compesceret, quibus soli obruebantur discipuli, relicto monte procellosum solicito passu ingreditur mare, & per fluxa itineta terga premit furentis elementi, ne quidquam damni sui in cymba paterentur Discipuli; quorum propterea statim disjecit periculum, abegit procellam; licèt cum etiam de proprio ageretur discrimine in cymba dormiret, & in puppi sopitus suum sustinetet periculum dormiendo; ut inde edoceremur Deum diligere, nostrorum scilicet discriminum negligentiâ, & divinæ ultione injuriæ, ac flagitij aversione: dormit, cum periclitatur ipse in mari; currit sicco pede per tumentes fluctus, ubi jam non de proprio, sed de Discipulorum agitur discrimine: ita suo Christus indormivit periculo, ut ocyus occurreret discrimini Discipulorum. Noluit ipse pernox orans in monte cœli rore madidus concrescere in gemmas, ne Discipuli in periclitante cymba spumantium aspergine fluctuum maderent, adeò ingens fuit Christi amor in nos, ut nostra pericula plus cordi haberet, quàm sua, promptiúsque nobis accurreret, quàm sibi: nimirum Deo sumus percari cum impenso nos prosequatur amore. *Ipse enim Pater amat vos.* Joannis 16.

Sed inquiramus, an divinus in nos 38.
amor exundet largiùs, si Deo, an si ejus clientibus impensiùs obsequamur. *Intravit Christus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Luc. 10. Occurrerunt statim tanto hospiti ambæ sorores, quæ æqua humanitate, pompa, & lætitia eum exceperunt, cui obsequebantur ut Domino, ministrabat Martha Christo, cui Maria adblandiebatur; solicita erat Martha in obsoniis præparandis; æstuabat Maria in affectibus explicandis, illa quomodo hospitem reficeret, quærebat; hæc quomodo à Christo reficeretur, petebat; externa erant Marthæ studia; interna Mariæ occupatio; sed nullas hactenus sui amoris notas apud hospitas impresserat Christus: non enim legimus, eas dilexisse, quin potiùs Martham objurgavit, redarguitque profusioris in cœnam studij. Sed quid? cum postea ægrotaret Lazarus, cui jam languenti, ac morienti assidebant sorores; nuntium statim ad Christum mittunt pro fratre datis tabulis scriptis. *Domine,* Joan. 11. *ecce, quem amas, infirmatur.* & Christus perlectis codicillis conversus ad suos Discipulos ait: *Infirmitas hac non est ad mortem, sed pro gloria Dei,* & tunc tantùm Christi amor in sorores ægrotantis se prodidit, subdit enim Joannes: *Diligebat autem Jesus sorores ejus Martham, & Mariam:* at si impenso amore sorores Lazari fuerat Christus prosecutus; cur Joannes hujus dilectionis non meminerit, cum ab ipsis in Bethania exceptus hospitio perhonorificæ accubuit cœnæ? cur amor Christi in Magdalenam non se aperuit, cum in domo Pharisæi ab illa amari se dixit plurimùm, sed tantùm amorem, & affectum explicuit Magdalenæ. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum:* quia sorores beneficia, antequam Lazarus infirmaretur, præstiterant Christo, quem hospitio exceperunt in Bethania, & Magdalena profuso Nardo pedes Christi oblinivit, totámque opplevit odore domum, & cum beneficiis sibimet impensis à sororibus cumularetur, nullam in eis amoris notam aperuit; sed tunc tantùm, cum enixim rogârunt pro fratre gravi tunc ægritudine laborante. *Domine, ecce, quem amas, infirmatur:* Joannis 11. incœpit explicare Christus suum amorem in sorores; quia beneficia non ampliùs Christo, sed Lazaro im-

impendebant: *Diligebat autem JEsus Martham, & sororem ejus Mariam*, ut testaretur gratiora sibi obtingere obsequia, quæ suis, quàm quæ sibi impenduntur,

39. Igitur impendenda sunt beneficia ægrotantibus, ac indigentibus, si divini notas amoris eupimus. Opitulemur pauperibus, solatium offeramus afflictis, si eupimus, & nos divino solari amore: quæ non fuerant recreatæ sorores ad Christi pedes affusæ, nec eidem hospiti obviantes, nec parandis patinis insudantes: ejus amoris tesseram lætæ tunc suscepêre, non cùm Christo, sed cùm Lazaro ægrotanti beneficas se exhibuerunt, rogáruntque enixim pro ipso: quamvis Magdalena natâsset in nardo, & Martha lectum stravisset hospiti in rosa, & lilio, ut charitatem redoleret, & castitatem; adhuc tamen notam amoris, quo Christus eas prosequebatur, non suscepissent, nisi in Lazarum se prodidissent beneficas: nimirum uberiùs locupletamur à Christo, si licèt parciores in ipsum, profusiores simus in suis.

40. Zachæum hic accitum eupio, qui ex avaritiæ compede, qua auri captivus detinebatur in cœno, soluto vinculo, explicatisque gratiæ alis repentè ad libertatem avolavit, & sublimia adpetijt, quem ima detinuêre. Desilierat è sycomoro Publicanus, Christóque domi suæ mensam instruxerat; non tamen tot obsequijs delinitus præceptor, ullam suæ dilectionis prodit notam. Sed cum à Christo epulo sejunctus, Christi cœpit pauperibus famulari, præsensit tunc divini in se vim amoris, & arbor, quæ antea licèt culta officijs, nec folio vireret commendationis, exuberavit statim in fructus. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*, ait JESUS ad eum. *Quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abraha*: quia impensissimè amat Christus suos pauperes, vult nos in illos beneficentiores, quàm in se ipso: totus ejus amor in pauperes redundans, istis non sibi peroptat à nobis impensa beneficia. Quot sunt Publicani, qui mortui peccato revixerant obsequio pauperibus præstito? Exemptus è compede est, nec ampliùs vinculis irretitus, qui ære proprio indigentes solatur. Luc. 19.

§ VI.

Adeò impensè nos Deus amat, nostrisque studet commodis, ut acriùs puniat injurias nobis illatas, quàm sibi irrogatas.

41. IMpensiùs Deus nostris, quàm suis studet commodis. Jussus Saul fuerat à Deo Amalecitas, seu populos Palæstinæ, quorum scelera mensuram expleverant, igne, ferróque delere, ac radicitùs exscindere omni exclusa pietate, ut nulli parceret sexui, ætati, aut formæ, imò neque gregibus, armentis, aliisque pecoribus, & simul expilaret urbes, diriperet fortunas, résque privatorum; quòd si quis hostili jugulo pepercisset, hunc voluit in proprium caput crudelem fore; quia eum daturum pœnas statuerat Deus, qui vindictam de Amalecitis non sumpsisset, verba sunt Samuelis ad Saulem. *Me misit Dominus, ut ungerem te in Regem, nunc ergò vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus: non parcas ei, sed interfice à viris usque ad mulierem, & parvulum, atque lactantem, bovem, & ovem, & camelum, & asinum.* 1. Reg. 15.
Et quónam enormissimo scelere Numen Amalecitæ irritavêre, ut tam acerbas promeruerint pœnas? an quia litaverunt Beelphegor? vel Babelem instauravêre Amalecitæ, ut cœlo Deum detraherent? an veri Numinis per singulos Palæstinæ tractus nomen, & aras delevêrunt, ut mererentur, & ipsi ex cathalago obliterari viventium? An ex Amalecitis fuerat Antichristus oriturus, & Christum morti traditurus? supplicium siquidem vix poterat atrocius præcipi; nec Saul, si tota sævitiei vires exercere voluisset, immitiùs vix procedere potuisset, nec sævire truculentiùs; cur jubetur Saul simul inaugurari in Regem Israëlis, & simul sanguinem effundere Amalecitarum? cur purpura Regia jubetur statim rubere sanguine? gaudium Israëlis lachrymis irrigari Amalecitarum? & thronum sibi construere ex urbibus solo æquatis? cur potiùs pro sceptro aras non exegit; pro diademate hostias non poposcit; pro purpura aulæa in templis, & sacram in iisdem non petijt supellectilem? cur non hostias, sed hostes Amalecitas prostratos, ac immolatos voluerit? cur pro Diademate districtum gladium, quo Rex recèns inauguratus sæviret, cædésque spargeret cruentas? quódnam delictum adeò enorme supplicium ita atrox exegit, ut quavis disruptâ morâ cùm primùm Saul Rex inaugurâretur, promptiùs gladium sumeret, quàm sceptrum; galeam quàm diadema; & sanguine priùs Amalecitas exueret, quàm purpuram ipse indueret? quod scelus ad pœnas tam atroces exigendas Numen lacessivit? Non promeruêre Amalecitæ ferro amputari, igne extingui, propriόque sanguine deleri, eò quia Deum læserint, vel injuriam ei gravissimam irrogaverint, sed quia Israëli in via obici fuit, cùm ascenderet de Ægypto: *Audi vocem Domini, hac dicit Dominus exercituum, recensui quaecunque fecit Amalech Israëli: quomodo restitit ei in via, cùm ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus:* quia Israëlem læserat Amalech, pœnas tam atroces ab eo Deus exegit: si non Israëlem, sed Deum læsisset, sanguinem

Ama-

Amalecitarum, non permisisset effundi, & promptiùs pepercisset; sed quia Israelem læserat, implacabilis fuit Numinis furor: sacrilego scelus dimisisset, & offensam sibi illatam condonâsset: non ita insidiatori, qui in via restitit Israeli, cui cum fuerit offendiculo, ideo noluit eidem parcere. *Non parcas ei, demolire universa ejus*, quasi diceret: si mihi restitisset, si injuriam mihi irrogâsset, forsan ei pepercissem; sed quia non mihi, sed Israeli restitit, delendus est Amalechus ferro, & igne; immittendæ sunt contra ipsum, & suos irritatæ tigrides, quæ ejus sanguine inebrientur; evocandi sunt è telluris cavernis tortuosi anguium exercitus, qui venena fundant, homines inficiant, ac interficiant; excitanda sunt incendia, quibus Amalechi urbes extinguantur, solóque æquentur, quia non mihi, sed Israeli restitit. Quia Deus impensiùs nos amat, nostrisque studet commodis, acriùs punit injurias nobis illatas, quàm sibi irrogatas.

42. Expertus id fuit Heliodorus missus ad expilandum templum Jerosolymitanum. Profectus is fuerat multo cum equestri, ac pedestri comitatu, & quidem apparatu militari potiùs, quam specie delegationis, Jerosolymam, idque fortassis ut Jerosolymitis majori foret terrori, eósque in sua vota, si non prece, saltem vi flecteret. Appulit Jerosolymam, excipitur perhumaniter; sciscitatur ex Honia sacerdote de templi reconditis opibus; docetur ab eodem templi opes tantas non esse, quantas ipse putaret, & potiorem partem esse viduarum dotales reliquias, ac pupillorum patrimonia, & plura alendis etiam pauperibus esse destinata; reliqua donaria esse, quibus Orientis Reges voti, & Religionis causâ illuc venientes tesseram sui obsequii templo dedêre, in quo verum cœli Numen venerati fuerant. Hæc Honias ad Heliodorum, sperans fore, ut ab expilatione templi, ac thesauri direptione eum retraheret.

43. Sed Heliodorus stipatus armata militum phalange, effractis portis, templum petit, & flente sacerdote, ejulante utriúsque sexus multitudine, tundentibus pectora viris, lugentibus puellis sacram irrumpit in ædem, instrumentisque fabrilibus adhibitis sacrum disrumpit ærarium, vasa sacra, templíque supellectilem diripit, & omnia susdéque profana manu evertit. Sed quia patrimonia expilavit pupillorum, & victualia diripuit viduarum, comitem flagitii sensit pœnam: eodem fermè temporis articulo Dei vis, & quidem occulta, sed horrenda, eum ita acriùs tetigit, ut tremore membrorum, formidine mentis, nervorum omnium dissolutione universum Heliodori satellitium, ac comitatum prostraverit, & in humum dejecerit quotquot cataphracti eum ipso venerant jacentes exanimes, extinctis, quàm spirantibus similiores; Heliodorus verò quia cæteris gravius ausus fuerat delinquere, pœna etiam graviori plectitur. Immissus enim eidem divinitùs, splendidus quidem armis aureis, sed oris, oculorúmque fulgurantium, aspectu terribilis, è cœlestium Angelorum turmis eques in adversi frontem, ac pectus vim intulit; eíque ferocis, quo insidebat equi, ferratas pedum anteriorum ungulas immisit. Et eodem tempore cœlestes alii duo juvenes non tam vultûs veneratione, quàm habitûs majestate spectabiles, utrinque claudentes in medio Heliodorum, flagris atrocioribus indefessa verberum ingeminatione lacerârunt, neque lachrymæ vociferantis, & ejulantis percussores valuerunt emollire. Ubi tamen satis sævitum flagris fuit adstantium se oculis subduxêre. Heliodorum tamen veluti repentino quodam fulminis prostratum afflatu penè extinctum dejecerunt in humum.

Sed quid causæ adeo atrocis supplicii? 44.
an quia sacrilego ausu fores sacri templi fregerit? An quia sacram altaris diripuerit supellectilem, & Deo gravem intulerit injuriam? Hæc promeruisset supplicia pro patrato sacrilegio, pro injuria Deo irrogata; sed non ob id fuit tam acriter sævitum in Heliodorum, si enim sacram duntaxat expilâsset supellectilem, solíque Deo injuriam intulisset, mitiùs cum ipso Numen processisset; sed quia viduis, & pupillis damna intulit, acriùs meruit puniri: *Tunc summus Sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum, & pupillorum, quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis.* 2. Machab. 3.

45. Non Honiæ sacerdotis rationale lictores Angeli vindicârunt, sed Tobiæ direptum depositum; non ob expilatam altaris supellectilem vapulavit Heliodorus, sed ob pupillorum sublata patrimonia: non ob rapta vasa aurea, & argentea Numini sacra examinis cecidit inter lorarios Heliodorus, sed ob viduarum expilata victualia. In senem Heleazarum graviter deliquerat Antiochus Rex, qui occupatis aris, mensisque Sionis nitebatur suilli carne inquinare Machabæos, & tamen non sævitur in Antiochum sicut in Heliodorum, quid causæ? quia nimirum Antiochus divini juris violator extitit, cum Machabæos voluit adigere, ut suillam comederent carnem: erat enim scelus, quo Numinis lex violabatur, ac injuria Deo irrogabatur: sed Heliodorus ideo proscissus, acriúsque in ipsum sævitum fuit, quia humanum jus violaverat, viduarum victualia, & pupillorum patrimonia expilaverat: mitiùs se gessisset ultor Deus cum Heliodoro, si templum duntaxat profanâsset, aram evertisset, & sacra vasa diripuisset; sed quia ulteriùs progressus damna intulit viduis, ac pupillis ægriùs id Numen tulit, cujus amor impensiùs nostro studet commodo, quàm suo, proinde voluit direptorem templi Heliodorum, & calcibus humi elisum, & virgis ad necem usque concissum.

46. Non me latet blasphemos, Deique

Isaia 1. contemptores acriter etiam punitos fuisse *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Væ genti peccatrici: blasphemaverunt sanctum Israel abalienati sunt retrorsum, super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? terra vestra deserta, civitates succensæ igni.* Non diffiteor atrox supplicium, quo flamma civitates absumpsit, probrúmque sterilitatis quo terram depauperavit. Sed succensis simúlque extinctis blasphemantium urbibus, exhausta videbatur divini furoris pharetra, extincta Numinis ira, cùm dixerit *super quo percutiam vos ultra?* quasi diceret, adeò acriùs sævitum in vos fuit, ut vix mihi supersit, quo vos graviùs puniam. Omnes è pharetra mea sagitas evibravi, & vix mihi superest, quo ulteriùs vos puniam. *Super quò percutiam vos ultra?* Verùm licèt Deus Urbium incendiis, demolitione pagorum ad satietatem videretur ultus ingratos, suíque contemptores nominis; nihilominus ubi eosdem infestos adhuc sensit pupillo, & viduæ; novi, & quidem acrioris supplicij telam redorditur, & quasi aliâ obarmatus pharetrâ jaculis fœta acutioribus; eos, quos ultra à se dixerat, non posse configi, novis, Isaia 1. mirísque extorquet suppliciis. *Principes tui infideles socij furum diligunt munera, pupillo non judicant. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel. Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis:* nimirum pœnas exiget ab hostibus, ad quos dixerat: *super quo percutiam vos ultra? terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni:* volt modò pœnas dare prioribus atrociores; quia antea blasphemiis divino duntaxat derogârunt honori, Numiníque injuriam intulêre; cùm nunc popillo, & viduæ sint damno, & non ampliùs Deo soli, sed suis viduis, pupillísque sint injurij. Fortâssis mitiùs etiam egisset cum blasphemis; at cum simul eos noverit viduarum oppressores, & pupillorum direptores instaurat tormenta, accersit instrumenta torquendis raptoribus rerum viduarum, & pupillorum aptiora: quia ulciscendis nostris injuriis acutioribus gladiis armatur Dei vindicis manus, quàm cùm agitur de vindicandis contumeliis, injuriisque sibi irrogatis.

47. Aufugerat à Sara Agar famula, quâ coram Deo nil iniquius, nilque coram hominibus vilius; Ægyptia siquidem ancilla audax, petulans, & fugax Ismaele fœta: domo sola sine comite egressa processerat per avia sylvarum in desertum; & quia hominum nullus eidem obviavit, Angelus è cœlo in terras delapsus eidem à Numine ablegatur, qui disrupto nubium aggere, fulguris instar nitore circumfusus ad Agarem in eremum venit: *Cùmque invenisset eam Angelus Domini in via Sur, dixit ad illam: Agar ancilla Sarai unde venis? & quò vadis? quæ respondit à facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixítque ei Angelus Domini:* sed quid putas dixisse Agari in eremo è cœlo ablegatum Angelum? an quòd deberet ei suadere incolatum solitudinis illius, ut ab hominum consortio sejuncta tutiùs sibi consuleret? vel legis arcana ei aperiret, vel mores Ægyptios eam edoceret, aut sponderet aliquid prosperi? nil horum edixit, sed ut ad herulam suam Saram reverteretur: *Revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius:* quid? tantus erat Numinis amor in Saram: ut ne una careret vernula, è summo cœlo in eremum Angelum delegaverit suasurum Agari reditum ad Saram: dixitque ei Angelus: *revertere ad dominam tuam:* ferre nequit Dei in nos amor damna, quæ nobis obtingunt, eáque reparaturus etiam è cœlo Angelos delegat: cordi erat Numini Abrahæ familia; cum ne unâ careret Sara vernularum Angelum in terram miserit, cujus suasu Agar per desertum fugax ad herulam reverteretur, *revertere ad dominam tuam;* nimirum ad familiam reintegrandam Abrahæ cœlestium Legatorum operâ remittuntur famulæ; sed ad æterni Patris filij dilapsam familiam revocandam non video pari studio è cœlo ullum ex cœlestibus demissum in terras spiritum.

Genes. 16.

Vincto à Judæis in horto Gethsamani Christo compedes fortassis timentes Apostoli alas pedibus addidêre, quibus Euro ocyus diffugerent; & vincula, quæ fuêrunt præceptori compedes ad capturam Discipulis pennæ extitêrunt ad volatum; & qui manus pastoris devinxerunt ad pœnas; pedes ovium instruxerunt ad fugam: *Discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quid hoc? aufugit ex familia Saræ, ex domo Abrahæ unica ancilla Agar, & ad instauranda familiæ damna in terras è cœlo delegatur Angelus, cujus ope Agar fugax ad Saram revertitur, & damna amissæ vernulæ reparantur statim: & ex familia filij Dei aufugiunt omnes Discipuli Magistrum relinquentes, vinculis illigatum, Judæorum rabiei traditum, & nullus è cœlo dilabitur Angelus reparaturus hæc damna in Christi familia? nullus advolat cœlestis spiritus, qui non unam Ægyptiam famulam, sed ut Apostolos omnes à suo transfugas præceptore revocet? ita est; nullus apparuit Angelus, nullus Discipulorum revertitur ad Magistrum, imò & Petrus, qui cæteris arctiùs videbatur Magistro adhæsisse, ab amore ad perjurium traducitur; unius ancillæ audito verbo *& tu de illis es* Matth. 26. *cæpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem.* An non fugâ fœdius perjurium fuit? tantùm abfuit, quòd Petrus ad Magistrum reverteretur: sed cur ut vernula è deserto revocaretur ad reintegrandam Abrahæ familiam ablegatur Angelus in Sur; & Jerosolymis ut Princeps Apostolorum non frigeret ad ignem prætorij, ne perjurio averteretur fœdus à suo Magistro, nullus è cœlo delabitur Angelus? sed unus duntaxat 48.

Matth. 26.

in

in terris obstrepit gallus, cujus cucurritu moneretur Petrus proprii flagitii? Quantis periculis obnoxiæ sunt aulæ! cùm vix Petrus illam ingressus frigere cœperit ad ignem, simulare cum fœmina, & mentiri coram ancilla: nisi dicamus in arte mentiendi, ita feliciter excelluisse Petrum, ut cùm mentiretur, vera depromeret: siquidem non noverat hominem, cujus venustas inter milites in eum sævientes ea non erat, quam in horto viderat. Contempserat Magister cohortem, sed reformidavit Discipulus ancillam, si tamen Christi erat Discipulus, qui aulam non coactus ingressus fuit, neque ante galli cucurritum Magistrum agnoverat, quem deserverat; & ideo splendores ignis quæsivit in aula, quia solem suum secutus à longe nitores perdiderat, & quos prope frigidos fontes ardores conceperat, prope ignem frigens extinxit; sed monitus erroris à gallo obstrepente, & increpante, adeò grandem concepit illicò dolorem, ut ejus magnitudini angusta nimis aula, quæ tantùm non poterat dolorem capere, foras egressus per stillicidia lachrymarum, ex oculis cordis patratam colpam foras emiserit, ut intus graviùs cor torquerent arescentes doloris superstites spinæ, *exivit foras & flevit amarè.* Sed si Petri jactura gravior fuit, quàm illa Agaris, cur non fuit illa perinde ac ista per cœli Nuntium reparata? nimirum quia in creaturam, seu in Saram fuerat fuga Agaris; & perfidia Petri in Creatorem redundaverat: hæcque causa, cur Deus damna sua sarcit garritu perstrepentis galli, & jacturam Saræ per ablegatum in terras Angelum, usque adeò in nobis Dei providentia exundat, ut sibi tantùm stillet. Reversuræ Agari famulæ ad Saram herulam, è cœlo demittitur in desertum Angelus Dei nuncius: conversuro Apostolorum principi ad magistrum Christum, à quo perjurus se averterat prope ignem, cuculutus destinatur obstrepentis galli.

§. VII.

DEUS hominum amans, nostri, quàm sui studiosior, promptior est ad nostras ulciscendas injurias, quàm suas.

49. FUisse Christum nostri, quàm sui studiosiorem ob impensum in nos amorem testantur Magdalenæ lacrymæ. Bis fuit Magdalena illachrymata; fratri Lazaro quatriduano, ac fœtenti in sepulcro, cui parentavit; & Christo non reperto in sepulchro, & quem quærebat in campo: sed lachrymæ, quas Magdalena in funus Lazari fudit, calcaria Christo fuêre, ut statim accurrerèt, & ægritudini Magdalenæ lugentis, & morti Lazari in sepulchro jacentis etiam contemptu periculorum, ac Judæorum quærentium lapidibus eum obruere:
Joan. 11. *Eamus in Judæam. Rabbi nunc quærebant Judæi lapidare te, & iterum vadis illuc? tunc ergo JESUS dixit eis manifestè. Lazarus mortuus est: sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas ad Discipulos: eamus & nos, ut moriamur cum eo:* Lachrymæ Magdalenæ lugentis fratrem mortuum, non solùm emollierunt lapidem sepulchri, in quo quatriduanus jacuit mortuus Lazarus, sed omnino excavârunt, fregerúntque; ut inde Lazarus redivivus resurgeret. Cessit saxea durities fluentibus Magdalenæ lachrymis, quæ lapidem sepulchri abegerunt: *Maria ergo cum* Joan. 37.
venisset, ubi erat JEsus cecidit ad pedes ejus. JESUS ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum eo plorantes infremuit Spiritu, & dixit ubi posuisti eum, & Lazarum licèt quatriduanum, vermibúsque scatentem evocavit é sepulchro, & lachrymis restituit parentantis Magdalenæ: sed cur lachrymis emollitus Magdalenæ tam grande suæ omnipotentiæ dedit Christus monumentum? an quia nobis esset documento, ne timeremus ægritudines, & mortem ipsam, si Christus nobiscum adsit? tametsi excubent circa nos mala, nobis ad internecionem insidiantia: siquidem ægritudines, & mors, quæ præsente Christo ausæ antea non fuerant Lazaro ullum inferre nocumentum; eo absente statim è vivis abstulêre, quæsita opportunitate nocendi, cùm medicus abesset.

Retinuisset adhuc Bethania Lazarum si 50.
Christum non dimisisset, si ægritudo non infecisset, nec corrupisset Lazarum, si è Bethania Christus non abfuisset: sed si absuit cùm ægrotâret, accersitus postea non ægritudinem tantùm è corpore, sed & mortem ipsam abegit è sepulchro. Verùm quid? quòd Christus præcurrentibus nuntiis, & narrantibus Lazari ægritudinem non statim cucurrit, sed maluit biduanas nectere moras? An quia in dispari gloria, par ei facilitas esset, & mortem vincere, & ægritudinem dispellere? sed profecit ægritudo, & spes defecit, quæ tandem cum mortuo Lazaro consepulta ad fœtorem usque computruit. Quòd si adfuit serus ægritudini dispellendæ medicus, accessit tamen opportunus, ut redivivus recederet Lazarus è sepulchro: neglexit vivo opitulari, ut mortuo vitam impertiret; hoc est geminavit dilatio medici decumbentis beneficium, sed Lazarum ex corruptione humorum non tantùm liberavit, sed etiam ex morte abstulit, & redivivum sororibus restituit; jussit Christus sepulchrale saxum tolli, simulque attolli spem sororum lugentium, quæ cùm fratrem è sepulchro resurgentem viderent tota viscerum commotione turbantur. Fœtuit Lazarus in sepulchro sororibus, sed nondum Deo, quem putredo nostra, ac fœtor corruptæ vitæ ad occursum invitat, non ad fugam; ad miserationem solicitat, non ad indignationem. Solottus è mortis vinculis, qui in sepulchro quatriduanus jacuerat Lazarus plena inter vivos

donatur

donatur libertate, nec de mortuo nil retinet præter silentium; eò quia steterit pro luculenta gratiarum actione ipsa muta admiratio beneficii; adeò valuerunt lachrymæ Magdalenæ quatriduano parentantis Lazaro, ut Christum moverint ad vitam mortuo impertiendam.

51. Non ita potentes fuerunt cùm secundò luxit, & tota colliquit in lachrymas, cùm Christum sublatum deprehenderet è sepulchro: accesserat Magdalena lachrymis madida ad sepulchrum, in quo Pilatus Christum condi jusserat, suo parentatura Magistro, vel saltem effusione lachrymarum exulcerati cordis linitura dolorem: sed quem non invenerat in sepulchro, solicita quærit in campo; ubi nova calamitas antiquam visa est memoriam obliterâsse; siquidem ablato è monumento Christo non meminit Magdalena crucis, sed revoluti duntaxat lapidis; accusâtque reverentiam Sabbathi, quæ suam sibi quietem abstulerit, & perinde extra se, ac extra sepulchrum vagata se ipsam quærit in Magistro defuncto, quem in sepulchro non repererat; nimirum amore percita, ibi non erat, ubi erat; quia amans ibi est, ubi amat, & quidem efficaciùs, quàm ubi animat: stare eam non permiserat amor Magistri, quem jacentem non repererat in sepulchro, imò nec doloris sui nobilitas permisit eam humi jacere, quam solicitavit ad plura itinera, si fortè quem in sepulcro quæreret, ei occurreret in campo: lachrymarum stillicidiis spem suam irrigavit, ut citius flos campi adolesceret, fructúmque, quem speraret, colligeret: luget absentem, quem tamen præsentem interrogat, quærendi perseverantia promeruit, ut quem quæreret, ei occurreret exsiccaturus ex oculis lachrymas, abstersurus è corde dolorem: *Dixit ei JEsus: mulier quid ploras?* Joan. 20.

52. Sed quid? quòd Christus cùm nullo ampliùs mortis laboraret periculo, cùm mortem ipsam vicerit redivivus, vix apparuit lachrymanti, statim fulguris instar instantaneum emittentis splendorem disparuit? Et eodem temporis momento, quo lachrymas exsiccat, elicit uberiores: siquidem experta toties Magdalena Christi virtutem non solùm vult Magistrum videre, sed & tangere; qui tamen manum arcet linimentis infectam: rustici tamen diu non toleravit larvam divinitas tam humana; sed ea detracta se prodit flenti, & quærenti Magdalenæ, quam simul à se dispellit, inquiens: *Noli me tangere, vade autem ad fratres meos:* nimirum profusæ Lazaro à Magdalena lachrymæ plus obtinuerunt gaudij in fratre redivivo, quàm fusæ Christo, quem quæsitum, quamvis inventum non detinuerunt; voluit enim se negligentiùs lugeri, quàm suos, quia cumulatiùs excipit lachrymas, ac solatur, quæ funduntur in levamen hominum oppressorum, quàm quæ effunduntur pro ipso: vult enim se negligentiùs lugeri, quàm suos, quia nostro Christus impensiùs studet levamini, quàm proprio.

53. Hinc acriùs ulciscitur Deus, quæ hominibus inferuntur damna, quàm quæ unigenito filio suo intulêre Judæi: *Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum, & ait Dominus ad Cain: ubi est Abel frater tuus? nunc igitur maledictus eris super terram: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus, & profugus eris super terram:* inerat Abeli natora ad virtutum studium prona, indoles comis, placida, mansueta, & placabilis; observantiâ fratrem, reverentiâ parentes, religione Deum fuerat semper prosecutus, cui quoties per victimas supplicaret, quidquid optimi in gregibus, & frugibus possideret prompto, lubentíque animo in sacrificium obtulerat. Cainus verò nonnisi perfunctorius fuit in cultu Numinis, cui deteriora semper dedicaverat, reservatis ad proprias delicias melioribus: hæcque causa, cur cœli favor Abelis victimas afficeret, ac super immolata, priusquam humanâ manu, ignis subderetur è cœlo pluvius; cùm tamen Caini oblata omni destituerentur cœlesti favore; hinc fraterna felicitas invidiam exsuscitavit in Caino, quæ eum adeò torsit, ut jam nil nisi vindictam animo volueret, & omnes posthac victimas contumaciter ejuraret; cúmque invidiâ in Abelem contabesceret Cain, eámque frontis tristitiâ, vultúsque dejectione proderet, cædem Abelis molitus, in agrum ducit, ubi cum ambo miscerent sermones, & Cainus plura contra naturæ Authorem criminaretur, ac divinas leges, ordinésque infectaretur; & Abel propugnâsset divinas leges; occasionem sumpsit Cainus, telo, quod manu gestabat Abelem confodiendi, & geminatis plagis interficiendi: sed Abele interfecto excanduit statim Deus contra fratricidam: *maledictus eris super terram: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.* In hæc tonitrua occiso Abele Deus vindex excanduit; minatúsque est maledictiones super terram, sterilitates occatæ telluris, caritatem annonæ, carentiam fructuum, germinationem spinarum, & ubique obvias timoris umbras, larvásque terroris, quia sanguis fusus fuit Abelis in campo. Genes. 4.

54. At crudelissimè Jerosolymis interficitur Christus, vexatur per noctem, sistitur Pilato, accusatúrque, ut seductor, ad Herodem missus illuditur, ad Pilatum reductus condemnatur, flagellis cæditur ad columnam, spineâ redimitur coronâ, exsibilatur rubro panno indutus, posthabetur Barabbæ homicidæ, nudatur vestibus, affigitur cruci, medius inter latrones interficitur: & quo Deus vindex fragore pertonuit in perfidiam Judæorum? quibus flagellis vindicavit effusum innocentissimè sui Unigeniti sanguinem? quas pœnas dedêre Deicidæ Jerosolymis? nullas sanè; quia non purus homo, sed

ſed Deus homo unigenitus à Deo miſſus interſectus fuit, quinimo ubique cumulantur Judæi beneficiis, ut vel ſola Petri umbra ſanitati ægritudine laborantes reſtitueret, nullúsque in urbe fuit vicus, qui benefici Numinis favores non ſenſerit: claudi, erecti deambulârunt, ſurdi ſublatis aurium impedimentis audierunt, cæci à nativitate colores diſtinxerunt, ardore febris correpti refrigerantur, & reficiuntur: nullúmque fuit trivium, in quod Dei Spiritus non ſe ſe dimiſerit; piſcina nulla, quæ innumeros baptiſmo populos non elueret. *Non hi ebrij*
Actor. 2. *ſunt*, ait Petrus, *ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Joël: Et erit in noviſſimis diebus dicit Dominus, effundam*, ſed quid effundet Deus vindicaturus Unigeniti ſui cruentam necem? ulturus Chriſti flagella, & vulnera? an flumina cruoris effundet, an maria juſtiſſimæ iræ, ut deicidæ, qui patibulo Chriſtum ſuffixêre vivos demergat? Non hæc: ſed *effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.*

55. Vix potuit Dei miſericordia hoſpitio excipienti Chriſtum Bethaniæ humaniùs favere, quàm Chriſti ſanguine madidæ Jeroſolymæ: ubique ſuæ veſtigia benevolentiæ impreſſit, ſuis cumulavit favoribus populum; at quæ ſævierant in Chriſtum pectora ad ſui allicit amorem linguis igneis è ſummo cœlo in cœnaculum delapſis: ſicut enim olim ſupremus rerum Conditor plurium confuſione linguarum temerarios inſanientium Gigantum labores fruſtravit, ac ſuperba conſilia in Babelicæ turris ſtructura diſſipavit: è converſo nunc ſyderibus æquandam Evangelicæ Religionis turrim moliturus linguarum varietate pectora Judæorum, ac Ethnicorum divino numine fortiſſimo veluti præſidio communit, ut qui accipitres fuêre, vitæ, necíque Chriſti inſidiantes, in crudelitatis expiationem, replumeſcerent columbæ pennis deauratæ, ſeu amore inflammatæ; *Et accipietis donum Spiritus ſancti.*

56. Sed cur ſaltem non ceciderit è cœlo ignis de more aculeatus in fulmina, ſed dilapſus inuſitatas fuerit obtuſus in linguas? an quia odit amor Dei in homines fulmina cudere, quæ lædunt; amátque potiùs linguâ lambere, & eblandiri? vel voluit divinus ſpiritus multiplices diſpertitus in linguas igneas in terras delabi, totidem amantiſſima pacis oſcula libaturus? An quia ipſe ſibi fama eſt amor, qui tot linguis abundat, quot ſunt flammæ, quæ ex ejus evaporant cordis fornace, ocyus ut Dei beneficia ad ultimos uſque terrarum fines inſonarent? quòd ſi victimarum olim linguæ præconibus tribuerentur, eò quia linguâ inſtruerent in templis populos, æquum erat, ut linguæ Apoſtolis tribuerentur, qui veræ Religionis futuri Præcones obſtrepenti erant ſilentium ſuperſtitioni indicturi. Quòd ſi in extruenda Babelica turri linguarum ex una in plures factum divortium viam ad omnem adaperuit corruptelam: poſt tam immane patratum ſcelus, quo ab hominibus ſævitum fuit in Dei filium; eâdem planè debebant homines viâ, ſeu linguarum multiplicitate integritati reſtitui morum, & ad ſaniorem reduci frugem; ut fieret poſt divortium, quo ſe à Chriſto ſejunxêre, cor unum, & anima una.

Componamus nunc Abelis cædem cum 57.
Chriſti nece. Erraturus tremens, ac profugus amandatur per varios terræ tractus fratricida Cain; & extorris jugiter inſequentes fugit promeritas pœnas; ſed Judæi deicidæ undíque beneficiis cumulantur, gratiis afficiuntur curationum, generibus ditantur linguarum, ſermone inſtruuntur Sapientiæ, ſacro baptiſmi fonte expiantur; & niſi ipſimet ſibi ſcelerum ſuorum reſtem torſiſſent, quâ perduellionis Rei ſtrangularentur; adhuc vixiſſent Chriſto ſuperſtites, amici Numinis, & in filios adoptati: ſed quia non ſolùm in Chriſtum ſævierunt, quem cruci affixerant; verùm etiam & Apoſtolorum ſanguine maduerunt, quia in ipſos Chriſti Diſcipulos ferro cæſos ſæviêre, non potuerunt non excidi à Deo: induſiſſet cœlum deicidis, quos tot cumulaverat beneficijs, ſi ſola Chriſti cæde contenti ferrum non acuiſſent in putos homines, ſed ubi Apoſtolorum fuderunt ſanguinem, effudit, & Chriſtus ſuæ iræ phialas, ſuíque furoris catapultas, urnáſque plenas indignationis. Mitiùs ſiquidem Deus punit, quæ contra ipſum ſcelera perpetrantur, quàm quæ in homines committuntur flagitia; quia noſtri, quam ſui eſt Chriſtus ſtudioſior: promptior eſt ad noſtras, quàm ſuas ulciſcendas injurias, & hanc in puniendo æterni Patris cunctationem, quæ in filium ſuum fuêre perpetrata ſcelera, non obſcurè adumbraverat Parabola apud Matth. 21. ſiquidem ubi ejectus extra vineam filius eſt, & à ruſticellis ruſticiſſimè mactatus, promerita paratur quidem ultio, non tamen quæ ſtatim perimat, fundátque ſanguinem, ſed futura duntaxat prænuntiatur, inquiens *malos malè*
perdet, & vineam ſuam locabit alijs agrico- Matth. 21.
lis. Sed ubi audivit retentos ab invitatis verſ. 41.
Nuntios, ac interfectos, illicò quavis diſrupta mora ſuas immiſit copias, quæ igne, ferróque cuncta perderent, homicidas trucidarent, & eorum civitates ſolo æquarent.
Tenuerunt ſervos ejus, & contumelijs affe Matth. 22.
ctos occiderunt. Rex autem cùm audiſſet iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.

Ecce cum agitur de ſcelere in propri- 58.
um filium patrato æternus Pater, non ſtatim pœnas ab ijs exigit, qui filium jugulârunt, ſed tantùm exiget; eos non interimit, ſed interimet; non perdit, ſed perdet; cunctatur in ulciſcendo, cùm agitur de injuriis vindicandis, quæ in proprium filium

fuère illatæ: at cùm agitur de cæde ad ultionem servorum, & hominum, omni semota cunctatione statim pœnas exigit: *& missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit:* hoc est priùs fulmen excutiens pœnas exegit, quàm tonitru audiretur; priùs inflixit telum vulnus, quàm arcus videretur ad ejaculandum paratus: qui filium occiderunt mali duntaxat vocantur; homicidæ verò, qui servos interfecerunt: in illos nullum supplicij designatur genus; in istos verò ferro, ignéque sævitur; sævior est de occisis nuntiis, quàm de jugulato filio apud æternum Patrem vindicta: hinc de Abelis fratricidio, quàm de Christi parricidio maturius, immaniúsque sumptum est supplicium.

59. Utque exploratiùs constet, nostrorum esse Deum studiosiorem commodorum, ac paratiorem ad injurias nobis, quàm sibi illatas ulciscendas, nos non pigeat in eremum secedere, ubi peccaverat in Deum non populus tantùm, sed & Sacerdos, aureo primùm vitulo conflato, postea cremato thure adorato, hostiísque immolatis in Numen recognito. Aaron Moysis frater, imperijque consors, quamvis religiosi in Deum animi Princeps, sed æquo timidioris, importunis, nefariisque patitur se postulationibus adigi, ut ex pretiosis inaurium ornamentis certatim oblatis, vel vitulum integrum, vel caput saltem vitulinum ex puro puto auro conflari permitteret. Immittuntur crucibulis aurea ornamenta, liquantur igne, conflatur idolum ad Ægyptii simolacri exemplar, bovinâ effictum specie; urgentéque operis celeritatem, & adjuvante cacodæmone; erigitur statim detestabile simulacrum, tenduntur populi manus bovino capiti, curvantur genua, tunduntur pectora, construitur ara; & manum admovente Aarone adolentur thura, mactantur victimæ, perinde ac libertatis vindici, & assertori Numini. Quid immanius, cùm præsertim aræ inscripserit Aaron: *Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* O portentosa dementia! ô nefanda sceleratissimorum hominum vecordia! ab impio sacrificio via ad cætera emollitur flagitia; proceditur ad epulas lascivas, ad lubricas choreas, cantúsque profanos; comeditur, potatur, luditur, totúsque aër sacrilegis impletur vocibus, & aureus vitulus summorum æquè, ac infimorum consalutatur gratulatione.

60. Tulit ægrè Deus sacrilegij immanitatem, exarsitque justissimus ejus furor, ita tamen ut grassaturus in perduelles suam detineri armatam dexteram cuperet à Moyse, cujus perbrevi delinitus prece districtum, vibrandúmque mox in idololatras fulmen abjiceret: opposuit enim supplex Moyses ruenti vindictæ obicem: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos. Moyses autem orabat Dominum. Locutúsque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Hæc in Sina contigêre scelera, quæ justissimum Dei unà cùm igne, quo fuerat idolum conflatum, succenderunt furorem, nonnisi perfidæ gentis excidio, & sanguine restinguendum, nisi Numini supplicàsset Moyses, obicémque ruenti opposuisset vindictæ: permisítque Deus precibus deliniri Moysis, & arreptum voluit abjicere fulmen, idololatrisque parcere.

Sed si in Sina gravissimè deliquit in Numen populus, mitiùs certè peccavit in Hebron, cùm itinera fastidiret, & illius tæderet exilium; fremens siquidem populus ob itineris flexuosas ambages, quibus protrahe retur ingressus ad terram promissionis, adlatravit Moysen, imò non solùm voce, sed & manu, & saxis in Ducem plebs delassata itineris diuturnitate insurrexit; quamvis citra sanguinem, vulnúsque inflictum progressa esset seditio. Sed licèt deliquerit leviùs populus contra Moysem, quia itineris prolixitatem pertæsus, viribus jam fractus, laboribus gravatus, & quidem citra cruorem; vocibus, convitiisque aëra potiùs feriendo, quàm Moysem percutiendo; nihilominus adfuit statim Deus hanc populi ulturus noxam, ausúmque in Moysen Ductorem; & versurus plenam furoris ollam: *Feriam eos pestilentiâ, atque consummam; te autem faciam Principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est*, & quidem erumpentem ex urna Numinis indignationem vix potis fuit Moyses lachrymarum extinguere imbre: & fusis precibus ollam quidem semovit indignationis; non tamen supplicii evasit appendicem, quâ nullus seditiosorum terram fluentem lac, & mel ingrederetur: *Dixitque Dominus: dimisi juxta verbum tuum. Attamen omnes homines, qui tentaverunt, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.* Quòd si deliquerat in Sina populus contra Deum, scelúsque perpetraverat longè immanius, cur humaniùs se in perduellem populum Numen gerit, precibus se sinens Moysis deliniri? Deliquit in Hebron exilium fastidiens, & quidem longè mitiùs, leviúsque, & tamen graviùs punitur: *Omnes homines qui tentaverunt me, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.* Quid? quòd delicto indulgeatur graviori, cùm longè mitiori haud parcatur? quia nimirum graviori crimine in Sina Deo soli derogabatur: & tumultu populi in Hebrone homo, seu Moyses lædebatur: inexpiabilior siquidem est Numinis ira in sui, quàm hominum injuriam: eáque est indoles amoris Dei in homines, ut nostri, quàm sui videatur studiosior esse.

61.

Num. 14.

Num. 14.

§. VIII.

§. VIII.

Adeo beneficus in nos est Christi amor, ut non solùm nostra avertat damna; verùm etiam, quæ sibi ab hominibus essent beneficia rependenda; hæc in nostra velit redundare commoda.

62. DAvid veniam sui criminis petiturus, ut promptiùs Deum ad miserendum flecteret, non se in hominem peccâsse edixit, sed soli Deo, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; [Psalm. 50.] quomodo David soli Deo se peccâsse fatetur, cum Uriam interfecerit, ejúsque thorum fœdaverit? An non hominem interficere, perinde est, ac in hominem peccare? cur Reum tantùm se fatetur divinitatis, qui Uriæ sanguinem effuderat? optimè norat in hominem etiam peccâsse, sed ut Numen promptiùs ad veniam flecteret, peccatum suum Dei tantùm læsivum dicit; quia difficilior ei obtigisset venia, si Uriæ meminisset suo interfecti jussu, & ideo dixit, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, quia implacatiorem sibi Dominum credidisset, si in hominem contumeliosum se dixisset; quia promptiùs Deus injurias espungit sibi illatas, quàm hominibus irrogatas; torpet, ut ita dicam, Numen, cunctatúrque, cùm agitur de injuriis sibi irrogatis ulciscendis: debacchatur verò si agatur de damno vindicando hominibus illato.

63. Statuerat Israel in extructa ara idolum [3. Reg. 16.] Baal: *Et posuit aram Baal, in templo Baal, & plantavit lucum, & addidit Achab in opere suo irritans Dominum Deum Israel super omnes Reges Israel, qui fuerunt ante eum*: annon fuit hæc erectio Baal, Numinis veluti depressio; & aræ constructio, throni Dei destructio? & quomodo cœlum vindex horrendum scelus fulmine non statim punivit? & quomodo tellus sinum disrumpens sceleratos non deglutivit? quomodo fontes divinæ indignationis è profunda non eruperunt abysso? silet cœlum, quiescit terra, & unus tantùm ablegatus Elias prænuntiat cœlum ultro rore, imbréque exhaustum; aliàs impunè litat Achabus [3. Reg. 17.] coram Baal: *Et dixit Elias vivit Dominus, si erit annis his ros, & pluvia*, ecce tota supplicii scena, cœlum quidem est, non tamen nubibus fœdum, & fulminibus fœtum, quibus sacrilegum interficeret; sed luce serenum, splendore coruscum, & tantum pluviis, & rore arescens; interim vivit Achab, imperat impunè, lascivit petulanter, annonæ caritate laborante duntaxat plebe, cui etiam opportunè subventum fuit. Fuit Achabus homo ex asse nequam scelera adglutinans sceleribus, & nihilominus Dei fulmen ipsum non percussit rebellantem ab aris suis. Verùm si Dei vindiciis quasi torpuit ira in Achabum Baalis cultorem; exarsit tamen ubi Regis contumacia ab aris ad populi sui prosiliit vineta: instigante Jezabele spreverat Achabus Eliæ monita, & vineam Nabuthi conquirente Jezabele non solùm sibi usurpavit, sed etiam cruore possessoris fœdavit, occiso Nabutho: *Descendebat in vineam Naboth, ut possideret eam*: [3. Reg. 21.] sed descensus Achabi in vineam Nabuthi justam succendit divini furoris iram: jussit statim Deus, Eliam in occursum Achabi, mortis sententiam ei intimaturum: *Surge, & descende in occursum Achab Regis Israel, & loqueris ad eum dicens, hæc dicit Dominus: occidisti insuper & possedisti, & post hæc addes: in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum*, peccanti Achabo contra Numen cœli deliciæ tantùm subducuntur ad triennium; delinquenti contra hominem fulmina intorquentur, & vulnera infliguntur; aram erigenti Baal, & veri Numinis cultum habenti contemptui cœli dumtaxat pluvia non spargitur, neque sacrilegus roscido aspergitur imbre; sed cùm hominem oppressit, ejus vineta occupavit, & etiam sanguinem fudit; quia tunc in hominem graviter deliquerat, acerbiùs punitur, & canibus discerpendus traditur: cum Numen despexit idolum Baal aspecturus in ara, cui cultum exhiberet, per solam punitur cœlestis favoris subtractionem; sed cùm hominis funditur sanguis, ejus statim profunditur cruor, discerpuntur membra, dilacerantur artus, canibus satiandis, eorúmque siti extinguendæ: mitiùs siquidem punit DEUS, quæ in ipsum perpetrantur delicta, quàm quæ in homines committuntur flagitia.

Spreverant Israelitæ Deum, Sanctum Israel blasphemaverant, urbémque totam, 64.
& agros idolis oppleverant, *Lavamini quiescite agere perversè, discite benefacere.* [Isaie 1.] Ecce ex injuriis Deo illatis vix blasphemi ullam sentiunt pœnam, & tantùm suadentur ad meliorem reverti frugem, ab inquinamentis resurgere idolorum, ad thuribula sacra conflanda, idola difflanda, & debita obsequia vero exhibenda Numini, ad bene imposterum agendum, & ut studiis vacarent virtutum: *Discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate* [Isaie 1.] *pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, ut coccinum quasi nix dealbabuntur.* Deus est, cui blasphemi injurias intulêre, & tamen nullam vindex Deus propriam exigit læsi sui honoris reparationem: non exigit immolationem victimarum, templorum constructiones, munerum oblationes, aræ reparationem; quia si blasphemi resipiscerent, hæc haud omitterentur: sed quatuor præcipit blasphemis, Deóque exosis ad meliorem revertentibus frugem, scilicet subselliorum æquitatem, levamen oppresso-

rum, pupillorum tutelam, ac viduarum patrocinium: quatuor nimirum, quæ non in suam, sed nostram redundarent utilitatem; quæ non sibi, sed hominibus essent commodo, quia nimirum nostri, quàm sui est studiosior, & impensiùs nostra promovet commoda, quod proprium est veri amoris: maluit enim splendere subsellia viduarum patronorum defensione; quàm sua fumare altaria hostiarum immolatione.

65. Accesserat ad JEsum Princeps eum rogaturus, ut filiam suam, quæ nuper animam egerat, pristinæ restitueret vitæ, *Surgens JESUS sequebatur eum. Intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella;* sed pro filia defuncta enixim rogaverat gemebundus pater, cujus preces lachrymis madidæ Christum flexerant in sua vota: restituitur lucis usuræ extincta filia, quia oculi patris lachrymis maduêre. Sed cur nullis delinitus precibus, nullísque commotus lachrymis obvium in feretro prope Nain adolescentem unicum redivivum restituit matri suæ? quòd filiam Archisinagogi pristinæ restituerit vitæ, ad id fuit rogatu parentis inflexus; caput enim Sinagogæ ad Christi pedes abjectum extinctæ, & jacentis filiæ erexit totum corpus; Periclitantis filiæ amor zelum omnem pereuntis legis excusserat;& causa fuit, cur Archisinagogus Christum adiret, à quo defuncta ejus filia vitam hauriret, cujus lex erat brevi mortem subitura. Præscripsit etiam amor summo medico modum curationis; jussit illum salutem deferre, cùm posset mittere; & manuum impositione spiritum restituere, quem solo nutu potuisset impertiri; nimirum peritissimus legis interpres, alium noluit, nec debuit accedere, qui in lege naturæ dispensaret, quàm ipsum authorem naturæ; noverat enim ab ipso solo potuisse collapsam filiam in mortis lethales umbras, erigi, ac restitui lucis usuræ. *Surgens JEsus sequebatur eum,* miserationum bajulus non lassatur itinere, festinátque pedum celeritate, capiti Sinagogæ præstiturus beneficium in filia defuncta; quinimò quem pedum celeritate sequebatur, cordis præibat affectu; quia parentis lachrymæ materiam suppeditârunt, quâ flammæ alerentur uberioris amoris. Adeò exardet benefico in nos Deus amore, ut etiam non rogatus nos beneficiis cumulet, & adolescentem defunctum redivivum restituat matri suæ, à qua nullis fuerat postulatis inflexus, neque civium rogatu invitatus.

66. Imò adeò in nos beneficus est Christi amor, ut quæ sibi à suis essent amatoribus beneficia rependenda, hæc velit in nostra redundare commoda: interrogatus Petrus à Christo, num ipsum diligeret: *Simon Joannes diligis me plus his? etiam Domine, tu scis, quia amo te. Pasce agnos meos;* quia Petrus amore in Christum cæteris antecelluit Discipulis, meruit etiam dignitate cæteris præferri, & Ecclesiæ præfecturâ insigniri. Non tamen Petri Pontificatum solo Christi amore definitum legimus, sed etiâ animarum pastione *Pasce agnos meos* propriom est amantis beneficiis cumulare personam amatam: hæc tamen non pro se Christus à Petro exegit, sed in nostra ut redundarent commoda. Sed cur affixæ sunt cœli claves, non clavo, sed amori? *Simon Joannes amas me? etiam Domine: Pasce agnos meos.*

Scrutemur amoris in Deum intimiores recessus, & nonnisi accessus beneficiorum in nos inveniemus, & quasi rotam in medio rotæ, seu amor Christi in nos in amore, quo Christum prosequimur: dicitur enim de dilectione in Deum: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo,* amari se Christus voluit à Petro, ita tamen, ut dum suum in illo amorem ferret, pullularet in corde Petri cum Dei amore amor pariter in fratres, & beneficia Petri amoris in Christum, in nostra redundarent commoda. Fuerat Petri amore delectatus Christus, non quia in ipsum tantùm Petri affectus tenderet; sed quia in ipsum vehementi veluti impingens impetu resiliret in hominum pastionem: sibi Petri arrogavit amorem, ut suis ovibus pastum consuleret, ut nobis salutaria prospiceret. Scimus nudâsse gladium Abrahamum Patriarcham, & etiam Petrum Christi præ cæteris amatorem; ille evaginavit ferrum liberaturum Lothum in Hoba à Regibus captum: Petrus verò prope hortum Gethsemani Christum ab insultibus propugnaturus militum: Abraham, ut Lothum eximeret à servitute, gladium nudavit: sed Petrus, ut Christum defenderet, & quidem ab iniquis, injustisque aggressoribus: quis non crederet, Petrum inconcussâ sui pectoris fortitudine, ac fide in Magistrum statim coronandum? idque, quia Abrahamo fortior solus, ac inermior pugnavit, expugnaturus iniquos insultus, & propugnaturus Magistri innocentiam; neque carni, aut sanguini, ut Abraham, sed cœlo, suóque Magistro unicè Petrus militavit, qui non in arenam cum trecentis armatis pro Nepote vindicando descenderat pugnaturus, sed solus unico tantùm instructus gladio, solóque armatus zelo suum propugnandi Præceptorem: & tamen quàm dispar utrique pugnæ respondet præmium.

68. Abrahæ redeunti ex Hoba obviat insignis multitudo plaudentium cum vitæ alimentis, primitiisque Eucharistiæ: & Petro nullus occurrit, à quo plausu excipiatur, quinimò cædes potiùs ei Christus minatur, & nece terretur, nisi gladium recondat in vaginam. Genes. 14. Melchisedech redeunti Abrahæ panem profert, & vinum. *At verò Melchisedech Rex Sale proferens panem, & vinum, bene-*

dixit

Matth. 9. Joan. 21. 67. 1. Joann. 3.

dixit ei : nulla certè sanctior, nulla augustior post egregiè pugnatam pugnam poterat ovatio expectari ab Abrahamo, cùm post pugnam, exemptúmque à servitute captum Lothum salutetur à Regibus, & in pane triumphali instituantur plausus. Secus pugnanti Petro nullus obviat plaudens, sed

Matth. 26. ei dicitur. *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt :* si Petrus non pro defensione sui innocentis Magistri, sed ad iniquas cædes gladium evaginâsset, non potuisset quidquam funestius ei intimari. An non Christus à militibus captus pluris erat faciendus, quam Lothus à Regibus vinctus? & tamen quia Petrus ad coërcendos iniquos insultus, & propugnandum Magistrum Christum gladium evaginaverat, jubetur iterum in vaginam gladium recondere, nisi velit, & ipse gladio perire : Abraham verò, quia pro homine capto pugnaverat plausibus excipitur ex Hoba redux, ac benedictionibus cumulatur; quia nimirum nostri, quàm sui studiosior est Deus, & quæ in ipsum impenduntur beneficia, non curat, ut uberiora in nos redundent.

69. Degebat Cæsareæ Cornelius. *Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua*

Actor, 10. *faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.* Terrestri haud absimilis habetur paradiso, cum quatuor veluti fluminibus irrigaretur, religione, timore, obsecratione, ac largitate : ex quibus duo timor scilicet, & religio templum aluebant; religio hostiarum ferax erat, & immolatorum fœta ; timor ne quidquam in cœlum peccaret ; sed duobus, quæ supererant, fluminibus sibi consulebat, & proximo : siquidem obsecratione Numen in sua vota flectens, quæ optaret, obtinuit : largitate profusus in egenos fuit; ideóque ait Lucas. *Is*

Luca in act. 10. *vidit in visu manifestè quasi hora diei nona Angelum introeuntem, & dicentem sibi : Corneli. At ille intuens eum timore correptus dixit : quis es Domine? dixit autem illi : Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accerse Simonem :* mirum tamen, quòd cùm non minus religione, & timore, quàm oratione, & largitate excelleret Cornelius, oratio tantùm, & largitas dicantur cœlos conscendisse; & de timore, ac religione nullum proferatur verbum : an facilius aurum in cœlum subsilit, quàm thus, quod in thuribulo Numini adoletur? si thus in fumum conversum sursum ex sua avolat natura ; & aurum innato pondere imum petit, ubi natalia traxit, cur potiùs eleemosynæ, quàm religio cœlum dicuntur conscendisse?

Ergò quæ mactantur ab hominibus victimæ coram Deo flagrant, fumántque ; & quæ Numini adolentur, nec flagrant, nec fumant, quò sursum valeant ascendere? ita est, Cornelius orationibus, & eleemosynis sibi, & proximo consulebat, & quæ sibi, suisque deerant, prospiciebat, & eleemosynis, quæ supererant, levandis pauperum indigentijs impendebat ; quia igitur orationes, & eleemosynæ in beneficia, & commoda dirigebantur hominum, ideo dicuntur in cœlum ascendisse ; quia quæ in beneficium impenduntur hominum, gratiora sunt Deo, quàm quæ in Numinis exhibentur obsequia : timor, & religio, quibus Cornelius excelluit, non hominum promovebant commoda, sed obsequia Deo exhibebant : siquidem timore à Dei injuria, & ab eo omni, quod Deo displiceret, revocabatur ; religione verò in Dei obsequia inflexus, nonnisi Numinis intenderat cultum : ergò gratiora sunt Deo, quæ non ipsi, sed suis famulis impenduntur. 70.

DISSERTATIO IV.

TotaChristi vita schola fuit amoris, quem exemplis fortiùs, quàm verbis nos edocuit, cum nostræ oblitus ingratitudinis suis nos cumulavit beneficijs.

§. I.

Adeò impensè nos Christus amavit, cum in terris degeret, ut singula ejus gesta in nostra resultaverint beneficia.

1. SI Christi, cum in terris viveret, gesta perpendamus, singula in hominum commoda, favores, & beneficia fuêre. Vix duodennis invenitur in templo disceptans cum Doctoribus, homines instructurus. Sancitum lege veteri erat, ut Jerosolymam ad templum unicum in palæstina ter duntaxat quot annis adirent homines, ea tamen lege, ut nec pueri, nec mulieres ad id tenerentur; unde Josephus quamvis nulla adactus necessitate, devotionis tamen impulsu excitatos templum cum cæteris adivit, nutricium suum secutus est puer Jesus duodennis (ut nos doceret, non semper esse homines præceptis adigendos ad opus bonum præstandum) & Maria ejus sponsa. Neque abscesserunt Jerosolymis, nisi septendio azimorum expleto. Tum revertentibus parentibus, neque præmonitis mansit JESUS duodennis Jerosolymis prædicandi studio; & quidem nullâ parentum culpâ contigit, ut vespere eum abesse cernerent, cum existimarent, eum esse in comitatu: cùmque frustra eum quæsiissent inter cognatos eidem notos, eâ nocte in luctu, precibúsque traductâ summo diluculo iter repetunt, & demum tertio die Jerosolymis in templo inter Doctores audientem, & interrogantem comperiunt.

2. Inter cognatos inventus non fuerat, cum ab ijs quandóque etiam fugam esset suasurus: non invenerunt vespere parentes puerum, quem cùm præsentem semper haberent affectu, non censuerunt procul abesse, qui aderat in corde: non tamen miscuit se turbis populorum amicus solitudinis Deus, sed in templo reperitur tertio die, quia ultra triduum non meruerunt torqueri dolore ejus parentes, qui nulla eorum culpa talem incurrerant jacturam: nullibi faciliùs invenitur Deus, quàm in templo, locóque sacrificij. Medius tamen inter Doctores homines edocebat, & bene in medio, cum centrum totius sapientiæ contineret. Stupuit togata Philosophia coram loquentis pueri majestate; sive modestiam interrogantis, sive authoritatem attenderet respondentis: tot didicêrunt sapientiæ arcana, quot audiêrunt ab ipso prolata verba.

3. Verùm instructuros utiliùs ad salutem mundum è cathedra descendit matri obtemperaturus, nósque suo descensu docuit, eos non sapere, qui obedire minimè didicerunt. Cæterum si ad trigesimum usque annum latuit, lignariæ artis in exercitijs expectaturus tempus prædicationi maturum, habuit tamen semper, vel maximè cordi opus nostræ redemptionis, ad quod explendum ardentissima charitate, quotidianis, ac intensissimis se votis obtulit Deo Patri: & ne otio videretur torpescere, parentum suorum tenuitatem, suo quóque labore, quæstúque quotidiano sublevare satagebat artem exercens fabrilem; & licèt quænam fuerit privata Christi vita per eorundem fluxum annorum non prodant Evangelia, ait tamen S. Lucas revertisse eum cum parentibus in Nazareth, subditúmque ijsdem fuisse, ac profecisse ætate, sapientiâ, ac gratiâ coram Deo, & hominibus: tametsi à primo suo concepto virginali in utero omni fuerit gratiâ plenus, & sapientiâ, fuerítque propterea hujusmodi profectus pro ratione ætatis, in qua capiebat sensim incrementa experimenti, ut homo, ut nos edoceret tendendum semper esse ad perfectiora, cùm vel ipse Christus adolescere visus fit, ac ediscere, licèt virtutum subire incrementa non potuerit.

4. Non tamen lux mundi diu latere in mundo valuit; & lignarius faber è dedolandis

dis lignis ad expoliendam animorum ruditatem, purgandásque hominum maculas ad aquas cucurrit Joannis baptismate abluturus; ut non tam per Joannis hortamenta, quàm per sua exempla ad has homines aquas alliceret, quarum beneficio sordes exuerent, quas per violatum à Protoplastis divinum præceptum contraxêre. Et qui jam apud se designaverat hominum piscatores, providè nobilem præparat in aquis facere prædam. Hac unda ablutos voluit Achilles suos, quos à vulnere immunes constitueret. Ab infantia Joannes in desertum secesserat summa victûs, ac vestitûs asperitate, & ad Christo Domino præcurrendum, ac baptismum pœnitentiæ prædicandum se præparaverat, ubi sub annum trigesimum prodiit è deserto circa Jordanem, ad quem audiendum populorum accessêre frequentiæ; eò quia innocentiâ morum, & vitæ austeritate summam sibi authoritatem comparaverit; tametsi sine miraculo vitâ, & exemplo fortiùs, quàm linguâ summum ipse prædicaret miraculum. Ad ipsum etiam venit Christus ab eo baptizandus, & quamvis Joannes præ humilitate recusaret.

Matth. 3. *Tu venis ad me? ego debeo à te baptizari:* compulit tamen eum Christus, ab eadem humilitate suæ prædicationis auspicaturus initia: eóque baptizato, & orante aperti sunt cœli, quos nobis tum suo instituto baptismo reseravit, cùm aquas attactu divini sui corporis sanctificavit, ac baptismo destinavit;

Luc. 3. *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*, testis nimirum ejus innocentiæ, puritatis, ac mansuetudinis sine felle peccati, hinc vox de cœlo statim intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, Matth. 3. Apparuit siquidem homo sub specie peccatoris, peccata hominibus condonaturus æterni Patris Filius; non adoptione assumptâ, sed in eadem natura singulariter genitus.

5. Ab aquarum elemento sui corporis contactu sanctificato, ad illustrandam prosiliit terram in desertum secedens, quia quæ sterilescere hominum corda in terris didicerant, nonnisi desertum Christo nostram initiaturo salutem exhibuerunt, malignis obsessum spiritibus; & quia mundum mortali ægritudine laborantem repererat Christus, eum sanaturus alexipharmaco utitur orationis, & jejunij. Efficax jejunium quis non dixerit probitatis viaticum, cùm absque jejunio, nec Dei filius ingredi viam suam voluerit? Sed volens ipse à spiritibus nequam mundum purgare, à maligno ipse tentatur spiritu ad nostram eruditionem, ut ad subeundas in ipso divini famulatûs exordio tentationes præparemur, simúlque speremus fore, ut ejus ope, & gratiâ eas vincamus, jejunio scilicet, & oratione; arma siquidem sunt, quibus hostis tartareus prosternitur, hæc voluit Christus exemplo suo nobis suppeditare, ut Dæmoniorum versutias excutiamus: Christi tentatio nostra fuit instructio, voluitque Magister bonus suos edocere Discipulos artem, quâ malignorum spirituum nequitiam omnem eluderent. Tanta est jejunii virtutis, ut etiam in deserto adversario divinitatis ingesserit suspicionem, majoremque homine crediderit, quem è ventris servitute liberum deprehenderat.

Christus verò de hoste tartareo victor secus mare scholam aperit, & quosdam ex Discipulis Baptistæ accersit, quibus eam honestaret, cum perfectionis studio jam essent addicti. 6. Primum tamen vocâsse eos videtur ad solam familiarem notitiam? deinde ad temporaneam sequelam cum animo revertendi ad piscationem, & tandem ad perpetuam ejus sequelam omnibus, quæ possiderent, derelictis: ut hac trina vocatione nos edoceret gradus, quibus ad perfectionem sensim ascenderemus, nimirum gradus incipientium, proficientium, & perfectorum. Semen siquidem divinæ inspirationis, ac vocationis, primùm prodit in herbam, mox in culmum glíscit, & demum in spica maturit plenum, ac solidum granum. Primi verò ex Apostolis vocati fuerunt Petrus, & Andreas; an forsan quia utriúsque prævita crux fuerat, & Christus necem subiturus in cruce, hanc pretiosam crucis hæreditatem suis ad Apostolatum legaverit primogenitis? Reficiebant tunc Patris Zebedei multiplicî scissu dilacerata retia: sed nova quærere debuerant retia, quibus non amplius marinos inter fluctus, sed in urbibus inter populorum tumultus homines expiscarentur.

Stertat in pluma deses nobilitas: oneri Apostolatûs non adsciscit Christus delicatos bajulos, sed piscatoriam exercentes, ut 7. qui piscibus capiendis assueverant, facilius homines non hamo, sed amore captos lucrarentur cœlo: non selegit Christus sanguine illustres, nec insigni nobilitate in mundo claros, ut edisserat, mores munerari in hominibus, non majores; & virtutem in pretio esse, non sanguinem. Quia ad toleranda pleraque adversa suos evocaverat Discipulos; à solo patientiæ usu laudatos huic obeundo muneri assumpsit, seu dæmonum antagonistas nonnisi severa accersivit è gymnade, & humanis priùs assuetos voluit laboribus, quos indefessos cuperet in divinis. Nimirum munus Apostolatûs jacentibus in pluma concredere noluit, sed laborantibus tumultuarios inter fluctus, quia onus totius mundi ad meliorem vocandi frugem, non humeris mollium, sed eorum, qui jam laboribus induruerant, imponendum erat. Consultiùs visum fuerat, dominico gregi eos præficere custodes, qui assiduis jam assueti vigilijs, patientiæ, & tolerantiæ jam posuerant tyrocinium. Imò ituros ad latrones jussit sine sarcinis esse, & baculum interdixit, ut solus regeret, quos ipse dirigeret per varias terræ plagas, ut homines cœlo lucrarentur.

Non

7. Non solùm hominum constituit piscatores ut peccatores caperent, cœlóq; lucrarentur; sed ut ipsos peccatores, hominum institueret piscatores, & eos ut ad se traheret miraculis etiam allexit: cùm esset unigenitus æterni Patris humanitatis vestitus specie; hanc ut exereceret, haud detrectavit nuptiale convivium, unà cum suis discipulis, & ejus matre adire, omnes ad illud à sponsis invitati erant. Quàm felices nuptiæ! quæ à JESU, & MARIA iisdem assidentibus honestantur: cum descendisset in terras unigenitus Dei filius suppleturus defectus omnes, debuit & nuptijs Hymeneum supplere. Epulum frugi, & modestum adeò fuerat, ut vinum defuerit, & nullo commonente sua sponte miserata JESU mater, ne sponsi pudefierent, filio supplicavit, qui defectum suppleret: imò cum novisset filium ad opitulandum paratissimum nulla adhibita precum instantia, sola voluit monitione uti *Fili Vinum non habent:* & cùm divinus in terris sol suo jam emineret in Zodiaco vindemiarum hilaritatem fecit in signo Virginis, jussitque impleri sex hydrias aquâ ac ferri Architriclino, qui aquam in vinum conversam admiratus generosius, meliúsque vinum propinandum exhibuit convivis: desiderari vinum passus non fuerat Christus, cùm ad inducendam sanctam in mundo divini amoris ebrietatem suum propinare sanguinem destinaverit: Jussit vasa parari, & aqua oppleri, ne miracula sine necessitate geminari viderentur: & quia nunquam avaritiam redolent Dei dona; cum una fortassis hydria sufficeret convivis, largiori munificentiâ quinque dat convivis generosiori oppletas vino: & fortassis eò hæc munificentia tetendit, ut sacramento suo fidem omnem adstrueret; fuit enim hæc frigidæ in vinum conversio typus, & umbra majoris miraculi, quod in novissima cœna Christus institutâ peregit Eucharistiâ, cùm vinum in pretiosum suum commutaverit sanguinem: tunc enim venerat hora ejus, tunc vel maximè clarificatus est, ut cum esset ipse vitis, & nos palmites, ipse in nobis, & nos in ipso maneremus. Sedet Magister temperantiæ in convivio, & dignitate suæ præsentiæ epithalamium sponsis supplet amplissimum: nulli tamen fuêre cantores vocati, quia ubi JESUS, & MARIA adsunt, cœlestis tantùm sapit harmonia, & desipit terrena; & quia inter homines extrema gaudij dolor claudit; defectus vini convivantium postremam nonnihil turbavit hilaritatem, supplevit tamen Christi munificentia, ut in defectu vini ejus divinitas copiosior se proderet.

❀ (o) ❀
❀

§. II.

Suos Magister Christus edocet discipulos in montis fastigio, ut ex sublimitate loci discant terra ima habere contemptui, & cœlestia tantùm sapere, ac æstimare.

NE Discipulis, quos è retibus evocaverat, onus grave videretur, Christi profiteri discipulatum, in monte iisdem exponit octo beatitudinum genera, quibus ad sublimiora erudirentur; eósque beatos dixit, qui pauperes sunt spiritu, qui mites, qui lugent, esuriunt, sitiúntque justitiam, qui sunt misericordes, mundo corde, pacifici, quique persecutionem patiuntur; simúlque eos edocuit reliqua evangelicæ perfectionis fundamenta: & ut non solùm opere externo, verùm etiam interno seu affectu declinarent homicidium, furtum, fornicationem, perjurium; urgétque usum donorum Dei, ac talentorum in triplici illo officiorum genere, quod proprium est Apostolorum, ac virorum, eorundem insistendi vestigijs; nimirum purgandi *Vos estis sal terræ:* illuminandi *Vos estis lux mundi,* & perficiendi, *Civitas supra montem posita,* intra quam multi colligunt, & conservantur. 9.

10. Egit Magister Christus in monte personam cœlestis Doctoris, Legislatoris, & Consiliarij; sed nisi agat interiùs, seu nisi illustret intellectum, inflammet voluntatem, parum prodest externa vox, quæ aures duntaxat pulsat, non cor movet. Hinc ad summa perfectionis culmina non assurgit vitiata natura: & mundus, quas Christus beatitudines dicit, ærumnas edicit: & nisi ipse nos traxerit post se, ut curramus in odorem exemplorum vitæ suæ; nisi ipse illustraverit, aperueritque nostrum intellectum; nisi ab ipso caligines omnes excusserit ignorantiæ; nisi torporem abegerit à voluntate, eámque inflammaverit desiderio evangelicæ perfectionis, nil proficiemus; tametsi in montis fastigio Magistrum Christum audiamus ad sublimia nos erudientem: suos tamen & erudivit sua concione, ac inflammavit auditores paucos scilicet piscatores, in quibus tamen omnes mundi tribus erudiret; & quia nonnisi sublimia erat iisdem locuturus, parem argumento eligens cathedram montis petijt fastigium; ut vel è loco dedicerent humilia terræ, & nonnisi sublimia saperent cœli. Utiliori argumento inchoari haud potuit prima novæ legis instituendæ sessio. Huius doctrinæ semina, quæ jecit in monte, fructus etiam dederunt in valle.

11. Nicodemus enim ex Pharisæis maximè Christo infensis ad fidem adductus miraculis, licèt inter primarios tribus Judæ Magistratum gerens, nocte venit ad Jesum; fortassis quia nondum plenè mentis excusserat tene- *Joan. 3.*

tenebras; vel quia imbecillis adhuc in fide, pudore quodam suffusus umbras quæreret, quibus se tegeret; vel quia adhuc homano retineretur timore, ne se palam Magistri Christi profiteretur Discipulum. Persæpe dignitates sunt saluti obstaculo, & impedimenta ioijciunt: satis esse putaverat, si clanculò Christum ut Messiam reciperet, qui tamen eum duriùs non redarguit, sed summa patientia, ac prudentia illum de necessarijs fidei erodivit fundamentis: & primò oecessitatem eum edocuit fidei in Christum Redemptorem, & baptismi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei:* beneficio enim hojus fontis priorem abolemos originem, quâ ex Adamo oascimur iræ filij, mortísque rei: dein mysterium edocuit Nicodemum incarnationis, enjus beneficio æterni Patris filius opos redemptionis humanæ in terris ageret; aperuítque proinde etiam SS. Trinitatis
Joan. 3. arcanum. *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oporeet filium hominis*, hoc est, sicut à Moyse serpens fuit exaltatus, ita & Christus à Judæis in crucem actus; serpentis aspectus saucios curaverat, & viva Christi fides à morte erat revocatura, quos peccatum enecavit. Verùm ne putaret ex necessitate aliqua fuisse Christum adactum ad subeundam mortem; aperuit itidem eidem causam humanitatis assumptæ, & passiones subeundi. *Sic Deus*
Joan. 3. *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam:* nimirum Pater soum dedit hominibus unigenitum filium authore Spiritu S. qui communis, & mutua est otriusque dilectio.

12. Quàm ingens Dei in homines amor! qui nos damnatos à primo exortu, & conceptu, ac natos oaturâ filios iræ, ac prævaricationis ex Adamo origine vitiata regeneravit in Christo, & per Christum, inque oovam edidit vitæ gratiam, spémque hæreditatis æternæ, ut filij Dei nominaremur, & essemus. Detrudendi quamvis fuissemus in inferorum æternos carceres, adhuc Numinis amor Dei nos filios adoptat, *sic Deus dilexit mundum*, Joao. 3. fuit enim hie Numinis amor primæ nostræ salutis, ac redemptionis origo. Suò voluit nos amore dignari, cum adhuc ejos eramus inimici, ac propterea omninò gratuitò nos filios soos constituit adoptivos; nimirum Deus rerum omniom effector, & Sator nulla nostra indigus ope, nullóque egens, se uno beatus, mundum abjectissimum inquioatissimum ita dilexit, ut ei filium suum naturâ, dignitate, & authoritate parem, & in quo unicè sibi complaceret à nullo rogatus, sed ex puro amore inductus daret; non quidem ut delicijs hominum afflueret, sed ut opprobrijs gravaretur, tormentis torqueretur, volneribus confoderetur, & morte acerbissima cruci inter viros nequam figeretur. Quàm incomprehensibilis est Dei in homines amor. Ad Rom. 8.
Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, ut per illum vivamus.

13. Ea exarsit Christus ob suum incomprehensum amorem humanæ salutis siti, ut ad fontem etiam fatigatus cucurrerit; hoc est, post expiscationem hominum, ut omnium crederemus laboriosissimam, eum in ea vel ipse JESUS fatigetur, meridie pedes iter habens; & sedet humi, qui stat super Cherubin, prope fontem animarum salutem magis sitiens, quàm fontis latices, Samaritanam expectans, quæ haud temerè, sed Deo disponente accessit, aquas hautitura, cui tamen paupertas occasio fuit salutis: ab ipsa enim licèt adultera putum aquæ Christus petit. *Da mihi bibere:* aquam petit, qui lachrymas exegit, colloquium miscet cum fœmina, verba protrahit, ut ad fidem eam pertrahat: sed mulier, cùm imprudenter veluti hominem Judæum eum audeat à se reijcere, audit à Christo. *Si scires donum Dei,* Joan. 4.
& quis est, qui à te bibere poscit, tu forsitan ab eo petiisses, & ille dedisset tibi aquam vivam: nimirum facta translatione metaphoræ ab aqua corporali, ansam desumit loquendi de spirituali, quâ sitis terrenarum extinguitur deliciarum, quæ si bibantur, sitim acuunt, non extinguunt, nec perseverant in anima, cùm sint fluxæ: secos aqua, quam Christus spondet propinaturus Samaritanæ, hæret cordi, quod reficieit; inhæret menti, quam purgat; abluit oculos, quos illuminat, quia fit fons aquæ salientis in vitam æternam: cúmque ex desiderio hujus aquæ vivæ Samaritanam in agnitionem sui peccati adduxisset, & illa sermonem abrumperet, alióque transferret, quo loco Deus esset solemni ritu, ac sacrificio adorandus; pergit Magister Christus eam iostruere, ejúsque caligines excutere, séque ipsum ei aperire.
Ego sum, qui loquor tecum. ò amorem Joan. 4.
incomprehensom; à popularibus ad alienigenas migravit Christus duplici inflammatus igne, solis exteriùs ureotis, & charitatis interiùs exorentis; & quia violentum suo amori hoc iter obtigerat ingentes in eo vires attrivit, sudores sudit, ut Samaritana aquas hauriret salutis; tulit semper secum ardores, qui salutem attulit hominibus: ad fontem accessit noo sitis solatium ab hydria hauriturus, sed salutem animæ haurientis expectaturus. Rogat pro aquæ haustu, qui redundantem exhibet fluuium gratiæ. Miratur mulier, quòd à Samaritana Judæus potom exposcat: excusavit tamen Christus ignorantiam, & quamvis potuisset eam inurbanitatis arguere; tantùm mulierem coarguit intemperantiæ, eò quia quinque jam viros habuisset, cúmque se viduam fateretur, celare studuit se malè ouptam, sed suamet responsione convictam se novit, cùm audivit virum non esse suum, quem haberet: refu-

gerat tunc à sui cognitione noxius animus, & transferendo quæstionem pudori opitulatur: sed in corde saucia aculeos experitur salutares, relictáque hydria urbem revertitur, totámque Samariam ad Christum convocat, quem deprædicat Prophetam, suísque civibus fit annuntiatrix evangelij.

14. Eh quis de Dei diffidat clementia? quis in boni nostri pastoris non speret affectu, quando nec unam oviculam, vilem, & infamem, quæ in perpetuo vixerat concubinatu, tot prostituta viris, non neglexerit? imò cùm defatigatione itineris, virtúmque attritu quæsierit, & tanta prudentiâ, patientiâ, comitate, & mansuetudine in caulam reduxerit? hausit mulier Samaritana ex fonte bonorum omnium aquam vivam, qua purgaretur, illuminaretur, inflammaretur divino amore, ac plenè converteretur in Deum: biberat mulier aquam cœnosam terrenarum voluptatum, non tamen se ipsam refecit, quin potiùs defecit, sitim enim non explet hæc aqua, sed hydropem adducit, quia vitium inducit; non purgat, sed coinquinat; non fœcunditatem adfert, sed sterilitatem virtutum, ac meritorum refert.

15. Sed si ægritudini consuluit animæ in fœmina Samaritana; illam tamen non neglexit corporis in filio Reguli. Cum ex Judæa in Galilæam Christus veniret, gratissimum hospitem perhumaniter Galilæi suscêperunt: erat autem ibi Regulus quispiam ex urbe Capharnaum, cui cùm primum innotuisset Christi adventus, eum adivit, ne quidquam intentatum in jam conclamata filij sineret ægritudine: sed fuit morbus illi, totíque ejus familiæ salutaris, utpote occasio æternæ salutis: cùm enim supplicâsset Christo, vellet statim descendare filium suum curaturus, antequam animam ageret, ac mortalitatem exueret; quasi non crederet potuisse à Christo etiam
Joan. 4. absentes curari, ad Reguli coërcendam arrogantiam duriùs respondit. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*, sed cur paratiorem se exhibuit servo Centurionis suâ præsentiâ opem allaturus, quàm filio Reguli? an ut damnaret exemplum, pravámque consuetudinem, quâ laborant homines in personarum acceptione? ursit tamen Regulus Christi mentem non plenè assecutus;
Joan. 4. *Domine descende*: cessit tandem ejus precibus, eúmque dimisit, misitque ad filium pristinæ restitutum sanitati. *Vade, filius tuus vivit*, cúmque à servis occurentibus didicisset Regulus, ea ipsa hora,
Joan. 4. quâ Christi responsum acceperat filium sanitate donatum, credidit ipse, & domus ejus tota.

16. Id præstat Dei in homines amor, ut ita morbis medeatur animorum, ut & ægritudinibus consulat corporum, quæ etiam reficit, ac ab spiritibus liberat immundis. Transtulerat enim Jesus cum Maria matre ejus rem domesticam in Capharnaum, splendore evangelij gentium excussurus tenebras: cúmque in mare Genesareth Petrus totam noctem in piscatione frustra laborâsset; ad Christi nutum uno jactu tantam piscium copiam cœpit, quæ ad ambas naviculas implendas sufficeret, imò tanto onere gravatæ erant, ut quasi mergerentur. Tum miraculi novitate unà cum piscibus captus Petrus procidit ad genua Jesu, inquiens. *Exi à me,* Luc. 5.
quia homo peccator sum Domine, cui Christus *noli timere, ex hoc jam eris homines capiens*: nimirum id agit Dei amor, ut quos humilitas in imum deprimit; hos charitas in sublime evehat, & Petrum ex piscatore piscium hominum constituat venatorem. Cúmque venisset in domum Simonis, & ejus socrus succensâ in vitiato sanguine febri æstuaret, rogârunt Apostoli pro ea; quibus annuens cœlestis Medicus manum ægrotantis apprehendit, non arteriam exploraturus, sed sanitatem benignè daturus: imo & plerósque alios ibi ægrotos sanitati restituit, inter quos energumenus in synagoga insignis, qui clamaverat. *Quid tibi, & nobis JEsu Naza-* Marci 1.
rene, venisti perdere nos? scio, qui sis, filius Dei; cui Christus silentium comminatus, eum, & nos edocuit, omne esse cùm malignis spiritibus commercium declinandum. Quid domus Simonis, ejúsque navia symbolicè exhibet? quàm Christi ecclesiam, in qua sola vera traditur doctrina, quâ ad æternam instruuntur homines salutem? D. Petri retia è lacu perditionis homines expiscantur ad vitam; cujus lavacro ægritudines omnes tum animi, tum corporis curantur, & ab immundis spiritibus, quæ occupantur corpora, liberantur.

§. III.

Beneficus Christi amor in omnes munifica se diffundit gratiarum largitate: & ita sanitati consulit animarum, ut illam non negligat corporum, quorum curandis ægritudinibus opportuna adaptat alexipharmaca.

VT beneficus Christi amor per corporũ 17.
curationem, viam promptiùs ad illam animi sibi straret, totus fuit Christus in curandis ægritudinibus, tum animarum, tum corporum, ut duplici beneficio cumularentur homines, sanitate donati non solùm animi, sed etiam corporis, ac uberioris tesseram reciperent amoris: est siquidem amare, perinde ac alteri velle bonum. Sedebat Christus domi, docens, & cùm ob frequentiam hominum non pateret accessus ferentibus paralyticum, conscenso tecto dimiserunt eum per tegulas in lectulo ante illum:
quorum fidem, ut vidit, ait paralytico, dimittuntur tibi peccata tua: quia causam attulerant paralysis, Christus simul occurens tacitis Marci 2.
Phari-

Pharisæorum cogitationibus eos edocuit difficilius non esse, peccata condonare, quàm ab ægritudine curare, jussitque paraliticum tollere lectum suum, surgere, domúmque suam adire: & ut non solùm corporum, sed & animorum se Medicum proderet, hominem sedentem in Telonio Matthæum nomine vocat solo verbo, & disruptâ quavis morâ statim habet sequentem: sed quid mirum, si vocanti Numini obsecutus fuit Matthæus, cùm sederet, quando mare, cœli, & creaturæ omnes ad nutum ei obediunt? nimirum citra arbitrij nostri, ac libertatis læsionem vocat nos Deus alta quidem, & secreta, ac perquàm congrua vocatione, cui si obicem non inijciamus uberioribus etiam cumulamur gratijs, quibus è mundi surgimus cœno Christum secuturi, æternámque consecuturi salutem. Quàm suavis divini amoris est vox? quæ sola homines recreat, lapsos erigit, jacentes sublevat, quâ ægri, & peccatores revalescunt.

18. Non solùm sedentes in telonio, verùm & jacentes in lecto ad mortem ægritudine gravatos jubet Christus surgere; fuerat Jairus Princeps Synagogæ, qui Christo enixim supplicavit, petiitque, ut ad suam vellet domum venire manum impositurus filiæ suæ duodennæ jamjam animam agentæ. Annuit Christus ejus humilitate delectatus. Jam per annos duodecim fluxum sanguinis patiebatur frustra Medicorum ope adhibita; nunc fidei plena sperat, fore ut sanitati restituatur à Christo, qui eam tetigit; sed ad piam ejus ignorantiam castigandam, & ne suæ eam puderet ægritudinis, suavissimè eam Christus compellat, alloquitúrque. *Confide filia fides tua te salvam fecit, vade in pace*, & Marc. 5. *Contactâ vestis fimbriâ fons sanguinis siccatus est.* Rerum ad extremum reductarum desperationis fit magistra necessitas, quæ persæpe salutare dat consilium. Hæmorrhoissam fluxu laborantem sanguinis pharmacum curandæ infirmitati aptum non invenisse, remedium fuit: artis non adjuta præsidijs, & naturæ destituta viribus, nil ulteriùs spectandum fuerat nisi propetantis Libithinæ accessus.

Matth. 9.

19. Fuit tamen eidem ansa salutis Viator Deus, quia cùm adire prohiberetur templum, soppetias ab eo petijt in itinere: verecundi tamen conscia ulceris non patiebatur se tangi, quasi nollet doloris remedium, cum pudoris rubore; studuítque occultare, quod diu jam erat publicum: tandem admotâ fimbriis manu enacta est sanitatem, nullum ægritudini expellendæ opportunius pharmacum experta fimbriæ contactu: non fuerunt Christi fimbriæ illæ Pharisæorum; tulit ipse ibi remedia vulnerum, ubi ulcerum causas attulit: neque laciniæ fuerunt ad pompam, sed ad hominum utilitatem; & mulier, quæ tactum impresserat in fimbria, Christi amorem sensit in corde. Quàm felix ægritudo? quæ geminam attulit sanitatem, cùm mentis detersit caligines, corporisque fluentem coërcuit sanguinem: quàm salubre contagium? quo non morti dantur viventes, sed penè mortui donantur vitæ. Quid enim Hæmorrhoissa mysticè prodit, quàm animam vitijs infectam, mollem, fluxámque, masculo destitutam robore, & ad crimina proclivem? hæc solo divinæ manûs attactu invisibili sanitati restituitur, hinc David Psal. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi:* fluxus sanguinis scaturigo est pravorum affectuum, ac fomes vitiatæ concupiscentiæ, nec siccatur putidus fons iste, nisi divino contactu, quo sanatur lingua à verborum inutilium, & noxiorum profluvio; sanatur pallatum à gulæ, ciborúmque intemperantia; sanatur cor à perversarum cogitationum fluxu.

20. Ut autem Christi beneficus amor in omnes se diffunderet, è domo Archisynagogi ad piscinam transit curaturus languidum; destitutum homine, omnique ope. *Erat Jerosolymis probatica piscina quinque porticus habens. In his jacebat multitudo languentium cæcorum, claudorum, aridorum aquæ motum expectantium, & qui prior descendisset, sanus fiebat:* movebatur autem aqua piscinæ ab Angelo: curaturus autem Christus ægritudines animorum, eas non neglexit corporum: vidit in piscina laborantem quendam ægritudine annis jam triginta elapsis, ultróque à nemine rogatus per se ejus miseratus, interrogat jacentem, num velit sanus fieri? respondet ille, *hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, me in piscinam mittat:* languerat miser triginta jam fluxu annorum, & licèt enixim sanitati cuperet restitui, peterétque opem; nunquam tamen hanc obtinere valuit, nec convaluit destitutus externo auxilio. Tametsi à nobis voluntas exigatur obtinendæ salutis, non tamen sola sufficit, nisi ope divina juvetur. Miseratus igitur hominem Christus, ægritudines non tam corporum, quàm animorum curat, & in uno Nosocomio mundum universum inspiciens vitia detergit corporum, ut ea aboleat cordis; quæ fons sunt totius infortunij. Gaudet tamen Christus excitari hunc languidum, qui tamdiu torquetur; ut quod erat vinculum membris, fieret menti libertas: in piscinam descenderat Christus, non tam hominem curaturus, quàm expiscaturus. Quòd si motus aquæ corporum abstergebat vitia; feliciùs cœlestis Medici præsentia morbos excussit animorum. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula:* cúmque sabbathum Judæi opponerent, adhuc in die quietis motum auspicatur aquæ, & datam sibi sanitatem testatur, *qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula.*

Joannis 5. Joan. 5.

21. Piscina sacramenta præsignavit Baptismi, & Pœnitentiæ, eò tamen discrimine, quòd piscina nonnisi ægros corpore curaret, non mortuos exsuscitaret; nec omnes ægros,

ſed unicum duntaxat ; qoi primus ſio eam deſcendiſſet ; cùm ſacrameota gratiæ vitam cunctis reſtituant, & ægritudines abſtergant omnium, qui dignè ea frequentant. Angelus verò hujus piſcinæ Chriſtus eſt Author ſacrameototum, & præcipuus adminiſter. *Hic eſt, qui baptizat:* quia cæteri
Joan. 1. ſuot ejus Vicarij: illic Angelus ad agitandam aquam deſcendere conſueverat oon pro ægrorum rogatu, ſed ad Numiois ſolum imperium: lecus in hac ſacrameotorum piſcina, balneóque ſalotari ſemper præſtò eſt Chriſtus obediente Numine voci hominis, adeò ut non liceat ampliùs homini laboranti ægritudioe in ſacramentorom piſcina dicere, *hominem non habeo*, cùm Deus ſemper præſtò ſit: neque ullo prohibeotor homines tempore ad hanc deſcendere piſcioam, quâ ſanitate donati in ſublimiora cooſcendant: exonerantur enim morbo, ſed ſimul cumulantur beneficijs.

22. Sed ne terræ conquereretur elemeotum, ſi ſua duntaxat Chriſtus hominibus in piſciois impertiretur beneficia, deſceodenti de monte commodè occurrit ei Leproſus, qui plenus fide dixit: *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Matth. 8. Sermooem præmiſit, quem opere comprobaret, apprehenſóque miraculi ſigillo communiret: à theoria venitur ad praxio; & quam Chriſtus verbo proximi commendaverat dilectionem, facto exhibet: & abſterſâ leprâ mundatum corpore ſimul, & animo ſinit abire. Imò ooo lepram tantùm, ſed reliquas omnes excutit è corporibus ægritudines. Ingredienti JESU ſiqoidem Capharnaum Centurio curam ſuorum habens domeſticorum, quia oec infimum à pedibus puerum oeglexerat, miſit, qui pro eo Chriſto ſupplicaret; qui pro ſua comitate
Matth. 8. ſe ſe offert. *Ego veniam, & curabo eum:* ſed dum illuſtratus Centutio fuic, divinámque reveritus Servatoris Majeſtatem, alioa ſubmittit rogaturus, ne velit laborem itineris ſubire, ſéque digoum ooo eſſe, cujus tectum ſubeat, eniximque rogat, ot taotùm dicat verbo ad ſanandum puerum. Admiratus hanc fidem, quam ipſe infuderat, ſen ut oobis pateret, qoàm eſſet admiranda; annuit Centurioni, ſanátque abſentem ſervulum, ſi tantùm verbo dicat; ſanatur & aoima ooſtra, ſi jubeat, extinguitur omnis febris, abſcedit paralyſis, languor tepiditatis roboratur, impletúrqoe anima omni virtute.

23. Sed cum Chriſtus ſupplices multos habuerit, nullos tamen leproſis pares invenit. Ne viderentur ſalutem minus promereri, audaces ſtetêre, quaſi parati ad omnia, ſed à longè. Acceſſum eoim, quem ſuadebat opioio de clementia Medici, diſſuaſerat pudor ex conſcientia morbi. Voces pares deſiderijs attollunt, tametſi oulla hunc neceſſitas conatum exigeret, cùm qui rogaretur, is eſſet, ad cujus aures illicò veniunt, non tantùm quæ homines ore loqouotur; ſed & quæ corde moliuntur: Chriſtus verò immondas has victimas ſacerdotibus legat oon contemnentis effectu, ſed veoerantis affectu: reverita lepra ſacerdotium in homine, quæ inficiebat corpora, deſerit, & penitùs evaneſcit: ſed quod deteſtaodum etiam cum morbo memoria deletor beneficii; & mundities acquiſita corporibus, novas ingerit mentibus ſordes. Reſtituti cum fuiſſent valetudini, præmium Medico deſtinandum, fuit Medicum fugere, & mundati à lepra fiunt mundo magis odibiles, quia magis ingrati, quàm antea leproſi. Ex decem, à quibus lepra beneficio Chriſti abſceſſerat, unus duntaxat alienigena memor ſoſcepti favoris gratias ſuo rependit benefactori, abeuntibus cæteris novem in perniciem: quàm pauci poſt ſuſcepta beneficia Deo per gratiarum adhæreſcunt actionem! ioterrogatus decimus de reliquis oovem ſocijs ingens de iiſdem prodit ſua taciturnitate convicium; nil hominibus frequentiùs obtingit, qoàm ſuſcepti oblivio beneficij

Amoris verò, quia proprium ſemper eſt benefacere, homioum oblitus ingratitodinis uberiora profuodit beneficia, & cæco nato novam aperit diem; quia ubi 24.
Chriſtus adeſt, cùm divinus ſit ſol iuſtitiæ, ibi noonisi dies ſplendere debet. Quique à nativitate cæcitatis fuerat teoebris involutus, lucis oſurâ fruitur, cùm primùm Chriſto, ſeo divioo ſoli appropinquavit; & quidem ſabbathi fuit dies, quia operanti ſalutem ooſtram ſtat pro ſabbatho omnis nobis utilis dies; & quamvis videri tunc non appeteret; adhuc pati non potuit in nobis cæcitatem, quam ſalutari abſterſit collyrio: oec mirum, qui ex humo homioem condiderat, potuit ex luto lumen evocare, & oculorum vitia corrigere; ſputum adhibuit, ut ſanctioris roris guttâ oculos baptizaret peccatorum; vel in aquis accenduntur lumina, quibus conſueveraot extingui: emitúrque obſequio gratuitum beneficium, & quamvis cæca fuit obedientia, cæcum tamen recto tramite ad locem perduxit. Videbatur triſtari oequitia, eò quia oculati creſcerent ſuæ turpitudinis teſtes, & quem meodacem facere nequivit, à ſynagoga fecit extorrem, & novum à Deo hominibus impenſom beneficium oovam provocat in hominibus injuriam: verùm meotem luce deſtitutam ooo permiſit, qui enim abſterſit è corpore cæcitatem valuit etiam, & menti ſuos detegere, ac impartiri radios, ot jam duplici luce illuſtrati homioes non poſſeot ampliùs excuſari, ſi viam noo videreot ſalutis.

Noo ſolùm cæcutieotibus reſtituit viſum 25.
oculis, verùm & auribus auditum, & liogua obmuteſcenti loquelam. Adducuntur Chriſto ſurdus, & mutus, quia per ſe nunquam acceſ-

ſiſſent,

sissent, hicque miserrimus est peccatoris status, qui caret fide, & obedientia, oratione, & confessione: hi enim duo defectus spirituales simul confœderantur, sexque cœlestis Medicus adhibuit actiones, ut curationis difficultas luculentiùs appareret, seducit mutum, & surdum à turba seorsum, ingemiscit, suspicit in cœlum, immittit digitos in aures ejus, expuit, & demum linguam tangit salivâ divinæ Sapientiæ, & verbo imperat *Ephetha*, seu adaperire. Quàm omnia rectè fecit, & bene instituit, cùm surdos fecerit audire, & mutos loqui: quódque uni præstitit, pluribus potuit impertiri, & etiamnum præstat. Quot enim inter homines perinde ac surdi non audiunt, & tanquam muti os suum minimè aperiunt; oculis nimirum fidei, omnique sensu vitæ spiritualis orbati, quos tamen Numinis beneficentia evocat, deducítque seorsim à turba curarum, ac consuetudine hominum hujus sæculi, ut suspicientes in cœlum ingemiscant, ac verè resipiscant.

26. Quòd si singula propemodum humani corporis membra Dei sentêre beneficia; præ cæteris tamen sensus oculorum, & aurium, ac linguæ; illud enim est versipellis cacodæmonis ingenium, aspidis surditate aures nostras obturare à voce incantantis Sapientiæ, & repagulum surditatis divinæ vocationi, ac voci objicere; & cum mors per sensuum patentes fenestras consuevisset ingredi, per easdem mox clausas securiùs intus penetrat; sed seras omnes Davidica clavis adaperuit, ut per sensus non ampliùs mors, sed vita in hominem ingrederetur. Amica semper fuit cacodœmoni statio auris, & linguæ: quàm difficulter ab hac expellatur statione ex eo conjice, quòd non ampliùs sola sufficiant verba, sed Dei opus sit etiam manu: non singulis duntaxat seorsim corporis membris sua infectis ægritudine opem tulit cœlestis medicus, verùm & toti corpori simul, ut contigit in filio viduæ ad portas Nain suscitato; consultò occurrerat Christus funeri, quod præviderat ad portas urbis, nos eruditurus de morte, & resurrectione. Efferebatur filius unicus matris viduæ insequente matre lachrymis madida, tristíque turba. Misertus Dominus matris viduæ funeri illachrymantis unici filii adolescentis, ait *noli flere*, tum manu loculo admota, jussísque stare portitoribus solo verbo adolescentem exsuscitavit: *adolescens tibi dico surge: & resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui* gratias suo agens suscitatori. Tres ex Evangeliis deprehendimus mortuos ad vitam revocâsse, qui triplex exprimunt genus peccatorum, quos quotidie è morte excitat peccati. *Luc. 7.*

27. Sunt siquidem qui peccant interiore consensu; alii qui opere etiam externo; & alii etiam ex insolita consuetudine. Rursus alii ex imbecillitate, & ignorantia; & alii ex passione, & perturbatione. Primi in puella duodenna Jaïri filia in ædibus paternis resuscitata exprimuntur: secundi in filio viduæ adhuc adolescente ad portas Nain. Tertij in Lazaro jam quatriduano. Qui verò peccat ex animi passione, ac perturbatione veluti pheretro fertur inclusus, nusquam consistens, ipsâ incitatus passione, quæ cogitationem omnem ad ea, quæ sunt corporis, quod animæ est sepulchrum, transfert. Quatuor portitores totidem sunt appetitiones cæteris vehementiores quæque feruntur in voluptates, honores, divitias & vindictam; nimirum luxuria, ambitio, avaritia, excandescentia, quæ præcipitem in orcum animam agunt. Benefico amore ipsis mortuis desiderium sui excitavit beneficus Christus, & qui venire ad ipsum minus poterant, etiam ferebantur, & occurrenti sibi extra Naim filio viduæ ejus pheretrum in cunas convertit, & lapsus surrectio adolescenti fuit.

§. IV.

Christi amor, quos dolores, & ægritudines ex hominum corporibus excussit ad se traxit, morti ipse obnoxius, ut vitam nobis impertiret.

QUos Christus dolores, & ægritudines hominum excussit è corporibus, ex vehementia amoris ad se traxit nostram operaturus redemptionem; si enim recenseamus Christi Domini passionem, non nisi ardentissimi amoris effecta nobis occurrent. 28. Finem impositurus Christus Moysaicæ legi duos misit Discipulos, qui destinato in cœnaculo paschalem cœnam pararent, quam ut novissimam suæ præviam passioni vehementissimo exoptaverat desiderio, ibique agnum paschalem masculum, agniculum, immaculatum igne tostum edit cum lactucis agrestibus. Cænaculum vix ingressus, vestes deponens angustiam prodit loci, qui immensum capere non potuit, & ad agni esum quasi ad iter accingitur, suósque Discipulos secum jubet in cœna peregrinari instar festinantium lumbis præcinctis, præcepítque baculos in manibus habere; quia cum ageretur de corporis refectione, gulæque quasi deliciis in iisdem eos hærere noluit, sed duntaxat per illas transire, & quidem festinantes, passúque frequente; imò quas suis exhibuit delicias amaritudine etiam temperavit lactucæ, quia hoc sine condimento licèt placere possint, non tamen prodesse. Voluit quos ad mansuetudinem erudiebat agno pasci, prohibétque in ejus ossibus lædi animi firmitatem, ac constantiam, quam eo potissimo tempore perutilem iisdem sciret, & ne epulis fartos hominum inveniret, sed pane refectos Angelorum, unico contentos ferculo voluit.

29. Cœnâ mox absolutâ animum quasi relaxans, vestem deponit exteriorem, linteo præcingitur, frigidámque infundit in pelvim; sordésque à suis abstersurus ad pedes Discipulorum se prosternit, & prope pelvis aquam acriori se amoris flammâ præsentiens ardere in hujus solatium ardoris ad aquas accurrit: & baptisma pedum applicat affectis tumore capitibus; & iis, à quibus se deserendum sciret soi amoris vestigia imprimit per oscula; & ad novum iter novos apparat pedes: à Juda veluti ægro maximè sibi demerendo, vel à Principe Apostolorum Petro pedum inchoavit lotionem, ut eos in schola erudiret humilitatis. Dein residens ad mensam divinissimum sui corporis, & sanguinis sacrificium, idémque Sacramentum instituit, panem io corpus, & vinum in sanguinem consecratoriis à se verbis prolatis commutans. Et non figura, non pars, sed corpus integrum, ac perfectum, sanguisque universus Christi Domini sumitur a Discipulis.

30. Tum Apostolos in hoc novæ legis à se instituto secundùm ordinem Melchisedech sacerdotio sibi successores initiavit verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Arcana hæc fuêre charitatis, quæ invisibilem Deum ostendit in carne, & visibilem hominem celavit in pane; signum uberioris amoris non potuit suis relinquere eum totam suam eisdem substantiam dederit: aditum sibi quærens in cor nostrum, quod suo accenderet amore, novum sibi vehiculi genus adornavit in pane. Vel militaturis nobis cœlo de frumento electorum congiarium præparavit, Postque prolixum sermonem de mutua charitate, ne quid hospiti crearetur molestiæ; consuetudinis suæ retineodæ causâ pernoctandi in oratione, secessit in hortum Gethsemani; ex itinere prædicit Discipulis eadem ipsa nocte scandalum eos passuros, cootradicentique iterum Petro, ac præ cæteris præsumenti, iterum trinam prædicit negationem.

31. Mox cæteris Discipulis in anteriore relictis horti parte, cum Petro, Jacobo, & Joanne, secessit Christus in interiorem; & decursa animo universa passione, singulisq; tormentis, expensisque singulis nostris peccatis suique populi reprobatione, & damnatione, aliísq; causis summam concipit mæstitiam, trepidationem, & angorem: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* (Matth. 16.) Modò ad orationem, quæ unicum est io tribulatione refugium se convertit, prostratúsque in humum, sudoréqoe sanguineo madidus æterno Patri humiliter supplicat, ut ab eo transeat calix imminentis passionis; ita tamen, ut totum se ejus permittat voluntati, offerátque ad patiendum: *Non quod ego volo, sed quod tu.* (Marci 14.) Bisque Discipulos interruptâ precatione revisit in summa iridem animi mæstitudine suorum minimè depositâ curâ; quos licèt hortatus fuerit, ut orarent, & vigilarent, mox dormientes reperit, & suaviter increpat: *Non potuistis una hora vigilare mecum?* (Matth. 26.) Pugnam in horto Gethsemani inierant amor vitæ tuendæ, & timor mortis subeundæ, vicit tamen Dei Patris, nostrique charitas vitæ, ac naturæ amorem.

32. Cúmque interiùs ad cor tutandum in summo mœrore, ac trepidatione universus concurrisset sanguis, inde ab amore Dei Patris, nostræque salutis voto, foras in externa membra propulsus emanavit: *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* (Luc. 22.) Quàm dissimilis hortus iste mœroris, & horroris ab illo terrestris paradisi, in quo primus parens fuerat à Deo conditus? quam primus Adam malè carpserat ex arbore vetita voluptatem; eandem secundus Adam summa mœroris amaritie detergere voluit, ac abolere: quam ingens tormenti genus fuit, cùm solâ cogitatione sanguinem elicuerit, & nova ratione non per vulnera corporis animom torserit, sed corpus presserit in sanguinis stillicidia per animi conceptos dolores: itáne membris omnibus, sanguineísque lachrymis deploranda fuerunt peccata nostra? sed quò tuus ille divinus amor ò dulcissime JEsu progreditur? Quid anrevertit lictores? quid flagra, spinas, clavos, crucem, lanceámque præcurrit? sed cur cum eo, qui nunquam dissenserat, sed jugiter obsecutus fuerat, quique à natura iositus est amor, pugnam suscipit timor necis obeuodæ? nimirum suimet lictor, ac carnifex, nostrorúmque scelerum vindex amor esse voluit; & quæ mente, ac cogitationibus interiùs perpetrantur flagitia, internâ mœstitudine, ac trepidatione expiavit. In horto divini sui cruoris primos fontes aperuit, quibus sterilescens cordis nostri tellus irrigata flores tandem ociperet virtutum germioare. Sudores sanguineos toto corpore expressit amor; ut pretioso hoc obobalsamo singulis nostris mederetur volneribus, quæ vitia io singulis nostris propemodum membris inflixerunt.

33. Sed cur sanguis ad cordis arcem, veluti præsidiarius miles imminentibus assoltûs periculis accurrere; & ex eodem nunc corde, veluti ex direpta arce, apertisque toto corpore hiatibus erumpere foras emititur, & membra singula cruentare? An quia impatiens intra venarum angustias detineri, nostram in sua urget libertatem? Cur nubes illæ tetræ, luridæque timoris, ac tristitiæ, quæ divinæ frontis, animíque turbaverant serenitatem, impendentis mox mortis gelo arctiùs concretæ sanguiueum imbrem perrupto corpore profundunt? An quia nostrarum culparum è cœno excitatæ nubes, nonnisi prædigiosè, pœnis & sanguine poterant pluisse? cur membra singula sacratissimi illios corporis liquescunt in sanguinem? An quia avarus fuerat dolor cùm ab omni voluerit membro tributum exigere? nulli siquidem pepercit, nulli sudorem, & sanguinem condonavit. An fortassis quia Deus,

qui

qui totus oculus est, aliter flere non debuerit, quàm ex singulis corporis membris? Sed hoc cœlesti rore, imbréque deciduo irrigata cordis nostri tellus pro vepretis, fentibúsque rosas germinavit amoris, & lilia castitatis, cœlo scilicet inserendos flores, qui propterea debuerant cœlesti hoc perfundi rore. Quòd si Christi humanitas conchylii visa fuit speciem prætulisse ob pretiosissimum divini Verbi margaritum, quod includebat; tam copioso nunc perfusa hæc concha rore, non nisi concrescere in gemmas Deo dignas, poterit.

34. Quis non fateatur Servatorem totius amoris Regem, cùm voluerit hac convestiri purpura, non manu artificiosa intexta, sed occulto ingeniosæ charitatis machinamento elaborata? divinus amor moras omnes disrumpens novum exorsus sine armis bellum sanguinem toto corpore fundit; campum Martium in horto aperiens, hunc primo suo respergit cruore, quia hortus in primo parente nostro sceleri prima fuit voluptatis palæstra; ô ferales hortos! ô inamœnas delicias! cùm nonnisi vel necem, aut sanguinem extorqueant! Mentem subierat recordatio lapsûs, quo protoparens noster, se & posteros suos præcipites egerat in omnium baratrum miseriarum: has Christus ut à nobis abigeret, in horto sibi voluit assumere: non enim quid aliud fuit tædere, pavere, in terram prosterni cum spiritu exitum quærente luctari, nisi velle miserum esse, & mortem ipsam cunctantem, ac prope verecundantem incitare. Quàm graves ei fuêre hominum levitates in patrandis culpis, cum earumdem onera eum in terram oppressum prostraverint sanguineo madidum sudore! non ita humeros incurvasset cœlestis Alcides Athlanti suffectus, cum tribus duntaxat digitis universam sustentet mundi machinam. Rubescit vespere cœlestis horizon, ut nobis polliceretur cras serenum, seu sponderet æternæ vitæ beatitatem: non enim poterat tellus non dare fructus suos, tam benefico irrigata imbre, tam salutifero perfusa rore.

35. Quòd si in id nos detrusit miseriarum primus Adam, ut nonnisi in sudore vultûs nostri pane vesceremur; nunc non jam in nostro, sed in sudore secundi Adæ pascimur, nutrimúrque ad vitam æternam. Verno sub sydere florido anni tempore in horto Gethsemani, pluviæ decidunt sanguineæ in dolorum ubertatem; quantum à sua ver degeneravit amænitate! cum pluvias dolorum, vulnerum, necisque prodromas fuderit. Cùm enim cruciatuum suorum funestissima objecta animo volveret, factus ipse exanimis, qui cuncta vivificat, cùm pares fletui oculi non essent, membris omnibus cœpit illachrymari. Satiatis æterno pane Discipulis quamvis ipse esuriret, quia nondum felleis pastus lautitiis, in hortum venerat Gethsemani, supplicia an luiturus voluptatum, an verò pœnarum aggressurus oblectamenta? utrumque præstiturus, & pati voluit, & in suppliciis oblectari; adfuit siquidem Angelus consolator, simúlque tortor illustris, qui remedium adhibens amarâ malorum commemoratione refricatâ veluti vulnera exacerbavit; & calicem obtulit veneno refertum; eóque propiùs admoto sudavit illicò nobilis gemma. Quam dissimilis Angelus hic ab eo terrestris paradisi, hortique primævi custode? in hortum enim Gethsemani descendit de summo cœlo Angelus, non ut ab horto dolorum, ac spinarum Christum arceret, sed ut eum ibi dolorum suorum cogitationibus diutiùs retineret defixum: cùm alter ab horto terrestris paradisi districto gladio primum expulerit Adamum.

Verùm si nobilis Christi gemma ad sibi suæ passionis objectum venenum exudat in horto; negotiatur in aula cum Principibus hujus pretium gemmæ Judas; *Intravit autem Sathanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes unum de duodecim, & abiit, & locutus est cum Principibus sacerdotum, & Magistratibus, quomodo illum traderet eis*, cedit in venalem Discipuli mercem Magister; & caput Redemptoris pretium fit proditoris. Abierat Judas locuturus cum Principibus; & cùm primùm Christi Discipulus ingressus fuit aulam, omnem exuit pietatem, recessit à fratribus, & ambitio Principes alloquendi ad prodendum usque Magistrum, & Dominum induxit: non enim solius avaritiæ studio à Juda Principibus proditur Christus, verùm etiam ambitione eisdem placendi, ac ineundæ eorum amicitiæ; adeò valida est ambitio Principibus placendi, ut nec ipsius Dei horreat proditionem. Prodidit Judas Christum, ut Principibus placeret; & damnavit eum Pilatus, ne Cæsari displiceret. *Quærebat opportunitatem, ut traderet illum*, & armis abusus amoris osculo suam perfecit proditionem; fidei symbolo in perfidiæ conversof tesseram, ad osculum proditoris, perinde ac ad ferale classicum tota se se vesana cohors effudit contra mansuetissimum Redemptorem. 36. Luc. cap. 22. Luc. 22.

Quòd si Abel à fratre occiditur, Christus à Discipulo proditur, uterque tamen parricida Cain, & Judas infesta nomina, ac infaustissima omina: avaritiâ stimulante insaniit Judas; siquidem triginta argenteis eum vendidit, cujus caput aurum est optimum: & Caino in pœnam profusi sanguinis terram excoluit sine fructu: *cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos*, debuit pœna sceleri respondere, ut per quæ Cain peccaverat, per hæc plecteretur: cùm igitur Caino terra sterilescat interfecto fratre avaritiam prodit Caini malè litandi, ac macilentiores victimas, seu peiora munera Deo offerendi. Invidus siquidem Cain cùm primùm suis hostiis Abelis victimas gratiores esse 37. Genes. 4.

esse Deo conspexit, sospicatus eum fore ditiorem, ne ejus opes augerentur, molitus est eum minuere, ac è vivis eradicare; cúmque esset ipse primogenitus mortis primogenituram sibi debitam non vendidit, sed avarâ liberalitate fratri suo natu minori addixit: erravit tamen, quia cum mortuus sine prole fuisset Abel, hæredem mortis suæ authorem suæ necis reliquit: & quamvis pares scelere viderentur Cain, & Judas, & supplicio dispares; avaritia tamen ita utrumque junxit, ut non possimus proditionem Judæ sugillare, quin scelus execremur Caini. Judas igitur osculum Magistro daturus dixit: *Ave Rabbi*, cui Christus: *Amice ad quid venisti? Juda osculo filium hominis tradis?* Itane pacis symbolo cruentum bellum indicis? & tesserâ amoris mortis accersis vincula? Fecialis omnium fœderum fœdator, inter amicos osculorum anhelitus odij venena despumat; & fucata urbanitate crudelissimam orditur pugnam; scilicet non obstrepentium timpanorum rumore, neque hastarum jactu, aut vexillorum undatione, sed unius osculi affixione, & amoris jaculo, amicitiæ jugulum confodit: & ubi securitas, si pacis osculo bellum indicitur? si amoris tessera odij prodit venenum? si vel in ipsis osculis mors reperitur?

Matth. 26.

38. Quod si Deus in primum Adam è cœno plasmatum inspiravit spiraculum vitæ: Judas secundi Adæ è cœlo in terras delapsi in faciem inspiravit spiraculum mortis; crudelissimum, ac cruentum bellum exorsus à signo pacis. Quàm barbarum, ac inhumanum vel ab ipsa humanitate facinus! amoris larvâ mortem tegere inferendam; pacis signo cruentum exordiri bellum; benevolentiæ tesserâ venenum effundere lethale. Quàm pessimus fuit Judas mercator, cùm eum triginta vendiderit argenteis, qui thesauros omnes in se possidet. Præconis impurissimi voce sestertio venalis Deus proclamatur, quasi non Dominus esset majestatis, sed de grege servorum famulus quidam indignitatis. Verùm cui in delicias tormenta cesserant, ac volupe pro hominibus mori; mortem ipsam osculatur ex ore ipsius Judæ prodeuntem, ac tartarei prædonis inhalatam spiritu. Judas enim è Discipulo desertor, ex sectatore sanæ doctrinæ factus nequissimus Mercatorum, venditórque divinitatis, propriique emptor suspendij, se perdit cum Salvatorem prodit; quem tamen salutare non erubescit, *Ave Rabbi*: vox hæc fuit, quam ipse aër recusâsset excipere, nisi fuisset antea deterrimi infectus contagio proditoris. Neque satis ei fuit avernalem spiritum in ejus inhalâsse aures; nisi etiam tartareum venenum osculo effudisset in os, quo divinitas loquebatur, quo humanitas respirabat: nimirum animam planè cadaverolam osculo Judas efflavit, cùm suam non minùs, quàm Magistri oleret mortem.

39. Cùm nondum esset Christus agnitus, nec hostium suorum vim, nec arma, nec dolum adversum se timuisset, cum sua voluntate, & eo, quo in nos flagrabat amore pati vellet, obviam procedit satellitibus, eósque rogat, quem quærerent, & cum respondissent: *JEsum Nazarenum*, & Christus ad eos: *Ego sum*, hac voce omnes veluti fulmine ictos prostravit in terram, ut nemo graviùs inter districtos gladios sauciaretur: hinc Petrus hoc hostium animatus lapsu consueto incensus fervore eduxit gladium, percussitque Malchum Pontificis servum, qui se fortè primus insolentiùs ingesserat; cúmque delinâsset ictum abscidit auriculam ejus dexteram, quam Christus divinæ contactu manûs miraculo restituit, nolens suam passionem ulli esse detrimento, quam in omnium jam pridem instituerat salutem; neque voluit se à Petro defendi, qui antea Patris obedientiâ, ac nostri charitate duodecim dimiserat præsidiarias Angelorum legiones: *Calicem, quem dedit mihi Pater non vis, ut bibam illum?* oh quàm fervido amore calicem dilexit! quàm æstoante siti concupivit illum haurire! quem antea renitente naturâ caro exhorruerat, nunc stimulante amore Spiritus avidissimè concupiscit, sibíque datus, ac propinatus à Patre summa mentis hilaritate, cordísque voluptate videtur hauriendus: fuit calix, de quo Propheta prædixerat: *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est.*

Psalm. 115

40. Divini præcepti à Deo Patre sibi injuncti de nece subeunda, & calice passionis hauriendo haud difficulter impetrâsset abrogationem, si perseverante prece vehementiùs id petiisset: sed quia salus, & gloria ei potior erat; vitam perdere voluit, quam nos lucraremur: duodecim facilè legiones Angelorum, ac cæteræ eorundum spirituum beatorum myriades ad suum præsidium pernicissimè convolâssent; nisi has præsidiarias legiones ejus in genus humanum immensa charitas recusâsset: licèt cœlestibus non indigeret præsidiis, qui unâ duntaxat voce hostes omnes in terram prostraverat; & uno nutu eos dissipare, imò & in nihilum redigere facillimè posset. Hinc quasi suam innocentiam offendisset Petrus, cùm eum defensore crediderit indigere nudatum gladium jussit in vaginam, seu locum suum recondi; quasi moneret, fuisse tunc in loco non suo; quia ubi Christus, ibi locus tantùm beneficentiæ; non gladij, nec vindictæ. Neque permittere Deus debuerat, profanari sacrilego cruore hortum illum, quem Christus suis consecraverat sudoribus, abluit lachrymis, undè abscissam aurem illicò restituit Malcho, quem faciliùs tolerâsset sine lingua, quàm absque aure, eò quia obedientiæ dicatus sit præ cæteris hic sensus, præcepta audire superioris assuetus: sensum obedientiæ præ cæteris servare studuit: & bene servatas voluit hominibus aures, paraturus ad mundi eruditionem imbres linguarum; instrui sine auribus non potuis-

potuissent homines. Terrere tantùm milites voluit, non lædere; timore enim perculsi in tergum cæterorum more peccatorum retrorsum corruêre, quamvis nescirent, ubi corruerint, quia scilicet erant viri nequam: viri enim pietatis addicti studio antrorsum cadunt in faciem proni spectantes sua sponte humum, è qua sunt plasmati sua confitentes peccata, & divinam reverentes Majestatem.

§. V.

Passus est Christus se ab insana comprehendi cohorte, funibúsque illigari, quo nostra solveret ligamina peccatorum; nósque sibi vinculis sui amoris arctiùs colligaret.

41. PErmisit Christus se à militibus comprehendi, constipari, & à suis deseri Discipulis: cùm se militibus dedisset cohortis; cùm homines ultra nihil beneficij ab ipso comprehenso expectarent, eum deservêre; ad hamum sine illicio, nec pisces accedunt, nec piscatores accurrunt. Melius tamen dixerim, suos à Christo fuisse ab ærumnis, miseriísque Discipulos exclusos, quos ad delicias cœnæ vocaverat; socios afflictionis amicos noluit, qui etiam inimicum Judam comitem accivit ad lautitiem refectionis Deceptus ex terrestri horto flos cœlestis protritus in triviis suos cœpit odores diffundere; arctatúrque inter vincula mirrhæ fasciculus, & quia victimam noverant in crucis ara immolandam ad Sacerdotes adducunt magna vi, magnóque tumultu captum, vinctúmque: diris reorum vinculis divinæ manus totius opifices universi constringendæ fuerant, quò nostræ peccatorum catenis implicatæ solverentur. Captivitas humani generis crudeli hac, & infami innocentissimi Servatoris comprehensione exsolvenda fuerat. O inexhaustam charitatem, quæ innocentissimas manus in beneficiis impertiendis jugiter occupatas, ac miraculis perpetrandis, vinculorum coarctavit angustiis, ut laxiori donaremur nos libertate! O invictam mansuetudinem! qua animus innocens sor inter efferatos lupos, rabidos canes, lævientes tigrides suum sanguinem dirissima sitientes rabie veluti agnus obmutuit. Siccine botrus Cypri in vineis Engaddi ad iteratum sudorem sanguineum nondum conclusis poris tenerrimi corporis, exprimendus fuit? adeò enim præcipites eum urserunt impij ministri, traxerunt, impulerunt, exagitârunt, ut iterum fuso maderet cruore, pugnis, calceis, & alapâ percussus.

42. Ad primam siquidem emissam vocem, divinum vultum, sedem nimirum gloriæ, thronum Majestatis, impudentissima ministri dextra impactâ alapâ percussit. Et cur non aruit sacrilega manus ausa divinissimum vultum furiali lædere colapho? aruit fortassis, sed ad contactum vitæ iterum revixit. Cæteri carnifices perfosso corpore sanguinem, quem sitiunt hauriunt; sed iste faciem, quæ sedes est animi, dum cædit, animum vulnerat. Percutitur alapa ab eodem Malcho, cui paulò antea abscissam restituerat aurem, more scilicet hominum suscepta beneficia illatis compensavit injuriis, & quidem palmaribus, palmarem proditurus hominis ingratitudinem. Servorum ingratissimus aure restituta suscepti beneficii monumentum posuit contumeliam; extento enim brachio, exertisque viribus alapam illi impressit ori, quod splendor est cœlestis gloriæ, neque ad ferventissimæ lucis contactum exarsit, nec soluta cecidit in cineres manus, quia voce mansuetissima veluti tenuissimæ auræ afflatu eam Christus refrigeraverat. Conquisitis interea pluribus falsis testimoniis nullum verosimiliter hærere potuit in sanctissimam, ac innocentissimam Christi vitam, adeò ut coactus Pontifex Christum adjuraverit, ut palam diceret: *An sit Christus filius Dei benedicti.* *Matth. 26.*

43. Salvator verò nomen Dei reveritus etiam in ore blasphemi, respondit, *tu dixisti*, sed quia veritas odium parit, ille statim zelum simulans discissa veste blasphemum, mortísque Reum pronuntiat. A Caipha sistitur Pilato, apud quem accusatur trino de crimine: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse*, quasi peccâsset in plebem, Magistratum, & in Deum, júsque omne violâsset naturæ, divinum, & humanum. Neglexit tamen Pilatus priora duo accusationis capita, de commotione populi, & tributo prohibito dari Cæsari, quia sciret falsissimas esse accusationes; & tertio duntaxat hæsit, Jesúmque interrogavit, num Rex esset Judæorum? sed quæsivit tunc Salvator quâ id authoritate, & quo accusatore roget, cui Pilatus: *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti* docuítque præses se interrogâsse judicis authoritate, & ut suo fungeretur munere; tunc respondit Dominus; suum Regnum non esse de hoc mundo, quod Cæsari sit formidandum. *Luc. 23.* *Joan. 18*

44. Sed quia voluit sua passione peccata nostra expianda suscipere, damnationem subiit, quam nos meruimus; cúmque instarent Judæi accusatores eum commovisse populum à Galilæa, Pilatus cùm nullum videret hujus judicii exitum, cupidè eum amandavit ad Herodem, qui gavisus est viso JESU, de quo multa audita acceperat; non tamen gaudio, quo Abraham Patriarcha lætatus est; sed vana videndi miraculi curiositate: hinc multa curiosè postulanti nil respondit, tametsi haud ignoraret, quam in partem suum forêt interpreta-

pretaturus silentium. Dimisit tunc eum: Luc. 23. *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum alba veste*; in signum vel affectati Regni, vel simulatæ amentiæ, cùm tot impetitus accusationibus, tótque lacessitus interrogationibus nil omnino respondisset; remisit eum ad Pilatum. Tacuit apud Herodem Salvator noster, sed non apud æternum Patrem, cùm ejus de subeunda morte præceptum mentis dulci volueret cogitatione; séque pro singulis hominibus hostiam offerret ardentissima charitate: Psalm. 85. *Iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierunt animam meam. Respice in me, quia pauper, & unicus sum ego.*

45. Illuditur Dei Sapientia à Rege deliro: alba veste in contemptum induitur, sed quæ sit index, actestis innocentiæ: remittitur ad Pilatum, & à populo postponitur Barabbæ; & qui quinto abhinc die ei obviavêre jucundissimis acclamationibus, & oc- Matth. 21. cinentes: *Hosanna filio David benedictus qui venit in nomine Domini*, nunc dirissimis vociferationibus ad necem, & crucem, efflagitant clamantes *crucifige, crucifige:* & Pilatus satisfacturus non justitiæ, sed populo duplici ex causa Salvatorem flagellis cædi jussit, ut efferatam Judæorum mitigaret rabiem, castigatúmque illum dimitteret: vel si persisterent, ut de more, ex legibus Romanorum crucem anteiret flagellatio, quâ jus civitatis, ac libertas adimeretur. Plurimam attulit Salvatori erubescentiam virginalis corporis denudatio in amplissima hominum frequentia, quamvis nihil præsentiret erubescendum, originalis justitiæ ornatus dono. O hominum impudentiam! ò viros in efferatas belluas degeneres! eum, qui omnia vestit, detracto etiam indusio spoliârunt, quem flagellis cæderent, cruen- Psalm. 37. taréntque: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper* ad columnam alligârunt, quem cœli non capiunt, ac dirissimi instar mancipij ejus terga, totómque corpus loris atrocissimè proscindi cœpêre, & membra singula tergum, pectus, latera, femora, suras, brachia, & anteriorem quoque ventrem atrocissimè dilacerârunt manantibus in terram sanguineis rivis ad nostras detergendas sordes, purgandas conscientias, coërcendam concupiscentiam.

46. Judæorum lex sancita erat, quâ numerus plagarum ad quadraginta definiretur: sed Salvator noster more Romanorum sine numero absque commiseratione flagellis cæditur, lorísque discerpitur, quoad lictores victi lassitudine fatiscerent. Conscinduntur verberibus humeri, cœlestium orbium oneri fulciendo pares, impressis altiùs virgarum sulcis, quibus non humeri tantùm, sed corpus totum vibicibus dehonestatur inustis; diri enim illi, ac barbari virgatores, quasi civicam relaturi coronam decertârunt, quis primus ac valentiùs feriret, plagásque infligeret, ac teneros delicatissimi corporis artus altiùs contoderet, aperirétque vibicibus: nimirum solvebatur corpus illud virginale, ceu templum illud non manu factum; diripiebatur Regia illa divinitatis, diffluebat in terris sanguis; & tamen ipse nec se virgis, vel modica declinatione subducit, non tortores oculis ad misericordiam flectit; imò eam, quam potissimum corporis partem jam vibicosam expeterent, vulneribus subjicit, paratus munifica largitate sanguinem fundere pretium redemptionis nostræ, qui vitam profundere voluit, ex amore, quo nos prosequebatur. Quàm ingens Christi in homines amor! qui nullum recusat ictum, à nulla se avertit plaga: quin imò plures atrociores appeteret; si charitas id exposceret.

Videmus unigenitum æterni Patris pro nostris flagitiis ad tortorum usque defatigationem toto corpore proscindi, membrisque omnibus dilaniari, ac in suo volutari sanguine: & nos adhuc à carnis amoribus sinemus abstrahi, & in cœno volutari pravæ concupiscentiæ? Quàm ingens fuit in Salvatore amoris flamma; quæ tot sanguineis rivulis neque extingui, neque minui potuit: quin balneum paravit salutiferum, quo noxas omnes nostras elueremus. Sitiens jam non ampliùs aquas, sed sanguinem Moysis populus Judaicus virgis utitur, quibus percussus lapis angularis scatebras aperit, quales populus amavit. 47.

Illigatur ad columnam, qui mundi est columna; vestibus spoliatur suo mox cruore vestiendus, & speciosus forma præ filiis hominum inflictis vulneribus, susóque sanguine totam obliterat speciem; tempestas siquidem verberum crudelissima totum depopulatur speciosi corporis decorem; sed voces sanguinis, plagarúmque clamores, quia potentissimi apud æternum Patrem, vel maximè ejus unigenitum filium delectant oraturum pro hominibus: gaudet dilacerari corpore, ut integritati nos restituat mentis; sibi complacet in hiantibus, patulísque corporis artubus, ut nos sensus clauderemus, ac membra ad carnis concupiscentias: atrocissimè diverberatur Deus homo, ut facundissimè defendatur Reus homo; quot enim sunt verberum ictus, totidem sunt sanguinis voces æternum Judicem flectentes ad absolutoriam sententiam: & quamvis ager esset virginis, non virgarum; voluit tamen virgis cædi, rivulósque effundere sanguineos; quibus sterilescere nostri cordis tellus tandem dedisceret, florésque tam pretioso rigata humore daret excultæ virtutis, froctúsque meritorum: imò quo tutiores nostræ essemus redemptionis, sententiam absolutoriam in lapide, si non sculptam, scriptam voluit, non alio atramento, quàm sanguine proprio. 48.

Lapsus

48. Lapsus fuerat mundus, instaurari indiguit, ac erigi; & qui unico verbo *fiat* eum condiderat, columnam mox quæsivit ejus ruinas reparaturus: sed qui mundum hac instaurare columnâ voluit, peccati, vitiíque in mundo molitus est destructionem. Cædi ad sanguinem voluit huic alligatus columnæ Deus viator, ut eâdem rectâ nos edoceret itinera; meritò sibi debuerat, temporéque suo timere Dagon cum cœlestis Samson columnam amplectitur, séque præparat hostium suorum ruinâ peccatum sepelire: sed quod peccatis nostris est sepulcrum nobis fit cuna; quâ nascimur ad felicioris vitæ usuram; est enim caro Salvatoris flagris concisa, electuarium contra omnes impudicitiæ morsus, est ejus sanguis per multiplices effusus rivulos salutiferum balneum, in quo si mergamur, reviviscimus.

49. Verùm ne caput cæsi corporis ab inflictis esset vulneribus immune, spineâ redimitur coronâ per prætorianos milites, non tam ad dolores ingeminandos, quàm ad illusionem invehendam. Jusseritne, vel permiserit Pilatus novum hoc ludibrii, ac tormenti genus, anceps hæreo; certè ab hostis tartarei videtur potiùs inventione profectum, divinâ tamen agente providentiâ. Exeverunt iterum JEsum, & quidem non absque acrioris sensu doloris, cùm vestes cruento adhuc corpori adhærentes nonnisi vi adhibitâ detrahi potuerint, *chlamydem coccineam circumdederunt ei*: ceu militare aliquod paludamentum in ejus injectæ humeros ad mimici, personatique Regis ornamentum. Et rursus *plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, ac demum arundinem in dextera ejus Matth. 27.* nimirum pro sceptro trostum arundinis, ut ejus Regnum inane, ac vacuum esse indicarent; & ita instructum Regem ex eminentiori loco; quò fabulam suam commodiùs spectandam exhiberent populo, conspiciendum eum tradunt.

Matth. 27.

§ VI.

Christi amor, quô inter rosas charitatis vernaret uberior, spinis coronatur; dolorésque sibi arrogat, exhibiturus nobis florum, seu cœlestium gratiarum delicias.

50. INsatiabilis crudelitas à virgis corporis ad spinas transivit capitis. Regium caput non auro præcingitur, nec gemmis illuminatur, sed dumetis obruitur horrentibus, ac lilium innocentissimum sepelitur in spinis. Ferales enim lanistæ verberando jam defessi, quasi quietem aliquam interjecturi semivivum Redemptorem carnificinæ subductum in eodem prætorio per otium circumsistunt. Audierant affectati Regni Reum esse, regiis eum insignibus ornârunt Regem salutaturi: hinc Actores in fabula conquisitâ histrionicâ purpurâ Regem induunt, arundineum sceptrum in manu statuunt, & pro corona sertum è spinis horridum capiti circumponunt; móxque adornato lictorum satellitio Regem suum ambiunt, supplicésque in genua procumbunt, timidi venerantur, & mox quasi in scenæ catastrophe mutata personarum facie, qui antea Regem salutârunt, nunc ambitiosum conclamant scurram, exsibilant, explodunt; & dignum illud sideribus caput scopus fit lanistarum, & Rex gloriæ, ad cujus pedes curvantur, qui portant orbem, ludibrium fit infimæ plebis, & jocularis in fabula Rex illuditur, licèt nutu suo universa regantur in mundo.

Ut aliquod pœnæ genus inveniretur, 51.
in quo cum summo cruciatu summa jungeretur irrisio, joculari purpurâ Regis gloriæ contegunt humeros, pro sceptro arundinem dexteræ inserunt, & spinarum aculeis horrentem coronam vertici infigunt; & extantibus utrinque dumorum cuspidibus sacrosanctum illud caput miserandum in modum perfossum torquetur, & infixæ spinæ sanguinem eliciunt, quem in rosas vertunt charitatis: simúlque producunt lilium inter spinas; sed fortassis meliùs dixerim, guttas illas è cœlesti capite diffluentes sidera è cœlo dilapsa, Regem cœlorum coronatura; vel si mavis non guttas asseras sanguinis, sed vernantes charitatis rosas, ut non ampliùs spinæ rosas cingant; sed rosæ difluentis sanguinis spinas ipsas coronent, Decuit coronari rosis eum, qui Sator Veris fuit; Rex dolorum sine spinis esse noluit, quibus efficaciùs ad ejus amorem nos pungeret, ac stimularet, & qui in nobis arverant sentes, tandem fœcunditatem sentirent, tam benefico rigati humore; seu Christi sanguine madentes: revirescere visi sunt rubi, qui rosas etiam divinissimi sanguinis protulêre.

Quòd si antea senticetis assueta tellus 52.
nonnisi spinas dederat, nunc etiam cœlum, ceu Christi caput spinas suas proferre voluit, quæ tamen nobis non dolores, sed rosas darent, ac in hominum cederent delicias, quæ Christo fuerunt cruciatus. Quàm rectè, vel nolentes Regem produnt Judæi, quem spinis coronant? erat enim Servator Rex virtutum, & in Regno patientiæ nil aptiùs coronat, quàm quod cruciat: Regi patientiæ spinea aptatur corona, ut fortassis de spinis uvas colligeremus, ex quo vepres inoculantur in vite; cùm primùm enim in Christi vertice seu Evangelica vite conseruntur sentes quamvis aridissimi, sentire vitam cœpêre, fructúmque dare fœcunditatis. Non fuit noster flos campi malè cultus, qui ideo progerminavit in rubos ut probrum sterilitatis excuteret è sentibus, dumísque, quos tellus cordis nostri steri-

lescens produxerat. Venerat mortem, & orcum expugnaturus, armari etiam in capite voluit, ut membra omnia ad pugnam paratiora forent: scimus populos in acie pugnaturos sagittas instar radiorum capiti circumposuisse, ut inde prompta in hostem jacula contorquerent: Etiam splendor lucis æternæ, cælestis Patris unigenitus filius in luce sagittarum suarum tartareos expugnaturus hostes, principémque tenebrarum, spinis obarmato capite, ut faciliùs prosterneret, aggredi voluit.

53. Scio, Ducem Israelis Moysem cùm primùm eminùs Rubum vidisset inflammatum, Exod. 3. nec à flammis consumptum dixisse: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*: & revera magna fuit visio cùm cœlistis aliger Angelus præsentem se ardente in dumeto proderet: atqui visio longius major fuit, cùm Deus nostra indutus mortalitate spinis, irrisibus, ludibriis, verberibus, flagellísque deturpatus textile dumetis diadema capite prætulit. Cœlesti Regi germinavit terra, sed quia maledicta ob culpam, Genes. 3. nonnisi spinas, & tribulos: *Maledicta terra in opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi:* germinavit probro licèt laborans sterilitatis densas spinarum segetes, ex quibus grandem Christi capiti infixit manipulum: sed si sanguinem elicuerunt; cœleste illud caput roscidos sudit imbres; quò nostra irrigaretur sterilitas, datura tandem flores virtutum, fructúsque meritorum, hinc cœlestis sponsus suam alloquens sponsam, seu Cant. cap. 5. Ecclesiam ait: *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, quas expresserunt Rubi.

54. Scio Abrahamum, cùm vellet filium Isaacum mactare, arietem vidisse inter vepres, cornibus hærentem: Genes. 22. *Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio:* sed unigenitus æterni Patris filius orbiculari implicatus vepreto crucis aræ imponitur mactandus pro humano genere; & nulla pro eo succedanea apparuit hostia, nullus substitutus fuit aries, qui pro illo immolaretur: obruerant certè spinæ bonum semen, quod & suffocârunt: has tamen jugularrices spinas suo collectas voluit in capite, ne nostris ampliùs nocerent pedibus, nec in via salutis nobis essent impedimento Sed quàm mutabiles, quàm instabiles sunt homines, cùm ante pauculos dies palmas triumphales substraverint Christi pedibus, imò & jumento, quo vehebatur, nunc spinis sacrum ejus caput sævissimè cruentent! Hæ spinæ in sertum contextæ Christo cervical fuêre; non enim aliud in lectulo crucis pulvinar habuit. Quòd si Ethnici Deum finxêre spinarum, Judæi revera fecerunt; sed ut nos de spinis uvas colligeremus; & vel inviti fassi fuêre constans esse, & non labile Christi Regnum, cujus corona tam altè radices egerit in sacro vertice. Maluit enim Christus potiùs robustè, quàm venustè regnare: alii diademati delicias adnectunt, sed Christus dolores; alii micantes gemmas, sed Christus defluentes sanguinis guttas.

Sed cur nudæ spinæ absque ullo foliorum virore caput cinxêre electorum? an quia phaleras omnes veritas abjecerit, sentésque maluerit tolerare, quàm frondes? Scio providi esse agricolæ vineam sæpire suam, ne à feris devastetur: sed quia cœlestis agricola vineam nostri cordis jam in horto Gethsemani profusis è toto corpore sudorum imbribus irrigaverat, ac excoluerat, ne vitiorum feræ ei afferrent nocumentum, eam nunc sepire in suo capite voluit, & licèt non fuerit terra maledicta, spinas tamen ferre maluit ipse, ne nos ampliùs cruentarent: assumpsit in se spinas daturus rosas, quas nos legeremus. Sed jam apparet mundum magis sævisse nascenti, quàm morienti Christo, cum in cunis paleas, & stramen suppeditaverit, & in cruce nonnisi spinas. Suaviùs obtigisset Servatoris capiti subjectum fœnum, quam vepretum, quo premeretur ad cruenta stillicidia: in cunis fascias toleravit, sed in cruce ferreos clavos: in cunis lac suxit maternum, sed in cruce fel ebibit, & acetum: nimirum Rex dolorum per incrementa pœnarum ad extremum voluit cruciatuum pervenire. Fuerunt spinæ Christo instar pilei, quo caput suum texit, die quidem atrato, aëre nubibus fœdo, & quo cœlum, seu Christi vertex sanguine pluit, & terra seditionem movit, ac ira cœlestis Patris tonnit, fulminavítque: hac commota tempestate pileo caput suum texit quidem, sed spinarum. Scio ex Josepho, famulitium Salomonis ex flore juventutis compactum, & Lib. 8. antiq. cap. 2. equestres famulos promisso capillitio conspicuos sericatam induisse purpuram; aurique ramentis capillos quotidie sparsisse, ut ad solares radios fulgor reflecteretur uberior: sed noster hic Salomon non alium capillis suis adaptat ornatum, quàm horrendam cidarim, spinolúmque redimiculum, non ad pompam, & luxum, sed in tesseram summæ patientiæ. Quid nos spinas horreamus? cur ærumnas fugiamus? amplectamur & nos lubenti animo, cordéque hilari hoc sertum spineum in exilio hujus vitæ, ut gemmatum recipiamus in cœlesti patria. 55.

Non tamen contenti Judæi cœlestis nostri lilii caput circumvallâsse spinis, totum voluêrunt corpus rubere in rosam coccineâ indutum veste: *Chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Matth. 27. Fuit vestis hæc rubrom quoddam vetus, lacerúmque vestimentum plenum ludibrii; sicut enim corona ignominiis, ac cruciatibus referta fuit, & arundo cava vanitatem prodebat Regni; ita scissa purpura ad cachinnos 56.

nos

nos, irrisúsque movebat, adebut corona hominem arrogantem, arundine Motionem, purpurâ Regni affectatorem prodererent Judæi. Quamvis in amore, ac delicijs semper purpura fuerit, ac in pretio singulari, ac propterea purporeum fuerit Holophernis conopeum, & Joseph in Ægypto, Daniel Babylone hooris causâ purpuram induerint, & Romani ipsi Regem honoraturi exterum togam consueverint ei purpuream mittere; & Rex etiam Alexander Jonathæ Hebræo Principi in amicitiæ tesseram, coronam auream, ac purpuream miserit. Attamen Servatori fuit purpura injecta, non ut testis esset honoris, sed in summi ludibrij signum. Verùm si inter purpuras teste Plinio cæteris pretiosior habebatur dibapha, eò quia esset bis tincta: verè Christi purpura dibapha fuit, cùm semel muricis ostro tincta fuerit, & iterum ejus effuso sanguine colorata, cujus pretium longè illud totius orbis excesserat: ut bis hæc dibapha tingeretur, præmiserunt milites ad columnam sanguinis effusionem, quo adhuc recente maduit Christi purpura, quæ & tribapha dici poruit, cùm non solùm milites flagellis è corpore; verùm & spinis è capite sanguinem elicuerint, quò in stillicidia diffluente tertiò Christi purpura tingeretur. Quòd si teste Pierio purpura pudoris, ac verecundiæ nota fuit; in Christo signum extitit ludificationis, & ignominiæ. Verumtamen hæc Christi purpura omnes in ecclesia Martyres sanguine vestiendos præsignavit: tinxerunt enim Christi pugiles in proprio cruore vestem, quâ Christi corpus, seu ecclesiam induerent.

1. Machab. cap. 10.

57\. Hîc igitur indotum purpura, & arundineo donatum sceptro, spineóque redimitum diademate voluit Pilatus Christum produci populo, & intento digito, diductâ purpurâ, nudatum sacrum corpus ostendens plenum vibicibus, scissum vulneribus, diffluens sanguine, luridâ, & exangui facie, sputis, cruore, sanie deformata dixit Judæis, *Ecce Homo*, si tamen erat homo, qui hominis speciem ampliùs non videbatur præseferre, cum horribile sertum è dumeto compactum vertici hæreret; manus funibus circomligatæ arundinem tenerent; vultus croore, & sputis esset deformatus, corporis artus omnes saucij, recentíque sanguine perfusi, quósque coccinea ludicra chlamis malè operiret; & oculi jam jam nece clandendi mœstissimè submissi; os ad silentium, simul & verecondiam compositum, vultúsque totus sanguine è summo vertice depluente madidus, effigiem potiùs exhiberent doloris, quàm speciem præseferrent hominis. Pilatus tamen, ut hominem, conspiciendom dat populo, quamvis similior videretur pecudi, cui recèns esset pellis detracta, cùm non lege, ac more Judæorum triginta tantùm novem, vel ad summum quadraginta fuerit exceptos plagis, sed propemodum innumeris concisus, totóque corpore fractus: sed Judæi nullâ tacti commiseratione, perinde ac canes rabidi magis exarsêre; maximóque tumultu vociferantes succlamârunt, *crucifige, crucifige. Joan. 19*, & quamvis præses pluribus contenderet, ut rabiem mitigaret Judæorum, hi tamen acriùs semper in innocentem linguas acuerunt, donec crucifigerent; legem allegârunt Moysaicam, secundùm quam mori deberet, eò quia se filium Dei fecerit, objicientes etiam ambitioso Præsidi Cæsaris metum, *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Joan. 19.* & demum quia Pilatus accepta aqua ex consuetudine Judæorum magis, quàm Romanorum, laverit manus, suam protestans innocentiam, Matth. 27. *Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis*, adhuc succlamârunt Judæi, *sanguis ejus sit super nos, & super filios nostros*: hoc est excidium Jerosolymitanum, mortémque sempiternam, ac dirissimas pœnas sibi fuêre imprecati.

Sed quamvis Pilatus manus laverit, nunquam tamen cordis diluêre maculas valuit, & licèt totus Oceanus in suas defluxisset manus nunquam tamen linguæ fœditatem, quâ injustam protulit sententiam, purgâsset, nunquam cor iniquè timidum, ac justitiæ refractarium mundâsset. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculatus es in iniquitate tua.* Christus tamen, ut opus perficeret nostræ redemptionis, æternum Patrem mente allocutus quasi intra se dixit: ô Pater æterne, ecce homo filius tuus dilectus, in quo tibi benè complacuit, flagellis scissus, spinis coronatus, toto corpore cruentatus, ad subeundam mortem paratissimus. *Deum meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Hic mihi est dies lætitiæ, quò tuum de morte subeunda præceptum adimplebo, simúlque humanum genus redimam tuæ restituendum gratiæ: ecce me Deum hominem, hominum Redemptorem tua voluntate, atque in eos ardente charitate mortem crucis obiturum. 58.

Jerem. 2. Psal. 39.

Quis ita saxeus, ac durus, ut teneritudine non emollescat, totúsque lachrymis liquescat, si videat nostrum Servatorem doloribus subditum? vibicibus, ac vulneribus saucium, totúmque nobilissimi sanguinis liquorem ad ultimam usque guttulam expressum? Quis dolore non frangatur, si videat Petram non bis tantùm, sed pluries vulneratam, ex qua non jam aquæ rivuli, sed cruoris torrentes scaturiunt in sitim extinguendam totius orbis? Exulceratum quasi Lazarum nobis ex alto sua ostendentem ulcera? & stantes circum ipsum molossos, canésque rabidos, non ulcera lincturos, sed vulnera ampliaturos? En qui omnia vestit, sydera accendit, flores pingit, arbores comis tegit, terram herbis ornat, non habet, quo 59.

quo sua contegat vulnera: foris minus quàm homo, licèt intus plus quàm Angelus; exterius non rosis, sed spinis redimitus, non veste Attalica, sed ludicrâ purpurâ indutus; non sceptro, sed arundine insignitus, quem homines ut stultum irrideant. Et hic licèt in Thaboris fastigio amœnissimos emiserit radios è vultu; modò livore squalidus, sanguine perfusus, sputis fœdatus, nonnisi tristitiæ, & doloris operitur caliginibus: qui in Thabore tribus Discipulis vestium suarum formosissimam nivem, vultúsque amœnissimum solem exhibuerat: modò nonnisi in corpore membra prodit vulneribus fracta, ulceribus lacerata, cruore madida. Livent oculi multa jam morte natantes, squalent genæ tormentis compressæ, madet frons tota pluvio [è] vertice cruore, concrescunt capilli sanguine immersi, & per totum vultum nonnisi pallor, livor, luror, tumor, cruórque plurimus sparsus: *à planta pedis*
Isaia 1, *usque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens. Sed livore ejus sanati sumus.*

§. VII.

Noxas omnes nostras absterfurus, Christus, non solùm suum ex toto corpore sanguinem fundit, verùm etiam ex amoris stimulo crucis pondera suis defert humeris, ut nos ab oneribus subducat peccatorum.

60. LAtâ à Pilato iniquissimâ mortis sententiâ jubetur Dominus, quam ad ludibrium purpuram induerat, mox exuere, ac proprias resumere vestes, quò faciliùs internosceretur; tum ingenti trabe, cui suffigendus erat jam titulus, seu cruce suis humeris impositâ traducitur ex urbe longo itinere usque ad portam Calvariæ. Tribunus cum cohorte sua armatus lugubrem pompam in suas digerebat classes; aderant & duo latrones vincti, & ad subeundam mortem destinati: & Christus mundi Conditor, hominúmque omnium Creator non minus, ac viri illi nequam, vinctus, suam bajulabat crucem: & agmine toto in ordinem tumultuarium composito ducitur JESUS, *qui bajulans sibi crucem. Exivit*
Joan. 19. *in eum, qui dicitur Calvaria, locum hebraicè Golgotha.*

61. Neque unam tantùm, censendus est, tulisse crucem, qui corpus vulneribus, plagísque decussatim illatis utrinque scissum haberet, caput horribili dumeto sancium, spineóque stillante sanguine serto gravatum; lumbos non militari balthco, sed laqueo præcinctos; humeros quasi non satis ad columnam flagris dilaceratos iterum excelsâ oneratos trabe; pedes lapsabundos, totúmque corpus tremore nutans; siquidem vix sibi ipsi portando sufficiebat, cuius incessus lentus erat, anhelitus æger; facies livore, sputis, ac cruore transformata, & per singula corporis membra sanguinei difluerent rivuli.

Egressus extra urbem ad moriendum processerat Christus, iter totum suo sanguine pretiosissimo signans, nobis relinquens exempla, ut ejus sequeremur vestigia; 62.
cujus mortis etiam ab initio mundi conditi voluit typum nobis dare, præsertim in innocente Abele ab infido fratre Caino in campum educto, & interfecto; ut etiam fuit typus Noë justus deferens ligna ad fabricam arcæ, ne genus humanum periret. Obediens Isaac suis ipse humeris lignorum fascem deferens apparando sacrificio, in quo erat ipse jugulandus in victimam. Jacob peregrinus suas ipsemet deferens scalas cœlo applicandas, per quas scandimus ad sidera. Fortissimus Josue divino jussu suum elevans clypeum contra civitatem Hai, nec contrahens manum, quam in sublime porrexerat tenens eâdem clypeum. Moyses in monte passis brachijs oraturus, feréns virgam, quæ aliquando versa fuerat in serpentes: & quâ percussa fuit petra, & ex petræ vulnere aqua scaturijt. Eliseus veniens ad aquas hauriendas cum ligno. Abimelech: *Qui arrepta* Jud. cap. 9.
securi præcidit arboris ramum, impositúmque ferens humero dixit ad socios Quòd me vidistis facere, citò facite. Christus siquidem crucem præferens ajebat. *Si quis* Luc. 9.
vult venire post me, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Eliacim indutus cruenta tunica, cinguló que præcinctus novo, clavem Domus David super humerum ferens paradiso referendo. David Rex cum cithara conscendens montem æterni Patris iram placaturus. Salomon pacificus suum ipse thronum deferens ad locum judicij. Summus sacerdos, qui suismet humeris portat altare, in quo ipse sit sacrificium, & victima pro mundi salute. Lazarus ulcerosus canibus circumdatus, pulsus ex urbe, ut ligno immoriatur.

Cùm verò Christus suam ad montem 63.
gestaret crucem confluxit ad triste spectaculum ingens populi multitudo, cùm feriæ essent paschales, & res meridie ageretur. In ea fœminæ erant Jerosolymitanæ, quæ humana motæ commiseratione lamentabantur, quasi non volens pateretur, quas propterea Servator consentaneâ divinæ suæ personæ servatâ gravitate commonefecit. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas* Luc. 23.
flete, & super filios vestros: cùm iisdem imminerent excidium [illegible] *si in viridi ligno hoc faciunt, in ari[illegible] [illegible] id fiet:* hoc est, si Dei filius ob aliena pe[illegible]ata tam severè plectitur, quid fiet mancipio tot proprijs convicto sceleribus. Ne verò deficeret Dominus sub crucis onere, hoc imposuêre Simoni Cyrenæo, non quidem miserationis, sed crudelitatis causa; siquidem verebantur Judæi, ne Christus oneri succumberet, & exanimatus concideret sub pondere, suáque morte

crucis

crucis præverteret tormenta, cùm enim observâssent Christum tam lento, fractóque gressu incedere, ac passim sub crucis onere collabi, ne decederet in via onus crucis in Simonem transtulêre, ut sitientes ejus sanguinem ex alto, seu montis cacumine, crucisque fixione haurirent. Nullus tamen Judæorum crucem, quæ tunc probro, ac maledicti habebatur, tangere ausus fuit, ne fieret ex lex; unde hominem alienigenam Simonem nomine ex oppido Cyrenæ in urbem properantem accersivêre, simúlque adegerunt, ut Christi crucem in se reciperet, & ad locum deferret supplicij.

64. Verùm Simonis Cyrenæi labor in perferenda cruce, licèt brevis fuerit, sibi tamen, suisq; filijs æternam interChristianos memoriam peperit. *Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa patrem Alexandri, & Ruffi, ut tolleret crucem ejus.* (Marci 15.) nimirum labor, quem in hac vita subimus propter Christum, & dolor, quem sustinemus, quamvis brevis sit, prœmium tamen nobis gignit æternum. Christo autem properanti ad necem occurrerat Matrona quædam Jerosolymitana nomine Veronica, vel ut alijs placet Berenice, ut Christi sub cruce fatiscentis sudorem, lachrymas, sputa, sanguinem toto vultu sparsum linteo abstergeret, in quo tamen Christus suam depinxit effigiem, ut nihil artis huic defuerit picturæ, ut refert Adrichom, in descript. Jerosol. *n. 44.* Neque sola Berenice, sed & aliæ Matronæ in Christum piè obsequiosæ suas ei saltem lachrymas hoc ferali in itinere consecrârunt; imò & etiam Dei Mater per viarum compendia cum Joanne, Magdalena, Maria Cleophe ad uberiorem doloris cumulum: loquebatur siquidem Mater ad cor filij, & filius ad cor Matris. Quis dicat, qualis fuerit æstus, impetúsque reciproci doloris, & amoris? Móxque ad radices, cum pervenisset Calvariæ montis, illius ascensum quamvis perdifficilem cæso tot flagellis, exhaustn tot itineribus, deficienti tanta sanguinis effusione; amore tamen nostri, studióque obediendi, collem superavit, in quo generosissimus botrus appenderetur, & novæ legis Aaron virgam ferret, quæ suo tempore frondes depromeret, & flores. Princeps pacis suam ipse monarchiam deferre humeris voluit, ut nos ab oneribus subduceret. *Factus est principatus super humerum ejus:* (Isaia cap. 9.) vocat Isaias crucem principatum, cùm per ipsam reseratum habeant homines cœlum, fiántque ejus beneficio participes æterni principatûs.

65. Ut verò despicatior ejus nex mundo fieret eidem ad mortem anhelanti duos adjunxêrunt latrones, ut comprobaretur Isaiæ effatum. *Tradidit in mortem animam suam; & cum sceleratis reputatus est:* (Cap. 53.) ergò erramus, qui ad cœlum aliam quærimus viam extra illam, quam Christus suo nobis sanguine signavit. Fatuitas est, per honores, opes, delicias sperare Regnum Cœlorum; cùm Christus nonnisi per contemptum, paupertatem, & crucem fuerit illud consequutus: absque lucta non speremus coronas, sine sudore mercedem non exposcamus, nec sine laboribus prœmium expectemus: absque certamine nemo inter Athletas numeratur, nec victoribus quis adscîscitur sine prævia pugna, idque primò ut nos doceret exemplo, & non sola voce, voluit Magister Christus nos præire; & ideò suam voluit in linteo obviæ Berenice expressam effigiem; ut etiam post ejus necem viva suorum dolorum extaret imago superstes: nimirum, quos non potuit in hominum animis dolores suos altiùs imprimere, pinxit in linteo, quos saltem oculis objiceret ad refricandam eorundem memoriam. Fuerunt divinæ hæc artis suę rudimenta syndonem sic pictam exhibere hominibus, quamvis non delineandi, sed colorandi peritiam probaverit.

Cùm jam esset, paratis clavis, & cruce eidem affigendus, iterum detractis vestibus, quæ cruento adhæserant corpori, plagísque renovatis, quarta jam vice nudus constituitur longè, latéque patente in campo coram innumera propemodum hominum frequentiâ; ad primorum nimirum patentum, nostrámque omnium erubescentiam sua contegendam nuditate; cœlestis Athleta supremam in terris descensurus ad luctam vestium exuit impedimenta, expeditiùs orcum debellaturus, hostémque prostraturus tartareum. Verùm nuditatem sui Authoris miserata natura, suum studuit tenebris obtegere Conditorem: & quamvis medius inter fures cruci affigeretur, nihil tamen è tetris discedens asportare secum voluit, nisi clavos, vulnera, & vepres; quia nudus in Bethleemitica caula natus; nudus in cruce denatus, æternæ gloriæ vernantes rosas è suis nobis voluit spinis depromere. Vel quia baptizandus erat baptismo, quo enixim cupiebat baptizari, ad novi delicias balnei se nuditate præparavit; sed si lictoribus suas vestes dedit, ut immane scelus contegerent; non tamen eas scindi passus est; quàm fuerit integritatis amator, ex en etiam conijcimus, cum vel in vestibus ipsis eam amaret integritatem, quam servatam voluit in moribus. Sæculum innocentiæ, si quamdiu Adam nudus fuit in terris, floruit; & aruit cùm primùm vestes induit: redivivum ut surgeret in mundo sæculum gratiæ, & reparatæ innocentiæ, voluit secundus Adam nudus videri in mundo. Cæterum typus Christi vestibus nudati Noëmus fuit; quia si hic arcâ humanum genus servavit; Christus cruce illud idem reparavit. Noëmus vineam, Christus ecclesiam plantavit, quam suo rigavit sanguine. Noëmus vino ebrius in tabernaculo nudus deprehensus est: & Christus amore æstuans nudus in cruce emoritur, nobis vitam impertiturus. 66.

Cum

67. Cum verò ob effusum sanguinem sitiret, acetum myrrhatum ei obtulêre, etenim in crucem actus dixit. *Sitio: vas erat positum*
Joan. 19. *aceto plenum Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus:* præter fel, & acetum quid suis propinet, mundos sitientibus non habet. Sed cur acetum Christo exhibetur morituro? certè non sistendi sanguinis, nec vitæ producendæ causâ, sed odio, & illusioni augendæ; ut Rex gloriæ videretur opprobrium hominum, & abjectio plebis. *Illudebant autem*
Luc. 23. *ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei.* Moris fuit, ut spongia, vásque aceto plenum in eum adasset usum, quò milites crucifigentes tergerent manus suas spongiâ, & crucifixorum vulnera. Acetum autem aquâ mixtum potus fuit crucifigentium, ac suspensa corpora custodientium, Suum igitur acetum non tamen mixtum aquâ, ut consueverant milites, paravère Christo illudendo, non siti extinguendæ: voluit Christus membris omnibus torqueri, séque mori sentire; nec ipsam permisit præ siti arentem linguam à doloribus, flagellísque immunem: & lingua ipsa flagellatur, & crucifigitur in Christo innocente; eò quia rea fuerit in nobis nocentibus, & quia membris omnibus delinquimus, voluit Servator noster membris omnibus torqueri. Quòd si Adam esu pomi vetiti gulæ satisfaciens mortem in malè earpto malo deglutivit, quam in posteros transfunderet: secundus Adam gulæ noluit satisfacere, nec sitim extinguere, ut mortem, quam primus in pomo devoraverat, revocaret per ardentissimam sitim ad extrema labia, eámque ab hominibus mortuis peccato sua morte expelleret. An fatigatus iterum ex itinere sitivit Christus, à quo fontes nostræ emanârunt redemptionis? sitivit quidem non sibi, sed nobis nostram salutem. Imò & incremento dolorum ex intensioris amoris æstu, quo nos prosequebatur, quamvis in ærumnarum oceano immersus esset cœlestis Tantalus, adhuc eas sitiebat; suâ adhuc in amoris flammâ cruciatuum aquas anhelus sitivit, non in suum, sed nostrum refrigerium; hinc sibi oblatam ab hominibus potionem, bibere noluit, cùm sciret, non potuisse mundum suam extinguere sitim; vel noluit acidissimam potionem bibere, eam hominibus servaturus, quos dulcedine depravatos amara corrigunt.

68. In jacentem humi crucem magna vi deijcitur Dominus quatuor carnificum impetu, in quam sua sponte ferebatur veluti in nuptialem animarum nostrarum thalamum amoris ipso pondere. Hic toto extensus corpore, diductis brachijs, manibúsque porrectis, & ad destinata protractis loca, dexterâ primùm, deinde sinistra durissimo clavo cruci confixa est; deinde pes uterque, vel unico majore, vel duplici clavo perfossus, & quidem acerbissimo cum cruciatu, cum hæ corporis extremæ partes multiplici implicatæ nervo sensu polleant vividiore. Mox diductis brachijs, luxatis artubus, perfossis manibus, trajectis pedibus, crux erigitur, & in effossam demittitur scrobem, & ad incrementum cruciatuum, ac dolorum, nova fit membrorum convulsio, & scaturire cœperunt quatuor veluti paradisi fontes divini cruoris, quibus sensim vires deficerent, & pendulus è cruce Servator ad lentam, ac crudelem adigeretur mortem; móxque ab aliquibus triste urgetur parricidiom, ab alijs informi Regno illuditur, ab omnibus infami letho insultatur, donec viribus prorsus destitutos pronis in mortem oculis, labente in pectus capite, quasi inspiraturus in hominem vitæ spiraculum, atrato ad sacrilegum spectaculum cœlo ipso; emotis è propriâ sede elementis; laborante naturâ spiritus oris nostri, unigenitus æterni Patris filios expiravit. Nullum fuit supplicio crucis ignominiâ feralius, cruciatu atrocius, diuturnitate crudelius: illud tamen eligere voluit, ut etiam Calvariæ montem publicis reorum supplicijs infamem, urbémque Jerosolymam, non Palæstinæ tantùm, sed & totius orientis Metropolim, & quidem paschale festum, quo conflueret in urbem omnium propemodum gentium frequentia; tempúsque meridianum, ut palam in omnium conspectu de sublimi pendens stipite moreretur: nimirum Bethlehem nativitati, quò lateret obscurior, destinaverat; & Jerosolymam, quò clariorâ, ac celebriora forent ejus opprobria, & passiones, delegerat; voluit media nocte clam in stabulo nasci, & media die palam in patente Calvariæ fastigio mori.

Durius est cor nostrum omni adamante, si amoris clavo non transfigitur, si sensu sit doloris expers; ferreum est pectus nostrum, si clavis hisce non terebratur; saxeum cor, si Christi sanguine non emollitur: & quomodo fiet, ut sponsum animæ nostræ nudum in hoc crucis thalamo non amplectamur nudi, & nos ab omni rerū caducarum affectu? quomodo fiet, ut non osculemur sacratissimos illos pedes, tot pro nostra salute susceptis itineribus defatigatos? & cum Magdalena eosdem cruci affixos uberioribus non proluamus lachrymis ad nostrorum sordes criminum abluendas? quomodo crebra per oscula divinas manus admirandorum operum effectrices, aureas, tornatiles, plenásque hyacinthis gratiarum non prosequemur? cùm ipsa totus exæstuans in nos amora etiam pro suis æternum Patrem roget hostibus? dulcissimo Christi gutturi, nec fel ipsi potatum amarum fuit, cùm nihil ex illo ore prodierit, quod amaritudinem saperet. Pependit Dominus medius duos inter latrones, veluti unus ex hujus furfuris hominibus, ad obscurandum scilicet ejus nominis claritatem; nec ipse medium on- 69.

quam

quam respuit locum, qui natus medius inter jumenta, denatus est medius inter latrones; ut à primo vitæ exordio ad extremum usque epilogum, locum nos edoceret virtutis, fugámque extremorum.

70. Titulus discriminabat eum à latronibus; erat enim innocentiæ index, & silex amoris JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, hoc est Salvator hominum, Sanctus Sanctorum, eximiâ omni virtute floridus. Quis non exuat pravos omnes affectus in mundi delicias, in sæculi pompam, in vanas voluptatum illecebras? cùm videat æterni Patris unigenitum filium toto corpore vulneribus saucium, & emblemate sculptum amoris, nudúmque è cruce pendulum. Scio, spectaculum hocce intimos piorum hominum sensus incredibili in Christum commiseratione pluries affecisse; & præ cæteris Elisabetham Andreæ Hungariæ Regis filiam, & Ludovici Principis conjugem: cùm enim hæc regio cultu ornata in publicum prodiisset, templúmque ingressa imaginem Christi crucifixi vidisset, se à lachrymis temperare haud potuit, & per crebra suspiria intra se loquens ajebat: Æterni Patris Filius pendet nudus in patibulo, & ego gemmis fulgeo, auro obtegor? Domini mei caput acutissimis est opertum dumetis, vallatum spinis; & meum superbit pretiosis illuminatum lapillis? ille madet sanguine, & à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas; & ego toto corpore odoribus perfundor, serico auro intexto tegor? ille Rex cœli ab omnibus deseritur; & ego tot famulis cingor? ille locum capiti quærit, nec invenit; & ego pulvinaria admitto? Heu me miseram, méque infelicem! Hisce cogitationibus adeò compressa fuit, ut passa deliquium fuerit fomentis recreanda, & ex tunc muliebrem mundum omnem abjecit, cilicium induit, ne Christi patientis memoria unquam excideret.

§. VIII.

Adeò ingens fuit Christi in homines amoris flamma, ut hanc aquæ nullæ dolorum, nulli cruciatuum torrentes, nec flumina contumeliarum valuerint extinguere, nec imminuere.

71. QUam ingens Christi in homines amor! quem tot aquæ dolorum, ac cruciatuum, tot sanguinis torrentes, tot flumina contumeliarum non valuerunt extinguere, imò neque obruere; quinimò perinde ac guttæ roris injectæ magno incendio flammas vehementiùs accenderunt. Quamvis sit amor omnium affectuum suavissimus, est tamen cæterorum potentissimus, ac fortissimus, cùm tot probra, convicia, flagra, vulnera, inconcussâ sustinuerit firmitate; neque noster otiabitur amor, si penitiùs, quæ Christus pro nobis dignatus est pati, perpenderimus: tota siquidem Christi vita ab instanti suæ conceptionis ad extremum usque vitæ spiritum jugis fuit tessera ejus in homines amoris, quo nasci voluit inter homines, & cùm esset ejusdem cum Patre, & Spiritu sancto naturæ, nullis obnoxius ærumnis, nullíque passioni, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, nostram voluit humanitatem induere, & homo fieri, ut hominem participem faceret divinitatis. Ab hominibus à diversorio, ac communi hospitio exclusa Virgo Mater, unà cum Josepho sponso in stabulum cogitur se recipere, cúmque illic partem noctis fundendis Deo precibus transegisset in altissima mentis ecstasi æterni Patris unigenitum filium enixa est sine sensu doloris, absque ulla Virginitatis læsione, móxque humi jacentem, natúmque in terris æterni Patris filium supplex adoravit, ulnis fuit amplexa, sinu fovit, cinxitque fasciolis, & cùm aliæ non essent cunæ, in præsepio reclinavit, eum cum S. Josepho sponso prolixiùs adoratura. Quòd si *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, Isaia 1. quovis bruto est homo deterior, nisi sentiat se amore inflammari in puerum JESUM, ob nimiam charitatem, quâ nos dilexit, jacentem in præsepio; cùm maturus vir potuisset ad nos venire, infans esse voluit, quò foret amabilior, ac uberiori teneritudine amaretur; & quò nudior, eò charior nobis esset. Venit in mundum pauper, humilis, despectus, ingloriús, Deus absconditus; ut sua paupertate cœlestibus nos divitijs afflueremus, sua humilitate erigeremur super sydera.

72. Quis non amet natum nobis Deum elegantissimum infantulum, sed nudum in præsepio, algentem, vagientem, fletu, motúque corporis maternam opem implorantem: & intùs mente beatissimam suam animam ad nostra expianda peccata victimam Deo Patri consecrantem? Imò à lachrymis, & sanguine, nostram, ut exordiretur redemptionem octavo die circumcidi voluit, séque subdere Moysaicæ legi, cum solutus esset ab omni lege, & propter amorem, quo nos prosequebatur, prima posuit rudimenta, tum humilitatis, quâ insitam originalis peccati non noxam, neque notam, sed infirmitatem doloribus obnoxiam in divina sua suscepit carne; tum patientiæ, quâ non ut cæteri infantes rationis expertes, sed judicio maturus impositam sibi plagam, ejúsque cruciatus sensit acerbitatem: tum charitatis immensæ, quâ primitias divini cruoris lachrymis permixtas æterno Patri litavit ad hominum salutem, & redemptionem.

73. Restitutus Virgini Matri circumcisus puer de plaga, & sanguinis effusione tenerrimè compatienti, ac filio collachrymanti eum suaviter amplexa est, sinu fovit, lachrymulas detersit; sed nos pudeat, cùm tam parùm simus corde, auribus, oculis, linguâ, moribúsque circumcisi, imò & pravos omnes foveamus affectus. Voluit noster amor carne minui circumcisus, ut minuerentur in nobis pravæ consuetudines, & deflectentes à rectitudine affectiones: & ut viam nos edoceret salutis, scholam aperuit duodennis inter Doctores; útque exemplo hanc fortiùs, quàm voce ostenderet, à Joanne voluit baptismate ablui, & in desertum secedere, humiles, & abjectos piscatores accersere, sibíque in Discipulos adsciscere; imò docturus nos charitatem etiam in proximum exercendam, nuptiarum hilaritatem voluit miraculo geminare; in monte suos ad sublimia erudire Discipulos; panes multiplicare, quibus plura hominum millia pasceret; tempestates maris sedare, ab imminentibus alios ut subtraheret periculis; Magdalenæ peccata dimittere; Samaritanæ fontes salutis aperire; Adulteræ lapidibus obruendæ patrocinari; filiam Cananeæ sanitati restituere; Zachæum ad meliorem frugem vocare; Centurionem per famulum lucrari; non habenti hominem in piscina occurrere; Hæmorrhoissam à fluxo sanguinis liberare; Leprosos mundare; cæcis natis novam aperire diem; surdis auditum; & mutis loquelam dare; immo & filium viduæ suscitare; Archisynagogi filiam ad vitam revocare; & Lazarum quatriduanum redivivum restituere sororibus. Et dum in alios beneficus esset, ab ærumnis se noluit subtrahere, ut sibi indulgeret: cum agnum suis cum Discipulis comedisset, eorúmque pedes abluisset, oraturus secessit in hortum, ubi effusus intensiùs in preces sanguineos liquescit in sudores, & modò à Juda osculo proditur, & à suis desertus Discipulis vincitur à militibus; trahitur Jerusolymam, accusatur coram Caipha, vexatur per noctem; sistitur Pilato; mittitur ad Herodem, ubi illusus reducitur ad Pilatum, & flagellis cæditur ad columnam, vepreto coronatur, ostenditur populo, & exsibilatur; crucem bajulat, vestes exuit; cruci affigitur medius inter latrones, sitiens felle, & aceto potatur: & tandem inclinato capite emoritur, ut sua morte nos viveremus. Ex quibus liquet, *quam bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem mensuram* Luc. cap. 6. dederit Christi in nos amor, cùm totum sanguinem ad ultimam usque guttulam cum aqua nobis largissimè effuderit.

74. Roscida sanè nubes, quæ sudore, lachrymis, sanguine, & aquâ stillavit, ut probrum sterilitatis cordis nostri tandem tellus abigeret, & tam pretiosis irrigata humoribus flores germinaret virtutum: sicut enim in præsepio summam in nuditate ostendit paupertatem; ita in cruce doloribus, ac vulneribus saucius summam ejus charitatem, ut in toto ejus corpore sculptus videatur amor, qui ipsum in oliveto humi dejecit, coram militibus vinxit, captivum duxit, ad Judices pertraxit, columnæ alligavit, spinis coronavit, cruci affixit, & mori coegit suis pro hostibus, ac impijs, ut enim scribit Apostolus. *Vix pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*: [ad Rom. 5.] eh quis æterni Patris aspiciens unigenitum filium cruci affixum ob purum in nos amorem, ut nos à morte liberaret, non incalescat tenerrimo in ipsum affectu?

75. Quis cernens Regem cœlorum nudum in cruce, vibicibus, plagis, vulneribus plenum, sanguine madidum non liquescat in lachrymas præ amoris teneritudine? Utinam ejus clavi nostros terebrarent pedes, ne unquam declinarent à via salutis, quam ipse nos edocuit? O utinam spinæ regium illud caput coronantes nostrum sepirent, omnésque dilacerarent pravas cogitationes? Utinam ejus cruore inebriaremur, nihílque ampliùs, quàm ipsum diligeremus, ejúsque cruciatus, dolores, & vulnera? & eam experiremur violentiam, quam in Christo amor exercuit? Utinam cor nostrum eâ amoris flamma æstuaret, quâ ipse exarsit; & præcordia singula nostri pectoris hoc igne cinefierent? pulchrè Sanctus Bernardus. *O amoris vim! ita ne summus omnium, imus factus est omnium! Quis hoc fecit? amor dignitatis nesciens, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ est ista vis, quaso tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo æquata est, quòd singularitas associata est*: [Serm. 64. in Cant. in fin.] Non potuerunt hominum scelera, & nostra delicta esse tanta, quin Deus nos non amaret; nec supplicia, cruciatus, dolores, ac tormenta, quamvis acerbissima potuerunt eidem objici; quin ea lubenti animo, pronissimóque corde toleraret amore nostri. Flammeus amoris pelagus immensus in Christo fuit, nullo coërcitus littore, nullóque clausus termino, & hujus amoris in nos beneficium, nec exprimi potest, nec objici oculis: tanta est hujus amoris exsuperantia, ut plures eam non valentes percipere offensionem inde acciperent, ut scribit Apostolus. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* [1. ad Corinth. cap. 1.]

Hunc

76. Hunc autem offensionis lapidem, ut removeret adumbratum priùs voluit suum amorem in sacris scripturis. Figura enim Christi in terris nati, & jacentis in præsepio, seu objecti ærumnis, fasciis involuti
Exod. 2. fuit Moyses infans. Natus siquidem Moyses cogente Pharaonis imperio à matre sua in fiscellam scirpeam, quam bitumine linivit, positus fuit, & absconditus in carecto fluminis, cúmque puella Regia Pharaonis filia ad ripas illas descenderet frigidis laticibus corpus ablutura; quam in flumine viderat fiscellam, jussit ad se afferri, & exemptum inde infantulum præcepit sibi educari in filium. Quamvis synagoga noverca pessima Christum in terris natum ærumnis objiceret, tectum ei denegaret, & ad pecudum stabulum amandaret; filia tamen Regia, seu ecclesia eum recepit, non tamen in filium, sed in Patrem, cui obtemperaret, inserviretque. Hancque hominis nativitatem vaticinatus
9. 7. etiam fuit Isaias. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Parvulus natus est, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis:* quem textum expendens Eusebius Emisenus pulchrè ait: *Natus est nobis, qui sibi erat. Natus, qui sentiret occasum; datus, qui nesciret exordium; natus, qui & matre esset junior; datus, quo nec Pater esset antiquior; natus, qui moreretur; datus, ex quo nascetur. Atque sic, qui erat, datus est; qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur; sibi regnat, & mihi militat.*

77. Figura circumcisionis fuit Sephoræ filius *Exod. 4. v. 25. Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit filium suum, & ait marito, sponsus sanguinum tu mihi es.*

Oblationis in templo Samuel *1. Reg. 1. Adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus, & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.*

Fugæ in Ægyptum Abraham *Genes. 12. Descendit Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur.* Ut se gladio furentis Herodis subduceret S. Joseph cum Maria ejus sponsa, & JESU secessit in Ægyptum.

Amissionis Pueri duodennis Tobias junior *Tob. 10. Cœperunt ambo simul flere, eò quia die statuto minimè reverteretur filius eorum ad eos.*

Laboris fabrilis Jacob *Genes. 31.* per viginti siquidem annos inservivit, ut tandem sponsam enanciseeretur Saram.

78. Fatigationis ad fontem Eliezer *Genes. 24. Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.*

Tentationis in deserto: *Job. 2. Dixit ergo Dominus ad Sathan, ecce in manu tua est.*

Lapidationis David *2. Reg. 16. Semei maledicebat, mittebátque lapides contra David.* Judæi siquidem indignabundi Christum lapidibus impetere ausi sunt.

Præcipitationis de monte Jeremias *c. 26. Apprehenderunt eum sacerdotes, & Propheta, & omnis populus dicens, morte moriatur.* Judæi siquidem impetu facto irruerunt in Christum, ut eum è medio tollerent.

Separationis à matre Sara *Genes. 22.* ubi suum unigenitum Isaac in montem Moria ad sacrificium tendentem dolens à se dimittit, quia ut notat D. Augustinus. *conscia fuit necis futura.* Christus enim initium positurus suæ passioni, amantissimæ Matri valedicit mortem oppetiturus in monte Calvariæ. Serm. 72. Tom. 10.

Figura ultimæ cœnæ à Christo institutæ fuit agnus paschalis: *Exod. 12. Tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas:* etenim Christus verus agnus apposuit se, ut à suis Discipulis comederetur in ultima cœna, etiam à Juda proditore.

Orationis in horto Gethsemani Elias *3. Reg. 19. Petivit animæ suæ, ut moreretur, projecitque se, & obdormivit in umbra Juniperi, & ecce Angelus Domini tetigit eum.* Christus etiam humi prostratus, & ad necem usque afflictus ab Angelo confortatur, Luc. 22. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.*

Osculi à Juda proditore traditi Amasa *2. Reg. 20. Dixit itaque Jacob ad Amasam, salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.* Judas enim Christum amicè exosculatus hostibus suis tradidit.

Trajectionis per torrentem Cedron, David *2. Reg. 15. Omnes flebant voce magna, & universus populus transibat: Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron.* Christus enim per torrentem Cedron raptatus fuit, quem cum Discipulis antea pertransierat.

Alapæ impactæ à milite speciosissimo Christi vultui Michæas *3. Reg. 22. Accessit Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam, ubi ergo dimisit spiritus, & locutus est ibi?* siquidem *Joan. 18.* unus assistens Ministrorum dedit alapam JESU.

Velati vultûs, & percussionum Samson. *Judic. 18. quem, cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Siquidem Judæi Christo oculos velârunt, pluribús-

que percussionibus, & contumeliis per noctem onerârunt, *Luc. 22. velâverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes, prophetiza.*

Falsæ accusationis coram Pilato. *Daniel. 6. tunc respondentes dixerunt coram Rege, Daniel de filijs captivitatis Juda non curavit de lege tua, & de edicto, quod constituisti.* Siquidem Christus apud Præsidem Pilatum falsa fuerat accusatione traductus *Luc. 23 cœperunt autem eum accusare dicentes, hunc invenimus subvertentem gentem nostram.*

79. Albæ vestis, quâ in signum dementiæ indutus fuerat Christus, typus fuit David *1. Reg. 21. ait Achis ad servos suos. Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me?* siquidem Christus tametsi æterni Patris sapientia ab Herode instar amentis alba amicitur veste, & ad Pilatum remittitur *Luc. 23. Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.*

Figura flagellationis Jeremias 37. *Irati Principes contra Jeremiam cæsum eum miserunt in carcerem.* Fuerat enim jussu Pilati Salvator mundi ad columnam vinctus, & atrocissimis cætus flagellis *Joannis 19. tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit.*

Coronationis aries Patriarchæ Abrahami *Genes. 22. Levavit Abraham oculos suos, vidit que post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Infixum siquidem ingenti tormento fuerat spineum sertum tenerrimo Christi capiti, *Marc. 15. Imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum, Ave Rex Judæorum.*

Typus productionis ad populum verbis illis *Ecce Homo* Job fuit *Job 2. Percussit Job ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus.* Christus enim toto corpore sancius, membrisque omnibus scissus, innumeræ exponitur hominum multitudini *Joannis 19. Dicit eis, Ecce Homo.*

80. Bajulationis crucis Isaacus *Genes. 22. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Injecta enim fuit Servatoris penè viribus destituti humeris gravissima crux, quam deferret ad locum supplicij *Joan. 19. Bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.*

Primi Christi crucem bajulantis lapsus scala Jacob *Genes. 28. Tulit de lapidibus, qui jacebant, & supposuit capiti, dormivit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram.* Crux enim nobis est ad cœlum scala; sub qua non dormiens, sed vigil, sed destitutus viribus jacet mundi Redemptor, Referente enim Adrichomio in loco ad occasum vergente Christus in terram subsidit. In descript. Jerus. n. 118.

Occursûs Virginis Matris ad filium, virgines ad Oniam accedentes 2. *Machab. 3. Accinctæque mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant: sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.* Egressa enim domo in viam publicam Virgo Mater filio suo crucem bajulanti, ac sub onere deficienti obviavit.

Typus Veronicæ abstergentis linteo Christi vultum, ejúsque faciem exprimentis in syndone, teste Adrichom. *in descript. Jerus. num 118* fuit tunica Josephi cruenta *Genes. 38. Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum; bestia devoravit Joseph.*

Secundi sub cruce Christi lapsus ad portam referente Adrichom. Typus fuit Dux Amasa, qui sanguine circumfersus, fœdúsque media jacuit in via 2. *Reg. 20.* iterum enim subsidit humi mundi Salvator onerosa sub cruce totus sanguinolentus. Loc. cit.

Mulierum deplorantium luctuosam Christi sortem figuram exhibuerunt mulieres illachrymantes Josiæ 2. *paral 35. Omnes Cantatores, & Cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant.* Christus enim noluit, ut filiæ Israelitides ipsum lugerent, sed se ipsas, & filios suos ob futurum Jerosolymæ excidium *Luc. 23. Filiæ Jerusalem nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.*

Ultimi Christi sub cruce lapsus ad montem Calvariæ ex Adrichom. *in descript. Jerusal. num. 118.* Typus fuit Onias. 2. *Machabæor. 3. Sacerdotes ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se. Jam verò, qui videbat summi sacerdotis vultum mente vulnerabatur.*

Vestium depositionis, fellisque oblationis typus fuit Jeremias *Thren. 3. Factus sum in derisum omni populo. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.*

Crucifixionis in monte Calvariæ Samson *Judic. 16. Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero:* siquidem Christus, cùm pervenisset ad locum montis Calvariæ, indignissimè humi projicitur, immanique tormento super cruce extenditur, clavisque affigitur *Luc. 23. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvaria, ibi crucifixerunt eum.*

Christi in cruce exaltati, & pendentis ex ea figuram exhibuit serpens Mosaicus *Num. 21. Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.*

Christi sepulturæ Jonas Propheta *Jonæ 2. Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Etenim corpus Christi sepulchro infertur, quod ibidem triduo mansit, *Marc. 15. Posuit eum in monumento, quod excisum erat de petra.*

Has

81. Has sui amoris figuras, umbrásque voluit præcessisse, impensiùs ut eum amaremus. Cum figuris res ipsæ responderent, & cum umbris lux veritatis concordaret, quam testata fuerunt, vel ipsa elementa; siquidem obstupuêre cœli, quos puduit proprii Numinis, ex quo sol ipse justitiæ mortis fuerat caliginesingressus. Contremuêre campi terrarum, cùm eorum Conditorem cruci sentirent affixum, & cujus ponderibus eorundem libraretur stabilitas. Templi velum se ipsum dilaceravit, cùm nosceret Christi corpus, templum Spiritûs sancti tot vulneribus saucium, tot ulceribus scissum. Imò & ipsi lapides emollescere didicerunt in sensum doloris, cùm se ipsos sciderint, ut dediscerent hominum pectora lapidescere. Vicit quidem mortem, à qua nos liberos voluit; sed perinde ac Samson, unà cum hoste cecidit, ac in prælio dilaceratus fuit, ut nostræ consuleret integritati, cui nos restitueret. Cecidit per quem cœli stant; & à miserabili specie, ut suos sol oculos averteret offusis tenebris acerbum maluit spectaculum obtegere. Imò cum Christi corpore, in quo tanquam in involucro pretiosissimo augustissimum divinitatis sanctuarium continebatur summa vi in partes diducto contrarias; non potuit etiam ipsum templi velum contineri, quin in partes duas discinderetur. Planxêre suum Conditorem cœli lumina, quæ tenebris obsita sacrilegum Judæorum facinus, cæcæ noctis caligine cooperuêre: vel ut apparatu lugubri, pompáque funebri supplicium prosequerentur sui Opificis. Sensum dedêre mœroris, ac doloris elementa cum parentatura mortuo suo Authori suis convulsa sedibus funus præcurrere quodammodo niterentur. Luxerunt terrarum tractus, qui crebris, profundisque concussionibus labefacti enormissimè sacrilegii non valuerunt immanitatem sustinere, quin & ipsa saxorum firmitas confractâ soliditate disrumperetur. Imò & doluerunt ipsa inclusi sepulchris sanctorum cineres, qui ne absque commiseratationis sensu jacerent, reassumpto motu vitam repetere adnixi sunt, vitæ Authori mortem oppetenti illachrymaturi.

82. Sed si sol ipse atratus immanitatem sceleris clariùs suis obtestatus est tenebris; si terra tantum indignata facinus suis concussa ponderibus nutabunda tremuit, cur proprio discisso sinu, repentino hiatu sacrilegos non absorbuit? si monumenta patuêre, ut inclusi cineres sensum darent doloris, cur Deicidas non deglutiêre? An non sepulchra ipsa testata fuerunt plus inesse sensûs in putidis cadaveribus, quàm pietatis in hominum pectoribus? Imò non tellus tantùm suis concussa tremoribus signum dedit doloris, sed natura universa expalluit, ac penè defecit ad inauditum scelus, enormissimum sacrilegium; nec Sol viderat unquam facinus ex æquo atrox nefariè perpetratum ab impiis parricidis, quod nec sine lachrymis pullati intueri potuissent Angeli pacis, si humana induissent, & ipsi corpora: hinc Sol ipse, diurni luminis moderator medium suum interrumpens diei cursum repentina nocte terram totam contexit, quia nimirum tanti sceleris non potuit gravitatem sustinere, nec sacrilegii atrocitatem videre: & ex quo dies ipse suo in meridie atratam degeneravit in noctem, expalluêre & sydera, Authori suo morienti totius comploratione naturæ parentatura: & huic funebri pompæ posituturus initium Sol radios suns diei baiulos ferales commutavit in umbras, ut universa natura tenebris obducta, tremore concussa insueto fluctuans motu Authorem suum plangeret, jacerétque in luctu, in squalore, deflorata, deplorata; & perinde ac sacris pollutis ad summum doloris sensum prodendum sibi vestem à pectore discindebant Hebræi; ita templum Jerosolymæ, & quod in ipso continebatur velum, summum hunc totius naturæ, ut proderet dolorem, discissum est, absque ulla tamen parietum ruina, quia mortuus Christus non destructor, sed Ecclesiæ constructor fuit. Et quis has inter nutantis, dolentísque naturæ tenebras memoriam non jugiter enutriat Christi morientis? nunquam oblivioni detur hæc Servatoris nostri cruenta mors, sed ejus gelu flammis in nos excitet uberioris amoris, ut discamus eum ipso pati, ac mori.

83. Si Deus charitas est, & nos hanc in Servatorem è cruce pendentem nutriamus charitatem, quam aquæ fluentes terrenarum voluptatum nunquam valeant extinguere; sicut torrentes dolorum, & cruciatuum extinguere non valuerunt, imò neque obruere amorem, quo Christus nos ad extremum usque vitæ est prosecutus, & quo suis etiam pro persecutoribus, ac inimicis enixim Patri supplicavit: *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt:* hoc fuit primum de cruce postulatum, hoc suum votum, quo cœlestem Patrem suis precibus ad veniam flecteret; parcerétque Judæis, quos tenebris ignorantiæ etiam dicit obvolutos, & quasi inscios deliquisse: hanc voluit mercedem esse mortis suæ jamjam obeundæ, ut Pater illis ignosceret, qui eum in crucem agerent, eúmque blasphemiis, irrisionibus proscinderent, & eorum allegat ignorantiam ad culpam imminuendam, ac veluti obliterandam. Si adeò beneficus est in cruce, ut nil magis sit ei cordi, quàm hominum salus, pro qua enixim Patri suo æternò supplicavit, æquum est, ut nos corde eum redamemus, & sejungamus cor nostrum ob omni cupiditate opum, honorum, voluptatum, illúdque repleamus vivifico in ipsum desiderio, accendamúsque sanctioris amoris flammâ, ut nobis vivat, qui pro nobis mortuus est, & Luc. 23.

in eo nos vivamus; pro quo saltem mori 1. Corinth. 5. optemus, ut enim ait Apostolus: *Charitas Christi urget nos: æstimantes hoc, quia si unus pro omnibus mortuus est: ergo & omnes mortui sunt, ut nemo jam sibi vivat*, hoc est nobis non vivamus, sed potiùs nobis moriamur, ceu nostris concupiscentiis, pravis desideriis, vitiatis affectibus, carnis indulgentiis, vitæ commodis, ut in Christo vivamus.

84. Quòd si demortui Servatoris pectus dira lancea aperuit, ut ejus intima nobis viscera paterent, ingrediamur hanc cavernam maceriæ, ut requiescamus in Servatoris corde, immoremur in foraminibus petræ. Enixim Deum rogemus, ut alas nobis suppediter, quibus ad ipsum evolemus, Psalm. 54. eique jugiter adæreamus: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*; nimirum puras, simplicitate niveas, amore flammantes affectiones, *& volabo, & requiescam.* Quæramus tria tabernacula non in monte Thabor, sed in colle Calvariæ, in ipso sacratissimo Salvatoris corpore: unum scilicet in pedum vulneribus ad peccatorum veniam obtinendam: alterum in plagis manuum ad meritorum, ac bonorum operum abundantiam; & tertium in aperto cordis latere ad divini amoris hauriendas flammas; & à pedibus fugam ediscamus culparum, à manibus virtutum exercitia, & ex corde purissimam, ardentémque intentionem. Rogemus nostrum Servatorem suum nobis è cruce aperientem pectus, exhibentem cor, ut nos edoceat, quales nos esse debeamus, ut illi semper placere, & nunquam displicere valeamus: ut igne sui amoris gelu desidiæ è corde nostro discutiat, illúdque inflammet, ut jam nihil præter ipsum valeat concupiscere, omnésque exuat terrenorum affectiones, ut suum tantùm amorem induat: & eum imitemur, cujus charitas nec unam sibi guttam cruoris reservavit, quam non effunderet in nostræ pretium redemptionis. Totis viribus ejus poscamus amorem, eíque supplicemus, ut pretiosissimâ aquâ, quam è latere suo fudit nostras emundet conscientias, suóque sanguine exornet, ut ipsi jugiter candore innocentiæ, ac amoris ardore placeamus.

§. IX.

Quò Dei amorem Spiritus Sanctus nos edoceret in flammantes dispertitus linguas excitato sono vehementioris venti è summo cœlo in terras descendit, gelida nostra inflammaturus corda.

85. NOn solùm æterni Patris unigenitus filius suum in homines amorem prodidit nostra indutus humanitate, & factus homo, ut hominem divinitatis participem faceret; verùm & ipse Spiritus sanctus, qui igneis linguis è summo cœlo in terram dilapsus est gelida nostra inflammaturus corda. Festo etenim Pentecostes, quo datæ legis Moysaicæ festivitas agebatur, seu die quinquagesimo à Christi Domini resurrectione, & decimo ab ascensione in cœlum, erant Discipuli centum viginti viri cum mulieribus, & Virgine Matre simul omnes congregati in cœnaculo Sion, & unanimiter perseverantes in oratione. Tum repente excitato sono vehementioris venti descendit Spiritus sanctus in multiplices dispertitus linguas. Lex Evangelica, quia lex amoris est, linguis flammantibus promulganda erat; & non jam in tabulis lapideis, sed carneis, cordibúsque nostris imprimenda, & quidem ope divini Spiritus igne sui amoris intima nostra pervadentis præcordia, ac ferrea nostra corda emollientis; & quia nova lex toto terrarum orbe in omnes erat gentes prædicanda, rectè ignis divini Spiritus multiplices dispertitus in linguas è summo cœlo in ima delapsus est terrarum.

86. Sed cur repentinus de cœlo factus est sonus, cum cœlestis ignis delaberetur in terram? an obstrepuit extemporaneus è cœlo sonitus effracturus populorum surditatem, hominésque cœlo procul exulantes recenti sono quasi voce ad cœlestem patriam vocaturus? Cœli fragor procellarum semper videtur prodromus, ut tonante cœlo tremere terra videatur. Verùm ex repentino hoc fragore nonnisi bene ominari licet, non cœlum fulmina, nec grandines demittet in hominum perniciem, sed felicissimo nimbo profusa divinitas suas spargit divitias, quibus nostra ditescat paupertas. Non immurmurat cœli sonitus terrarum clades quasi ultricia displosurus fulmina, sed flammarum innocuam prænuntiat pluviam, quâ nostra rigentur corda, proróque sublato sterilitatis rosas discat sanioris germinare amoris. Fuit fragor ille obstrepentis cœli, adblandientis vox amoris, qui per aurium illicium se in intimiora pectoris nostri viscera demitteret, ac imperium invaderet animorum: etenim hoc usus Moyses initio legem populo promulgaturus ejus delinivit cantico aures, ut sacræ dulcedinis suavitate perfusi Israelitæ promptiùs legis præcepta mentibus imprimerent suis, altiúsque ejus observantia hæreret animo.

87. Verùm divinus Spiritus homines morum varietate dissociabiles, studiorum discrepantiâ, affectuum dissonantiâ discordes ad concentum compositurus virtutum, harmonico cœlestium linguarum sonitu ad studia inflexit pietatis, ut fieret ex penè innumeris terræ incolis rectè psallentium chorus unus, ac cor unum: edocuit cœlestis amor homines musicam, cùm enim contineat omnia, scientiam habet vocis, & cùm omnia nosceret hominum corda, perinde ac musici instrumenti chordas suo pulsu,

adeò

adeò suaviter concordavit, ut concentui respondeterent virtutis. Unde modulatus sonus, auditus tunc è cœlo, rectum, harmonicúmque in terris concentum induxit, simúlque plausus geminavit æterni Patris filio, suo sanguine purpurato, ac triumphalem cœli arcem nuper ingresso: cum enim pugnaturus cum morte, & tartaro divinus pugil in arenam terrarum descendisset, & victor cœlestem repetiisset patriam, debuerant cœli plausus in hoc fragore audiri; & cùm cœlum in tanto lætaretur triumpho, sua gaudia ut hominibus participaret splendidè illabitur per flammas felicitas sonoro spiritu, non minaciter, sed suavissimè, ac amabiliter tonans: neque ex hoc amabili tonitru fulmina irrumpunt in hominum perniciem, sed flammeæ perfluunt linguæ cœlestem homines edoctura eloquentiam, quâ & in mundo superbiam deprimerent, dura corda contererent, sæva delinirent, & hominum animas ad studia flecterent virtutum.

88. Vel repentinus hic è cœlo sonus quasi belli signum cœlestes ad arma legiones evocavit, ut cœlo tonante, ignéque pluvio excidium periturae Jerosolymæ prædiceret. Sed si bellum indixit Jerosolymæ, quia Dei filium morti addixerat; fuit tamen sonus ille hominibus pacis prodromus, ac præcursor; & ignis è cœlo delapsus hominum corda cœlesti fœdere nexuit, & eadem vinxit lege; ubi enim lex amoris erat in terris promulganda, non tonuit cœlum, sed sonuit; *factus est repentè de cœlo sonus*; & quidem sonus fuit ad cœlestem compositus harmoniam, ut musicam referret, quam docet amor.

89. Scio moris fuisse plerasque apud gentes profanas leges carminibus illigatas decantare, quò jucundiùs in aures illaberentur hominum, blandiúsque illicerent animos, quibus hærerent suaviùs: & quia divini amoris leges sunt suavissimæ ab amabili sonitu vix dissociari poterant. Quòd si in primævo mundi exordio spiritu ambulente super aquas edita est multitudo sonitûs aquarum, qualis tunc informem decoret abyssum; nascente mox Ecclesia sonitus auditur, Spiritu non ampliùs aquam, sed ignem movente: quia cùm ad concordiam Ecclesia nasceretur linguarum, & cordium amorem (fuêre siquidem fideles cor unum, & anima una) debuerant ad Dei digiti pulsum cordium, ac animorum chordæ & fides unanimes concentum edere suavissimum, quo gentes criminibus efferatæ, cicures fierent; ac mansuescerent in studia virtutum, quæ in vitiorum palæstra sævierant.

90. Sed cur non sonitus tantùm, sed & vehemens flatus igneam comitatus est pluviam? An ut insani hominum æstus blandâ hac aurâ delinirentur? vel spirat opportunus ventus arentem terræ faciem collectis è beatorum Regno gratiarum nubibus recreaturus? vel quia è procelloso rerum humanarum Oceano soluturis hominibus, ac cœlestem petituris portum aura promittebatur secunda, ventúsque favens, quibus prima impertiebatur cœli gratia? vel quia in æstuante præsentis vitæ fluctuoso pelago nulla fuerat aura tam felix, quæ potis esset hominum mentes à vitiorum scopulis avertere? nulla, quæ à Sirenum alliciente littore voluptatis removere? nulla, quæ à fluctibus decumano tumidioribus humani fastûs retrahere? nulla, quæ aptiùs ex vorticibus charybdis, scyllæque voragine liberaret? Verùm per flammeas linguas se se insinuans in animos jucundissimus hic æstus, vehementi commotus flatu, ac ventilatu, efficaciùs flammas ipsas amoris per flantis auræ impulsum in corda immittit hominum.

Aureo sæculo in mundum reduci, si non aurea, ignea saltem amoris pluvia, quovis auro longè pretiosior præludere debuit; & quia serenitate gratiæ erat mundus donandus, rectè debuit ventus perflare, qui errorum nubes dissipans, veritatis solem hominibus aperiret. Quòd si efflans auster plantarum dicitur fœcunditatem promovere; quàm aptè cœlestis hic auster efflavit, probrum difflaturus ex humanis cordibus sterilitatis! ut tandem nostra tellus post dumeta, & vepres, rosas daret sanioris amoris, florésque omnium virtutum debuit hâc aurâ salutari perflari, quâ fœcunditatis præsentiret beneficium. 91.

Fortâssis id causæ etiam fuit, cur vehemens spiritus ignem è cœlo pluvium comitaretur, eò quia æstus amoris, flatu amat suspiriorum recreari: hominum corda accendenda hoc amoris æstu, recreanda itidem erant hac comitante aurâ. Vel ignearum auriga linguarum Spiritus vehemens, ideo terris incubuit, ut hujus venti impetu vehementiori longè, latéque flammas spargeret, quibus in singulis mundi partibus homines ad Dei amorem accenderentur: quòd si diluvium DEI indignantis singulos terrarum tractus obruit; incendium hoc DEI amantis vehementiori vento spargendum erat per singulas terrarum partes, ut beneficium innocuæ flammæ omnes homines sentirent. Sed cur ignis linguæ potiùs figuram, quàm sagittæ, vel fulminis speciem prætulit? An quia sicut olim mundi Conditor plurium confusione linguarum insanos dissipavit gigantum labores, ac tumida consilia in superba Babelicæ turris structura: ita nunc è converso, ut syderibus Ecclesiæ suæ turrim æquaret, linguas mittit in terras, quæ saniora docerent consilia, laborésque suaderent hominibus culmini inædificando virtutum aptiores? 92.

93. Non dilabitur è cœlo ignis de more aculeatus in fulmina, quia amor nocere nescius fulminare odit; sagittas respuit, ne lædat; linguas exigit, quibus suavius elambere possit, ac dulciùs eblandiri? in linguis apparuit igneis divinus amor, quibus per os promptiùs in nostra dilaberetur corda, & per pacis oscula veram nobis polliceretur felicitatem. Scio moris olim fuisse; ut victimarum linguæ præconibus tribuerentur, eò quia linguâ populorum frequentiis divina expenderent Mysteria: quàm bene ignitæ linguæ Apostolis tribuuntur, utpote legis gratiæ futuri præcones, cœlestia erant hominibus mysteria explicaturi.

94. Quòd si in Babylonicæ molis temeraria structura linguarum ex una in plures factum divortium viam ad impietatem omnem, ac corruptelam aperuit: æquum videbatur fuisse, ut linguarum multiplicitate ad morum revocarentur homines integritatem, frugémque meliorem, ut ex linguarum multitudine fieret beneficio amoris, & charitatis cor unum, & anima una, quæ nonnisi unam, eandémque legem per totum loqueretur orbem. Vel fortassis divinus amor multiplices dispertitus in lingoas dilabi in terras voluit, ut famâ omni longè loquacior centenis linguis Christi victoriam evulgaret hominibus, quâ in terris tartarum prostravit, & mortem vicit: útque tam insignis victoria ad ultimos usque terrarum tractus brevi perveniret, unà cum linguis sonus audiri debuit amabilis, quò per aures vox amoris in hominum pectora se insinuaret.

95. Imò ut non tantùm Christi loqueretur victoriam, verùm etiam ad nefariæ superstitionis evertendam impietatem linguæ è summo cœlo in terras delabuntur: cùm enim tum saxea, tum lignea, argentea, vel aurea simulacra mendacia loquerentur; & Oracula depromerent verborum involucris obscurissima, quia è tartareis umbris orta, quibus homines deciperentur; illustres ac splendentes delabuntur mox è cœlo linguæ igneæ, quibus & tenebræ abigerentur errorum, & simulacra comburerentur mendaciorum. O lux clarissima! O ignis ardentissime! qui suis radiis excussis errorum tenebris diem addaxit mundo gratiæ, suósque delegavit nitores, quibus virtutum honestamentis splenderent homines. Quàm sagax, & suave amoris consilium? cum imperium invasurus animorum vigili priùs aurium custodiâ dolosa quasi linguarum adblandientium præcensione sonum studuit excitare. Sed cur sereno, ac arridente cœlo ignea hæc missilium linguarum procella innocenti videtur prodigio fulmina ejaculari in linguas, quibus deterret gentes à nefaria superstitione, & impia repetito ictu prosternit simulacra? An quia etiam fulmen amoris sit lingua, quâ corda feriuntur amantium?

96. Adeò ingens, ac summus est DEI in homines amor, ut hominibus nonnisi ardentibus linguis explicari potuerit; vel quia Verbi divini in nostra humanitate Victoriis explicandis magis idonea instrumenta non poterant seligi, quàm illa linguarum; Verbo enim rectè lingua aptatur. Debuerant autem linguæ igneæ esse, ut propiùs ad animos penetrarent, cùm nil igne velocius se insinuet. Tum quia ad divinos enarrandos amores linguæ desiderabantur, quæ igneæ forent. Quòd si in prima mundi molitione rerum omnium Opifex DEUS Lunam noctis lampadem accendit, stellásque vernantes cœli rosas disposuit, non tam luminis nitore, quàm ordinis pulchritudine, ut homines ad suprema allicerent; solémque diei bajulum posuit, cœlorúmque orbes in terræ fornicem extendit, ut sydera omnia ardentiùs, ac fusiùs Dei gloriam enarrarent; ita in restauratione orbis terrarum voluit cœlestis Spiritus suas etiam cœlo adjicere stellas, & quia in cœlo jam aderant, quæ narrarent Dei gloriam; ideo igneas faces demisit in terram, quam Imbribus irrigavit gratiarum, & Apostolis impertitus est flammantes linguas, quibus ardentiùs Dei gloriam evulgarent, & ferventiùs Christi promulgarent victorias: nec homines latere poterat Dei gloria, quam non solùm sydera in cœlo, sed & linguæ igneæ in terris enarrarent.

97. Scio Deum legem daturus hominibus per Angelos fuisse locutum; sed quia lex Evangelica longè excellentior Moysaicâ est, ideo novæ legis non Angeli, sed Dei lingua est promulgatrix: ignea tamen fuit lingua, ac splendens, quia umbras legis Moysaicæ dispellere debuit: quàm bellè inter nubium caligines lex Moysis fuit populo promulgata; & lex Evangelica inter ignitarum linguarum splendores: quia lex Moysis, cùm umbra fuerit legis Evangelicæ, nonnisi inter caligines, & obscuritates dari debuit hominibus; lex verò Evangelica, quia lex est gratiæ, umbras Moysaicæ dispellens, nonnisi inter splendores ignis decuit evulgari. Sed quid causæ, quòd in Bethlehemitico specu delitescentem humani generis Reparatorem una duntaxat in cœlo splendens stella, unica veluti cœli lingua tantùm prædicaverit, ac persuaserit peregrinantibus Regibus; & eundem mox triumphantem cœlesti receptum Capitolio innumera pœnè sydera è summo cœlo in linguas splendentes dilabantur, ut eum promulgarent in terris? An quia unius syderis splendore paupertas Dei vagientis in cunis illustriùs splenderet per ipsam syderum inopiam? & ejus triumphos in cœlis, laureásque ut depromeret, totum cœlum debuit in linguas difundi? An vagiente in terris hominum Redemptore unica tantùm apparuit stella, eò quia justitiæ Sol, licèt nostræ humanitatis obductus nube uberiori non indiguit in terris nitore, cùm

suo

suo splenderet? & eodem ab hominum oculis subducto, terrisque sublato par esset, ut solis absentiam non unius tantùm stellæ fulgor, sed infinita propemodum astra resarcirent? An quia tribus duntaxat Sabæis Regibus Bethlehemiticam ad caulam perducendis cum sufficisset unius syderis nitor; ad omnes postea terræ Principes Reges, Imperatores, ac gentes omnes per singulos terrarum tractus longè, latéque diffusas ad Salvatorem perducendas, multiplices debuerint prænitere faces? & quidem è cœlo delabentes in terras, linguæque præferentes speciem, clariùs ut hominibus persuaderent, ostenderéntque rectum ad salutem iter? cum enim è singulis mundi tractibus essent ad portum æternæ salutis perducendæ gentes, debuerant multiplices splendere cynosuræ, quarum fulgore procellosa trajicientes æquora periculis, naufragiisque obnoxia, noctè præsentis vitæ tenebris obvolutæ tutiùs portum appellerent?

98. Sed cur cynosuræ splendentes conformantur in linguas? An ut rectum iter non luce tantùm significent; verùm etiam blanda persuadeant oratione? An ut solatio eloquentium linguarum, suavíque orationis concentu molestiæ levarentur laboriosæ navigationis? an quia ad perlsuadendum terrestribus hominibus cœli iter, iisque evellendis è terrenis negotiis; quibus adhærescunt; cœlestium eloquentia linguarum desideraretur? est enim ea hujus eloquentiæ vis, quæ auream longè catenam ex ore Herculis, juxta Poëtarum commenta, prodeuntem vincit, quæque auditorum animos quantumvis invitos suaviter stringit; & vi blanda in suam pertrahit sententiam. Prodigiosam Mercurij virgam, quæ pugnantes inter se serpentes in fœdus, mutuúmque amoris complexum conjungeret, finxerunt Poëtæ; sed veriùs diceres vim hanc linguis hisce inesse: siquidem adeò valet cœlestis hæc eloquentia in homines, & tam potens exercet in animos mortalium imperium, ut diffidentia capita amore componat, omnéque odium longè proscribat: dixissent Poëtæ hujus vim eloquentiæ blandissimam sui Orphei citharam, quæ saxeis, efferatisque hominum animis dominaretur, & in eam, quam maluisset partem impelleret, omnésque sive hostes, aut amicos, notos, & ignotos blandâ raperet violentiâ. Imò Moysaicæ cultores legis tubam dixissent, quâ clangente olim Jerichontis muri cecidêre solo æquati: siquidem vi cœlestis harum linguarum eloquentiæ non unius duntaxat urbis muri quatiuntur, sed ubique terrarum flagitiosorum hominum, perversi mores, depravatæ consuetudines, insolita vitia funditus evertuntur.

99. Dixisses, eloquentes has cœli linguas delabentes in terras cœlestes strenuas, prorsus innocentes; quibus divinos amor novis instructus linguis erumpere posset in voces, quibus & mare, & venti obsequerentur, fluctúsque insanientis pelagi coërcerentur, ac procellæ pristinam restituerent mundo malaciam; nisi dicamus, advenientem in igne DEUM voluisse non secùs ac gladium linguas suas acuere, ut eædem flammæ non solùm iter præsignarent in cœlum; verùm & in terris in arma conformatæ vitia prosternerent, terrásque cœlo subjicerent. Sed cur ignis linguæ potiùs speciem induir, quàm gladij? An quia cùm Verbum in nostra jam humanitate locutum fuisset, nonnisi ab ipso nunc cœleste capitolium ingresso linguas homines expectarent, cùm Verbo nil magis aptetur, quàm lingua? Quòd si Spiritus Domini in prima mundi molitione ferebatur super aquas: in hac mundi renovatione pluvio delectatur è cœlo igne: cœlestis siquidem amor nonnisi ignea voluit se pluvia prodere, amoris siquidem pluvia ignis est. Somniârunt prisci Poëtæ ex modico Promethei furto, cœlestis ignis particulam hominum luto animando immissam fuisse: sed veritas factum edocet, quod fictum erat, cùm se se totum in lutea pectora vitalis incendii splendido diluvio Numen ipsum effuderit, vitam imperiturum hominibus. Quàm salutares flammæ! quæ vel ipsa frigida & emortua hominum corda incenderunt ad vitam! quàm beneficus cœlestis ignis imber! qui excusso è terris probro sterilitatis, fœcunditatem promovet daturam virtutum flores, fructúsque meritorum! Quàm beneficus ignis splendor! cujus beneficio expulsis vitiorum caliginibus dies nobis illucet gratiæ, & ad primigeniæ virtutis decus videtur mundus adolescere. Sed cur cùm super aquas Jordanis jam pridem nivea volitaverit columba: modò super montem Sionem ignis exardet? An quia ut ocyùs ad nos cœlestis Spiritus descenderet, non avium alis usus est, eò quia nimis tarda fuisset pernicitas, sed vento vehemente ferri voluit, non ampliùs super fluminis aquas, sed in pluviis flammarum? Voluit Spiritus candidissimæ veritatis rubere in ignibus, cùm æterni Patris Verbum in nube nostræ humanitatis rubuisset sanguinis effusione: DEI amor ut concolor ei fieret, in purpura ad nos flammarum descendere voluit: vel in igne è cœlo maluit delabi, eò quia nulli ex elementis major activitas congruat, quàm igni; & hæc ratio, cur Spiritus sanctus nusquam sedere dicatur, cùm tamen Filius à dextris Dei asseratur in cœlis sedere: *Et Dominus quidem JESUS postquam locutus est eis assumptus est in cœlum, & sedet à dextris DEI.* Marci 16.

Sed cur dicitur in cœlo sedere, cum DEUS non sedeat, neque dexteram habeat, quæ à filio muniatur sedente? quamvis hæc sessio, & DEI dextera nonnisi metaphoricè 100.

Catech. c. 14. sumatur, attamen sessio, ut explicat Cyrillus, pro judicandorum hominum potestate sumitur; & dextera pro æqualitate personarum. Verùm adhuc explicatu videtur difficile quid horum Christus in cœlis habeat, quòd in terris non præhabuerit. Sed Lib. de agone Christi c. 26. ex Augustino, per dexteram sicut significatur æqualitas Filij cum Patre, ita haud abs re dicere possumus per sessionem ad dextram honorem exprimi judiciariæ potestatis, quam Deus homo, seu Christus extremo oniversalis judicij die palam obibit: In cap. 16. Marc. pulchrè Maldonatus ait: *Animadverto in litteris sacris nusquam Spiritum sanctum, sed solùm Patrem, & Filium dici sedere, quod sedere gubernare sit, & non Spiritus sanctus, sed Pater & Filius dicantur gubernare extrinsecùs tamen: quia intrinsecùs animos hominum regere proprium est Spiritus sancti.* Quàm aptè intrinsecum per gratiam regimen S. Spiritui tribuitur, cum ipse ex sua characteristica proprietate amor sit: intrinseca siquidem est secretior animarum gubernatio, solo peragitur, perficitúrque amore. Hinc Spiritui sancto quia amor est, nullibi in sacris litteris sedere tribuitur, seu extrinseca gubernatio, sed tantùm intrinsecum regimen: sed cum tota Trinitas semper operetur ad extra, cur ex tribus divinis personis solus Spiritus sanctus nunquam Judex, seu extrinsecus dicitur gubernator? An fortassis, quia amor malum non cogitat? & judicium præsertim circa malitiam exerceatur? id causæ fortassis fuit, cur judicandi munus amori divino nullibi in sacris litteris tribuatur; quia ubi amor, ibi bonorum oblatio; & malorum omnium ablatio. Dixerim, Spiritum sanctum, cùm amor sit infinitus, nunquam dici sedere; quia verus amor otia fugit sessionis, semper actuosus est, nunquam otiosus.

DISSERTATIO V.

Amor hominis in Deum jugiter excitandus, nunquam remittendus.

§ I.

Sicut Deus ex benefico amore se homini communicat: perinde tenetur homo se totum amore, & affectu in Deum refundere, seque totum DEO dedere

1. Similitudinem affinitate invectam radicem esse, à qua germen pullulat amoris comprobata semper fuit Sophorum omnium sententia, ac commune eorumdē placitum: conciliat siquidem convenientia quandam benevolentiam, quâ homines mutuis se prosequuntur amoribus: & hæc ratio, cur si homo paulò attentiùs cogitet de divinitate dulcem quandam in pectore cordis sentiat motionem: & illi procul dubio est argumento, esse Deum humani cordis effectorem, & hominem à Deo conditum, & plasmatum in sui similitudinem: Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* est homo imago, & similitudo Dei ratione Dominii, Genes. 1. quod homini datur in cæteras animantes: *Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli:* Ob similitudinem divinarum virtutum: Ob modum existendi in rebus, cum nec Deus, neque nobilior hominis pars, seu Spiritus, nullo circumscribantur loco: Ob libertatem arbitrij: ob carentiam materiæ. Ob immortalitatem, quâ animus hominis donatur nulli interitui obnoxius; Ob cognitionem, Dei amorem, cultúmque: nil enim horum habet homo commune cum bestijs; Ob Sapientiam, & providentiam, quarum ope finem agnoscit homo suarum actionum, ac vias eligit eò tendendi, ubi æterna fruatur beatitate: Ob demum internas animi facultates: nulla siquidem re magis homo divinam in se Trinitatem refert, quàm cum intelligendo objectum aliquod, ejusdem verbum producit, & ex verbo expressivo boni, & amabilis amor procedit ejusdem. Cùm igitur divinam homo præseferat imaginem, séque ipsum intelligat, Deúmque cognoscat, nisi gelu sit frigidior, non potest nisi flammas sentire, quibus Deum amet, & in ipsum toto nisu tendat.

Hinc si quidpiam adversum cor nostrum exterreat, eique timorem incutiat; Numini enixim supplicamus, ut tametsi cætera in mundo nobis adversentur, velit sua nobis 2.

bis ope favere, suóque opitulari auxilio: hæcque fiducia est nostris à Deo insita pectoribus, amoris promotrix, gaudiique excitatrix; neque potest aliunde oriri, quàm ex illa convenientia, ac similitudine, quæ nobis inest cum Dei bonitate, & quamvis hanc non integrè penetremus, non tamen ire possumus inficias; cùm sciamus nos conditos ad Dei imaginem, & similitudinem fuisse, quod perinde est ac scire, nos eximiam cum Deo habere convenientiam: siquidem est anima nostra spiritualis, impartibilis, à materiei crassitie sejuncta, nulli corruptionis periculo obnoxia, immortalis, omnia intelligens, & quæ bona sunt liberè amplectitur, quæ mala refugit: capax est judicii, discursûs, ac virtutes excolendi, possidendique. Residet hæc tota in toto corpore, & tota in qualibet illius partium, perinde ac Deus totus in toto mundo, & totus in qualibet ejus parte. Rursus homo se ipsum cognoscensse etiam amat, & quidem per actus provenientes ratione cognitionis ab intellectu, & benevolentiæ à voluntate; & tametsi plures sint actus, ac discreti, hærent tamen animæ, & quamdam proinde divinarum personarum præseferunt similitudinem: filius enim ab intellectu fœcundo Patris procedit, ut ejus expressa cognitio; & Spiritus sanctus ut amor spiratus à Patre, & filio, ut ab uno procedit spiratore. Et licèt distinctæ sint personæ tum inter se, tum à Patre, sunt tamen omnes una, & eadem simplex, maximèque unica, indivisibilis natura, & divinitas.

3. Quinimò præter hanc similitudinem, ea est reciprocatio Deum inter & hominem ob reciprocam perfectionem, ut ei similis non reperiatur, non quòd Deus ullum possit perfectionis incrementum ab homine suscipere, sed quemadmodum nequit homo aliunde perfici, quàm à munifica Dei bonitate; ita divina bonitas suam perfectionem commodiori medio non exercet extra se, quàm per nostram humanitatem, quæ capax est semper uberioris bonitatis, quâ vel maximè indiget; & divina bonitas, vel maximè prona, & propensa est ad hanc hominibus elargiendam. Nil enim est, quod possit uberius explere hominis exigentiam, quàm liberalis divinæ bonitatis affluentia; & nil ad extra gratius divinæ obtingit liberali affluentiæ, quàm inops nostra indigentia, ob quam propensior est DEUS ad suam nobis bonitatem communicandam, nostrámque explendam vacuitatem: unde non minùs suaviter, quàm avidè sibi invicem occurrunt munifica Dei affluentia, & inops hominis indigentia, quæ cùm simul referantur, inest reciprocatio, adeò suavia DEUM inter, & hominem, ut DEUS ex amore se homini communicet, & homo teneatur se totum amore, & affectu in Deum refundere, séque totum Deo dare.

4. Ex eo, quòd nobis suam Deus bonitatem communicaverit, nósque participes voluerit suarum perfectionum oritur in nobis obligatio toto affectu, ac amore eum jugiter prosequendi, ne vitium incurramus ingratitudinis; quod pessimum est, & salutis peremptorium, quia ut scitè S. Bernardus: *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio:* & ne tam fœdo, noxióque inficiamur vitio nunquam memoria excidere debent Dei beneficia: nil enim tenuius potest quis suo rependere benefactori, quàm ipsam suscepti beneficii memoriam, quâ cumulatus beneficiis saltem ostendat à se suscepta æstimari beneficia: qui enim neque ad memoriam ea revocat, indicat eo neglectu se nihili ea ducere, & à se parvi pendi, quasi non mereantur, animum in eorum occupari consideratione. Utinam plures non essent, qui rebus hisce fluxis, infimisque ore tenus immersi, divina quæ susceperunt beneficia non obliviscerentur? Sunt etiam qui tametsi ea mente revolant, ita tamen perfunctoriè, & obiter; ut iterum finant ab hisce bonis caducis rapi, & occupari. *Serm. 51. in Cant.*

5. Etiam lapis excussus fundâ, vel balistâ in sublime fertur, & ave ocyor in cœlum nititur, sed quia innatum pondus non exuit, minimè in sublimi hæret, sed toto nisu deorsum iterum corruit; imò non solùm relabitur, sed terræ eò altiùs post lapsum infigitur, quò sublimiùs vis machinæ impellentis eum extulerat displosum. Nisi exuat homo amoris pondus, quo hisce adhæreſcit inferioribus, perfunctorius est amor, quô in sublime nititur: rectè Augustinus: *Ut discas diligere, disce non diligere:* hoc est si verè vis Deum amare, necesse est, dediscas hæc inferiora diligere; quidquid enim diligimus extra Deum à nobis malè diligitur, nisi saltem propter Deum diligatur: & ideo ut discamus Deum diligere, necesse est dediscamus ea diligere, quæ non sunt Dei: rectè Fulgentius: *Amor cum periculo sæpe concordat, & dum ad illud solùm rotat, quod diligit, nunquam videt, quod expetit:* dediscamus igitur amare, quod amatum nobis non congruit; quia nobis amantibus nocet, cùm salutis assecutioni sit impedimento. Tametsi videamur summum bonum diligere, eique adhærere; quia tamen adhuc affectu hisce inferioribus, ac terrenis agglutinamur bonis, si in sublime erigimur terrenorum pondere pressi deorsum relabimur, & vaporem potiùs imitamur è cœno in cœlum elatum. *Concione 8. in Psal. 30.* *Mythol. 2.*

6. Trahitur solis radio in sublime terræ vapor, & qui squalebat in luto, volitare incipit per aëra, ubi coactus in nubem, modò pingitur in arcum, nunc dealbatur in nubem, quam putaremus jugiter cœlis usuram, syderibus pœnè conterminam: & tamen subeunte frigore, & se se intendente spissescit, defluitque in pluviam, ac pristinum repetit lutum, qui fuerat in sublime vapor elatus; & ranis, buffonibúsque associatur, qui syderi-

bus videbatur adnexus; & id, quia pondus non exuit, nec gravescere dedidicerat: qui ex hominibus hisce perituris, ac infimis amore agglutinantur, quamvis quandóque videantur in sublime vehi, ac Numinis ferri amore, hi tamen vapores imitantur, de quibus admirabundus ait Isaias: *Qui sunt hi, qui ut nubes volant?* in ruinam enim degenerat volatus: neque vapor deorsum ruit, ut sursum ascendit; sed cum fragore, tonitrúque relabitur, & qui paululum fuerat æthera pervagatus, disrumpitur in fulgura, dilabitur in fulmen: nisi pondus omne, quo amore ad hæc trahimur inferiora, deponamus, nunquam volatus noster hærebit sublimis: neque hunc ad hæc fluxa adhærescentem affectum exuemus, nisi carbonem adhibeamus desolatorium sanctioris amoris, nisi solo ardeamus in Deum amore; perinde ac flagrante lychno, ita cera consumitur, ut nequitam in ceram coalescat. Saxa enim quamvis in altum excussa, recidunt, & vapor in suum relabitur lutum, quia gravescere non dedidicerunt; siquidem balistæ non eæ insunt vires, ut quem in sublime lapidem excusserit, ponderis exuat gravitate, neque frigori tantū inest virtus, ut quem in aquam vaporem spissaverat in aërem convertat: proprium est ignis munus saxa, & ligna ita excoquere, ut in fumum, aërem resoluta, ita in sublime trahantur, ut nusquam prolabantur. Quo impendio abies cum suis radicibus in sublime per aëra traheretur? quo sumptu prægrande palatium in aëra elevaretur? qua difficultate pyramis in sublime supra suam basim erigeretur? Eructant persæpe tum Vesuvius in agro campano, tum Æthna in tractu Catenensi rupes, & scopulos imò & incendia ex aperto hiatu sulphure, ac bitumine innutrita, quæ cum virtute ignis nativo destituantur pondere, non videntur ampliùs ex æthere digredi, & in terras relabi: uni conceditur igni, ut quod nulla alia vis in cæteris potest corporibus, possit ipse præstare; si cupimus pondere spoliari, quo hisce inferioribus amore hæremus, ab igne divini amoris suppetiæ petendæ sunt.

Cap. 60.

7. Dediscamus ea diligere, quæ possessa sunt possidentibus exitio. Ut autem hæc divini amoris in nobis flamma ardeat, necesse est beneficia, quibus fuimus à Deo cumulati, mente jugiter recolamus; quia cùm nihil dignum pro tantis beneficiis nobis munificè collatis possimus re ipsa præstare; æquum est, ut saltem affectu, si non effectu, ea compensemus: id enim Deus à nobis exigit, quòd possumus ei præstare, nostrum scilicet amorem, quem ab hisce fluxis, ac pereuntibus bonis evellamus, eíque totum demus: hunc autem in Deum amorem nullo aptiori lychno accendere, ac enutrire possumus, quàm beneficiorum attentâ, & assiduâ consideratione: quemadmodum solis radij amplo excepti speculo, & in unum collecti calorem augent, ignémque excitant, & adstantes stipulas, paleásque accendunt, eò quia solares radij beneficio speculi in unum coeuntes vires uniunt, agúntque fortiùs: perinde divina beneficia mente collecta si attentiùs considerentur, simúlque conferantur fervorem augent charitatis, ignémque cœlestis amoris nostris accendunt in pectoribus: excusso siquidem è nostro corde frigore, incipimus calorem experiri, mox fervere, dein flammas amoris in Deum concipere: hæc enim recollectio divinorum beneficiorum, & seria eorundem cogitatio tantæ est efficaciæ, ut amorem in nobis accendat extaticum, quo mens à sensibus, ac sensibilibus abducta in Deum liquescit.

Ideo plures hoc sancto non incalescunt amore, quia rebus hisce infimis hærentes vix unquam de divinis cogitant beneficiis, quasi fluxa hæc, & interitui obnoxia bona majoris sint meriti, dignjorisque æstimationis, quàm quæ DEUS vel nobis contulit, vel pro nobis gessit, ac nobis spopondit. Quàm cæci, quàm viles animi! qui mundi præstigiis fascinati divina parvi pendunt beneficia; quibus vana, ac temporalia bona, & plerumque noxia præferunt! intenti in divitias, quibus inhiant; in ludos, quibus lucrentur; in honores, quibus æstimentur, rarò & nonnisi perfunctoriè divina perpendunt beneficia, quibus non tam afficiuntur, quàm cumulantur; & licèt nulla mens creata par sit divinis beneficiis nobis collatis pro dignitate considerandis, ideo non segniter, aut obiter, sed intentissima animi speculatione est ijsdem incumbendum, & ex eorundem consideratione tria potissimum perpendenda, nostra scilicet indignitas, Dei eminentia, & beneficiorum magnitudo. 8.

Nostra indignitas illicò se prodit tum ratione naturæ, quia ex nihilo à divina traducti bonitate ex suo duntaxat amore participes sumus ejus bonitatis; tum ratione peccati, quia nascimur filij iræ, mente cæci, voluntate ad malum proni, DEI benevolentia, & favore indigni. DEI eminentia ex eo statim splendet, quia est DEUS, qui cumulatissimum totius perfectionis florem complectitur, nullius rei indigus, omnium opulentissimus, quique se toti naturæ, adeóque huic nostræ mortalitati profusissima profundit munificentia; cujus providentia clavum regens universi omnia gubernat; dirigítque in suos fines semper vigil, insomnis, suóque semper operi assiduus, ac intentus, ut tot adapertis oculis videatur spectare hæc inferiora, quot sunt in pulcherrimo illo ætheris domicilio collucentium myriades stellarum. Cujus misericordia est tanta, ut nostras jugiter sublevet miserias, erigat imbecillitatem, excutiat mœrorem, soletur animum, instruat ignorantiam, leniat acerbitates cumulet inopiam, suppleat egestates, & quasi totos esset ex maternis conflatus uberibus totum se misellorum infantium solitudini, ac orbitati impertitor; ejus enim natura est summum illud bonum, quod nunquam natum, nunquam denatum, 9.

nun-

nunquam interiturum, & à se nunquam fugitivum; semper integrum, semper totum, semperque idem, sine accessione cumulatissimum, absque decessione diffusissimum, sine lege nunquam effluens, sine necessitate semper exundans; cujus scientia omnia penetrat, quam nihil subterfugit, & quâ tot cœlestia in æthere, partim errantium, partim inerrantium stellarum simulacra nominat; quâ perpetuas annorum revolutiones, ac dierum conversiones consignat; quâ imbrium stillas percenset, maris arenulas numerat, profundissima quæque scrutatur, & omnia subit, ac explicat; & cujus imperio subsistunt omnia; cujus providentiâ conservantur singula, & in suos fines diriguntur; cujus digitis concluduntur omnia, & in nihilo suspensa continentur; & cujus comparatione rerum universitas non punctum, sed nihil prorsus est.

§. II.

Divina beneficia nobis licèt immerentibus collata uberrimam suppeditant materiam excitandis, fovendisque flammis amoris in Deum aptissimam.

10. Divina Majestas in nos tam benefica, digna est jugi nostro amore, & quidem toto nostro affectu, quem non dividamus, nec partem tantùm donemus Deo, & partem creaturis, sed totum soli Deo: cum totum, quod nobis inest, ex munificâ Dei bonitate fuerit nobis impertitum, & nihil a creaturis acceperimus: etenim cum nondum essemus, & æterno retro tempore in tenebris delituissemus nostri nihili, seu carentiæ animæ, corporis, & vitæ, proinde sine specie, sine forma, absque ulla existentia, ex nihilo nos condidit ad sui imaginem; ut capaces suæ essemus divinitatis, & gloriæ: quin & mundi hujus structuram in nostrum construxit solatium cum omnibus suis opibus, ornamentis, & commodis, ut singula, quæ in elementis moventur, sive per aëra volitantes volucres; sive aquis innatantes pisces, sive per terrarum tractus discurrentes quadrupedes, imò & ridentes in pratis flores, pubescentes in terræ sinu herbulæ, gliscentes in campis arbores, in collibus vites, in arboribus fructus, ut & in terræ visceribus delitescens auri pretiositas, & reliquorum metallorum pretia, nec non in conchis margarita, in rupibus adamantes, in campis nitentes lapilli nostro inservirent usui, ornatui, commodo, & obsequio: quin & cœlestes spiritus nobis vigiles custodes assignavit, & ad æternam vitam, suæque consortium gloriæ destinavit: ex hac nobis collatorum beneficiorum seria, & attenta perpensione, nisi gelu sit homo frigidior, in Deum non potest non amore ardere, præsertim si præ recensitis addat, fuisse hominem à primævæ statûs innocentiæ felicitate dejectum in Protoparente, & in exitium lapsum, ac proinde cum nasceremur mente cæci, ad malum proni, filij iræ, Deo exosi, omni favore indigni, & æternæ morti in avernali carcere addicti; adhuc nostri misertus, voluit pretio sui sanguinis nos à morte redimere, & ex inimicis Dei filios constituere, ac jus ad cœlestem hæreditatem in nobis instaurare; idque ut præstaret, non exhorruit nostræ naturæ infirmitates suscipere, ut immortalis neci fieret obnoxius; impassibilis dolores subiret; immutabilis humanis vicibus subjaceret; indefessus labores sentiret; ab Angelis adoratus, contumelias, & probra perferret; & vincula, flagella, sputa, alapas, coronam spineam, vulnera, clavorum perfossionem, sanguinis effusionem, cruciatuum acerbitates, ac demum mortem ipsam sustineret, quâ nobis vitam daret.

Hisce addenda perpensio est aliorum specialium beneficiorum, quæ præ alijs innumeris cæteris communibus speciatim nobis Christi fidelibus Deus præstitit, inter quæ illud certè cæteris videtur præferendum, quod aureo sæculo, seu tempore gratiæ nasci nos voluit, & non tempore legis veteris, aut naturæ, quo tempore non modica erat rerum divinarum ignoratio, ac cœlestis gratiæ, donorum salutarium inopia; siquidem antequam unigenitus Dei filius nostram indueret humanitatem, dominabatur penè toti orbi tartareus hostis, qui in simulacris aureis, argenteis, ligneis, lapideis à gentibus ethnicismi caligine cæcutientibus loco divini Numinis colebatur: qui propterea pro suo videbatur omnia arbitratu regere; & paucissimi essent, qui æternam consequerentur salutem ruentibus omnibus in sempiternum exitium: & sanè ferreum fuit sæculum illud, tametsi divitijs æquè, ac delicijs videretur affluere, ac aurum fluere. 11.

Quòd si quispiam nostrum natus fuisset caliginibus illis ethnicismi obvolutus, ac in tenebris illis vitæ decurrisset stadium; an non in tanta naturæ, morúmque pravitate, in tanta cœlestis Numinis carentia, divini auxilij inopia, sæculi corruptela, tartarei hostis potentia æternam incurrisset mortem? certè perquam credibile videtur, tam exiguis fultum præsidijs, & tot insidijs circumventum, tot machinis petitum; & communis consuetudinis exitiali æstu abreptum æternam minimè fuisse salutem consecutum. Quia præsciverat id Deus, ne sæculo nasceremur tam anxio, ac tot obnoxio periculis, voluit ab æterno suæ misericordiæ benigno proposito nos prævenire, & ex infinita hominum multitudine nos seligere; nostrósque natales, vitæque stadium in aureum cœlestis gratiæ tempus reservare, imò in gemmeum comparatum pretio Christi sanguinis, 12.

nis, quò discessis infidelitatis cæcutientibus caliginibus, sublatâ nefariâ idololatriæ superstitione, debellato tartareo hoste, ejúsque principatu depresso, mundi Redemptor crucis suæ clave cœli nobis jannas patefecit, viam salutis stravit, auxilia, virésque suppeditavit, quibus è via præsentis vitæ ad cœlestem tenderemus patriam, æternáque donaremur felicitate.

13. Quis recenseat cœlestia beneficia, quæ misericos Deus in lege gratiæ nobis impertitur? Sacramenta, quibus divinæ ubertas gratiæ in nos redundat, datúrque nobis facilitas reconciliationis, facultas merendi, commoditas resipiscendi, & nobis impertiuntur innumera perseverandi subsidia, ac cavendi ulteriores lapsus. Certè sæculum dicendum est cœlestium gratiarum, cùm mellifluі jam sint cœli, stillentque montes dulcedinem, & colles lacte manent, & melle; & quo singulis momentis, bonis operibus, internísque amoris actibus in Deum possimus æternas illas enancisci divitias, quæ si semel à nobis possideantur, nullo sunt amplius periculo amissibiles, nec ulli amissioni, aut diminutioni obnoxiæ. Quis igitur non dixerit maximum beneficium nobis Deum contulisse ex eo, quòd voluerit nos nasci eo tempore, quô unigenitus suus filius cœlos nobis aperuit, stravítque ad cœlestem patriam iter, nósque communivit auxilijs, viribúsque, quibus cœlestem possemus patriam appellere. Quamvis nati simus aureo hoc tempore, adhuc munificentissimus Deus id specialissimi beneficij nobis est impertitus, ut è parentibus Christianis voluerit nos nasci, & in gremio veræ religionis educari, virtutibus instrui christianis, muniri ecclesiæ sacramentis, hortari ad incrementa virtutum exemplo sanctorum, & documentis piorum. Parum nobis profuisset nasci tempore lucis, si in sinu nos mater ethnicismi peperisset, infidelitatis obvolutos tenebris; non enim fuissemus hujus participes lucis, nec bonorum hujus aurei sæculi, sed in cæcutiente jacuissemus caligine, seu in ignorantia divini Numinis, vitæque salutaris, & in omnium colluvie vitiorum sordidè immorati fuissemus.

14. Huic beneficio etiam hoc aliud additur speciale, quod nos à quavis hæreseos labe præservatos voluerit, & ab innumeris peccatorum occasionibus, in quæ ex naturæ pronitate facilè laberemur. Quot centena hominum millia non seducit hæresis, pertrahítque ad æternum exitium? quot hominum millia non corrumpunt vitia? multa certè centena hominum millia seducuntur, ac corruunt in orcum. Quas Provincias, terrarúmque tractus non infecit, corrupit hæresis, quæ instar flammæ omne bonum depascens nonnisi malorum colluvies effudit, sublatis penitus, absumptísque fundamentis salutis: Quòd verò ab hoc nos Deus contagio immunes servaverit, speciale est etiam beneficium, quo nos voluit per viam trahere salutis. Quis hæreticis infelicior? cùm mortiferas tenebras cœlestem putent lucem; & vitalem lucem; lethales tenebras; errores exitiales salutarem virtutem; & ipsam veritatem errorem crassissimum; imò & præcipitium ad inferos viam credant vitæ; & iter salutis compendium mortis: adeò cæcutiunt, ut in umbra mortis jacentes putent meridiana luce clarescere, & securos esse æternæ felicitatis, cùm certissima sit eorum damnatio, nisi resipiscentes perfidiam deponant, & ad meliorem revocentur frugem: imò tam luridè cæcurinnt, ut bonum instar mali aversentur; & malum locò boni amplectantur.

Ideò sunt sanatu difficiliores, quia superbiâ tumidi, & vecordiâ corrupti proprium sensum, depravatámque opinionem, omnium sæculorum, ac totius ecclesiæ catholicæ præsumant judicio anteponere, ac si ipsis solis veritas illucesceret, & sapere esset concessum, cùm tamen vitijs indulgeant, carnis sequantur blandimenta, divitijs inhiant, studia virtutum negligant, exercitia pietatis parvi pendant. An tot viri in asceterijs pietate insignes, morum candore commendatissimi, virtutum omnium studijs addicti, amore Dei ferventes, contemptu sæculi singulares, studijs litterarum instructi, cœlestibus contemplationibus assueti, quia prorsus contraria cum hæreticis sentiunt, desipiunt, decipiúnturque caligine errorum circumfusi, ac mentis laborant cæcitate? An quia se Numinis cultui mancipârunt; quia se totos Deo devoverunt; nilque illis magis sit cordi, quàm Deo adhærere, ejus cultum promovere, gloriam propagare, & ad ejus obsequia alios exemplo fortiùs, quàm verbo pertrahere permittit Deus cæcutire? ac in umbra jacere errorum? & hæreticos carnis addictos illecebris, sensuum hærentes voluptatibus, vitijs indulgentes, commodis tantùm, ac divitijs hujus sæculi inhiantes, diésque omnes terentes in negotijs peragendis rerum fluxarum, quarum cumulis, & acervationibus putant homines tantùm beari, Deus docet veritatem, suóque lumine perfundit, ac illustrat? 15.

Quis ita desipiat, ut sibi id imaginetur? quis credat, sanctos Patres retroactis sæculis pietate, & doctrinâ insignes, & priscos ecclesiæ Doctores, qui vel ab ipso Christo immediatè, vel ab Apostolis, aut eorundem Discipulis veritatem didicerunt, errores ad ad nos transmisisse? cùm igitur exitialibus cæcutiant hæretici in suis errorum tenebris; jaceántque in umbra mortis; id impensi nobis beneficij etiam fuit, ut ne hac hæresis lue inficiamur, nos Dei bonitas præservaverit: certè ex magnitudine hujus mali, ac imminentibus hujus ævi periculis æstimanda est hujus singularitas beneficij. Quòd sanè debet nobis illicio esse ad Deum enixim 16.

aman-

amandum, eique gratias impendendas: quemadmodum singulare hoc beneficium hujus in nos exercitæ munificentiæ est iodex, ita illex debet esse ad Deum toto corde, totisque viribus amore prosequendum.

17\. Aliud etiam additur beneficium, quia tametsi in gremio veræ religionis nati simus, & in eo adoleverimus verâ instructi doctrinâ, à macula ab origine infecta ad nos transfusa diluti per salutares baptismi latices, adhuc erepti fuimus à pluribus æternæ perditionis periculis, & ad salutarem reservati pœnitentiam. Tametsi pluries ob patrata delicata fuerimus gehennam promeriti, irámque divinam, fulménque cœleste contra nos provocaverimus; adhuc læsi Numinis clementia suam voluit iram coërcere, nobísque tempus concedere, quo possemus resipiscere; qood beneficium alijs pluribus, qui minus deliquerunt, concessum haud fuit: sunt siquidem plures æternis addicti focendijs, qui tamen longè pauciora perpetrârunt delicta: an non quòd tibi, qui longè plura cumulâsti peccata, perpetrâsti delicta, concessum sit tempus, & auxilia suppeditata, quibus resipisceres, singulare est beneficium tibi à munifica Dei bonitate concessum? an non pro tam munifica indulgentia nobis concessa agedæ sunt Deo gratiæ? an non hoc beneficium nobis singulariter impertitum illicio nobis est ad Deum enixim amandum?

18\. Quinimò ex hoc totus noster amor Deo debetur, qui nec filio suo pepercit, ut nos ab æterna eriperet damnatione, à famulitio redimeret tartarei hostis. Ut nostræ consuleret Deus saluti, & à miseria nos immunes constitueret; eam voluit sibi assumere factus homo: qui ex hominibus alienæ est levamini miseriæ absque ullo suo incommodo solùm rem illam externam, quam ei donat, expendit: sed qui ut alteri opitoletur, multos sustinet labores, subit cruciatus, experitur dolores, non solùm rem illam, quam donat alienæ miseriæ levandæ causâ; censetur conferre: verùm & labores, cruciatus, ac dololes, quibus affligitur pro misero, cui opitulatur, perpeti existimatur. Ingens sanè fuit beneficium nobis à divina collatum bonitate, quòd ex nihilo nos eruerit, traduxerítque ad hujus lucis usuram, ac condiderit ad imaginem, ac similitudinem suam, erexerítque ad statum gratiæ. Verùm id præstitit Deus absque ullo suo incommodo, sed ex redundantia suæ bonitatis, & unico duntaxat suæ voluntatis imperio; nullos enim in homine, mundóque condendo exantlavit Deus labores. Deus spiritus lucidissimus, æternus, ubique præsens, unus in naturæ Deitate, trinus in personis, sen Pater, qui solus à nollo est, Filius de Patre ab æterno genitus, & Spiritus sanctus ex Patre, filióque pari Deitate procedens, seu tres personæ proprietatibus quidem personarum distinctæ, sed ob eandem numericam naturam, & deitatem unus Deus, Omnipotens, summè sapiens, infinitè bonus, eximiè justus, ac verax, quô nil majus, nil pulchrius, ac jucundius esse potest, nec cogitari: cùm ante mundi constitutionem solus sibi sufficientissimus esset, ac infinitè bonus; sitque bonitas diffusiva sui; diffundi cupijt, ac stabilem hanc mundi machinam condidit, & in ea hominem, ut per operum divinorum contemplationem, mentem ad ipsius Conditoris cognitionem erigeret, & ad ejus alliceretur amorem; neque in hujus molitione universi ullam expertus est Deus difficultatem, nullum passus incommodum, sed solo nutu uno duntaxat voluntatis imperio totum absolvit opificium.

Non ita contigit, cùm perditos homines, ac Tartari obstrictos servituti redimere voluit, & ab exitio revocare: tunc plura, & varia fuit incommoda Christus passus; labores sustinuit, cruciatus toleravit, & mortem ipsam subivit, ut nos vitæ restitueremur: hinc Bernardus. *Super omnia reddit amabilem te mihi JESU bone calix, quem bibisti, opus nostra redemptionis. Hoc est, quod nostram devotionem, & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & vehementiùs afficit. Multùm quippe in eo laboravit Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis author assumpsit. Ille denique dixit, & facta sunt; mandavit, & creata sunt: at verò in hoc, & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores.* 19. Serm. 20. in Cant.

§. III.

Cum Christi in nos amor obvias quásque superaverit difficultates in opere nostra redemptionis perficiendo: aquum est, ut & nos obstacula retrahentia à Dei obsequio, & amore vincamus.

Prima, quæ se obtulit superanda difficultas in opere nostræ redemptionis fuit onus, & obligatio satisfaciendi pro reatu omnium peccatorum; siquidem immensa propemodum fuit scelerum colluvies, delictorum congeries, criminum coacervata multitudo; & humana malitia in pelagus excrevit, quod ab initio mundum totum inundaverat; cùm in totum elarè, ac distinctè menti obversaretur Christi, nonnisi humanitatis assumendæ difficultatem ingerere potuit: & nihilominus hanc, ut nos redimeret, difficultatem superavit, nostrorúmque peccatorum reatum voluit sibi assumere. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrûm:* pœnas, quas nos promeruimus, ipse subivit, ut quas nos contraximus labes proprio suo deleret sanguine. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolo-* 20. Isaia 53. Isaia 53.

dolores nostros ipse portavit. Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra. Hinc non solùm culpas nostras in se transtulit, séque reum pro nobis constituit, verùm etiam cruciatus, & dolores de ijsdem maximos concepit, quos tota vita sua continuavit: quia sicut, qui injuriam Deo intulit per peccatum, debet se primò Reum agnoscere, deindè internum concipere dolorem, quia Deum offenderit, & demum læsionem Deo illatam resarcire, ac pro modulo suo satisfactionem exhibere: ita Christus Dominus vices nostras subiens, veluti reum coram divino tribunali se constituit, deinde dolorem internum, & quidem gravissimum in se concitavit, & demum externam satisfactionem, eámque variam exhibuit.

21. Est internus dolor quædam efficax peccatorum retractatio, quæ interiùs voluntatem immutat, & corrigit, irritúmque, ac infectum vult, si possibile esset, quod factum fuit, & proinde doloris acerbitate se torquet, ac punit, hícque primus actus est pœnitentiæ, & quidem necessarius ad obtinendam reconciliationem: ratio verò dolendi duplex in Christo fuit, nempe injuria divinæ Majestati per peccatum illata: & damnum humano generi inde proveniens; & cùm Christus clarissimè, ac perspicuè in particulari peccata omnia hominum nosceret, & quanta fuerit divinæ Majestati injuria irrogata, dolor inde in eo excitabatur acerrimus; siquidem tristitia incrementum subit ex magnitudine mali irrogati, & ex clariori cognitione perfectioris personæ, cui fuit irrogatum: erat enim malum, quo per peccatum læsa fuit divina Majestas maximum ratione culpæ, quâ infinitæ Dei bonitati fuit injuria irrogata; incrementum enim gravitatis subit offensa ex dignitate personæ, cui injuria irrogatur. Tum ratione pœnæ, cùm major calamitas, & afflictio vix fingi possit, quàm sit æterna damnatio: & cùm Christus exactissimè hæc omnia apprehenderet, ac perpenderet, acerrimum in se excitavit dolorem, quo peccata nostra fuit detestatus.

22. Quòd si plures ex vi doloris enecti ceciderunt, ut Heli, qui dolore captæ aræ retrorsum cecidit, & expiravit; ejúsque Nurus, quæ dolore ejusdem cladis animam egit: siquidem ex doloris vehementia, ita cor concluditur refluente ad ipsum sanguine cum spiritu, ut impedita naturali diastole, & sistole, multáque fuligine collectâ suffocetur: ut è contrario ex vehementi gaudio ita subinde dilatatur, ut effuso spiritu, ac dissipato, vita etiam evanescat. Dolor verò, quo Christus de peccatis totius humani generis doluit, longè acrior fuit, & intensione, ac æstimatione major, quàm ullus alius, qui posset in hominem cadere; adeò ut nonnisi divinitus obtigerit, si Christi humanitas non defecerit, cecideritque extincta.

Alia difficultas fuit satisfactio externa, ad quam superandam plurima toleravit; & primò statum paupertatis, qui plura secum incommoda trahit, præsertim famem, sitim, frigus, æstum, labores, inopiámque omnium commodorum: quæ ut sentiret, nasci voluit à parentibus paupertimis in loco alieno, in stabulo bruta inter animantia, exclusus à communi hospitio; reclinari voluit, non in molli culcitra; sed in fœno, ac stramentis. Mox furente Herode in exteras fugit regiones, ibique peregrinus, & contemptus immoratur annis aliquot, non absque plurimis incommodis in aliena Regione prorsus ignotus, destitutus divitijs, omnique humano commodo. Adultam assecutus ætatem nonnisi pauperes Discipulos, ac rudes voluit sibi adsciscere, eorúmque convictu, & consuetudine uti, imò tanta fuit ejus paupertas, ut neque lectum, neque cubile, neque domicilium, in quo se reciperet, haberet, dixerítque propterea. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet,* tametsi esset ipse omnium divitiarum author, & Dominus; omniúmque bonorum largitor munificentissimus, omnésque in se thesauros includeret, ut ait Apostolus. *Cum dives esset, propter nos egenus factus est,* (nimirum ut homo, & quoad usum, ac fruitionem commodorum) *ut ipsius inopiâ divites essemus.* 23

Matth. 8. — 2. ad Corinth. 8.

24. Præter paupertatis statum voluit etiam alijs se subjicere ad Galat. 4. *Factus est sub lege ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus:* seu ut ex servis nos liberos constitueret, ac Dei filios: fuerunt autem hujus subjectionis comites ingens molestia, & multiplex humiliatio. Molestia illicò obviavit Servatori in circumcisione, quâ à sanguinis effusione suam exorsus est vitam, ut per hæc sacrificij sui prima libamina initiaretur sacerdos, & simul nostræ redemptionis pretia daret; ne lacteam ampliùs crederemus cœli viam, cum Christus vix eam ingressus doceat esse sanguineam, & nonnisi per vulnera, & dolores currendam. Humiliatio se obtulit eò quia lex, cui subjici voluit ob duas potissimas causas sancita fuit, ac per Moysem populo promulgata: nimirum ut à gentibus ubique terrarum falso Numinum cultu desipientibus, ac idololatriâ obrutis, populus Israëliticus secerneretur, & ab illicitis illis se averteret cultibus; & tum timore pœnarum temporalium; tum innoxio illo cæremoniarum legalium exercitio coërceretur, ne æstu communis consuetudinis abreptus idololatriæ cæcutiret caliginibus.

25. Secundò ut populus carnis addictus illecebris, ac voluptatum illicijs captus, rerúmque spiritalium rudis; umbris, figurísque legis instrueretur ad Christi mysteria; ut qui nudam eorundem veritatem capere non poterat, saltem in umbraticis signis, figu-

figurísque sensui obvijs prima intelligeret rudimenta, quæ lex illa edisserit; quia ut scribit Apostolus, [Galat. 3.] *Lex Pædagogus noster erat in Christo?* nimirum Pædagogus, qui timore supplicij homines ad illicita pronos coërceret, rudésque perinde, ac pueros typis symbolicis rudimenta edoceret veritatis, legísque evangelicæ: cùm igitur se legi subjicere signum fuerit innatæ pravitatis, & roditatis; nulli dubium, quin æterni Patris filius assumptâ nostrâ humanitate se humiliaverit, cùm ut homo legi subjici voluerit, quasi pædagogiâ illâ indigeret: & licèt lege omni superior esset, adhuc tamen se eidem subjecit, non solùm in satisfactionem, & nostram redemptionem; verùm etiam ne Judæi tanquam legis prævaricatorem procul eum expellerent, & ab eorundem excluderent consortio; ne igitur hanc justæ excusationis speciem suæ impietati, & infidelitati possent prætexere, maluit se eorundem legi subjicere; ut etiam obedientiæ parentum. [Luc. 2.] *Venit Nazareth, & erat subditus illis:* tametsi plenus esset sapientiâ; imò sapientia esset increata, gubernans omnia, & disponens singula ad suos fines; adhuc veluti insipiens, humanæque indigus directionis, voluit se pauperculis subjicere parentibus, eorúmque nutui obsequi mandatisque obtemperare, & quidem in obscuro vitæ statu veluti ignotus, mundóque inglorius.

26. Molestias etiam sustinuit, homines non tam sermone, quàm exemplo eruditurus, nullis enim pepercit laboribus, cum non sine corporis defatigatione vicos, pagos, urbes, omnésque Palæstinæ tractus per annos tres, mensésque aliquot perambulaverit, docens homines viam salutis: & ne eam etiam videretur corporis negligere, afflictis fuit consolationi, pauperibus solatio, ægritudine laborantibus impertivit sanitatem, cæcis visum restituit, vel dedit; ut etiam mutis auditum; claudis gressum, & mortuis vitam, & in hisce impendendis beneficijs, adeò assiduus fuit, ut vix quicquam temporis ad sui corporis refectionem suppeteret; alienæ magis, quàm suæ appetens refectionis. [Joan. 4.] *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me,* & in hoc præstando pluries defatigatus fuit, quasi viribus destitutus: frigido sub dio in oratione pernoctavit; in pauperculo tuguriolo omni destitutus humano commodo per noctem delituit; neque sibi deliciæ ullæ eiborum aderant, quibus vires reficeret; nulla indusia, quibus sudore mananti corpori consuleret; nullæ vestes, quibus membra corporis obtegeret; nullæ molles culcitræ, quibus somno, & quieti indulgeret; nulla alia consueta commoda, quæ solent laboribus solatio esse; adeò ut destitutus omni commodo, tantùm molestijs affici voluerit labores subire, dolores, & cruciatus tolerare, probra, & contumelias sustinere, quamvis innocentissimus esset, nec ei objici posset, quidquam dissonum à lege, tum naturæ, tum scriptæ; & quamvis esset ipse sanctitas, passus tamen est, ut à primarijs judaicæ gentis hominibus suæ detraheretur famæ, vocaretúrque contumeliosè temulentus, publicanorum socius, populi seductor, peccatorum amicus, legis Eversor, Perduellis, seditiosus, Samaritanus, præstigiator, ac ipsius divinitatis impius usurpator: nil hisce calumnijs potuit orcus ignominiosiùs eructare, nil hisce injurijs atrociùs excogitare: nec sola sustinuit contumeliosa verba; verùm & verbera referta ignominijs, ac contumelijs, quando Judæi, ut seditiosum voluerunt illum capere, vinculis illigare, ejus faciem velare, alapis cædere, sputis fœdare, & ejus corpus albâ veste ad irrisionem induere, flagellis cædere, spinis coronare, arundine veluti sceptro insignire, chlamyde coccinea veluti regali veste per ludibrium ornare, ac demum medium inter latrones cruci affigere; & in ipsa cruce felle, & aceto potare, quo nil cogitari potest acerbius, nil contumeliosius; & hæc omnia perpeti cupivit ob singularem amorem, quo nos voluit prosequi, ac redimere à servitute peccati, ac mortis.

27. Hoc autem beneficium, cùm sit immensum, sive malum spectemus, quod tollitur; sive modum, quo sublatum est, totum procul dubio nostrum promeretur amorem: si enim sublatum pensemus malum, cùm Deus sit summum bonum, peccatum quod divinæ adversatur bonitati malorum est summum; & sicut Deus est bonum infinitum, ita & peccatum immensum quoddam malum, quatenus repugnat bonitati immensæ: subit enim suum magnitudo offensionis incrementum ex ipsa excellentia, ac magnitudine personæ, cui per offensam injuria irrogatur, sitque propterea eò injuria alteri illata gravior, quò hic injuriam passus est dignior, & cùm Deus infinitæ sit dignitatis, trahit peccatum ratione offensæ Deo illatæ malitiam quodammodo infinitam; nec propterea potest pura ulla creatura pro peccato mortifero ex æquo Deo satisfacere.

28. Imò neque omnia Sanctorum opera unum possunt duntaxat compensare peccatum; adeò ut si in statera appenderentur, hinc merita omnia creaturarum, & illinc unicum lethale peccatum, adhuc longè præponderaret pars illa, quæ mortifero illo gravaretur; cùm tota collectio bonorum operum, ac meritorum, quæ unquam ab Angelis, vel hominibus facta fuere, & fieri possunt, nonnisi finitam, ac limitatam exhibeant bonitatem, ac proinde

inde veluti nihil respectu honoris divinæ Majestati debiti resarciendi: & quia peccatum lethale huic adversatur summæ Majestati; infinitam quandam contrahit malitiam superioris Ordinis in ratione mali, quàm sint opera justorum in ratione boni, eò quia actus virtutum sua à creaturis hauriunt incrementa, à quibus eliciuntur, & actus offensæ ab objecto, cui injuria irrogatur: quâ ratione docuerunt sancti Patres, necessarium, fuisse æterni Patris filium nostram assumpsisse humanitatem, cujus merito æquale pretium divinæ exhiberetur justitiæ, & justa compensatio pro peccatis hominum: & quia dilexit Deus homines, voluit, ne perirent, unigenitum suum dare, ac hominem fieri. *Sic Deus*
Joannis 3. *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret:* nimirum ponitur particula illa *sic*, quæ emphasin præsefert, & perinde est, ac si dixisset; tanta amoris vehementia, tanto dilectionis æstu, conatu, & excessu, non Angelus, non homo, non Imperator, non Rex, sed Deus dilexit, hoc est gratis, absque ullo prævio nostro merito, sine ullo præcedente nostro desiderio, mundum, seu homines Reos æternæ damnationis, sibique exosos, & contrarios ob injurias sibi illatas: ut filium suum non alienum, non adoptivum, sed naturalem, & proprium, & quidem unigenitum, & unicum, ejusdémque cum Patre naturæ, ac Deitatis daret; nimirum gratis, & ut mortem pro nobis subiret; idque ex puro amore, quo homines prosequitur, ut e-
Serm. 1. in Tentec. disserit Guerricus Abbas. *O Deum, si fas est dici, prodigum sui! spectemus, non quoties Deus dedit, sed quoties se dedit. In profusionem sui tota conspiravit Trinitas, sæpe se dedit Divinitas. O affluens liberalitas Dei! ô indeficiens largitas bonitatis divinæ: Spiritum, cujus primitias dedit Apostolis, offert universis, thesaurum suum; fontem aquæ vivæ aperit, tam hominibus, quàm jumentis; tanquam & ipse omnibus sapientibus, & insipientibus debitor sit. Parum erat Patri tradidisse Filium, ut redimeret servum; nisi daret & Spiritum sanctum, quo servum adoptaret Filium. Dedit Filium in pretium redemptionis, dedit Spiritum in privilegium adoptionis, se denique totum servat hæreditatem adoptionis. O Deum, si fas est dici, prodigum sui præ desiderio hominis! An non prodigus fuit, qui non solùm sua, sed & se ipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi; quàm homini ipsi? An non prodigus, qui sicut proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, sic nec Spiritui sancto pepercit, ut ita loquar; sed novâ, & mirâ largitate super omnem carnem effudit illum?*

29. Si igitur Deus ob summum amorem, quo nos dilexerat, voluit Filium suum & quidem unigenitum nobis dare, nostrámque assumere humanitatem, hominémque fieri, quis potis sit, Deum pro tam ingenti beneficio nobis collato, ut par est, redamare? fateamur, necesse est nostram pauperiem, & cum sponsis vino carere, seu esse amore destitutos, non quidem in nuptijs Canæ in Galilæa, sed præsepis in Bethlehem, ubi nostra humanitas Deo nupsit; dum humana divinis, ima summis, Pastoribus Angeli; Regis cœlestis lachrymæ cantui famulorum; Herus, & servus; virginitas, & maternitas; Verbum divinum, & caro humana; novo, sed vero; mirabili, sed sancto, ac illibato fœdere sociantur.

An non in hisce Verbi divini cum nostra humanitate nuptijs vinum nobis deficit amoris? Quisnam tanto se parem amori duxerit, ut ei sufficiat amor ad diligendum abundè Deum reclinatum in præsepio, jacentem in fœno, vagientem inter bruta animantia? Certè huic divino amori impar semper est quilibet noster amor, nec unquam potis eam ex æquo redamare, quæ nobis apparuit, humanitatem Salvatoris nostri Dei. Supplicemus igitur enixim Virgini Matri, ut in hisce nuptijs, quibus Verbum divinum insolubili fœdere nostræ consociatur humanitati, dicat Filio suo vagienti, & lachrymulas effundenti *vinum non habent*, seu sufficientem amorem, quem in hisce exhibeant nuptijs, ut Filius dicat ad nos. *Implete hydrias aquâ*, Joan. 2.
ut vinum nobis suppeditet sui amoris: si velimus igitur hoc vino inebriati, si cupimus amoris vino cor nostrum incalescere, oportet, ut impleamus hydrias nostras, seu cor nostrum aquâ, lachrymis resipiscentiæ, & vagientis pueri: ab hoc fonte ignis oritur amoris, & vinum producitur sinceri affectûs. Quis enim ardorem non sentiat, flammas non experiatur, si vel unica lachrymantis Dei guttula aspergatur? Quis non liquescat amoris violentiâ in latices pellucidos sanctitatis, ardore si afficiatur hujus amoris? etenim si Virgine Matre teste in sacro epithalamio. *Parvulus nobis natus, nobisque* Cant. 1.
datus Botrus est Cypri: quidquid ex illo exsudat non lachryma, sed mustum est purioris amoris: unde fit cor nostrum perinde ac calix in manu Domini, ut redundet Psal. 74. *Vini meri plenus mixto. Verumtamen fæx ejus non est exinanita:* effundamus ergò sicut aquam cor nostrum, ut impleatur aquâ, quæ in vinum generosioris, ac sincerioris convertatur amoris, & amemus non ore tantùm, sed & vero corde, non verbo solùm, sed opere.

§. IV.

§ VI.

Deus impensiùs opere, quàm verbo diligitur: non sufficit amori, ore loqui, nisi simul ubere nutriat; seu verbis oris, opera respondeant cordis.

31. Amemus æterni Patris Filium, quem amor è summo cœlo traxit in præsepium, ubi voluit indissolubili fœdere nostræ copulari humanitati, ut hæc

In Cant. c. 1. fieret ejus sponsa, cum qua dicamus. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino:* nimirum experta fuerat sponsa dulcedinem uberum; proinde petit osculum; quia meliora fatetur ubera præ vini suavitate: experta dulcedinem uberis, seu operum ex pectore, ac corde prodeuntium; expetit & labia lacte pasta, sititque oscula, & à pectore gradum instituit ad os, quia non ore tenus, & solis verbis, sed corde intimiori, & opere prosecuta jam fuerat sponsum, cui indissolubili fœdere nupsit; & proinde priùs eidem sponsus lac immulserat, quàm oscula; ubere priùs solatam eam voluit, quàm ore. Plerúmque verba quidem proferuntur amorem redolentia, sed ubera non præbentur pastum operis exhibentia: lactea verba ex ore profluunt, sed lac minimè ex ubere profertur: proinde fastidimus etiam audire pastores, eò quia sola verba subinde ab ijsdem excipimus exclusi ab ubere: utrumque verus amor exhibet, & oris osculum, & lac uberum; quia ubi verus est amor, ibi verbis respondent opera, cùm veri amoris tessera exhibitio sit operis. Sed si non uber, seu lac in ubere degustatur, & nutrit, cur potiùs non labiis, quàm uberum meminit? cur non dicit lac uberis dulcius osculo oris; *sed ubera meliora?* quia nimirum non lac simpliciter cupit, sed pectus, & in pectore cor: *osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino.*

32. Imò Christi humanitas nòn sustinuit solo in pectore ubera residere, verùm ea in nos transtulit; an ut loqui non posset, quin pasceret, & cùm existimatur verba proferre mammas exhibeat? hinc sponsa Cantic. 4. *Mel, & lac sub lingua tua*, quia promptiùs, & faciliùs ubera nutriunt, quæ sub lingua latent, quàm quæ in pectore prostant; non sufficit amori ore loqui, nisi simul ubere nutriat, seu nisi verbis respondeant opera. Imò non osculum oris petijt, sed osculari osculo oris; scilicet non osculum petijt oris perstrepentis, sed osculum osculi tacitè amorem imprimentis, quia amor magis gaudet se operibus prodere, quàm verbis obstrepentibus se manifestare. Sed qui sine verborum strepitu, operum exhibitione verè Deum diligunt? Qui rectò sunt corde: *Recti*

Cant. 1. *diligunt te*, seu qui puro feruntur amore recto quidem, & non obliquo, ac recurvo; quique Deum amant non propter se ipsos, nec ob proprium commodum; sed quia Deus utpote summè bonus totis viribus debet à nobis amari, & quidem propter se ipsum, qui totam comprehendit bonitatis plenitudinem. Sunt, qui Deum amant, sed duntaxat usque ad mammas, usque ad lactis dulcedinem, donec lacte, & melle pascantur; & illicò ab amore recedunt, si non lactis dulcedo, sed alicuius absinthij, seu adversi amarities ei propinetur.

Pluries Hebræorum populus lacte, & melle à Deo pastus fuit, sed tamdiu exarsit amor in corde, quamdiu lactis dulcedo labia delinivit: seu frignit cor, cum primùm subtracta ori fuit annona ad fidei experimentum; nimirum amicus Deo fuit usque ad mammas: non rectò dilexit Deum amore, sed obliquo, & recurvo ob proprium commodum, ut sibi populus consuleret, non ut Deum solum diligeret. Væ nobis, si Deum non amaverimus rectò corde, non recti erimus in dilectione, sed recurvi, ac recedentes à puro amore: non tamen caret ille amore, si non diligatur à nobis, sed nos caremus rectitudine, si eum rectè non diligamus: *Recti diligunt te;* qui amore rectò Deum amant; amantur & ipsi: sunt, qui vanis anguntur conscientiæ stimulis exagitati, hærentes animo, num amore, an odio digni sint, cùm nullus valeat sincerius id dijudicare, quàm ipsemet ex proprio amore, quo Deum prosequitur: si enim amore puro, & rectò Deum amant, amantur & ipsi; si diligant, diliguntur: siquidem *Recti diligunt te.* Isti sunt justi, & recti, qui rectè Deum diligunt, & à Deo vicissim diliguntur, quia justi; qui verè, rectè Deum diligunt, non proprio student commodo, sed soli Deo adhærent, & quidem ita arctè, ut supplicia quæque potiùs, imò & mortem seligerent, quàm per lethalem noxam à Deo sejungi: qui ita amant, sunt recti, quia Deum diligunt, quia non munera amant Domini, sed ipsum Dominum. 33.

Sunt, qui Regis imperio militiam exercent, pericula obeunt, labores subeunt, sed tametsi Regi obsequantur, non tamen Regem amant propter se ipsum, sed propter munera, quæ accipiunt, ob spem, quâ aluntur, ut ad sublimiores promoveantur præfecturas. Plures sunt, qui Deum amant in prosperis suis negotijs, in vineæ cultura, in acquisitione dignitatis; sed isti non Deum, sed dona Dei diligunt, nec ijs accensentur, qui recti Deum diligunt: neque officit, si dicas esse Dei dona; quia hæc adhuc habenda sunt neglectui, imò & contemni debent, si Deus jubeat. Fuit procul dubio inter dona Dei vita Isaac reposita, in cujus lumbis Deus homo continebatur, in quo servabantur benedici gentes omnes; & tamen Abraham non solùm paratus fuit, bonum 34.

donum hocce negligere; verùm & immolare id jubente Deo. Vix fideles sunt in Tyrocinio amoris, & plerumque non Deum amare discunt, sed dona Dei; quæ rum in nostrum refundantur commodum, nos potiùs in ijsdem, quàm Deum in se diligimus. Etiam Vinitores vineam Domini æstu dilexerunt ardentiore, à quibus tamen fuit vinea defossa, & immani sævitie hæres vineæ confossus.

35. Est amor iste à recto amore degener, quia à summo recto deflectens in commodum recurvescit amantis, vineam quidem amârunt, sed filium hæredem vineæ interemerunt; neque hircanis tigridibus mitior est hic amor, qui nonnisi proprio inhians commodo alienum sitit sanguinem; anguibus,& aspidibus concolor est hic amor, qui osculum figit, & vulnus infligit; mel videtur exhibere, ut venenum propinet.

36. Rectè diligere, ut discamus, necesse est, dediscamus diligere, quia licèt magna sit ars bona non negligere, major tamen meliora seligere, & maxima optima diligere. Quidquid à nobis diligitur præter Deum, aut non propter Deum, malè à nobis diligitur: proinde ut discamus rectè diligere, necesse est, dediscamus ea diligere, quæ non sunt Dei, & ea præsertim, quæ amata nobis non expediunt, nec congruunt, quia nobis amantibus nocent, dum à consecutione avertunt salutis: ea dediscamus diligere, quæ, si à nobis possideantur periculum nobis ingerunt, ne pereamus,& quæ potiùs nos possident, quàm ipsa à nobis possideantur. Diligit quis divitias, quas congerit, coacervàtque; sed non ipse divitias possidet, quibus impenso labore inservit, sed divitiæ ipsum possident, trahúntque innato pondere deorsum, unde monet Salvianus. *Refugienda est ampla possessio, ne sequatur profunda perditio*; diligit quis aurum, ut illud possideat; sed cum primùm illud possidet, periculum incurrit, ne pereat; quia quoties ea diligimus, quæ non sunt Dei; jam nobis pereundi pericula apparamus.

Ad Eccles. lib. 1.

37. In id nostra incumbant studia, ut rectè seligamus, cui nostrum impendamus amorem. Duo sunt, quæ à nobis amorem extorquent, & quorum alterutrum necessè est diligamus, & eligamus, in quod amore feramus, cùm voluntas proprio trahatur pondere in amorem: sunt autem hæc duo Deus, & mundus, quibus simul servire nobis non datur, adeò ut unum diligere perinde sit, ac alterum negligere: diligere autem mundum odium est in se ipsum exercere, séque in ima detrudere ærumnarum; servus Deum amare, eique inservire regnare est, séque promovere ad culmen veræ felicitatis. Fuerunt, qui utrique diversis tamen inservierunt temporibus: sed in ijsdem amor, quo mundo adhæserunt, nonnisi angores peperit, & dolores: utrique suum amorem dicaverat D. Romualdus: sed quale fuerit inter utrúmque discrimen prodere voluit, cùm mortalitatem exueret, & jam esset animam acturus, sic tunc ait, se: *Vixi centum annis in religione, viginti in mundo. O quàm sunt illi breves, felices, jucundi! quàm hi longi, miseri, importuni:* nil sanè opportunius ad excitandum Dei amorem, & mundi odium; cum Dei obsequium, quamvis integro sæculo ei impensum, ob jucunditatem visum ipsi fuerit momentaneum; & præmium præstiti obsequij sit perpetuum.

Si aliæ deessent causæ, saltem ipsæ temporis angustiæ deberent nos amorem dedocere temporalium. Quid si toto frueremur mundo, cunctísque, quæ ipsi insunt, & nostra fruitio ad plura etiam protraheretur sæcula; adhuc nihil esset, & perinde ac umbra fallax, & aura fugax deficeret, cum simus nos interitui obnoxij; & quidquid in mundo index est, & illex voluptatis fluxum, & deficiens illicò evanescat: & ubi effluxerimus, privamur mundo, & omnibus, quæ sunt mundi, imò & Deo, omnibúsque quæ sunt Dei. Quàm infelix mundi amor, qui amantem Deo privat, & in imum detrudit miseriarum! quàm cæcus mundi amor! qui amanti exhibet rosas, ut volutetur in spinis, & præfert vilissimum pretiosissimo, quid enim diligenti mundum videtur vilius, quàm quod est pretiosissimum, seu Deus? & quid eidem pretiosius, quàm quod est vilissimum, nempe mundus? sed vilissimus est mundi amator, & proinde mundo ipso vilior, cui Deus viluit. Pluris mundi amans lucrum facit pecuniæ, quàm Numinis, quod præ omni lucro est inæstimabile; an non est maximè contemptibilis, qui maximi æstimat contemptibilia, & flocci facit pretiosissima; acri sale hisce insulsis succenset Augustinus in Psal. *Dico breviter homini avaro, invocas Deum? quare invocas Deum? ut det tibi lucrum, lucrum ergo invocas non Deum, quia hoc lucrum, quod concupiscis, non potes habere per servum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per satellitem tuum. Invocas Deum, Ministrum lucri tui facis Deum; viluit tibi Deus. Vis invocare Deum? gratis invoca. Avare an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro, & argento non vis illum. Quid ergo debis, quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit.* Psalm. 10.

38.

39. Aliam bibamus nos mentem, vilescat nobis quidquid non est Deus, quidquid non diligitur propter Deum, quidquid est præter Deum. Is non potest vilescere, cui vilia sunt cætera præter Deum. Ut discamus igitur rectè diligere, dediscamus, quæ in mundo sunt fluxa vana, ac inutilia diligere. Nonnisi

sca-

ſenticeta exhibet mundus, nonniſi vepres producit ærumnarum, ac dolorum radices, è quibus cruciatus pullulant gehennæ, & adhuc diligimus mundum? ſcitè Auguſtinus: *Amarus eſt mundus, & diligitur. Puta ſi dulcis eſſet, qualiter amaretur?* nonniſi venena propinat mundus ſuas ſitientibus voluptates, & quæ in ipſo videntur eſſe honores, dignitates, divitiæ, & gaudia; & tamen, quia fucatæ immixtum dulcedini plenis faucibus ebibitur veneoum ab eo, qui mundum amat usque ad odium ſui: ac oon id inſanire eſt, mundo ſervire usque ad vultûs ſudorem? mundum ſequi usque ad tædium cordis? mundo adhærere usque ad interitum animæ? quid ita in mundo cæcutiens poteſt ſibi à mundo promittere, quàm quæ ad interitum pertrahunt, cujus mundi ſunt pondera divitiarum, honoris umbræ, bullæ gloriolæ, voluptatis quiſquiliæ, porcorum ſiliquæ gravando ſtomacho non reficiendo natæ. O palpabilem cæcitatem! lucem negligere, & umbras ſequi; cœlum deſpicere, & cœnum amplecti, ubi quidquid apparet ſenſui volupe, venenum eſt animæ; & quæ aliquid cenſentur pretij præſeferre puerorum ſunt apinæ, ac fabularum affaniæ, ſeu umbratiles voluptates, noxiæ deliciæ, vanæque præſtigiæ. Quàm depravatus iis eſt guſtus amore mundum proſequentibus, cum ejus amaritudo ipſis dulceſcat!

Serm. de temp. 111.

§. V.

Solus Dei amor ſuo calore vivifico reficit, fovétque præcordia, cujus beneficio vulnera curantur noxarum, & cicatrices delentur culparum.

40. NOn diffiteor plura à mundo ſuis amatoribus exhiberi oblectamenta, plura voluptatum illicia, ac deliciarum aucupia, ſed tametſi hæc videantur dulceſcere, cùm guſtantur; guſtata tamen, nonniſi veſtigia relinquunt amaritudinis: & quæ placuerant, cùm haberentur; diſplicent, & lancinant, poſtquam abiêrunt; imò ideo aliquam præſeferunt dulcedinem, ut ad venenum hauriendum infelices alliciant voluptarios: eſt enim delectatio carnis afflictio ſpiritus, dulce venenum, melleum fel, vulnus gratum, mors blanda, rectè Auguſtinus: *Delectatio occidit, & præterijt; vulneravit, & tranſivit; miſerum fecit, & abijt; infelicem reddidit, & reliquit.* Neque abs re mundi oblectamenta contuleris cum prædonibus, qui Ierichontinum peregrinum *deſpoliaverunt, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto*, hæc ſunt mundi ſtipendia; cujus oblectamenti deliciæ voluptarios deſpoliant Dei gratiâ, jure ad Dei hæreditatem, favore Chriſti, ſuffragiis Eccleſiæ, virtutibus moralibus, omnibúsque per tot annis congeſtis meritorum theſauris, quos per

Serm. de temp. ...

Luc. 10.

totius anteactæ vitæ honeſtas operationes, per virtutum ſtudia, laborum tolerantias, patientiæ exercitia, charitatis culturam, coacervaverant: neque hiſce duntaxat ſpoliant divitijs; verùm & vulnera infligunt lethalia, quibus ad internecionem sauciant: levia enim non ſunt vulnera, quæ saucium ſemivivum relinquunt. Ideo ſi ſapiunt, deſipere deſinant, incipiántque reſipiſcere, dediſcant mundi amare oblectamenta, & unicè Deo toto adhæreſcant amore, cujus calore vivifico reficiantur, ac priſtinæ reſtituantur incolumitati: hæc eſt illa charitas, quam aquæ multæ non extinguunt, nec flumina obruunt: eſt hic amor illud præſtantiſſimum opobalſamum, quo vulnera omnia curantur, & cicatrices obliterantur, eſt hic amor felix ille ignis, qui ſemper ardet, & nunquam conſumitur, cùm neque flumina poſſint eum obruere: *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8.

Non opponuntur huic igni torrentes, ſed flumina, à quibus non extinguitur: ſed ſi torrentes impetu magis tumultuario, curſúque rapidiori dilabuntur, cur non potiùs torrentes objiciuntur, quàm flumina? An quia torrentes non ſemper fluunt, cum fluminibus nunquam deſit copia aquarum? Ita eſt, quia verus amor, tametſi ſemper adverſa patiatur, nunquam tamen extinguitur, nec quidquam patitur detrimenti, & non ſolùm aquis multis, ac diurnis torrentium, ſed & diuturnis fluminum obſiſtit. 42.

Tametſi fluctus inſurgant adverſitatum, turgeant perſecutionum procellæ, nunquam tamen hunc amorem ad ullum impellent naufragium; imò in adverſis ejus flamma ſplendet clarior, illuceſcit illuſtrior; hinc ſponſa, cùm amore ferveret, quamvis adverſitatum circumſepta tenebris nigreſceret, formoſa tamen apparet: *Nigra ſum ſed formoſa filia Hieruſalem*, non enim in ſolo duntaxat candore floret pulchritudo, ſed etiam in umbris nigredinis clareſcit illuſtrior; hinc ſponſa, quamvis nigra, adhuc tamen formoſa, imò ſpecioſa, quia nigra; perinde ac ſidera, ideo ſplendent, quia tenebris obvoluta, quaſi omnis ex nigredine venuſtas in ſponſam derivaſſet. Da verè amantem, da ſincera ardentem charitate; tametſi atris videatur obrui, fumoſiſque tentationum caliginibus; nunquam tamen interna ejus pulchritudo quicquam patietur detrimenti, quin & illuſtrior illuceſcet. An non pulchrior D. Paulus in ſua apparuit infirmitate? an non Jobi formoſitas in ſuo ſimeto illuxit ſpecioſior? An non Abrahæ fides in ſua probatione candicavit clarior? Imò nonne Chriſtus ipſe, quem David dicit ſpecioſum formâ præ filiis hominum, ærumnarum obductus caliginibus ſplenduit exercitio virtutum illuſtrior? 43. Cant. 1.

Ne tamen quis ſibi nimium blandiatur de ſua nigredine; non quæcunque nigredo, neque 44.

neque quoquo modo formositatem iovehit, sed ea duntaxat,quæ oigrescit instar tabernaculorum Cedar, & pellium Salomonis: *Nigra sum,sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis,* quia nimirum si exteriùs squalent Regum tentoria, intus auro illita, gemmisque illuminata referta sunt opibus: qui igitur io pravis excutiendis cogitationibus est solicitus; io tentationibus urgentibus superandis, fortis, & constans; in laboribus subeundis perfervidus; io adversitatibus tolerandis patiens,& humilis; hic verè thesauros suos recondit sub pelle; & extima nigredine, quâ obducitur, internam custodit pulchritudinem.

44. Non tamen sola extima nigredo subeundis laboribus accersita pulchritudinem prodit; sed quam Dei amor invexit; siquidem pauperem superbum, militem socordem, operarium desidem, sicut amor virtutis non commendat; ita oec pulchritudo ornat: nigredo, quam virtùs non promovet, sed vitium movet, turpitudinem invehit: etiam Saul tentatus fuit, & tamen victus occubuit; etiam Arius laboravit, & tamen errore ductus, & tumore inflatus crepuit medius: hi enim & alij plures ejusdem furfuris oigri fuerunt, non tamen formosi, quia nigredinem, quam virtus non afficit, vitium inficit. Ut nigredo amico fœdere pulchritudini copuletur, ab amore virtutis suam necesse est originem trahat, hinc sponsa: *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me Sol:* hæc est illa nigredo, quæ simul infuscat, & ornat; obscurat, & illustrat; umbras inducit, & lucem adducit: quæ à sole habetur nigredo nitorem addit, dum candorem adimit; ut nigredo pulchritudinem iovehat,è cœlo in nos derivari debet, non in terris oriri; qui ex terrestri igne nigredinem contraxit, quâ facilitate candorem ex flammarum consortio amiserat, eundem abluentis aquæ recuperat beneficio; nimirum adscititia est nigredo,quæ cùm radices oon egit, ooo potis est in pulchritudinem efflorescere: quæ verò à sole mutuatur nigredo,quia agglutinatur cuti,inhæret carni, miscetur vultui, altiúsque radices agit in genis, à quibus faciliùs cruor, quàm inductus color extrahitur, io florem germinat; imò & geminat pulchritudinem intimam cordis, & extimam oris. Cant. 1.

45. Facilè extraditur nigredo, quam fumus in genis finxit; sed quam Sol in vultu pinxit noonisi cum cute, & sanguine obraditur: quia nimirum verus amor adimi noo patitur, & nulli cedit, imò nec fluminibus obruitur, nec auro corrumpitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Observes velim post fluminum inundationem, pecuniarúmque oblationem, adhuc triumphos recenseri amoris; quia nimirum difficilior est cum auro lucta, quàm cum gurgite; cùm plures invenias, qui cùm tormenta inconcussâ vicerint pectoris firmitate, sibi oblatæ postea cessêre pecuniæ: validiùs ferro resistitur, quàm auro; illo pugnamus, hoc expugnamur; idque etiam Poëtis cùm inootoisset; Danaëm finxêre, quæ cùm turrium propugnaculis vallatam superaverit, auro cecidit oppressa; sed procul hioc Poëtarum commenta, pessum eant fabularum deliramenta, cùm citra fictionem plures auri sitis interemerit. Anania, & Sapphyra Lucem mundi Christum secuti à recto salutis itinere haud deflexêre, quamvis in eodem plura sibi objecta viderint impedimenta, ut odium populare, injurias propinquorum, minas Judæorum, incommoda Evangelicæ paupertatis, Christiani instituti probra, quæ tamen omnia imperterriti sustinuêre. Verùm qui pectus objecerunt adamantinum hominum exprobrationibus, animum habuêre cereum ad auri fulgorem: siquidem primis perculsi auri splendoribus collicuerunt; divendito enim agro, cùm primùm numeratam sibi viderunt pecuniam, maluerunt perire, quàm egere; & cadere à cœlesti hæreditate, ne tenui exciderent patrimonio: maluerunt mentiri Spiritui sancto, & Petro, quàm susceptas prodere pecunias; adeò in aurum amor invaluit, ut præconceptam io Christum dilectionis flammam extinxerit. Cant. cap. 8.

46. Scio à Saule victos Amalecitas, sed scio etiam à supellectili Amalecitharum postratū Saulem: *Percussitque Saul Amalech ab Hevila, donec venias ad Sur:* sed victoria Saulis nos edocuit ab auro fortiùs, quàm ferro, & à supellectili ocyùs, quàm ab hostibus superari homines: Victori enim Sauli palmas prostrati dedêre Amalecitæ; sed ferales cupressos exhibuêre spolia Amalecitarum; & quem loricati milites, cataphracti equites non vicerunt, inermes oves prostrârunt; *Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium,& armentorum, & vestibus & arietibus.* Sed sublatum etiam de anathemate aurum ab Achano,homines edocuit, expugnatores urbium, non rarò à divitiis expugnari; & capi posse auro, qui ferro munitissimas capere arces potuerunt. Ut autem noo vincatur quispiam amore fluxorum,quæ interitui sunt obnoxia, necesse est amore muniatur illius, qui infirmis, & imbecillibus fortitudinem suppeditat: quia Deus adest pro muro inexpugnabili eum diligentibus: *Urbs fortitudinis nostræ Sion: Salvator ponetur in ea murus, & antemurale:* nimirum Deus tunc instar muri Sionem animæ nostræ cingit, munítque, cùm eum ex totis viribus amamus, quia tunc vicissim ab ipso amamur. 1. Reg. 15. Isaiæ 26.

47. Hinc sponsa hocce ut muniretur propugnaculo expetiit exosculari à dilecto, cujus amore languebat: *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo,* quàm felix infirmitas! quàm salubris ægrotatio! languere amore in cœlestem sponsum, & perire dilectione! Cant. 5.

uti-

utinam, & nos fortunato hoc febrili æstu laboraremus; ideo sanitati donaremur, quia hac febri æstuaremus: æstus est, sed amoris, qui solatium adfert, & reficit æstuantem: ô utinam daretur & nobis hoc æstu inflammari, hac febri laborare, hac charitate languescere! & ideo sponsa cùm langueret amoris vi correpta, flumina non petiit, quorum laticibus vehementia minueretur ardoris, sed osculari enixim expetiit à Cant. 1. sponso, *osculetur me osculo oris sui*, hoc est, non petiit, ut posset ipsa suum deosculari sponsum, sed ut sponsus eam deoscularetur enixim efflagitavit; quia nimirum ipsam non latuit, parum esse Deum amare, nisi à Deo etiam redamemur: si enim Deus nos amet, quia nos eum amamus, tunc ponitur murus, & antemurale, quo Urbs fortitudinis nostræ Sion munitur, ne expugnetur; fulcitur, ne cadat: ait sponsa osculetur me, quæ osculata sum eum: minus enim est, quòd ego osculer illum; nisi ipse me vicissim exosculetur. Pereo, nisi ab eo amer, quem diligo; meæ cedo imbecillitati, nisi suo ipse me fulciat amore, langueo amore, deficio dilectione, nisi suo ipse osculo mihi sit solatio. O febrim salutarem! O æstum charitatis felicissimum! quo sponsa nauseat, super cibo levissimo voluptatum, rerúmque omnium humanarum, nec ampliùs curat honores, ac dignitates, nec inhiat opibus, & divitiis, nec sitit voluptates, & delicias; sed tantùm osculum enixim petit.

48. Vix didicit in cunis balbutire, & jam fastidit quidquid voluptaris, honoris, & commodi mundus suis exhibet incolis; & tantùm osculum sitit, quod enixim petit: quid? an dulciùs locuta fuit sponsa, quàm cœlestis sponsus? siquidem Christus ingre- Ad Heb. 10. diens mundum teste Apostolo, conversus ad Patrem dixit: *Oblationes, & sacrificia noluisti, corpus autem perfecisti mihi:* sponsus crucem recenset, cùm sponsa osculum sitiat; ille patibula meditatur, hæc amoris delicias esurit; ille spinis circumsepiri cogitat, hæc amoris fulciri floribus; ille saxeæ illigatus columnæ flagella, & vulnera appetit; hæc verò in osculo amoris rosas legere labiorum purpurâ vernantes expetit; uterque tamen amore ferebatur; sed quia à sponso speciatim redamari concupierat sponsa, ideo præter amorem, quo æterni Patris Filius omnes generatim prosequebatur homines, sitivit singulare sponsi osculum, quo fortiùs muniretur, ne caderet: *osculetur me osculo oris sui:* & quamvis sponsus Cant. 8. eam amplectaretur: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, adhuc ipsam divinitatis dexteram, quasi nihili fecisset, si osculum ei defoisset, à sponso osculum petit, seu ab ipso redamari, ut non floribus tantùm fulciretur, sed muro, & an- Isaia 26. temurali muniretur, ne caderet: *Salvator ponetur in ea murus, & antemurale:* nimirum Deus ut nos tueatur, factus est nobis murus, sed nos ut Deum teneamus nostram fulcientem imbecillitatem & hanc defendamus debemus & antemurale exstruere, hoc est custodire nostrum custodem, propugnare nostrum propugnatorem, ac defendentem defendere, scilicet ut ille fiat murus protegens, debemus urbs esse fortitudinis, seu amoris: fortis enim est ut mors dilectio, tunc in circuitu nostro erit, nobísque munimento, si eum enixim dilexerimus, nec quidquam à nobis fiet, quod ipsi minus placeat.

Ut igitur ipse nos muniat, nostróque 49. maneat in circuitu, excubandum nobis est, ne sinamus quidquam attentari, quo lædi possit; verus enim amor ocyus periculis occurrit amantis, quàm propriis; imò & propriis, quia amantis; cum sit anima magis ubi amat, quàm ubi animat; hinc Apostoli, quia verè Magistrum Christum amârunt, cum navicula fluctuaret, rogârunt, timuerunt, & altioribus eum excitârunt clamoribus, eò quia cum ipsis etiam Salvator in puppi dormiens periclitaretur. Sed unde in Petro præsertim tantus timor, cùm nauticam exerceret, marinos fluctus etiam pedibus calcare didicerit, & undas decumanas nauticæ artis industriâ eludere: unde igitur tantus in Petro timor, cùm edoctus enatare, adhuc si fluctus navim exsorbuissent, potuisset ipse natatu litora appellere? Nimirum cum mediis in aquis igne æstuaret amoris in Magistrum Christum, & quò fluctus urgerent tumidiores, arderet ipse flammâ vehementiore, non proprium tantùm timuit in excitata maris procella periculum, sed quia in navi dormiens periclitaretur & ipse Magister. Sed si non proprium, sed sopiti timuit Magistri periculum, cur *Matth. 8.* Salvatorem timore correptus alloquens ait: *Salva nos perimus*, cur potiùs non dixit, impera statim ventis, ut sileant; coërce fluctus decumanis tumidiores, ne una cum navi te absorbeant, salva te sæviente procellâ periturum.

Verùm quia periculum Magistri à Pe- 50. tro dilecti, sibi Petrus proprium fecerat, ideo è somno eum excitans dixit *Salva nos perimus* quasi diceret, pereo si tu peris: verus enim amor est, qui se incolumem putat, si is non pereat, quem amat; & ideo Petrus Magistrum rogavit, ut suos salvaret Discipulos, à quibus cum totis diligeretur visceribus, non existimâsset, potuisse natato naufragium evasisse, si Magister dormiens obrueretur fluctibus: & ideo pereunt Discipuli diligentes, quia Magister periclitatur dilectus. Verùm quia Christus suos redamavit Discipulos, fuit ijsdem murus, & antemurale, ne eorundem navicula fluctuum impetita assultibus mergeretur.

Quòd si ubi salus, ibi nullus timoris 51. locus; non erat, cur in navi timerent Discipuli, in qua salus ipsa sederet. Sponsa si adfuisset cum Discipulis in navi illa fluctuante

qua-

neque quoquo modo formositatem invehit, sed ea duntaxat, quæ nigrescit instar tabernaculorum Cedar, & pellium Salomonis: *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, quia nimirum si exteriùs squalent Regum tentoria, intus auro illita, gemmisque illuminata referta sunt opibus: qui igitur in pravis excutiendis cogitationibus est solicitus; in tentationibus urgentibus superandis, fortis, & constans; in laboribus subeundis perfervidus; in adversitatibus tolerandis patiens, & humilis; hic verè thesauros suos recondit sub pelle; & extima nigredine, quâ obducitur, internam custodit pulchritudinem.

44. Non tamen sola extima nigredo sobeundis laboribus accersita pulchritudinem prodit; sed quam Dei amor invexit; siquidem pauperem superbum, militem socordem, operarium desidem, sicut amor virtutis non commendat; ita nec pulchritudo ornat: nigredo, quam virtus non promovet, sed vitium movet, turpitudinem invehit: etiam Saul tentatus fuit, & tamen victus occubuit; etiam Arius laboravit, & tamen errore ductus, & tumore inflatus crepuit medius: hi enim & alij plures ejusdem furfuris nigri fuerunt, non tamen formosi, quia nigredinem, quam virtus non afficit, vitium inficit. Ut nigredo amico fœdere pulchritudini copuletur, ab amore virtutis suam necesse est originem trahat, hinc sponsa: *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me Sol:* hæc est illa nigredo, quæ simul infuscat, & ornat; obscurat, & illustrat; umbras inducit, & lucem adducit: quæ à sole habetur nigredo nitorem addit, dum candorem adimit; ut nigredo pulchritudinem invehat, è cœlo in nos derivari debet, non in terris oriri; qui ex terrestri igne nigredinem contraxit, quâ facilitate candorem ex flammarum consortio amiserat, eundem abluentis aquæ recuperat beneficio; nimirum adsciti tia est nigredo, quæ cùm radices non egit, non potis est in pulchritudinem efflorescere: quæ verò à sole mutuatur nigredo, quia agglutinatur cuti, inhæret carni, miscetur vultui, altiùsque radices agit in genis, à quibus faciliùs cruor, quàm inductus color extrahitur, in florem germinat; imò & geminat pulchritudinem intimam cordis, & extimam oris.

Cant. 1.

45. Facilè extruditur nigredo, quam fumus in genis finxit; sed quam Sol in vultu pinxit nonnisi cum cute, & sanguine obraditur: quia nimirum verus amor adimi non patitur, & nulli cedit, imò nec fluminibus obruitur, nec auro corrumpitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Observes velim post fluminum inundationem, pecuniarúmque oblationem, adhuc triumphos recenseri amoris; quia nimirum difficilior est cum auro lucta, quàm cum gurgite; cùm

Cant. cap. 8.

plures invenias, qui cùm tormenta inconcussâ vicerint pectoris firmitate, sibi oblatæ postea cessêre pecuniæ: validiùs ferro resistitur, quàm auro; illo pugnamus, hoc expugnamur; idque etiam Poëtis cùm innotuisset; Danaëm finxêre, quæ cùm turrium propugnaculis vallatam superaverit, auro cecidit oppressa; sed procul hinc Poëtarum commenta, pessum eant fabularum deliramenta, cùm citra fictionem plures auri sitis interemerit. Anania, & Sapphyra Lucem mundi Christum secuti à recto salutis itinere haud deflexêre, quamvis in eodem plura sibi objecta viderint impedimenta, ut odium populare, injurias propinquorum, minas Judæorum, incommoda Evangelicæ paupertatis, Christiani instituti probra, quæ tamen omnia imperterriti sustinuêre. Verùm qui pectus objecerunt adamantinum hominum exprobrationibus, animum habuêre cereum ad auri fulgorem; siquidem primis perculsi auri splendoribus collicuerunt; divendito enim agro, cùm primùm numeratam sibi viderunt pecuniam, maluerunt perire, quàm egere; & cadere à cœlesti hæreditate, ne tenui exciderent patrimonio; maluerunt mentiri Spiritui sancto, & Petro, quàm susceptas prodere pecunias; adeò in aurum amor invaluit, ut præconceptam in Christum dilectionis flammam extinxerit.

Scio à Saule victos Amalecitas, sed scio etiam à supellectili Amalecitharum postratû Saulem: *Percussitque Saul Amalech ab Hevila, donec venias ad Sur:* sed victoria Saulis nos edocuit ab auro fortiùs, quàm ferro, & à supellectili ocyùs, quàm ab hostibus superari homines: Victori enim Sauli palmas prostrati dedêre Amalecitæ; sed ferales cupressos exhibuêre spolia Amalecitarum; & quem loricati milites, cataphracti equites non vicerunt, inermes oves prostrârunt; *Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus & arietibus.* Sed sublatum etiam de anathemate aurum ab Achano, homines edocuit, expugnatores urbium, non rarò à divitiis expugnari; & capi posse auro, qui ferro munitissimas capere arces potuerunt. Ut autem non vincatur quispiam amore fluxorum, quæ interitui sunt obnoxia, necesse est amore muniatur illius, qui infirmis, & imbecillibus fortitudinem suppeditat; quia Deus adest pro muro inexpugnabili eum diligentibus: *Urbs fortitudinis nostra Sion: Salvator ponetur in ea murus, & antemurale:* nimirum Deus tunc instar muri Sionem animæ nostræ cingit, munítque, cùm eum ex totis viribus amamus, quia tunc vicissim ab ipso amamur.

46.

1. Reg. 15.

Isaiæ 26.

Hinc sponsa hocce ut muniretur propugnaculo expetiit exosculari à dilecto, cujus amore languebat; *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo*, quàm felix infirmitas! quàm salubris ægrotatio! languere amore in cœlestem sponsum, & perire dilectione! 47.

Cant. 5.

uti-

utinam, & nos fortunato hoc febrili æstu laboraremus; ideo sanitati donaremur, quia hac febri æstuaremus: æstus est, sed amoris, qui solatium adfert, & reficit æstuantem: ô utinam daretur & nobis hoc æstu inflammari, hac febri laborare, hac charitate languescere! & ideo sponsa cùm langueret amoris vi correpta, flumina non petiit, quorum laticibus vehementia minueretur ardoris, sed osculari enixim expetiit à
Cant. 1. sponso, *osculetur me osculo oris sui*, hoc est, non petiit, ut posset ipsa suum deosculari sponsum, sed ut sponsus eam deoscularetur enixim efflagitavit; quia nimirum ipsam non latuit, parum esse Deum amare, nisi à Deo etiam redamemur: si enim Deus nos amet, quia nos eum amamus, tunc ponitur murus, & antemurale, quo Urbs fortitudinis nostræ Sion munitur, ne expugnetur; fulcitur, ne cadat: ait sponsa osculetur me, quæ osculata sum eum: minus enim est, quòd ego osculer illum, nisi ipse me vicissim exosculetur. Pereo, nisi ab eo amer, quem diligo; meæ cedo imbecillitati, nisi suo ipse me fulciat amore, langueo amore, deficio dilectione, nisi suo ipse osculo mihi sit solatio. O febrim salutarem! O æstum charitatis felicissimum! quo sponsa nauseat, super cibo levissimo voluptatum, rerúmque omnium humanarum, nec ampliùs curat honores, ac dignitates, nec inhiat opibus, & divitiis, nec sitit voluptates, & delicias; sed tantùm osculum enixim petit.

48. Vix didicit in cunis balbutire, & jam fastidit quidquid voluptatis, honoris, & commodi mundus suis exhibet incolis; & tantùm osculum sitit, quod enixim petit: quid? an dulciùs locuta fuit sponsa, quàm cœlestis sponsus? siquidem Christus ingre-
Ad Heb. 10. diens mundum teste Apostolo, conversus ad Patrem dixit: *Oblationes, & sacrificia noluisti, corpus autem perfecisti mihi:* sponsus crucem recenset, cùm sponsa osculum sitiat; ille patibula meditatur, hæc amoris delicias esurit; ille spinis circumsepiri cogitat, hæc amoris fulciri floribus; ille saxeæ illigatus columnæ flagella, & vulnera appetit; hæc verò in osculo amoris rosas legere labiorum purpurâ vernantes expetit; uterque tamen amore ferebatur; sed quia à sponso speciatim redamari concupierat sponsa, ideo præter amorem, quo æterni Patris Filius omnes generatim prosequebatur homines, sitivit singulare sponsi osculum, quo fortiùs muniretur, ne caderet: *osculetur me osculo oris sui:* & quamvis sponsus
Cant. 2. eam amplectaretur: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, adhuc ipsam divinitatis dexteram, quasi nihili fecisset, si osculum ei defuisset, à sponso osculum petis, seu ab ipso redamari, ut non floribus tantùm fulciretur, sed muro, & an-
Isaiæ 26. temurali muniretur, ne caderet: *Salvator ponetur in ea murus, & antemurale:* nimirum Deus ut nos tueatur, factus est nobis murus, sed nos ut Deum teneamus nostram fulcientem imbecillitatem & hanc defendamus debemus & antemurale extruere, hoc est custodire nostrum custodem, propugnare nostrum propugnatorem, ac defendentem defendere, scilicet ut ille fiat murus protegens, debemus urbs esse fortitudinis, seu amoris: fortis enim est ut mors dilectio, tunc in circuitu nostro erit, nobisque munimento, si eum enixim dilexerimus, nec quidquam à nobis fiet, quod ipsi minus placeat.

Ut igitur ipse nos muniat, nostróque maneat in circuitu, excubandum nobis est, ne sinamus quidquam attentari, quo lædi possit; verus enim amor oculus periculis occurrit amantis, quàm propriis; imò & propriis, quia amantis; cum sit anima magis ubi amat, quàm ubi animat; hinc Apostoli, quia verè Magistrum Christum amârunt, cum navicula fluctuaret, rogârunt, timuerunt, & altioribus eum excitârunt clamoribus, eò quia cum ipsis etiam Salvator in puppi dormiens periclitaretur. Sed unde in Petro præsertim tantus timor, cùm nauticam exerceret, marinos fluctus etiam pedibus calcare didicerit, & undas decumanas nauticæ artis industriâ eludere: unde igitur tantus in Petro timor, cùm edoctus enatare, adhuc si fluctus navim exsorbuissent, potuisset ipse natatu littora appellere? Nimirum cum medijs in aquis igne æstuaret amoris in Magistrum Christum, & quò fluctus urgerent tumidiores, arderet ipse flammâ vehementiore, non proprium tantùm timuit in excitata maris procella periculum, sed quia in navi dormiens periclitaretur & ipse Magister. Sed si non proprium, sed sopiti timuit Magistri periculum, cur *Matth. 8.* Salvatorem timore correptus alloquens ait: *Salva nos perimus*, cur potiùs non dixit, impera statim ventis, ut sileant; coërce fluctus decumanis tumidiores, ne una cum navi te absorbeant, salva te sæviente procellâ periturum. 49.

Verùm quia periculum Magistri à Petro dilecti, sibi Petrus proprium fecerat, ideo è somno eum excitans dixit *Salva nos perimus* quasi diceret, pereo si tu peris: verus enim amor est, qui se incolumem putat, si is non pereat, quem amat; & ideo Petrus Magistrum rogavit, ut suos salvaret Discipulos, à quibus cum totis diligeretur visceribus, non existimâsset, potuisse natatu naufragium evasisse, si Magister dormiens obrueretur fluctibus; & ideo pereunt Discipuli diligentes, quia Magister periclitatur dilectus. Verùm quia Christus suos redamavit Discipulos, fuit iisdem murus, & antemurale, ne eorundem navicula fluctuum impetita assultibus mergeretur. 50.

Quòd si ubi salus, ibi nullus timoris locus; non erat, cur in navi timerent Discipuli, in qua salus ipsa sederet. Sponsa si adfuisset cum Discipulis in navi illa fluctuans 51.

qua-

quassata certè non liberari petiisset à periculo, quod tunc imminere Discipuli crediderunt, sed contenta osculo suo quievisset cum sponso, ac ferventiùs amoris flammâ exarsisset, ventorum exagitata impetu, ac marinis madefacta fluctibus, quos risisset, cùm nec flumina, nec fluctus obruere charitatem possint, *osculetur me osculo oris sui*, nil avidius exegisset, quàm hoc osculum, seu redamari à sponso, quem enixim diligebat. Pluris enim fecit sponsa osculum sponsi, quàm cætera omnia, quæ mundo sunt pretio; cùm sciret etiam orbem terrarum ex ejus pendere digitis; opes, & vitam in ejus residere dexterâ: imò luto, & cinere & algâ viliorem, se existimâsset, quamvis pretiosiori mundi supellectili locupletatam; si se destitutam hoc osculo novisset, & ideo enixim solùm petiit osculum, à quo solo nosceret posse vera donari beatitate.

52. Fuerunt hæc initia languoris, quo sponsa usque ad osculum amoris æstu ægrotavit, si tamen fuêre initia, cùm dedignetur charitas claudi terminis. Primum tamen, quod sponsa suum petiit à sponso, osculum fuit, quia cuncta fortunæ blandimenta, mundi lenocinia, deliciarum illicia fastidit, qui verè Deum amat. Parum amat sponsum, si quid aliud præter osculum à sponso eupiat, parum amat, cui sufficit non peccare; non amat, qui osculum non optat: non fuit Magdalena solis sponsi pedibus contenta; quamvis iisdem illigata capillis amore langueret, nisi fontibus eos abluisset lachrymarum; & osculum pacis sensisset sibi à sponso datum, *Vade in pace remittuntur tibi peccata tua.* Sitiit Samaritana aquam non tamen puteo incubantem, sed salientem in vitam æternam, ac redamari à sponso, enjus amoris flammas in aquis excitavit putealibus.

§. VI.

Veri in Deum amoris lychnus, ne dormitet, vel moriatur nutrimento destitutus, alendus est oleo internæ pacis, & externæ operationis.

53. Si sponsa osculo sponsi afficitur, non tamen nomen fuit sponsi oblita, cùm illud altiùs osculo, & oleo sibi impressum voluit: *Oleum effusum nomen tuum:* Cant. 1. an non ut faciliùs conciperet amoris ignes, quos vel ipsum nomen effuso oleo incenderet? hoc siquidem oleo ignis nutritur amoris, & ideo cum nomine sponsi sibi voluit infundi, ut quo amor aleretur, nunquam deesset: delicatè amat, cui vel solum dilecti nomen lapsi; solo sponsi nomine se desperâtam credidisset, nisi & oleo effuso se præsensisset affectam: flamma si alimento destituatur, quamvis excreverit in incendium, statim extinguitur; petitque in umbra, quæ splendoribus coronabatur; non satis fuit sponsæ sponsi nomen, quod ignem in ipsa amoris excitaret, nisi oleum, quo aleretur effusum possedisset: sponsi nomine, oleóque effuso cùm primùm ditatam se novit, non ampliùs tam solicita fuit de osculo: quia perfusa oleo, & sponsi nomine, seu amoris flammâ, qua arderet, diligit quamvis osculo destituta; respirat enim solo sponsi nomine, quod suo affert languori solatium; tota exultat, fervétque amore, si ejus nomen sonet non tam in auribus, quàm corde; & recogitatum sponsi nomen mentem nutrit, & amorem.

54. Parvula tunc fuit sponsa cum osculorum lacte concupisceret enutriri: nunc cùm jam adolevisset in schola amoris, evacuavit, quæ erant parvulæ, solidóque nominis cibo enutritur: *Oleum effusum nomen tuum:* quia jugum divinæ legis non osculorum deliciis fit leve, sed cœlestis sponsi nomine, oleóque suavissimo; neque amor hoc perfusus oleo putredinis expavet periculum; innutritur enim vegetior oleo rectarum operationum; quibus ne sponsa destitueretur, néve otiari videretur, petiit post sponsum eurrere, eúmque sequi, quocunque iret: *Trahe me, post te curremus:* Cant. 1. sed quid trahi cupit, quæ currere petit? si trahitur, jam non currit, quia non vi propris, quis trahitur, sed aliena; eurrit autem quisque indita sibi virtute; cur igitur trahi petit, quæ post sponsum currere satagit? an quia verus amor vel cùm evolat, se putat stare? & eùm currit, se quiescere autumat? ferventer qui amat, tametsi in amantem currat, quia impatiens est amor, morámque omnem dirumpit, sibi quiescere videtur, donec eum assequatur: qui verò modico flagrat amore, volare sibi videtur, si vel pedes moveat, ideóque nos segnes in cursu sumus, quia modicè amamus, & si pedem moveamus nobis videmur aquilarum exæquâsse volatu pernicitatem; & ideo sponsa, quia ferventiori dilexerat amore, non currere, sed trahi se credebat; & trahi petebat, ut currere posset: *Trahe me, post te curremus:* nescit charitas tarda molimina; currere cupit Euro ocyus ad amplexum sponsi, nec otiari vult, quæ toto nisu petit currere, assecutura quem diligit. Imò quia amor in alios se diffundit, non solus petit currere, sed sociis stipatus *Trahe me, post te curremus*, quia charitas benigna est, studétque omnibus impertiri beneficia; imò non amat, qui bona, quæ possidet, in alios non diffundit; eùm sit Philosophorum scitum quodpiam, non esse aliud amare, quàm alicui bonum velle, quo constituto, fit, ut quantò majus bonum cuipiam volumus, illum vehementiori prosequamur amore.

55. Hine sponsa, cùm impensiori amore suum prosequeretur sponsum, cuncta, quæ possederat bona, munifica ei largitate statim dederat, tantùm ut ipsa suum possideret dilectum, cui non solùm hortum, verùm & plantas, arbores, fructúsque omnes, quin & affectum ad ipsos ampla cessit largitate: *Veniat*

Cant.5.1. *niat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* Abdicaverat se sponsa horti sui dominatu, ac totius pomarii; proinde non dicit veniat dilectus meus in hortum meum, & comedat fructus pomorum meorum; sed veniat in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum: solùm ipsum dilectũ vocat suũ, veniat dilectus meus; meus ipse sit, & omnia mea illius sint: & fortàssis suum dixerat dilectum, quia eidem hortum, & cuncta, quæ possideret, jam fuisset elargita, Deum enim habet, qui nihil habet; & omnia possidet, cui Deus est possessio; quia dominatu se sponsa bonorum omnium suorum abdicaverat, ut nihil sibi retinuerit, meruit Deum possidere, quo pacto etiam Abrahæ Deus merces fuit, quia & patriâ ultrò caruerit, & domo Patris. Tribui Levi pars, & hæreditas Dominus fuit, quia nulla ei portio terrarum cum cæteris tribubus in partem obtigerat. Sponsa igitur cùm impensissimè suum amaret sponsum, non ei hortum tantùm possidendum tradidit, sed & plantas, imò & fru-
Ibidem. ctus plantarum: *veniat in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum*, facilè hortum nostrum, corpus scilicet, & animam Numini consignamus, ad quod scimus pertinere cum pleno ac dispotico jure; sed difficulter, & raro poma, fructúsque horti eidem cedimus. Quàm pauci qui propriam voluntatem; labores omnes, quos subeunt; sudores, quos fundunt; verba, quæ proferunt; affectus, quos ex corde eliciunt, Deo sacrificent? quam rari qui sermones omnes, singulósque cogitatus, & omne opus, in quo exercentur soli dedicent DEO, cujus duntaxàt gloriam in iisdem quærant, & non potiùs proprium commodum.

16 Facilè Dominium horti nostri Deo inscribimus. Verum eundem rogare, ut non solùm in hortum suum descendat, verùm & suis vescatur pomis, amoris est unius sponsæ, quæ non tantum corpore, spiritu, & vitâ se spoliaverat, sed à dominatu etiam abdicaverat omnium operum; imò & affectum ad eadem excusserat, ideóque sponsum invitaverat, ut non solùm veniret in hortum suum, sed & comederet *fructus pomorum suorum*, non dixit comedat poma plantarum, sed fructus pomorum, nimirum fructus fructuum, quia Deus non tam operibus nostris delectatur, quam eorundem operum pio affectu: non enim quid effectu ei offerimus, attendit, sed quo affectu, seu quo animi, cordisque sensu nostra ei dicamus, pensat: idque testantur æra illa duo, quæ aræ vidua obtulerat, munus licèt effectu fuerit cæteris tenuius, quæ alij obtulêre, quia tamen affectu fuit omnibus grandius, meruit reliquis præferri, ac gratius Deo obtingere, si Deus in nostrum descendat hortum, non fructibus vescitur, sed fructuum fructibus, neque in pomis attendit crassitiem, sed in cordis promptitudinem; non in auro pondus, sed in animo affectum; non in gemmis pretium, sed in voluntate pronitatem.

Sed quid? quòd septuaginta Interpretes legant: *Descendat fraternus meus in hortum meum, & comedat fructum nucum ejus:* si sponsus regali redimitur diademate, regius potiùs est ei cibus exhibendus, fercula sunt illi paranda delicatiora; cur nuces ei apponuntur, quibus vescatur? *& comedat fructum nucum ejus*, an quia nuces multiplici cortice nucleum intus obtegant, & Deus ijs vel maximè delectetur fructibus, qui exteriùs non patent, sed interno maturiunt affectu, dulcescunt amore? Scio cœlestem sponsum latebris gaudere, precibúsque eidem in abscondito fusis, *cùm oras ait intra in cubiculum tuum:* quid huc? nisi quia magis pensat affectum intus latentem, quàm effectum extra patentem? amat suspiria nostra, sed quæ intus affectus elicit, non quæ exterius hominum objiciuntur conspectui. Nostra jejunia, eleemosynæ, quibus alienæ opitulamur indigentiæ; nostræ preces, quibus Deum nitimur in nostra vota flectere; nostra cilicia, quibus rebellantia concupiscentiæ coërcemus motus, instar nucum multiplici involvantur tegumento, intus foveantur affectu, ut gratiora Numini obtingant, quod adeò hoc involucro delectatur; ut vel in Matre propria nucleum Virginitatis, sponsi cortice tegendum curaverit, ne foris statim appareret fuisse è Virgine Matre editum. Quinimò mercaturam cum doceret solas è gemmis margaritas conquisivit, emitque, eò quia solæ sub cortice concrescant. Quòd si thesaurum emit, ideo sibi comparavit, quia deprehenderit in agro delitescere.

Quòd si sponsa in hortum voluit suum accersitum sponsum, cur non potiùs verna temperie, cùm areolæ herbarum lusu jocantur; flores colorum varietate elegantiorem spectantibus pompam exhibent; & canoræ aviculæ arborum ramis insidentes cantu multiplici auræ plaudunt teporibus, arborúmque comis, quibus obtectæ audiri potiùs volunt, quàm videri? cur cùm sponsus sit flos campi, non eum accersivit, cum in horto candicarent lilia, purpurascerent rosæ, vernarent tulipæ discolores, & reliqua Floræ odora proles adolesceret? cur in autumnum distulit invitare sponsum in hortum, in quo caniculares solis radij pendula ex arboribus poma concoxerant? An quia pomis, seu operibus ex ardentiore affectu profectis, ac perfectis magis delectetur, quàm floribus? eò quia isti nonnisi ad oculorum, nariúmque oblectamenta adolescant? cùm enim in floribus pretium nonnisi in extima discolori pompa sistat, sitque tota florum supellex exterior ad illicia duntaxat oculorum, noluit sponsus ijsdem delectari: quæ latent in corde, quæ foventur amore, hæc illi placent; non quæ solo proferuntur ore, vel oculis exhibentur cæterorum, à quibus vel plausum extorqueant, vel commodum trahant.

17 (margin, beside "Sed quid? quòd septuaginta Interpretes")

59. Dilectæ sponsæ invitatu descendit sponsus, intravitque in hortum suum, sed quid putas, collegerit? An racemos vindemiam despumantes, vel poma rubedine picta, vel ficum lacerato cortice propriam ostendentē dulcedinē, vel mamosa pyra è ramis pendula, & innata dulcedine ad esum allirientia? nil sanè horum, sed cùm omnem respuerer pomurum dulcedinem, sola fuit amaritudine delectatus myrrhæ: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis:* nimirum vir dulorum non dulcia, quæ gustum titillarent; sed amara, quæ linguam torquerent in horto demessuit sun: cùm esset in cruce felle potandus; vuluir in horto myrrham colligere: invitaverat sponsa sponsum ad esum pomorum, quæ Sol beneficus ad dulcedinem concoxerat; sed sponsus myrrham quærit, inventam colligit, collectam comedir, & ejus pascitur amaritudine. Voluirque sponsam edocere nil gratius in nostro horto illi obtingere myrrhæ mortificatione. Si perambulemus Principum hortus nonnisi ad illecebras oculorum myrtus, ac buxus nobis obviant, quæ plexis invicem brachiis; ac vertice non quidem demisso, sed truncato, vel areolas variis depictas figuris distinguunt; vel itinera virescente jugiter margine aperiunt.

60. Nun quærit sponsus in nostro hotto plantarum illecebras, florum lascivias, pomorum divitias, itinerum pompas, fontium salientium latices, quia hæc omnia snlatio inserviunt, non mortificationi, solam quærit myrrham, quâ mundi solatia imbura, ac insperla amarore abjiciantur: non divitias quærit à nobis, non pretiosam petit supellectilem, non gemmis delectatur, non flores colligit discolures, sed in horto solam quærir myrrham, quæ nullius est pretij, & hac unicâ sponsus capitur, & hanc capit: nimirum ex nostris operibus jis delectatur, quæ licèt minoris videantur pretij, apta tamen sunt concupiscentiis coërcendis, voluptatibus abigendis, ac morrificationi invehendæ: hæc sunt virgulta, quæ licèr incuriosè exculta, si plena mann colligantur probantur à sponso, & approbantur: myrrha est, quæ prima inter aromata legitut, sed quæ etiam super omnia aromata sponso placet. Licèt sponsa nonnisi pomorum meminerit, cùm sponsum invitaret in hortum; hic tamen neglectis pomis myrrham quærit, & quam cæteri fortassis pede conterunt, ipse plena manu amplectitur, & colligit.

61. Amara fugimus, quia palato minus arrident; puma myrrhæ præferimus, quia dulcedine guttur ritillant; sed quæ à nobis negligitur myrrha, hæc à sponso avidè colligitur, hæc illi placet, quæ nobis displicet: quàm dulcis suir sponso hæc myrrhæ amarities! quæ primogenita ab ipso eligitur in horto, & colligitur? *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis?* quia sine myrrha non placuissent sponso aromata, qui myrrham suam demessuit cum aromatibus, à quibus sejungi noluit, sed simul illigari: sed cur sejunctim vocat myrrham suam *messui myrrham meam?* cur myrrham aromatibus præfert *messui myrrham meam cum aromatibus*, & non potiùs dixit, messui aromata mea cum myrrha? an ur suum proderet affectum singularem in myrrham? eò quia plus nostra ei placear mortificatio, quàm aromata & munera: aromatum non meminir, nisi post myrrham, quia nimirum myrrhæ amarities suaviter ei oleret per se, & seorsim ab aromatibus; & hæc nonnisi myrrhæ consociata; quia quæ mottificationis amaritie non imbuuntur opera, minus grata DEO obtingunt. Messui myrrham meam, deinde pergit inquiens, *comedi favum cum mello meo, bibi vinum cum lacte meo*, non dicit favum meum comedi cum melle meo, sed tantùm favum cum melle meo; quia nun placet favus seorsim à melle, sicut placuit myrrha sine atomatibus, imò displicet favus sine melle, quia favus melle destitutus, fucus est, vacnitate imbutus, & nil vilius favn, si mel in ipso non delitescat. Subdit, *bibi vinum meum cum lacte meo*, ut inde discamns, sponso cœlesti non propinare solum merum, sed vinum lacte mixtum: id est amorem, cujus vinum est symbolum, unà cum morum innocentia, quæ in lacte præsignatur: nostrum stit sponsus affectum, sed lacte innutritum innocentiæ.

Sed cùm primum vidit sponsa in horto sponsum myrrha delectari ab ea haud abhorruit sponsa: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur:* quia amantis est, id tantùm velle, quud amato placet: pluribus placet sponsus, sed quamdiu lilium est, & campi flosculus; qui si convertatur in myrrham, statim spernitur. Sponsa quia sponsum amavir, non ut lilium, sed ut sponsum, ideo sive floridus esset, sive myrrheus toto affectu fuit eum prosecuta, quinimo nusquam à se dilectum sponsum dulciùs, chariùsque amplexata fuit, quàm cùm eum novisset in myrrham versum: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.* Amor enim nisi pictus, vel fictus sit, quò sibi duriorem experitur dilectum, eò suavius eidem eblanditur: non enim Job uberiùs Deum laudavir, nec unquam profusior fuit ejus encnmiastes, quàm cùm ab eo est Sathanæ traditus. Hæcque ratio, cur Sponsa cum à sponso in cellaria deduceretur eum nominet Regem: *Introduxit me Rex in cellaria sua*, & cum durinsculis eam suscepit, non in cellaria; sed inter ærumnas 62. Cant. I. 12.

per-

perduxit, & dumeta, non ampliùs Regem, sed à se dilectum vocet sponsum: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* nimirum plus dilexit myrrhæ amaritiem, quàm vini dulcedinem; plus concupivit saturari myrrhâ, quàm inebriari vino: verùm id proprium fuit unius sponsæ, impensiùs amare sponsum eum fasciculo myrrhæ, quàm vino onustum. Perpauci sunt, qui æquè cœlum inspiciant sive serenum solari radio rideat, sive nubibus fœdum pluviis logeat. Abraham ideo commendatur, quia æquè Deum dilexit, cùm filij ortum nuntiaret; ac cùm filij imperaret sacrificium.

§. VII.

Nil amanti magis volupe, quàm ea promptè, celeriter, ac læto animo, pronóque corde exequi; quæ novit amato placere, ac arridere.

63. QUi verè amat, nnn quæ sibi arrident, sed quæ amato placent, eadem prosequitur; quia non propriâ vult voluntate, sed illâ amati; cujus voluntas propria est: qui amat, voluntatem exequitur amati; & quidem intentione purissima, eò quia voluntas sit Dei, qui amatur, quem propterea, si verè amamus, non lucri causâ eum diligimus, sed quia dignus est, ut à nobis summè ametur, quo pactoDeum dilexit Jobus, non quia divitiis ipsum cumulaverit, non ullius formidine pœnæ, sed quia oculo simplici ea voluit, quæ Deo placuère. Amanter etiam voluntatem exequitur amati, & ex eo præcisè quòd eidem placeat, quod amans agit, & ex eo tantùm quòd ei placeat, quia ut rectè monet S. Chrysostomus, verè nescit quid sit Deo placere, si aliam quærat mercedem.

64. Rursus qui verè amat omnem disrumpit moram, ut euro ocyùs voluntatem exequatur illius, quem amat; siquidem amor tarda molimina nescit, & tardè velle nolentis potiùs est, quàm amantis; cujus obsequia eò sunt magis grata, quia paratiora: qui amanter ac libenter aliquid agit; promptè, & expeditè illud exequitur: benevolæ voluntati tantum adimitur gratiæ, quantum adjicitur moræ, hinc Psaltes: *paratum cor meum, paratum cor meum*, imò non solùm expeditè, & absque ulla cunctatione, verùm & singulari perfusus lætitiâ agit amans, ut quæ amanti placent, exequatur; hilarem enim datorem diligit Deus, imò non solùm cum gaudio, sed integrè exequitur, quod amanti scit placiturum; & hunc in finem sibi præstituit executionem, quam non protrahit, sed omnem removet obicem, excludit impedimentum, ut amanti placeat, ac perseveret in executione ejus voluntatis, nec quidquam eidem magis volupe potest obtingere, quàm statim placere amanti, & in tali amore, ac executione ejus Psalm. 107.

voluntatis in omne perseverare ævum, & non per unum tantùm, vel alterum diem, mensem, vel annum: unde David, quia verè Deum amavit ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum*, & quidem quamvis plura occurrerent etiam vitæ pericula; qui enim verè Deum amant, sunt veluti fulgura illa, de quibus Job: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: adsumus?* fulgur, & fulmen perinde ac nomine, etiam natura affinitatem contrahunt, sunt enim ignes subtilissimi, suapte natura in sublime nitentes. Verùm quia Deus ea deorsum trudit, propriæ tunc æquè fulmina, ac fulgura oblita naturæ, mira celeritate deorsum ruunt, omnem perruptura obicem, sive turris sit, sive propugnaculum, rupes, aut ferrum, si eorumdem obsistant motni. Psalm. 118. Cap. 38.

65. An non folgura dixerimus eos, qui Deum eniximè amantes propriam frangunt voluntatem, ut integrè pareant divinæ? hi suaptè natura nonnisi ad sublimia adspirarent, nonnisi in altum niterentur, si proprios sequerentur impetus; sed divinæ obtemperaturi voluntati ad ima se se etiam gaudentes demittunt, & propriæ obliti indolis munia quæque obeunt, licèt obscura, & vilia; difficultates, quæ iisdem obviant superant, obices perrumpunt: neque crebra defatigantur itione peractis imperiis, sed fulgurum instar revertuntur, snóque hilares se Domino sistunt, dicentes: *ecce adsumus*, executi fuimus, quæ præcepisti, & parati somus ad omnia, prout tibi magis libuerit, cùm nostra volontas alia non sit, quàm tua; neqoe gladii districti, neque secures imminentes, neqne fluctus intumescentes, neque procellæ tomultuantes nos terrent, parati non tantùm succumbere laboribus, verùm & occumbere, si tua fit hæc voluntas.

66. Scimus fulgura è nube multiplici haustoum accessione densâ, & utrinque clausa prosilire, non verò ex imo vallium, aut ex fundo pelagi sursum niti: perinde ductilis amantis volontas ad omnem obedientiam, & ad omne parata obsequium à solo prodit amore, qui nubium instar sublimis avolat corporis sensibus utrinque clausis. Felices, qui divinæ adeò arctè noverunt propriam agglutinare voluntatem, ut nonnisi Deo placere studeant, eniximqne rogant, ut divinam possint jugiter voluntatem exequi; est siquidem quædam hæc cœlestis beatitatis prægustatio, cùm beati in cœlesti patria uberiùs de executione divinæ voluntatis lætentur, quàm de propria gloria, sintque propterea loo singuli præmio plenissimè contenti; nec ulli displiceat, si alter illustriori splendeat fulgore: intuentes siquidem divinam Majestatem, Dei voluntatem propriam sibi constituunt, cui non solùm plenè conformantur; sed ab ea-

dem etiam absorbentur, transformantúrque vi amoris in illam, magisque gaudent, hanc esse Dei voluntatem, ut ea beatitate donentur, quàm se gloria ea frui.

67. Hæcque humanæ voluntatis cum divina plena conformatio fœcunda est parens amoris illius excellentissimi, quo creatura suo unicè adhærescit Conditori. Utinam daretur nobis in hocce mortalis vitæ exilio hoc fervere amore! hac beatâ æstuare flammâ, hoc felicissimo ardere igne! omnia nobis ad vota fluerent, dulcescerent absynthia, saperent ægritudines, molestiæ non vexarent, ærumnæ non opprimerent, dolores non torquerent, sed unica gauderemus divinæ voluntatis executione, quæ omnem nobis tranquillitatem etiam inter procellas conciliaret, pacem cruenta inter bella inveheret, & quandam nos in terris cœlestem prægustaremus beatitatem, cujus quandam veluti speciem munifica DEI liberalitas suis impertitur amatoribus: non enim DEUS æternis tantùm nos deliciis beare statuit, sed diem æternitatis quasi præoccupans, quò nos ad omnis paratiores instituat, è mensa sua cœlestis convivij promulsidem veluti æternæ felicitatis gustulum libandum, gustandúmque nobis exhibet, ne inter ærumnas, molestias, ac labores hujus vitæ solatia desint, quibus alliciamur ad cœlestia. Hinc in Thaboris fastigio fastidire terrena didicerat Petrus, cùm cœlestis beatitatis gustâsset guttulam, illicò Magistrum alloquens dixit: *Bonum est nos hic esse* Marc. 9. Verùm quasi hoc cœlesti nectare ebrius, quid diceret, nescivit; præproperum siquidem est, velle è cœlesti patria excorres nectare potari, & ambrosiâ pasci.

68. Illud tamen haurire commodum ex divinæ voluntatis executione possumus, ut saltem omnem procul abigamus molestiam, animúmque ad jugem componamus malaciam, quam nec procellæ turbent, nec fluctus arietent, neque Euri, Notique exagitent: si enim animo imbiberemus divina fieri providentia quidquid molesti, vel adversi, aut minùs grati nobis videtur obtingere; si consideraremus singula à DEI providentia dirigi in mundo ad suos fines, & universa ad beatitudinem disponi juxta secretissima DEI judicia, quorum lege omnia decurrunt, moventúrque ab omni ævo, nullam nobis adferrent molestiam, quæ nobis adversari videntur, quia nobis non detrectantibus, sed volentibus obtingerent; perinde ac ex DEI providentia fiunt, cui nostra adhærescit voluntas, divinæ jugiter agglutinata: scitè Seneca: *Causa* inquit *ex causa pendet, privata, ac publica longus ordo rerum trahit, ideo fortiter omne ferendum est: quia non ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas? quid fleas: & quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit. Accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur, quid querimur, ad hoc parati sumus, Utatur ut vult suis natura corporibus, nos læti ad omnia, & fortes cogitemus, nihil perire de nostro*: si à caducis, & fluxis nostrum abstrahamus amorem, quem summo duntaxat bono impendamus, quæ hîc videntur nobis adversa, nec latum unguem ab animo retrahent tranquillitatem; qui enim nonnisi summum bonum amat, sua semper vivit sorte contentus, & liberalissima confidentia singula, quæ contingunt, divinæ transcribit providentiæ, & ex hoc amore summo bono tantùm adhærescente malacia illa oritur in animo, quam nullæ unquam sævientes procellæ, nec tumultuantia ventorum agmina turbant, nec à quiete dejiciunt.

Providentia cap. 5.

Idque cùm novisset Salomon vastissimum illud humanæ Sapientiæ pelagus ait: 69. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit*: justus autem non est, nisi quem amor in summum bonum informat, & perinde est, ac si dixisset, non contristabit DEI amatorem, si quid ei acciderit: loquitur Salomon de rebus fluxis, & fortuitis, quæ bonæ menti obveniunt renitente voluntate: quia mala voluntaria, cujusmodi sunt peccata, & noxæ virum justum, & Numinis amatorem, non solùm solicitum habent, verùm & dolore afficiunt: secus adversantis fortunæ ludibria illa, quæ secum trahunt facultatum amissionem, dignitatis privationem, honoris jacturam, opum spoliationem, valetudinis dispendium, amicorum funera, virum Dei amatorem non affligunt; quòd si bella ingruant, gladij vulnera infligant, cutem tantùm lacerant, & corporis pulverem excutiunt, non verò animum pungunt; nec corporis vulnera ejus lædunt integritatem; quinimo uberiùs ejusdem consulunt sanitati, quia amanti Deum calamitas omnis occasio est virtutis: hinc Apostolus: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*: hoc est non in fame stomachum codente duntaxat; aut siti fauces exsiccante, aut vinculis libertatem torpori adimentibus, plagisque sanguinem elicientibus, sed in omnibus ærumnis, singulis angustiis, cunctis adversitatibus, *in omni tribulatione nostra*: neque perfunctoriâ duntaxat se fatetur lætitiâ affectum, sed cepletum omni gaudio: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.*

Prov. c. 12

2. ad Corinth. cap. 7.

Da æstuantem in Deum amore, da anhelantem Numinis duntaxat voluntatem, 70. & hunc nec labores frangent, neque ærumnæ opprimerent, neque angustiæ coarctabunt, neque molestiæ turbabunt, nec ulla tristitia à mentis dejiciet serenitate; rectè Ambrosius: *Est in illis, hoc est in laboribus aliquid acerbitatis. Quem virtus animi*

Lib. 3. de offic. cap. 1.

animi non abscondit dolorem? neque enim profundum mare navigaverim, quia vadosa sunt littora; neque cælum lucidum, quia interdum obtegitur nubibus; neque terram fæcundam, quia aliquibus in locis jejuna glarea est; aut latas segetes, quia immixtam solent habere sterilem avenam. Similiter puta beata messem conscientiæ interpellari aliquo acerbo dolore, tamen manipulis vita beata, si quid fortè accidit adversi, atque amaritudinis tanquam sterilis avena absconditur, aut tanquam lolij amaritudo frumenti suavitate obducitur: non tangunt, neque turbant justum, qui solo in summum bonum æstuat amore, quæ novercali odio adversa in eum fortuna movet; quòd si ærumnas, ac tentationes sentiat, non tamen ijsdem consentiet: & quemadmodum plura, quæ in mare devolvuntur flumina, ejus non mutant saporem, nec minuunt salsedinem, ita neque rerum adversantium impetus virum justum; quem Dei amor informat, ex adversitatibus nullam subit mutationem, nec suum minuit in summum bonum amorem, quia omnibus externis longè potentior omnia ridet, quibus novercalis fortuna lachrymas elicit; imò ea vincit; & cùm eidem ad virtutum exercitia iter sternant, eò altior extollitur, quò adversa profundiùs eum videntur premere, ac opprimere: hinc Regius Vates. (Psal. 22.) *Si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es:* & revera timorem omnem excutit Dei amor, unde ajebat D. Paulus ad Romanos 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* stetit Deus pro Felite Nolano ad internecionem quæsito, sed vel araneorum telæ instar triplicis propugnaculi ei fuerunt, neque armati milites, quidquam ei intulêre nocumenti, & valentius fuit ad eum propugnandum subtilissimum textum, quàm murus quilibet crassior. Sunt justi, & Dei amantes pupillam Numinis, quam nemo tangere valet, nisi is, à quo Deus voluerit eam tangi: quòd si aliquid ipsi contingat molesti, quò Dei pupilla tangatur, non tamen hæc læditur, nec tristatur, quia ideo tangitur, quia Deus vult eam tangi; imò gaudet, lætatúrque de Dei volontate, quam hilari animo, lubentique corde exequitur: imò amoris metamorphosi in solatia vertuntur ærumnæ, in gaudia mœrores.

§. VIII.

Quæ amanti Deum adversantur infortunia exercitio sunt virtutis, non exitio; eique dulcescunt amara, arridens lachrymæ, & mollia, ac plumea sunt pradura.

71. INdormivit Jacob. *Genes. cap. 28.* frigido sub dio, terra prædura cubile ei stravit, saxúmque cervical exhibuit; rigidus fuit somnus, cum post longa itinera defessa membra non in pluma, sed saxo quieverint; sed vidit tunc hic, illúcque euntes, & redeuntes Angelos, imò & Deum capiti acclinem scalarum. Plura videntur saxea, quibus tamen insomnes excubant Angeli. Refert Heraclitus Alexandrinus se accessisse solatij spiritualis causâ Dorotheum sexaginta jam annis in excavata rupe vitâ sanctissimè agentem, ab eóque ad fontem missum aquæ hauriendæ causâ, serpentem vidisse, puteo innatantem: horridóque spectaculo, ac timore perculsum solicitos pedes cum vacua hydria retulisse ad Dorotheum, qui subridens, hominémque diutulè intuitus, capitéque leniter concusso dixit, quidni si Deus diabolo permitteret viperas in omnes deijci puteos, an ne tu omni prorsus abstineres potu? hoc monito Heraclitus abundè edoctus resumptâ hydriâ, & ad fontem reversus cum Dorotheo, jussit hic, hauriri aquam, quam cruce signatam propinavit Heraclito subdens, ubi crux Salvatoris erigitur, ibi corruunt artes Sathanæ. Et ubi cor divini amoris exæstuat igne, quamvis fúsque, déque ferantur omnia, imò & cœlum ruat sub ruente hac mole nil trepidat: amplissimæ siquidem sunt Dei sponsiones, quæ cor hocce divino informatum amore imperterritum præmuniunt, nec sinit Deus opprimi.

Scimus Regem Sennacherib totam devastâsse Judæam, expugnâsse civitates, solo 72.
æquâsse propugnacula, ferro, & igne ubique excidia, & clades sparsisse, & tantùm Jerosolymam immunem ab hoc flagello mansisse, quam neque obsidione vallavit, neque vidit, ut disertè Isaias asserit. (Cap. 37.) *Hæc dicit Dominus de Rege Assiriorum, non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi sagittam; & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu ejus aggerem.* Jerosolyma utpote Urbs sanctuario insignis cor indicat rectum, divino informatum amore, charúmque Numini; estque inexpugnabile, nec illud commovet, quicquid ei accidat; quamvis dolor distorqueat viscera, ferrum dilaceret membra, fames stomachum rodat, sitis fauces adurat, paupertas ad angustias adigat, ac mille premant ærumnæ, nil patitur detrimenti, quia arctiùs Deo adhærescit, cujus voluntati se se ex toto conformat. Id proprium est charitatis libertate gaudere, sursúmque in Deum jugiter niti, at flammâ saltem desiderij avolare, nec ullis finere sua brachia catenis vinciri, quin ad Dei amplexus ea valeat aperire, & extendere: neque ullo potest obice detineri, quin in Deum feratur, cum ab ipso amore trahatur, unde sponsa suum alloquens sponsum ait: *Trahe me, post te curremus:* quia nimirum si traxerit, (Cant. cap. 1.) si suo amore voluntatem inflammaverit nostram, si suo igne cor nostrum accenderit, perinde ac flamma toto nisu sursum avolat; donec suæ adhærescat

sphæræ: cor nostrum totis viribus nititur Deo copulari, in quo plenè quiescat; inquietum enim est cor hominis, donec in Deo quiescat, cùm nil extra Deum sit, quo expleri possit, & in quo quiescat.

73. Verùm qui Deum sequitur, ejus voluntatem exequitur: idem siquidem est currere post sponsum, ac ejus voluntatem in omnibus adimplere. Sunt, qui asserunt se diligere, sed non dilectum sequi volunt, sed id appetunt, ut dilectus post se sequi velit; eò quia non dilecti voluntatem exequi satagunt; sed id enixim cupiunt, ut Dilectus suam impleat voluntatem; & hi nonnisi ore tenus diligunt, cum corde propriæ subserviant voluntati. Non amor est iste cordis, sed mentis insania: qui verè amat, nil ei magis obtingit volupe, quàm trahi à dilecto, & currere post illum, exequi ejus voluntatem, implere ejus desideria, seque totaliter eidem conformare. Sunt etiam, qui diligunt, sed duntaxat, cùm res ijsdem ad votum fluunt, cùm fortuna arridet, cum omnia sunt prospera, cùm divinis cumulantur muneribus, tunc enim cum sponsa dicunt: *Introduxit me Rex in Cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te.* Cant. 1. Cellaria Dei, ejus sunt dona, ut etiam fortunæ munera, hisce si cumulentur, introducuntur in cellaria, ubi exultant, & lætantur.

74. Sed qui verè amat, non solùm cùm sponsa exultat in cellarijs, in dulcedine vini; verùm etiam in amaritudine myrrhæ, & dicit cum sponsa. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* Cant. 1. plerisque placet Christus, sed quamdiu arridet in lilio, vel ridet in flore, seu quamdiu est lilium, & campi flosculus; qui tamen, si vertatur in myrrham, illicò negligitur, habeturque contemptui: etiam Apostoli, quibus Christus placuerat, ut lilium, eum deseruêre in fasciculo myrrhæ, cùm à militibus captus ductus fuit ad Pilatum: at Virgo Mater, quia Christum dilexerat, ut lilium, & filium, eum nunquam deseruit, sive lilium fuerit, sive flos campi, sive myrrheus, quia semper filius fuit, ideòque æquè inter blandimenta florum, ac amarores myrrhæ semper charus extitit: quinimò nusquam chariùs dilectum filium suum strinxit, nusquam ardentiori amplexu ei adhæsit, quàm cùm amaritudine fuit myrrhæ perfusus. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur:* Cant. 1. tunc commoratur inter ubera, cùm premitur in fasciculo myrrhæ; quia verus amor, quò sibi duriorem experitur dilectum, eò suaviùs eidem eblanditur: non enim Job, cùm esset vir juxta cor Dei, seu verè amans uberiùs unquam Deum laudavit, nec facundiùs ejus gloriam explicuit, quàm cùm noverit secum duriùs agere, séque potestati traditum sathanæ: qui verè amat, promptiùs amaritudine myrrhæ inebriatur, quàm vini dulcedine, cùm introducitur in cellaria, cùm donis, ac muneribus cumulatur; plúsque sponsum diligit myrrheum, quàm floreum; amarum, quàm amantem.

75. Qui Deum amat, quia floridum, ut sibi bene oleat, ut ab ipso favoribus cumuletur, divitijs affluat, honoribus insigniatur, non Deum amat, sed propria commoda, quæ inde sperat, nec amor rectus est, sed recurvus, cùm non rectâ in Deum tendat, in quo solo suum figat terminum, sed resiliat, ut recurvus iterum revertatur in creaturam; si Christus sit nobis myrrheus, illicò è sinu excutitur, & tunc tantùm eum amplectimur, cùm floridus nobis suaviter olet. Veriori amore Deum dilexerat Cœnobita ille, cui quoties in asceterio aliquid obtigerit adversi, cœlum intuens dicere consueverat: *Salve amaritudo amarissima, omnis gratia, ac benedictionis plena:* dixisses hunc discipulum Socratis cicutam haurientis cum risu: sed meliùs dixisses Apostoli Andreæ asseclam, qui ingenti gaudio eminus crucem salutavit, quam cominus summâ perfusus lætitiâ amplexus est: si verè Deum amamus, eodem semper eum amore prosequimur, sive nobis myrrheus sit, sive floridus; nam & rosas legimus cum suis spinis, & hortum amamus cum sua sepe, quâ vallatur, & nuces colligimus cum suo cortice; sive sponsus oscula labijs figat, sive manu tangat, & feriat, semper verus amans æquè amat: siquidem à manu Dei amantis feriri beatius est, quàm à quavis aliâ mulceri: est enim manus tunc levis, quando nobis gravis videtur; quia si aggravat, erigit; si ferit, sanat; si premit, dilatat: quia non ad necem, sed ad salutem tangit, vel percutit.

76. Tetigerat Jobum manus Domini, Job. Cap. 19. *Manus Domini tetigit me*, sed ab hac manu feriri beatius ei fuit, quàm à quavis aliâ mulceri, ac proinde se ex integro divinæ conformavit voluntati, quia noverat adversitates Dei esse instrumenta, quibus non sathanas, sed Deus per sathanam eum premeret: an non si quis me ferrea chirotecha percuteret in genis, cruorémque eliceret, in jus vocarem ego chirothecam, eò quia immediatè me in genis læserit? vel manum, quæ mediante chirotheca sanguinem elicuit? certè nisi desiperem, nec cirothecam, neque manum, aut brachium in jus vocarem, sed ipsum hominem, qui chirotecâ ferreâ meas læsit genas, sanguinémque elicuit: etiam ad virtutum exercitia, ad torporem excutiendum, mentisque dissipandas calidines, nostram subinde excutit Deus pellem; sed manum, quâ tangit, & excutit, chirothecâ tegit, sive ligneâ, sive ferreâ; nunc enim fame punit, nunc infamiâ premit, modò hos, modò illos, sive notos, sive ignotos, sive amicos, sive inimicos, domesticos, vel exteros, consanguineos, vel affines immittit, quibus affligimur, divexamur,

mur, sed eadem semper est Dei manus, tametsi eadem non sint instrumenta, semper Deus est, qui nos exercet, quamvis modus sit varius: non conqueramur, eò quia illi nebulones nobis nocuerint; illi tenebriones nobis detraxerint honorem; illi trifurciferi ad angustias nos conjecerint; illi lurcones pecunias surripuerint, illi sycophantæ nobis nocuerint: non conqueramur de chirotheca, non cogamus manum vocari ad judicium, sed Deum aspiciamus percutientem, Deo gratias agamus, qui ad pulveres vitiorum

Eccles. cap. 7. excutiendos pellem nostram exagitavit: *sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.*

77. Venit manus Dei, ut sanitatem conferat: quòd si chirurgum commendamus, si ferreo scalpello purulentam vomicam rupit, eò quia salubri hoc vulnere corruptum, vitiatúmque extraxit è vomica humorem; ita Deus ideo nos ferit ægrotos, ut sanctitati restituat; ideò pellem percutit nostram, ut pulveres pravorum affectuum excutiat; ideò nos percutit, ut excitemur ad studia virtutum; an non gratiæ sunt à nobis Deo rependendæ? an non id saltem laudis tribuendum est Deo, quod chirurgo vomicam ferro aperienti? quòd si laudi medico damus, qui pharmacum nobis hauriendum exhibet amarum ad peccantes humores è corpore expellendos, qui theriacæ suæ viperam miscet saluberrimo effectu: cur improbamus in Deo, quod laudi damus hominibus? quid conquerimus de Deo, si nobis suam præstat opem, quâ meliores evadamus? Quid queruli in Deum mussitamus, si nobis fert opem. Si verus esset noster in Deum amor, nostram voluntatem divinæ conformem efficeret, nostérque animus super hæc evectus inferiora, nulla tristitiæ nube fœdus, perpetua gauderet serenitate, & essemus quales Seneca suum de-

Epist. 23. sideravit Lucilum, inquiens: *Nolo tibi unquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modò intra te ipsum sit; cæteræ hilaritates non implent pectus; sed frontem remittunt: leves sunt; nisi tu fortè judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus.*

78. Erigendus est animus terrestres supra evaporationes, ne ventorum vi exagitetur, nec impetu passionum, seu nubium excursionibus turbetur: quæ enim pars aëris elevatur supra nubes, ordinatior est, & pacatior; non enim in nubem cogitur, neque in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, sed omni tumultu carens perpetuo fruitur solis aspectu, jugique gaudet serenitate. Ita verus amans flammâ, ignéque suo, quo æstuat, sursum evehitur supra terrena quæque, ut soli Deo adhæreścat, & ideo in statione tranquilla quiescens superior est nubibus concupiscentiarum, ventísque pravorum affectuum, & perpetua donatur serenitate, jugi afficitur lætitiâ, quæ enim oriuntur ad eum turbandum nubium passiones, eas coërcet, ac pedibus conterit, dissipátque: & quamvis videatur molestijs affici; ægritudinibus divexari, doloribus torqueri, persecutionibus premi, non propterea est minus lætus, quàm qui hilaria, & saturnalia agit, vel bacchanalia vivit: siquidem placidum est, & occultum illud gaudium, quod tametsi exteriùs non se prodat, intus tamen animum recreat, & cor laxat; neque quid aliud est hæc hilaritas, quàm interior quies, & pax, quâ divino æstuans amore soli adhæreścit Deo, quem amat, & in quo plenè quiescit, sive nubes tonitru minentur, sive fulgetra, ac ac fulmina ruant, sive euri, notique procellas cieant, sive omnia sus, déque vertantur, sive sanitate gaudeat, sive ægritudine absumatur, doloribúsque torqueatur, quia ut rectè S. Ambrosius. *Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis; sed in ærumnis beatus manet: quia non in delectatione corporis vita beatitudo; sed in conscientia pura ab omni labe:* tametsi ærumnas sentiat, qui Deum amat, non tamen timet, sed invictus dolores suos ex alto spectat; imò amoris rosa dumis circumsepta olet suavior, perinde ac thus, cùm exuritur, torretur quidem in prunis; sed inter cruciatus suum odorem diffundit, & cœlo fumum immittit. Lib. 1. de Jacob cap. 8.

§. IX.

Verus in Deum amor rosam æmulatur, quæ blandiùs floret inter vulnera spinarum, ac vernat suaviùs vepretis circumsepta afflictionum, quæ licèt extimam disrumpant cutem, quam sauciant; intimi tamen amoris consulunt integritati.

JUstus, & amans Deum, suam ante ipsum tribulationem pronuntiat, suam Deo causam revelat, séque humanum, ac suavem exhibet persecutoribus, & sicut lilium inter spinas, rosa inter dumeta, olet suavior, & quæ ipsi contingunt adversa veluti prospéra læto animo amplectitur, hostésque ut amicos excipit; & spinas ærumnarum perinde ac filias proprias amat; ut sponsa cùm vero flagraret in sponsum amore, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, & ideo uni adhæsit sponso, quia inter spinas perinde ac inter filias erat constituta, hoc est, perinde olet exercitium virtutum inter dumeta; sicut floret inter spinas lilium. 79. Cant. 2.

Sed quàm rarus hic amor, qui perinde inter vepres quiescat, & gaudeat, ac in sinu filiarum! quàm dulces sunt vero amanti vepres, quæ quietem invehunt, & delicias 80.

in-

influunt; non enim sponsus delicijs affluens, reperitur nisi post spinas, & vulnera. *Percusserunt me*, ait sponsa, *& vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum:* (Cant. 3.) quia nimirum sponsum quærebat, quem tamen adhuc non invenerat: unde subdit: *adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo:* amor instar rosæ blandiùs non floret, quàm inter vulnera spinarum, & licèt cutem saucient, disrumpantque, integritati tamen consulunt amoris, qui inter vepreta nutritur vegetior, ac incrementum subit usque ad deliquium. unde sponsa hocce voluit amoris sui deliquium innotescere sponso, inquiens: *adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo*, non dixit, adjuro vos, ut nuntietis dilecto, quia custodes murorum multiplici vulnere sauciârunt me, & etiam despoliaverunt, sed nuntiate ei, quia amore langueo, inter vulnera corporis acriùs me torquet vulnus amoris, nuntiate dilecto, me non quærere pallium, quod amisi; nec resarciri damna, quæ ex inflictis mihi vulneribus passa sum, sed solùm me quærere sponsum, cujus amore langueo: Nuditati meæ consulerem, si sponsum induerem, damna corporis resarcirentur, si sponsus amoris mei deliquio solatium adferret. Nimirum excessus hic est charitatis, & summa amoris, post nuditatem membrorum pati vulnera, & damna corporis; amoris duntaxat vulnus sentire, & dilectum quærere etiam post vulnera, & damna illata: déque excessu hoc amoris loquens Augustinus ait: (Serm. 9. de Sanctis,) *si persecutoris nobis flamma deest, fidei tamen summa non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu, non subijcit mihi persecutor ignem: sed subijcit mihi desiderium Salvatoris.* Nec mirum si sponsa ferro saucia, sanguine madida æstum non sentiat vulnerum: vulnus siquidem amoris, utpote longè acriùs æstum consopiverat doloris, & ardorem vulnerum incendium extinxerat charitatis, quia *qui verè amant Christi, ardet desiderio persecutoris, pœnam non sentit.*

18. Sed quid? quòd sponsa priùs percutitur à custodibus murorum, despoliatur veste, & inflictis vulneribus sauciatur, & post hæc damna, quæ passa est, suum prodit amoris languorem? *adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo*, si ipsámet sponsa post tot circuitus, ac per plateas, cursus, & recursus sponsum, quem dilexerat, non invenit, an filiæ Jerusalem eidem ocyus obviabunt? si à sponso inveniri haud potuit tanto studio conquisitus etiam inter custodes murorum, inter vulnera, spoliationes, à filiabus Jerusalem invenietur per vicos, & plateas, ubi sponsa ei non potuit obviare? an filiæ Jerusalem vulnera, & paupertatem non verebuntur explorare, vestigia dilecti inter milites secuturæ? cur igitur sponsa enixim rogat filias Jerusalem, ut si invenerint dilectum, nuntient ei amoris sui deliquium? quia nimirum, qui verè demissè de se sentit, & de exteris splendidè, de alijs meliùs sperat, quàm de se, & ideò subdit, *si inveneritis dilectum meum*, quia intra se loquens ajebat, fortè illæ invenient, quem ego non reperi, eò quia filiæ sint Jerusalem, quia *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, seu amor meus inter filias Jerusalem, seu charas sponso; si enim filiæ sunt Sionis, quærere debent sponsum, qui facilè ijsdem obviabit; non enim eas sponsus elegisset in filias, si earundem fastidiret occursum: si filiæ Jerusalem sunt, jam pares sunt sponsæ, & fortassis feliciùs, & faciliùs illis sponsus occurret, quàm mihi: demissè enim sentit de se, qui verè Deum amat, omnémque superbiam retundit alios præferens sibi: & quia alijs non appetit delicijs affluere, quàm ijs, quæ à dilecto diffluunt, nullam extra ipsum admittit lætitiam: hinc Regius Vates hoc æstuans amore ait. *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* (Psalm 76.)

82. Ut delectemur, omnem abigamus extra Deum delectationem, David enim tunc fuit delectatus, quando se destitutum novit delectatione, quando renuit consolari extra Deum: & tunc dulcedinem meruit divinæ voluptatis gustare, cùm delicias, quas mundus exhibet, exclusit. Ut lætemur, omnem abijciamus lætitiam, tunc delectabimur, cùm renuemus consolari; David enim, quia renuit consolari mundi delicijs, carnis illecebris, recordatus fuit Dei, & delectatus est in Rege suo; hortatúrque proinde nos, ut in solo Deo exultemus, ac delectemur. *Et filiæ Sion exultent in Rege suo:* (Psal. 149.) in Rege vult, ut delectemur, exultemúsque, à quo solo veræ voluptatis fontes scaturiunt. Sed non hortatur nos, ut exultemus in muneribus Regis, in commodis, quæ ab ipso in nos redundant; in bonis, quibus ab ipso cumulemur; sed in ipsomet Rege, sitque propterea nostra delectatio in ipso tantùm, & non in ea bona, quæ ab ipso ad nos derivantur. Sunt enim, qui toto corde exultant, totáque anima lætantur, non tamen in Deo duntaxat, sed in opibus, sibi à Deo concessis, & quibus affluunt, quamvis ipsos non lateat à Deo effluxisse, qui enim exultant in bonis, quibus cumulantur, hi non in Rege exultant, sed in proprijs commodis, quibus delectantur; & quia plures sunt, qui in proprijs delectantur commodis, sibique complacent de congestis divitijs, ideo perpauci reperiuntur, qui verè exultant in Rege suo: quia is tantùm exultare in Rege dicitur, qui Rex fuerit, non famulus; qui verò exultant pro dignitate, quâ insigniuntur; pro divitijs, quibus affluunt; pro honoribus, quibus afficiuntur, hi famu-

famulantur, serviúntque dignitatibus, divitijs, & honoribus, & plerumque etiam vitijs inficiuntur, eò quia divitijs cumulentur: ille exultat in Rege, qui hisce non inservit, sed ipse Rex est, sibimet imperans, suósque omnes affectus regit, ac dirigit in solum Deum: is enim verè est Rex, de quo ait Regius Vates. *Rex verò lætabitur in Deo.* Psalm. 22.

83. Sed utinam Reges omnes, quotquot in terris imperant; imò non Reges tantùm, sed Principes; Ducésque omnes, qui suos regunt subditos, delectarentur in Deo? sed quia delicijs diffluunt, & divitijs affluunt, non in Deo, lætantur, sed in suis proprijs commodis, in venationibus, choreis, ludis: quamvis hi Regis nomine donentur, non tamen Reges sunt, quia non lætantur in Deo: ille verè est Rex, qui amore in Deum ardens suis imperat affectibus; pravos omnes coërcet motus depravatæ concupiscentiæ, impetúsque compescit animi irascentis; & cor suum ita regit, ut in solùm Deum dirigat, is verè est Rex, qui lætatur in Deo. Vel si David Reges omnes terræ hortatur, ut in Deo lætentur, pulchrè id asseritur, quia Reges terræ, quamvis divitijs cumulentur, delicijs diffluant, voluptatibus abundent, non tamen veram in hisce valent lætitiam enancisci, quia extra Deum sterilescit omnis tellus, nec potest veræ lætitiæ florem concipere, & enutrire, & ideo rectè David asserit, ipsos Reges veram nacturos in Deo lætitiam, quia nec in summa deliciarum affluentia, neque in divitiarum cumulis, neque in mundi voluptatibus speranda est lætitia, nisi à Deo hauriatur.

84. Sit Rex viribus potens, genere clarus, imperio felix, divitijs cumulatus, triumphis fortunatus: nunquam tamen in hisce erit verè lætaturus, quia verum gaudium nonnisi à solo Deo dimanat: vera voluptas flos est, qui nonnisi in Deo germinat, & ab ipso in nos derivat, quia ut dicitur, Jacob. 1. *Omne donum perfectum desursum est:* sed tunc nos satagimus in Deo tantùm lætari, cùm terra gaudij materiam nobis subtrahit: cæterum Ægyptij sumus, qui nunquam cœlum suspicimus, cùm tellus viret, cùm terra floribus ridet, nobísque arridet: cùm bonis cumulamur terrenis, quasi pluris hæc à nobis fierent, cœlestia negligimus; & præpostetè diligentes præferimus peritura æternis; sin verò terrenis destituamur, tunc cœlum suspicimus, suppetias expectaturi: utinam homines bona, quæ possident, à Deo in ipsos derivata cognoscerent? & inde ansam desumerent Deo gratias rependendi? quòd si ijsdem spoliarentur, dicerent cum Job. Cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, non enim à Samuele fuerat David in Regem unctus, sed à Deo mediante Samuele, ut Ministro; ídque cùm optimè David novisset, nullibi in Psalmis Samuelis meminit, à quo fuerit Regno donatus: sed Regnum à solo Deo in se derivatum cùm novisset, non erubescens pristinam humilem conditionem apertè ait, *depost fœtantes accepit me:* scilicet Deus.

85. Divini amoris flammâ qui verè ardet, ac illuminatur, non solùm videt bona, quæ possidet temporalia ex munifica Dei bonitate in se derivari; verùm etiam quidquid in se boni continet, proinde se totum Deo devovet, & tanquam aliquid Dei, nec latum ungnem à suis abscedit præceptis; sed omni studio nititur ejus exequi voluntatem, cui propriam satagit in omnibus conformare; neque post agnum cœlestem, quem quotidie solemus ad aram Deo offerre, alia oblatio à nobis facta, potest Deo gratior contingere, quàm nostræ voluntatis sacrificium; unde Hieronymus *Epistol. 28.* ad Lucinium, & Paulinum ait: *Aurum deponere incipientium est, non perfectorum: fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, se ipsum offerre Deo proprium Christianorum est*, Epist. 103. seu Christianorum verè Deum amantium; hi enim Deo obsequuntur, nec quidquam ipsis magis volupe, quàm Dei exequi voluntatem, præcepta servare, séque ipsos, & præsertim propriam voluntatem eidem offerre: cùm sit id præcipuè, quod tantoperè à nobis exposcit Deus. *Præbe fili mi, cor tuum mihi*, Proverb. 23. 26. quia omnia dat, qui cor suum, suàmque voluntatem Deo donat. Verùm ut oblatio hæc gratior sit Deo, ut sacrificium sit magis acceptabile, illo debet igne cremari, quem flumina non obruunt; seu ex eo prodire amore, cujus lampades ignis sunt, atque flammarum: hinc Regius Vates vocat filios Dei ad hanc oblationem. *Afferte Domino filij Dei, afferte filios arietum:* Psal. 28. nimirum ut expendet S. Basilius, *priùs simus filij Dei, quàm ea offeramus, quæ grata sunt Deo:* & quia non sumus filij Dei naturales, tantùm in Dei filiationem adoptamur per gratiam & charitatem, cujus beneficio divinæ sumus naturæ participes; est enim charitas hæc, quam aquæ multæ non possunt extinguere, nec flumina obruere, hunc ignem in nostro adhibeamus sacrificio. Sunt, qui ceram offerunt in templo; oleum vovent ad concinnandas lampades aris appensas: verùm quia aliquot duntaxat sestertiorum sunt hæc vota; quamvis bona, non tam optima, nec perfecta.

86. Sunt qui abstinentiam à pretiosis esculentis, & poculentis vovent, ut liberaliùs stipem elargiantur indigentibus, & hoc pretiolum quidem est votum, non tamen adhuc optimum, quia adhuc aliquid superest offerendum pretiosius, Deóque charius, nimirum quod ipse in nobis redemit, seu

animam, quam tametsi habeat jam ipse in sua potestate, eam tamen adhuc valemus eidem offerre, si nostram voluntatem nolimus aliam esse, quàm illam Dei, & satagimus moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis eidem prorsus conformari, nec latum unguem ab illa abscedere, & sancto amore eidem unicè adhærere, flocciqué terrena quæque facere: hac enim charitate Anna suum Samuelem Deo obtulit; hoc amore Elisabetha suum JOANNEM BAPTISTAM Numini devovit; & Virgo Mater supra cæteros hoc ardentissimo inflammata amore æterno Patri puerum JESUM consecravit: quòd si hoc sacrificium est Deo gratum, quamvis ab alijs oblatum; eò erit gratius, quò à se ipso processerit, idque cum novisset Da- Psalm. 53. vid: non per alium, sed per seipsum eo; quo erat divino amore informatus, voluit, se ipsum Deo vovere, inquiens: *Voluntarè sacrificabo tibi.*

87. Placet sacrificium, sed si eo consumetur igne, quem aquæ multæ non extinguunt, nec flumina obruunt; hoc enim igne, qui ardent, se totos in Dei obsequia absumunt, quia fluminibus non obruuntur, & cùm jugiter ardeant, feliciter absumuntur. *Aquæ multæ non* Cant. 8. *potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam:* ubi versio hebraica legit, *& flumina non inundabunt illam. Pruna ejus, pruna ignita, flamma vehementissima,* & septuaginta explicant *ala ejus ala ignis;* quia Dei spiritus ijs oblectatur, quos hæc flamma informat, quam flumina non obruunt.

88. Sed cur Dei Spiritus hac delectatur flammâ, cur non potiùs in homine, auro, vel gemmis? An quia flamma stipulis, fœno, & vilibus nutritur? ut inde intelligamus, in nobis Dei Spiritum non residere, si vilia refugimus, & divitijs inhiamus; quo pacto D. Paulus inter viles compedes, & vincula, se repletum fassus est Spiritu sancto. An quia ignis, si aurum invadat, illicò illud expurgat à fece? & amoris hæc flamma, si in nobis ardeat, nugas omnes, ac deliramenta absumit? bene hæc: sed ideò hâc flammâ Dei Spiritus delectatur in nobis, ideo hoc igne, quem aquæ multæ non extinguunt, nec flumina obruunt, gaudet, quia proprium est ignis plura in unum cogere, quæ in crucibulo infunduntur metalla: vi siquidem ignis ita liquescunt, ut in unam coëant massam, quæ distinguebantur metalla: ut autem Dei Spiritus hoc in nobis igne delectetur, debent, quæ distinguuntur, ejus beneficio in unum coire: nimirum nostra voluntas divinæ integrè uniri, quia tunc aquæ multæ non extinguunt amorem: scilicet nullæ novercantis fortunæ ærumnæ nostrum extinguunt amorem, nec flumina obruunt; adeò enim potens est, ut non torrentes tantùm, sed & flumina ipsa aquis redundantia spernat; hoc est, non solùm tolerat modica, & quæ instar torrentis sunt potiùs diurna, quàm diuturna, cùm enim impetu fluant, non duratura sunt, cùm statim effluant; verùm etiam superat flumina, quæ jugiter fluunt, seu ea in nobis adversa, quæ à nobis nunquam abscedunt; vel saltem ita fluunt, ut raró difluant; ut lepra innata, cæcitas oculorum, curvitas pedum, surditas aurium, genus obscurum, sunt hæc flumina, quæ jugiter influunt, & raró diffluunt; & hæc ignem non obruunt charitatis; non enim hoc flumine obrutus fuit Jobus, cùm dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit,* tametsi dura- Cap. 1. turum se in illa se crederet egestate: ninihilominus alacri animo, & suffusus gaudio benedixit Deo. Jonas itidem cecinit in ventre ceti, sed tunc tantùm torrentem sprevit, à quo obrui non potuit, cùm speraret fore, ut inde erueretur Jonas 2. *Ego dixi, abjectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum;* plures alij etiam torrentes sprevêre, ut Tobias in captivitate, in qua libertatem non desperavit. Tobiæ 13. *Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras, & ipse salvabit nos propter misericordiam suam.* David itidem cum lapidaretur à Semejo, à maledictione, quam ferebat, benedictionem nasciturам speravit, quam optabat. Sed solus Job ærumnas suas nulla spe condivit, & ideo non torrentes tantum, sed & flumina aquarum copijs redundantia ejus ignis feliciter superavit.

§ X.

Innocua amoris flamma nullis obruitur, nec extinguitur adversitatum fluctibus, licèt torrentes ærumnarum pleno gurgite devolvantur.

Quid? quòd non solùm non obruatur charitas aquis, sed neque abluatur, inundetur, neque obtegatur? virent in undis coralia, sed marinis obruta aquis; ditescunt fœta margaritis conchilia, sed vel fluminibus inundantur, vel marinis fluctibus obruuntur; innatant aquis squamigeri greges, sed undis immersi; solam charitatem, seu veri amoris flammam, nec flumina inundant, nec fluctus obruunt, nec torrentes abluunt, quia lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum; quæ æquè super candelabro emicant, quàm splendeant sub modio locatæ: verus siquidem amor, sive trorentes pleno gurgite devolvantur, seu fluctus adversitatum 89.

intu-

intumescant; sive æquora ærumnarum æstuent, nil proprij deperdit splendoris, quia ubique eidem idem pabulum suppeditatur nempe Deus, quem enixim, & super omnia diligit, & ad quem omnes suos dirigit actus, à quo suum hauriunt pretium: habent enim humanæ omnes actiones pretium à fine, in quem feruntur; induúntque propterea honestatem, vel malitiam à fine, quem spectant: cùmque finis, in quem hic amor tendit, sit, quò nec melior, nec nobilior, nec sublimior esse, imò neque excogitari excellentior possit, est siquidem Deus, cujus voluntatem in omnibus nititur exequi; ideo æquè semper amor splendet, nec quidquam proprij unquam deperdit fervoris, quia nunquam eidem deest, quem enixim amet, & in quem totis viribus feratur: non enim meliores, ac sublimiores ullæ sunt actiones, quàm quæ in Deum diriguntur, adeò ut magnus Basilius totam sanctitatem in homine efflorescentem Christiano in eo sitam velit, ut rerum omnium quà grandium, quà exilium causæ ad unum, solúmque Deum referantur, & voluntas nostra plenè divinæ conformetur: est siquidem hæc plena resignatio clypeus ille adamantinus, quo adversa quæque retunduntur, & omnis invehitur tranquillitas: elevat siquidem hominem supra hæc terrena, collocátque in eo tranquillitatis statu, ubi neque novercantis fortunæ procellæ valeant à propria dejicere quiete: est enim etiam medijs in turbinibus, ac tempestatibus impavidus, inter ruinas erectus, quia humana quæque infra se habet, ac veluti pedibus conculcat. Quòd si Rubus, quem Moyses viderat flammis ardentem, ita ureretur, ut non combureretur; ita flagraret, ut non deflagraret; splenderet, ut nil damni inde pateretur: si tres hebræi juvenes inter flammas Babylonicæ fornacis illæsi, intactique perstitêre, plúsque eorum virtuti adjecit flamma splendoris, quàm ignis damnum intulerit: ita hac, qui ardet sanctioris amoris flammâ, nil læditur, quamvis Acherontis Megeræ in ipsum debacchentur; procellæ rabie despument, fluctus decumanis turgidiores eum exagitent; euri, nothíque turbulentiori perflent impetu; imò plus inde haurit nitoris, perinde ac flamma vento agitata splendet illustrior.

90. Quamvis amanti plura obtingant tristia, quamvis sensu non destituatur, impatientiâ tamen caret, quia omnia adversa sui interpretatur experimentum, dirigítque ad divinam voluntatem, edoctus boni consulere quicquid accidit; & ideò nunquam ab interni animi pace elabitur, quia humana quæque infra se pede conterit; mentéque serena divinum jugiter solem intuetur, montem imitatus Olympum, cujus fastigium ad eam protenditur celsitatem, ut neque venti, neque pluviæ, neque nives illuc pertingant, quia ut cecinit Lucanus lib. 2. Pharf. *Nubes excedit Olympus*: nunquam ibi nubibus est aër fœdus; purum illic & sincerum est cœlum, extra omnes tempestatum furias; imò neque aves, neque alias animantes enutrit olympi cacumen respirationi obstante nimia aëris subtilitate: ferunt siquidem, fuisse homines, qui quot annis hujus fastigium montis ascendentes spongias aqua refertas, plurimóque madentes humore secum deferrent naribus in montis altitudine applicandas, quæ aërem humoris frigiditate stiparent, crassiorémque efficerent, cujus beneficio respirationem promoverent: ex quibus aliqui dictum certos characteres pulveri inscripsisse, quos postero anno tam integros, intutbatos, ac illæsos reperêrunt, ac si recèns impressi fuissent: idque argumento ijsdem fuit, illuc nec pluvijs, nec ventis accessum dari. Olympi præcelsum fastigium, mens æmulatur illius, quâ divino æstuat amore, cujus flamma sursum semper enititur, quietem in solo Deo, quem amat, & in quem unicè fertur, repertura, hic enim altior nubibus, superior tempestatibus, feris inaccessus, ventis impervius nullo turbatur nubium mœrore, nullo concutitur ventorum impetu, nullóque passionum pravo motu, & in sola Dei voluntate jucundissima fruitur tranquillitate, quia ut scitè Augustinus. *In pace perfectio est, ubi nihil repugnat, & ideò filij Dei pacifici, quoniam nihil in illis resistit Deo, & utique filij similitudinem Patris habere debent. Hæc aut est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis; hæc vita consummati, perfectíque sapientis.*

Tom. 4. lib. 1. de serm. Dom in monte cap. 2 post init.

Nullum amanti Deum potest infortunium contingere, à quo aliquid patiatur detrimenti, & à sua turbetur tranquillitate; qui enim Deum verè amat, non aliud vult, quàm quod Deo placet, nec alia inest illi voluntas, quàm Dei, ex qua tota felicitas in hominem redundat, quia omnia participat, quæ in Deo sunt bona. Scio fratrem prodigi adolescentis acerbè admodum tulisse, quòd ejus Pater juniorem suum fratrem patrimonij decoctorem epulo excepisset lautissimo: idque cùm sibi daret injuriæ, paternas ingredi ædes recusavit; pater verò filio primogenito placando egressus cœpit rogare, ne diem illum institutum à se ad insnetam hilaritatem suâ vellet dissensione temerare; suáque absentiâ domestica turbare gaudia: sed statim filius patri humanitate pleno objecit: En pater mi tecum semper fui immoratus, nunquam à te discessi, tuis semper obtemperavi præceptis, studui pro viribus tibi semper in singulis placere, nec quidquam mihi magis volupe fuit, nihil magis cordi, quàm omnia mea obsequia tibi sincero affectu, aperto corde exhibere, & in id vel maximè incubui studij, ut 91.

ut nihil unquam contra tuam agerem voluntatem ; & tamen nunquam ullum mihi dedisti agniculum , quo cum amicis hilariùs cœnarem ; nunquam hanc domesticam pro me hilaritatem instituisti , neque unquam has prandij lautities parâsti , ut tecum lætarer , vel cum amicis gauderem : & quia filius natu minor inobediens , tuique parum amans, abligurivit cum mulierculis totum suum patrimonium ; splendorem familiæ in se obscuravit , alijs fœdè inservivit gregibus pascendis porcorum adscitus , modò vix filius iste tuus lurco domum redijt, statim eidem summo gaudio obviâsti , eum apertis ulnis es amplexus, oscula ei dedisti ; & tota domus súsque déque evertitur , ut pretiosiora quæque eruantur , delicatiora præparentur fercula , & summa in domo instituatur hilaritas , veluti in gratulationem maximi negotij juxta tuum votum peracti , reique benè gestæ. Quis pater mi non indignaretur , cùm pro filio tuo nebulone , lurcone ,& sycophanta , qui totum suum decoxit patrimonium , qui tibi noluit obsequi , à te voluit discedere , nec tibi inservire, ut par erat , tantam in domo lætitiam instituas ; & mihi nullam unquam dederis hilaritatem , ac si mea obsequia tibi sorderent , mea servitia tibi displicerent , meus affectus tibi non esset gratus. Sed benevolus pater tranquillaturus indignantem filium respondit.

Luc. cap. 15. *Fili, tu semper mecum es , & omina mea tua sunt* , non fuit opus , ut ullam pro te hilaritatem instituerem , cùm æquè sis tu rerum omnium mearum Dominus , ac ipsemet : cùm pecuniæ meæ omnes, & facultates singulæ tuæ sint , ad te pertinet domesticam , si velis , hilaritatem instituere, jam mihi gratum contigerit, si tibi satisfeceris , si cum amicis tuis volueris agnum comedere , & hilariùs prandêre ; jam non habes , quod debeas conqueri , si fratrem tuum resipiscentem perhomaniter exceperim. Hisce mitigatus filius natu major ingredi domum sustinuit,

92. Eadem fermè ratione supremus Paterfamilias Deus homines suæ voluntati devotos conservat , alitque : sunt enim semper in Dei memoria, intellectu, & voluntate ; & bona Dei , bona sunt amantium Deum. *Ego ero merces tua magna nimis.* (Genes. c. 15.) Imò neque hoc videtur amantissimo Patri sufficere , sed qui divino fervens amore , divinæ plenè obsequitur voluntati , plurimâ apud Deum pollet gratiâ , & id agit , quod Deus. *Opera , quæ ego facio , & ipse faciet , & majora horum faciet :* (Joan. c. 14.) vult Deus suum cum suis amatoribus divisum imperium , & omnia , quæ sunt Dei , eorum esse. *Sive mundus , sive vita , sive mors, sive præsentia , sive futura. Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi , Christus autem Dei.* (1. ad Corinth. c. 13.) Profectò , quæ sunt Dei , hæc à Dei etiam possidentur amatoribus quoad usum , & finem ; quatenus omnia ita condita fuerunt , ut eorum inservirent saluti : eorum est mundus cum rebus omnibus creatis , quia ijsdem hæc omnia ancillantur ; eorum est vita , quam unicè Dei impendunt voluntati : eorum est mors , per quam veluti per januam paradisum ingrediuntur : eorum sunt præsentia , sive arrideant cum prosperis, sive tristentur cum adversis , quia ijsdem utuntur ad exercitia , & culturam virtutum : eorum sunt futura , quibus fruentur ad voluptatem. Plures verò ideò hisce bonis carent , commodísque destituuntur, quia se ipsos amantes, non Deum, propriæ obsequuntur voluntati , non divinæ : & utinam non esset ampla societas horum lavernionum , qui pleráque gravia etiam inviti, & repugnantes patiuntur mala , ex eo quia se ipsos non Deum diligant , nec suam divinæ addicant voluntati.

Est amor sui , & voluntas propria putida malorum omnium scaturigo : 93. *cesset voluntas propria* , ait Bernardus : *& infernus non erit* , (Serm. 3 de resurrect. Domin.) quia quidquid odit , quidquid mali homo agit , id ob propriam voluntatem exequitur , imò nonnisi propria voluntas nos lædit , si enim frigus urgeat , fames premat , sitis ardeat , dolor torqueat ; vel quid aliud nobis molestiam inferat , nil aliud nos lædit , quàm propria voluntas : si voluntariè , & æquo animo vellemus adversa quæque sustinere , nil nobis damni inferrent , quæ nobis molesta videntur , sed quia nos ipsos , non Deum amamus; nostræ non divinæ adhæremus voluntati ; hæc perinde ac carnifex nos torquet ; hæc immundissima est animi lepra , ob quam in Jordane mergi debemus , & eum imitari , qui non venit voluntatem suam exequi , sed illam Patris. *Non mea voluntas , sed tua fiat.* (Luc. cap 12.) Mirum sanè , quòd cùm creaturæ cæteræ divinæ obsequantur voluntati , solus homo eidem detrectet parêre !

Cur voluit Deus Eliam Thebistem à corvis, velut à dapiferis vitæ sustentandæ cibos sumere ? 94. Quid id rei ? volucrum furacissimum corvum destinare ad prandium , cœnámque Eremicolæ præparandam , & fidelissimis obsequijs ad nutum parendum ? Id voluit Deus , ut nos doceret , quàm paratiores sint etiam brutæ animantes ad obsequia , & nutus divinæ voluntatis ; quid admiratione dignius , quàm à corvo carnium appetentissimo , ac rapacissimo , carnes eremicolæ deferri , quas in die millies devorâsset , nisi Dei voluntas , eas integras deferri jussisset ? Profectò parent Numinis imperio feræ proprias oblitæ naturas , & solus homo uberioribus cumulatus beneficijs propriam voluntatem divinæ præfert , suíque impensiùs amans, Deo parêre detrectat ?

95. Imò non animantes tantùm , sed & venti , fluctúsque sensu destituti divini imperij vocem.

Matt. 8. vocem audiunt, cui & obediunt: *Imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna:* & qui propriæ tantùm didicerant voluntati parère, admirantes dixerunt: *qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* quia nunquam in schola amoris divini edocti, quid esset divinæ obsequi voluntati, parère Deo, ejus voluntati se conformare non didicerunt. Quid dico ventos, & fluctus Deo parère imperanti, cùm & rupes, & saxa vocem audiant divini imperij, sensúmque depromant doloris? an non montes ipsi ad luctuosissimum morientis Domini spectaculum ingemuerunt, disruptis, scissisque pectoribus testati sunt universæ luctum naturæ suo pereuntis conditori? & ex creaturis solus homo in rupem obrigescit, licèt cæteris cumulatiùs afficiatur divinis beneficiis; quia ut ait Jeremias cap. 17. *Pravum est cor hominis*, cui propterea durum videtur imperium aliis se subjicere, propriam exuere voluntatem, & alienam induere: sed parère qui divinæ detrectant voluntati, nec propriam exequuntur, & sibi sunt exitio; perinde ac Marius Romæ Tyrannus septimos, hic referente Trebellio Pollione uno die salutatus est Imperator, altero imperavit, tertio à gregario milite gladio confossus interiit, qui dum ferro pectus Marij trajiceret acerbissimum illud adjecit: *hic est gladius, quem tu fecisti, illum mox teneas:* siquidem è cultrarij officina assumptus fuerat ad diadema. Etiam divinæ voluntati refractario sic insultatur; hic est gladius, quem tu cudisti; tuo te gladio ipse jugulas, seu propria sua voluntate te lædis, te interficis: rectè Bernardus *in Serm. quomodo voluntas nostra divina* &c. ais: *unde sunt scandala, unde turbatio, nisi quòd propriam sequimur voluntatem, & temerè, quod volumus in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi contingat, aut impediri, continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus, non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti; & qui nobis casus videtur, sermo quidem Dei est, suam nobis indicans voluntatem. Et Serm. de dup. baptis.* concludit. *Caveamus igitur à propria voluntate tanquam à vipera pessima, & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.*

96\. Adam quia propriæ indulsit voluntati, & se, & suos posteros perdidit: quàm melior concionator fuit suo in fimeto Jobus dicens Job. cap. 1. *Sicut Domino placuit ita factum est*, de quo propterea eleganter Tertullianus *lib. de patientia c. 14.* *Immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringebat, & erumpentes inde bestiolas, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo revocabat.* Noverat vir secundùm cor Dei, hanc Numinis esse voluntatem, & taliter exerceri: proinde si quis fortè vermiculus fugam vellet arripere, eum in corrosæ carnis iterum adigebat foramen, eò quia cùm cognosceret, eum à Deo destinatum, ut proprias depasceret carnes, ægrè tulit si suo non fungeretur officio.

§. XI.

Gaudet amor, quo Deum prosequimur per ulcera, vulnera, ægritudines viam sibi ad cœlestem patriam sternere, floccique facere, quæ eidem obviant adversa.

Divino Jobus amore exardens propriam exuerat voluntatem, eam induiturus Numinis, ad quod per ulcera, vulnera, carnísque putredines, perinde ac per stipata floribus itinera vehebatur: & quamvis tot millia ovium, boum, camelorum perdiderit; quamvis ventorum turbines domum in ruinas egerint: filios sepeliverint, & ipse dejectus in sterquilinium ludibrium haberetur cæterorum; nunquam tamen conquestus fuit, nec impatiens, quia divino æstuaret amore: charitas enim, ut ait Apostolus in adversis nunquam deficit, quia *patiens est;* de damnis sibi illatis, vindictam non meditatur, quia *benigna est;* invidia non torquetur, quia aliena prosperitas eam non cruciat, neque de aliena tristatur felicitate, quia *non æmulatur;* conscientia mala eam non pungit, quia *non agit perperam;* honores eam non extollunt, quia *non inflatur;* dignitates eam non urgent, quia *non est ambitiosa;* cupiditates eam non coarctant, quia *non quærit, quæ sua sunt;* convicia, & calumniæ eam non lacessunt, quia *non irritatur;* suspiciones pravæ, & judicia exerrantia à vero eam non fœdant, quia *non cogitat malum;* ex alieno infortunio, malóque in alios debacchante, nullum suscipit lætitiæ sensum, quia *non gaudet super iniquitate;* cæterorum erroribus non cæcutit, quia *congaudet veritati;* novercantis fortunæ procellæ eam non frangunt, quia *omnia credit*, quamvis non omnibus; nulla desperatio eam absorbet, nullæ ærumnæ dejiciunt, nulla irruentia damna opprimunt, quia *omnia sustinet;* imò nullum mortis periculum quamvis imminens, nullus suppliciorum metus eam separat à Dei voluntate, quia *charitas nunquam excidit*. 97. *Ad Corinth. 1. 13.*

Imò naturam æmulatur palmæ, quæ cùm premitur, vegetior extollitur, est enim amor Numinis, seu charitas virtus, quæ in infirmitate perficitur, arctiùsque Deo adhæresceit; hinc Apostolus 2. ad Corinth. 12. acri tentationum vi, & acerba calamitatum mole ferè oppressus auxiliarem advocat Deum, qui malum avertat. Sed animitiùs ei respondit: *sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur;* & sermo est generalis de quavis infirmitate: at quæ sit hæc tam strenua virtus, quæ ruentibus è cœlo in terras fulminibus non timeat, sed ingruentibus adversi- 98.

versitatum caliginibus illucescat clarior; furentibus tyrannis gaudeat; rumultuantibus fluctibus quovis decumano tumidioribus malaciâ fruatur; succrescentibus dumetis floreat pulchrior, oleátque suavior; offusis utrinque vallata tenebris illustriùs splendeat; non aliam dixerim esse, quàm charitatem, quæ patiens est, benigna est, quæ non æmulatur, non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, omnia suffert, omnia credit, omnia superat, omnia sustinet, & nunquam excidit; scitè Richardus Victorinus *de gradibus charitatis* ait: *Charitas miserijs non reprimitur, quia in infirmitate perficitur. Prorsus virtus omnipotens, qua ipsas miserias facit potentes, dum convertit in adjutorium, qua parata sunt ad nocendum; quâ suffulti milites Christi, impavidi certant, certi de victoria medijs periculis incedunt tutissimi, nec dæmonem, nec hominem metuentes.*

Cap. 1.

99. Quis hanc non dixerit virtutem quasi omnipotentem, cùm omnia superet, imò & ipsa noxia in propriam convertat utilitatem, imbecillitatem corroboret, infirmitatem adjipet, & in ipsis ægritudinibus perficiatur, construens vel in ipsa infirmitate solidiora firmitatis fundamenta; advocánsque ipsas adversitates auxiliares, ut ex adversis, noxiis, damnúmque inferentibus splendidiorem adornet triumphum, & in ipsa miseriarum officina felicitatem sibi cudat, in angustiis augustiora depromat gaudia, in periculis tutiorem stabiliat stationem, neque calamitatibus obruatur, neque adversitatibus prematur, neque procellis naufraga mergatur. Quis non videat in hac una mascula virtute charitatis, quendam omnipotentiæ fastum, quo ita piè superbit, ita sanctè intumescit, ita probè erigitur, ut non tantùm cæterarum virtutum armetur satellitio, verum & iisdem adversantia vitia exarmet, prosternat, debellet, ac prorsus vincat?

100. Plurimum promeruit laudis Susannæ virtus, quæ non solùm fœdas fenum impuro amore insanientium extinxit flammas, sed & calumnias, totúmque propemodum erebum contra se insurgentem superavit: sed charitas fuit hæc virtus, quæ de infirmitate muliebri, de adulterii periculo, de minis cruentæ mortis, de infamiæ propudio, déque sævientium lapidum impendente nimbo eò gloriosiùs triumphavit, quò turpiùs ejus pudicitiæ candorem fœdare nixi sunt senes, vel in ipsis fontium pellucidis laticibus. Generosum sanè est charitatis trophæum, cùm de infirmitate robur, de infamia gloriam, de calumniis honorem, & de periculis salutem enancicitur: hac enim charitatis virtute cùm didicisset, vel in ipso gelido fonte ferventiùs æstuare, ea protulit verba sydereis scribenda characteribus: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini:* Illustriùs etiam illuxit hæc charitatis potentia in ipso Moyse, cùm DEUS dixisset: *Cerno, quòd populus iste duræ sit cervicis: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos:* quæ verba expendens Richardus de gradibus charitatis ait: *Charitas est vita fidei, spei robur, omniúmque intima vis, ac medulla virtutum.* & paucis interjectis. *Hæc valens ad omnia, & omnibus prævalens, quæ ipsam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem. Nonne hæc est, quæ in Moyse divina justitia, & potentia obstans prævaluit in fortitudine? Dimitte me inquit, ut irascatur furor meus contra populum istum. Audis dimitte, & eum teneri dicas, nec aliunde quàm amoris fortitudine:* postea concludit. *Quid ni cessit potentia, cessit justitia de corde tam puro non tam rogabat, quàm urgebat?* quia charitas talibus est viribus munita, ut non solùm valeat ad omnia, verùm etiam omnibus prævaleat; quia patiens, benigna est, omnia suffert, omnia superat, omnia sustinet.

Exod. 32.

In Cap. 1.

101. Quinimò perinde ac flamma sibi à natura vi indita, sursum avolat chari as, seu amor in Deum, & adeo violenter sursum nititur, ut in cœlum etiam homines rapiat, ducátque. Exarserat, sancto hoc igne D. Paulus, & statim ab eodem se raptum ad tertium usque cœlum novit: *scio hominem ante annos quatuordecim sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum: & scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum.* Certè non alius fuit Paulus subvectus alis in cœlum, quàm amoris; sed si amoris alis subvectus fuit, cur se raptum illuc fatetur, & non potiùs volatui tribuit suum usque ad tertium cœlum ascensum? quia expers corporeæ molis Paulus in paradisum ascenderat, nescius an in corpore, vel extra corpus illac conscenderet, quis scilicet alis veheretur illius amoris, quo intus exardebat; cum amor solùm afficeret animam, nihil de corpore excogitaverat, & quia amoris subvectus fuerat violentiâ, ideo non trahi, non volatu ascendere, sed rapi dicitur: quia ut pulchrè Richardus: *Anima se in se totam perstringens, non jam ascensorijs gradibus, vel passibus utitur; sed inopinatis raptibus, excessibus fertur volans, non vadens in illa sublimia secreta cælestia. Unde & Paulus non in tertium cælum ascendisse, sed raptum fuisse perhibetur: sic affici, quasi Dei Vicarij est, dum animus divino ebriatus amore obliviscitur omnium, & totus pergit in Deum:* non igitur mirum, si nescius proprii corporis, & expers corporeæ gravedinis sursù fuerit violenter raptus; amor enim cùm ibi magis dicatur esse ubi amat, quàm ubi animat, & Paulus ferventissimo in Deum arderet amore proprii oblitus corporis, imò & proprio spoliatus corpore raptus fuit in Deum, seu raptus amor in amoris centrum: nil amanti magis cognatum, ac volupe, quàm rei amatæ felix possessio; & cum totus in Deum rapere-

2. Corinth. 12.

Loc. cit. &

raperetur, quem possideret, se ipsum, seu corpus exuit, ut Numen indueret amatum, illudque possideret.

102. Sciverat tamen hominem raptum in paradisum, quamvis nesciret, an in corpore, vel extra corpus raptus fuerit; an quia totus homo sola est ratio, & animus, cui illa inseritur? corpus enim commune habemus cum belluis, & animo paulo minùs minuimur ab Angelis, eúmque fuerit homo à suo conditore paulò ab Angelis diminutus, totus homo animus est, qui propterea, si amore ferveat, ejúsque alis in cœlum evehatur, totus homo illuc vi rapitur amoris, & cœli factus nobilis inquilinus, non solùm terram censet peregrinam, sed & terreum corpus à se alienum, cujus propterea oblitus, solius animi, seu hominis meminit, qui amore ferveret: pulchrè prætactus Richardus Vi-

Cap. 2. ctorinus de gradibus charitatis: *sed quanto putas stupore perfunditur anima subtractâ illâ dulcedine, & ad hos sensuum laqueos captiva retracta? Nonne quasi de patria spirituum pulsa in vallem corporum, in aliud quoddam ignotum sæculum sibi cecidisse videtur longè priori dissimile, in quo hæc charitas friget, & sensualitas regnat, & oculus mentis caligat, & sensus viget corporis? hæret tunc & alta trahens suspiria, inde misera, unde beata efficitur. Subtractio enim rei amatæ augmentatio est desiderij. & quod ardentiùs optas, caret agriùs. Et hic est languor amoris, qui non est aliud, nisi tædium impatientis desiderij.* Cùm amor in solo delectetur amato, rectè Paulus proprii corporis oblitus soli adhæsit Deo, in quo totum invenerat solatium, quo vera donaretur beatitate, propterea dixit: *Et scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit: quoniam raptus est in paradisum:* ibi invenerat paradisum, ubi amor ad Deum, quem unicè amaverat, perduxit: ita delectari in Domino cordis est vacuitatem explere, unde Regius Vates ait: Psalm. 36.
Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, & quamvis videatur regius Psaltes nobis orationem, & internam cum Deo conversationem præcipere, in qua mens hominis terrenis nulla, & cœlestibus tota se se ad Numinis nutum componit: est nihilominus hæc delectatio, quæ ex fervore promanat amoris, totúmque hominem afficit, dátque cordis petitiones, seu explet animi desideria, hinc pulchrè Ambrosius expendens verba Psalmistæ ait: *Quare non dixit delectare in Domino, & dabit tibi petitiones tuas, sed dixit petitiones cordis tui? quia lex carnis legi mentis frequenter repugnat: quæ autem interioris sunt hominis, qui renovatus est in spiritu, illas petitiones pio donat affectu:* distinguuntur igitur petitiones cordis ab illis carnis; quia illæ ex amore dimanant cœlestium; hæ ex affectu terrenorum; illæ hærent soli Deo, istæ extra Deum inhærent terræ; illæ cœlo sunt affixæ, istæ cœno infixæ; illæ æternis, istæ fluxis inhiant; ut autem petitiones nostræ expleantur, sint cordis nostri petitiones ex amore Dei ortæ, dicitur enim Deus annuere quidem petitionibus, non tamen oris, non carnis, sed cordis: non enim Regius Psaltes dixit: & dabit tibi petitiones tuas, sed cordis tui: petitio enim tua est, quam ambitio concinnat, quam voluptas promovet, quam divitiæ excitant, lex carnis dictat, affectus corporis ingenerat, & amor proprius suscitat.

DIS-

DISSERTATIO VI.

Amor, quò latiùs in proximum diffunditur, eò in amante ditescit locupletior.

§. I.

Amor uberiùs fruitur bonis eorum, quos amat, quàm propriis: & anima verè amans magis est ubi amat, quàm ubi animat.

1. Sicut amor sui ipsius inops, & egenus arctissimis clauditur angustiis, eóque refluit continuo, unde fluxit; ita amor quò amans alios prosequitur augustus est, ac dives; & eò ditior, augustiórque, quò in plures effunditur: quia bona eorum, quos prosequitur in amantem transfundit, & hoc est singulare amoris artificium, ut unus plurium bonis perfrui possit: hinc Bernardus hujus excellentis proprietatis amoris non ignarus exclamat *O charitas, quæ neminem expolians omnia rapis! dilige proximum, & omne bonum ejus tuum est; rapuisti tibi, & alium non expoliásti.* Est hocce artificium amoris singulare, quô fit, ut unus cæterorum bonis perfruatur. Ditescit homo, si proximum diligat, & eò uberioribus affluit divitiis, quò in plures amor effunditur, quorum bona fiunt amantis, si hic sincerè amet: quia amor verus id præstat, ut amans, perinde bonis fruatur eorum, quos amat, ac propriis; cúmque sit amor magis ubi amat, quàm ubi animat, arctiùs bona eorum possidet, quos amat, quàm propria, ubi animat: hinc pauper est, ac nudus amor ille, qui in alios non effunditur, ut non abs re fuerit sponsa de se ipsa conquesta loquiens: Cant. 5. *Expoliavi me tunica meâ: quomodo induar illâ?* Neque quid aliud putârim, esse tunicam hanc, cujus projectio plurimum intulit dispendii, nisi ipsam charitatem: hæc enim vera est sponsæ vestis, cùm sit charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ aliena obtegit probra, cooperit flagitia.

2. Profectò exuta sponsa hac charitatis veste plurima statim patitur detrimenta, & quæ antea ditescebat, splendidè epulabatur, mox incipit indigere inquiens *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ* indiguit integumento, quæ tunicam exuit charitatis: cœpit egere, quæ divitiis affluebat, quia amare desierat: imò & ipse sponsus amore suæ sponsæ destitutus cœpit nonnihil experiri incommodi, & qui proximè melle, lacte, cæterisque deliciis saginatus suæ gaudebat sponsæ consortio; mox rore, guttisque noctium madidus ante limen domûs suæ dilectæ ejulat, rogátque sponsam, ut ei adaperiat, quam per recessum ab amore clauserat janu- Cant. 5. am: *Aperi mihi soror mea, amica mea*, proh quale charitatis violatæ dispendium! quo sponsus ab aromatibus horti ad noctium guttas traducitur, & ab esu mellis ad imbrium transit injurias! At sponsa, quia charitatem exuit, sponsum nescit ampliùs invenire, nec ejus induere prærogativas; & quem antea invitaverat in hortum suum, *veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum*, nunc exuta charitatis tunicâ etiam è propria excludit domo, rogátque propterea sponsus, ut ei aperiatur: *Aperi mihi soror mea*, & quem antea suo capiti prætulerat, nunc suis postbabet pedibus, quos, ne inquinet, sponsum pulsantem nocturno derelinquit rori expositum: non admittitur sponsus, tametsi vociferetur, & pulset, & nocturno madeat rore à sponsa, quia cùm hæc tunicam exuisset charitatis, non ampliùs cordi ei erat sponsus, qui propterea extra domum sponsæ rogabat, ut sibi aperiretur: *Aperi mihi soror mea*, excluditur statim sponsus, tametsi à sponsa nonnisi levissimè violata charitas esset, cùm non dicat sponsi exuisse tunicam, sed suam propriam: *Exui me tunicâ meâ*, ac si diceret non præcepta charitatis à sponso lata despexi; sed quæ studio ei placendi erga proximos exercebam amoris officia, & charitatis impendebam exercitia, intermisi; ex quo ab iisdem, cùm sponsum per vicos, & plateas quærerem, fuerunt mihi, & injuriæ illatæ & vulnera inflicta.

Hæc fuit violatio charitatis, per quam 3. fatetur sponsa se ipsam expoliâsse tunica sua: intermisit impensam in proximum dilectionem; expoliavit se tunicâ amoris, & statim recessit à sponso, quem etiam domo exclusit: & licèt non odio sponsa eos prosequeretur,

tur,

tur, à quibus fuerunt eidem injuriæ illatæ, & etiam vulnera inflicta, imò eos etiam diligeret; sed tamen quia non ea affabilitate, quâ priùs, & cum negligentior, tardiórque facta fuisset in exhibitione quorundam officiorum, tametsi cor ejus odio careret; adhuc tamen, quia expoliavit se tunicâ suâ ornatiore, ac elegantiore, seu veste charitatis, propterea incommoda experitur paupertatis, & probra nuditatis: *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ:* & quamvis non graviter sponsa deliqnerit, neque amorem excluserit in sponsum; quia tamen affectum remiserat iu proximum ob sibi illatas injurias, adhuc sponsum exclusit, & parum illi profuit Christi tunicam non exuisse, cum sponsum excluserit, nec pulsantem fores admiserit. Parum prodest loqui cum adversario, si ita verba emittantur, ut ejus verbum non admittatur: sponsus Isaacum videtur imitari, qui cum risum sonet; nisi hilaris sit amor, diu cum sua non immoratur sponsa. Quòd læsio charitatis levis fuerit ex eo conjice, quòd nullum attulerit nævum, quó candor deturparetur sponsæ, cùm sponsus ostium pulsans dicat: *Aperi mihi Soror mea, amica, columba mea, immaculata mea,* cùm enim perseveraverit immacnlata, hæc violatio charitatis remissio duntaxat fuit affectûs; sed quam sponsus vocat sponsam suam sororem, suam columbam, suam immaculatam, nou tamen eam suam dicit amicam, sed simpliciter amicam, quasi diceret columba mea es, cùm in simplicitate me diligas, immaculata mea es, cùm legem meam non fueris transgressa, amica iridem es, cùm me diligas; sed amica mea non es, cùm amica meis non sis amicis, neque perinde meis eblandiaris, ac mihi; es quidem amica, sed non mea, cùm meos, tuos non dicas. Amici sunt illi, quos metu legis non odisti: amica etiam es tu, quæ legem non fuisti transgressa: sed quia eos proniori post susceptа vulnera non prosequeris amore, ut antea, neque iisdem eblandiris, ut ante illatas tibi injurias, ideo non es singulariter mea; cùm charitatis præceptum non singulariter serves, tametsi illud non transgrediaris, eo quia nullo in percussores inficiaris odio.

4. Neque se ab alio fatetur veste exutam sponsa, sed à se ipsa, cùm dicat: *exui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* Potuit, si voluisset charitatem servare illibatam, amorem non remittere in proximum, imò impensiori eum affectu prosequi; sed quia cùm ea affabilitate, quâ priùs cum eodem non versaretur, ideo exuit se tunicâ suâ, quam resumere non valet, tametsi id unicè cupiat: *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* quia si semel desinamus charitatem suis cum deliciis exhibere; difficulter eam cum primæva sua delibamus suavitate; intellexit sponsa, potestatem sibi esse deponendi tunicam, sed deesse facultatem eam resumendi, quapropter ait: *quomodo induar illâ?* quia si semel noster affectus in eos intepuerit, à quibus fuerunt nobis injuriæ illatæ, nisi Deus ope suæ gratiæ cor nostrum remolliat, vix in pristina flectitur obsequia, nec eâ affabilitate, quâ antea cum iis versamur, à quibus aliquid fuimus damni passi. Requiritur enim divinæ gratiæ ubertas, ut amoris restaorentur deliciæ.

5. Imò non sponsa amoris tunicam exuit, sed amor sponsam reliquit: siquidem in hebræo legitur, *Expoliavis me tunica mea, quomodo induam me illâ,* hoc est, non rejecit sponsa à se tunicam; sed ipsam tunica à se separavit, hoc est sponsa tunicam quidem habuit charitatis; sed tunica sponsam non habuit; adhæsit vestis sponsæ, sed ei non adhæsit sponsa, quæ licèt non odio habuerit eos, qui eam quærentem sponsum percusserunt, inflictis etiam vulneribus, quia tamen eos iisdem, ut antea, blanditiis non dilexerat, ideo reliquerat eam tunica charitatis, quamvis sponsa eam non dimiserit, cùm odium non admiserit. Verùm vestis quâ spoliata erat sponsa, quasi emortua, cadaver imitabatur, seu corpus sine anima; idem enim videtur vestis sine corpore, absque sponsa; quæ propterea non potest pulveres ab ea excutere. Cadaver est vestis sine sponsa, absque corpore; pallet enim, sordet, dissilit, ac sponso displicet. Rursus subdit ex hebræo, *quomodo induam me illâ?* quia licèt sponsa non caruerit tunicâ suâ, caruit tamen vestis sponsâ, quæ si non defuit vesti, hæc tamen sponsæ defuit; amor enim remissus quique intepescere incipit, quamvis foveatur, quia tamen remisse; amanti non videtur adhærere, quamvis amans eidem non desit, quem fovet.

§. II.

Verus amans constans est, nec ejus amor remissioni, aut mutationi est obnoxius, sed æquè jugiter fervens, ac beneficus in proximum, cui prodesse studet, nunquam obesse.

6. VErus si sit amor, constans est, neque mutationi, ac remissioni obnoxius; & ex amore in Deum, qui nunquam remitti debet, amorem haurimus in homines; uterque anim amor pari incedit passu, cum utriusque sit unus ac idem habitus, ut docet D. Thomas, húncque amorem, testata 2. 2. q. 5.
est Virgo Mater cum salutante Angelo re- art. 1.
spondit, *fiat mihi secundùm verbum tuum,* protulit enim hæc verba ex summa in humanum genus miseratione, ut homines ab eo redimerentur, quem esset ipsa paritura: amorem exercuit, cum adolescentula in templo se divinis impenderet obsequiis: siquidem quidquid id loci coævas inter puellas vidit, quod à regula deflecteret virtutis, suavi abstersit admonitiunculâ; seu ut refert Bonaventura in vita Christi, si risum leviuscu- Cap. 14.

lum, si oculos liberiores, verba minus cautè prolata, animum minus patientem in aliis observâsset, ingenti amore corrigere studuit, & interdum solo oculorum severiori nutu, qui plus moneret, quàm verba consuevissent. Eundem prodidit amorem cum ad Elisabetham cognatam se contulit, ad eam invisendam, cui etiam trimestri toto famulari non est dedignata, & ne panem otiosa comederet, ea exercuit, quæ solent ancillæ circa suas herulas; nimirum amor in proximum eam è propria domo traxit per longa itinera, vias asperas, ac in alienas perduxit ædes: non enim otio torpescit amor, actuosus hic est: & licèt prisci homines plures sine brachiis, manibúsque permiserint sculpi statuas, nulla tamen earum amorem exhibuit, quia sine manibus amor non est: opus indigitat, & quidem non lentâ, ac remissâ manu, sed celeri pede, & laborioso brachio, impiger totus exurgit in actionem, & talis fuit amor
Luc. cap. 1. Deiparæ, quia: *Exsurgens Maria abijt in montana cum festinatione:* erant nimirum manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, scilicet manus beneficæ, & munificæ ad benefaciendum aliis expeditæ, hyacinthis, seu beneficiis præstandis plenæ, auro illitæ, seu charitate informatæ; tornatiles, quia ad opem ferendam paratæ: tales sunt amoris manus, non desides, non otiosæ, nec desidiosæ, sed actuosæ, ac laboriosæ.

7. Non tamen sufficit, si amor in hominem laboriosus sit, & actuosus, nisi etiam rectus, ac compositus, talis nimirum ut nemini quidquam invideat, non corporis, nec animi dona, non opes, non virtutes: si Cain Abelem; si fratres Josephum; si Saul Davidem rectè amâssent, nec Cain fraterno sanguine proprias fœdâsset manus; nec Josephus fuisset à fratribus in cisternam demissus; neque Saul tam gravi invidiâ Davidem pressisset. Sed livor invidiæ, tepor charitatis diffidia, & jurgia excitat, odia nutrit, vulnera infligit, & cruentas clades spargit; ubi verus fovetur amor, ibi nullus accitur livor; quia ubi amor ibi procul exulat invidia: testes sunt David, & Jonatas ambo juvenes: Jonatas pastoritium adolescentem Davidem eo est amore complexus, ut crescentem ipsi gloriam nunquam inviderit, quinimo suis se etiam exuens vestibus Davidem iisdem induit: & quia verus, rectúsque fuerat amor Jonatæ, eum nec formidanda Patris superbia, nec crudele imperium valuit unquam prohibere: si enim verus, rectúsque sit in proximum amor, minas non timet, neque linguâ tantùm est profusus, sed manu, & opere, diffusus, ut præcipit Joannes: *Filioli non di-*
1 Joan. cap. 1. *ligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate.*

8. Hujus amoris illustre dedit monumentum Samaritanus ille, qui non solùm misertus est hominis in itinere multiplici vulnere saucii, sed perinde ac peritus, piúsque chirurgus vulneribus oleum instillavit, & vinum, imò instar famuli conducti vulneribus scissum, & quasi agentem animam suo imposuit jumento; tametsi Samaritani Judæos cane peiùs, & angue oderint. Primò ex amore, quo in suum deflagrabat proximum misericordiâ motus, cui obviaverat vulneribus fractô, sanguine madido, viribus deficienti opitulatur; tametsi nec Sacerdos, vel Levites illac prætereuntes ullâ in semivivum relictum moverentur miseratione. Secundò chirurgi etiam munus obivit, quamvis pietatem magis, quàm artem calleret: & vulnera sanguinem effundentia oleo, & vino eluit: *Et alligavit vulnera ejus.* Tertiò au- Joan. 4.
rigam egit; proximi, ut occurreret indigentiæ: *imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum*, pedes ipse secutus. Quartò Nosocomus etiam fuit saucii ægrotantis; siquidem sedulam curam ejus egit, Quintò ejus etiam thesaurarius se exhibuit: *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait* Ibidem.
curam illius habe. Sextò etiam fidejussor fuit pro curando corpore extremè affecto ac multiplici vulnere saucio, addidit enim: *quodcunque supererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi.* Quod verò amorem illustriùs commendat; quia vulneratus ex gente esset Judæorum, & Samaritanus, qui tanta in ipsum impendit charitatis officia; cùm tamen Samaritani Judæos oderint, quos hostes, & adversarios habuêre, adeò ut mulier Samaritis Christo ad fontem aquam petenti responderit, *non enim coutuntur Judæi Samaritanis.*

9. Proximum diligere amicum, vel familiarem naturæ est indita propensio; sed hostes beneficiis cumulare id pronitatem superat naturæ, & divinam quodammodo videtur æmulari perfectionem: si qua enim in Christianorum cœtu virtus est sublimior, cæterísque fortior, dilectio hæc est, quâ non solum amore, verùm & impensis beneficiis inimicos prosequimur, nobísque noxios juvamus: est hujusmodi dilectio magnanimæ indicium naturæ, divinæ argumentum gratiæ, ac uberioris elogium sanctitatis: cùm enim homo insitâ sibi à natura propensione præceps in ultionem ruat injuriarum; de se ipso necesse est gloriosum referat triumphum, amore hostes prosecuturus, eósque effusâ munificentiâ beneficentiâ. Nil tam arduum, támque sublime videtur humana virtus posse ultra ambire, quàm pro injuriis sibi illatis beneficia rependere; pro conviciis, calumniisque prolatis, oscula figere, & odium amore, ac beneficio compensare: effusa hæc est in homine pietas, cui uberior obstetricatur sanctitas, ut eleganter innuit Tertullianus in- Cap. 31. Apologet.
quiens: *Scito præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis Deum orare*, seu rectò, sinceróque amore eos prosequi, qui nos oderunt, iisque beneficia rependere, à quibus fuerunt nobis inflicta vulnera, illatæ injuriæ, & prolata con-

convicia, quibus non parum nostro fuit honori detractum; est enim hic amor excessus virtutis, & redundantia benignitatis humanum superexcedens fastigium, & mensura supereffluens, ac effusè redundans; dixerítque propterea de iis, qui amore inimicos prolequuntur Christus: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum:* quænam est mensura ista, quæ supereffluit, quàm, ut loquitur Bernardus, mensura sine mensura? cùm enim benefacere iis jubeamur, qui nos oderunt; profectò hac dilectione mensuram excedimus constitutam: unde & nobis Deus pro remuneratione benedictionem impluit exundantem.

Luc. 6. v. 38.

10. Mensura est à natura in nobis constituta ijs benefacere, quibus natura ipsa favere compellit, vel ob sanguinis necessitudinem, quâ ijsdem devincimur; vel ob initam societatem, quâ illis colligamur; vel amicitiam, quâ ijsdem adhæremus: sed eos amore prosequi, qui nos oderunt, nobísque noxii fuerunt, profectò mensuram excedit, quæ hac dilectione supereffluit, & effusa redundat: per hanc mensuram supereffluentem, beneficentiam intelligamus Christianorum, quos pietas ad hunc sanctum accendit amorem, quo pro injuriis sibi illatis beneficia rependunt; quod etiam Ethnicis illustriùs in homine visum fuerat: sciscitatus siquidem Achiles ab Aiace, quos omni vita majores ipse exantelâsset labores? Hos respondit, quos pro amicis, mihíque charis pertuli; cúmque interrogâsset ulteriùs Aiax, quos censeret jucundissimos? eos subdidit, quos etiam pro adversariis, mihíque noxiis subivi; quia amor ipse, quò vel hostes fuerat prosecutus laborum leniebat asperitatem, ut jucunda ei viderentur, quæ plurimum secum adferrent incommodi.

11. Amor si laborem fugiat, si incommoda declinet à natura deficit amoris; verus enim amor nutritur laboribus, augetur incommodis, imò & defectus omnes tam corporis, quàm animi in aliis tolerat, & quantum potest obtegit, & cum omnibus sive doctis, sive indoctis, cæcis, & claudis, imprudentibus, & ægris mitissimè agit, ut hortatur D. Paulus inquiens de corpore mystico fidelium: *Non sit schisma in corpore; sed id ipsum pro invicem solicita sint membra: & si quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unū membrū, congaudent omnia membra. Vos autē estis corpus Christi, & membra de membro.* Imò neq; Deum diligit, qui proximum, quamvis hostem, sibique adversantem non diligit: lineæ enim, quæ è circuli peripheria ad centrum ducuntur, nequeunt centrum tangere, quin se ipsas in eodem complectantur centro, omnésque in unum, idémque punctum coëant, cùm centrum lineas quásque à circuli circumferentia utrinque ad ipsum ductas complectatur, contineat. Dixerim neque posse hominem amore in Deum ferri, nec ipsum diligere, nisi & suum diligat proximum, tametsi sibi infensum, & adversantem: continet siquidem Deus comprehensione longè eminentiore homines quosqoe, sive amicitiâ sint nobis devincti, sive societate adhærentes, sive inimicitiâ aversi; si noster amor in Deum fertur, si Deum diligit, necesse est, & proximum suum, omnésque homines etiam sibi infensos, & hostes, diligat in Deo dilecto: alioquin Deum non diligit, cùm id non amet, quod in Deo continetur, nec coëat in unum cum ceteris, qui continentur in centro: hæcque ratio, cur ejusdem habitûs sit, Deum, & proximum diligere, & D. Paulus scribat: *qui diligit proximum, legem implevit*, adeò est Numini percharus amor, quo proximum prosequimur, & tanti eum Deus facit, ut amari nolit, nisi & proximus ametur.

1. Corinth. cap. 12.

Ad Rom. 13.

§. III.

Nil gloriosius, illustrius nihil potest homini obtingere, quàm per hostium amorem, per calcatas fraterna dilectionis pede illatas sibi injurias contemnere, & charitatis rubore prolata in nos convicia delere.

12. Alios diligere ut sibi beneficos nonhominibus tantùm, sed etiam brutis est à natura inditum: curantur siquidem beneficiis etiam feræ immanitate sæviores; nil enim fortiùs beneficio ad se animos trahit: sed quos nobis noxios noverimus non ore tenus diligere; sed & manu, largitione beneficiorum, est ea benignitatis redundantia, quæ divinam imitatur perfectionem; & ideo Christus hortatur fideles ad inimicorum dilectionem, cordis affectu, manûs opere, linguæ oratione, *Ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Sunt, qui impensè conantur efficaciam investigare illius vocis *filij*: sed missas facio plerasque commentationes, & illud approbo, quo *filius* hebraicè alteri similis explicetur: quo pacto solent filii similitudinem præleferre parentum: amore igitur, qui inimicos prosequuntur, divinam imitantur perfectionem, similésque esse videntur Numini, ejúsque sunt filii: impensiori igitur dilectione, quos noverimus nobis infensos, noxiósque prosequamur, si Numinis in nobis sculptam velimus imaginem; quid gloriosius, illustriúsque potest homini obtingere, quàm per hostium dilectionem, per calcatas sibi amoris pede illatas injurias, per obliterata charitatis igneo colore, & calore in nos prolata convicia, divinam in nobis imaginem exprimere, Deique præleferre similitudinem, ferre filiationem? quotquot ex hominibus suis parcunt inimicis filii Dei vocantur: Diligite

Matth. 5.

Matth. 5.

gite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, ac ſi homo in hoc præclaro Dei attributo ſit Dei imago, ipſúmque imitetur, & exprimat.

13. Hinc S. Zeno Veronenſis ſublimiùs etiam animadvertens ad quantum evehatur homo perfectionis faſtigium, ſi non cordis tantùm affectu hoſtem diligat ſibi infenſum, verùm & manûs opere eundem quamvis ſibi noxium beneficiis cumulet, ait, teneri diligentem hoſtes ſuos, plures ijsdem rependere gratias, cùm eidem ſint occaſio, quâ Dei enanciſcatur ſimilitudinem, exprimátque in ſe imaginem, & in ſummo veluti perfectionis faſtigio ſublimetur: ſic

Serm. 1. in Pſal. 130. enim fatur: *Inverſo gratus officio.* Vult ut pro inverſo officio, ſeu injuria nobis illata gratias ijs rependamus, qui eaſdem nobis intulêre; quamvis moris ſit, ut grati ſimus pro beneficiis ſuſceptis: amoris tamen eſt, ut grati ſimus etiam pro injuriis, conviciis, damníſque aliis, quæ nobis inferuntur, cùm ad ſummum nos provehant apicem perfectionis, Numiníſque imaginem; & licèt materiæ gratitudinis accenſeantur beneficia, id tamen ſolius moris, non amoris eſt; vulgaris gratitudinis materiam beneficium ſuppetit: maleficium verò longè ſublimioris eſt gratitudinis materies ab eo profectæ amore, cui maleficium, perinde ac mellificium dulceſcit: eſt ſiquidem hic in hoſtes amor, qui iter nobis ſternit, quo in ſublimiora pergamus, & ad faſtigium illius erigamur virtutis, quæ divinam æmulatur perfectionem.

14. Hæc indoles Chriſtiani eſt amoris, æquè benevolum ſe amicis, ac infenſis, adverſariíſque exhibere, hinc Cyrillus expen-

Luc. 6. dens illud: *Ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere*, ait: *decet enim eum, qui pius eſt, obliviſci malorum, ut & ea, quibus charos amicos juvamus, perſequentibus conferamus.* Proh quàm eminens, quàm ſublimis, & potens Chriſtianorum amor! qui naturam ad eam perducit ſtatûs ſoblimitatem, ut hominem reddat æquè benevolum in amicos, ac in hoſtes: ſolet injuria alteri illata jurgia excitare, & odia fovere; & tamen Chriſtianus amor impetum hunc coërcens naturæ vitium in eadem corrigit; adigítque naturale odium ad legum amicitiæ obſervantiam, & flammantes iras in niveo blandæ benevolentiæ lilio extingui, ac eâdem benevolentiâ æquè illatas proſequi injurias, quàm collata beneficia: ſcitè

l. adverſus Tertullianus: *Quò magis proximum di-*

Marci c. 23. *ligas diligere juberis inimicum, & extraneum: exaggeratio eſt debita bonitatis, exactio indebita.* Quòd ſi illatas ſibi injurias nigricantis oblivionis atramento obliterare laudi datur non exiguæ privato homini: in principe tamen id vel ipſa neceſſitas videtur exigere, in quo pro amplitudine poteſtatis, uberius pietatis requiritur incrementum: ſin verò ob condonatas injurias, deleta convicia eximia ſic dignus laude; reus tamen ſit probroſæ infamiæ ob vindictam: dedecet Principem vindicta, in cujus arbitrio ſita juris eſt licentia; ſcitè Beda expendens illud: *Benedicite maledicentibus vobis* ait: *ferè cuncti contra hoc mandatum procedimus, & præſertim potentes, vel Principes non ſolùm ſi paſſi fuerint contumelias; ſed & præſtita non fuerit eiſdem reverencia, adverſarios reputantes, quicunque eos minus reveriti ſunt, quàm ſe reputaverint dignos. Eſt autem nota infamia Principem eſſe promptum ad* 15.

vindictam.

Princeps igitur, ſi proprias ulciſcatur injurias ex Judice ſic reus, caditque principatu: è contra glorioſos de coërcita natura triumphos refert, qui cùm poſſit impunè ſe vindicare, pronior ad veniam hoſti parcit, cui etiam eblanditur: & hic eſt faſtus ille, quo cœtus Chriſtianorum gentes excedit omnes; hæc eſt victoria illa, quâ filius æterni Patris DEI enanciſcitur dexteram: *Dixit Dominus Domi-* *Pſalm. 109.*

no meo ſede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: ſedere ad dexteram in communi hominum exiſtimatione perinde eſt, ac potiorem occupare ſedem: hinc ut DEUS nobis innueret, quanti feceric unigeniti ſui noſtra induti humanitate victoriam, quâ non ſolùm mortem vicit, ſed & pro ſuis enixim perſecutoribus exoraverit, cùm animam ageret, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*: à dextris ſuis locatum voluit, quò in hominum exiſtimatione etiam nobiliorem cenſeretur ſedem occupare: ſed quamdiu putamus hanc illuſtrem occupaturum ſedem, *donec ponam* (ait æternus Pater unigenito ſuo filio) *inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: nimirum ad dexteram ſedebis meam, quæ potior apud homines cenſetur eſſe ſedes, donec tu ſuperſederis ab hoſtium ultione, & ego te vindicavero à tuis inimicis, eóſque poſuero ſcabellum pedum tuorum, ſeu tibi ſubjecero: quaſi diceret, concedo unigenito meo dexteram donec non vindicaverit injurias ſibi illatas. Quàm utile, quàm proficuum eſt homini non ulciſcenti injurias à ſuis ſibi inimicis illatas, cùm vel ad ipſam DEI dexteram evehatur? quàm piè, ac religioſè ſuperbit homo, qui cùm poſſit, proprias non ulciſcitur injurias; pulchrè Bernardus: *de cætero nulli, vel inimiciſſimo ho-* *Serm. 18. in*

mini negari quantulumcunque affectum cha- *cant.*

ritas ſanè in hac parte ambitioſa permittit: ambitioſam vocat charitatem, quæ injurias non ulciſcitur ſibi illatas, nec damna vindicat ſibi irrogata, & ſuis lubenter inimicis parcit;

ſed

sed si charitas ex Apostolo, non inflatur, quomodo Bernardus eam ambitione tumidã dicit? qua cùm sit ambitio appetitùs honoris supra merita; tametsi plura mereatur inimicorum dilectio, ac multam assequatur; supra tamen humanum se attollit fastigium, sedem affectans à Patris dextris, quamdiu injuriarum fuerit oblita: pia sanè ambitio, quæ Dei emancipitur dextram; in hominum existimatione! ambitiosa sanè charitas, quæ injuriarum oblita sedere ad Dei dextram præsumit; obtinétque in Christo, quod affectat!

16. Non igitur arduum est ab ulciscendis injurijs abstinere, sed perinde facile ac flammæ in sublime niti, piæque ambitioni sedem in cœlis eniti, ac homini desiderare, ac amare, quod sibi utile visum fuerit: hunc amorem, ut homini proficuum non florum teneritudo, ac discolor elegantia nos edocet, sed vel à silice teneriùs amare discimus. Quis nesciat amorem ex cordis natum ardore ignis non dedignari naturam imitari? Quis nesciat, silicem eò splendidiores emittere scintillas, quò acriùs torquetur, vulneratúrque chalybe? nimirum lapidis ultio solus est ardor, seu amor, non igitur videatur homini durum, quod saxo est splendidum: refrigescit in homine charitas ad ictum alapæ; coronatur verò splendore silex chalybe ictus: convicijs petitus homo omnem à se abigit amoris ardorem; percussus verò silex ignes è sinu evibrat foras: nil splendidius silici vulnere obtingit; nil tetrius homini accidit, quam vel cutis, vel honoris læsio: est amor cordis illex, & fortitudinis silex, qui si feriatur ignes elicit amoris, emicátque in ictu: at homo si vel punctim se sentiat ab acu lædi, omnem extinguit amoris ardorem, torpet pectore, & congelascit animo, & ideò verbo lacessitus, vel etiam verbere ictus non coronatur splendore, ut silex; quia illex amoris non est, neque quos sibi infestus noverit, diligere didicit: silex nunquam splendescit illustriùs, quàm cum acriùs læditur, quia nullam in chalybem ferientem vindictam cogitat.

17. Sed quis ex lapidibus illustrior? silexne, an magnes? quis fortior, aut gloriosior? ille vulneratur à ferro, à quo magnes captivatur: scio apud Ethnicos fortius fuisse vincere, quàm vinci; agere, quàm pati: hostes prostrâsse, quàm aliquid damni ab ijsdem passum aliquem fuisse. Verùm in castris christianæ militiæ fortiùs censetur pati, quàm agere. Scio Memetho extructum à Turcis tumulum ex discecto magnete, quia apud infidos illos ea duntaxat est virtus, quæ ferrum trahit, quò feriat. A Christi autem fidelibus non magnes infertur templis acturus in ferrum, quod ad se alliciat, trahátq; ut feriat; sed silex advehitur, aptatúrq; ornatui aræ, quia ferrum non amat, & pati mavult, quàm agere; compensátque inflicta sibi vulnera micantibus stellulis, quas à proprio emittit gremio.

Hæcque fortassis ratio, cur ex lapidibus voluit Numen filios excitari Abrahæ, non ex magnete: quia Princeps pacis lapidem respuit, qui ferrum amat; & lubentius eo delectatur, qui ferrum tolerat; ejúsque patitur ictus, quibus splendescit illustrior: amat Numen in lapide lumen, quod è vulnere accendit; non tetram obscuritatem, quâ magnes amicum rapit ferrum; hinc Servator Christus Petrum jussit in vaginam gladium recondere, ne qui inter Apostolos suum à lapidibus nomen traheret, & à prædura petra nomenclationem; magnes potiùs ferro amicus, quam silex amoris illex videretur: tolerat ferarum bellicossimus leo leporem illudentem, sed Panteram discerpit sævientem; ea est silicis indoles, ut quamvis teratur, silet, imò fulgurat, splendétque illustrior; cingitúrque stellulis, quibus coronatur, si chalybe feriatur: & homo eò fit illustrior, splendétque clarior, si læsus sileat, si injurias non ulciscatur, si pati potiùs cum silice assuescat, quam ferro adhærere cum magnete. 18.

Verus amor propria non quærit commoda, nec læsiones curat, quia proximo prodesse procurat; exemplo Apostoli, qui cùm Dei, hominúmque amantissimus esset, ait de se ipso: *Non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*, quapropter dixerat: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: & eo exarsit in proximum amore, ut durissima quæque libenter deglutiret, ac excoqueret pro fratribus, quos sine discrimine diligeret, tametsi natione, & conditione discreparent: quia perinde ac in cantu musicæ sunt notæ, quarum aliquæ lineis ipsis inhærent; aliæ interjectæ jacent, duas inter lineas; & aliæ veluti exleges extra lineas, supra, vel infra easdem locantur, quæ tamen singulæ ad harmonicum faciunt concentum, cantúmque juvant: ita ex hominibus sunt, qui leges æquè divinas, ac politicas observant: sunt alij adeò natura faciles, comes, pronique ad nutus aliorum, ut scitè ad omnium se se ingenium accommodent: & hos, qui non amaret, corde faciliùs careret. Alij verò è converso sunt tetrici, asperi, morosi, & veluti exleges; verùm hos verus amor non respuit, sed sincera charitas amicis amplectitur brachijs, neque remissiùs hi sunt diligendi, quia minus affabiles: sunt omnes homines in hoc saltem pares, quia Dei præseferunt imaginem, in quam impensè amor fertur, quamvis plura debeat incommoda subire: charitas enim perinde, ac struthio-camelus ferrum didicit, seu molestias concoquere, & dura quæque injutiarum deglutire, Davidi enim nebulonis Semei maledicentiam generosè digerere volupe fuit 2. Reg. cap. 16. ajebat: *dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini*. 19.

1. Corinth. cap 13.
1. Corinth cap. 10.

ni: nimirum hæc est sinceræ charitatis natura etiam cultros deglutire, & ferrum digerere.

§. IV.

Quem in bruta animantia amorē fovemus, natura dedignatur humana, quia hominem in belluam degenerare adigit, si non effectu, saltem affectu.

20. Sunt ex hominibus, qui suum non in alios homines impendunt amorem, sed vel in bruta animantia, quæ errante prosequuntur affectu: teste Xiphilino Cajus Caligula equorum fuit studiosissimus, unúmque eorum, quem pernicissimum vocaverat, secum ad cenam invitavit, eique hordeum in auro apposuit; fuditque vinum ad potum in poculis aureis, imò eò insanè equum adamavit, ut se eum ad consulatum promoturum polliceretur: cúmque post plura crudelissimè acta se ipsum sacerdotem instituisset, equum accivit in sacerdotio collegam: quid hoc amore insanius? quo vel ipse Imperator in belluam visus est degenerâsse? Scio Alexandrum Macedonem tantum amoris, & honoris impendisse equo suo bucephalo, quo mortuo non solùm monumentum, verùm etiam civitatem ad perennem memoriam construi jusserit, eámque à suo bucephalo denominari. Scio Petrarcham *de remedio utriusque fortunæ* referre, se in Italia quendam novisse virum non vulgaris consilij, qui ægrotanti equo, quem fuerat amore prosecutus aureum pulvinar, sericúmque cervical, ac cubile straverit, & quamvis podagrâ ipse laboraret, equum tamen ter, quatervè quotidiè inviserit, fueritque eum blando quodam murmure consolatus; & nullum non benevolentiæ, ne dicam stultitiæ genus infirmo illi, ac languenti amico impenderit, & mox demortuo fuerit illachrymatus, luxerítque periude, ac ex filijs unum, quod homine sanæ mentis prorsus indignum est.

Dialog. 21.

21. Refert Camerarius horis succisivis *centur. 1.* Equum Selimi Imperatoris Turcarum; quem Spadicei ferunt fuisse coloris, percharum suo fuisse hero, à quo propterea etiam libertate donatum, concesso etiam quoad viveret consueto pabulo, eò quia ejus pernicitate ex prælio, in quo à Bajazete Patre suo prope oppidum Chivili victus fuerat, fugâ salvus evasisset. Exoticus etiam fuit amor in suos equos Athei Regis Scytarum, cui volupe erat suos pectere in stabulo equos, fricare, insternere: cúmque à Legatis Macedonibus in stabulis hæc agens deprehensus fuisset, eos interrogavit, num etiam Philippus Rex Macedoniæ hanc in suos adhiberet equos diligentiam.

22. Mirum quod de exerrante affectu in Elephantum Indorum Regis fertur. Fuit elephas colore candidus, quem Rex Tornai cum possideret; Rex alius finitimus, cui nomen Brama elephantem hunc album ereturus, trecenta millia armatorum in aciem eduxit, ratus ingentes has impensas in bello hoc apparatu struendo optimè collocatas fore, si dignitati, & gloriæ suæ luculentum adjecisset auctarium album, scilicet elephantem: inito tamen bello nil promovit, sed re infecta, imminutáque tertia parte sui exercitus, redux lugubri fuit apparatu exceptus; cúmque pro unico elephante tot hominum millia perierint, tótque sumptus facti fuerint, eò alteri Regi fuit charior: neque permisit in publicum produci absque insigni pompa, & amplissimo comitatu, adeò ut præcederent proceres partim equis centum sexaginta vecti, partim elephantis octoginta tribus, qui cùm plebei essent, seu ex communi sorte obsequij causâ album præibant elephantem, qui sequebatur auro, argentóque gravis, objectis supra ipsum viginti quatuor ex filo serico umbellis contra solis radios, & ipse in proboscide auream sphæram globum referentem terraqueum gestaret: imò ut ab omni injuria tutus incederet, ejus latera utrinque cinxêre tria millia satellitum armis probè instructorum, neque defuêre musica instrumenta, ac citharedi, qui fidibus, & vocibus hilari plausu resonarent. Agmen ferunt, clausisse quadraginta viros Principes, totidem vectos elephantis, & quacunque transiret hæc albi elephanti pompa parietes pretiosioribus videbantur aulæis vestiri, ac superbire, & quoties bestia consisteret, nemini licuit progredi, nec pedem movere; imò quod insaniam videtur redolere, quoties albus elephas urinam redderet, hæc aurea excipiebatur in pelvi, & ad Magnates totius Regni dono mittebatur: verùm quia quævis humana felicitas fluxa est, tandem pretiosus hic albus elephas occubuit, cui parentavit populus, & per mensem in luctu jacuit, ac squalore; & Rex fertur in ejus exequias viginti quatuor millia impendisse coronatorum: ecce quem homo in alium hominem non rependit amorem, in belluam insumit.

Fuerunt etiam, qui suum impenderunt amorem in animalia alia exotica: etenim Ptholomæus Rex referente Diodoro Siculo, vel maximè portentis delectabatur naturæ; vel nunquam visis belluis: Imò amplis sponsionibus hominum industriam excitavit, ut hujusmodi monstra novitate sibi pretiosa conquirerent: & sicut nihil est auro impervium, non defuêre, qui regijs illecti præmijs Africæ, Libyæque sylvas lustrarent, ac deserta percurrerent monstra capturi prodigiosiora non absque proprio vitæ periculo: nullúmque erat tam abstrusum solitudinis antrum, cui auri sitis viam non aperiret; nullum tam impeditum iter, quod spes lucri non complanaret: nullus tam impervius lucus, per quem auri sponsio 23

viam

viam non præsignaret; nullúsque adeò præruptus mons, quem non ascenderet auri desiderium. Hinc contigit, ut juvante solertem audacem fortunâ, quidam ex Libycis venatoribus portentosæ magnitudinis serpentem longitudine excedentem triginta cubitos invenerit stabulantem non procul à fluvio opportuno insidijs loco; cùm enim illuc pecora aquas haustura accederent, priusquam aquas linguâ attingerent, eorum sanguinem consueverat serpens ebibere, suámque sitim priùs extinguere, quàm pecora aquas haurirent: de quo Poëta,

Martius anguis erat cristis præsignis, & auro
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno;
Trésque micant linguæ, tripici stant ordine dentes.

ubi verò conspexit bellua sibi ab hominibus insidias parari acta in iras in obvios quósque sævijt, &

Occupat os morsu, longis complexibus illos,
Os necat afflatu, funesta os tabe veneni.

24. Non tamen qui superfuêre beneficio fugæ destiterunt a parandis insidijs: siquidem venatores fortissimo rete os spelæi, quod tutum fugienti belluæ receptum daret, obducunt, quod intus spatiosè cavum erat, ac validissimis contextum funibus, móxque cùm serpens per finitimam vagaretur sylvam venatores molossos incitant, qui laxatis faucibus oblatrantes anguem terruêre, qui ad consueta cucurrit diverticula, cúmque angustias sui spelæi ingreditur in casses incidit, capitúrque, & vivum Ptolomæo Regi Retiarij Alexandriam attulêre, ubi eò gratior fuit Regi bellua, quò deinde exuta feritate cicurari potuerit. Hæcque causa fuit, cur toto orbe aula commendaretur Ptolomæi, cui quotidianas delicias faceret, sive draco, sive serpens ad societatis humanæ cicuratus assuetudinem.

25. Imò non bruta tantùm, & monstra in delicijs fuerunt Regibus, verùm etiam Heliogabolo Imperatori araneorum telæ. Is enim referente Lampridio modum planè exoticum excogitavit, quô per telas araneorum Romæ amplitudinem dimetiretur. Jussit ad hunc finem sibi colligi, afferríque millena araneorum pondera promisso præmio, & fertur decem millia pondo collegisse, & hinc conijci facilè potuit, quanta esset Romæ amplitudo. Gatys Syriorum Regina adeò fuit appetens piscium, ut referente Antipatre Tarsensi Stoico *lib. 4. superstit.* per præconem jusserit edictum promulgari, ne quis ausus esset sine Gatyte piscibus vesci. Non in animantia tantùm verùm, & in plantas suum Reges amorem impenderunt: refert Herodotus *lib. 7.* Xerxem Regem Persarum in suscepta contra Græcos expeditione Platanum in Libya comperisse, eámque ob pulchritudinem aureo donâsse monili, & ad illam tuendam, ac irrigandam viro Persæ concredidisse. Imò Quintus Hortensius vino suas irrigavit platanos. Etiam in flores amor hominis exarsit, fertur enim anteactis sæculis, hominem divitijs affluentem tulipam (flos est è Syriâ advectus à Pileo turcico suam sortitus nomenclationem) novo eóque exotico ornatam colore adeò deperijsse, ut mille florenorum pretium offerenti vendere recusaverit, cùm tamen nocte subsequente subterraneus mus floris bulbum arrodens enecaverit. Fuerunt etiam ex Principibus, qui exerrantem foverunt in propriam barbam amorem, scimus enim Romæ, Neronem barbam suam resectam in aurea pixide Apollini consecrâsse, & Othonem Magnum barbæ suæ tantùm impendisse honoris, ut per eandem in rebus serijs, gravibúsque negotijs juramenta conciperet; & qui Cæsaris barbam temerè attigisset non solùm Majestatis, verùm & impietatis reus ageretur, ut narrat Balthasar Bonifacius *in historia ludicra.* Lib 12. cap. 15.

Pudeat homines, qui cum monstra, feras, angues impensè diligant, proximum suum novercali odio insequuntur ad necem, plurísque æstiment naturæ probrum in monstro, quàm Numinis similitudinem in homine; feris, plantísque eblandiuntur, & in homines humanum sitientes sanguinem sæviunt; cùm tamen nil homine dignius, nilque laudabilius, quàm hosti parcere, neminique esse damno, prodesse omnibus, obesse nulli; quod Pericles edocuit, cùm enim lenta absumeretur tabe, jámque propè animam ageret, assidentes ad lectum præstantissimi cives, & amici, forsan, ut decumbenti solatio essent, ejus commemorârunt, quas excoluit virtutes; opes, quas cumulavit; egregias dotes, quibus enituit; eorum aliqui res ab eo præclarè gestas recensuerunt; delatas plures è prostratis hostibus victorias; novem trophæa, & plurima, quæ patriæ attulit commoda: hæc & alia id genus submissè inter se adstantes memoriâ refricârunt, quasi æger omni jam sensu destitutus ampliùs non audiret, quæ narrarentur, sed cùm ille attentè omnia audivisset recollecto spiritu, oculísque in adstantes apertis dixit: Miror sanè hæc à vobis tantopere commendari, ac plurimi æstimari, quorum partem fortuna sibi vendicat, & partem aliena industria sibi comparat, quæque pluribus alijs obtigêre Ducibus: & quod à rectè factis conscientiam singulariter regit; quódque excellentissimum meo judicio prorsus amisistis: idque est, *quia nemo ex omnibus civibus meâ operâ pullam vestem induit,* ut indicaret, neminem à se studio læsum. Noverat vir Ethnicus, quanti sit pretii homo, 26.

quanti-

quantíque æstimari debeat, cùm eidem prodesse semper studuerit, & nunquam obesse: & Christiani in schola Salvatoris instructi, quamvis non verbo tantùm, sed fortiùs exemplo Magister Christus eos edocuerit amorem proximi, dilectionem inimicorum; adhuc acerbas fovent inimicitias, lethalia nutriunt odia, & ad internecionem sibi adversantur; cùm Christus lenitate iras extinxerit, mansuetudine sævitiem coërcuerit, & charitate exasperatos animos deliniverit: Christus osculatur sibi noxios; & Christiani mordent, enecántque, quos noverint sibi adversari, ut scribit Apostolus. *Vos invicem mordetis, & comeditis, & ab invicem consumemini*, nimirum Christiani alternis odijs, mutuo livore, dentes acuunt, ut acriùs mordeant; æternásque inimicitias in amaro corde fovent non extinguendas nisi effuso adversarij cruore. An ignorant Dei præceptum? *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* An non intellexerunt Magistri Christi doctrinam? *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.*

Ad Galat. cap. 5.

§. V.

Rationi, ac virtuti nil magis consonum, quàm ut homo sincero amore alteri adnectatur homini.

27. Scimus, Deum innumera propemodum circa vestem summi Pontificis, auream ejus supellectilem Moysi præscripsisse, ac plurima hac super re Moysis commisisse arbitrio, sed cùm primùm ad Rationale venisset pectori appendendum, non dixit: *facies*, aut *calabis*, sed *pones*, ac si diceret de reliquis sacrarum vestium ornamentis disponere ad tuum potes arbitrium; à summa enim mitra, ad imas fimbrias elaborata sint omnia, prout tibi magis placuerit, tuæ enim id industriæ relinquitur: verùm illius ornamenti, quo ingenium, & ratio est cohonestanda, & nomen sortitur *Rationalis* præter me nullus alius erit author. *Pones autem in Rationali doctrinam, & veritatem:* nimirum arbitrio hominum plura solet Numen permittere, ut vovere castitatem, abdicare se humanis dignitatibus, onus subire Religionis. Verùm cùm agitur de charitate; non in nostra id relinquit potestate, sed id expressè nobis præcipit: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, nimirum hæc est sapientia, hæc veritas, quam expressam vult in Rationali pectori appendendo; ut nimirum in corde dilectionem foveamus proximi, non solùm nobis arrideoris, verùm & illudentis: perinde ac variæ Rationalis gemmulæ, quamvis nativo dissimiles splendore, discrepantes colore, magnitudine differentes in candem tamen erant societatem colligatæ. Vult Deus omnes homines, sive affectionibus similes, sive studijs dissimiles, imò & adversarios simul nexos; & unà consibulatos amoris vinculo: tametsi ex hominibus, alius sit adamas nobili prosapia clarus; alius generoso sanguine rubeat in piropum; alius spe ad sublimiores dignitates innutritus virescat in smaragdum; alius ignobili genere natus obsolescat in beryllo; vult tamen Deus perinde ac gemmulas in Rationali Pontificis unà nexos esse homines, quos non sanguinis necessitudo, sed charitatis vinculum copulet; imò vult omnes perinde ac Rationale deferri in pectore, amari corde: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Imò lex ista est non solùm in lapidibus scripta, sed & in cordibus nostris sculpta: hoc est non scripta tantùm, sed nobiscum nata lex est, quam à natura ipsa hausimus: non enim quidquam rationi magis consonum, quàm ut homo amore alteri adnectatur homini; cùm & ipsa bruta animantia impulsu naturæ, & ejusdem sint speciei mutuis nectantur societatibus.

Exod. cap. 28.

28. Imò non animantia tantùm, verùm & in sepulchris ossa arida hunc sentiunt amorem. Ostenderat Deus Ezechieli longè, latéque patentem campum ossibus aridissimis mortuorum oppletum. Jussus est Ezechiel ossibus illis, perinde, ac vivis hominibus concionari, ac iisdem dicere: *Ossa arida audite verbum Domini:* quid ni, ad primum Vatis jussum, se excitârunt, incitarúntque, ut statim voci parêrent Prophetæ, & propterea statim accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, statímque ossa ossibus, articuli articulis, venæ venis, membranæ membranis, nervi nervis jungerentur, ut caput supra collum erigeretur, brachia etiam ad arma capienda extenderentur, pedes ad motum essent expediti, & totum corpus ad parendum Prophetæ paratissimum, ut etiam singula in corpore membra ad propria obeunda munera: percipiebant siquidem aures sonos, quibus pulsarentur, & voces perciperent Prophetæ, dirigerant oculi intuitus ad objecta eminus, & cominus observantia: lingua solvebatur ad verba proferenda: quia *ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steterúntque super pedes suos exercitus grandis valde:* quid quæso nostræ sunt orbes, quibus immoramur, quàm arida ossuaria? ubi inimicitias jam pridem sepultas etiam ex avernali specu excitamus; ubi mutuis odijs colliduntur homines; & corroduntur; ubi homines absque vita charitatis emortui fœtorem spargunt vitiorum: cœmeteria sunt nostræ civitates fœtidis oppleta cadaveribus, aridis constrata ossibus: verùm si cadavera omni spoliata carne, nullo animata spiritu voci fuêre Prophetæ obsecuta dicentis. *Ossa arida audite Verbum Domini*; cor homines rationis compotes, spiritu, & fide animati non audiunt, non hominis Prophetæ, sed ipsius Numinis vocem, *hæc mando vobis, ut diligatis invicem:*

Ezechiel, cap. 37.

Ezech. 37.

invicem: jubentur ossa arida per Prophetam audire, & statim surrexêre, & ambas aperuerunt aures, séque prona præstitêre ad obsequia; & homines ratione compotes, intellectu vigentes, voluntate potentes, audire detrectant vocem Dei? *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Accedant ossa ad ossa, unumquodque adjuncturam suam, nimirum amore mutuo se homines complectantur, charitatis prosequantur amplexu; alter alterius defectus toleret, vitia contegat; alter alteri injurias condonet, convicia remittat, calumnias extinguat, & alter alterum consilio, manu, & facultatibus juvet: hæc est lex charitatis, ut quæ nobis ab alijs fieri vellemus, eadem à nobis alteri fiant.

29\. Hæcque ratio, cur David pro toto populo sacrificium Deo obtulerit, tametsi ex pluribus jam annis à Tribu Beniamin, & Juda reliquæ tribus divisæ essent, & animis diffiderent. *Obtulerunt holocaustomata Deo Israël vitulos duodecim pro omni populo*, quia cùm sacrificium ex sincera prodiret charitate, quæ animos etiam diffidentes componit, ac unit, pro omni populo Israël obtulit, à quo charitas dissidia omnia abegerat, & in unam coëgerat amoris vinculo societatem. Facinus nimis atrox foret inimicitiarum, ac dissidiorum ad aram meminisse, ubi sanguis funditur, quo charitatis purpura rubescat illustrior: quòd si è cruore arietum pulchrior in sanguine boum emersit charitas, quæ vel in lacte toties naufraga perierat, Rei profectò accusamur, si in lege evangelica furor excandescit in asinis, si in sanguine agni extinguitur charitas, quæ in lege Moysis è sanguine boum vegetior emerserat. Sed cur holocaustomata Deo Israël oblata recensentur? & non potiùs Deo Isaaci, Abrahæ, Melchisedechi, Davidis. Quis enim sanctius Numini sacrificium obtulit, quàm Abraham, qui districto gladio brachium extulit, ut filium è vivis tolleret? Quis opportunior in hostiarum oblatione fuit ipso Isaaco, qui aram extruxit, ubi puteum sine jurgio, & rixa suffodit? Quis in ara felicior Davide, qui mistam acturus choreas coram arca duxit? Quis Melchisedecho victimarum studiosior, cùm post triumphum vinum obtulerit, & panem, ceu vitæ tuendæ, & servandæ alimenta, quibus & charitas vegetat, ac incrementum in ara subit: & tamen soli Deo Israëlis vituli jugulantur; an quia lapidem Israël in titulum erexerit, oleúmque fuderit Jacob, ut ad exteros proficisceretur extorris à patria, exul à matre? An gratior hostia si silice pro cervicali substituto, ipsum capitis supplicium in aram excitetur; oleóque pacifico perfundantur, quæ Deo in ara sacrificantur? hoc est, si Deo donemus convicia contra nos prolata; injurias nobis illatas; contumelias, quæ nostro detraxêre honori; & quos novimus nobis infensos oleo deliniamus pacis, ac inimicos apertis ulnis amplectamur, ut fratres: hæc sunt holocaustomata Numini cæteris gratiora, & in quibus non alius absumit ignis victimas Deo oblatas, quàm ipsa charitas; quæ convicia, injurias, læsiones, & damna nobis illata extinguit: hæc si Numini offerantur, nil gratius agimus, & cum Jacobo silicem capitis tortorem erigimus in titulum, pacisque oleo respergimus, cùm præconceptum odium, quo caput dilacerabatur furens in infensum, obliteratur; & inimicum nobis reconciliamus.

Esra cap. 8.

Facilè est sacrificium offerre cum Melchisedecho post receptam libertatem. Ludus est, aram pro pace, & puteo dedicare: at exulantem Jacobum, lapidíque resupinatum Numini litare, próque agno saxum offerre capitis tortorem, seu pravam voluntatem in eos, qui nobis obfuêre, iísque prodesse, non jocus est, sed munus; quo Numen imitamur: plures Deo offerunt, sed cùm singula ad votum fluunt. Benedixit Joachim Deum, sed Bethuliæ obsidione solutâ: plurimum commendavit Tobias Numen, sed receptâ post excussam cæcitatem luce: cecinit Maria, pulsavitque concinnè musices instrumenta, sed Pharaone demerso, & Israële libertate donato: laudaverunt injecti in flammas fornacis Babylonicæ pueri orbis Conditorem, sed illæsi ab igne servati: pauci tamen, qui cum Jobo in ulcerum procella discolorem pacis iridem explicent: sed unus fuit Israël, qui Jobum antecessit, qui doloris instrumenta, charitatis voluit esse blandimenta. *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper*, quot pulvinar felle adspergunt, seu caput turbidis implent cogitationibus, si vel unico lædantur convicio! Jacob autem oleum saxo infudit, seu pacem invexit, quâ oblatæ Numini victimæ gratiores fierent. 30.

Genes. 28.

31\. Uberiùs delectatur Deus condonatis injurijs, quàm victimis oblatis; plus inita pace, quàm effuso boum cruore, hinc Apostolus ait: *Pax Dei, quæ exsuperat, omnem sensum custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo JESU:* hæc enim est illa pax, ait Anselmus, quâ in se ipso pacatus, & quietissimus est Deus, cujus natura pax est: hæc est illa pax, quæ cùm exsuperet omnem sensum, sitque impatibilis, custodit corda hominum; sensus, ac intelligentias: hæc est illa pax; quâ homines injuriarum obliti nullâ tumultuantium passionum pulsantur procellâ, nullis æstuantium affectuum agitantur fluctibus, sed jugi fruentes malaciâ lacteum traijciunt mare, unde Cyprianus sermon. 6. in explan. orat. domin. *Voluntas Dei est, quam Christus docuit, & fecit: verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere:* pulchra est pax

Ad Philip. 4.

pax illa; quæ inter fratres viget, & christiana pacata concordia in unum cogit; hæc est olea illa, quæ feraci succrescens in tellure, fructus producit æternæ salutis, quibus depasti vires reficiunt, roborántque. Imò & invulnerabiles fiunt, quatenus insensibiles vult esse, quos afficit, ad injuriarum dolorem, est enim pax, *qua exsuperat omnem sensum*; videantúrque sensu carere, qui hac fruuntur pace, nullum sentientes injuriarum dolorem, ideóque pax est, quæ cor, & intelligentiam custodit, dicatúrque injuriam facere non posse: quis enim tam injuriarum sensu vacuus, quàm qui offensam pati possit, & nocenti injuriam facere non possit? Is adeò sublimi in injurijs pace perfruitur, ut non solùm eum non turbent injuriæ, non inquietent convicia, non molestent calumniæ; sed nec earum ultio mentem subeat.

32. Quòd si non turbari offensis, non instigari ad vindictam ob sibi illatas injurias inconcussam prodit animi firmitatem, mentémque ad rectæ rationis amussim omnino compositam; summus evangelicæ pacis census est, ultionem etiam à mente excludere, nullámque vindictæ cogitationem admittere. Hac super re Apostolus pulchrè differit, inquiens: si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; non vosmetipsos defendentes, tunc nil contra vos possunt injuriæ: Serica non ferrea sunt, quæ contra vos jaciuntur tela; inermes sunt hostes, neque unde obsint, habent: inde postea concludit igitur: *noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: nimirum noli vinci ab impatientia illatæ injuriæ, cujus læsoræ sensu injuriam passus acriùs instigatur ad graviorem læsionem inimico inferendam; hostem vincit, qui de prolatis convicijs, illatis injuriis, nec ullam ultionis concipit cogitationem: secus vincitur ab inimico, & non vincit, qui se vindicat; is enim ab inimico vincitur, qui ab eodem damnum patitur; & eò plus vincitur, quò damnum sibi illatum est majus: qui verò prolata contra se convicia vindidicat, plus patitur damni in læsione, quàm proximo affert; ob injuriam, quam Deo infert; fit siquidem reus duplicis læsionis; & utramque illusisset, si à vindicta abstinuisset: quo pacto sicut, qui injuriam passus, pacis amore non se vindicat, vincere dicitur; quamvis nulla præcesserit pugna: ita qui fervore vindictæ pugnas init, vincitur, quia pugnat: proindè rectè Apostolus monet; *ut nolimus vinci à malo, sed velimus vincere in bono malum*; si nobis infensis parcamus, vincimus: vincimur verò, si nobis illatas vindicemus injurias: sicut in venia inimicis data invenitur victoria, tametsi nulla præcesserit pugna: ita jacturam reperimus in ultione.

ad Rom. 12.

Sed quæres, quem vincat, qui nullo ulciscendæ injuriæ pulsatur stimulo? se ipsum vincit, & quidem eò illustriùs, quò sanguis non funditur; vincitur verò, qui ultioni adhærens sibi noxios lædit, quia à proprio prosternitur pravo affectu. Quàm durus vindictæ exactor, est animus injurijs lacessitus! quíque pugnacissimè adversus veniam repugnat contumax, pulchrè Galfridus expendens illud. *Quàm pulchra est generatio cum claritate*, ait ipse sumens charitatem pro claritate. *Quàm pulchra est casta generatio cum charitate! castitas, & charitas hanc invehunt pulchritudinem, sine altera enim corpus in putredinem defluit: sine altera verò animus inextinguibilem sibi flammam de ardore sua obstinationis accendit. Quod ne contingat Dominus, discipulos admonens ait: habete sal in vobis, & pacem habete inter vos. Sal castitatis, ne corpora libidine corrumpantur. Pacem charitatis, ne corda dissensione scindantur.* 33

Sapient.

§ VI.

Nulla præclarior est victoria eâ, quâ inflexilis animi contumaciam frangimus, odium in nobis infensos coërcemus, & illatas nobis injurias clypeo retundimus charitatis.

INjuria nobis illata obstinationem nostræ ingerit menti, quâ veniam injuriam ferenti dare valenter repugnamus, & pugnaciùs reluctamur. Pertinax sanè est bellum, quod contra pertinacem geritur animum: sed præclarè vincimus, si ejus frangamus contumaciam; palmas legimus, si eum coërceamus; triumphos agimus, si inimicis convicia in nos prolata, & injurias remittamus nobis illatas; & hoc est, quod ait Apostolus vincere in bono malum, seu in venia inimicis ultrò data; contumacis animi reluctantem duritiem emollire ad veniam: non vincamur igitur à malo, seu non sinamus nos trahi ad injuriarum ultionem, id enim perinde est, ac à pravo proprio prosterni affectu; sed in bono malum vincamus, seu in venia ultrò hosti data reluctantis animi proterviam: hanc nos victoriam edocuit Magister Christus è crucis cathedra, nimirum ut læsi non lædamus, sed lædentibus benedicamus; cui obest non noceamus, sed potiùs eidem studeamus prodesse. Magnum quidem, & ultrò hominem est, asperitatem verborum, & verberum non solùm pati, sed & non reddere. Illud longè excellentius, quódque divinum sapit attributum ijs prodesse, qui nos fuêre odio prosecuti exemplo patientis Christi, qui lædentes se non solùm patienter tulit, verùm & ijsdem profuit, cùm & veniam fuerit elargitus, & æternum 34.

Pat-

Patrem enixim rogaverit, ut munifica sua largitate eos beneficijs cumularet: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt:* nimirum Judæi felle os imbuerunt, clavis manus perforàrunt, lanceâ latus vulneràrunt; eúmque ipsi obessent, ijsdem instrumentis, quibus nocuerunt, ijsdémque membris, quæ læserunt, prodesse Christus voluit; nimirum ore, quo æternum Patrem, ut illis ignosceret, rogavit; manibus, quas aperuit, ut eos arctiùs amplecteretur; latere vulnerato, quo cor ipsum eis ostenderet, ac exhiberet: parum fuisset manibus cruentè perforatis benefacere diris carnificibus, eas terebrantibus; ore fellibus amaricato illis veniam poscere; nisi etiam latere, ac pectore inhumaniùs vulnerato causam inimicorum corde egisset, ne aliqua Christi læsura superesset, quæ erga persequentes benefica, proprio singulariter careret beneficio; quod proximiùs ad divinitatem accedit, summis etiam inimicos velle beneficijs cumulatos: idque est, quod Christus nobis injungit. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos:* nobis præcipit, quatenus in inimicorum dilectione Deum imitemur, qui etiam peccantibus, ac injurias divinæ Majestati irrogantibus benefacit dando ijsdem solem suum, quem facit oriri super bonos, & malos, & cum sole dando itidem pluvias, fruges, imò ad illicia voluptatum, etiam virorem herbarum in pratis, & florum discolorem elegantiam in hortis.

35. Adeò celsi est Numen animi, ut quamvis injurij sint ipsi homines, nullam injuriam sibi factam putet, nullam læsionem sibi illatam censeat; imò tam impatibilis est, ut in eum nulla cadat ira, nullum locum habeat vindicta: & adeò est bonus, ac clemens, ut sua dona munificâ largitate in suos etiam inimicos effundat: sed cur ea tunc speciatim sua vocat dona? dicens, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos:* an beneficia, quæ viris impertitur probis, ac virtutum culturæ addictis sua non sunt? certè cùm ab uno Deo cuncta suum sortiantur esse, quod habent; Deúmque opificem, & authorem cognoscant; necessè est dona singula Dei esse: nihilominus quamvis omnia sint sua, ea tamen sibi specialiùs vindicat, ac sua explicatiùs agnoscit, quæ inimicis impenduntur beneficia, & dona manu impertiuntur munifica, pulchrè Augustinus. *Solem suum vocat, quem oriri facit super bonos, & malos, ut hinc commoneamur, quanta liberalitate inimicis nostris ex ejus præcepto debeamus præstare, quæ nos non creavimus, sed ex munere ejus accepimus:* vocat Solem suum, quia oritur etiam supra malos, quibus cùm prosit, ac beneficia impertiatur, speciali nomenclatione Deus *suum* dicit *solem*, ut divina commendetur erga inimicos beneficentia. Imò id interest discriminis inter Deum, & hominem in diligendis inimicis, quia Deus, cum hominem diligit inimicum, eum suo amore sibi constituit amicum; non ita homo, qui tametsi inimicum diligat, à quo odio habetur, non tamen hic ejus amicitiâ devincitur: hinc conijce, quàm efficax, & beneficus sit Dei amor, qui nequit in hominem à Deo aversum, & Numini inimicum ferri, quin verâ eidem devinciatur amicitiâ? quàm rectè igitur Solem suum oriri facit super bonos, & malos, quos æquè illuminat, amore fovet, & ad suam pertrahit amicitiam.

36. Cùm Deus adeò impensè homines sibi inimicos diligat, ut largioribus eos beneficijs afficiat; non debet homo humanitatem exuere, quamvis inhumanè eum alij prosequantur; si homo est, non potest humanitatis oblivisci: tametsi nonnunquam belluinas iras, ac pecuinos mores videatur induere, quia tamen adhuc homo est, humanitatem non exuit, & cùm ab homine non deficiat, nec debet ab exercitio humanitatis alienus esse. *Is tantùm difficulter* ait Seneca, *ad naturam reducitur, qui ab illa defecit:* Epist. 52. quòd si convicijs petitus, injurijs lacessitus, contumelijs affectus, damnisque læsus, adhuc homo est, neque à natura defecit hominis, exercitia non debet humanitatis oblivisci, neque ob injurias sibi illatas humanitatem deponere: virtus humanitatis difficulter dediscitur, eò quia virtus sit naturæ consona: secus sævities vitij exuenda, quia naturæ dissona, quam deturpat, & corrumpit: odij tetricitas, invidiæ livor, vindictæ ardor vitia sunt homini adscititia, qui ab extrinseco adveniunt, quatenus ab alijs excitatur homo ad odium, invidiam, & vindictam; & quia ob id non desinit homo esse, tenetur humanitati adhærere, ejúsque promovere exercitia, ne desciscat in naturam ferinam, prorsúsque humanitatem exuat.

37. Deponere igitur oportet iram, excindere odium, ac omnem extinguere vindictam, ne naturam videamur deposuisse humanam, humanitatis obliti, ac degeneràsse in panteram ad vindictæ sævitiem exardentem, ad effusionem sanguinis, quem sitit, pronam: nil autem potest homini gloriosius obtingere, quàm injurias oblivisci, quàm damna sibi illata inferentibus dimittere, scitè Augustinus serm. 16. de verb. Domini: *Homini gloriosum est injurias oblivisci:* & hæc ratio, cur studio addicti virtutum, non solùm mala pro malis rependere detrectàrint, nec quidquam noxij inferre voluerint: sed maluerint pro viribus viris sibi infensis gloriosè benefacere, & injurias sibi illatas beneficiorum compensare largitione: sed si ita est, cur

Servator suos dimissurus Discipulos ad Evangelij propagationem, ijsdem injungit, [Matth. cap. 10.] ut ijs, qui perhumaniter eos exciperent miraculorum potestate, quâ instructi erant, benefacerent? sin verò contumeliosè; statim abirent excusso etiam à soleis calceorum pulvere? *Excutite pulverem de pedibus vestris*; ut scilicet pulveris reliquias secum deferrent; & memoriam inurbanitatis deponerent: quasi suis Magister Christus dixisset Discipulis: Si Paterfamilias, si herus cujuspiam domûs vos contumeliosè expulerit, dirisque rejecerit, animóque hostili è suis excluserit laribus, excutite illicò etiam de pedibus vestris omnem domûs illius pulverem, qui calceis hærere posset; hoc est, delete statim omnia susceptæ injuriæ, receptæ contumeliæ vestigia pulverulenta, ne si oculis objiciantur, memoriam refricent peractæ inurbanitatis: quasi diceret, vereor, ne si pulvis ingratæ domûs vestris adhærescens pedibus memoriam refricet contumeliosæ repulsionis, obliviscamini benevolentiæ etiam inimicis, & ingratis exercendæ; & miraculorum potestatem, quâ instructi estis, in vobis ingratos exerceatis, ideóque excutite pulverem de pedibus vestris, ne ulla ingratitudinis memoria vobis inhæreat: scitè Hilarius. [In cap. 10. Matth.] *Existenti in loco, cum loco videtur esse communio; totum ergo, quòd est illius domûs excusso pulvere pedum relinquitur, ne ingratitudinis memores desistatur à beneficijs rependendis.*

38. Hæc est christianæ benignitatis indoles, eò largiùs in laudes efferri, quò probrosiùs videtur contumelijs lacessita: si contrarijs virtus careret, minus clareret; palma nonnisi pondere pressa assurgit sublimior; margarita in sinu conchilij nonnisi fluctuante maris procellâ, & obmurmurante minantis cœli tonitru concipiuntur; tunc ridet in roridæ nubis sinu discolor iris, cùm aër tetra obducitur caligine, multiplici spissato halitu fœdus. Joannes *Matth.* 11. è vinculis suos mittit Discipulos, ut interrogent JESUM, num ipse Messias sit. Quid? an Joannes Baptista, qui adhuc materna inclusus alvo Messiam noverat, & repetito saltu exultaverat, ejúsque præsentiam senserat priùs, quàm nasceretur, nunc dubitatione pulsatur; hærétque anceps; an sit Messias? absit, ut ad id de Joanne suspicandum adducar: specie tenus videtur duntaxat dubitâsse, & tantùm turbas adstantes Christo id sibi seriò persuasisse, censent Interpretum plerique.

39. Id tamen observatu dignum, quia tunc cùm Joannes dubitâsse videretur, dixit JESUS ad turbas: [Matth. 20.] *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* scilicet cùm Joannes extimo in cortice videretur dubitare, & opinionem de Christo quasi dehonestare; tunc Christus illicò Joannem levitatis excusat, fitque ejus Encomiastes, ut pulchrè observat Chrysostomus, hom. 38. in Matth. *Vide, quia removet à Joanne levitatem, de qua turba dubitabant, dicens: arundinem vento agitatam?* cùm enim turbæ submurmurarent, & Joannem inconstantiæ redarguerent; qui cum illustre antea de Christo testimonium perhibuisset, nunc visus sit dubitâsse, Christus impensiùs Joannem excusat, & fusiùs in ejus eximias progreditur laudes: Scio Joannem in Jordane, & non semel alibi Christum mirificè commendâsse, & nullam fuisse tunc à Christo Joannis enarratam virtutem: sed cùm ex turbarum sensu, dubitatione Joannis se dehonestatum senserat, luculentiùs in Præcursoris laudes coram turbis, se diffundere voluit, ut nos doceret benignitatem, & ijs prodesse, qui nobis videntur obesse; laudibúsque eos excipere, qui convicijs nos impetunt. Hæc est christianæ charitatis tessera nobis infensos beneficijs afficere; hæc est lectio illa, quam Magister Christus exemplo validiùs, quàm verbo edocuit: induens enim Regius Vates Servatoris personam, mente præsaga agit de sævitia Carnificum in Christum, & de perfidi Judæ proditione inquiens. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi: etenim homo pacis meæ magnificavit super me supplantationem:* [Psal. 40.] cúmque Servator se ad necem exagitatum prævidisset, & in sepulchro cadaverica exinanitione jacentem, enixim fusis precibus æterno supplicat Patri, ut eum vitæ restituat, reducémque in cœlestem patriam excipiat.

40. Sed si oblatus est, quia voluit, cur adeò impensè petit è sepulchro pristinæ restitui vitæ? Certè ut redivivus impijs Judæis, à quibus cruci fuerat affixus beneficijs prodesset, pergit Regius Vates, & Christi nomine ait: *Tu autem Domine miserere mei: & resuscita me, & retribuam eis*; hæc tota est ratio, cur cuperet è sepulchro resurgere, ut redivivus eis retribueret, cupijt redivivus eis retribuere, hoc est retributione, quæ illis prodesset ad salutem; tametsi plures suppeterent causæ præcocem impetrandi sui corporis resurrectionem: nimirum ut legis evangelicæ digereretur œconomia; veritas fidei vegetior roboraretur; tetras tristitiæ nubes è suis excuteret Discipulis; & præsertim cùm videretur dedecere Servatoris corpus ab omni immune delicto, Deitate delibutum scatere horrore vermium, sordescere sepulchrali in pulvere, deficere corruptionis pædore, umbrisque obduci lethalibus; nullam tamen ex hisce produxit causam ad sui corporis impetrandam resurrectionem; sed ut largiùs suis benefaceret inimicis, qui cùm ipsum non mente tantùm perversa, impijsque consilijs, sed totius corporis adnixu persecuti fuerint, exiguum sibi visum fuerat, si animo duntaxat ijs profuisset, nisi & corpore præsto ijsdem adfuisset;

quasi

quasi diceret *resuscita me, & retribuam eis*, seu æquè animo, ac corpore eis benefaciam, cùm enim toto corpore fuerit flagellis cæsus, non satis censuit, si sola mente opem eis præstitisset, nisi etiam corpore eosdem juvâsset: ivêrunt ad virgas milites, fasces voluêrunt expeditas, instar cyclopum lacertos nudârunt, & innocentissimum Christum, veluti reum ad columnam sævitie ipsis saxis duriore illigârunt, & verberum vulnera, vibicésque in omne corpus impresserunt; adeò ut nulla fuerit flagellorum intermissio, nulla vicissitudo, cùm ictus plurimi veluti grandines uno ferrentur impetu in delicatiora speciosissimi corporis membra; tumerent propterea fusóque sanguine maderent plagæ, quæ tamen nullo fovebantur oleo, quin aliis, & aliis sequentibus dirupta cute, conscisso corpore priores recrudescerent: cùm igitur singula corporis membra sævientium militum sculptam referrent barbariem, id unicè in votis habuit redivivo corpore è sepulchro resurgere, ut non mente tantùm, sed & toto corpore gratiæ beneficentiam pro offensionis malitia rependeret, ideóque enixim æterno supplicavit Patri, quatenus redivivus è sepulchro resurgeret, *Resuscita me, ut retribuam eis*. Plurimum accrevit gloriæ Christi corpori etiam ex munifica beneficentia in inimicos exercenda, angusta videbatur gloria nisi largiori munificentia in hostes dilataretur.

§. VII.

Verus in proximum amor illata sibi obliviscitur injuria, & flammâ charitatis absumit relicta vestigia, ne memoriam refricent ad vindictam. Satagitque beneficijs maleficia compensare.

41. ADversarios eò impensiori prosequamur affectu, quò diriùs nobis nocuêre; eò pluribus cumulemus beneficiis, quò acriùs in nos sævierunt; exemplo Josephi Patriarchæ hostilis benevolentiæ illustris gloria *Geneseos 40.* cum squalido, diróque carcere diu detineretur innoxius, rogavit Pincernarum Præfectum de se benemeritum ob faustum somnii interpretationem, ut suam suggereret Pharaoni ab ærumnoso illo carcere liberationem: *Quia furto sublatus de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum*: quæ verba expendens Basilius Seleuciensis ait: *Quâ lingua pro dignitate eam laudet orationem, quâ verborum quoque humanitate cum inimicis usus est? non invidentiæ recordatus, non fraternam incusans crudelitatem, non venditionem recensens, non mortem meditatam exponens, non mulieris immoderatum amorem, non suam temperantiam, non illius importunitatem*: nimirum summæ virtutis est pacatè implicata odia recensere, & damna, quæ quis passus est serena mente commemorare; præsertim cùm refricata injuriarum commemoratio incentivum soleat esse vindictæ, & fomes furoris: mente pacata, fronte serena, ore placido, verbis blandis de susceptis loqui injuriis, offendentium dissimulare malitiam, præcox fuit summæ Christianæ virtutis fructus: pergit Præsul Seleuciensis inquiens: *Josephus invidiam, venditionem, belluinámque immanitatem, humanitatis ulciscitur obsequijs: terriculamentis ludicris utitur, minas, quasi in scena consequitur, iras histrionicè repræsentat*: & nonnullis interjectis subdit: *Vidisti divinis præceptionibus inhærentem, osores amantem, novi testamenti conservationem enuntiantem*. Scilicet Josephus prematurè oblectus legi Evangelicæ ejus præcoqua obedientia præceptiones munivit Evangelicas: divinis enim præceptionibus inhærens, amánsque osores, novi testamenti enuntiavit conservationem: fuit siquidem osoris amor, Evangelicæ prodromus perfectionis, ac Christianæ virtutis Præcursor, ac veluti construendæ Evangelicæ legis fulcimentum, seu primum, cui inniteretur, fundamentum; osores enim qui diligit, Evangelium suffulcit: nimirum inimicos qui amat, fulcrum est Evangelii, ac perfectionis Christianæ fundamentum, quasi hæc nutet ruitura, nisi in hostes fulciatur benevolentiæ fulcris

Gen. 40. — *Orat. 8.*

42. Osores qui amore prosequitur, injuriásque sibi illatas, & damna allata beneficiis rependit in studiis virtutum plurimum præsumitur profecisse; imò & Christianæ perfectionis supremum attigisse fastigium: redundantia amoris in hostes sinceram prodit in Numen, & reliquos homines dilectionem; qui enim vero in hostes sibi noxios exardet amore, uberiori flammâ æstuabit in alios, à quibus nihil in se noxii noverit derivâsse: & uberiori amoris incremento in ipsum Deum, è cujus munifica beneficentia innumeris cumulatur donis: est igitur, fraternæ charitatis redundantia in hostes, argumentum divinæ veritatis, fulcimentum disciplinæ Christianæ, ac validissima Evangelicæ legis conservatio: hæc enim tamdiu stat inconcussa, quamdiu hostibus non impetitur, nec labefactatur machinis.

43. Quemadmodum nullum validius fulcrum sustentandæ Evangelicæ perfectioni adaptatur amore etiam in hostes redundante, ita nullus suffodi potest perniciosior cuniculus eidem evertendæ, injuriis vindicandis: inimicum, qui odio prosequitur, ferróque ad internecionem insequitur, non solùm vulnere, quo hostem cruentat, perfectionem lacerat Evangelicam, verùm & se ipsum diriùs discerpit, sauciátque: *dixitque Lamech uxoribus suis, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livore meo: septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies*: ex quo ansam sumpsit S. Augustinus asserendi, homicidam

Genes. c. 4.

suam ante interficere animam, quàm hostis corpus inflictis discindere vulneribus. Geminam procreaverat Lamech prolem ex Ada, & Sella duabus ejus uxoribus, nimirum ex Ada Antesignanus hic bigamorum genuit Jubalem, qui pulsandæ citharæ assuescens, pater audit canentium: ex Sella genuit Tubalcain Malleatorem, & fabrum æris, ferríque: sed quid? quòd ex uno Lamecho tam dispari, & discreta conditione nascantur filii duo, citharedus unus, alter malleator? hic toto brachio incudem verberat, ille fides summis digitis argutè pulsat: unus citharam, alter ferrum tractat: Jubal fila tendit; Tubalcain ferrum tundit; ille pulsu aures allicit, hic impulsu aures flagellat. An quia dissimilior Lamech in se, quàm in filiis fuit? ipse siquidem deliciis solutus duas effæminatur inter uxores; & interfecti à se adolescentis simul cruore rigescit; hæreásque propterea anceps, num plus efferati, an effæminati in Lamecho deprehendas. An ut disceremus, eodem natas parente pulsatæ citharæ blandam voluptatem, & vibrati gladii trucem feritatem? quasi Mars, & Venus eodem recipiantur hospitio, eadem communi copulentur in domo? An quia sicut venenum anguis effundit in osculo, ita feritas blanditiis palliata lethaliùs vulnerat in rosa? sed quid, quòd Lamech suis dicat uxoribus: *Virum occidi in vulnus meum, & adolescentulum in livore meo.*

44. Cur etiam dicit septulum dari de Caino ultionem, & de Lamecho septuagies septies, Memoriam refricat Abelis interfecti Numinis judicium; quo extorrem jussit fratricidam Cainum, non tamen neci tradendum: Genes. 4. *Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*, non igitur Deus fratricidii vindex Cainum jussit septuplum plectendum, sed eum, qui in Cainum violentas injicere manus ausus fuisset; & nihilominus Lamech suas alloquens uxores affirmare videtur, Cainum septuplum plectendum esse, ait enim septuplum ultio dabitur de Cain: sed quomodo Cain se ipsum interfecit? quomodo septies sui homicida fuit? quo gladio membra confodit, séque interemit? gladio desperationis, quia se vulnerat, séque interficit, qui peccat. Videtur hostilem, qui sanguinem fundit, in hostis lapsu resurgere, in ejus vulneribus integrari, & in funere vivere; & tamen oppositum Lamecho obtigit, cùm dicat *occidi virum in vulnus meum*, vocat vulnus suum, quia vulnere, quo adolescentulum interfecerat, sibi damnum intulerat, & vulnera adolescenti inflicta in ejusdem Lamechi cessêre lethale vulnus: non enim potest quis se le graviùs vulnerare, quàm qui septuagies septies plecti meretur, & se ipsum tam gravi, ac repetito supplicio lubens obtrudit: *septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies.*

45. Sed cur mitiùs de Caino supplicium exigitur, cujus ultio nonnisi in septuplum repetita ferocit, & in Lamechum septuagies septies insævit? an non mitiùs solet supplicium esse post patrati sceleris exemplum? An non primus flagitii Author cùm ausus fuerit sancitam legem, vel in ipsis eunis vulnerare graviùs puniri assolet? An non primus criminis Magister gravitate supplicij constituitur, ut ab imitatione cæteros deterreat? An non leges, quæ recèns sanciuntur sanctè consueverunt semper custodiri, ut neque leviores earundem læsiones negligantur? Nonne Jonatas pauxillâ mellis stillâ extinctus fuit, eò quia eodem die, quo nata, sibique data lex fuerat virgæ sumitare eamdē violare ausus fuerat? An non protoplastes Adam primam divini præcepti transgressionem in esu pomi innumeris luere ærumnis adactus fuit? Quid igitur quòd Lamech severiùs puniatur post Caini fratricidium? nimirum quia id singulare est in homicidiu supplicium; qui enim primus interfecit hominem, moti nondum assueverat, nec didicerat; cùm, quàm portentosum esset parricidium, minimè novisset; ideóque mitiùs punitur Cain, cujus ultio nonnisi in septup lum excrevit. Lamech verò cùm nulla potuerit se excusatione purgare, cujus ante oculos Abelis cadaver putruerat, didicerat, quantum adferat homicidium damni, quod cùm sciens adhuc intulerit; meruit longè gravius plecti; *De Lamecho verò ultio dabitur septuagies septies.*

Si seriò expenderent proximi sanguinem sitientes, quantum inferat homicidium 46.
damni non tam occiso, quàm occidenti, promptiùs oblivione, quàm cruore illatas sibi delerent injurias; exemplo Angelorum *Delebimus locum istum, eò quia increverit clamor eorum coram Domino:* Genes. 18. expetiti à populo Angeli ad probrum paulò ante fuerant, & tamen gravissimæ hujus injuriæ sibi illatæ nullam fecêrunt mentionem, quia nimirum injurias sibi illatas oblivione, non sanguine extinctas maluêrunt; idque non parum reverentiæ iisdem attulit, cùm proprias oblitē injurias tantùm asservêre crimina Sodomorum in summum excrevisse facinus, non amplius à Numine tolerandum, ideóque urbem tot sceleribus infamem ruituram: non suas proprias, sed Numinis ulciscuntur injurias: imò nec meminerunt illatæ sibi contumeliæ, ne fortè viderentur non tam Dei, quàm suam propriam agere causam. *Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos,* Genes. cap. 19. *qui accepturi erant filias ejus, & dixit: surgite egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.* Sed Angelis, qui oblivione injurias sibi illatas delevêre, haud absimilis fuit Loth; potuisset hic in eversione urbis suos neglexisse generos, cùm ab iisdem neglectus, & ipse fuerit paulò antè, cùm ejus oppugnaretur domus, & à quibus non solùm suppetias non accepit, sed detrimenta passus fuit, & oppressiones; siquidem nullus adfuit è populo,

pulo, qui non irruerit in Lothum, cùm effrænis populus insolenti exagitatus concupiscentia Angelos hospites expeteret ad probrum, deposceret ad flagitium: & tamen ab Angelis edoctus hospitibus, maluit Lothus injurias sibi illatas à sanguine junctis, & necessitudinis affinitate obstrictis oblivione prorsus delere, eos servaturus ab incendio, à quibus non fuerat ipse servatus ab injutiis sibi irrogatis, imò & fœdum in modum oppressus.

47. Sed quàm amarè ab hoc te amore sinunt se colligari, etiam qui sanguine sunt conjuncti! noverat Loth suorum perfidiam generorum; noverat ab iisdem sibi denegatam opem, imò & illatam domesticis suis parietibus violentiam, quin & adjutum ab iisdem in scelera populum, expetitósque ab ipsis ad probrum Angelos: tùm audivissent filias sibi desponsatas pro hospitibus prostituendas, moti non sunt, ut averterent furiosos à scelere; ne puellæ tanti dedecoris probrum paterentur: & nihilominus impii, infidi, diliguntur, servantúrque, imò & monentur, ne unà cum urbe evertantur, extremúmque sentiant supplicium: excidit è Lotho injuriarum memoria, ut starent ij, ob quorum flagitia domus propria, unà cum urbe erat ruitura: extingui non potuit amor in sui oppressores, tametsi urbs tota extinguenda damnaretur ad rogum; quia nimirum justitia perit, ubi amor etiam in hostes non redundat.

48. Hinc justitiæ præ cæteris addicti hunc impensiùs foverunt amorem; nonne David Absolonem, rebellem, fratricidam, patris implacabilem hostem, uxorum fratris fœdum concubitorem servari exoptat in acie, quam ipse vel contra proprium parentem instruxerat? *Servate mihi puerum Absolon.* Nonne Jacob moriturus impensiùs Esau fratrem dilexit, quem tamen adversarium semper senserat? Loth imminente urbis excidio amore ductus in generos, quamvis sibi noxios, eos monet, ut euro citiùs surgant, utbémque egrediantur: *surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Deus civitatem hanc:* sed perinde fuit, ac surdis canere, cæcisque spectra ostendere: siquidem *& visus est eis quasi ludens loqui:* si statoram dixisset urbem tot criminibus constupratam, tot sceleribus fœdam, tot vitiis sordidam, fortan lachrymis eluere scelera fategissent: sed quia labentem in flagitiis, evertendam in sceleribus, extinguendam in flammis urbem prædixit, non lachrymas elicuêre, sed risum ediderunt: adeò excutit scelus, ut nemo scelestus sibi supplicium imminere persuadeat. Monebat Loth, aderant Angeli ad probrum expetiti, prodigium cæcitatis prolusetat urbis excidio, scelera sceleribus agglomerata exundaverant; & tamen insanire putatur Loth; eò quia imminens petituræ urbis præsagiat excidium: si non ignes, sed roscidos imbres; si non ferale excidium, sed festiva solatia; si non urbis ruinam, sed civibus prædixisset hilaria creditus fuisset vera prædixisse; adeò scelus judicium corrumpit, ut is prophetare credatur, qui eidem eblanditur: is vera loqui, qui solatia prædicit; qui verò excidium prædicit ludere censetur. *Et visus est eis quasi ludens loqui.*

49. Nuntiare supplicium sceleratis vix possumus, quin delirare credamur. Quàm arduum est, quàm difficile, quod non placet credere excidium! in supplicio timorem Dei non discunt scelerati, quamvis scelus prostet, supplicium immineat, & Loth prophetet, & oculorum cæcitate urbis sit incendio & excidio prolusum. Sed quid suis Loth generis suasit, quo eis invisus fieret? an jejunia, quibus corporis membra viribus destituerentur? an vigilias, quibus vultus impallesceret? an cineres, quibus vestes sordescerent? an cilicia, quibus corporis cutis discruciaretur? fortassis si hæc suasisset minimè ijsdem fuisset contemptui, cùm hæc non adeò contingant scelestis exosa; ut ingratum iisdem videtur abire à vitio, discedere à loco, ubi peccatur: suasit igitur Loth, quòd suis etiam oppressoribus optimum erat, *surgite* scilicet è cœno vitiorum; suasit egredi è loco, in quo peccandi contraxerant consuetudinem; *surgite egredimini de loco isto:* sed *visus est eis quasi ludens loqui*, quia nimirum duo proposuerat, quæ vel maximè horrori sunt peccantibus: *surgere* scilicet è cœno libidinum, in quo hactenus jacuere; & *egredi* de loco scelerum, insolitásque peccandi rescindere occasiones: ita est consuetudo peccandi propensio sit naturæ, & promptiùs libidinibus immersus vigilias protrahet, jejunia multiplicabit, pecunias distribuet pauperibus, séque flagellis cruentabit, quàm in cœno non sordescere libidinum.

50. Propheta Jonas, seu vir ignotus ex navi naufragus in fluctus mersus à pisce haustus, à Numine profugus, miser, pannosus, feminudus, nullo clarus eloquio, nulla blandus comitate, sed prorsus inurbanus clamat in Ninive civitate grandi, & pœnitentiam indicit in cinere, & cilicio: vix loquitur Propheta, & Rex ipse exutâ purpurâ, deposito diademate in luctu cubat; in cinere jatet, ac jejunare adiguntur non viri tantùm, sed pueri, ac puellæ, ut tota civitas pœnitentiam ageret: nimirum promptiùs auditus fuit, simúlque exauditus Propheta, quia solum præscripsit Ninivitis pœnitentiam, qui fortassis aures clausissent, si discessum ab urbe monuisset; si deserere scelerum illicem, locúmque, in quo delinquere consueverant, derelinquere debuissent; nimirum quod necessarium est ad radices amputandas vitiorum in scelestis magis exosum videtur; qui folia promptiùs, & palmites pœnitentiæ carpunt, quàm in racemis spumantem vindemiam: solis delectantur foliis, cum botros negligant. Non resipiscit, sed desipit, qui cilicio clamydatus è cœno non surgit libidinum.

§. VIII.

§. VIII.

Ubi charitas odia abigit, & rixas comprimit; ibi Dei munificentia cumulatiùs suis nos replet beneficijs, & uberiora solatiorum emergunt incrementa.

51. Non fertur ad DEUM; qui armatus incedit in hostes; mentem in cœlum non elevat; qui in terris latus gladio munit: hæcque fortassis ratio, cur in horto Gethsemani, Petrus nec una hora potuit cum Magistro Christo orare; quia gladio cingebatur, suum quidem propugnaturus Magistrum, sed etiam pugnaturus contra hostes Magistri, suúmque vulneraturus proximum. En inclusus vaginâ ferrum non permisit aureum Apostolorum caput mentem in cœlum erigere, & æternum Patrem enixim exorare, tametsi nocte illa fuisset sacris initiatus, pluriésque à Christo monitus, ut oraret: & quomodo orationi erimus vacaturi, precésque Numini fusuti evaginatis, districtisque gladiis armati. Quomodo accessuri ad Deum erimus, si à præconcepto in hostem odio non recedimus? si injurias nobis illatas, & damna allata hilares hostibus non dimittimus? Isaac sua ab iniquis cùm repeteret, Deo caruit, & nos frui Deo censebimus, qui quotidie cum fratribus rixamur? Respuit Deus eorum societatem, qui ferro cinguntur, quod in hostes evaginent, andent, vibréntque. Petierat sponsa à dilecto suo sponso *Cant. 1.* ubi pasceret, cubarétque, quem absque circuitu inveniret: *ubi pascas, ubi cubes?* & vel ipsa sponsa testatur, suum nonnisi in liliis sponsum pasci *qui pascitur inter lilia.* Sed cur non potiùs in rosa, quæ foliorum purpura cæteris præcellit florum speciebus: est enim cæteris elegantior floribus; frondibus enim convestita ex smaragdino dehiscentis calicis conclavi multiplici foliorum syrmate regaliter explicato in publicam prodit lucis usuram: pompâ enim tum foliorum, tum colorum penitus patefactâ nativum in calathum liberaliter tota vernantium deliciarum explicatur ambitio: cur igitur sponsus in rosis potiùs non pascit, quàm in liliis? quia rosa tametsi cæteris gratiosior ac elegantior floribus, rubet tamen in foliorum pompa: germinat priùs granoso inclusa cortice, quo mox intumescente, ac in virides fastigiato smaragdos paulatim rubescens dehiscit; séque pandit rubore suffusa: sacer sponsus Princeps est pacis, lilia præfert rosis, quia vel cruoris umbram in rubore floris horret; mavult candori præludere innocentiæ in liliis, quàm purpuram sanguinis prodromam induere in rosa; ne scilicet, vel colore rixarum lædetur in rosa, qui pacis cultor cubat in liliis. Falleris, si munitus gladio, si rixas fovens sponsum putas invenire.

52. Pinguiori invidentes Palesthini Isaaci fortunæ, puteos, quos foderat obstruxerunt, sed *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt:* scilicet ab eo profectus puteo, quem *inimicitias* vocaverat, omnia prosperè ei cessêre; & ad votum fluxerunt; ubi enim rixæ compressæ fuerunt, inde solatiorum emersêre incrementa, ibi amplior latitudo, & Numinis visio: *Itaque* Genes. 26. *vocavit nomen ejus latitudo dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram,* quia ubi rixæ omnes comprimuntur, bona sperari possunt omnia: quamdiu enim rixati fuerant servi Isaac cum Palesthinis, quamvis æquo Marte, sua defenderent, Deus non apparuit: sed cùm primùm est rixis finis impositus, tunc Deum videt Isaac in loco scilicet procul ab inimicitiis; hoc est in Bersabee loco scilicet pacis, procúlque à rixis, & inimicitiis: *Ascendit ex illo* Ibidem. *loco in Bersabee ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte* Bersabee dictus fuit locus ille ubi Abraham cum Abimelecho fœdus inivit, *Idcirco vocatus est locus ille Brrsabee: quia ibi uterque juravit. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti:* ecce ubi fœdus initur amicitiæ, ubi olea virescit pacis, ibi Deus apparet beneficus. Non palmæ de hoste prostrato, deque inimico debellato iter ad Deum nobis sternunt; sed pacis oleæ, quà sit ad Numen eundum præsignant, ideóque Christus, ut nos ad se trahat monet, ut inimicos diligamus, omnem deponentes inimicitiam, omnéque exuamus ad vindictam incitamentum.

53. Hanc in adversarios charitatem didicerunt quotquot suprema attigêre virtutum fastigia, imò & ipse Christus à Deo Patre, in quo augustissima eminet in hostes benevolentia, unde ait Christus: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos:* Matth. 6. dein causam producens finalem subdit: *Ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Sed quomodo amore erga hostes fieri potest, ut sint homines filii cœlestis Patris? etenim cùm sit Deus Pater omnium nostrûm, eúmque talem dietim vocemus: *Pater noster, qui es in cœlis,* jam sumus ejus filii, nec est, ut satagamus fieri, quod jam sumus; propterea frustra laboramus, quò omnis hostilitatis deposito animo filii ejus fiamus, qui jam Pater est noster; nisi fortassis possit in id homo niti, ut sit filius sui Patris, cujus antea non esset filius, quod hæresin redolet Philosophicam; Patrem nimirum admittere sine filio, unum correlativum absque alio. Non tamen, me latet, S. Petrum Chrisologum emedullantem verba filii prodigi: *Surgam, & ibo ad Patrem meum,* Luc. 15. cùm antea bona dilapidâsset sua, luxuriosè vixisset, & cum porcis se in cœno volutâsset vitiorum, ita pulchrè fari: *Egò perdidi quod erat filij, sed ille, quod Patris est, non amisit.*

Id pro-

54. Id proprium eft divinæ benevolentiæ, ac amoris, ut quamvis homo Deo infenfus, & averfus illuftrem per lethalem culpam titulum amiferit divinæ filiationis: non tamen DEUS blando Patris fe titulo abdicavit; fitque propterea DEUS beneficus Pater, ac paternam exerceat benevolentiam in homines, quamvis fibi infenfos, fibique inimicos, & à fe averfos: tametfi homines per culpam lethalem DEI amiferint filiationem, non tamen dimifit DEUS offenfus paternitatem; quia nomen Patris thefaurus eft pietatis, & promptuarium benevolentiæ; hinc Deus oftenfurus hominibus cumulatiorem benevolentiam, etiam in eos ob lethalia crimina à fe averfos, fibi invifos, ac inimicos, adhuc fibi complacet in eo, quòd fit eorum Pater, tametfi non fint ipfi ejus filii, largiorem munificentiam, blandiorémque profufurus benevolentiam in filios etiam alienos, feu adverfarios, inimicos, & per lethalia fcelera à fe averfos: quia nomen Patris, conftantem, pièque pertinacem fonat amorem, ac munificentiæ officinam, quam propterea DEUS, quia Pater, largiffimè etiam in fuos exprimit inimicos; quibus fua impertitur dona, elargitur auxilia, quibus refipifcant, induántque iterum filiationem, quam peccando exuerant; hæcque vera ratio, cur poffit quivis fatagere, ut ex DEI inimico, eique exofo inftituatur filius DEI; fi nimirum fciat diligere inimicos, deponere omne odium, exuere omne vitium, malúmque animum, & benefacere etiam iis, qui nos oderunt; ut nimirum fimus filii Patris noftri, qui in cœlis eft, hoc eft ut ejus gratiæ reftituti ei placeamus, à quo receffimus.

55. DEI qui verè eft filius, & amicus, hominum non provocat inimicitias, imò & eas illicò excutit, & fibi incumbit & charitati, quia DEO unicè accumbit: quæ extra fe foris agantur, quafi aliena putat; virtutem tantùm excolit, cujus fructu nutritur, & pinguefcit: injurias fibi illatas, & damna fibi allata perinde ac fi ipfum non tetigiffent, nihili facit, fed inulta patiens convicia iners effe à mundi hominibus cenfetur: inertiæ tamen ab infipientibus redarguitur notâ, cùm gloriofiùs agat quocunque Urbium expugnatore; inertiam dixeris, fed operofiffimam, quâ vir iners naturæ pronitati reluctatur, irafcentis animi coërcet impetus, ferocientis iracundiæ compefcit motus, infurgens vindictæ defiderium comprimit, & fe ipfum vincens gloriofum de fe ipfo triumphum refert. Operofiffima igitur eft inertia filentium neglectæ injuriæ, cùm ad inertem injuriæ diffimulationem univerfa propemodum virtutum concurrat cohors, ac longè negotiofior, operofiórque virtutis induftria, quàm fi bellico apparatu, fi acie inftructa, arma armis collifa pugnam inirent, non tam cruore, quàm fudore madidam. Eft filentium neglectæ injuriæ, inulti convicii, non iners otium, fed fummæ virtutis labor, ac eminentioris negotium fanctitatis. Silentium eft, fed quod illuftrius fine ftrepitu vocis, fine tumultu verborum triumphum loquitur fui ipfius; etenim huic inerti filentio neglecti convicii infidiatur natura, cui nil pronius, quàm malum malo trudere; verùm hanc pronitatem compefcit iners quod dicitur filentium, cui divinior favet gratia, qua ad cœleftis patriæ evehitur triumphos, & ad gloriam æternitatis. Quid generofiùs, quàm gratiâ rependere injurias, quàm damna allata compenfare cumulatis beneficiis, & adverfariorum malitiam bonitate remetiri?

56. Id generosè præftitère fummarum excultores virtutum, quique Numini adhæsêre. Scio Davidem inter Reges optimum, indolis bonitate, morum comitate, virtutum excellentia inftructum; fed fcio etiam ipfum hominem, ac plura ut hominem paffum, non folùm à Saule adverfante, verùm etiam à filio Abfolone infolefcente; qui æftu juvenili abreptus regia nobilitate fuperbus, pingui opulentiâ, Regisque Patris conniventiâ ferociens, non folùm fratrem Annonem infidè trucidavit; verùm, ad id etiam devenit Abfolonis infolentia, ut in Patrem perfidè rebellaverit, occupaveritque armorum violentiâ urbem Jerofolymam, Regiam expugnaverit, ærarium expilaverit, Patrísque concubinas infando fcelere conftupraverit, & tandem Patrem ipfum in fugam coëgerit turpiffimam, ídque ambitione inflatus præmaturè regnandi. Sed cùm Abfolon conftructo exercitu maturaret Patrem opprimere, è Regia pellere; Regnúmque fibi ufurpare; jámque ob id aciem inftrueret; etiam David ad iniquam propulfandam violentiam, ipfisque proprium propugnandum fuos accerfivit milites, compofuit exercitum: fed Duci Joabo, reliquifque militibus exeuntibus per urbis portam ad prælium feriò præcipit, injungítque, ne filium fuum Abfolonem, quamvis fibi inimicum, & hoftem læderent: *Servate mihi puerum Abfolon.* 2. Reg. 18. Tametfi verfaretur David in imminenti difcrimine regni amittendi, fimúlque vitæ perdendæ, & Abfolonem noviffet fibi adverfarium, hoftémque juratum, cùm tantum nefas impiè moliretur; anxius tamen fuit de ejus incolumitate.

Exit ab urbe David exercitus ad Abfolonis coërcendam infolentem audaciam, fugandósque, quos perfidæ rebellionis focios fibi adfcitos voluit; fed id enixim injungit David fuis militibus, ne quidquam damni Abfoloni quamvis rebellanti, & Patris internecionem molienti inferrent: *Servate mihi puerum Abfolon:* Nunquid eximia hæc eft in hoftem infenfiffimum benevolentia? nimirum ubi dicitur *Servate mihi puerum*

Absolon, septuaginta Interpretes legunt *parcite* puero Absoloni; quasi diceret parcite vos, quos Absolon non læsit, cùm ipsemet, qui lædor, ei parcam; ne geratis hostilem animum contra non vestrum, sed meum duntaxat inimicum; ego ipsi condono mente sincera, apertóque corde; non est cur vos in ipsum debeatis irasci: nil impensiùs cupio, quàm ipsum ut filium exosculari; cavete vos, ne ullum eidem vulnus infligatis, sed estote bene affecti erga proximum, ut ego in infestissimum hostem, qui molitur, me diademate, & chlamyde despoliare, regnóque pellere, imò & vitam mihi adimere: quòd si parco ego hosti, à quo gravissimè lædor; cavete vos, ne sæviatis in proximum, à quo nihil suscepistis nocumenti. Vobis Absolon nil detrimenti detulit, nil mali contra vos cogitavit, neque ut inimicos fuit persecutus; sed dumtaxat contra me militum copias conscripsit, exercitum congessit, bellicum occinuit; cui tamen injurias mihi illatas ultro condono. Non diffiteor, Absolonem stultè æquè, ac malignè agere contra me: non diffiteor avernalem mihi hostem esse, cùm tam pertinaci, tamque improbo, ac perverso animo contra me insolescat: sed servate mihi stultè malignum Absolonem, quia cùm totus mihi avernaliter malignus sit, totum mihi servandum opto, & injungo, quia totum eum mihi exambio: idque enixim cupio, eum totum mihi vivere, qui totis viribus vitæ insidiatur meæ, & totus mihi est malignus, totus avernalis hostis: volo ut diu mihi vivat, qui præmaturam meam molitur mortem, præsumítque mihi superstes diutiùs regnare. An non David egregiè Evangelicæ prælusit legi, quam priùs servaram voluit in conservato Absolone, quàm Apostolicis promulgaretur præconibus?

58. Quotquot summas excoluêre virtutes in id vel maximè incubuerunt studij, ut non solùm illatas sibi injurias oblivione oblitterarent, verùm, & beneficiis suos afficerent adversarios: idque, cùm non latuisset divitem Evangelicum, tametsi totis gehennæ tormentis excruciatetur in inferno, quia tamen durus fuit, & inhumanus adversus Lazarum, cui micas etiam panis denegavit, unicè sperat fore, ut Lazarus summis excolendis virtutibus assuetus, & cœlesti gloria donatus possit eidem esse solatio, proinde alloquens Abrahamum, in cujus glorioso sinu nuper ærumnosus fovebatur mendicus, ait dives Epulo: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16.
Putares Epulonem olim divitiis affluentem, sed mox insaniâ laborantem; cùm Lazarum ad sui expetat miserendum, in quem fuerat ipse immisericors, & inhumanus. An solum Lazarum ex tetra gehennali sua caligine viderat in cœlesti Abrahæ sinu beatifico circumfusum splendore, quem olim viderat ulceribus fractum, fœdóque madidum cruore? quòd si plures in sinu Abrahæ eodem beatifico splenduêre nitore, cur è tot beatis unum Lazarum seligit ad sui miserendum? cur eum præ cæteris vocat ac desiderat, quem graviter offenderat, & non potiùs alios, quibus infensus non fuit? Nimirum cæteris prætermissis unum seligit Lazarum sperans fore, ut esset eidem solatio, eò quia fuerat illi inhumanus, durus, ac immisericors: sciverat Lazarum summas excoluisse virtutes, nilque eidem magis volupe obrigisse, quàm in iisdem excolendis se exercere, cúmque summa sit virtus iis prodesse, qui obesse voluerunt, vel saltem contemptui habuêre, ideò unum præfert cæteris Lazarum, à quo aliquid speraret solatij, quia homo summa virtote illustris, quò plus contemnitur, ac detrimentum patitur, eò fit aptior ad uberiora adversariis præstanda beneficia.

59. David non solùm in rebellantem, ac insolescentem Absolonem beneficus fuit, verùm & in Saulem persequentem. invidiâ cùm torqueretur Rex Saul, eò quia David plures, & quidem illustriores retulisset victorias, sibique promeruisset totius populi laudem, & benevolentiam, eum immeritò persequitur, quamvis David fuisset de Saule maximis beneficiis benemeritus. Fugit David furentes Saulis iras, pérque avia deserti, & invia Engaddi montis, rupiúmque crepidines, viasque humanis ferme vestigiis inaccessas, diúque huc, illúcque discurrens vagatur, nullibi tutus à Saule, qui militibus stipatus montem conscendit, ut caderet David; sed in declivi montis ascensu tenebricoso hiatu offertur spelunca, in quam alvum purgaturus ingreditur Saul: latebat David cum suis militibus in ejusdem speluncæ abditiori recessu, occasio ei opportuna offerebatur in Saulem adversarium toto impetu irruendi, eúmque inflictis vulneribus interficiendi, séque ab injusta ejus liberandi persecutione: ad id enim Davidem hortati sunt, qui cum ipso aderant milites: *Et dixerunt servi David ad eum: ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*, sed David utpote mitissimus, summisque addictus virtutibus, non solùm à nece abstinuit Saulis, verùm & suos detinuit milites, ne quidquam damni ei inferrent: *confregit vires suos sermonibus, & non permisit eos, ut consurgerent in Saul.* 1. Reg. c. 24.

60. Quò David religiosior erat erga Deum, eò & pronior ad condonandas adversario Sauli injurias sibi illatas: & quo infensior sibi erat Saul, eò beneficentior voluit in ipsum esse: nitebantur Davidis milites ei persuadere Saulis internecionem, ut ejus declinaret furorem, séque in tuto constitueret, dixerúntque; *Ecce dies, de qua locutus est*

est Deus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, quæ verba expendens Basilius Seleuciensis *Orat. 16.* subdit. *Neque verò DEI commemoratio potis fuit Prophetam ad cruentam exstitare cædem:* irruisset quidem David in Saulem ad immeritas ulciscendas injurias, si Dei voluntas fuisset, eique declarata; sed quia fuerat ei optio data ad id, quod ei magis placuisset: *Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis*, noluit Saulis sanguine proprium fœdare gladium: & quamvis videretur divina voluntas, quodammodo proniot ad Saulis necem, quam non prohibuit, maluit tamen David abstinere à cæde, quia tametsi religio ei suaderet divinæ obsequi voluntati; pietas tamen exigebat, ut ultrò infensissimo parceret inimico, maluitque propterea minùs religiosus videri in DEUM, quàm minùs misericors in Saulem inimicum: adeò excellet pietas in hostes infensos exercenda, ut vel ipsa religio visa fuerit in Davide tantisper ei cessisse. Fuit David Evangelicæ perfectionis præcox typus, edocuitque Christi fideles sinceroris exercitia amoris, etiam in inimicos, & ideo gloriosior fuit, quia ad veniam pronior.

§. IX.

Amor, quem in proximum fovemus, eò est gloriosior, quò ad veniam, ac beneficia hostibus impertienda est pronior.

61. EA est gloria illustrior, quæ à beneficiis oritur, quæ adversariis pro illatis injuriis, prolatis conviciis, allatis damnis rependuntur. Quærit haud abs re Plutarchus: *cur ex omnibus, quæ homines Dijs offerunt immortalibus ab ijsdem sola spolia negliguntur, nec vetustate consumpta resarsiuntur, ac reficiuntur: an id sirco id faciunt, quòd sum figua inimicitiæ adversus hostes tempore obscurentur, ipsos ea renovare invidiosum, & acerbum esse censent?* cùm sit Deus summè bonus, summéque beneficus erga omnes; hostilitatis monumenta, ac signa impressa, quæ sicut beneficentiam compescunt, ita vindictam excitant, saltem vetustate satagit abolere. Homines igitur graviori sui dispendio hostilitatem exercent; quia cùm privata fovent odia ad vindictam prona, divinam cohibent benignitatem, quæ ob præconcepta in adversarios odia, erga ipsos etiam sistitur; quapropter nos monuit Christus: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

In problem.

Matth. 5.

62. In se vulnus retorquet, qui gladio in hostem irruit: è converso, se ipsum beneficiis cumulat, qui adversario infenso beneficum se exhibet; quidquid enim boni nostris optamus adversariis, infensisque inimicis in nostrum redundat emolumentum. Est, qui conviciis petitus odium fovet, vindictam molitur, nec interim res ipsi fluunt ad vota, preces fundit ad Deum, & minimè exauditur, quare? quia inimicitias non deponit, odium non obliterat, internum non delet livorem, nec bene adversario precatur: bona enim, quæ adversariis optamus, eadem nobis impetramus: preces quæ pro inimicis à nobis funduntur, veluti pro nobis fusæ, Deum in nostra flectunt vota, nostráque implent desideria: qui pro suis orat inimicis optata quæque sibi impetrat. Sibi bona invidet, qui adversario bona nón exoptat: & ideo Magister Christus suos edocuit Discipulos hanc in hostes beneficentiam, imò omnes fideles, quos orare docet, vult eos enixim Deum rogare, ut æquè propria, ac adversariorum peccata dimittat, sibique æquè, ac inimicis bene precari: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* voluit, nos mensuram esse beneficentiæ, ac indulgentiæ, quam optamus; nimirum, ut quantum benignitatis à Deo expetimus, tantum aliis præstemus: malè sibi consulit, qui adversario non benefacit; imò sibi obest, qui hosti non prodest, non credat effosis precibus veniam sibi extorquere, qui adversario non indulget, & veniam negat; scitè S. Petrus Chrysologus enucleans dominicam orationem ait: *Homo si sine peccato esse non potes, & vis semper dimitti tibi totum, dimitte semper: quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum: quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte: imò quia vis totum tibi dimitti, totum dimitte: Homo intellige, quia remittendo alijs, tu tibi veniam dedistis* quia sibi noxas dimittit, si easdem adversario remittit; & quam inimico dat veniam, sibi liberaliter elargitur.

Matth. 6.

Serm. 67.

63. Vis impetrare à Deo, quam enixim rogas, noxarum veniam; hanc, quam tu à Numine exposcis veniam, impetrâsti, si inimico eandem indulseris, ac dixeris: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* est homo sibimet indulgentiæ mensura, & veniæ author; ab ipso dependet veniam impetrare à Deo; hanc si hosti indulserit, eandem sibi elargitur: veniam à nobis adversarii impetrent, & nos nostrorum scelerum à Deo veniam impetravimus: rectè Chrysologus: *Homo intellige, quia remittendo alijs, tu tibi veniam dedisti:* impleat homo vota rogantis adversarii; & suarum precum vota cumulatiùs implebit: indulgentiam, quam aliis elargitur sibi concedit; malum quod adversario remittit, in suum recuditur bonum: si absque noxa non est homo, vultque eam sibi dimitti; adversario eam remittat, quia remittendo aliis sibimet veniam dedit, quodque aliis indulsit, sibi feliciter impetravit.

64. Nunquam homo sibi utiliùs consulit, quàm cum suis consulit inimicis; quibus cùm benefacit, sibi vel maximè prodest; cùmque pro ipsis orat, felicitatem sibi exo-

rat; cujus illustre dedit Job monumentum. Fuit hic gente Idumæus Esavi pronepos ex patre Zara, Princeps regionis Hus, seu Idumææ inter pessimos optimus, inque medio gentis pravæ, virtutibus illustris, & divitiis affluens; verùm suæ felicitatis comes fuit invidia, non tam à protervia hominum, quàm orci ferali livore excitata: siquidem hostis tartareus summam eversurus Jobi virtutem, eum ad singulare à superis deposcit certamen: torquebat Acherontem viri innocentia, urebat dæmonem Jobi integritas, & sanctitas, cujus fama, terra, cœlóque illustris ab omnibus commendabatur. Experturus igitur, num inconcussam ejus valeret pectoris firmitatem frangere, virtutémque prosternere, facultatem à Numine obtinuit Jobi vexandi quibuscunque posset modis; dummodo vis vitæ non inferretur. Verùm victoriis innocens pugil clatior evasit ex orco, quàm ex orbe triumphato Pompeius; ac triplici prælio tergeminam sibi palmam demessuit: siquidem liberorum inconcussus audivit funera; serena frunte, tranquillóque animo jacturam inspexit bonorum omnium temporalium; & demum torquentibus cruciatibus membra singula subjecit corporis: & licèt fœtida potiùs vomica, vivúmque videretur cadaver, quàm ad pugnam instructus homo; in suo tamen sterquilinio, nobili veluti in orchestra Acherontem vicit, hostémque prostravit tartareum, qui in omnes nocendi vias intentus Sabæos primùm Husææ regioni conterminos lacessivit, armavitque in Jobum, in cujus ditionem facta irruptione mille quingenta majoris pecoris capita, boum nimirum, & asinorum abigerent, gladio custodibus interfectis, uno excepto, qui Nuntius calamitatis, quæ per Sabæos irruentes in Idumæam fuerant damna invecta Jobo, nuntisret; cui alter additur, qui stupens sensu, vestibus scissis, ægróque singultiens anhelitu, totúsque in lamenta compositus sic Jobo fari cœpit: DEUS à tua ò Princeps aversus salute voracem à cœlo ignem in terras demisit, qui tuos ovium greges absumpsit unà cum opilionibus, & uno excitato incendio tuarum ovium septem millia periêre, ne ullâ quidem victimâ, quâ DEUM placare possis superstite: & ipsemet solus duntaxat è flammis vorantibus incolumis evasi, ut hæc tibi nuntiarem. Vix secundus fari desiit, & statim tertius supervenit lugubriora prioribus prosecuturus: hæret hic in vestigio anceps, pavidúsque, fari, an silere debeat; tandem linguam solvit in has voces: Chaldei ò Princeps infelicissimè raptô vivere assueti, tres partiti in turmas tria camellorum millia in prædam abstraxerunt famulis peremptis, me tantùm superstite hujus ingentis jacturæ teste. Sed adfuit & quartus etiam tristiora nuntiaturus: nimirum septem Jobi filios, trésque filias eadem convivantes in domo, vehementi turbine concussis, dejectísque à fundamento quatuor ædium angulis priùs sepultos ruinâ fuisse, quàm vitâ defunctos.

65. Verùm tot sibi illata damna, prolísque inopina, ac præmatura interemptio Jobum à mentis suæ non valuerunt tranquillitate dejicere, neque tetræ tot infaustissimorum nubes mentis turbare serenitatem: tot enim cladibus acceptis; nec prædones accusavit, nec malignantem culpavit fortunam; neque in dira prorupit contra hostes Acheronteos, sed vestium duntaxat dilaceratione dolorem cordis aperuit, capútque more lugentium obrasit: dein silentibus luctuosis adstantibus, nuntiisque intenta ora tenentibus prostratus ipse in genua, ac divinæ se prorsus voluntati subjiciens in has duntaxat voces erupit: Nudum me nascentem, ac in lucis editum usuram terra suscepit: nunc me hinc demigrantem iterum nudum, quem genuit mater terra, suum recipiet in sinum: è tenebris, abditísque receptaculis materni uteri omnibus destitutus commodis prodii, móxque spoliatus fortunis omnibus in sepulchri tenebras concedam: quæ DEUS dedit, eadem abstulit, ut ipsi placuit, factum est; ipsi duntaxat gratiæ sunt rependendæ, quia quos amat, eosdem flagellis excipit: est ipse spectator, sum ipsemet actor: me felicem censerem, si in hac scena rerum humanarum viri probi personam agerem. Ad has Jobi voces confuso, ringentéque Sathanà alia molitur machinamenta, quibus proximiùs inconcussam viri quateret constantiam; virtutem arietaret.

66. Sævii in ipsum Jobi corpus, ratus si non animam; linguam saltem ad maledicta, injuriásque in Numen adacturus: horrendo enim ulcere totum afflixit, infecítque corpus, cum illo enim morborum ferè omnium ferales cohortes singula ejus membra torsêre; síntque qui morborum genera quatuor recenseant supra viginti, quibus tartareus alastor, seu ultor Acheronteus in omnes Jobi artus desæviit. Initio siquidem Phagedæna tetra, verminosa, serpens, artúsque depascens corporis carnes peredebat: cui accessit sacer ignis per poplites, tibiásque ad omnem grassatus sævitiem; cui additus etiam cancer fuit, qui totum corpus fœtido objiceret puri: imò & lepra ad medullas usque penetravit ossium, totúmque corrupit sanguinem: podagra pedes torsit, chiragra manus innodavit, arthritis horribiles cruciatus in membris singulis excitavit; ut & putredo viscera corrupit; addunt alii nephritin renum; pleuritidem laterum, phlegmonen seu anginam, colli glandulas, & plores alios morbos, qui Jobi corpus afflixête, seu spectrum potiùs, quàm hominem. Verùm Job inconcussa loricatus virtute tunditur quidem tot coacervatis malis, sed non contunditur, nec movetur: quin vulnus insultantium

amico-

amicorum, si tamen amiei erant, & petulantior protervia ſæviùs exulcerârunt animum patientis Jobi, quos propterea ſub tragediæ finem acci Numen reprehenſione mulctavit. Calamitas enim Jobi non ſolum per Huſæam Pcovinciam, ſed longè, latéque præeunte rumore propagata fuit ad cognatos Jobi, quibus nomina erant Eliphas, Baldad, Sophar, hi enim inſpicientes ſibi ſanguinis neceſſitudine junctum Jobum in fimento ſedentem, fœdè deformatum; & non tam cum Orco, quàm cum Libithina luctantem, cœperunt lachrymas fundere, ejulatus edere, veſtes diſcindere, & capiti pulveres adſpergere, mox in genua ſe proſternere, ſeptémque dies calamitoſo ſpectaculo attoniti aſſidere, animo volventes miram afflictiſſimi conſanguinei patientiam; plenam divinæ voluntati reſignationem, cùm in nullam irrumperet querelam, cùm ex pinguiſſima foctuna, ampliſſimis honoribus, divitiarum affluentia, à ſummo felicitatis humanæ dejectus gradu, deturbatus faſtigio, fortunis mox exuins omnibus liberis ſpoliatus fœdiſſima morborum cohorte oppreſſus, omníque miſeriarum genere cumulatus jaceret in fimeto ſqualidus, marcidus, deturpatus.

66. Verùm ſeptendio illo dilapſo inſiſtunt mox magis diſputare cum amico, eúmque acriùs quatere, quàm ſolatio eſſe: eò ſiquidem ſuis collimare argutationibus cœpêre, ut exulcerato Jobo oſtenderent improbum eſſe, ac impium exiſtimare innocentem tot à Deo ſupplicijs affligi, bonis privari, doloribus diſcruciari: ex quo intulêre, ærumnas Jobi ſingulas in vitæ anteactæ noxas eſſe referendas: ſed Jobus acriùs fortaſſis ab hiſce, qui ſub ſpecie conſanguinitatis, & amicitiæ hoſtilitatem obduxerant, quàm ab orco petitus, non ſolùm à querelis abſtinet, verùm & preces pro ijſdem ad Deum enixim fundit. *Dominus quòque converſus eſt ad pœnitentiam Job, cùm oraret ille pro amicis ſuis: & addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job duplicia.* Videntur in hoc textu plura involvi explicatu difficilia, etenim quòd Jobus oret pro inſultantibus ſe, ut ijſdem invectæ hoſtilitatis venia detur; planum id videtur: ſed quòd Jobi oratio pœnitentia dicatur; id nodo haud caret difficultatis, ut & oratio adeò fœcunda, quæ omnia duplicaret, ſeu in duplum Jobo reſtitueret: ſed exaſciatum habemus nodum, ſi penſemus Jobum orationem illam direxiſſe ad Deum in eorum utilitatem, qui ipſi erant tunc moleſtiſſimi; quia benefecit adverſarijs; quia pro inſultantibus ſibi Deum enixim oravit; ſibi duplicatam exoravit felicitatem: fudit Jobus Numini preces, & addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia: quia nimirum felicitatem ſibi cudit, qui vero ductus amore pro ſuis etiam orat inimicis: oravit Jobus pro inſultantibus ſe, ſed ejus oratio à Deo non ſolùm accipitur ad propriæ pœnitentiæ elogium, amicorúmque veniam, ſed etiam ad compenſanda in duplum damna: fuit enim oratio à Jobo pro inimicis fuſa, adeò utilis, eíque ita profuit, ut à tot calamitatibus aſſertio, priſtinæque felicitatis auctior reſtitutio ei debeatur: cùm orare enim pro inſultantibus, ſibi addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia.

Job cap. 42. v. 11.

Preces plerúmque ab hominibus funduntur etiam pro inimicis, ſed poſtquam hinc demigraverint, quaſi quia tunc nocere ampliùs non poſſint; vel quia egregios etiam viros flocci facimus, cùm inter nos vivunt, quos poſtea demortuos, vel abſentes ſerâ lugemus pœnitentiâ; verus proximi amor impenſiùs ſertur in præſentes, quibus beneficia impendit: ſed plerumque obtingit parvi etiam pretioſa à nobis æſtimari, quia poſſidentur; quæ amiſſa lugemus, eò quia eorum valor clariùs in umbris ſplendeat Manium, nobíſque innoteſcat; ac ſi præſentia ex invidentiæ livore, aut malignitatis caligine virtutum obnubilet nitorem, qui illuſtrioc clareſcit per abſentiam excuſsâ nimirum æmulatione, deletâ invidentiâ, & obliteratâ malevolentiâ. 67.

Id obtigiſſe Catoni refert Seneca libro quinto de beneficijs, inquiens: *Catoni populus Romanus præturam negavit, conſulatum pernegavit: ſed poſt aliquot dilapſa ſecula cœpit Romanus populus prudentiam illius admirari, quo præſente contemptui habuit, cœpítque commendari amiſſus, qui depretiari poſſeſſus videbatur:* ac ſi Catonis exculta virtus quidam fuiſſet ſplendor, qui cæcutiret in meridie, ſcintillaret in occaſu; & clarior ſplenderet Manium circumſeptus tenebris, mortíſque circumfuſus caliginibus. Hæc eſt fermè cujuſvis egregij viri ſors; ut præſens parvi fiat, cùm abſens maximi æſtimetur. Quis Moyſe illuſtrior? & tamen hunc cum viveret, ſeu præſentem populus ingratè faſtidivit, parúmque abſuit, quin eum etiam lapidibus obrneret, ubi Moyſes conqueſtus ait: *Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me:* at demortuo profuſis lachrymis, & impenſis gemitibus, adeò luctuosè, triſtíque næнia parentavit, ut neceſſum fuerit Numen ipſum lachrymas exſiccâſſe, luctúmque coërcuiſſe. *Factum eſt poſt mortem Moyſis ſervi Domini, ut loqueretur Dominus ad Joſuè, & diceret ei: ſurge:* cúmque è vivis ſublato Moyſe toto deſiderio illius teneretur populus, non potuit lachrymas temperare in abſentem, quem præſentem faſtidierat. 68. Cap. 17. Exod. 17.

69. Etiam virgines evangelicæ infelicitate stultæ, & stultitiâ infelices splendentes lampades suas opportunis neglexêre fomentis enutrire, somno indulgentes, *Dormitaverunt omnes, & dormierunt*: sed cum haustu destituta flamma avolaret, lúxque omnis esset emortua, expergefactæ, quæ dormierant stultæ virgines, satagunt oleum disquirere, quo lampades suas ornent; cúmque nec auri pretio sibi oleum venale valuissent comparare; ad socias, sed prudentes accurrunt virgines, quas enixim rogant, ut velint oleum sibi commodare: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*: quàm stultæ virgines, quàm desides puellæ, quæ interlucentem non curantes splendorem, extinctum lugent, & quem alere lucentem neglexerant, demortuum nituntur exsuscitare! micantes splendorum claritate lampades fovere depretiârunt, oleóque opportunè alere, ac conservare neglexerunt; cum mox lenocinantibus absentiæ tenebris, fusiùs deploratione inutili cupiunt resarcire pretio, concinnare dispendio: facilè fuisset ardentes fovere splendores, quos extinctos exsuscitare non valent: pœnituit ipsas extincti nitoris, sed sera pœnitentia demortuum lumen ad vitam non revocavit: inutilis pœnitudo fatuas illas torsit virgines, sed semel extinctam flammam non revocavit. (Matth. 25.)

Amemus præsentes, quos absentes sine dolore non patimur. Amor, si est verus, æquè præsentes diligit, ac absentes, omnésque amaritudinis, suspicionis, & aversionis scintillas in animo contra quemcunque alium gliscentes illicò extinguit, umbras excutit, & promptè, ac libenter omnibus opitulatur, non consilio solùm, sed voce, & manu. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* (1. Joan. 3.) proprium etiam amoris est non gravatè cedere: sine necessitate nolli homini contradicere, turbas sedare, operam gratis tribuere, & non tantùm amicis, & notis; verùm & inimicis subservire, imò etiam obsequijs certare, ac prævenire; injurias sibi illatas, & convicia contra se prolata æquo animo tolerare, quia ut rectè S. Gregorius: *si amas, toleras, si desistis tolerare, desistis amare.* 70.

DISSERTATIO VII.

Amor sui novercale in odium degener, eò furit sæviùs, quò suaviùs eblanditur.

§. I.

Malè seipsum amat homo, si se nimium amat: degenerat tunc amor in odium; nec ampliùs amanti prodest, sed obest.

1. Non modica est scientia, nec parvi facienda, scire amore prosequi, quæ amabilia sunt; siquidem non ideo aliquid pretium sibi vendicat, ac æstimabilitatem, quia amatur; sed quia dignum est amari; tales sunt mores, & amores hominum, talis enim est homo, qualis & suus amor; neque potest bonus esse, si ejus amor pravus sit; & ideò malè se homo amat, si se nimium amet; degenerat tunc amor lethale in odium, neque ampliùs prodest, sed amanti obest; non eblanditur, sed ferit, ac venenum in osculo fundit. Est amor complacentia congrui, ea nimirum prima impressio, quâ afficitur appetitus, cùm sibi complacet in bono sibi à prælucente cognitionis face ostensum: quod si bonum sit, & ipsi amanti congruum, sibique in eo complaceat, tunc sibi amans complacet, éstque amor proprius, ac recurvus, qui assolet in odium degenerare ob damna, quæ infert amanti; & solet hic amor sui omnibus penè actionibus se se quammollissimè insinuare, cúmque rectam intentionem sensim ac blandè subtrahat, pravam substituit; sitque tunc amor sui putidus fons omnium delectationum, corrupta radix fœculentarum voluptatum; hócque unicè, & efficacissimè edocet, se ipsum quærere, trahit enim sua quemque voluptas.

2. Est quisque benignus sui judex, cùm nihil minus possit, quàm seipsum odisse, quem tamen odit, quia amat; quatenus inten-

intentio', quâ amor sui fertur ad delicias semper refertur in proprium detrimentum: quærit quispiam divitijs affluere, vitijs ut commodiùs indulgeat; inhiat eminentijs, ut lapsu ruat graviore; surgere nititur, sed in cœno non desinit volutari; quia bona, quæ quærit, æterna non sunt; sed terræ adhærescunt, & nonnisi cœnum sapiunt, quia cœlum ijsdem desipit; id enim interest discriminis pravum inter, & probum amorem; ille enim nonnisi caducis, fluxísque inhæret; hic verò bonis duntaxat æternis adhæret: unica amori proprio est cura, se intueri; suúmque tueri commodum: idque subtilis est idololatria, & adoratio occultissima, quâ creatura Deo præfertur, in qua finis ponitur ultimus: afficit, & inficit hæc idololatria quotquot se ipsos impensiori prosequuntur amore; se enim odio prosequuntur, cùm seipsos amant, quia à summo bono recedentes in malorum delabuntur abyssum. Rectus amor illuc tendit, unde suam traxit originem; ad bonum accedit, quia à summo bono procedit; nec potest quisque ad hunc pervenire amorem, nisi per odium sui à se ipso egrediatur: tantò cursor proximior fit metæ, quantò plus distat à prima linea: ita eò fit homo Deo proximior, quò à se est remotior; eò vicinior ad Deum accedit, quò distantior à se recedit: si se homo diligat, ad se accedit, & à Deo recedit; sibi satisfacit, sensui indulget, voluptatibus infarcitur, suique fit Idololatra, cùm in se ipso finem suum collocet ultimum, qui in solo Deo reponi debet: vixque est tam grande piaculum, dummodo occultum sit, cui innocentiæ fucum allinere non valeat variegata illa, & multicolor salamandra amoris proprij, non enim vario destituitur amor sui prætextu, plures adfert colores, titulos, larvásque, quibus propriam obducat fœditatem.

3. Quid amor sui non pertendit? si avarus divitijs inhiat, palliolo parsimoniæ vitium obtegit avaritiæ; si vano delectatur vestium cultu, sub nomine necessitatis vanam nititur pompam abducere; si luxu oblectetur in epulis virium reficiendarum titulo omnem satagit intemperantiæ notam obliterare. Verùm amor sui in odium degener plus secum advehit amanti damni, quam solatij. Cur divitijs cupit homo affluere, nisi ut proprijs studeat commodis? nisi ex amore sui, ut pinguiori sibi adblandiente fortunâ commodiùs se habeat: sed quot non exantlantur labores, quæ pericula non incurruntur, & quæ non tolerantur discrimina? ob solum lucrum, quot non sustinentur labores, funduntur sudores? pauperiem declinaturus Mercator marinos trajicit fluctus decumanis tumidiores, pelagi longè, latéque extensos tractus currit usque ad Indos: & quod si pro Dei causa, pro recto, probóque Numinis amore ageremus, cœlum millies promereremur; id pro acervanda rubra tellure, pro modico auro agimus. Jethro Moysem olim generum suum increpans: *Non bonam*, ait, *rem facis, stulto labore consumeris*, idque singulis amore proprio captis, quæstui servientibus ingeri potest, & intorqueri: potest enim eorum quisque moneri: quid agis ò homo, ad quid amore tui stulto consumeris labore: non bonam in te rem agis, sed cùm tuis inhias commodis, téque amas, novercali livore te lethaliùs odisti.

Superbiâ facilè etiam inflatur, ac intumescit amor sui, & tunc se ipsum etiam torquet, séque novercali prosequitur odio. 4 Quæ non tolerantur in gratiam superbiæ? Plures se frigere dissimulant, ne venustam vestium gracilitatem turbent, detrectantes fartas, pinguésque tunicas, quia cæteris notæ inferioris communes, induere. Calceus dummodo niteat, strictúsque absque rugis pedi hæreat, quamvis urat, libenter toleratur. Hic superbiæ suæ genium expressurus etiam vestium non respuit onera, quæ honori autumat esse. Alius ævi decurrentis recentem, elegantiorémque luxum induturus famem diu tolerat, noctésque percurrit insomnes, lucrum aliquod ex vigilia, & labore suscepturus, quo sibi, luxuique satisfaciat. Neque defuerunt ex puellis, quæ decorum persuasuræ pallorem cretam ipsam vorare didicerint, ac pleráque alia hujus insaniæ subire tormenta: hæc incommoda sibi cudit amor sui, quæ si recto in Deum amore tolerarentur, plus haurirent lucri, plusque enanciscerentur nitoris, quò illustriùs cœlo splenderent, sed huic ducto sui amore rectè occinitur: *Stulto labore consumeris.*

Quid acquirendæ, obtinendæque hominum gratiæ non instituitur, agitur, toleratur? Nulli parcitur labori, nulla recusatur molestia, nil censetur intolerabile; 5 totos dies in Principum obsequijs impendere, non tempus perdere, sed lucrari censetur; non grave putatur, sed gratum. Quòd si olim viri pientissimi eremi studiosi summarum cultores virtutum amore Dei in columnis annis stetêre compluribus, & inde nomenclationem desumpsêre, ut Simeon Stylita, Daniel Stylita, Aleppus, & Theodorus Stylitæ, qui dies, noctésque Deo colendo, corporique affligendo stetêre: hunc standi morem in aulis Principum amor sui innovavit; non horis tantùm, sed diebus integris detecto capite perstant sui amatores gratiam aucupaturi Principis; quæ tamen in saxo lubrico, pedisque vestigium fallente sita promptiùs amitti, quàm admitti potest. Scimus Josephum percharum Ægypti Proregi; & apud suum Pharaonem summam sibi enactum gratiam fuisse; sed scimus etiam alium eidem successisse Regem, qui nosse Josephum recusavit. Scimus pergratum Dario Regi Danielem, sed scimus etiam ab eodem Danielem in lacum dejectum

leo.

leonum. Scimus Achitophelem Absoloni gratissimum fuisse, à consilijs intimioribus; sed eadem gratia, quam impenso labore sibi comparaverat, non aureum torquem pectori adjecit, sed laqueum collo injecit. Scimus Amanum Principis gratiâ potentissimum penes Assuerum: sed per gradus eosdem, quib⁹ in aula ad apicem conscendit dignitatum, altissimum etiam inscendit patibulum. Scimus Belizarium sub Justiniano Principe Aulicorum fuisse gratissimum, pluribusque illustrem victorijs, sed scimus etiam gratiam simul, & oculum otrumque perdidisse, atque ad extremam devolutum mendicitatem adactum fuisse obolum petere. Scimus Sejanum Tiberio percharum, sed etiam ab eodem gratiâ simul, & vitâ spoliatum, unco per plateas tractum, & in Tyberim dejectum.

6. Fateor plures in aula centoculos adesse Argos, ut videant, quibus possint medijs gratiam aucupari Principis ducti amore sui, censentes inde ad pinguiorem fortunam posse sibi iter sternere: verùm licèt millenis sit Argus aulicus instructus oculis; longè tamen plures habet gratia alas, quibus faciliùs avolet, quàm acquiratur; & tamen adeò amore sui cæcutit homo, ut hæc tam fallax, támque incertissimæ fidei gratia, tantis desiderijs, votísque expetita, tot laboribus concupita, tot solicitudinibus, curísque quæsita, plus eidem adferat detrimenti, quàm solatij, ut tanto par non sit impendio: cùm vix obtenta è manibus avolet, & si diutiùs possideatur, semper pavida sit, hæsitátque anceps, num revera retineatur, quæ creditur possideri; si enim Princeps minus serena fronte faveat, minúsque ridente vultu arrideat, lachrymas elicit amor sui, in omnem se partem torquens; hæténsque anceps, nom quam tantis fuerat impendijs Principis gratiam enactus, vel Princeps remiserit, vel ipse amiserit; sintque propterea hujus aucupes gratiæ, semper trepidi, anxij, soliciti; ne gratiæ patiantur jacturam, quam perinde ac malorum supremum reformidant: terret eos sonitus cujusvis agitati folij, ac in leporum naturam veluti degeneres, oculis indormiunt apertis, ne, quam fuerunt gratiam Principis aucupati, amittant; quia amore sui ducti, nonnisi per incommoda, curas, ac solicitudines ad pinguiorem fortunam sibi viam sternunt, vivúntque vitam anxiam sospicionibus inumbratam, temporúmque suspensam momentis, quia amor sui in odiom degener torquet, cùm blanditur; aconita exhibet, cùm dulciaria offert; & venena spargit, cùm osculæ figit, imò & lethalia infligit vulnera.

7. In omnes hominum status etiam extra aulam amor sui amantes torquet, quia se amantes in se ipsos sæviunt, sæque odio prosequuntur novercali: eos consulamus, qui divitiis affluentes cæteris habentor in terris beatiores; etiam ipsi amore sui, innumeras propemodum adducuntur ad molestias, ærumnásque perducuntur; ut vix unum reperias, qui sua sorte contentus, sibi acquiescat; torquet hie se ipsum, quia ad ambitam nequeat dignitatem promoveri: angitur ille, quia parem non se novit adversario: non otitor alins, sed abutitor congestis divitijs, vitijs indulgens, qoibus omni spoliatur virtutum ornatu: & vix unus eorum est, qui quod ipsi deest, enixim quærat, virtutis nimirum studium, quo destituti inopiâ etiam natantes in auro laborant.

§. II.

Amor sui torquet, cum eblanditur; venena spargit, cum delicias exhibet; & vulnera infligit lethalia, cum oscula figit latiora.

8. Non sibi amore proprio indulgentes cæteris, qui nec divitijs affluunt, neque proprijs inhiant commodis beatiores eredas; acerbiùs enim licèt occultiùs torquentur, qui suo ducuntur amore, illis molliores sunt lecti, sed inquietius dormiunt, quàm in cœtu Religiosorum, qui omni prortus amore proprio se abdicârunt; non enim in asceterijs eunt Religiosi dormitum, ut bene cubent, sed ut bene dormiant; qui sibi indulget somnum proliziorem quidem trahit, sed non tranquilliorem; cùm plura memoriam refricent, quæ & soporem perrumpunt, turbántque. Fateor cibos eidem plures, ac delicatiores exhiberi; non tamen putâtim eidem meliùs sapere, quàm Religiosis hominibus soa olusculа, suas pulticulas avenaceas, lixúmque hordeum; meliùs viro Religioso sapiunt lactuculæ, quàm diviti sensui indulgenti galli sylvestres, spadones mera similagine, & lacte pasti. Vestes fateor esse ex materiâ pretiosiores arte pulchriores, & ornatu elegantiores, sed plus etiam iisdem assolent incommodi adferre; minùs enim frigent Religiosi, minus arctantur, neque eorum calcei pedes premunt: quòd si viris religiosis occulta accedant cilicia; nec suis carent dumetis, qui divitijs affluentes proprio ducuntur amore; sæpe enim acriores molestiæ in affluentia divitiarum animum vexant, fodiunt, laceråntque: plures iisdem sunt feriæ: sed plerumque blandiùs laborant, qui nollo amore proprio ducuntur, quàm qui proprijs indulgentes commodis, suique amori otia largiùs protrahunt. Laxiori fruuntur libertate, sed quæ pluribus illigetur vinculis, ac multiplici arctetur compede, eum morsus seotiant animi, & divexatæ conscieotiæ experiantur laniénam: quia amor sui in odium degener, tunc acriùs torquet, cum suaviùs videtor eblandiri, adeò ut sævè blandiatur, & blandè sæviat; assentatoriè palpat, & cum voluptatis blanditiæ sensum titillant, angores

cudit,

cudit, & dolores excitat immites; dulcia spondet, & mellita venena propinat: videtur amor sui ænigma esse, delicias promittit, & solas intentat ærumnas deliciarum inspersas duntaxat fucato sacaro: grata est sævitia, vulnus voluptuosum, calamitas felix, venenum dulce, mórsque blanda.

9. Cavendum est, ne finamus nos hoc duci amore sui, oe fiamus sæcoli Martyres, Acherontis Confessores, Orci asseclæ, mammonæ discipuli, Veneris alumni: siquidem amor sui mille assolet fraudes comminisci, quod vult, blandè suadet, & suaviòs persuadet, ponitque pro scopo proprium iodicium, cui pedissequa voluntas famulatur, & curiositas prælucente face iter ostendit; idque agit, ut nonnisi per obliqua ducat itinera à Deo aliena, quæque à summo bono avertaot; quia sicut rectus amor illuc tendit, unde suam sumpsit originem, & ad bonum accedit, quia à summo bono procedit: ita amor recurvus, & obliquus, seu amor sui, quia à summo bono recedit, à quo bonus amor procedit, nil boni in se continet, quod verè bonum sit: quæ enim amor sui bona videtur advehere, fucata sunt, quibus si larvam detraxeris, quæ dulcia putabantur, multiplici deprehenduntur amaritie permixta.

10. Fuit, qui cum còm longo proficisceretur itinere, adeò æstuavit, ut rusticanam appulsus casam lactis petierit haustum, quo sitim extingueret; fuit ex rusticellis puer, qui sitienti lactis optimi florem obtulit ligneo tamen catino, io qoo plurimæ ionatarent muscæ: indignatus viator haustum illum lactis è tali catino recusavit, aliúdque lac recens petijt à fœmina rusticana, quæ accepto catino muscas omnes ibi innatantes, quæque à potu illo oiveo absterrebant sitientem, abstersit, florémque illum optimi lactis in vas aliud tenuaccum effusum æstuanti, ac sitienti propinavit, qui sibi fuit solatio, & niveo illo potu sitim, quâ torquebatur, extinxit: si innotescerent molestiæ, amaritudines, quæ voluptatibus immiscentur, quas amor proprius exhibet, & propinat, vix ex centum unus reperiretur, qui vellet eas gustare: muscæ non desunt, quæ lacte innatent voluptatis, quam amor sui sibi propinat indulgentibus, quia tamen latent, plures bibunt, quæ si innotescerent, noo niveus potus ad haustum invitaret, sed innatantes bestiolæ absterrerent: nigellæ hujusmodi aviculæ priùs eijciendæ sunt, antequam lacteam promulsidem ori admoveamus, nimirum excutiendus amor sui, qui dulcedinem omoem, quamvis niveam deturpat, inficitque: tametsi opera nostra videatur candida, non tamen Deo grata erunt, si ea fœdet, infitiátque amor proprios, qui opus quodcunque, quamvis præstantissimum, corrumpit, & destruit; neque ullum habet homo hostem truculentiorem amore sui, qui vulnera infligit, cùm oscula figit, hinc opportunè Nazianzenus *orat* 27. vocavit amorem sui dulcem tyrannum: *amor sui dulcis est tyrannus*. Tyranni ingenium implacabile est, immite, turbulentum, quódque non nisi cruentas cædes, cladésque ferales molitur; nec delectatur nisi sævitiâ; neq; deliciatur nisi acerbitatibus: quo pacto amor sui, quia blanditur, & sævit; osculatur, & vulnerat; arridet, & enecat, deliciosa dicitur tyrannis, & grata crudelitas.

Amor si verus sit, rectos, non curvus erit, feretúrque in solum Deum; non in se, quia non proprijs indulget commodis, sed patiens est, omnia suffert, ut scribit Apostolus, inquiens: *charitas omnia suffert*, cùm paulò ante dixisset, quòd sit patiens, nunc addit amorem omnia pati, omnia ferre: qoia nimirum amoris toleraotia generosa est, ac animosa, cùm labores noo recuset, difficultates, & incommoda non declinet; quin potiùs delectetur in tolerantia passionum; & cùm Apostolus dicat, amorem omnia sufferre: nil adeò arduum ei potest obtingere, quod lubenti animo non toleret: etenim qui omnia dicit, nihil excipit: imò oon solum omnia sustinet amor, sed fronte serena, vultu læto, ore jucundo, mente pacata, animo placido, quia cum suffert, diligit, ut notat S. Cyprianus *de simplicitate Prælatorum*, si igitur perinde est vero amore sufferre, ac diligere; cùm pacatè; & placidè amet, etiam placidè suffert. 11. 1. ad Corinth. 13.

Hinc sponsa cupiebat enixim, sigillum imprimi super cor sui sponsi, & super brachium. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*: sed cur tam anxiè exposcit sigillum non solùm super cor, verùm & super brachium imprimi? cur brachium cordi adnectit? An quia cor fons sit, ex quo amor scatoris; & brachium, initium, ex quo omnis labor educitur? quàm bellè verus amor cordi adnectit brachium, quia laborare, & amare; incommoda sufferre laborum; & diligere, tam arctè colligantur, ut verus amans non amet, nisi laboret, nec laboret, nisi amet; sed quid est sigillum hocce, quod impressum cordi, & brachio cupit? scio plures per sigillum notam ibi intelligere, quæ indicet aliquid esse nostrum; perinde ac sunt claustra, vel seræ, quibus aliquid, ut omnino nostrum ab aliorum usu vindicamus; qua ratione sponsa vocavit hortum suum conclusum, & fontem signatum; quatenus amor carceri pariatur, quo spontè detinetur amans gratâ constrictus catenâ amoris. 12. Cant. 8.

Verùm licet labor brachij à cordis non sejungatur amore, propriúmque sit amantis labores tolerare; quia tamen Apostolus ait; *charitas omnia suffert*, & nihil excipit, putàrim sigillum brachio, cordique impressum etiam externas indicare passiones, & stigmata, qualia sunt signa, quæ pecori, nostrísque mercibus imprimimus, ut etiam stigmata, quibus solent mancipia inuri, quia etiam Apostolus 13.

stolus, cùm persæpè se Christi vocet servum fatetur stigmata Domini JESU in suo corpore portare: *Ad Galat. 6.* unde Paulus ab amore stigmatizatur Christi servus, cùm eum super omnia diligeret: hinc verus amor assuetus passionibus cunctis subeundis egregiâ dicitur fortitudine loricatus: *fortis est, ut mors dilectio*, verùm cur morti comparatur amor? an quia sicut mors maxima est calamitatum; ita amor summa calamitas? si de amore sui id intelligatur; calamitas hic est, quamvis grata, & ut *Oratio 27.* loquitur Nazianzenus. *Dulcis tyrannus*, quatenus tyrannide excruciatur usque ad mortem. Quòd si de probo, rectóque intelligatur amore, adhuc *fortis est, ut mors dilectio*, quia ut egregiè adnotavit Præsul Mediolanensis re, & nomine ambrosiam sapiens lib. *Cap. 8.* de Isaac & anima. *Est & illa mors sanctorum Martyrum valida, cujus non impar est charitas, qua adæquatur Martyrum passioni.*

14. An non inconcussa in sanctis Martyribus est amoris fortitudo? quæ omnia retundit adversantium tela; bonorum sereno vultu sustinet proscriptionem; infamiæ notam hilari vultu suffert; & gaudet, si ut servus tractetur, stigmatizetur, si experiatur vincula, & carceres; si flammis detur absumendus, vel ferro sauciandus, vel crudelissimæ neci addicatur. Ea siquidem est amoris fortitudo, ac charitatis affectus, ut diræ, ac duræ Martyrum adæquetur passioni, hinc pulchrè Tertullianus adversus Gnosticos. *Cap. 6.* *Dilectio hominum Martyrem excudit*, quasi amor sit typus, & forma Martyrum: dicitur amor iste Martyres cudere desumptâ metaphorâ à pecunia, quæ typo cussa, & imagine impressa Principis, incrementum subit valoris, & pretium metalli augetur ab imagine Principis sigillari typo metallo impressa; & hæc est ratio, ait Theodoretus, cur amor dicatur signaculum, & sponsa dicat. *Cant. 8.* *Pone me ut signaculum*; subdit Theodoretus, *vult ergo Salvator noster, ut eum pro signaculo habeamus, & notam illius in omnibus tam dictis, quàm factis imprimamus, ut sint numismata regia non adulterina, sed regiam præferentia imaginem.*

15. Est verus amor, qui in se non obliquatur, sed rectà in Deum fertur typus sigillativus, quo veri Martyres excuduntur: imprimit siquidem patientis Christi dolores, & cruciatus, & exprimit patientem Christum, qui typus est, & forma Martyrum, in Martyris corpore; & à passione Christi Martyri per ipsius amorem impressa, fit Christi Martyr, referens stigmata passionis in suo corpore: ad quod fortassis allusit D. Paulus, cùm dixit: *Ego stigmata Domini JESU in corpore meo porto*: ac si amor in Apostolo martyrium prævenisset, quod ultimo Neronis anno postea pertulit; fueritque Paulus præcox Martyr ob amorem munere defungentem carnificis; fueritque priùs Martyr sub amore, quàm sub Nerone, cum amor Martyres excudat, sitque fortis ut mors dilectio. Amor enim si probus sit, & in Deum vehementi feratur ardore, omnia suffert, carceres sustinet, stigmata patitur servitutis, cruciatus perfert, quin & gehennalia tormenta feliciter æmulatur, dicatúrque propterea *dura sicut infernus æmulatio*, & qui hoc amoris glutino Numini adhærescit, nullo ab eodem sejungitur cruciatu, unde Paulus ait: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an fames? an nuditas? an periculum, an persecutio? an gladius? certus sum, quia nec mors, nec vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, nec creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*: *Ad Rom. 8.* Quam audacter probus in Apostolo amor omnes accersit cruciatus, omnia coacervat instrumenta dolorum, vocátque ipsos tortores dœmones, omnésque creaturas, non existentes tantùm, sed & futuras, quas & lacessit ad pugnam, nil formidans, tametsi sæviant, sanguinem fundant; quia nimirum tunc patientis Christi imprimunt cruciatus, & Martyrem cudunt: quinimò, quia sic Martyres excudunt, leves sunt cruciatus, quos creaturis amantibus infligunt, quia pondus Martyrij alis innixum amoris sursum nititur, nec pondus sentit: hácque de causa ausus fuit Pauli amor singulas lacessere ærumnas, quibus ocyus sursum avolaret. Plures sancto hocce æstuantes amore in asceterijs jejuniorum tabescunt inediâ, flagellationum pia cruentantur laniena, & spinosi cilicij lancinantur horrore, in cubiculo perinde ac arctissimo carcere jugiter clausi, ut liberiori nixu sursum ferantur, ac æternam enanciscantur beatitatem.

§. III.

Amor, qui in amante obliquatur, sursum non effertur, nec in Deum fertur; sed deorsum amantem trudit, & ad gehennam perducit.

SI non rectus, sed recurvus sit amor, obliquetúrque in amantem, & non rectà in Deum feratur, torquet quidem, & cruciat, sed sursum non evehit, cùm deorsum trudat; quia bonum, quod inest, corrumpit, sibíque tantùm indulgens sævit, cùm blanditur; vulnera infligit, cùm oscula figit, & lachrymas elicit, cùm ridet: corporis enim addictus commodis studia negligit virtutum, vitijs adhærescens; & nihili faciens bona animi, totus occupatur in cultu corporis. Adsit adolescens sui captus amore, quid ab ipso expectas, quàm nugas, lusus, risus, nilque impensius cogitat, quàm voluptates aucupari, delicijs affluere. Quòd si ad meliorem velis eum frugem pertrahere, non desunt ei fuci, quibus vitia obducat; si Dei famulitium ei suadeas, non 16

sinit

finit se persuaderi; respondétque illicò, dives sum, sanguinis nobilitate clarus, flore juventutis recens, mihi debeo indulgere, congestis divitijs uti debeo, ut mihi satisfaciam; sed quàm infelix, quàm miser, quàm cæcutit, vel in ipso auri splendore? cùm se videat juvenem nobilem, locupletem, & non videat se hominem esse, ac lutum? totus est in cultu corporis, & nihil de anima cogitat: quid prosunt flexæ in caliendro pectine comæ? quàm melius flecteretur capitis pervicacia: Quid facies exotico medicamine attrita? quàm utiliùs animus excoleretur, ac virtutum ornaretur decore. Quid crines in fronte refingi, & in altum erecti? quàm rectiùs mentis cogitationes in Deum erigerentur.

17. Is quia amore sui captus, nil cogitat, nisi quæ cultui inserviunt corporis, quod si multiplici splendet ornatu; squalet animus vepretis vitiorum; qui verò saniori tenetur amore, nulla eidem de cultu corporis cura, sed totus est in excolendis virtutibus, quibus animum exornet: horrent huic comæ omni destitutæ nitore, squalet vultus, nigricant nuda corporis membra sole perusta: non tamen veluti vitæ dedecus ex hominum excluditur cœtu: cultus siquidem corporis pœna est delicti, & elegantia vestium maculam prodit, quâ intus fœdatur anima: etenim si oculos flectamus ad mundi primordia, deprehendimus primum hominem ad Numinis similitudinem, & imaginem conditum investem, ac nudum terrestri in paradiso stetisse, si tamen nudus erat, quem tunc innocentia obtegeret; cùm verò divinum fuit præceptum transgressus pudere cœpit, ac vestes quærere, quibus propriam obtegeret fœditatem, quam per peccatum contraxerat: quid igitur superbit homo in tessera dedecoris, in nota delicti, in signo patrati sceleris? Quàm cæcutiunt, qui in cultu vestium totum impendunt studium, calamistro crines intorquent, vultum fucis enubilant, bissinis, & hyacintinis stragulis, seu sagis villosis corpus amiciunt, ventos balsaminos post se trahunt, & quacunque incedunt vias implent: quin non solo satagunt ornatu corporis splendere, sed & delicijs affluere; imò & amor corporis ad eam plerumque excrescit dementiam, ut amore sui malint homines perire; quàm non servire corpori: & perinde ac lignum occulta teredine consumitur; ita animum paulatim vitiat, exeditque ignava luxuries.

18. Quàm pravus, noxiúsq; amor sui, quo homines ad insaniam concupiscũt quidquid corpori placet, ut ab ipsis habeatur loco piaculi in omnibus corpori non obsequi, & ideo infeliciores, quia amore sui corpori adhærescunt; utinam saperent! & animo volverent, omnes sive divitijs affluentes, sive pauperie indigentes, sive delicijs diffluentes, sive omni destitutos solatio pares nasci, paresque mori, & momentum esse fluentis temporis, quo plures purpura fulgent, gemmis nitent, auro splendent; & quo alios tegit trita lacerna, vestit lacerata penula, deturpat corporis macies; omnes siquidem nudi nascimur; & quamvis purpuratus nunc à pannoso distinguatur, dives ab inope, Princeps à subdito, eques à rusticello, omnes adhuc nudos sepulchrum recipit, quia omnium idem exitus, idémque domicilium: in quo tam corpus, quod purpurâ splenduit, arescit in pulverem, quàm quod sub trita, multiplicíque scissu lacerata penula, sudores sudit: tametsi dives congesto splenduerit auro, multiplici micuerit gemma, omnibúsque affluxerit delicijs, adhuc in sepulchro tenuatur in cinerem; & quamvis odore exotico fragraverit, brevi in nidorem, putorémque laxatur; quósque beatos censemus, eò quia in gemma bibant, in auro comedant, in argentea sponda, pluteóque corosco recumbant, in ostro dormiant, cervices monilibus ornent, hi brevi sordescent in Libithinæ cinerario, in sepulchri lethali umbrâ; & utinam amor sui ad gehennales non pertraheret cruciatus: cùm enim delectentur catenis, & vinculis, dummodo auro ligentur, gemmis illuminentur, ab ijsdem in tartara trahuntur; si cum affluunt divitijs, vitijs etiam indulgeant.

An non sævus est tortor amor sui, cùm 19.
catenarum ponderibus onerat? parùm siquidem refert, aurea sint, vel ferrea pondera, quæ membra defatigant: quòd si non censentur onera, quia putantur pretiosa; hæc cæcitas est amoris sui, non videntis esse onus, quod gravat: ideò enim cæcus fingitur amor; quia orbatus non videt res, uti sunt, judicátque leve, quod plurimum habet ponderis; & onus non esse, quod pretium secum trahit; imò nec vincula putantur, si in ijsdem auri coruscet splendor: sed quàm sævè torqueat amor sui, ex eo conjice, quòd in gemmis sudent, quos ipse tenet; in sericis algeant; in auro incurventur; in argento premantur, in calceis torqueantur, & in vestium elegantia libertatem amittant. In comptu fœminarum amor proprius videtur itidem triumphare, & quæ ex fœminis amore sui tenentur, adeò corporis cultui sunt addictæ, ut nil impensiùs cogitent, quàm luxum in cultu, videásque eas intra parietum septa procul à lucis afflatu cum ancillulis mollire lanam, pensum ducere, fusum versare, digitos terere, subtegmina ordiri, telas texere, & textas acu pingere, séque ad omnem ornare elegantiam, studere venustati, provocare sensum in præceps ruentem, molliter incessum componere, nutum ad incutiendum desiderium fingere, formam artificio colere, ornatu discriminare vestem, mollique severitudine corpus enervatum laciniatis peregrino opere palis, quasi phaleris insternere, & naturam ipsam adscititio fuco oblitam exterminare: hæc sunt, quibus

amor sui suos torquet impensos exigens ab ijsdem labores, fusósque sudores.

20. Quisquis amore sui ducitur, is plus sibi, quòd irascatur, habet, quàm cuilibet alteri, etiam à quo hostili insequitur odio: siquidem non tantùm sibi est hostis, sed & carnifex, & ideo sui ipsius est ferocissimus tortor, quia sui non est osor. Mundus, & quotquot in ipso sunt homines; imò & qui apud tartara dœmones, ramersi hostibus accenseantur, inermes tamen censentur, nisi nos ijsdem arma suppeditemus, quibus nos oppugnent: omnes sunt innocentes, nisi eos in nos velimus lacessere, & in nostra est potestate efficere, ut nullus nobis noceat: est quisque propriorum faber malorum; quia cùm proprio ducitur hnino amore, sibique indulget, ac delicijs corporis adhæreícit, Dei resistit beneficentiæ, effectui obstat divinæ gratiæ, salubria impedit desideria à Deo immissa, & virtutes omnes corrumpit, nec ampliùs Deo placet, cui per patrata scelera displicet. Quis non rideret cauponem illum, qui hominem peregrinum lautissimis verbis in suam invitaret tabernam, vinúmque suum nobile, ac generosum laudaret, nisi quòd unum duntaxat defectum contraxerit, acedinem nimirum, quà incipiat corrumpi; apage tu eum hoc tuo generoso vino, responderet viator, quod cum acidam sit, meo non accidit palato gratum.

21. Hoc idem pleríque congruit, quorum opera, quamvis quandam videantur honestatem præseferre, amore tamen sui corrumpuntur, & eorum vinum, vel acidum, vel aquâ dilutum est, de quo Deus per Isaiam. *Vinum tuum mistum est aqua*, quia amore sui infectum opus totum devenustatur;

Cap. 1. v. 22.

scitè S. Gregorius Papa. *Cùm perversa est intentio, quæ præcedit, & procedit ex amore sui, pravum est omne opus, quod sequitur, quamvis rectum esse videatur.*

Lib. 1. dia. log. cap. 14.

22. Ea est maligna indoles amoris sui, ut blandè omnibus se se actionibus insinuet, rectámque intentionem sensim sine sensu vitiet, corrumpat, subtrahat; quodque deterius etiam malam substituat: est siquidem amor sui fons omnium voluptatum, delectationum, ac deliciarum, quibus vult affluere; idque unum impensè edocet, se ipsum quærere, & id efficacissimè quærit, ut sibi suisque commodis consulat, sensuíque indulgeat; quò fit, ut in putidum degeneret omnium pravarum intentionum, ac malorum desideriorum fontem: éstque amor sui, qui Dei beneficentiæ resistit, collatas Numinis gratias respuit, cœlestia dona inficit, virtutum studia corrumpit: quot amor sui non contrahit culpas, quibus jus ad cœlum sibi aufert? divinæ gratiæ vires enervat; occasiones augendæ gratiæ socorditer negligit: imò non animæ tantùm obest, sed & ipsi corpori est noxius: accedat, qui amore sui diutius velit delicijs affluere, sensuíque indulgere; quot corporis ægritudines, membrorum morbos, honoris dettactiones, famæ læsiones, damna temporis non secum trahit? eò quia lenocinetur corruptæ naturæ, assentiatur cupiditati, propriòque genio indulgeat.

Quòd si convicia sibi illata eundem pungant, inferántque etiam ex justa causa tristitiam; qui morsus sunt catelli, lethalia censent vulnera: si ab amico corripiatur; injuriam fraternam interpretatur correctionem, amicóque irascitur corripienti, ut sibi injurio, noxióque: & nihilominus sibi non irascitur, cùm amore sui ductus injustissimè, ac gravissimè se lædat: si deprehendat amicum semel mentiri, ei ampliùs non fidit: & cùm sibi toties mentiatur, decipiatúrque, & lædatur, adhuc sibi fidit, nec se suspectum habet; quia nimirum amore sui cæcutiens qualis sit, haud videt; cùm deberet, potiùs se ipsum odisse, & atrocitet execrari, cùm sibi fuerit execrabilis, & in se ipsum scelestus; imò quod longè deterius etiam in Deum, quem pluries offendit, ut sibi complaceret: quod si propter se ipsum deberet se odisse, quantò æquiùs propter Deum? si quia se non justè amavit, decet se odisse, séque horrere; quantò fortiùs quia summum bonum non solùm non amavit, verùm & pluribus illatis injurijs læsit, congestísque sceleribus lacessivit ad justam vindictam, quemque habuit contemptui; eò quia eidem prætulerit creaturam, in qua sibi complacuit, séque avertit à Deo, ut fucatis voluptatibus adhæresceret? 23.

§. IV.

Qui proprio se quærit amore, se perdit; séque odit, cùm se amat: quia in omnibus satagit sensui indulgere, & bona mentis emulgere.

Atenus, qui amore sui ducitur, Deum non amat, séque à summo bono avertit, quia non novit, se recto amore prosequi, sed duntaxat recurvo in in proprium commodum, ut proprijs satisfaciat concupiscentijs, quia præstantiorem partem sui neglexit, quia nobiliorem sui portionem, seu animam non dilexit, sed solùm corpus, quod omni affecit commodo, emollivit blanditijs, cumulavit delicijs; & ut deteriorem amaret partem sui, contemptui habuit nobiliorem partem sui; nec se totum dilexit, quia quod in se est præstantius neglexit; imò quod est scelerátius, neque amavit id, quod ipsi est totum, quia non dilexit Deum; idque causæ esse saltem deberet, quâ disceret se ipsum odisse: siquidem non amâsse summum bonum sufficiens ratio est, cur debeat, quisque se ipsum odisse: & hoc 24.

malo-

malorum est atrocissimum, quod amor sui invehit, à summo bono recedere, & ideo nullus sævior hostis, nullus deterior inimicus amore sui, qui cùm avertat à summo bono, destituit hominem omni bono, & ideo nemo peiùs se odit, quàm qui amore sui ducitur; nullúsque est magis perditus, quàm qui se amando perdit. Oseæ 13. *Perditio tua ex te*, si te ames, te odisti, ac perdidisti; neque paradoxum pures, si perinde dixero, esse se quærere, ac se perdere; etenim qui se quærit in omnibus satagit sensui indulgere, & bona mentis emulgere, corporis inhiare commodis, & animi obliterare ornatum: & id nil est quàm se, & sua serio perdere; & cadaver potiùs fit hominis, quàm homo; quia plus corpori fidit, quàm animo: si enim vivamus corpori, cui per blandimenta voluptatum indulgemus, morimur animæ: neque ut docent Ascetæ, potest quis vita vivere spirituali, quin vita destituatur sensuali: neque ad vitam spiritualem alia patet via, quàm per mortem vitæ sensualis; tunc dicimur spiritualiter vivere, cùm omnes tum corporis, tum animi motus ad Deum diriguntur; qui finis est omnium humanarum actionum, ac propterea omnium agendorum scopus.

15. Hinc debemus ad agendum duci, non naturæ impetu, nec amore proprio, sed solo spiritu gratiæ, si enim sinamus nos amore nostri à virtutis tramite abduci, sinimus, & nos seduci: onus gravissimum nobis imponimus, si ad ejus normam vitam componimus. Comprimamus corporis sensus, coërceamus carnis concupiscentias, compescamus exerrantium passionum motus, renuntiemus voluptatibus sensuum, abigamus omnem amorem proprium, & moriamur vitæ sensuali, ut vivamus spirituali: sicut enim ex Numinis sancita lege cœlestem homo non adit gloriam; neque immortali fruitur vita, nisi priùs in terris obita morte: ita Numinis decreto statutum est, neminem evehi ad perfectionem vitæ spiritualis, nisi per mortem vitæ sensualis: idque adeò DEO fixum, ratúmque, ut sit Deus aliquem faciliùs excempturus à lege mortis corporalis, ut sine ea, eum transferat ad vitam perennis gloriæ; quàm ut absque prævia morte vitæ sensualis ascendat quis ad vitam spiritualem. Dicat quisque audacter cum Moyse Numénque enixim roget in hoc sensu; *Obsecro Domine, ut interficias me*: nimirum ut des mihi ea tuæ gratiæ auxilia, quibus mihi moriar, ut tibi vivam; amore mei destituar, ut tuum induam, méque discam odisse, ut te solum amem, tibíque soli inserviam. Num. 11.

16. Perinde ac duplici constat homo portione supera, & infera; ita gemino ducitur amore, altero quô in sublime nititur, ut summo bono adhæreicat: altero, quo in ima deprimitur, ut corpori inserviat, & cœnosas quærat voluptates, ut carni eblandiatur; & quemadmodum contrariam sortiuntur ambo amores indolem, ita juges inter se se pugnas ineunt: estque amor sui, quo quis sensui indulget, hostis ille domesticus, qui perenne indicit animo, & alteri probo amori bellum; dies, noctésque bellicum canit; idque agit, donec homo animam agat: sed satiùs odium dixerim, quàm amorem sui, cùm amor sit non in animum tantùm, sed etiam in corpus sæviens, quod aggravat, dum nititur allevisre; desatigat, cùm ejus studet quieti; frangit, si ejus consulat integritati: quinam labores non exantlantur, quæ pericula non incurruntur, quæ damna non tolerantur propter corpus? hujus siquidem causâ trajiciuntur maria, superantur fluctus plerumque etiam oceanis procellosiores, transcenduntur alpes, excavantur montes, dilacerantur eorum viscera, solicitantur terrarum penetralia, & plerumque ob lucrum pauxilli auri, rubræque terræ jactura fit divinæ gratiæ: satagunt, qui sui ducuntur amore diffluere divitiis; vitiis fœdari re, & nomine affinibus, quibus liberiùs, commodiúsque indulgent: si divites, qui sui ducuntur amore, accerseres, deprehenderes, uni luxuriam eblandiri, alteri desidiam lenocinari, illi gulæ intemperiem obsequi, & isti omnia vitia ancillari. Nimirum non filios hos dixeris illustres in auri splendore, sed caliginosos in tenebris vitiorum: filios dixeris tenebrarum, qui carnem suam, ut filiolam, suaviantur, eámque fovent, ut eidem blandiùs faveant; an non qui hocce amore sui ducuntur, rectà perducuntur in Epicuri hortulos, ut in umbram ferantur delicatæ inertiæ? & isti cum solas in terris aucupentur delicias, venentúrque voluptates, nil habent, quod cœlum sapiat; nil cogitant divinum, quia nunquam se humo attollunt, & perinde ac sues in cœno terrenarum voluptatum volutantur. Neque ab ipsis expectandum, ut tuendæ honestatis gratiâ, aut divinæ gloriæ causâ, vel virtutis acquirendæ studio, aut perfectionis obtinendæ amore se se injiciant in difficultates, labores subeant, pericula incurrant, quin totas noctes volutantur in plumis, & rosis: scio Diogenem uno cubâsse in dolio: sed etiam scio hos delicatulos, qui sui ducuntur amore, nonnisi inter dolia, non tamen vacua, & ollas, dies impendere, eorúmque animum totum in patinis, & cantaris mergi, plúsque cœno, quàm cœlo adhærere: non igitur mirum si hisce vile sit omne honestum, quibus invisa est ipsa honestas, & quibus accepta est sola corporis voluptas; & quia otio desident, vel languore diffluunt, adeò virtute destituuntur, ut neque vultum ad sidera erectum collant, neque sciant mente quidquam moliri heroici, neque assurgant ad opera sublimia, neque studiis incumbant virtutum: plúsque enerves, ac imbecilles timent culicis aculeum; quàm viri, qui laboribus obduruêre, & studiis assueverunt virtutum, Persicum spiculum, vel acuras Gallorum lanceas, Partorum sagittas, Ma-

cedonum sarissas, Saguntinorum acinaces, & Persarum machæras.

27. Ita est, qui ducitur amore sui, suúmque diligit corpus, si damna, quæ inde ipsi inferuntur, perpendat, se potiùs odisse noverit, ac perinde esse carni indulgere, ac spiritui obesse: & sicut amor sui in odium degener sævit, cùm blanditur; ita odium sui verus est amor, qui prodest, cùm obesse videtur: scit enim verus amor per odium diligere: ut Epist. 90. scitè scribit Seneca; *Meliùs in adversis sapimus, quàm in prosperis*: sunt veri amoris operationes æoigmaticæ, quæ dum in odium videntur degeneràsse, amorem produnt defœcatiorem, qui purior persæpe est, cùm sub specie mali videtur obesse; bonum siquidem uberius tunc ingerit. Etiam à Numine vero, probóque diligimur amore, & tamen cùm videtur plerumque nos torquere, blandiùs nobis favet: prosperitas plerumque pravitatem nutrit, & rerum affluentia persæpe virtutis est noverca: ea est virtutis indoles, ut duris alatur, blandis dissolvatur, adversis floreat, prosperis diffluat, pressa assurgat, & neglecta corruat.

28. Prosperitas concupiscentiam fovet, & vitiis favet; blanditur carni, sed spiritui nocet; nectarea pocula propinat corpori, sed lethalia animæ: si amor sui honestatem corrumpit, & à summo bono avertit, amor non est, sed odium; quia perinde est amare, ac velle bonum; & nullum malum potest peius excogitari, quàm quod à summo bono avertit, quòd si odisse est velle malum, consequens est; ut si amor sui à summo avertir bono odium sir, quovis ceraste lethalius. Hinc neque latum unguem à veritate deflectit vulgatum illud; *cùm bene odisti, tunc rectè amâsti; & cùm blandè amâsti, tunc sæviùs odisti*, quia amâsse aliquando odisse est, adeo ut cum amore vices odium reciprocet, ac opposita in unum coëant, & amori militet odium, & amor in castris odii pugnet, procedátque propterea odium ab amore, qui à Lib. 4 contra Marcionem cap. 27. Tertulliano dicitur; *præcox, & acerbus amor*: videtur siquidem acerbè diligere, qui odio amat; hancque præcoquam, acerbámque dilectionem à Magistro Christo didicêre Disci-Luc. 14. puli, cùm enim post prolixam concionem discessisset Christus à turbis, fuerunt istæ ejus allectæ verbis cœlum fragrantibus eum secutæ; quibus in piæ sequelæ stipendium hoc summæ virtutis dedit documentum: *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus*, quæ verba expendens D. Gregorius Papa ait: *sed percunctari libet, quomodo parentes, & carnaliter propinquos præcipimur odisse, cùm jubeamur & inimicos diligere? & certè de uxore veritas dicit Matth. 5. quod Deus conjunxit, homo non separet*, & Paulus ad Ephes. 5. scribit, *viri diligite uxores vestras sicut & Christus Ecclesiam, ubi Discipulus uxorem diligendam prædicat, cùm Magister dicat, qui uxorem non odit non potest meus esse discipulus: nunquid aliud Judex nuntiat (ait Gregorius) & aliud præco clamat? An simul & odisse possumus, & diligere?*

Sed si vim amoris medullitùs pensemus, & intimiùs perpendamus, utrumque simul agere per Christianam discretionem possumus, ut eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximos novimus diligamus & quos adversarios in via Dei patimur odiendo, & fugiendo nesciamus, subdit enim D. Gregorius: *Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens dum prava non ingerit, non odio habetur; ut autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium, non de affectione procedere, sed de charitate; addidit protinus dicens: adhuc autem, & animam suam:* quia odisse animam suam est eam diligere; & odio insequi perinde ac eam amore prosequi: odium à Magistro Christo inculcatum est, quod ex amore proficiscitur, adeout idem in homine affectus in extrema scindatur extremè pugnantia, cùm didicerit per odium amare, & per amorem odisse: nimirum honestum est, ac perutile odium, quod non de affectione incedit, sed de charitate procedit: odisse quos patimur in studiis virtutum adversarios, in cultu Numinis obices, odium non est, quod de affectione incedat, sed de charitate procedat; ac per ejusmodi odium arcana quadam affectuum metamorphosi nos & eos, quos in via Dei adversarios patimur odiendo diligimus. 29.

Non enim dilectio suavi eblanditur benevolentia; fœmineus est amor ille, qui omnisi blanditiis diffluit: masculus qui lenocinia respuit blanditiarum, & collectis viribus pugnat, ut virtutem propugnet; duriúsque audet odisse; & in amoris officina suppeditante charitate ignem faber amor odium discit excudere, ut sciat per odium diligere, quod non de affectione incedat, sed de charitate procedat. Mollis est, ac fœmineus amor, qui nonnisi mellea gustanda porrigit, dulcésque propinat haustus: virilis & robustus amor cædes non horret in Abrahamo Isaacum immolante, nec parcit charissimis, ut Numini pareat. Utinam hoc amoris ænigma perciperent, quotquot amore sui ducuntur? utinam scirent sub odii larva verum subducere amorem, & per odium impensius diligere? utinam Tobiam imitarentur, qui contribulium Apostatarum consortia fugiens dum suos aversari videbatur, eosdem in avita religione dissimulantes instruebat? non enim cùm à paschali convivio eos rejiceret, odio execrabatur Tob. vers. 5. sed odii specie ad patrios mores peramanter revocabat; tunc bene diligimus, si discamus rectè odisse, ut docuit Christus inquiens: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, custo-* Joan. 12. 30.

dis

dit eam: nimirum qui ducitur amore sui se ipsum perdit, qui verò se videtur odio persequi, impensiùs se diligit: pulchrè Augustinus tract. 51. in Joan. *Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amâsti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.*

31. Si igitur nos ipsos amemus, animam nostram lethaliter odisse deprehendimus, sin verò odio nos ipsos habemus, nos diligimus: ænigmatica sanè est hujusmodi pugnantium affectuum reciprocatio; in conflatorio amoris odium cuditur, & in officina odii amor nascitur, qui adolescit in virtutem, & adulterascit in martyres: si vitam nostram in hoc mundo blandè, seu malè amemus, tunc odio nos habemus: sin verò bene oderimus subtrahentes carni lenocinia blanditiarum, & corpori blandimenta voluptatum, tunc rectè amamus, quia didicimus bene odisse; & tunc amor veluti alter ac verus phœnix è cinerario odii redivivus surgit vegetior; in odii lethalibus umbris, quibus corporis sensus circumfusi jacere videntur extincti, illustrior emicat amoris flamma: ciliciis, vepretis, & aculeatis catenulis odium sui corporis membra munit, & torquet; sed amor veroantis instar rosæ hisce circumseptus spinis efflorescit suavior, & hac ratione si bene oderimus, bene amavimus: odii vulnera amoris consulunt integritati; si odium insidias parat, amoris sunt laquei; si jejunia indicit, vegetior inde nutritur animus; si contemni suadet, tunc sublimiùs evehit; si minatur blandæ sunt amoris voces.

32. Non timeamus igitur odisse nos ipsos, quos cùm plus oderimus, impensiùs semper amamus: si nos bene oderimus immortalitatis inscribimur candidati, æternitatis alumni, ac felicitatis nunquam perituræ hæredes. Non corpori adhæreamus, sed animæ inhæreamus: quid boni in corpore, quod nostrum promereatur amorem? nihil sanè: imò non deest, quo debeat odio prosequi, cùm sit, ut loquitur Bernardus saccus stercorum, & esca vermium; vel ex mente Tertulliani limus titulo hominis incisus; & ex sensu Nazianzeni hostis placidus, insidiosus amicus; & sanè est corpus inauspicatum monstrum pure fœculentum, sanie tabificum, putredine corruptum, è cœno conflatum, in quo quot sunt membra, totidem sunt arma, quæ animam oppugnant, Deum impetunt; & cùm corpori favemus, cerastem in sinu fovemus: quis amet, quem novit suum interfectorem? quis foveat, quem scit ad necem sibi insidiari? quis ei eblandiatur, à quo nonnisi lethalia expectat vulnera? ne igitur ob corpus periturum æternùm pereamus, odio potiùs, quàm amore illud prosequamur, non attendamus ad ejus querelas, nec ad ejus blanditias: siquidem conqueritur, ut nos vulneret; blanditur, ut fallat; in id incumbamus studii, ut sensus ministrent, ut pareant rationi, non concupiscentiæ; animi imperio, non carnis desiderio: præposterum enim est, si servus imperet, herus famuletur: sint sensus corporis fidi excubitores, non perfidi proditores: si enim nimis indulgeatur sensibus, fas est, pungatur anima sentibus: ideo quispiam odio animam persequitur, quia amore carnem prosequitur; proinde, quia se amat, odio se ipsum insequitur, quia nobiliorem partem sui odio persequitur.

§. V.

Per odium corporis discimus rectè diligere; quia tunc odium non de livore procedit, sed de charitate incedit. Carpitur corporis cultus, & vestium luxus.

Animam non amat, qui corpus non odit: non credamus Philosophorum argutiis, neque affectibus hominum, sed Magistro Christo dicenti: *qui amat animam suam perdet eam*, hoc est carnem, *& qui odit animam suam in hoc mundo*, seu corpus, *in vitam æternam custodit eam*, dicitur caro anima, eò quia à plerisque pluris fiat in homine: credamus Augustino docenti: *si malè amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amâsti:* per odium enim carnis rectè diligimus, quia tunc odium non de affectione incedit, sed de charitate procedit: hoc pacto viri omni ævo sanctitatis splendore illustres, virtutum studio inclyti, pietatis culturâ insignes didicerunt se odisse, ut bene se diligerent: & quotquot eximia florent virtute in amoris conflatorio, sui excudunt odium, ut de sui odio discant rectè se amare; & hi ter, quaterque felices, qui se oderunt custodiendo, carnificinam in se exercendo, carnis illecebras coërcendo, oculorum evagationes compescendo, totùmque corpus in arctam servitutem redigendo, ne se perderent amando per carnis blandimenta, per illecebras voluptatum, per deliciarum affluentiam: quàm feliciter septennem suam dilexit prolem beata Felicitas, quæ ne filii morerentur, ijsdem mortem suasit; ne æternis destituerentur deliciis; tormenta, quæ subirent, persuasit; & ut in cœlum veherentur, in terris perire desideravit, quos tenerrimè amavit, de hac pia matre piè S. Chrysologus ait: *Ecce mulier, ecce mater quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam.* 33.

Non est vera mater, quæ nescit suos sic filios amare: etiam sponsa tunc ab amore sponsi visa est recessisse, cùm se ipsam adamavit: petierat sponsus ut fores sibi aperirentur: *Aperi mihi Soror mea, quia caput meum plenum est rore*, sed quia frigidis abstersera sponsa laticibus pedes, suique amore ducebatur timens, ne si surgeret, terrámque tereret, pulveres, maculásque contraheret, 34. Cant. 5.

traheret, excusavit se, reposoitque: *lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* nimirum quia corpori suo indulsit, caput dilecti rore imbutum pedibus suis aquâ ablutis posthabere non erubuit: nec curavit roscido sponsi caput imbre perfundi, ne ejus pedes sorderent; nilque vel in ipsa sponsa tam vile fuit, quod amarum, sponsi capiti non fuerit prælatum: madnêre sponsæ pedes aquâ è sinu terræ saliente; maduit sponsi caput rore è summo cœlo descendente; potuit & sponsa hoc cœlesti rore madere, sed quia sui amore ducta, pedésque suos capiti prætulit sponsi, vel in ipsa lotione pedum moculas visa est contraxisse in capite, seu sponso non adhæsisse: & caput astris splendidum, solisque jubare clarius pedibus posthabuisse: siquidem amor sui, quo sponsa pedes lavit, ita cor ejus lotis agglutinaverat pedibus, ut maluerit sponsa suum periclitari sponsum in nocturno rore, quàm lotos pedes exponi pulverulento pavimento.

35. Sed cur timuit sponsa pulsanti sponso fores aperire? An quia pedes laverat, quos ab inquinamento pulveris arcere, ac tueri cupiebat? *Lavi pedes meos quomodo inquinabo eos?* sed excusatio hæc est, quæ potiùs risum moveat, quàm miserationem conimoveat: quod sponsa pedes laverit, eósque fordescere in pulvere non fuerit passa, nil id adversatur dilectioni, qua sponsa suum debuit sponsum prosequi: sed quòd sponsum excluserit, eò quia pedes laverit, nec pati voluerit pedes recèns lotos inquinari pulvere, id in sponsa redarguendum est, quia sponsam arguit amore sui ductam, non dilectione sponsi perductam; non enim sponsus ab ea petierat, ut nudis ad se pedibus accurreret: potuisset facilè sponsa munditiei consulere pedum, si calceos induisset: unde frustra coinquinationem pedum prætenderat, quæ solis calceamentis, ne pulvere sordescerent, tueri facilè potuit: sed quia amore sui ducebatur, amare nescivit sponsum, ejúsque rore madefieri noluit, séque ipsam propterea fuit odio persecuta, cùm sibi subtraxerit roscidos cœli imbres, quibus non jam pedes, sed caput lavaret, séque ad sponsum elevaret: hinc quia rectè nescivit amare, negligentiam quoque nescivit excusare: plures sunt, qui amore sui ducti, & desidia capti ægrè surgunt, non quia terræ pulveres timeant, sed quia lectuli plumas ament; nec ex eo despiciunt cœlestem sponsum, quia pedes coinquinare recusent, sed quia grave sit illis à somno surgere: pedes, seu amor terrenorum plerumque caput, quamvis aureum perdunt, Memoriam subit Babylonicum illud simulacrum, cujus excidium evertere non valuêre toto corpore disposita metalla: Lydius non fuit, sed nimis durus lapis ille, qui cùm pedes ferreos, æneum ventrem, argenteum pectus, capútque aureum explorare potuisset, unos duntaxat luteos contrivit pedum digitos: nimirum sordes luti, quas pedes contraxerant, capitis splendores, & decorem extinxerunt: amor enim terrenorum, & quo quis se prosequitur, sibíque indulget quidquid pretiosi, splendidi, & aurei inest, corrumpit: displiceat lutum in pedibus, seu terrena affectio, suique amor, ut fulgeat in vertice aurum; si cœnosa digitorum vilitas, si amor luto corporis adhærescens ad excidium provocat; ad parcendum eximulet totius corporis dignitas; & ad proximum licèt inimicum diligendum.

Qui probo, veróque ducuntur amore non sibi, sed aliis indulgent, sibi labores, aliis quietem partiuntur, exemplo Noëmi viri agricolæ: *Cœpítque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam*: laboriosissimum sibi vitæ genus delegerat Noë, seu vineæ culturam, cum pascendis gregibus filios præfecisset: utinam, qui aliis præsunt Noetico hoc instruerentur exemplo, discerentque insuaviora, & duriora sibi retinere, & mitiora aliis impertiri? & ideo Magister Christus piscari jussit Petrum discipulum, cum exsolvendum fuerat tributum, remigio naves agere, cœnámque apparare, ut qui futurus erat Ecclesiæ Princeps, inde intelligeret, se ad laboriosiorem præ cæteris evocari sarcinam: non promoventur ad dignitates, qui præsunt, ut quiescant in plumis; sed ut laborent in undis, procellas, fluctúsque tolerent adversitatum. Sed vix Noëmus tellurem cœperat excolere, & statim exculta tellus alimenta suppeditavit familiæ; vix semina jecit, & delicias messuit: sed tunc ab homine, ab usu cecidit rationis, quando amore sui nimis voluit iisdem adhærescere; vineam Noë excoluit, racemos despumantes vindemiam expressit, vinum extraxit; cúmque immoderato ejusdem indulsisset haustui, temulentus ab usu cecidit rationis. Caveamus a proprio amore in hæc inferiora, non ducamur amore carnis, non indulgeamus sensui mundi delicias sitienti; non dicamus alimenta nos fetere, ne serò intelligamus, non cibum, sed illecebras nos excoluisse, quæ cùm prosint sensui, obsunt animæ; tametsi Noë dicereris, & post arcæ extructionem, post catachlysmum irruentium aquarum, post oblatas Numini victimas, familiare cum Deo colloquium misceres, ac fœdus cum eo inires: si amore ducaris terrenorum, terram excolas, ut vivas; vites implantes, ut bibas; haustui indulgeas, ut sensui eblandiaris, inebriaberis & tu, denudaberis usu rationis, irrideberis: non potest mundus excoli, quin mundi amentur voluptates: quærat quis victum, sed in aula Principis, cui inserviat, & tunc amor sui quovis sævior tortore discruciat, post victum opes quærit, sed nec Cresi opes ejus valent sitim extinguere: dignitates si ambit, adeò cupit eminere, ut vel purpuras fastidiat, quia amor sui jugiter torquet, arctiùs semper illaqueat, & nunquam quiescit. Virtutum studio, ac pietatis culturâ celebris fuit Noë, & tamen cùm primùm cœpit

Gen. 9. 36.

pit amore sui duci, sensuique indulgere, à se ipso deficit; immodico enim madidus vino, temulentus factus est, nudatus, irrisus; nimirum amor sui virtutum abjicit ornamenta, & nuditate gaudet, quia patrata scelera, quorum est amor sui author, latere non possunt.

37. Caveat quisque à blando hoc hoste, ab amore sui: hic enim est, qui nobis dicit, hoc mihi placet, illud mihi sapit, aliud mihi prodest; id mihi est commodum, mihi jucundum, mihi volupe: est enim amor sui veluti sylvestris taurus, fera pessima, quæ quatuor cornibus nos arietat, bona desideria corrumpit, & vitiat; primo cornu, cupiditate honorum, ac titulorum nos impetit, qui enim amore sui ducuntur præ aliis volunt eminentiores videri, plurimique æstimari. Altero cornu, aviditate delectationum, quæ ex esculentis, & poculentis percipiuntur; docet enim amor sui cibum, potùmque sumere non tam necessitatis causâ, quàm voluptatis gratiâ, docet mensæ assidere, non ut sedetur fames, sed ut gulæ indulgeatur. Terrio cornu aviditate divitiarum, quibus vitia adsciscuntur, ac foventur, ut non solùm marsupia intumescant; sed & concupiscentiæ appetitûs insolescant. Quarto cornu, desiderio damni aliis inferendi, quatenus amor sui suggerit nocentibus nocere, ac molestias iis adferre, qui aliquid saltem videntur adversi, vel offendiculi ingerere: non tamen semper aperta molitione in aliorum perniciem laborat: plerumque tam commodè, tantóque circuitu peccat, ut nil minus videatur velle, quàm iis, quos odit, obesse: amor igitur sui quadricornuta est bestia, totúmque hominem hoc quadruplici cornu ferit, ac dejicit. Quantum damni primo cornu inferat, ex eo conjicitur, quia qui honoris eminentia, titulorum celsitudine, laudúmque commendatione cæteris volunt præcellere, hi totum videntur studium impendere in cultu corporis, in vestium splendore, in nitore ornatûs; ut videantur præ cæteris effulgere; sed quia proprio ducuntur amore, vel in ipso auri nitore cæcutiunt, & ornatu vestium viliùs sordescunt; scitè Minutius Felix in Octavio: *Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpurâ, & sordescere mente*, ut enim monet Chrysostomus in 1. ad Corinth. 6. homil. 7. *Difficile est corpore ornato ornari simul & animam.*

38. Sicut qui amore sui ducitur, se odio prosequitur, ita qui nitorem quærit in veste, sordes faciliùs animo contrahit; hinc nulli fere exquisitus est corporis cultus, quàm cui animus est incultus; ut comptulus, comatulus idem plerumque sit, ac sordidulus; odores siquidem in vestibus, gemmæ in auribus, annuli in digitis, aucupes sunt libidinis, & qui corpus exornat, mentem promptiùs devenustat, pulchrè Tertullianus *de cultu mulier. Et Milesii oves tondent, & Syrij arbores nent, & Tyri tingunt, & Phryges insuunt, & Babylonij intexunt, & margarita candent, & gemmæ coruscant, & ipsum aurum de terra prodit. Omnis jam nostra cura est de vestibus, si bene oleant, si eleganter fulgeant.* Sed quid homini cùm sit supra belluas cum vestibus belluatis, ut loquitur S. Hieronymus: O inglória gloria, quam homo ab exuviis mutuatur belluarum! quâ homini est amor sui inimicus, cùm ab ipsa hominis specie eum dejiciat, viribus enervet, & in muliebrem adigat mollitiem degenerare, quatenus mulierum ritu aromata, odores, pulvillos exotico fartos flore, odoréśque spargentes circumfert: fragrat ubique musco mure, ac domestico veluti præconio effœminati animi enuntiat ægritudinem; purpurisso vultum inficit, stibio oculos pingit, & alieno capilitio utrinque ad pectus deplucnre, totum obtegit caput, & superfluo ornatu singula corporis membra ad omnem vestit elegantiam, cui succensens D. Chrysostomus ait: *Primi Christiani semel ut in certamen ingressi sunt, vestes exuerunt, nos autem insanientes cum vestibus certare volumus. Idem facimus ac si quis athletam pulvere aspersum, nigrum, nudum, & oleo, sudore, ac luto simul deformatum viderit; ipse unguentum olens, acceptis sericis, ac aureis vestibus, & stola usque ad corrigias calcei demissa, & aureo ornatu in capite, ingressus se immittat:* & nonnullis interjectis subdit: *Tempus est certaminis, tu autem sericis indueris? tempus est exercitationis, tempus studij, tu verò quasi ad pompam te ipsum ornas? & quomodo vinces?* Militia teste Jobo est vita hominis, milites sumus non phaleris ad ornatum indigemus, sed armis ad pugnam muniamur, non auro fulgeant vestes, sed ferro cingantur latera: non oculi fiant stibio picti, sed frons sudore madida; non vultus purpurisso efflorescat in rosam, sed facies labore impallescat in violam; non lapides pretiosi micent in digitis, sed gladius districtus fulgeret in manu; quia non vestis compta, sed scutum divulsum; non caliendrum Cyprio aspersum pulverere, sed fracta galea; non membra corporis vestium cultu induta, sed multiplici vulnere tessellata militem commendant.

Epist. 22.

Serm. 9 in Act. Apost.

Non est igitur, cur gloriemur corporis amictu, sed animi loricata fortitudine; non vestium luxu, sed apparatu virtutum; non adscititiæ pompæ nitore, sed excultæ justitiæ studio. Quid? quòd gloriatur homo cultu vestium, elegantiâ amictûs, ornatu indumenti? quàm tenuis, quàm futilis gloria, cui vel tineæ ipsæ vestium carnifices insidiantur: non sit Christiano materia gloriæ, quæ vermium fit esca; non iis glorietur, quæ à brutis mutuatur animantibus; non superbiat in serico, quod bestiolæ gignunt; vermes, & bombyces suppeditant: non intumescat elatus, si fulgeat in humeris coccus, quem pisci debet; non splendida veste, quam ovibus; non micantibus gemmis, quas ostreis; non inflatis 39.

cothornis, quos bobus; non fericis tibialibus, quae bombycibus debet: abjicit se infra bestias, si inde superbiat, ac ijs glorietur, quae accepit à bestiis: nimius corporis cultus animum prodit incultum: scitè Aristoteles: *Vir ille pulcher est, qui & labores bellicos sustinere queat; & ita jucundus aspectu est, ut simul etiam, dum videtur, terreat.*

1 Rhetor. ad Theod. cap. 8.

40. Caeterum fucatus corporis ornatus animum devenustat; elaboratus cultus deturpat; adscititia elegantia foedat, meretricius nitor inficit, histrionicus habitus denudat, gemmarum splendor obscurat, auri fulgor deaurat; & impensus ornatus deornat, occiditque; videaturque propterea homo amore sui ductus, & corporis cultui addictus mortuā gestare animam in feretro gemmis illuminato, auri splendoribus illito, ac vario schemate depicto, ut scitè notat Chrysostomus inquiens: *Molles, dissoluti, fornicarij corporis munditiam curant, jugiter oleutes unguenta, sepulchrum ornantes: est enim sepulchrum ess corpus, animam verò intus habent mortuam:* utinam cùm vestes odorem exteriùs exhalant, foetorem intus anima non inhalaret! cùm cabiendrum in capite suaviter olet, mens intùs corruptis non foeteret cogitationibus; saepe enim sub veste attalica, serica, odorifera, anima latet cadarifera.

Homil. 36. ad popul.

§ VI.

Amor sui dignitatum splendidarum appetentiā inflammatus, sursum nititur: sed quò sublimiùs evehitur, eò lapsu ruit graviore.

41. Non amor sui extima duntaxat obsidione, seu vestium cultu animum premit, deprimitque; verùm etiam vanā honorum appetentiā intimè arietat, quia ut rectè monet Augustinus: *Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur:* nullibi intutiliùs defatigamur, neque in ullum opus nostra futiliùs studia impendimus, quàm ut honorem enaciscamur, cùm sit id periculosae aleae opus plenum: nemo enim altiùs ruit, quàm qui sublimiùs ascenderat: quidquid ex terra in sublime nititur, lapsu semper graviore ruit, & quidquid in extructis turribus constructum est altius, paratiori est ruinae obnoxium; ubi enim emicet fastigium, illic finitimum est praecipitium; & quantò est gradus altior, tantò est casus profundior: nec fulmina frequentiùs quidquam feriunt, quàm culmina: & fortuna, si adversetur eos primùm dejicit, quos prospera sublimiores extulerat. Altiùs qui evehuntur alis honoris, ac dignitatis à recto plerumque declinant salutis tramite: coeli enim via ijs pene est invia, qui non onerum, sed honorum vestigia premunt, semitas sequuntur; ut cognata videantur non solo nomine, sed affinia etiam re haec duo vocabula *dominatio*, & *damnatio* is igitur damnari metuat, qui dominari expetit: inhonorus est omnis honor, praeter eum, quò eò tendimus, ut intendamus Dei honorem augere.

In Psal. 50.

Is caeteris censendus est honorabilior, quem nullum honoris desiderium pulsat praeter divini honoris incrementum, nullum expetit honorem: quò enim quis honorem proprium flocci aestimat, ac humanam dignitatem, eò pluris aestimatur; non est cur homo ex humo natus; & denatus iterum humo restituendus honores quaerat, dignitates ambiat, quem exigua manet in sepulchro coticula: quid honorem sibi quaerit homo? cùm nil sit, nisi fumus avolans, vel umbra fugax, à cunis ad sepulchrum properans. Quis honoret nihil, & quid homo aliud est, quàm nihil teste Jobo 1. 30. *Redactus sum in nihilum:* nimirum ad nihil jam valet homo ultra, nisi ut conculcetur ab hominibus: an non insania est ambire eorum laudibus honorari, quorum pedibus dignus est conculcari? An non ridendus esset opilio, si querelis aërem impleret, eò quia à septem viris non fuerit Imperator electus? An nō stoliditatis argueretur scelestus ille, quem patrata crimina dignum constituere ut suspendio, si aureum peteret diadema, cùm laqueum sibi fuerit promeritus? & tamen quot sunt stolones, vix digni ut sint lictores, qui tamen ambiunt esse Senatores. Quid homo est quàm pura vanitas, purùmque nihil, nec est, quo se debeat ullo dignum censere honore, ullā insigniri dignitate, quamvis divitiis affluat, vestium cultu splendeat: etiam pavo licèt formosus ob oculatam caecutientis caudae pompam, ob unicum tamen pedum defectum totus confunditur, & versicolorem ac floridam caudam illicò prae pudore contrahit: mirum sanè quòd adeò impensè honorem studeat homo aucupari, qui si intimiùs perpendatur, nil adjicit honorato, qui ut honoretur non dependet à se, neque à sua industria, sed ab aliis: an non arduum est, velle id consequi, quod non potest quis sibi dare? & si dent alii, nil additur, quo melior fiat, cui honor impenditur? Quid quaeso est honor, quàm fallax plerumque imaginatio, quae si aliquid credatur esse, nonnisi adscititius est splendor, cujus inanitate fascinantur homines; & eò minoris est honor censendus, quo in re nil esse videtur.

Quis neget plurimum splendoris, ac majestatis Persarum habuisse Regiam Estherem, impendio tot Provinciarum ornatam, quae ab ipso Reginae cultu nomen sortiebatur; & tamen quanti ipsa fecerit honorem in ipso dignitatis culmine, quanti diadema, sceptrum, & purpurā, ipsamet aperuit Deum alloquens: *Tu Domine, qui habes omnem scientiam, nosti quod abominer signum superbiae, & gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, & detester illud quasi pannum menstruatae.* Attigerat suprema honoris fastigia Rex Antigonus Regio diademate clarus, regalique sceptro praepotens: & tamen rogosae cuidam vetulae felicitatem ejus praedicanti reposuit, ò si nosses mea mater, quot molestiis, malisque cingatur diadema illud, quod 43.

Esther 14.

42.

quod tu vides, & auro splendidum, & gemmis illuminatum; nec de sterquilinio dignareris tu illud abripere. Neque minus exploratam habuit hanc umbratilem honoris felicitatem magnus ille Agamemnon, cùm nil aliud censuerit esse diadema nisi vano fulgore tinctum nomen, & *falso comam vinclo nitentem*, ut ait Seneca tragicus, ac si diceret; homines, qui suis credunt oculis externa rerum superficie contenti ornamentum putant capitis, quod verius pressæ, ac oppressæ mentis est catena, quæ vera destituit libertate, & in arctam detrudit servitutem: neque magna dignitas aliud est, quàm ingens servitus; & splendidus honor, quàm gravius onus? noverat id Monima Milesia Mitridatis uxor, mulier Græcis præclara; quæ ut se in libertatem assereret, suo se diademate suspendit; sed eo disrupto, cùm in terram corruisset, detractum collo indignabunda pedibus conculcavit inquiens: Quàm execrabilis fascia! quæ nec in vita suave quidquam mihi contulisti, nec in tam tristi obsequio mihi vales opitulari: & verbis hisce prolatis pectus Bacchidi scissa veste præbuit gladio transfodiendum.

44\. Quis igitur est tam insanæ mentis, qui splendidam ambiat, amétque hanc servitutem, tot ærumnis vallatam, molestiis circumseptam, miseriis cumulatam? Quis adeò insanus ut omnium velit obsequiis revera substerni, ut videatur in speciem dominari? Fallitur qui aliqua frui felicitate, eum putat, quem dignitatis fastigium, & honoris culmen tenet; quis dicat eum beatum, qui manus omnium circumspicit, nutus observat, suspectáque semper habet loquendi, audiendíque commercia, quique semper timet, pavétque, ne deteriora ei obtingant? Putârim, hunc beatiorem non esse Damocle Rege olim Siracusis personato, quem Dionysius Tyrannus sub districto gladio cervicibus imminente jussit assidere mensæ lautissimo ferculorum apparatu instructæ. Cùm quidam ex assentatoribus Damocles, ait Cicero, Opes, & Majestatem Dionysii recenseret, negarétque unquam beatiorem quemquam fuisse; visne ò Damocle, ait Rex, fortunam meam experiri? cùm se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in sella sua Regia, tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eósque ad nutum illius intuentis diligenter ministrare: incendebantur odores, mensæ exquisitissimis epulis struebantur, fortunatus sibi Damocles videbatur. Sed in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina aptum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mentam. Denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse, scitè Horatius.

Districtus ensis, cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium, Citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosámque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Nec minus attonitos, perplexósque tenet, quos ipsa per se metuenda altitudo, lubrica dignitatum conditio, summique honoris possidet principatus, scitè Seneca

Quisquamne regno gaudet? ò fallax bonum,
Quantum malorum quàm fronte blanda tegis?
Necesse est, ut multos timeat, quem multi timent.
Venenum auro bibitur: expertus loquor.

Præruptis montium fastigiis sociata adjacent præcipitia, idque luculenter produnt quot quot alternanti fortunæ lusui fuêre; hos liquidem non fecus, ac pilam lusoriam fortuna arridens extulit, móxque eadem irridens in imum deturbavit; testes Ablavius Constantini, Ruffinus Arcadii, Flavius Theodosii junioris, aliique sexcenti, quos fortuna quasi nauseantis stomachi vomitum visa fuit in exemplum superstitibus posuisse, idque expertus etiam Mecænas, à quo non dissimiles voces in ipso dignitatis eculeo veritas extorsit; evehit fortuna, quos fovet, sed si ampliùs non faveat, honoris sublimitas præceps in dedecus ruit, neque olim Manlio Capitolii defensio, nec Seiano Imperatorius sanguis, neque Pompeio orbis victoriis oppletus, nec Cæsari ex tot cæsis hostibus delati triumphi quidquam profuêre, quin etiam conjunctissimorum mucronibus è summis honorum fastigiis caderent intercmpti: neq; alii meliora extra Romanum imperium tuêre fata sortiti; an non Mitridates tot populorum debellator, Regnorúmque occupator, ne sibi faventi superstes viveret fortunæ, violentas in se ipsum manus injecit, ferróque necavit? an non belli illud fulmen Hannibal Chartaginensis, cùm pluries æquora victor trajecisset, Italiæ tractus palmis onustus excurrisset, alpium juga superâsset, districto gladio se ipsum confodit, ne vivus ludibrio esset hostibus? an non Crœsus quamvis divitiis affluens, deliciis diffluens, honoribus clarus, rogum sibi apparavit, quò non illustriùs periret, sed obscurius subiret in flamma fatum? An non Agis laqueum sibi texuit; venena Phocion sibi propinavit, & Manfredus securim sibi acuit? an non retroacta sæcula Baiazetem viderunt è summo throno in caveam dejectum? non ne Bellizarium ex altiori honoris fastigio, licèt victoriis illustrem, palmísque delatis onustum fortuna ludens in imum detrusit miseriarum? nimirum placuit eidem cum Tarquinio summa papaverum capita persæpe decutere, opimásque sibi victimas saginare: quia sellicet alta fastigia graviori semper sunt ruinæ obnoxia.

46. Non nos amor nostri illiciat, non honoris sublimitas alliciat cum persæpe infelici funestetur exitu: si pyraustam ridemus flammæ delectatum splendore, circùmque volitantem lucernam, eò quia ferales necis umbras in lumine quærit, jocósque volatiles in exequias vertit: lugeamus homines, qui amore sui ducti honorum sublimia petunt, è quibus lapsu graviori præcipites ruant: neque aliud est in homine amor sui, quo in sublime honoris, & dignitatis nititur, quàm ut In Psal. 90. disserté loquitur D. Bernardus; *Subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium.* Orbatus est amor sui oculis; & cùm non videat, nec finit eos videre, quos afficit, qui propterea in quodvis prorunt scelus, ut Absolon, 2. Reg. c. 16. qui per stupra paterni thori ad Regnum ad nixus est sibi gradus sternere, quia amore sui prorsus excæcatus, in quæ iniquissima scelera prolaberetur, non vidit: & Tullia, quæ ut virum Tarquinium Regem salutaret, supra cruentum patris cadaver vecta carpento reste Lib. 1. cap. 7. Floro consternatos egit equos. Imò adeò in homine furit, sævitque amor sui, ut hominem ex ipso homine dejiciat, extinguátque in ipso, ne videat omne rationis lumen: quis Nabuchodonosori suasit, ut exterminatis gentium Numinibus, solóque æquatis Deorum simulacris, ipse solus coleretur à populis, ut Deus, an non amor sui? si hic non extitisset, nunquam Tiberius aras, & sacrificulos affectâsset: nunquam Caligula Olympici Jovis simulacro effigiem imposuisset sui capitis: nunquam Heliogabalus Bacchum, quódque extremæ visum fuit dementiæ, & Cybelem habitu expressisset.

47. Est gloria, quam homines amore sui capti, ductíque aucupantur pestis illa in orbe, quæ ubique terrarum hominum cladibus urbes funestavit. Quisque propriam sibi fortem cudit, & si proprio sinat homo amore sui duci, suorum est faber malorum: qui olim in olympicis certaminibus gloriam certando extorquebant, pertinaci patientia frondem emebant viridem in victoriæ tesseram post subitas pugnas, exantlatos labores; cùm absque ulla defatigatione, quæstúque sexcentas potuissent sibi frondes succidere, plurésque contexere coronas: & quod à se gratis obtinere potuissent, vix post Herculeos labores ab aliis potuerunt recipere: nimirum nonnisi humilis, ac demissa est gloriæ conditio, cum ab alieno dependeat arbitrio, & nonnisi aliena se fide æstimet; nec quisque se felicem credit, nisi quem alius felicem dixerit: hinc qui amore sui ductus gloriam expetit, tot necesse est, heros habeat, quot sunt, quibus displicere timet: quæ fors abjectior? quæ conditio miserior? quæ cæteris omnibus famulatur, gloriolæ fluxam aucupaturus auram? Si quis immensis affluens opibus in ea degeret urbe, ubi singulis facultas daretur eum licitè fortunis, pecuniísque spoliare, nonne tametsi hodie esset domi Crœsus, fieret cras in foro Codrus? id gloriæ, honorisque videtur obtingere aucupibus: siquidem cuilibet civi, hospiti, & inquilino fas est quidquam illius detrahere gloriæ, ut prorsus inglorius cadat; qui illustris gloriâ credebatur surrexisse: qui toto animo gloriam prehensant, necesse est, ne ingloríi cadant, cuicuique attendant, metuántque, ne ulli sint noxii, neminem lædant, omnibus prosint, nemini obsint, virósque nobiles, plebeos, equites, rusticellos, senes, adolescentes, fœminas sibi amore devinciant: quàm timida & infelix hæc vanæ gloriolæ felicitas, cùm ex tot invidorum pendeat linguis!

Amore qui ducitur sui, plurimum necesse est impendat laboris, ut pernicissimam 48. enanciscatur gloriolæ fugacitatem, quam si quis assequatur, illicò evanescit, ſitque propterea ejus usura volatica, dicatúrque à D. Gregorio Nisseno: *Diaria* quæ oriente die nata, eodem occidente denata disparet, à Orat. 1. de orat. Plauto *herba solstitialis*, quæ vix orta arescit; à Luciano *ampulla inaurata* plena inanitate, quæ suopte ingenio crepit, & evanescit; à Clemente Alexandrino *pictum somnium*, eò quia mentis potiùs sit figmentum, quod tamen verum dat homini documentum, ne sinat se unquam amore sui duci; nec fidat plausibus populorum, sed potiùs lenocinantia auribus verba, perinde caveat, ac verbera: neque popysmata illa verbis affectare aliud est ait Augustinus *Epist. 56.* quàm linguis humanis ruinosa gaudia construere, qui non vult seduci, non sinat ab amore sui se duci.

§. VII.

Amor sui, quò uberius deliciis, ac voluptatibus sibi eblanditur, eò truculentiùs debacchatur, & sævit, & que lethaliùs ferit.

Alio itidem amor sui ictu ferit, voluptate scilicet, quâ sibi blanditur, deliciásque aucupatur: nemo siquidem est, 49. qui ambiat divitias, nisi acquirat delicias, nemo qui amore sui ducatur, quin ad lenocinia perducatur voluptatum: & in hoc iterum sævit amor sui: quid enim sunt carnis illecebræ, sensuúmque voluptates, nisi dolorum, ægritudinúmque appendices? secum enim plenum advehunt malorum agmen, trahúntque miseriarum exercitum; ex una siquidem voluptate, perinde ac ex equo Troiano tota effunditur malorum acies, quæ non corporis tantùm membra divexat, sed & nobiliorem hominis partem, animum etiam infestat? quid enim ex putida hac voluptatis radice in hominem derivatur, quàm gravedo capitis, dolor stomachi, destitutio virium, imbecillitas corporis, defectio mentis, & vulneratio animæ? quis enim voluptate utitur corporis, & conscientiam non lædit? injuriam Numini non infert? virtutum siquidem studia voluptas corrumpit, & vitia omnia accersit, adeò ut nulla sit verior miseria, quàm quæ à larvata mundi

mundi profluit voluptate, quæ fortassis plures perdidit, quàm ferrum jugulaverit.

50. Expertus id fuit Salomon, qui licèt templum summo Deo ad singularem constructum magnificentiam; licet palatium ad miraculum usque excitâsset, ac in summa rerum omnium viveret affluentia, tandem amore sui ductus, & voluptatibus captus, otio, deliciisque enervatus, eò prolapsus est turpitudinis, ut cùm explendæ libidini pares non essent septingentæ primariæ, & trecentæ secundariæ uxores; innumeras etiam iisdem adscivit puellas, & adolescentulas, quas D. Hieronymus helices vocat, & scorta: &

Ep. 128. ad Furiam. vir licèt innumeris propemodum scientiis instructus adeò desipuit, ut à mulieribus in transversum actus, in omnium vitiorum cœno insorduerit, ac inglorius in sinu jacuerit fœminarum otio, & deliciis absumptus, prorsúsque enervatus; hinc rectè Ecclesiastes.

Cap. 2. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* & in eo præsertim ilius est error, quia voluptates corporis, sensuúmque deliciæ mentem infringunt, viribúsque animam destituunt. Fieri enim haud potest, ut ubi crapula dominatur, ibi sobriæ cogitationes mentem occupent; ubi pleno haustu exiccantur calices, lumen non deficiat rationis; & ubi immodico vino madeant viscera, vigor non extinguatur mentis:

Lib. 4. contra Julianum cap. 14. neque teste Augustino, congruere cum casta cogitatione voluptas corporis potest, quia *delectatio*, ut loquitur D. Ambrosius *lib. de paradiso, sensum; & sensus mentem captivam trahit:* scatet è corporis voluptate venenum quadam serpens contagione, quódque non sine exitu probro ad imas usque corporis, animæque fibras se se insinuat. *Quemadmodum*, ait Eusebius Emisenus; *cum humore, & scabie tactu corporis vitia tur: ex vitio cutis corruptio carnem exulcerat. ab exulceratione carnis prurigo titillat, & ex titillatione sanguis corrumpitur: ita per oblectamenta voluptatum; de negligentia proficit culpa, de luxuria crescit illecebra, & perditio, qua perit; plus delectat, quia voluptas transacta non satiat. sed suo usu magis exercetur vitiorum cupiditas, quàm finiatur:* sic semper voluptas punit, & istus dolor torquet.

51. Quid quæso carnis illecebræ, corporis deliciæ, ac sensuum voluptates sunt, quàm fomenta vitiorum, quæ in animo, perinde ac feræ in sylva deliciis stercorata stabulantur? si enim immodicè irrigetur corpus vino, instar densi cujusdam nemoris in eodem luxuriant vitia, quæ omnia virtutum germina eradicant; & libidinis æstus exsiccat quidquid honesti pullulat: nil enim est, quod tam uberiùs crescat, ocyúsque virtutes in homine suffocet, quàm libido; cujus fomes voluptas est sensuum, ut enim scribit S. Hie-

Lib. 2. in Jovin. ronymus. *Esus carnium, potus vini, ventrísque saturitas seminarium est libidinis:* & ut scitè addit Clemens Alexandrinus lib. 2. pedag. cap. 2. *Vino efferuescente in stomacho, mustum madida juventutis fines transilit pudoris:* quia ut addit D. Hieronymus ad Furiam. Non Æthnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvij crater, non Olympi cacumen tantis æstuant ardoribus, ut juveniles medullæ immodico irrigatæ vino, dapibus inflammatæ; & non adolescentes tantùm, sed & puellas hic ignis inflammat, cùm filiæ Loth in nefarios parentis ætate jam gravis proruerint amplexus: Lothi scelera, quæ ab una emerserunt ebrietate recenset Origenes: qui loquens de Loth ait: *Ebrietas decipit, quem Sodoma non deceperat, uritur ille flammis mulierum, quem sulfurea flamma non ussérat:* imò non solùm temulentia decipit, & voluptas inficit; sed ipsum hominem ab homine deiicit, brutísque adscisit; non enim homo deliciis sensuum, carnis illecebris, corporísque voluptatibus addictus in sublimiori se classe censeat, quàm sint equi, & muli, aliæque brutæ pecudes. In Genes. Homil. 5. Quid, quòd si voluptas subtrahatur, indignetur homo, quia ut porcus non grunniat? ut lupus non ululet? & ut vultur cadaveribus non pascatur? iisdem enim delectantur bruta, ac homo corporis voluptatibus, sensuúmque lenociniis.

Si nolit homo brutis accenseri animantibus, quæ communia sunt cum iisdem, sensuum lenocinia abiiciat, perpendátque in exilio hic degere, ac in valle lachrymarum, in luctu jacere, in squalore, & nondum pervenisse ad amœnissimum cœlestis Syonis collem: si id perpenderet, neutiquam obviis mundi deliciis se passim ingurgitaret, neque à cœlesti patria extorris in errores Ulyssæis haud absimiles abriperetur; neque fallacis mundi foadela delinitus in Sirenum infames impingeret scopulos, neque momentanea inescatus dulcedine, in Lothophagorum littore putresceret; nec Circeo voluptatis poculo fascinatus brutorum stabulis manciparetur: quàm utiliùs sapiunt, qui ærumnosi hujus vitæ exilij, suæque calamitatis consciij cum exulibus Israëlitis sedent ad ripas fluminis, perpendentes, quàm fluxa sint, quàm volatilia, quæ mundus exhibet solatia in sensuum illecebris, carnisque deliciis! & in salicibus amaritudinis instrumenta suspendunt lætitiæ, repetúntque Davidicum illud. 52.

Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus suspendimus organa nostra. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena. Profanis non dissolverentur voluptatibus deliciis addicti carnis, si seriò hæc mente volverent. Psalm. 136.

Alio assultu nititor amor sui hominem expugnare, ac perdere opum scilicet aviditate, quia qui sibi indulget, suísque inhiat commodis, expetit affluere divitiis, vitiis iisdémque affinibus liberiùs ut indulgeat. Sed hæc procul dubio insania est, cœnum acquirere, & cœlum perdere: hanc ut decli- 53.

nemus insaniam, divitijs non inhiemus, sunt enim hæ alimenta vitiorum, instrumenta peccandi, & fomenta omnium pravitatum, corporis præsertim addicto commodis, ut enim monet S. Eucherius de contemptu mundi. *Quædam societas penè etiam nominis, duabus his rebus vitijs, & divitijs.* Quòd verò perinde sit aurum quærere, ac cœlum perdere, ex eo evincitur; quia vita nostra, quidam sit ad cœlum ascensus, & is impedimenta sibi inijcit, ne in altum ascendat, qui supervacuis se ponderibus onerat: nil autem auro gravius, vix illud quis possidet, & illicò cum Jobo conquertur, inquiens:
Cap. 7. *Factus sum mihimet ipsi gravis:* quia nimirum aurum, qui quærit, ut possideat, graves subit labores, graves timores, doloresque graves; laborem tunc sibi quærit, ut acquirat; timorem, ne postquam aurum acquisivit, illud amittat; & dolore torquetur, ubi aurum acquisitum amiserit. Imò non tantùm divitiæ aggravant, sed arctè ligant, sintque propterea opes compedes, quibus præpedimur, ne cœlum ascendamus: detinet nos aurum possessores terræ illigatos, corporisque commodis illaqueatos, & quæ censentur ornamenta corporis, impedimenta sunt animi; plúsque inservit homo divitijs, quàm serviant homini divitiæ.

54. Neque divitiæ desiderium explent, quò enim plures possidentur, majores semper expetuntur, sitque propterea inexplebilis hæc vorago, cui nullus unquam hiatus terræ par fuit; tametsi integras subinde deglutiverit urbes: auro siquidem quisquis inhiat, ut ditescat, quia quod ipsi deest, concupiscit; & cum plura semper eidem desint, quæ posset possidere, habet semper, quò plura expetat: neque charybdis unquam tam vorax fuit crebris quamvis naufragijs infamis, quàm qui acervandis divitijs opus impendit: quinimò acciri, & ipse Oceanus posset in contentionem voracitatis cum hac inexplebili divitiarum siti: licèt enim tot amnium, fluminúmque accessionibus non intumescat pelagus, sed novis semper inhiet aquarum lucris; servat nihilominus, ut observat S.
Homil. in avaros. S. Basilius, præscriptos sibi ab origine terminos: secus auro inhians nullum suæ cupiditati præfigit terminum, eum eam nec totus orbis suis potis sit limitibus circumscribere;
Lib. 5. epist. 412. vocétque propterea illam Isidorus Pelusiota morbum ænigmaticum, quia in æstu febrium ardor aquis medicis temperarur, frigidâ sitis extinguitur, sed acquirendi desiderium, nullo divitiarum sistitur incremento,
Epist. 16. Hinc Seneca ait: *Congeratur in te quidquid multi locupletes possederunt; ultra privatum pecunia modum fortuna te provehat, aurò tegat, purpura vestiat, & eò deliciarum, opúmque perducat, ut terram marmoribus abscondas; ut non tantùm habere tibi liceat, sed etiam calcare divitias: accedant statua, pictura, & quidquid ars ulla luxuria laboravit; majora cupere ab his disces.*

55. Quòd si quæras, unde ænigmaticus hic morbus suam trahat originem, respondet idem Seneca: quia non impulsu naturæ, sed cæco opinionis errore ducimur: divitiæ enim inventæ non sunt, ut plura possideamus, sed ne quid ex necessarijs desit, proinde mensura opulentiæ excusso errore, non est plura possidere; sed necessaria non deesse: & eò illi plura desunt, quò majora semper concupiscit: quamvis quidquam alicui non desit ex necessarijs, si tamen is adhuc plura in cella penuaria desideret cibaria; in arca vestes attalicas, in pixide gemmas nitidas, in capite diadema, in humeris ostrum, sceptrum in manu, hæc omnia eidem desunt; propterea vel in ipsis divitijs, quibus affluit, paupertate laborat: non enim tot defectus rerum, quæ non possidentur, & eximie desiderantur, quid aliud sunt, quàm sordida egestas; is enim egere incipit, qui licèt congestis divitijs potens, cupere incipit: nemo enim eo pauperior, cui plura, & plura desunt: & è converso ille divitibus accensetur, qui tametsi divitijs non affluat, nihil tamen desiderat: non qui plura possidet, ille ditior; sed quem pauca satiant, is locupletior: hinc Epicurus, *si ad naturam vives*, ait, *nunquam eris pauper*, quia natura paucis contenta exiguum desiderat: desiderium plura possidendi, ut sit quis ditior, ex cæco opinionis oritur errore; & sicut nullus humor sufficit ad sedandam, explendámque illius sitim, cujus bibendi desiderium non ex humoris defectu; sed ex vitiato æstu ardentium intus viscerum oritur; ita in quovis desiderio, quod non ex inopia, sed ex vitio nascitur, quidquid illi congesseris, nunquam terminum cupiditati impones, sed fomenta adijcies, quo cupiditas incrementum subeat.

§. VIII.

Divitiæ, quas amor sui congerit quietem non invehunt, sed adimunt, & solicitudines, curas, ac molestias secum trahunt: quosque beatos mundus putat inter multiplici cruciatu tortos computat.

56. Falluntur, quotquot quiescere in congestis putant divitijs: ibi quies non est, ubi motus semper excitatur intensior; non igitur divitiæ quietem advehunt, nec tranquillitatem adferunt, sed cruciatum inferunt, ac dolorem: non enim labores tollunt, sed geminant; cùm non minoris sit curæ quærere, quàm quæsita tueri, & in nova semper excubare lucra. Imò D. Prosper
Lib. 2. de vit. contempl. cap. 13. appositè ait. *Qui divitias possidere satagunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant,* sine

sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. l. 2. de Consol. Phil, pr. 5. Et Boëtius ironicè exclamat: *ò praclara opum mortalium beatitudo: quam cùm adeptus fueris securus esse desiisti!* nam sive in turba forensi, urbiúmque frequentia versetur avarus, contra cupientium, ac rapientium turbas circa lutulentam prædam lites concitat: sive ab hominum consuetudine sejunctus ruris alicujus suburbani, sylvarúmque solitudinem consectetur; secum ipse, & cum seditiosis avaritiæ cogitationibus luctatur. Neque ibi esse potest solitudo, ubi spes, & timor, avaritia, & luxuria, cæteræque inter se cupiditates tumultuantur: nil prodest, ait Epist. 56. Seneca, totius Regionis silentium, si errantes intus affectus fremunt: neque possessæ divitiæ sinunt indulgere quieti, ait enim Syra- Eccles. cap. 5. cides. *Saturitas divitis non sinet eum dormire*, an quia divitijs affluentes voluptatibus diffluant, & comessationibus addicti ob devoratam crapulam, & stomachi cruditates, difficiles patiantur somnos, ac turbulentis vexentur insomnijs? An quia divitijs satur timore jugiter angitur, ne quæ impensis laboribus congessit auri pondera, levi nisu Psal. 8. avolent? hinc Ambrosius, *quomodo potest dormire, qui solicitam auri exercet custodiam? Qui damna formidat: Qui lucra cogitat? qui usuras computat* & cap. 6. de Nabuthe ait, *Nec somni vices novit: excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, vexat mora, perturbat infecunda proventuum sterilitas, solicitat abundantia.* Hinc referente Stobeo *serm. 91.* Anacreon quinque talentis à Polycrate donatus, cùm insueto motu, curísque gravioribus inde torqueretur, & nullibi posset animo quiescere, subsultim inter dormiendum identidem expergefactus, non de pecunia tantùm, verùm etiam de vita à domesticis sibi eripienda solicitus, cœpit intra se cogitare seriò de pristina animi recuperanda tranquillitate, & quinque à Polycrate sibi dono talenta data postquam binas cum ijsdem noctes traduxisset insomnes, ei restituit, à quo acceperat, pœnituítque ipsum eo pretio animi vendidisse tranquillitatem.

57. Quòd si divitijs affluentes, sensuum assuescunt voluptatibus, hi procul dubio, vel delicijs diffluentes carnis indulgent illecebris, & pestiferas inde contrahunt lues, quibus inficiuntur, torquentúrque, ne placida fruantur quiete: sin verò gulæ sint dediti, stomachum semper erudum exoticis infarciunt ferculis, vinóque ingurgitant; & tunc à quavis extorres tranquillitate, veluti eculeo torti noctes ducunt insomnes: sin verò somnus nonnunquam irrepserit, vel in ipso somno, corporísque quiete, somniorum pavoribus exagitantur inquieti, cum sibi videantur nunc in rupium attolli editiora cacumina, & mox in præcipitium ex ijsdem agi; nunc subortâ in mari procellâ fluctibus exagitari decumanis, móxque vecti navi in scopulum allisa in profundum demergi; nunc cerebri vertigine ita in girum duci, ut Ixionem sibi videantur imitari. Ita est, divitiæ perpetuis curis suos torquent possessores. Quis felicem adstrueret, qui suo foveret in sinu aspidem, quæ cum lethali intlicto vulnere virus effunderet, & mortem inferret? Quis eum beatum asserat, qui viperinos fœtus in gremio aleret, & à quibus frequenti morsu lethalia acciperet vulnera? Quid autem aliud ex curis, solicitudinibus ac vigilijs, quibus divitiæ acquiruntur, & acquisitæ custodiuntur, expectari potest, quàm lethale vulnus? siquidem curæ eas acquirendi, & custodiendi succum omnem exhauriunt, pectus pungunt, præcordia vellicant, viscera excruciant, & sanguinem exsugunt. Quàm miser, quàm infelix, quàm cæcus! qui ita dies, noctésque torquetur ob vilissimas telluris fæces, ob caduca fortunæ munera; pereunt enim, quæ possidentur divitiæ, neque possessorem ultra tumulum sequuntur; imò neque ad hæredes stabilem sedem figunt: siquidem vel potentioris alicujus injuriâ rapiuntur, vel refluxu quodam fortunæ aliò cursum dirigunt, pristinúmque relinquunt possessorem, ut enim ait Ecclesiastes. *Pereunt in af-* Cap. 5. *flictione pessima*, quæ tantò est acerbior, quantò ardentiùs fuerunt concupitæ, & accuratiùs asservatæ.

Hinc non est affectus divitijs affigendus, 58. ut monet Regius Vates. *Divitiæ, si af-* Psalm. 61. *fluant, nolite cor apponere;* faciliùs enim ea dimittimus, quæ, veluti domûs hospitalis sarcinæ abjecta, ac neglecta in angulo jacuêre: illa verò majori cruciatu avelluntur, quæ in sinum pectoris recepta, cordi fuerunt agglutinata: & ideò affectus neutiquam divitijs est affigendus, quæ tametsi hominum opinione in æstimatione habeantur, pretio tamen suo vilescunt, plúsque, plerúmque obsunt, quàm prosint; idque cum Ethnicis innotuisset, nihili congestas fecêre divitias, & maluerunt ijsdem privari; quàm rebus ex se vilibus, fluxis, ac caducis amoris affectu adhærescere, ut præ cæteris Crates ille Thebanus, qui projecto in mare non modico auri pondere dixit: *abite pessum mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Inflant enim divitiæ animum, non implent, utpote vacuitate oppletæ; ac inanitati præludentes, superbiam, & arrogantiam excitant, invidiam contrahunt, & adeò mentem alienant, ut fames divitiarũ etiam nocitura nos delectet; & quamvis in corrupta hominum æstimatione bona dicantur fortunæ, nil tamen in se bonitatis continent: siquidem, quæ bona sunt, eadem fiduciam movent, & divitiæ nonnisi timorem eas perdendi promovent: quæ bona sunt, ijsdem animus ornatur; & divitijs insolescit; vitiísque fœdatur: quæ bona sunt, omni carent culpâ, animos fulciunt, non corrumpunt.

Si

59. Si humanas res recto æstimaremus judicio, uti sunt in se, non verò quales in hominum opinione, nihili faceremus divitias, quas plurimi æstimamus; inani enim somnio ludificant, mentémque curis, & aculeis lancinant, & ab æternæ beatitatis ingressu præpediunt: unde Bernardus ait. *Va, va! vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitati aditum intercludit, quod perennis luminis incircumscriptam claritatem abscondit, quod summa privat dignitatis honore.* Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur? Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est: An non ea satiùs cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quidquam poteris. Dormies somnum tuum, & nihil invenies in manibus tuis. Imò divitiæ affluentes cœli impediunt aditum non præcludunt; testis est dives evangelicus, qui *Luc. 16.* induebatur purpurâ, & bisso, & epulabatur quotidie splendidè, cui diametraliter opponebatur quidam mendicus, cui nomen Lazarus: jacebat iste ad fores domûs divitis cupiens de micis saturari, quæ caderent de mensa illius, qui lautè epulabatur: sed Lazarus pauper, & mendicus vita functus in Abrahæ sinum defertur ab Angelis; & qui divitiis affluebat, in tartara detruditur, in inferno sepelitur, & gehennali exæstuans igne de manu Lazari guttam expetit aquæ: *Mitte Lazarum, ut intingat digitum suum in aqua, & refrigeret linguam meam:* sed reposuit Abraham *fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem consolatur, tu verò cruciaris:* quæ verba expendens S. Bernardus *in declam.* auro inhiantibus succensens inquiens: *Expergiscimini ebrij, & flete: terribilis enim Deus in judicijs super filios hominum: Haccine cruciatuum causa tota, qua in hoc sæculo bona recipit.*

Epist. 103.

60. Non tamen divitiæ ex se damnantur, nec paupertas æterna donatur beatitate; sed divites, qui divitijs abutuntur, vitijsque indulgent, meritò reprehenduntur; & pauper commendatur, ut notat Augustinus, inquiens. *Nobis ostenditur, nec in Lazaro paupertatem per se ipsam divinitùs honoratam, nec in divite divitias fuisse damnatas, sed in ipso pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse; sic suscepit impium divitem cruciatus ignis, ut tamen pium pauperem sinus susciperet divitis:* ascendit pauper splendidus è sordido pulvere, & è cœno in cœlum; descendit dives ex splendida mensa, vitijs coinquinatus in infernum; & dum pauper cœlo beatur, dives gehennâ cruciatur: ut nemo sibi persuadeat meras divitias cœlo excludi, & in orcum detrudi, sed cognatum divitiarum abusum igne torqueri gehennali. Non noxium est ex se aurum, utpote à Deo conditum, sed nos ex auro noxas contrahimus, quia auro non utimur, sed abutimur; ideóque *esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes:* quia inanitate, & vacuitate divites inflantur, cum divitijs abutuntur; & ideo dimittuntur prorsus inanes: divitijs enim inflatos angusta cœli janua non capit, & hos inexplebilis divitiarum appetitus à cœlesti excludit beatitate; & auri congesti pondera in imum trahunt gehennæ: pericula, & naufragia adit, qui post divitias abit.

Epist. 80 ad Hilar. & serm. 25. de verb. Domin.

61. Tunc Petri cymbula fuit periclitata; cùm captis piscatu piscibus navem implevit; *Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur:* nimirum in naufragium semper prona opulentia periculum incurrit, cùm incrementum subit: sed quid hoc insaniæ esse videtur? pisces ab undis detrahere, quibus in undas demergamur? Ecce Petrus unà cum socijs præ nimia piscium multitudine penè sorbetur: utinam discerent divites ab oculatissimo Phocione opes demergere, ne ab ijsdem mergantur: tales sunt fluxæ divitiæ, ut si desint à periculis liberent; si adsint, mergant: quia abundantiâ rerum fluxarum, bonorúmque temporalium obruimur; & inopiâ sublevamur animo: sed quid? quòd præ nimia piscium multitudine rete disrumperetur? an quia arbor, quò fœcundior, fructibúsque onustior, suo etiam curvatur pondere, scindirúrque ramis fructuum pondere recurvescentibus? vix enim contineri possunt opes, si nimiæ sint, quin etiam per rete sibi exitum parent; quia undè potissimum coërcentur, dilabuntur. Etiam quò plures cœlum è cœno ad se vapores attrahit, eò citiùs eos demittit, vel concretos in grandinem, vel eliquatos in imbrem. Nocet plerumque copia, & injuriosa est sibi fertilitas, quòd enim est nimium, faciliùs vitium contrahit, & corrumpitur. Sed quid? quòd Petrus conclusa piscium multitudine exclamaverit. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum;* tunc se peccatorem novit, cùm oppletâ piscibus naviculâ cœpit divitijs abundare: viam enim divitiæ ad vitia, & peccata sternunt: & fortassis timuit Petrus, vel in ipsa copia piscium peccati fœditatem; sed ex eo, quòd Petrus se peccatorem noverit, postquam abundare cœpit; inde fortâssis ortum est, ut terrenarum rerum copia vix justis concedatur, eò quia rarò opulentia justitiæ cohæteat; & indicium peccantis copia sit bonorum temporalium; hinc Petrus videns rete pistibus plenum, à Christi præsentia cupijt se subtrahere, inquiens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum:* an quia Deo non adhæret, cujus animus hisce fluxis inhæret? Ratò post opulentam prædam mens Deo repletur, ubi

Luc. 5.

Luc. 5.

cor

cor terrenis impletur: ubi aurum colitur, inde divinitas exulat.

62. Sed quid? quòd Deus Simonem, Joannem, & Jacobum, quos ad paupertatem Apostolicam vocaverat, affluere voluit prædâ illâ piscium adeò copiosâ, quâ facilè ab Apostolatu poterant retardari? An quia, ut eos ad paupertatem impelleret, ingenti prædâ illâ locupletavit? siquidem nil adeò temporalium fastidium creat, quàm eorundem copia: faciliùs enim contemptui habemus, quæ à nobis possidentur, quàm quæ nobis desunt, hæc enim cupimus; illa fastidimus: nisi experti aliquando discipuli fuissent, quàm inanis esset omnis copia, cùm rete ipsum dissolveret; sæpiùs forsan desiderio prædæ capti fluxis hisce adhæsissent, quæ fastidire nondum didicerant: verùm postquam intellexerunt faciliùs ambas naviculas ad naufragium usque, & mersionem ex piscium copia posse impelli, tunc periculum imminentis submersionis declinaturi omnia abjecerunt, piscandique abdicârunt cupiditatem, quâ obrui poterant, non impleri: ut igitur omnia dimitterent, permisit Magister Christus, ut abundarent; eò quia copia contemptum parit, quem vix paupertas impetrâsset: qui semel expertus est opulentiam, quam fastidivit, fit animosior in paupertate, & firmior in studio virtutum; quamvis fortuna pinguior persæpe viros inveniat magnanimos, rarò tamen tales efficit; quia metus amittendi, quod quis possidet, ac magni æstimat, virili detrahit audaciæ, quæ ad præclara gesta necessaria est: ait Seneca, *habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur; & undique magnitudo sua vulneribus objecit*: (De tranquill. cap. 8.) animosior est pannosus humilis, quàm purpuratus superbus, qui divitiis affluit: quid enim non audet pauper, & inglorius, cui nihil perire potest, & contra quem novercalis fortuna jus nullum habet? cùm deijcere eum ab ullo nequeat pinguiori statu, neque sublimiori sede: cùm in divitem, quem & divitiæ muniunt, & dignitates evehunt, possit toto nisu irruere? pauperi vix fortuna nocere potest, quia quod perdat, non habet, & inde fit animosior, audentiórque, quocunque prædivite, licèt gemmis splendeat, auro fulgeat; hunc enim timor amittendæ felicitatis meticulosum reddit, ac pusillanimem; & tantum bonorum amittendorum metus adimit, quantum avita nobilitas suggerit ad generosa facinora, quibus splendor gloriæ suum assolet incrementum haurire.

63. Hinc Christus jubet Discipulos suos armari gladio, eò quia careant auro: (Luc. 22.) *qui non habet sacculum, vendat tunicam suam, & emat gladium*: nimirum qui caret sacculo, in quo pecuniæ reconduntur, autóque destituitur, pugnaci se ferro muniat: sed cur ita pauper, abjectúsque, ut nec sacculum habeat, nec pauculos nummos, jubetur tunicam vendere, & gladium emere? An quia abjecta paupertas contemptui est divitibus, ac potentioribus; proinde injuriis obnoxia, & ideo armari debeat, ut vim sibi inferendam vi repellere possit, audaciámque prædivitum coërcere? An muniuntur pauperes gladio, eò quia valentiores in bello sint, ac intrepidi adeant pericula, quæ imminent? non pavet, qui nihil timet amittere: mediósque inter hostes securus est, qui quod perdat, non habet: qui enim multa possidet, multos etiam timet.

§. IX.

Amor sui opibus adhærescens animos fortes timiditate corrumpit: & multos necessè est, timeat, qui multa possidet.

64. IDumæus ille Herodes Rex Hebræorum, cùm Regijs difflueret opibus, & multiplicis sobolis felicitate regnaret; cùm primùm subaudivit, tres Magos è Perside in Judæam appulisse infanti recèns nato sua præstituros obsequia, ac delata oblaturos munera, timuit statim, totísque corporis artubus contremuit. *Audiens autem Herodes Rex turbatus, & omnis Jerosolyma cum illo.* (Matth. 2.) Sed quid causæ, quòd Rex viribus, ac opibus præpotens, quíque ob sagacem animi industriam, résque egregiè gestas Magni sibi cognomen effecerat; puerum timeat recèns lucis editum usuræ? Cur Princeps aliàs in bello audax fugandis, cædendísque hostium copijs assuetus, adeò turbatur, pavoréque corripitur, eò quia natus sit puer, quem Magi adoraturi è dissitis veniunt Regionibus? si natus infans nullum è terreno detrudit Regno, quin & omnes vult Regno donari cœlorum, ad quid Herodes timuit? scitè S. Chrysostomus in Matth. 2. *Audiens autem Herodes Rex turbatur: semper enim grandis potestas majori timori subjecta est. Sicut enim rami arborum in excelso positarum, etiam si levis aura flaverit, moventur: sic & sublimes homines, etiam levis nuntij fama conturbat. Humiles autem sicut in convalle; plerumque in tranquillitate consistunt*: timuit Herodes, quia in sublimiori constitutus dignitate, vel levis aura præcurrentis famæ eum concutit, exagitátque; & licèt magnanimus propria natura esset, regni tamen fastigium, opúmque affluentia, ac liberorum numerosa felicitas eum pusillanimem effecerat, ut vel sola concutiatur suspicione.

65. Divitiæ enim vires enervant, & animos licèt magnanimos, ac fortes timiditate corrumpunt. Hæcque fortassis ratio, cur Abrahamus post cæsos in bello quatuor Reges cœperit timore corripi: non enim post debellatos cruenta cæde hostes habet victor,

quod timeat, cùm potiùs lapsus hostium, animum erigat victoris ad majorem audaciam; si palmas proprio sibi demessuit ferro, si triumphos sibi pugnâ cudit, cur Abrahamus victor timet, & quidem tali timore, ut indignerit etiam à Numine solatium aliquod
Genes. 15. haurire? *His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abraham per visionem, dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum:* qui paulò ante irruerat, ut leo ferociens in hostes, nunc post delatam insignem victoriam timet; post devictos, ac deletos inimicos pavet, qui ante victoriam erat intrepidus: quænam hujus timoris origo? An quia post devictos, debellatósque hostiles turmas opulentissimis cœpit spoliis ditescere, ac uberiori honoris, dignitatísque donari gloria? non timuit, cùm privato minores ei facultates inessent: nunc verò, quia opibus locupletior, & gloriâ post delatos triumphos sublimior timore corripitur; proinde potentiâ, divitijs, ac gloriâ auctus consultissimè jubetur æquo, bonóque esse animo: qui hostes districto gladio pugnantes intrepidus fuerat lacessitus, & aggressus; congestas nunc divitias, ac opulentissima spolia expavet: qui paulò antea privatus irruit intrepidè in ferocientes Regum acies, eorúmque robur fregit, vírésque confregit, ac potentiam protrivit; nunc triumpho celebris, delatâque victoriâ insignis timet, non quidem hostes cæsos, sed opes congestas; ideóque solatio indiguit, quo dejectum erigeret animum.

66. Plus quòd timeat dives, quàm pauper habet, & tamen amor sui divitijs inhians hunc accersit timorem: quotquot amore sui ducuntur, sensuíque, ac corporis commodis indulgent, nil avidius cupiunt, quàm divitijs affluere: fortunæ bona eorundem tenent vota, suspirant, & aspirant ad fluxa, quæ si possideantur, elabuntur, simúlque torquent; divitiæ siquidem non possessæ desiderio sui cruciant, possessæ verò multiplici cura, ac sollicitudine fatigant, & torquent, & ob inanitatem fastidium plerumque etiam movent: scitè Seneca, *Fiat*
Epist. 10. & 12. *nobis paupertas familiaris. Securiùs vivimus, si sciamus, quàm non sit grave pauperes esse.*

67. Opulentia larvata est felicitas, in extima facie divitias æquè, ac delicias exhibet inspiciendas, imò & delibandas; intus verò nonnisi diram comprehendit inopiam: sed & paupertas personata incedit specie tenus ærumnosa, inops, sed intus dives, & opulenta; foris egena, intus contenta: hi verè divites, qui sua paupertate, fortéque contenti; qui sub larva egestatis veram fovent in sinu lætitiam; hi sunt, de quibus ait
1. ad Corinth. Apostolus. *Sicut egentes, multum autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes:* pauper enim personam quidem pauperis gerit, larvámque miseræ egestatis, sed verâ intus opulentiâ ditescit: & verè is dives, cui ad vitæ sustentationem nil deest, unde Christus. Suos sciscitatus Luc. 22.
Discipulos, ait. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.*

Sed si discipulis omni destitutis sacculo, & perâ nihil defuit; cur jubet sacculum mox habere, & peram? an retractavit sententiam, rigorem temperaturus paupertatis? si discipulos antea miserat sine sacculo, absque pera, & quidem in Regiones longo itinerum tractu dissitas, nec ipsis quidquam defuit; cur nunc jubet, eos peram habere ad panes deferendos, & pecuniæ saeculos in subsidium itineris? cur Magister Christus, qui sacculos suis interdixerat Discipulis, mox ijsdem præcipit, sacculos habere nummis deferendis aptos? à quavis vendicat contradictione utrámque Christi sententiam S. Chrysostomus in verba D. Lucæ apud Catenam, inquiens: *Dixit ergo* Luc. 22.
eis: sed nunc, qui habet sacculum, quo scilicet portatur pecunia, tollat similiter, & peram, quâ portantur cibaria. Et quidem quando nec zonam habebant, neque æs, nullam passi penuriam: ut autem marsupium eis concessit, & peram, esurire videntur, & nuditatem pati: ac si eis dixerit: hactenus cuncta vobis uberrimè affluebant; nunc autem volo vos, & inopiam experiri: quando voluit Christus omnem à suis Discipulis penuriam arcere, nec quidquam necessarij ijsdem deesse, misit tunc eos sine sacculo, absque pera, seu extremè inopes: cùm vero voluit eosdem incommoda experiri paupertatis, jubet sacculum habere, & peram: quasi pecunia in sacculo, & annona in pera inopiam invehant; & summa egestas opulentiam pariat: cùm enim incederent Discipuli sine sacculo absque pera, nil omnino ijsdem defuit; ubi verò jubentur sacculum deferre, & peram, plura incipiunt ijsdem deesse: sunt enim pauperes nil habentes, sed omnia possidentes; quia sua contenti sorte, fortunæ bona eorum non tenent vota, & ei nil deest, qui nihil concupiscit, unde Christus. *Beati mites* (seu sua sorte contenti) *quoniam* Matth. 5.
ipsi possidebunt terram: id est, ut exponit Beda terræ opes, mundi thesauros. Sed cur mitibus spondet Christus divitias? An quia mititati, quæ celsissima est virtus, nil deest, quia nihil concupiscit alieni? Sed si celsissima est virtus, cur potiùs spiritualia, & æterna, quæ fluxibilitati obnoxia non sunt, non promittuntur? rectè mitis terræ dicitur opes possidere, cùm nec furaci potentium avaritiæ, nec insolentiæ resistat, ut notat Hugo Cardinalis in Matth. 5. *Per mititatem terrenam substantiam pacificè, & magnificè*

donatione possidemus. Quia per hanc de amissione temporalis substantia non dolemus, neque turbamur. Mitis igitur nullius rei temporalis est indigus, sed omnia possidet, quia non dolet, nec turbatur ex jactura bonorum temporalium: neque raptori obsistit; sed mente tranquilla cedit, pacem cum singulis servaturus: cùm omnia prompto animo relinquat, omnia dicitur possidere; is enim omnia oberrimè possidet, qui omnia pacificè relinquit; quia tunc dominium verum exercet in res, quas pacificè relinquit, & nullo ipsidem affectûs vinculo subijcitur; sed ea sibi subijcit; proinde quò pauperior, eò ditior, ac opulentior: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

§ X.

Amor sui eò rigidiùs in alios sævit, quos ferit, & lædit; quò in se est lenior; sibique suaviùs eblanditur.

69. ACri, ac lævivo assultu amor sui hominem impetit, desiderio scilicet damni alieni, non tamen semper apertâ molitione in aliorũ perniciem laborat; interdum siquidem iam commodè, tamque circumspectè peccat, ut nihil minus videatur velle, quàm eos, quos odio prosequitur, lædere: sibi amor sui indulget, proprijs inhiat commodis, sed in alios furit, sævitque eò rigidiùs, quò in se est blandior: alienos ridet dolores, cùm studiosiùs voluptates, quibus sensum demulcet, assequitur: sævus est, & blandus amor sui; mitis, & ferus; asper & benignus; rigidus & suavis, quia sibi eblanditur, & in alios sævit: imò ideò feritatem in alios exercet, ut sibi uberiùs indulgeat, Pollionem imitatus, ait enim Seneca lib. 1 de Consolatione. *Vedius* Cap. 14. *Pollio devorandos servos objiciebat Murenis, quas esurus erat, sive in hoc tantùm illas alebat:* nimirum optimis ac sapidioribus, ut vesceretur murænis, humano eas adipe saginabat, ac sanguine alebat; proprias voluptates delitiosiùs alieno innutriturus tormento: quæ fera ex Numidico acerrita luco immanior? cui volupe obtingit alieno ridere dolore, & fletu saginari tormento.

70. Ezechiel Reipublicæ exaggeraturus perniciem, gubernatores describit amore c. 34. sui ductos per deliciarum lenocinia, voluptatúmque blandimenta, morésque sacerdotum, ac Pharisæorum sub allegoria pastorum carpit, inquiens: *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semet ipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? lac comedebatis, & lanis operiebamini*, & paucis interjectis subdit, *sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia:* quasi diceret; væ pastoribus, qui ut sibi indulgeant, oves negligunt: væ ovibus, quæ à nimis delicatis reguntur pastoribus; quia ut lactis dulcedinem in pastorum delicias suppeditent, nil sibi servant alimenti: pretiosis induti pastores vestibus, non lanam tantùm tondent, sed & pellem detrahunt ovium, & hi quia amore sui ducti sibi tantùm indulgent, & oves negligunt, in quas etiam sæviunt usque ad cutis vulnera, sanguinísque fusionem; cum has tondere tantùm deberent, deglubere etiam volunt; quia cum austeritate imperant, & cum potentia: austerus est ovibus, qui lactis saginatur dulcedine ejus oblectatus suavitate; quia oves mungit, non pascit, ut sibi indulgeat, non ovibus consulat.

Rigidus est, qui non laneis tantùm vestibus, sed olosericis auro, gemmísque nitentibus indutus, suum sibi obviantem videt proximum veste pannosum, lacerúmque; fame luridum; tabe confectum, morbo laborantem; non tamen vestem ei offert, qui nuditati consulat; nec panem porrigit, quo famem propulset; neque pharmacum apparat, quo morbum excutiat; & ideò cum austeritate imperat, & potentia; quia sibi indulgens lactis pascitur dulcedine, & mollibus vestitur: *In lacte*, ait Hieronymus, *Omnes escas intellige in lanis multiplicem vestium varietatem:* qui enim amore sui ducti sibi indulgent, multis, delicatisque ferculis distentum onerant ventrem, vinisque odoratis, ac præ vetustate decrepitis ingurgitantur; vestibus bombyceis, vel sericis auro, gemmisque illuminatis induuntur; quia cum austeritate imperant, qui amore sui ducti sibi indulgent: & isti ait Basilius *orat. 26.* tales sunt, qui cum lupinis moribus luporum voracitatem, & truculentiam mutuantur: sævitiam lautitijs fovent, quia sibi duntaxat, non alijs favent, nutriunt voluptatibus feritatem, quia cum austeritate imperant, & cum potentia. 71.

In cap. 34. Ezechiel.

Vix ex sexcentis unum reperies, qui si proprio ducatur amore, suisque indulgeat commodis, rigidus in alios non sit. Profectus fuerat Roboam in Sichem, illúcque cunctus affluxerat Israël, ut Regem eum salutaret. Cùm enim populus supra quasi vires à Salomone tributis gravaretur, & exactionibus emungeretur, cogitaverat de jugo excutiendo & inaugurando Roboamo in Regem. *Pater tuus durissimo jugo nos pressit, tu leviora impera Patre tuo.* Sed Roboam quid ad hæc reposuit? an ut Rex salutaretur, mitiùs spoponderat regimen? an thronum ut conscenderet Regium, vectigalia promiserat minuenda? An ut caput aureo cingeretur diademate, manus aperuerat ad liberalitatem in populum exercendam? fuissent quidem hæc sceptro sibi comparando aptissima, quibus populum procul dubio sibi devinxisset: sed quia amore sui ductus didicerat sibi indulgere, non potuit cum alijs mitis esse, ac benignus: quia sibi erat indulgentiùs mi- 72.

3. Reg. 12.

tis, alijs fuit inhumanè crudelis; populus eum ad thronum vocaverat, sed ipse ab omni spe indulgentiæ populum avocaverat, cui
2. paral. 10. reposuit. *Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem vos cadam scorpionibus.*

73. Conquerebatur populus se durissimo premi jugo, insuetis opprimi exactionibus, & cum Roboamus compati debuisset populo; graviora minatur; & fortassis minùs factis, quàm minis; minùs verberibus, quàm verbis populum exasperâsset, quia ut monet
De clement. cap. 10. Seneca. *Temperatus timor animos cohibet: assiduus verò, & acer, & extrema admovens, in audaciam jacentes excitat, suadétque omnia experiri:* sed quia amore sui ductus Roboam sibi duntaxat indulserat, nonnisi asper, rigidus, & austerus, cum alijs esse potuit. Roboam idem est, ac latitudo populi, seu lata deliciarum via, qui igitur sibi indulget, alios scorpionibus, si mussitent, promptiùs lacerat, proscinditque; scitè Glossa expendens Roboami effatum ait: *Hic significat malos Rectores in ecclesia, qui terrenis cupiditatibus dediti, curam subditorum negligunt, & gaudent in multitudine sibi obsequentium. Interpretatur verò Roboam latitudo populi.*

74. Hi sunt, qui latam ingrediuntur viam, quæ ducit ad mortem; & non angustam, per quam patet ad cœlum accessus. Qui latam ingreditur voluptatum, ac deliciarum viam, manus, digitósque habet alijs premendis, opprimendísque fortiores; & scorpionibus alios lacerat, cùm se ipsum floribus stipet; sed iste cum Roboamo latam ingreditur viam, in qua per laxa voluptatum itinera in perditionem ruat: qui enim angustam sibi viam eligit, alios non dilacerat scorpionibus, sed succurrit necessitatibus, onera levat, & ægritudinibus remedia perquirit. Vix, qui sibi indulget, alijs benignè favet. Indoluit Ninivitarum veniam Jonas, & mœrore confe-
Joan. 4. ctus intimo torquebatur dolore. *Afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus est,* egressúsque civitatem, adhuc exardentibus præ iræ æstu oculis exitium expectat; neve solis acriùs æstuantis sustineat molestias,
Jona 4. v. 5. umbraculum sibi contexit. *Fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat super illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati.* Opem suam præstitit Deus solatium Prophetæ allaturus; exorta repentè hedera solis radios frangit, & virescens colocynthis in speciem tecti explicata Jonam circumtegit. Verùm tametsi hedera plantarum veluti Briarea in plura se ramorum brachia dilatâsset; foliorúmque virore tot clypæos solis radijs veluti flammantibus sagittis è summo cœlo in caput evibratis Prophetæ objecisset, statim tamen exarescit planta, flaccescunt folia, exsiccantur ramusculi, & Propheta ibi sedens arbusculæ destitutus umbrâ acriùs radijs urgetur solaribus, intensiori aduritur æstu, & tunc Deus pharmacum allaturus morbo inhumanitatis, quo Propheta laboraverat, eum sciscitatus dixit: *putásne bene irasceris tu super hedera: bene irascor ego usque ad mortem.* Jonas tunc sibi indulgens, nimisque delicatus solis radios ægrè sustinens hederaceum umbraculum solis objecerat æstui, sed quia sibi mitis, & blandus, fuit in Ninivitas rigidus, ac immitis, cum cuperet omnes radicitùs deleri; si Jonas secum rigidus fuisset, humanior in Ninivitas extitisset; sed quia sibi benignus, rigidus in alios fuit, & qui caloris molestiam ferre non potuit, & cui virescentibus folijs ad delicias exortis privari gravissimum erat; jucundissimum fuisset spectaculum, si eversæ civitatis priùs sepultos, quàm mortuos ruinis vidisset Ninivitas. Jonam alloquitur Basilius, nomine Dei inquiens: *ô* Orat. 21.
Propheta adversus peccatores immisericors es, quos sui pœnitet, eorum te non miseret, sententiam non demutas, nunquid flosculi deplorabis exitium, & tot hominum myriades pœnâ perdet?

Nequiverat Jonas ullam benignitatis notam in Ninivitas exercere, quia assuetus sibi indulgere, nonnisi asper, & rigidus alijs esse voluit; nimia siquidem secum indulgentia animos generat, erga alios intractabiles, ac diros, totque humanæ naturæ cupit racemos præscindi immaturos, quot erant in Urbe Ninivitæ, cùm ipse nec solaris radij æstum ferre voluerit, cujus molestiam, ut arceret, umbraculum accersivit hederaceum. Qui verò amore sui non ducitur, & secum rigidus est, ac austerus, ut plurimum miris est cum alijs, quibus etiam proprio cruciatu, ac detrimento favet; idque edisserit Joannes in Citharizantibus, quorum harmonico sonitu haud modicè fuerat delectatus: audivit enim vocem. *Sicut Citharedorum citharizantium in citharis suis:* citharas Apoc. 14.
autem ait Rupertus Abbas, corpora sunt Sanctorum: citharedi autem ipsi sancti Martyres, vel Confessores, quorum ludibria, & verbera plura fuerunt; cùm alij inediâ lucidi perierint; alij verberibus cæsi ceciderint; alij lapidibus obruti interjerint; alij afflictationibus fatigati corruerint; & nihilominus omnes sincero deflagraverint erga proximum amore, quorum necessitatibus subvenire, miseris opitulari, indigentijs occurrere volupe fuit: sed cur corpora Sanctorum vulneribus saucia, viribus destituta, fame lurida citharis pariantur? quia nimirum membra in Sanctorum corporibus fides imitantur citharæ: duo enim fides habent, cùm extentæ premantur, & repercussæ laborent, simúlque alios harmonico, dulcíque sono delectent: immo ideò delectant, quia repercussæ, sonum non ederent nisi diverberatæ, & ideo delectant, quia percussæ: ergò citharas imitantur corpora Sanctorum, & citharedos sancti æmulantur, qui sibi labores assumunt, ut alios oblectamentis, & harmonico sono recreent; sibi nil commodi indulgent, ut alijs sint solatio; fame torquentur

ipsi

ipsi, ut alii pane vescantur; humi cubant, lectulos aliis straturi; incedunt nudi, aliis vestes suppeditaturi; vepreta ipsi amplectuntur, flores alii exhibituri; & quidquid molestum est, sibi ambitiosè amant, ut omne jucundum studiosè aliis offerant: scitè Rupertus Abbas: [Lib. 5. in Apocal.] *In cithara chordæ audientes quidem delectant, sed ipsæ in extensione sua quodammodo laborant. Sic sancti Dei Auditores delectaverunt, sed ipsi apud semet ipsos laboraverunt, & plerumque fatigati sunt.* In cithara labor voluptati cohæret, laborant fides, & dulcissimam edunt melodiam; & ut alios suavitate delectent, verberibus ipsæ percutiuntur.

76. Pastor Evangelicus quia amore defœcato suas fuerat oves prosecutus, omnem ad se trahens asperitatem rigidus in se fuit, ut lenior in oves esset, ejus siquidem lenitatem [Cap. 15.] exprimens Lucas de ove aberrante, & non sine impenso labore adinventa, ait: *cùm invenerit, imponit in humeros suos gaudens:* sed cur inventâ oviculâ, quam perdiderat, dicitur primum gaudere? An non de salute nonaginta novem fuerat antea gavisus? gaudium quidem conceperat, sed aberratio unius, & exitium, totam extinxerat præcedentem lætitiam; concepta enim de unius calamitate tristitiâ, gaudium, quod illi de toto grege inerat amplius non senserat, & in luctum, quasi versum esset de una tristabatur, quæ à cæteris sejuncta per avia sylvarum aberraverat; & hujus commiseratione non sine ingenii labore finitimos sylvarum, camporúmque tractus Pastor lustravit, donec inveniret; & inventæ solatium allaturus propriis eam imposuit humeris: sed cur humeri ovi ex prolixo itinere defatigatæ sunt solatio? cur scapulæ aberranti sunt levamini? Quia nimirum pastor bonus Christus Dominus humeros cruci subjecit, & scapulas flagris, & ea membra, quæ sedes fuêre tormentorum, & dolores exhauserant, solatio fuerunt ovi defatigatæ: humeri pastoris cruce baiulatâ attriti, ovi, quæ aberraverat, opitulantur, ne in reditu ad ovile fatigetur, & ne ex itineris molestia quidquam contrahat damni. Humeri igitur, quia cruce attriti; & scapulæ, quia verberibus scissæ redeunti ad ovile pecudi sunt levamini: subjecit Pastor humeros ovi solatium allaturus, quia in suæ afflictionis schola commiserationem didicerat aliorum: & membra quæ tolerandis cruciatibus, & doloribus assueverant, nequiverant non esse aliis solatio; quia quò defœcatior est amor, eò in se est rigidior, ut lenior sit aliis: secus quia amor sui proprio studet commodo, blandus est in se, & rigidus, ac asper aliis.

77. Hoc amor sui exambit, ut ubique sit in sagina, séque pascat, nutriátque, quamvis alii fame torqueantur; & idem præstat, quod olim ille, cujus meminit Gellius, cum enim [Lib. 4. noct. Atticar. cap. ult.] quidam corpulentus, ac nitidus, egregiéque saginatus equum haberet strigosum, macilentúmque; sciscitatus quid causæ, cur ipse ad totam pinguedinem fartus, equum haberet adeò strigosum? reposuit ipse, mirum haud debere videri, si ipse longè curatior sit, quàm equus, quandoquidem ipse se curaret, equum famulus: hoc idem agit amor sui, quidquid non suum putat, vel id aliis mandat, vel levissimè curat, & virtus miserationis eò infeliciùs it pessum, quò feliciùs invalescit sui amor. Is optimus præsertim in Principe amor, qui non proprio, sed subditorum studet commodis: hoc amore si Princeps ducatur, ita subditorum allicit corda, ut successorem timeant; gloria Principis cæteris illustrior est, sic subditis placuisse, scitè Seneca: *Quid pulchrius est, quàm vivere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus?* [Lib. 1. de Clement. cap. 2.] *si paulum valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? nil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit: omne quod illi contingit, sibi quoque evenire deputet? In hoc assiduis bonitatis argumentis probavit, non Rempublicam suam esse, sed se Reipublicæ.* Parum est, si Princeps corporibus imperet, & animos impensis sibi non devinciat beneficiis; ille in regimine felix, qui ita regit, ut non sui, sed subditorum ducatur amore.

DISSERTATIO VIII.

Amor cupidineus malorum omnium faber, non nisi exitia molitur, pernicies cudit.

§. I.

Amor venereus sævit cùm mulcet, torquet cùm delectat, ferit cùm eblanditur; angores excitat cùm voluptates ingerit; vulnera infligit, cùm oscula figit.

1. EXoticum, mirùmque esse videtur amoris ingenium, vìsque ejus arcana, & plena artis; licèt otio videatur amor torpescere, negotiosus tamen est, & tunc operosior, quò tranquilliùs quiescit; sperando timet, mulcendo exasperat, delectando torquet, blanditur sævè, & blandè sævit; assentatoriè palpat, & dum voluptatibus sensum titillat, angores excitat, quibus membra torquentur; dulcia propinat, & mellita exhibet venena; gratus est ejus labor, voluptuosum vulnus, calamitas felix, grata ejus sævities, jucunda ejus ægritudo, & blanda ejus mors. Perspicax est, licèt cæcus, quapropter Tertullianus festivè Marcionem irridet, eò quia nuptias damnaverit, & hocce ductus amore castitatem fecerit crudelem inquiens: *Non erit immanior duritia Pharaonis nascentium enecatrix: nam Pharao animas adimit, Marcion non dat. Ille aufert à vita: hic non admittit ad vitam, nihil apud ambos de homicidio differt: sed sub utroque homo interficitur, sub altero jam editus, sub alieno edendus:* an non crudelitatis potiùs, quàm castitatis Encomiastem dixeris Tertullianum? sed luxuriæ agnatum vitium sævities est; nil siquidem in homine luxuriâ sævius, nil amore cupidineo deterius, cùm ejus semper moliatur damna, ejus devenustet decora, abigátque virtutes.

Lib. 1. contra Marc.

2. Est amor morum instructor, neque potest quis rectè excolere mores, quin suos rectè dirigat amores: qualis fuerit amor quo quis flagrat, talis & vita, quam agit. Sin verò pravus fuerit amor, ac cupidineus, qualis in ætatis vere, in flore juventæ ex recenti pullulat sanguine, venenum est, quod per venas in totum serpit corpus; aconitum, quod intima confestim viscera penetrat; spasmus, quo membra illicò torpent; angina, quæ cor statim suffocat; imò mentis lethalis est pestis, & animæ lugubris interitus; nemo cupidineum hunc fovere in sinu amorem, quin dolorem sentiat in corde; nemo hunc habet amorem in ore, quin amarorem hauriat, percipiátque in corde; est enim teste Epicteto otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in fœmina furor, in juvene ardor in omnibus pernicies.

Scimus, priscos olim Romanos fanum erexisse via salaria, Deæque Veneri dicâsse adjecta inscriptione: *Veneri verticordia*, innuentes eam esse vim amoris venerei, ut humana corda, quò libuerit, vertat, invertat, pervertat: an non amor iste cupidineus etiam ipsius Salomonis cor pervertit, & mentem invertit? *Averterunt mulieres cor ejus:* captùs hoc cupidineo Salomon amore ex Sapientia à Numine hausta, ad voluptatum, deliciarúmque quarumvis indulgentiam prolapsus in absurdissima cecidit mala: æstuante hoc amore refrigescere cœperunt pietatis studia, rerúmque divinarum inducta fuit oblivio, nec ampliùs sacris resonuerat Aula cantibus; sed undique audiebantur profanæ cantorum, & cantatricum voces personare: hisce illecebris cum fuerit captus, pronum ei fuit fœminarum irretiri blandimentis: & cùm junior Sapientiam unicè amaret; cœpit senex nonnisi mulieres adamare; nil blandiùs cogitavit, quàm novas identidem inire nuptias ex omni puellarum venustiori genere, neque solas gynæceum Israelitides capiebat, verùm etiam (quod lex fieri prohibebat) filiam Regis Ægypti, puellas Moabitides, Ammonitides, Idumæas, Sidonias, & Hethæas, quas Salomon tantò flagrantiore, quantò sibi minùs concesso, furore depeciebat. Mirum sanè dictu, & verè flagitiosum factu! mille fœminarum thalamis unica oppleta erat Regia, in quarum omnium fœdos amo-

3.

3. Reg. 11.

res

res fuit prolapsus; iisdem petentibus indulsit quoque unicuique gentilium Numinum, ac Dearum aras, simulacra, & cultum. Et qui vero Numini templum antehac augustissimum, totóque orbe celeberrimum erexerat; hoc idem postea profanavit, & singulis penè peregrinis suis uxoribus, singula dœmonum in eodem constituit delubra. O prodigiosa antithesis! ò monstrosa oppositio! Quid Salomoni dissimilius Salomone? virorum Sapientissimus fit omnium dementissimus; & quem virtutum, ac scientiarum encyclopedia plurimum ornavit, eumdem amore mox aestuantem cupidineo vitiorum myriades devenustant, deturpantque. Quid illustrius priore gloriâ? & quid obscurius, ac ignominiosius posteriore dedecore? obscuravit illustrem adolescentiam caliginosa senectus; corrupit Religiosam juventutem luxuriosa canities; abegit universam Sapientiam unius amoris cupidinei dementia: quia vitium vitio viam emollit; quò blandior suas extitit in mulieres, eò rigidior populo fuit Israelitico, quem exactionibus exsuxit: nec mediam sciens virtutis, ac liberalitatis sedem tenere, ad utrumque declinavit extremum, prodigus simul & avarus: aurum enim corrasit à sibi subjectis, quod in suas profunderet Venereas: quænam auri, argentique pondera, ac gemmarum, vestiúmque nitores non exegisset tot delicatissimarum venerum quotidianæ mensæ, convivia, ludi, donaria, mundúsque muliebris; quantum non solet una ex hisce fœminis secum deferre divitiarum, cùm vel ex unica tantùm aure subinde bina, vel terna pendeant integra patrimonia: quia verò libido hiantes exigit loculos, per fas, nefásque coactum fuit quidquid in tot gynæceis fœminarum expenderetur.

4. Non solùm laborante ærario subditos insuetis, acerbísque torsit exactionibus, ut populorum substantiis concubinas aleret; pecuniis ditaret; auro, & gemmis ornaret, seque iisdem totum traderet in famulitium libidinei amoris, sed aliis etiam se vitiis fœdavit; in magiam devolutus, præstigiis deditus, orcinísque artibus cœpit curiosa, & inconcessa scrutari; hincque etiam suarum conjugum fascinationes, incantationes, veneficia studiosiùs indagare: etenim Salomonem sermonibus, & philtris, ac potionatu, aliæ meretrices aliis præripere, suísque illigare amplexibus, magicis satagebant auxiliis; & Salomon post deperditam Sapientiam, amissam innocentiam, exclusam pietatem, dilapidatas opes, famam etiam, &

g. c. 11. gloriam turpissimè perdidit: *Averterunt mulieres cor ejus. Cúmque jam esset senex* (Saliani calculo annum tunc agebat ætatis. 49. mollitie, ac deliciis senectutem accelerantibus) *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos,* ad eam siquidem nequitiam devenit, & audaciam ex meretricibus una, ut idolo suo à Salomone fanum impetraverit, cujus exemplo commotæ reliquæ execrandis delubris Solimæos montes, & colles implevêre. Quam verum vulgare illud effatum: *amare, & sapere negatum est etiam Sapienti!* imò & Sapientissimo Salomoni, qui cùm amare impudicè cœpit, desipere incepit; ideo fœdâ hac indelebili ignominiosæ libidinis maculâ, illustrem, quam sibi acquisierat, gloriam obscuravit, famámque toto orbe celebrem fœdavit, ut enim Salomonem alloquitur

Siracides: *Dedisti maculam in gloria tua, & profanâsti semen tuum,* eò quia cum impiis, iisdémque alienigenis se commiscuerit mulieribus, filiósque ex iisdem progenitos pravè permiserit educari, & idolomaniam in posteros per plura succedentia sæcula usque ad Josiæ tempora propagaverit, filiósque suos Idolo Moloch immolaverit; adeò ut ex mille uxoribus Salomon nonnisi duas filias, & unicum filium legatur genuisse; videatúrque propterea cæteros perversè genitos, & malè natos perdidisse Molochius ignis. Imò ex tanta libidinis vesania, unicum, quem sustulit filium, Roboamus fuit, qui quasi paternæ hæres dementiæ stultitiâ laboravit, ut ipsemet fatetur inquies: *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboravit, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit; & dominatur in laboribus meis, quibus desudavi, & solicitus fui; & est quidquam tam vanum.* Eccles. cap. 2. Eccles. 2.

5. Neque tam crassa, tamque fœda patris dementia alium potuit lucis usuræ fœtum dare, quàm stultitiæ, quæ triplex in Salomone notatur, postquam cupidineo amore captus alienis adhæsit mulieribus: naturalis prima fuit, quæ principatum tenuit, hancque à sensuum illecebris, deliciarúmque contraxit lenociniis. Altera etiam naturâ superior, hæcque pœna fuit deserti Numinis: *Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod adversa esset mens ejus à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundò, & præceperat de verbo hoc, ne sequeretur Deos alienos, & non custodivit, quæ mandavit ei Dominus:* est siquidem amor cupidineus, qui prolixam vitiorum post se catenam trahit, quibus miserè, quos inflammat, vincit; ingrati siquidem, & protervi animi incusatur crimine: & cùm Salomon tam projectè à Deo recessisset, etiam Deus, quod suum erat repetiit, donum scilicet Sapientiæ, quod munifica largitate ei concesserat: & hoc destitutus præclarissimo dono cœpit æquè amans, ac amens cum fœminis stultescere, ac quasi stolidus stupescere veri ignoratione, mentis inscitia, ac fœdis cogitationibus exagitatus. Tertia, quæ Salomonem fatuitas tenuit, auxilium fuit cacodæmonis, qui commodissima nactus instrumenta subruendi Salomonem, quot ei uxores gentilitia imbutas superstitione suggessit, tot eidem decipulas, seu laqueos apparavit, quibus irretitus, Lib. 3. Reg. cap. 11.

retitus, philtrisque mulieribus dementatus, nec sui, nec Dei memor, solis fœdissimè famularetur libidinibus.

4. Trinæ huic stultitiæ tres veluti pedissequæ successère ægritudinum causæ, quarum prima mœror fuit animæ, & spiritûs tristitia, quæ medullas etiam ossium pervadit: *Proverb. 17.* *Spiritus enim tristis exsiccat ossa*: noverat enim Salomon, in quod miseriarum prolapsus fuerat profundum, nec potuit non tristari. Secunda, ipsius libidinis intemperantia, quæ etiam ipsum primæ juventæ florem corrumpit, perditque, & vitæ non dies, & menses tantùm, sed annos etiam sanis, ac vegetis præscindit, senectámque accelerat, & sepulchrum operit. Tertia divina Nemesis, seu vindicta, quæ laneis incedens pedibus, tametsi plerumque serò veniat, temporis tamen tarditatem supplicii solet gravitate compensare. Quàm sævus cupidineus amor, qui malorum omnium faber, nonnisi exitium cudit! sævè siquidem blanditur, & blandè sævit, dulcia spondet, & mellita venena propinat; voluptatum illecebris sensum titillat, sed angorum molestiis animum torquet; mel promittit, & aconita exhibet; delicias spondet, & ærumnas intentat; flores ostendit, & dumos exhibet.

Declinanda est hæc cupidinei amoris scylla naufragiis præclarè infamis: fugienda hæc pudicitiæ charybdis, hæc vitiorum orchestra, circeum stabulum, sirenum scopulus, ad quem illisi non aquis merguntur, sed flammis uruntur gehennalibus: quid aliud est mulier cupidineum fovens amorem, quàm blanda pestis, illustris labes, dulce venenum, hilaris mors, omnísque diritatis, & execrationis epitome, ut rectè Ecclesiastes dixerit: *Inveni amariorem morte mulierem.*

§. II.

Quos Mars gradivus potis non est in castris prosternere, hos plerumque caecutiens puer, Amor cupidineus vincit in gynaeceo, in sinu fœminæ.

5. Amor Cupidineus amarior est morte, quando & de summis viris non rarò triumphat, eósque prosternit, quos nec Martis in bello fulmina terruére, neque mortis aspectus movit. Quis Samsone fortior? Quis plura memorandæ fortitudinis specimina dedit? hic ad vineas oppidi Philistinorum catulum leonis jam prævalidum, insanóque rugitu suam profitentem ferociam, utraque manu rictu comprehensum frustatim discerpsit, nullóque armorum munitus præsidio vicit, prostravítque, cujus palato jam exanimato apum insedisse examen, favúmque mellis construxisse, fertur. Ab hostibus lacessitus, & per contemptum fervitutis provocatus, solus in eos irruit, & triginta interfecit Philisthæos. Geminos funes recèns plexos, perinde, ac geminam dirupit, fregitque paleam, inque campum medium prosiliens sumptâ, quæ fortuitò eidem obviaverat asini maxillâ, carne quidem denudata, sed dentibus adhuc armata, in confertos hostium cuneos irrupit, sæviquè leonis more partes ad omnes imperterritum circumagens corpus, dextrorsum, lævorsúmque cædere, sternere, prosternere, ac interficere quotquot infesti obstarent ei facile ac volupe fuit, ut vir unus viros mille unica jumenti maxillâ interfecerit, ancepsque hæreas, duellóne potiùs, quàm prælio dimicaverit? Philisthæorum mox exercitu fugato ipse labore confectus, sitique tortus, nec in propinquo frigidos videret latices, precibus fontem elicuit è dente mollari asininæ maxillæ.

Verùm fortissimum virum, quem pugnantes non terruère exercitus, amor prostravit cupidineus in una fœminarum. In valle ob loci amænitatem, aëris salubritatem, soli feracitatem amœnissima, cui nomen Soreca non procul ab urbe Ascalone sedem defixerat suam Dalila fœminarum venustissima natione Philisthæa: in hujus fœminæ cupidineas flammas incidit Samson; sed Philisthæi, cùm novissent mulierem esse suæ gentis, cœpére eum eadem promissis muneribus pacisci, quò captum insidiis Herculem Hebræorum in exitium pertraheret. 6.

Mulier verò non minus avara auro, quàm prostituto corpore infamis, amorem simulans, sceleratáque perfidiâ grassans Samsoni amasio exitiales apparat insidias, ac blandimentis fallacibus, astutisque sciscitationibus irretire satagit; sed dolo dolum semper Samson illusit; verùm mulier ludere se per lenocinia fingens, virum interrogat quid causæ tantæ fortitudinis in unico viro Hebræo: cui reposuit Samson imbellem se fore ad resistendum, si septem vinculis nervo crudo, recentique plexis, & adhuc humidis illigaretur, septeno tunc mulier vinculo illo virum illigavit, accivítque promissi præmii illecta Philisthæos, ad quorum tamen accessum Samson vincula illa, perinde, ac bombycinum filum disrupit.

Cúmque variis adhibitis dolis, fictísque blandimentis non potuerit vaferrima mulier Samsonem in sua vota flectere, meretriciis etiam lachrymis voluptatum madefecit lenocinia, ocyus ut emolliret Samsonis duritiem; cui vir ut tandem placeret, ac satisfaceret, arcanum aperuit suæ fortitudinis, dixitque à puero, cunabulísque Nazareum se esse, Numinique conceptis verbis dicatum, & quidem Religione voti, quod parentes nuncupârunt, & cœlestis aliger dictavit: & adhuc primigeniam, novaculæque nesciam se comam gestare, eique divinitùs innexam esse vim totius sui roboris; quid ni fallacibus blandimentis, insidiosísque lenociniis irretire Samsonem studet mulier amore priùs delinitum, móxque alto somno demer- 7.

demersum, quem papavere, & mulso conciliaverat sinu excipit, ac dormienti septem in capite capillitii cincinnos, & quidquid crinitum aderat tonsoris ministerio resecat, móxque è somno excitatum è suo expellit sinu: sed Samson viribus se novit destitutum, & mulier, cùm novisset virum revera vacillantem gressu, totóque corpore titubantem, Philisthæos vocat, qui Samsonem non ampliùs antiquas spirantem pugnas aggrediuntur, comprehendunt, ac tumultuosè vinciunt, cultrísque crudelibus exoculant, pretióque perfidiæ muliebri persoluto, cujus summa ad quinque millia, & quingentos ascenderat siclos argenteos, captivum in triumphum perduxêre ad Gazam urbem, ubi detrusus in carcerem, geminâque devinctus catenâ, trusatilem versare molam compellitur adjuncto puero, qui mancipium dicteriis, conviciísque, additis etiam flagris ad jugem stimularet laborem. Quàm potis est in muliere improba cupidineus amor! dum virorum fortissimum non armorum strepitu, sed blanditiarum lenociniis vicit, ac prostravit. Didicit Samson nullum esse absynthium amore cupidineo amarius, nullam cicutam lugubriorem, nullúmque venenum nocentius: scitè Ambrosius: *Samson validus, & fortis* (Apolog. David.) *leonem suffocavit, sed cupidineum non valuit suum præfocare amorem; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas; sed unius mulieris accensus ignibus messem sua virtutis amisit.*

8. Non Samsonem tantùm, sed & alios æquè fortitudine, ac pietate insignes viros vicit, prostravítque cupidineus amor. Vir fuit omnium virtutum ornatu insignis David, cujus mansuetudo præsertim, & mititas præ cæteris claruit virtutibus, cùm Sauli infensissimo inhumaniter sævienti humanissimè pepercerit; allegaverítque propterea etiam DEO hanc eandem virtutem, cujus studio, vel maximè addictus erat, inquiens: (Psalm. 131.) *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Verùm quamvis David ab ineunte ætate virtutem excoluerit mansuetudinis; revertente tamen vere, seu eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere misit Joabum Ducem exercitûs contra filios Ammon, eique præcepit obsidione vallare Rabbatham Metropolim Ammonitarum, cùmque ad bellum ineundum movetur exercitus, quiescit David Jerosolymis regio suo in palatio, ubi post epulas cum horis pomeridianis in Regiæ domûs se reciperet solarium refrigerantis auræ captandæ causâ in Betsabeam contra solis ardorem in finitimo horto domestico abluentem se pellucido in fonte, incautiùs tamen aliquantulum denudatam, injecit oculos Rex David; & ex niveo membrorum colore concepto cupidineo igne misit camerarios, qui nomen, genus, vitæque conditionem fœminæ se abluentis sedulo examine disquirant; cúmque intellexisset Rex, Uriæ eam esse uxorem, & quem David cum suis copiis miserat ad Rabbathæ obsidionem, cœpit statim ferventiori exardescere in mulierem amore, quæ propterea accersitur ad Regiam, interpellatúrque de adulterio, cui mulier haud obsistens, in scelus mitissimus David proruit, cujus infamia, ne populo pateret, evocatur è castris Urias, sciscitatúrque de varia per speciem belli fortuna: inde domum remittitur ad uxorem conveniendam: sed Urias ratus, non decere militem belli tempore ad uxoriam divertere consuetudinem, maluit ad fores Regii palatii ea nocte parum quiescere: cúmque Rex eum inducere non posset, ut ad uxoriam reverteretur consuetudinem, litteras scripsit Joabo Rabbatham tunc obsidenti, quibus præcipit, ut Urias iniquissimo certaminis loco pro fronte instituatur, præmonitis etiam commilitonibus, ut pugnantem, & in extremo discrimine versantem Uriam medios inter hostes destituant: litteras Rex extradidit Uriæ ad castra revertenti Joabo tradendas, qui mandatum Regium implevit, & Urias fortissimè dimicans à reliquis deseritur commilitonibus, cadítque multiplici vulnere saucius.

9. Móxque cùm expilata ac hostiliter expugnata Urbe Rabbatha David ad castra se contulisset, perrexítque ad bellum non Urbem expugnaturus, sed ejus cives puniturus: *Populum ejus adducens serravit ac* (2. Reg. c. 12. vers. 31.) *circumegit super eos ferrata carpenta: divisítque cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon:* ò truces ferocientis Principis iras! ò dira supplicia non sanguine tantùm madida, sed atrocioribus immania cruciatibus! itane mitissimus David ferales hasce jubet barbaries? itane qui sua in vota Numen flexurus excultam mansuetudinis virtutem exhibuerat memoriæ refricandam, *Memento domine David, & omnis mansue-* (Psalm. 131.) *tudinis ejus*, has edit strages inauditâ ferales immanitate? itane qui virtutum culturæ addictus populi opitulabatur miseriis; nunc miseriis miserias addit, ærumnas ærumnis, & clades cladibus? *serravit* homines, seu dentatæ ferreæ serræ reciprocantibus vicissitudinibus civium corpora membratim divisit, interemítque. *Circumegit super eos ferrata carpenta*, seu in tribulis, trahísque ferreis supposuit, in quibus messes triturantur, quid truculentius? quid acerbius, quid crudelius audiri potest, quàm homines nondum mortalitate exutos, perinde ac segetes tribulis triturari ferreis? *divisítque cultris*, seu carnificum pugionibus membratim Ammonitas secuit: *& traduxit in typo laterum*, seu injecit in ardentem laterum fornacem, ut

perinde coquerentur ac lapides: quàm dura
barbaries, quæ igne coquit, & in lapides cogit
humana corpora!

10. Quænam vindicta hæc? an non la-
niena? O barbaram crudelitatem! itane
mitissimus David non humanum duntaxat
sanguinem sitit, sed & inauditis delectatur
cruciatibus, quibus homines interficiun-
tur? Eh quid causæ tantæ crudelitatis in
mitissimo aliàs Davide? certè cupidineus
amor: David tamdiu mititate præcelluit,
quamdiu castitatem excoluit: sed cùm pri-
mùm lascivire didicit luxuriæ libidinibus,
mansuetudinis immemor, quia castitate
nudatus, cœpit in homines quamvis debel-
latos, tametsi supplices, ferocire quavis
tigride truculentiùs, & quavis Panterâ sæ-
vius. Ita est; ab uno cupidineo amore
crudelitatem didicit, barbarásque libidines,
non extinguendas nisi effusione sanguinis,
quem sæviores cruciatus eliciant. In quæ
scelera non adegit cupidineus amor Davi-
dem aliàs virtutum cultorem? in quæ te-
tra flagitia eum non traxit? Fuit amor
cupidineus in virtutes impiè grassatus, quas
summa cum laude, earum addictus studiis
David excoluerat, ejúsque illustrem fa-
mam fœdè deturpavit. O feralis cupidi-
neus amor! ò ignis gehennalis! cujus
flamma superbia; cujus scintillæ pravæ
cogitationes, cujus fumus infamia, cujus
cinis immunditia, & cujus finis tormen-
tum gehennale nunquam finiendum! Nil
est, quod tam turpè famam denigret,
quàm ignis cupidinei amoris, nil quod
plus habeat pudoris, ac ignominiæ, plus
infamiæ, ac turpitudinis; & hæc etiam
ratio, cur crebriùs ipsum etiam violetur
pœnitentiæ Sacramentum, silentio patra-
tæ obscœnitatis. Quàm tetrum, ac truce
flagitium, quod non tantùm lethale infli-
git vulnus, verùm & ipsam excludit me-
delam; sed non in solam infamis amor cu-
pidineus grassatur famam; verùm & in vir-
tutes ipsas sævit, quas extorres cogit abi-
re; ocyùs, quem tenet, ad omnia perductu-
rus flagitia.

11. Id enim egit in Davide; sed quo
bombycino pede priùs processerit, juvat
expendere. Indulserat David otio, somnó
2. Reg. c. 11. que pomeridiano: *Accidit, ut surgeret
David de strato suo post meridiem:* Re-
giis ferculis stomachum jam repleverat,
somnóque indulserat, nec mirum si cupi-
dineum sensit amorem; à somno, & luxu
in epulis proclivis ad Venerem transitus sem-
per fuit. Otium pomeridianum materiem
suppeditat alendæ libidini aptam: est siqui-
dem juxta Diogenem amor cupidineus ne-
gotium otiosorum: ignem concipit in vi-
no, & quot scintillas ejaculatur, tot exci-
tat prava desideria, fœdásque cogitationes
in mente fœdè æstuante, & otiosè torpente.
Incubuit amor cupidineus molli dormien-
tis Davidis culcitræ; mollities enim vene-
res suam ex molli pulvillo originem tra-
hit. Somnus, cui post epulas indulsit,
dœmon fuit ille meridianus, à quo enixim
postea rogaverat liberari, *Psalm. 90.* &
Davidem, quem hostis tartareus vigilantem
timuit; semisomnem oppressit, vicit, ac pro-
stravit, non alio tamen armorum appara-
tu, quàm soliùs cupidinei amoris telo; fuit
enim hoc telum, quod lethale infixit vul-
nus, & à quo etiam arceri postea petiit:
A sagitta volante in die, ab incursu, & Psalm. 90.
dæmonio meridiano: nam ex somno me-
ridiano incidit in torporem, otiúmque in-
tempestivum impudicis cupidinei amoris
flammis stipulas suppeditans.

Vidit siquidem Bethsabeam pellucidis 12.
salientis fontis laticibus se lavantem: *Vi-* 2. Reg. c. 11.
dítque mulierem se lavantem ex adverso:
domus enim Uriæ eo constructa erat situ,
quô ex adverso Regium respiceret pala-
tium. Quàm insidiosum speculum est fœ-
minea pulchritudo, cùm etiam procul aspi-
cientes potis sit urere, & adurere! quàm
dolosus est amoris cupidinei arcus! telum
ejaculatur, quò blandè feriat, & suaviter
sæviat; voluptate enim titillat sensum, &
cæca caligine mentem obruit; flammas ac-
cendit, & tenebras invehit; delicias spon-
det, & ærumnas intentat; dulcia promit-
tit, & mellita propinat venena; rectè Au-
gustinus: *De longè vidit David illam,
in qua captus est; Mulier longè; libido pro-* In Psal. 50.
*pè. Alibi erat, quod videret; in ipso un-
de caderet.* Quam feralis, & lethalis mu-
liebris species! niveo candore membrorum
ignem excitat, alitque, quô omnem virtutum
speciositatem devenustet: vel ex ipso fonte
flammas elicit, quibus illustrem Davidis
famam denigret: frigidis salientis fontis la-
ticibus ignes accendit, quibus innocentiam
perdat: & quæ lavandis, levandísque cor-
poris sordibus aptæ sunt aquæ; ijsdem abu-
titur amor cupidineus, & ex iisdem maculas
ac fœditates in mentem invehit. Quàm vafer,
subdolúsque amor cupidineus! cùm vel ipsis
frigidioribus utatur fontibus ad ignes accen-
dendos, quibus castitas cinefiat: rectè Gre-
gorius Papa; *lascivus aspectus scintilla fuit,
quæ dum in paleam, ac fœmineam formam in-
cideret, momento rapuit flammam, & fœdi
amoris incendium excitavit. Intueri non
licèt, quod non licet concupiscere.*

Sed non contentus David inspexisse, 13.
flammásque impuras concepisse, famulos mi-
sit, à quibus Bethsabea in Regium duceretur
palatium 2. Reg. 11. *Missis igitur David nun-
tijs tulit eam;* non solùm amor cupidineus
suo è fonte evibrato telo vulnus Davidico
inflixit cordi, sed & cæcitatem invexit men-
ti, ne pudorem videret, neque pruden-
tiam humanis prælucentem actionibus in-
spiceret. Id proprium cupidinei amoris,
pudorem simul, & prudentiam eliminare;

neque

neque Davidem puduit lethale sui cordis vulnus famulis aperire suis, quas ad mulierem lavantem se, & mox fœdiùs coinquinandam misit. Accessit mulier, annuitque Davidi, & quæ maculas corporis exuerat in fonte, animi fœditates contraxit in aula; ubi cecidit David; & quem nec leo ferociens in agro, nec ursus discurrens in sylva, neque Philisthinorum Hercules Goliathus in valle; neque millena tela in castris fregerunt, neque terruerunt; amor unus cupidineus suo vulneravit telo, prostravit igne, vicitque sæva voluptate, lethali lenocinio: verè Seneca: *Amans quid cupiat, scit, sed quid sapiat non videt.* Quàm inops prudentis consilii! quàm cæcus, & vecors est, quem amor cupidineus æstro brutæ voluptatis exagitat: cæca circumfusus caligine in baratrum ruit omnium scelerum: qui enim thorum violat alienum viro est injurius; cujus uxore abutitur, liberos suspectos, incertósque reddit, & quos Deus conjunxerat in uno corpore, ac spiritu, discindit, separátque adulter, cui succensens Ambrosius adulterii velamen acutè pungit, & argutè corripit: & D. Chrysostomus *Homil. 3. de verbis Isaiæ:* Volatiles asserit fucatásque, ac ferales esse voluptates, quas amor exhibet cupidineus inquiens: *Nam qua potest esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi Judicis ira, ubi ruina, ubi gladius, & carnifex; ubi baratrum, & deploratio? & ponamus hac omnia tolli, quomodo feret conscientiam redarguentem, quomodo sustinebit cælestis curia sententiam, tribunal illud; quod neque pecuniâ corrumpitur; neque adulationibus acquiescit, nec potestâ reprimitur, nec mendacio eluditur.*

l. He. l. cap. 7.

14 En in quot perduxit amor cupidineus Davidem flagitia. Primò per mollem eucitram, per somnum pomeridianum eum disposuit ad flagitia quæque perpetranda, quibus pronubus fuit otii torpor. Secundò ut lapsu rueret graviore in præcelsum adduxit domus Regiæ solarium, ubi cùm nihil serii cogitaret, mentem apparavit vanis, ac impuris implendam cogitationibus. Tertiò oculos adhibuit emissitios, ductorésque ad flagitium; incustoditus siquidem visus neglectam prodit mentem; & per oculorum lascivientes aspectus prima pugnæ præludia inivit Cupido. Quartò mulierem fœdè concupivit, & cùm cæcus sit amor cupidineus, non vidit alterius esse fœminam: nec suam inspiciens Majestatem eos misit, qui suasione, & prece speciosam mulierem ad se adducerent. Quintò patrato adulterio vocatur Urias è castris redux in Regiam. Sextò palliolum sceleri, ut obtenderetur; fœtus alienus supponendus erat Uriæ, non sine gravi justitiæ læsione, nimirum libido sibi blanda, fit aliis sæva. Septimò infamatur vir integerrimus quasi nescio quid capitali supplicio dignum commisisset, per fraudulentiam, & calumniam vitæ discrimini objicitur. Octavò publico fuit David scandalo toti populo, totique Regno, ac finitimis gentibus idolorum cultui deditis: siquidem quod licet Regi, cur non libet gregi? sic scelus sceleri viam aperuit, vitium vitio iter stravit, ut in baratrum David rueret miseriarum.

§. III.

Amor Venereus exitiales excitat flammas, quibus castitas extinguitur; & reliqua virtutes cinefiunt.

Qui cupidinei amoris assuescit incendiis omnes à se extorres fieri virtutes abire, & proclivis fit ad singula vitia: adeo enim libido hominem immutat, ut ampliùs homo non maneat in homine, quia hominem turpiter postquam exuerit, in pecus degener nonnisi brutorum delectatur voluptatibus; ubi amor imperat cupidineus, ibi exulant illicò virtutes, fitque vir cereus ad vitium, sed silex ad virtutem, ut rectè de ipso cecinerit Venusinus Vates 15.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper

hoc est, cereus est non in unum duntaxat, sed in omne prorsus vitium; an non superbiæ famulatur, qui comptulus, mundulus, nitidulus è meris fucis, & adscititiis pigmentis, vanisque nitelis formam sibi adstruit, ut amasiæ placeat? An non avaritiæ sordescit cœno? cùm enim è media virtutis sede dejiciatur, nonnisi extrema occupat vitiorum, sitque propterea avarus simul, & prodigus: pecunias enim avarè congerit, quas effusè cum meretricibus abligurit. An non torquetur etiam invidia? id abundè evincunt centies recantatæ priscorum tragediæ, præsertim Troiæ discrimina, & excidium, plurimorúmque non Urbium tantùm, sed & Provinciarum, ac Regnorum eversiones, hominum cruentæ clades, sævientia bella, lugubria funera. An non perfidam etiam invehit idololatriam vitiorum omnium æquè feracem, ac turpissimam matrem? Quid virtutis superfuit Herodi postquam Herodiadis adhæsit petulantiæ, cujus incestum neutiquam potis fuit lachrymis delere, sed cruoris rivulis submersit innocentissimi Baptistæ caput.

Quàm sævus amor cupidineus? insatiabilis est charybdis, quæ non tantùm vires animæ; verùm, & totum corporis robur, totúmque virtutum censum miserè abligurit, avidéque absorbet; id enim proprium cupidineo amori virtutes animo, valetudinem 16.

nem corpori & crumenæ nummos subtrahere, vixque aliud reperies vitium, quod tam nobiliori præda, tamque opimis triumphet spoliis; mentem fœdissimis implet cogitationibus, animam sordidissimis inficit impuritatibus, noxisque interficit lethalibus: id tamen cum cæteris vitiis commune; animam, quam interficit, ream efficere æternæ mortis: siquidem vel unica duntaxat cogitatione fœdam hanc impuritatem redolente obnoxii reddimur æternis gehennæ flammis, si eidem assentiamur: is enim æternæ se morti objicit, qui cupidineo æstuans amore impuram cogitationem sciens, volensque in oblectationem amplectitur ex Augustino *lib. 12. de Trinit. cap. 12.* Ubi ait: ***Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata per, mediatoris gratiam remittantur.***

17. Hinc non abs re castitatis culturæ, vel maximè addictus mellifluus Bernardus, cum se sensisset per tartarei hostis insidias impuris hisce pullatum cogitationibus illicò exclamavit: ***Abite hinc latrones, abite latrones.*** Latro siquidem est amor cupidineus blanditur ut rapiat; allicit surrepturus quidquid nobis inest honestamenti in virtutum cultura; osculum mentitur cum Joabo, ut sicam infigat in Amasam, quem adit salutatum; unde rectè monet Seneca: ***Voluptates præcipuè exturba, & invisissimas habe latronum more; in hoc nos amplexantur, ut strangulent.*** Epidemica lues est venerea voluptas, enecat enim, in quos grassatur. Eh quot non perdidit hæc unica pestis, quot non interfecit ferale amoris cupidinei telum, quot non profligavit, prostravitque impurus hic amor? An nos temperabimus à lacrymis? si consideremus, quot fortissimos æquè ac Sapientissimos, & pientissimos expugnaverit; viceritque fortitudine commendatos, ut Samsonem; Sapientiâ insignes ut Salomonem; pietate, ac mititate laudatissimos, ut Davidem; nos igitur, qui stamus, oculatissimè caveamus, ne & nos cadamus, cùm nec Samsone simus fortiores, neque Salomone Sapientiores, neque Davide sanctiores.

Epist. 51. in fin.

18. Nullum est vitium isto magis subdolum, cum blandiatur, ut sæviat; alliciat, ut interimat; osculetur, ut vulneret; delicias spondeat, ærumnas intentaturum; dulcia exhibeat, venena propinaturum; mella promittat, aconita allaturum. Nullum ex sexcentis est vitium isto turpius; nullum de quo magis erubescamus, cùm vel ipsum nomen ignominiâ non careat, teste Apostolo præcipiente, ut quæ hujusmodi sunt, nec nominentur in nobis. Ex hoc enim turpi vitio oritur pudor ille, quo solent ingenui, probique homines affici; si semel patratam aliquam ex suasu amoris cupidinei noxam aliis suspicentur innotuisse. Ex hoc fœculentissimo fonte diffluunt imbecillioris sexus, & lubricæ adolescentiæ errores, quibus in sacræ exhomologesis secretissimò judicio malunt ignis gehennalis fieri reos, quàm hujus vitii imaginariam subire infamiam; quamvis fortassis nullum sit hoc vitio hominibus frequentius; nullum, quod tam enormes hominum spargat strages. Nil ergo homini magis noxium amore cupidineo; est enim, qui fores aperit gehennæ, viam sternit ad æterna supplicia, & vel ipsis blanditiis vulnera infligit lethalia, quibus interficit.

Hinc amor cupidineus teste Anastasio Niceno. Quies est serpentis, Diaboli solatium, officina dœmonum, vipera vestita: & teste S. Maximo, Hominum naufragium, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, leena amplectens, scylla exornata, charybdis fucata: teste Chrysostomo; Naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, voluptas sæviens, blanditiеs crudelis: teste Ambrosio, Janua diaboli, via perversitatis, percussio scorpionis. 19.

Quæst. 63. scriptur. Serm. 53. Homil. 19. super Matth. Lib. offic.

Hujus conclamata est salus, quem hæc lues inficit, & sordidum hoc cœnum aversum à cœlo detinet; imò & præcipitem adhuc viventem agit, cujus turpe dedit posteris documentum Galeaceus Mantuanus inter primos sui ævi Heroës: hic cùm fortè puellam, quam deperibat arctò sibi obviam haberet in ponte: & illa joci gratia dixisset equo insidenti Galeaceo: quia tu mi amator, qui tantùm tibi bello jactas, & in acie places, è ponte hocce in subterfluentem amnem amoris mei gratiâ desilias: hoc audito adeò acriter cupidineus amor Galeaceum in corde pupugerat, ut incitato calcaribus equo se cum eodem præcipitem dederit è ponte, & lapsu exanimatus vix natando è Ticino fluvio emersit. Quid? quòd vir bellica fortitudine celebris ad unius puellæ vocem voluerit sic de ponte desilire? An non fuit hoc extremè insanire? quem in acie armati exercitus non terruerunt; amor cupidineus unius sordidulæ puellæ voce prostravit, egitque in fluvium præcipitem. Nulla tunc Galeaceus feria occupatus cogitatione, & otio detentus facilè victus cecidit; est siquidem amor cupidineus otiosorum negotium; hos enim potissimum occupat, qui otio indulgent, & dum otio vacant in rem incidunt negotiosissimam, illud siquidem otium magnum illis negotium facessit. An non perinde est ita amare, ac desipere? 20.

Non juvenes tantùm, sed etiam senes hoc æstuantes amore desipiunt, & ideò amentes 21.

21. amentes audiunt, quia impudicè amantes: tales fuerunt, qui pudicitiæ ausi sunt Susannæ insidiari: impudici hi senes præfecturâ tunc apud Hebræos fungebantur; sed capti illicio venustatis pulcherrimæ Susannæ, præmaturè adulteri, nactique occasionem adulterium intentârunt: tenebatur Babylone cæteros inter captivos Susanna, cujus nomen Chaldæis lilium olet: sicut enim lilium inter flores, non tam corporis proceritate, quàm adoris fragrantiâ præ cæteris eminet; ita Susanna præstantiâ castitatis cæteras antecesserat fœminas: habebat hæc horrum varij generis arb[oribus] consitum, & ad singularem excultum amœnitatem: piscina etiam visebatur, in quam desilientes ex sublimi pellucidi latices, populos non tam ad oculorum, animíque solatium trahebant, quam ad corporis artus lavandos, solísque æstus lymphæ temperandos frigiditate. Illac sub pomeridianum solis æstum, se Susanna contulerat, opacatas inter arbores non tam urentes solis radios declinatura, quàm fruticosis sepris occultata corporis membra ablutura, & fortâssis jam ad id rurali in illo secessu se parabat, cum ecce duo accedunt lenones canitie nivium quidem hyemantes, sed igne cupidineo intus æstuantes; hi ad scelus, perinde ac equus & mulus adhinnientes pudicitiam integerrimæ Susannæ solicitant; reluctanti vim minantur, ac supplicium capitale. Quid fœmina esset actura? hinc fides conjugalis, timórque Numinis flagitium prohibebant: sed inde extremi supplicij, summíque dedecoris metus ad tuendam vitam suadebant. Sed ne Numini, & marito injuriam inferret, obstitit malè amasijs senibus, renuítque impuris eorundem flecti votis gratior pudicitiâ, quàm formâ speciosior: & quamvis senes amentes potiùs, quàm amantes cupidineo œstro exagitati insanire, ac furere acriùs inciperent, minitantes se infame etiam testimonium dicturos contra ipsam, ni suis annuat votis; non tamen movere valuerunt Susannam paratam potiùs frangi, quàm flecti: maluit enim alieno mori scelere, quàm suo; si tamen moritur, quæ tam præclarè erat moritura; non enim moritur, qui pro virtute perit, sed immortali vitæ se parit; & ne violentia sibi inferretur profuso gemitu suppetias altiore voce expostular, sed eludunt clamorem flagitiosi senes, qui reclusis pomarij foribus, in vindicias deprehensi sceleris servos advocant, & mentiuntur juvenem quendam perpetrato cum fœmina scelere suis eluctatum manibus fugâ dilapsum, relictâ Susannâ consorte flagitij in eodem, ubi adulterium commiserat, loco.

22. Vocatur in judicium Susanna fœdi adulterij rea, frustrata lascivia in rabiem versa fuit, & amor cupidineus in exitiale odium: sedent Judices ijdem, qui accusatores, & testes, interrogant ream innocentissimam; adsunt cum ipsa parentes, filij, propinqui non tam de sua, quàm de tribunalis justitia soliciti; quos omnes squalor, & luctus occupat: stat matrona pudicissima accita ad causam, & sententiam audiendam calumnijs oppressa, suis madida lachrymis; & judices ijdem & accusatores simul, & testes repugnante conscientiâ, obstante justitiâ innocentem damnant neci crudelissimæ. O homines malè procos! ò viros inhumanos! ita ne damnatur virtus, ut vitium triumphet? ita ne sævit inhonestus amor, ut innocentiam prosternat, quia vitio favere renuit Susanna virtutis cultrix, & custos? ibat deserta ad supplicij locum vitam fortiter positura, & mortem obitura pro castitate; cùm statim prodijt adolescens annorum non ampliùs duodecim nomine Daniel, qui divino concitatus spiritu palam profitetur iniquam fuisse sententiam latam ab ijs, qui testes simul, & judices fuerunt, & injustam cædem; rogátque enixim, ut judicium impium retexatur: cúmque Deus in puero, & ejus supra ætatem sapientia loqueretur, eidem partes cognitoris, & judicis imponuntur, sententia retexitur; accusatores, perversi judicij deprehenduntur rei, innocens proclamatur Susanna; quæ à nequissimis senibus libera evasit. Quàm improbus cupidineus amor, quo perversè æstuantes senes, impuras flammas sub nivibus foventes canitiei, pejorésque rivales, & amentes potiùs, quàm amantes, furore magis, quàm amore insanjêrunt? sed quàm præclara, & illustris pudicitiæ virtus, quæ lascivientes respuens Judices, castum emancipitur præfectum Danielem, castitatis propugnatorem, & nequitiæ profligatorem, quo Susannæ innocentia luculentiùs triumphat? pulchrè D. Augustinus. *Multum de Deo pudicitia consequitur, cùm Judicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est judicatura virginitas. Pudicitia autem causas nisi vir pudicus audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.* Tom. 8. serm. 44.

Qui amore cupidineo ardet Judex nonnisi agrestis, ac inhumanus esse potest, quem propterea virtus excludit; ne quem innocentia excusat, inhonesti furor Judicis accuset. Speciale est virtutis privilegium Judicem consequi studio castitatis mitem, culturâ pudicitiæ humanum, curâ virginitatis pium; talem Susanna cum fuerit enacta, ejus virtus nitidior splenduit, eóque præclariore jubare, quò vel ipsam Lucretiam Romanarum olim fœminarum commendatissimam obscuraverit: desinant suam Romani Lucretiam in singularis pudicitiæ illustre producere exemplum: habet hebræa gens longè fortiorem, ac conjugalis castitatis studio illustriorem heroinam, quæ inter 23.

captivos libera, in servitute Babylonica haud vitio serviens, & extra patriam patrias leges religiosè observans, virtutisque domesticæ inter Barbaros agrestes, ac lascivientes viros tenax; famam ante maluit, & vitam perdere, quàm pudorem. Lucretia vel imminentis mortis metu, vel dedecoris incurrendi timore alienæ cessit libidini, concessit Tarquinio, quod ab ipsa petierat, consensit Lenoni, & flagitium admisit: cùm Susanna nec timore supplicij, nec horrore infamiæ divelli potuerit à firmissimo castitatis conjugalis proposito. Lucretia sceleri patrato aliud addidit scelus se ipsam interimens, cùm hac nece flagitium non excusaverit, sed exaggeraverit, ut scitè Poëta:

Si fuit ille tibi Lucretia gradus adulter;
Immerita ex merita præmia morte petis.
Sin potiùs casto vis est allata pudori,
Quis furor est, hostis crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas Lucretia, namque
Vel furiosa ruis, vel scelerata cadis.

Susanna verò mori maluit, quàm fœdari, haud ignara, eum nihili virtutem facere; cui nimis chara est vita. Nos edocuit Susanna quanto laudabilius, ac satius, sit jacturam potiùs millenam corporis subire, quàm semel virtutis; seu perdere Dei gratiam.

§. IV.

Adeò noxius cupidineus est amor, ut si flammas accendat, tenebras offundat; ne quid homo agat, videat; & præceps millena in scelera ruat.

24. NIl in homine amore cupidineo magis noxium: quia cùm flammas accendit, tenebras offundit, ne, quid homo agat, videat: hoc qui ardent impudico amore, omnem à se divinæ præsentiæ cogitationem abigunt, & voluptatis cœno involuti, neque oculos aperiunt, ut cœlum videant: *declinaverunt oculos suos* (ait scriptura) *ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Tales fuêre lenones Susannæ, & quotquot in Venerem proni cupidineum fovent amorem; tametsi non sint oculis destitui, non tamen vident, quia in cœlum non audent oculorum attolere lumen, unde fulmen timent: est hæc cæcitas, quam accersit animus malè sibi conscius, qui lucem fugit, & tenebras quærit.

Centoculos dixeris, quos amor impudicus inflammat, ut fucata mulieris venustate fruantur, & oculos depascantur; sed Tiresiâ sunt cæciores ad videndam, perpendendámque meditati sceleris turpitudinem: unde Salomon. *Via impiorum tenebrosa: nesciunt, ubi corruant.* Hanc verò offusam menti caliginem invehit fœda libido, quæ dum intus gliscit, fumum præmittit flammæ, tetráque caligine mentem obfuscat, luménque extinguit rationis, ut nec quid agat, cupiátve, potis sit videre; ut meritò exclamet Hieronymus, *ò luxuria! ò ignis ignis infernalis! [illegible]us materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ pravæ colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* An non dum obscœnis dedecorosæ libidinis inservic homo voluptatibus cæcutiens in seipsum furit, sævit, ac insanit? non me latet pisces, & aves fallaci capi escæ oblectamento, sed homo lethali oblectatur veneno. Temperantia corpus reficit, cui vires adijcit; luxuria verò vires corpori adimit, quod infringit, enervátque: sibi nocet, qui corporis inservit delicijs, nutant crura, flaccescunt brachia, obtunditur acies mentis, infuscatur lumen rationis, ægritudines contrahunt membra, perítque in homine omnis felicitas; hinc scitè Nyssenus. *Crudelis domina, ac rabiosa luxuria est: libidine quasi stimulis servilem exagitans mentem:* perinde ac Turcico addictus famulitio duris jugiter divexatur laboribus, concutitur virgis, torquetur cruentis verberibus; ita qui se effrœni addixit libidini, heram adigitur pati rabie furentem, & sævitie famuli sanguinem sitientem, imò & necis appetentem, ut enim ait Seneca. *Luxuria febris est, & quidem eò acrior, quò non tactu venarum, nec in cutem effuso colore deprehendatur: sed cor ipsum excoquit luxuria, invictum malum, & ex molli, fluidóque durum, atque patiens.*

Proverb. 4.

Lib. de vita Moysis.

Lib. 4. natur. quæst. cap. 13.

25.

26. In quos non impingit ægritudinum scopulos, qui mare traijcit, ex cujus æstuante fluctu Venus nata fertur, simúlque flammas enacta, quibus homines perderet? quæ incommoda non incurrit, qui hisce occurrit voluptatibus? quæ mala, quas pernicies non adigitur subire; qui amori obsequitur cupidineo! Zelotypiæ anhelis flammis aduritur, fœdissimis urgetur desiderijs, curis divexatur solicitis; neque morbus animum duntaxat inficit, sed in corpus etiam grassatur, cujus venustatem deturpat, vigorem exugit, robur exedit, ac præmaturè vitam abscindit, adeò ut nous cupidineus amor calamitatum secum trahat colluviem, ac compedes inijciat, quibus libertatem auferat; durissimis enim illigare novit catenis, quibus, sibi addictos cœno fœtidarum alligat voluptatum, quibus non solùm viribus destituuntur æquè animi, ac corporis;

poris, verùm & in *fœdissimam* prolabuntur servitutem.

27. Testis, ut superiùs diximus, est Samson, priùs ea fortitudine præstans, ut licèt in leonem incidisset, jubâ horridum, cursu pernicissimum, fame exagitatum, ac inflammata oculorum torvitate cruentam minitantem necem; impavidus tamen rugientem feram expectavit, quàm illustri certa-
Judic. 14. mine profligavit. *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu.* Quàm fortis, & potens Samson cùm castitatem excoluit? quàm insignem victoriam detulit, cùm nullo adhuc voluptatis lenocinio fractus rugientem leonem plura discerpsit in frusta? sed cùm primùm impudico cœpit amore infidæ mulieris urgeri, tunc inter fraudulentas delicias, & captiosas adulationes, secretum aperuit, & pœnas statim dedit incautæ relerationis: captus siquidem à Philisthæis, vinctus, decapillatus, oculisque orbatus in ærumno-
Judic. 16. sam trahitur servitutem. *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere:* En quàm noxius, ac improbus amor cupidineus.

28. Samson antequam ejus æstuaret igne rugientes, ac sævientes leones impavida manu discerpsit, & illustres de prostrata bellua triumphos detulit: sed cùm primum impudico captus amore fœminæ cœpit adhærere, atque in ejus dormire sinu, oculos perdit, viribus destituitur, tetrúmque detruditur in carcerem, brutorúmque teritur labore, ac molæ volvendæ, ad ignominiæ incrementum adijcitur: an non utiliùs ei fuit rugientem æquè, ac sævientem incurrisse in leonem; quàm adblandientem, ac lenocinantem incidisse in fœminam? fera rugiens trophea attulit gloriæ; sed fœmina adblandiens dedecora invexit infamiæ; fera caput coronavit, quod fœmina capillis denudavit; fera in frusta fracta Samsoni consuluit integritati, sed fœmina venustate & calamistro fucata vires effregit; fera discerpta proprio sanguine illustrem coloravit purpuram, quam fœmina lasciviens fœdè deturpavit lenocinijs voluptatum; leo dulces suppeditavit favos, sed mulier mellita ministravit venena: vires fera addidit, quas mulier ademit: & Samsonem, quem leo rugiens, & ad pugnam instructus non vicit; adblandiens mulier devicit: rugiebat leo, & impavido pectore ardentibus oculis, horridis unguibus ad prædam armabatur, cui inhiabat; sed feræ sævities Samsonem non læsit, cui triumphos cudit inconcussa pectoris, & brachij fortitudo: at amor cupidineus in Samsone, & mellitâ in adblandiente fœmina fraus, adulatio fraudulenta, fucata illecebra, larvata blandities eum prostrârunt.

An non verum asseruit S. Maximus, cùm 29.
mulierem dixit, *Viri naufragium, sump-* Serm. 30.
tuosum bellum, vita captivitatem, exornatam scyllam, larvatam charybdin, animal malitiosum? an non rectè Ecclesiastes ait: *Inveni amariorem morte mulierem?* non tamen omnem, sed eam lenocinantem, quæ blando in sinu amorem fovet cupidineum, quæque laqueus est venatorum; neque alios dixeris esse venatores, quàm tartareos, quàm cacodœmones, meretricio quæstu compendium instituentes; neque à vero te aberrare sinit S. Chrysostomus, qui non Homil. 2. in
dissimili allegoria cellam meretriciam diabo- Matth.
li vocat officinam, in qua tartareus Proxe- In Epist.
neta hanc infamem mercem vænum exhibet. 1. ad Co-
Imò cacodœmones fœdè adblandientis mu- rinth. 4.
lieris lenones asserit, qui meretricibus amatores conciliant: tartareus enim hostis lenonis instar plures fœdis suggestionibus, ac libidinosis suasionibus ad scorta pertrahit, & quia lenones cum fœdis hisce muliercul is quæstum partiuntur infamem; ita tartareus leno amasiorum fortunas mercedem sinit esse meretricis, reservaturus sibi spolia animarum.

Præ hisce tamen allegorijs ea videtur 30.
mulieri amorem foventi cupidineum magis congruere, quæ Ecclesiastæ magis placuit; venatio scilicet, quæ in quæstu hoc meretricio, vel maximè se prodit; singula enim adblandientis fœminæ membra tartarei venatoris sunt instrumenta capiendis hominibus aptissima. Expansum rete, seu sagena cor est mulieris, licèt enim intus cor lateat in pectore; externis tamen se prodit indicijs, fronte adulante, vultu adblandiente, voce alliciente, gestúque lenocinante. Imò non in corde tantùm rete recondit, verùm & pectori plerumque adijcit, talia dixeris reticula illa, quibus impudicæ mulieres nudum pectus furtivè ostendentes, eò nequiùs sæviunt in perniciem virorum, quò calidiori dissimulatione retia expandunt. Imò non pectori tantùm, sed & capiti hæc extendunt retia, quasi tota mulier rete sit incautis viris capiendis expansum: nil fœminis familiarius, quàm reticulis comas complecti; nec ulla opportunior sylva, quàm crinium muliebrium huic venationi aptanda,
cùm etiam sacer sponsus se captum fonserit Cant. 4.
rete hoc expanso in sylva: *Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa.* Quòd si quæras, quo instrumento? subdit: *in uno crine colli tui:* major siquidem in crinibus, cincinnis, calamistris, ornatúsque comarum vis est luxuriæ.

Sed quid de oculis dicam non unius fla- 31.
gitij reis, nec uno duntaxat nomine infamibus? an non muliebres oculi irritamenta sunt vitiorum, fomenta libidinum, duces scelerum, & faces gehennæ? Non abs re fuit, qui muliebres oculos cupidinei amoris dixerit Proxenetas; quia hisce internuntijs hujus propudiosæ mercis exercetur negotium.

gotium. Lucianus ocnlos dixit lenones, primámque cupidinei amoris viam: Heliodorus præcipoa instrumenta amatoriæ fascinationis: S. Basilius *de vera virginit.* Prævios Duces, ac pronubos ocnlorum jactus esse vult ejus, cujus manus ministræ sunt tactûs: occ minùs aptè speculis concavis muliebres pariaveris oculos; ejaculantur scilicet incendiarias amoris cupidinei flammas, quibus ambustâ, vel obscuratâ in hominibus ratione miserè hâc flammâ correpti cæcutiunt, & fœdè labuntnr. Sed noo oculi tantùm, verùm & totus vultus in peroiciem hominis à mnliere concinnatur. Quid enim sunt muliebres fuci, & pigmenta? quid minium, & cerusa? Quid herbarum, florúmque succi palpebris venustandis, genisque fucandis, quàm larvatæ illecebræ hominibus illiciendis, laqueique mious cautis irretieodis? parùm siquidem illecebrosa foret moliebris forma, & frnstra lnderet, si ab hisce mendacijs adminicola non sumeret illudendi. Insolens pavo refercote Nazianzeno *oratione in mulieres ambitiosas*, quoties turgente collo, pennisque gemmantibus suum explicat in canda orbem, eò cæciorem, quò plures aperit in eadem oculos fœminas clangore ad Venerem incitat: & ait, *mirabor, si tu aliam ob causam formam depingas, quàm ut compulorum, salaciúmque virorum oculos ad te convertas, corda attrahas, mentésque illaquees.*

32. Quid de oris, labiorúmque dicendum gratia, quam comicus viscum vocat juvenibus capiendis? cui si cantos accesserit, subdit, Cypriannus tolerabilius esse, sibilantem audire basiliscum. (*De Sanct. Cleric.*) Pectus verò muliebre mera est cacodœmoois sagena: manus sunt viotula, imò & rapacissimus, ac tenacissimus polypus, quem ex Jeroglyphica Ægyptiorum disciplina symbolum esse Veneris edisserit Pierius, inquieos. (*Lib. 27.*)

Namque sub æquoribus deprehensum polypus hostem.
Continet, ex omni demissis parte flagellis.

Non enim fœmineæ manus, quos complectuntor, aliter irretiunt, iovolvuot, teneot, ac flagellant. Neque suis carent mulieris pedes illecebris, quibus capiti iosidientur virorom; præsertim si lascivis saltationibus frangaotur in numeros: hi enim vel ipsum caput innoceotissimum Christi Prodromi Joannis Baptistæ perdidêre, ut enim ait Ambrosins. (*Lib. de Virginit.*) *Cùm Joannes Christi prænuntius saltatricis optione jugulatus exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam.*

§. V.

Muliebris cultus, ornatus, & venustas pudicitiæ ornatum devenustant, castitatis candorem denigrant, probósque mores improbo corrumpunt amore.

33. QUòd si de membris corporis ad eorundem transeamus ornatum, quantæ io muliebri cultu, ornatúque ad fœdas libidines, ad nefaoda vitia, ad sævientes voluptates deprehenduntur illecebræ? cùm infames illæ, ac prostitutæ podicitiæ venatrices, ut loquitur Petrooius, prostent io nebula linea, ventum textilem iodutæ. Vestes sunt ipsis translucidæ, & ita subtiles, quæ araneorum industriâ videantor intextæ; unde Seneca. (*Lib. 7. de benefic. cap. 9.*) *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi pudor possit: quibus sumptis mulier parum liquidò nudam se non esse jurabit.* Imò nec pretium deest, quo fiat pudor venalis; subdit Seneca: *Vidi uniones singulos singulis auribus comparatos; jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt, junguntur inter se, & insuper alij binis superponuntur; ut bina, ac terna patrimonia auribus singulis appendantur.* Quid si recenserem spleodentes torques, gemmeas armillas, oitentia monilia, reliquúmque mundi mulicbris apparatum, quo infelicissimæ istæ publicarum libidinum victimæ ornantur æquè, & onerantur? ut enim adnotavit Cipryanus: (*Lib. de habit. virg.*) *Nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor est vilis.* Quis hisce ornamentis captus non devenustetur? Quis tot inter gemmarum illuminatos nitores non cecutiat? quis hisce blanditijs illectos non emolliatur, lenocinijs captus non trahatur, & insidijs quæsitus non circumveniatur? Insurgit tunc cupidineus amor, qui paulatim gliscens serpit, & virus io viscera spargit, & ita per prava desideria consensum extorquet, & in perniciem trahit hominem; siquidem ut ait D. Gregorius in moral. *Ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, & ex gloriatione æterna damnatio.*

34. Hoc uoum sit oobis remedium contra hoc perniciosissimum viros, quo totus homo corrompitur, cupidineum huac amorem compescere in cunis, ne cum adoleverit, in nos sæviat, oósque lethaliter vulneret, ac demeotet; si nunquam incipimns amare, nunquam desipere incipiemus. Quamvis blandus videatur amor, at ita cicur, nt tenui filio capi, ac illigari se sinat; in sæviorem tameo adolescit statim feram, quæ neque armis, neque machiois adigi videatur, sitque de ipso vera parœmia *agriùs ejicitur, quàm non admittitur hostes.* Quòd si ca-

nem

nem caudâ, & lupum aure tenere laboriosum est; certè longè difficilius est dimittere, quem volupe fuit hospitem admittere, perinde amor cupidineus facilè cor nostrum subit, sed difficulter eijcitur. Hamus est amor, qui nunquam capitur, quin capiat; primus igitur ejus assultibus, quibus per impuras cogitationes animum pulsat, fortiter obsistendum est, precibus priùs ferventiùs ad Deum fusis, ut ipse hostem arceat, nostram corroboret imbecillitatem. sanet infirmitatem; & prout in nobis est ea celeritate, turpes satagamus excludere cogitationes, quâ ignitos carbones è vestibus excuteremus, ne ab igne detrimentum ullum pateremur. Nunquam quidquam licèt minimum negligendum est, nihil admittendum ad deliberandum, tunc enim proxima deditioni censetur arx, si ejus præfectus incipiat cum hoste obsidente miscere colloquia. Quævis itidem præcidenda est pravitatis occasio, quæ solet ab otio præsertim, & gula oriri; tametsi lusor sua habeat in potestate, manuque talos, adhuc tamen jactus est incertus, & anceps alea.

35. Flammas concipit, quibus delectatur cupidineus amor, sed subtrahenda sunt fomenta, ne ardeat; hæc præsertim ingerunt Bacchus, & Ceres, seu ventris ingluvies, quam si coërcueris, vires minuisti impudico amori, ut enim rectè Comicus Poëta: *sine Cerere & Baccho friget Venus*, ut igitur in nobis Venus non ardeat, semper venter esuriat; ut illa frigeat, sæpe guttur siti exardeat. Temulentiæ pedisequa semper est luxuria: hæc abigitur, si illa excludatur. Nec quidquam in hac cum amore cupidineo lucta negligendum, sunt enim quædam hujus ignis volantes scintillulæ, à quibus vel maximè cavendum: sunt quædam affectiunculæ, & amicitiæ, quæ tametsi nullam videantur pravitatem præseferre; principia tamen sunt peccatis præludentia, quibus sensim sine sensu lumen offuscatur rationis, mens fascinatur, concupiscentia virium subit incrementa, voluntas voluptatibus capta allicitur, cui etiam persæpe consensus accedit. Non est, quod de casta cum fœminis conversatione quispiam sibi blandiatur; fictilia siquidē vasa deterimus omnes, & ex eodem luto compacti sumus: æquè in serico, ac lana libido dominatur, quæ nec purpuram timet Regum, neque pannosam mendicorum spernit penulam; nunquam erit quis ex omni parte tutus, si minimas crescentis hujus impuri ignis spreverit scintillas: magna enim semper à parvis sua traxêre initia.

36. Facta fuit mulier à Deo adjutrix viri: sed dolo serpentis personam induit hostilem, ut jam nihil in ea sit, quod non feriat, urat, ac interficiat. Nulla hyæna sævit truculentiùs, nullus Basiliscus aspicit lethaliùs, nulla Siren canit perniciosiùs: scitè cecinit ille

Sirenum cupis incolumem servare salutem,
Sirenum cantus effuge, sanus eris.

Fugienda est mulieris facies perinde, ac feralis animi fax; ejus enim vultus vulnus nobis est, cavendum est ab hoc vulnere, quod nonnisi dolore curatur. Fugiamus fœminarum aspectum, consuetudinem; & colloquia, si nostræ velimus saluti consulere: insolitam suam haud dediscit mulier consuetudinem; assueta hominem è paradiso expellere etiam ab ipso mundi exordio, nonnisi perniciem intentat, ac hominem perdere: at pudicæ sunt inquies, quarum ego consuetudine utor. Quin sint etiam religiosæ, studióque castitatis addictæ, cæterarúmque virtutum studio commendatæ, nunquid ex luto sunt, & ipsæ compactæ? nunquid ubi caro, ibi fomes concupiscentiæ? nunquid ubi concupiscentia, ibi plerumque caro insolescit? non rarò ait Augustinus sub prætextu pietatis viscus latet libidinis, sub lilieto castitatis; Veneris rosa pungit puritatem, & prorsus expungit.

Etiam cedri Lybani, Duces gregum, pietatis assertores, ac virtutum Magistri amore petiti cupidineo miserè perierunt, & qui gloriosè steterunt, infeliciter ceciderunt; latitant plerumque sub specie probæ consuetudinis ingentia mala; prosiliunt in primis nocituræ libertates, minus cauta colloquia, gestus parùm compositi; inde modestiæ postea sequitur neglectus, oculorum solutæ divagationes, manuum tactus, crebra munuscula, oris quædam hilaritas, & alia blandimenta, quibus paulatim pudor deponitur, & tota demum exuitur verecundia; hinc monet Siracides. 37.
Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. Ecc lef. 9.

Nihil est enim, ait Augustinus in Soliloquijs, quod magis ex arce virtutis deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminea; idque vel Ethnici novêre, quibus præter vanam nominis, famæque immortalitatem nil fuit propositum; hi enim ne propriam fœdarent gloriam, non à consortio tantùm abstinuêre mulierum, sed & oculos coërcuêre ab earumdem aspectu: hæcque ratio cur Alexander Macedo devicti Darij filias, quas virtute bellica sui juris fecerat, videre noluit, ratus abstinendum à tali aspectu, ne cùm viros vicisset, ab imbellibus ipse fœminis vinceretur; hinc plures culturæ addicti castitatis cum Jobo, *fœdus pepegêre cum oculis suis, ne quidquam cogitarent de virgine*, talis fuit Arsenius, cujus colloquium, & conspectum cum longo quodam in itinere matrona quædam pietate insignis expetijsset, eam videre nunquam voluit, & preces saltem flagitanti reposuit, se enixim à Deo id petiturum, ut nunquam ejus meminisset: talis fertur etiam fuisse Hugo Antistes Grationopolitanus, à quo cum quæreretur à viro alio, quid sibi de matris videretur ætate, quæ eum officij causâ convenerat, respondit ex illius 38. Job cap. 31.

verbis, & voce posse quidem id conjicere; non verò ex vultu, quem nunquam adspexerat; quia viris ascetis haud innotuit, esse oculos, qui à muliebri speciositate virus hauriunt, quo singula inficiunt viscera: cavendum igitur ab aspectu, ac familiaritate speciosæ mulieris, ne fœditatem inde hauriamus.

39. Imò cavendum ab aspectu cujosvis mulieris, etiam quæ succo caret, ut potris pumex, quem pro sanguine pulverem, scobémque in venis censent medici habere; rametsi ejus cutis exsuga, rugis sit exarata, adhuc femina fovet, quæ in concupiscentiam crescunt. Et quamvis dicatur vetula proverbiali scommate, ut notat Junius *Scapha lignea*, eò quia in ea oec forma renideat, nec corpori sit sua decens proportio; sitque propterea ineptior ad absurdam incendendam cupiditatem; nihilominus fœmina est, & id satis, ut ab ipsa caveatur; excitandæ enim concupiscentiæ semper fit apta, & paulatim stimulante amore cupidineo, etiam sub hyemalibus nivibus canitiei, & senectutis ætnea stabulantur incendia; crescunt enim hæc per intervalla; ut qui non nisi rubore suffusus fœminam alloquebatur, & ad solùm mulieris aspectum horrescebat: jam vulto inverecundo, fronte constanti lascivientes oculos in ejus injiciat vultum, & blando intus serpente veneno, sentiat inflammari viscera, flammas in corde concipi, quarum fumo caligat oculus rationis, qui etiam obcæcatur; & anima cœlo[illegible]ta, cœno adfixa, & impuras flammas [illegible]acta immemor sui, & Dei, igne quo æstuat, absumitur, quòd si in hæc pericula pertrahit fœmina ætate confecta, omníque destituta speciositate; quæ non erit incendia excitatura impudicitiæ, si speciosa sit, vegeta corpore, formosa vultu, blanda ore, pulchra oculis, hilaris aspectu, procax verbis, gestúque alliciens? quod enim pulchrum id non potest non placere; captivat enim sibi contuentes corporea pulchritudo, & vel renitentes abducit: hinc Menelaus post Trojam captam, cum in Helenam, uc malorum originem fureret, totóque impetu ferretur ad eam ioterimendam, ad primum tamen fœmineæ pulchritudinis intuitum dicitur arma abjecisse, victúmque se dixisse, unde jaciebant veteres Tragici apud Clementem Alexandrinum hæc convicia in Menelaum feminea specie emollitum, verborum spicula referentia.

Lib. 2. strom.

Mammilla ubi visa est, rejecto gladio
Adblandiens cani, perdita osculum accipit.
Ergo hebetantur enses pulchritudine.

40. Est enim pulchritudo, ut ait Philo helepolis, hoc est turris multiplex, seu machina ad munitissima quæque propugnaenla expugnanda constructa, cui ex Moschione assentitur Athenæus: expugnari itaque timeat, qui admoveri ad se per oculos eam machinam patitur. Neque si virtus ejus nativæ elegantiæ faveat idcirco dormiendum; quia ut monet Joannes Gerson in præclaro suo opere de verarum visionum discrimine à falsis, si gratior est pulchro veniens in corpore virtus; & non idcirco tutior, vel sincerior. Nec rarò fatetur, obtigisse hoc in genere deceptiones horribiles, ad quas tinniant ambæ audientium aures, dum qui putant se spirituali dilectione ferri in personam aliquam pulchram, hærent revera in extrema superficie; & corpus pro anima, cutem pro medulla, domum pro inhabitatione, extimum corticem pro planta affectu prosequuntur incongruo: unde admonet Siracides expensus à Clemente Alexandrino, ut maximè caveat hic sint, qui indemnem volunt animi, corporisque sancti[illegible] moniam. *Averte*, ait Clemens, *oculum à muliere gratiosa, & ne discas alienam pulchritudinem, ait scriptura, & si causam rogas, hæc tibi enarratur: in pulchritudine enim mulieris multi seducti sunt. Et ex ea tanquam igne accenditur amicitia, quæ ad ignem non cessaturum deducit propter peccatum*: vocat amicitiam ortam ex igne amorem cupidineum, qui nonnisi perniciem molitur.

Lib. quod omnis probus liber.

Eccles. 9. Lib. 3. pæd. cap. 11.

§. VI.

Mulier quamvis sanguinis necessitudine nobis devincta, adhuc declinanda est: licèt carnalis cognatio videatur periculi suspicionem submovere; non tamen fomes inde extinguitur concupiscentiæ.

Mulier, quò speciosior, eò sollicitiùs declinanda, tametsi nobis sit sanguinis necessitudine devincta; adeò ut neque cum ijs mulieribus sit familiariùs agendum, quas ut loquitur Salvianus *lib. 3. de Eccles.* incarnata necessitudo, seu carnalis cognatio videtur ab omni suspicione periculi submovere. Esse hac in parte etiam necessariam cautionem, ac familiaritatis devitationem monuerunt Patres, eò quia in illis etiam mulieribus, in quibus sanguinis conjunctio omne videtur crimen excludere, ut cum matre, sorore, amita, instigante diabolo scelus reperitur perpetratum; quapropter rescindunt Patres facultatem contubernij sacrorum hominum, ac mulierum, quamvis sanguinis necessitudine nobis devinctarum, & Beatus Notkerus Balbolus referente in ejus actis Eckerardo, mulierum etiam consanguinearum conspectum seriò declinabat cnoscius periculi etiam circa ipsas intercedentis. Solétque ad rem produci exemplum, quod habetur in actis Sancti Nili Junioris ab ejus discipulo scriptis: cùm enim ab Aloara Pandulfi Principis uxore vocatus fuisset Sanctus Nilus, & Capuam ingressus urbem totam ad se vidisset effusam; unáque cum reliquo populo ei obviasset Diaconissa quædam monasterij Præposita cum 41.

Cap.

cum ſacerdote adhuc in florente ætate; noluit ſanctus Nilus Antiſtitam, nec adjunctas eidem virgines recipere, qoin priùs ſacerdotem illum juvenem è ſua dimitteret familiaritate, & quamvis Antiſtita ad hæc verba fureret, quaſi pravè oleret ejus cum viro ſacerdote, & ſancto conſuetudo; non tamen deſtitit à fraterna correctione ſanctus Nilus: & revera deprehenſum fuit, & etiam crimen innotuit univerſæ civitati; ſacerdotem, & diaconiſſam flagitioſo commercio fuiſſe inquinatos. Et Cyrillum Monachum cum ſorore ſua inceſtum perpetrâſſe, ac impuro amore diſlagrâſſe ex fortuito illios in manu attactu, legimus.

42. *Libro de virgin.* S. Baſilius refert ſuo tempore fratres, & ſorores, Amnonis innovâſſe in ſuam ſororem eodem fuſam utero ſcelus execrandum: unde S. Hieronymos ſolicitè monet; *Epiſt. 22.* ne quis ſibi de ſangoinis propinquitate confidat, cùm in illicitum Thamaris ſororis Amnon frater exarſerit incendium: & quidem poſtrema etiam noſtra ſæcula plura tanti ſceleris exempla ſoppeditanc, cum Anna Bollena referente Sandero *de ſchiſmate Anglicano* *l. 1.* fratris ſorduerit amplexibus: & plures viri ſanctarum neceſſitudinum nomine fœdera colorantes, etiam in eas impudicè exarsère mulieres, quarum ſpectato naturæ fœdere nulla debuiſſet ſuſpicio ſuboriri.

43. Amor libidineus, nec ſanguinis parcit neceſſitudini, ſanctam Dymnam Pater ipſe ſuus deperijc, & propria proterva manu virginem filiam obtruncavit, eò quia inconcuſsâ pectoris firmitate abnuerit patris cedere petulantiæ: oon eſt ſcelus, quod perpetravit homo, cui non poſſit alter homo obnoxius eſſe, ac ſubjacere; *ſi à Deo deſeratur*, ait Aoguſtinus, *à quo factus eſt homo:* quamobrem neque fœminæ nobis ſanguinis neceſſitudine arctiùs devinctæ fidendum eſt; ſiquidem eſt ipſa fœmina cupidineo excitando amori idonea, & Chryſoſtomus *de patientia Jobi*, *Homil. 3.* vocat mulierem etiam conſanguineam *antiquum diaboli organum:* & id cùm ſathanam non latuiſſet, *dum in* Jobi incumberet ruinam, obſervat Chryſoſtomus, omnia alia illi ſubduxiſſe, bona omnia evertiſſe, filios, & jumenta perdidiſſe, unâ ei duntaxac celictâ muliere, ídque etiam expreſſiſſe Jobom ſqualentem in fimeto novimos, cùm dixit, *derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*, labia enim plerúmque cum oſcula figunt, lethalia vulnera infligunt; & ad proſternendum virum nullum inſtrumentum muliere aptius, quæ cùm blanditur, ſævic; cùm ridet, lachrymas elicit; cùm lenocinatur, interficit; hinc Origenes aic: *Homil. 3. in Genes.* *Mulier caput peccati eſt, arma diaboli, expulſio paradiſi, delicti mater, corruptio legis antiqua.*

44. A muliere procace ſuis viros illecebris decipiente noſtræ ruinæ, ac totios humani generis interitûs originem derivatam non diffitentur SS. Patres, qui proptcrea in muliebrem nequitiam calamos acuère, & Tertullianus ait: *Mulier ſi conditionis ſuæ meminerit, & exitij per mulierem mundo invecti non ſit oblita, in perpetuis ſordibus ageret, & ſqualorem potiùs affectaret, quò pleniùs ignominiam primi delicti, & invidiam perditionis humanæ omni ſatisfactionis habitu expiaret,* *Lib. de habitu muliebr. cap. 2.* móxq; alloquens fœminam ſubdit: *Evam te eſſe neſcis? vivit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſæculo: vivat & reatus, neceſſe eſt. Tu es diaboli janua; tu es arboris illius reſignatrix; tu divinæ legis prima deſertrix; tu quæ eum ſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit; Tu quæ imaginem Dei in homine eliſiſti:* hinc exclamat Chryſoſtomus, loquens de muliere; ò malum diabolicum, & acutiſſimum telum! quoniam per mulierem Diabolus à principio Adamum in paradiſo pervertit. Per mulierem caſtiſſimũ Joſephũ in carcerem detrosit. Per mulierem Davidem ad Uriam Hethæum dolo occidendum concitavit. Per mulierem ſapientiſſimum Salomonem ad prævaricandum induxit. Per mulierem Heliam fugavic, Samſonem oculorum lumine privavic, Chriſti Præcurſorem capite imminuit, Per mulierem cunctos oppugnat, omnes dedecorat, ſingulos occidit, vituperat, fœdat, violat: & ſanè mulieres procaces ſuis illecebris non viros tantùm decepiſſe, ſed mundum totum perdidiſſe ex eo ſatis exploratum fecère impudicitiæ, quibus cùm mulieribus ſe fœdiſſimè viri coinquinârunt.

Eó excreverant in terris ſordes, ac cœnoſæ impudicitiæ, ut hiſce lavandis vix cataclysmus parem ſe noverit. 45. Placet hiſtotiam curſim retexere. Ex ſceleratiſſimo Caino ſoboles indigniſſima, ſeu Gigantes nati fuerant, qui ſuperbiâ proceram ſtaturam, luxuriâ membrorum deformitatem, impuritate mentis tumorem, & animi ferociâ vires adæquantes corporis, ſcelerum immanitate monſtroſi erant, inque nefas omne ruentes nihil mali intentatum reliquère: & quamvis immineret flagitiorum ſupplicium, cùm per centum, & ampliùs annos viderint Noëmum deſudantem in arcæ ſtructura, audieríntque eum monentem, hortantem, & minitantem; nihili monita facientes, nihili minas, & conciones; nuptias, convivia, luſus, choræas, luxurias, libidines, ſtupra, adulteria, & quidqoid flagitiorum cum mulieribus poteſt excogitari inſana omnium libidine fœdiſſimè perpetrârunt. Hocce igitur impiorum hominum genus, ut è terris deleretur, cœperunt nubes teterrimæ ſtatim unà coire in aëre, diem eripere, terras caligines offundere, cœlum pavida caligine obducere: & infra cœlum cœperunt ſtatim elementa turbari; venti, & procellæ fremere, micare fulgura, ruere fulmina, ſimúlque è telluris pleríſque in locis diſciſſo gremio prorumpere, quidquid illic venarum humentium, ac fontium ſcaturiginum, aliarúmque aquarum cæcis colle-

collectarum voraginibus lateret: disruptisque simul omnibus cœli vindicis cataractis, non imbres, non pluviæ, sed flumina, gurgitésque, ingenti cum fragore cœperunt è cœlo in terras delabi; conspiraverúntque propterea ad extinguenda tot lasciviarum in terris ardentia incendia, delendásque tot fœditates libidinum cum cœlestibus etiam subterraneæ aquæ; ut neque modus esset, neque requies decidentium è summo cœlo ruinarum; & erumpentium è sinu terræ, marísque longè, latéque extenso tractu, restagnantium eluvionum, per dies nunquam interruptos, noctésque quadraginta.

46. Cúmque editissimum montis fastigium arca aquis illis procellosè innatans subijsset; fluctúsque lethales omnia in terris obruerent, cellaria novis fontibus ebullirent; rapidi torrentes domuum parietes arietarent; discurrentes fluvij præcellas turres quaterent, solóque deijcerent, résque tota domestica iret pessum, ut feminudi homines fœminæque bacchantium ritu huc, illúcque discurrerent, séque eripere fatagerent ab aquis circumfrementibus, & novo semper incremento occurrentibus miserè perjêre; cum in luctu & squalore jacerent omnia, ubíque enim fletus, clamor, ululatus, & comploratio aërem opplebant; neque inter ventorum fragores, nubiúmque colluctantium tonitrua, & assilientium fluctuum obstrepentes assultus quidquam aliud se spectandum dedetat, quàm lacrymæ opem implorantium, quàm certamina tabularum se mutuò collidentium, & auxilium aquis innatantibus denegantium; nil audiebatur, quàm gemitus, clamores, ululatus, conclamatis in rebus, pacem à superis, vitæque anteactæ veniam expostulantium.

47. Quid hanc Numinis iram concitavit? quid has in orbem calamitates invexit? quid tot hominum clades, ac universæ telluris feralem perniciem accersivit? quàm amor cupidineus, quàm fœda libido, cujus flammæ ea subjêrunt nequitiæ incrementa, ut nonnisi universali cataclysmo valuerint restingui? nimirum perijt aquis humanum genus, ne fœdo igne absumeretur. Has in tetris strages ab amore venereo invectas fuisse facer non diffitetur historicus Genes. 6. *Cùm cœpissent homines multiplicari super terram*, tunc cum hominibus, cœperunt & multiplicari libidinum illecebræ; dixerítque propterea

Cap. 9. Isaias. *Multiplicâsti gentem, sed non magnificâsti lætitiam*, verúmque propterea fit,

Lib. de arra. quod ait Ambrosius: *paucitas, & paupertas habent pedissequas industriam, & frugalitatem; multitudo, & opulentia socordiam, & nequitiam:* siquidem post Plutum Venus, post divitias vitia: & tune Salomon cœpit fœminis adhærere alienigenis, cum incœpit

3. Reg. cap. 11. divitijs affluere. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas; Idumæas, Sidonias, & Gethæas,* tanta est cum divitijs hujus vitij affinitas, ut si divitijs affluas, vix te coërceas, quin luxuriâ, & libidine diffluas, & licèt egenus semper videatur amor cupidineus, nullibi tamen jucundiùs nudus ludit, quàm cùm in summa rerum opulentia lascivit: imò quia nudus tunicatos vulnerat inimiciùs; & quos Cupido sauciat, Venus amburit: imò insidiatur tunicatis, togatísque egenus amor cupidineus, quos ocyùs dispoliat: nemo enim nudatur promptiùs ab amore grassante, quàm qui mollibus, duplicibúsque vestitur. Salomon igitur tunc cœpit in gurgite mergi libidinum, cum auro innatavit.

Pergit facer textus, *& cùm filias procreâssent*, quia cùm priùs ductæ fuissent uxores; nunc dicuntur multiplicatæ fœminæ ob virorum veneream intempetantiam; cibi, potúsque luxum, & alia corporis blandimenta; quibus ita vires marium generationi deservientes enervantur, ut minùs sint aptæ maribus gignendis. Sequitur: *videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant:* en primigenia virorum pernicies, pellisque ex sensu extimo oculorum intus illabens in præcordia, repénsque per singula corporis membra usque ad animæ internecionem: mundi interitus nonnisi ab oculis ferale sumpsit exordium. Per filios autem Dei sacri Interpretes Sethi posteros intelligunt; & per filias hominum fœminas è vitiata Caini stirpe oriundas, ut enim vulgata fert parœmia: *Malus corvus malum ovum* ex sceleratissimo Caino nonnisi impiissima soboles expectari poterat; & licèt postquam per septem ab Adamo generationes in avitæ pietatis perseverâssent homines studijs; & à Cainitarum connubijs abstinuissent; ex prava tamen consuetudine labem tandem contraxêre, & consortia cum gente maledicta contra Numinis inhibitionem injêrunt; etenim ut ait Theodoretus, illecti Sethiani instrumentis etiam musicis Cainitarum cœperunt ijsdem adhærere, ac fœdè cum ipsis coinquinari. 48.

Thubal Cain siquidem author dicitur psalterij, & citharæ seu luxûs, lasciviæque irritamenti: nimirum fœdissima eluvies turpissimarum cupiditatum diluvium provocavit aquarum, quia. *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra*: imputæ flammæ, quas amor cupidineus in terris accenderat è cœlo cataclysmum accersivêre; neque pestifera hæc fœditas minori potuit deleri undâ, quàm inundante è cœlo in terras cataclysmo. Hæc intueantur quotquot scelera sceleribus quasi ultionis securi coacervant; flagitia flagitijs accumulant, vitia vitijs agglutinant. Veternum illis S. Augustinus excotit, inquiens. *Ne putes dominum dormire, quando tu vides, quæ facta sunt in impios, cave ne fiant in te. Ad hoc enim, & contra illos* 49. Osea cap. 4. In Psal. 134.

illos facta sunt, ut tu transires, & eos non imitareris & talia non patereris. Vide quoniam flagellum Domini est super omnem carnem. Omnis caro corruperat viam suam. Quia homines in cunctis deliquerant, in omnibus peccaverant, in cunctis feriuntur, & elementa aëris, terræ, & aquæ, cùm fuerint instrumenta nequitiæ, in carnificies mutata sunt supplicii. Quàm feralem aperit amor cupidineus voraginem, qua totum prope modum humanum genus absorbetur; quævis immunditia, omnisque impuritas teste Augustino quædam est vorago, quæ minus cautos absorbet, perditque viros; vorago siquidem est, quia animos devorat, & generatim quævis carnalis voluptas instar voraginis est, quia ut scite Abbas Celensis, loquens de superflua carnis delectatione ait: *Hæc radix est peccati, totius honestatis sinea, fovea vitiorum, uterus dæmonum, vorago animarum, imò & corporum: recludite obsecro, recludite feram istam pessimam, quæ devorat Joseph nostrum, vel potiùs filios Jacob, & Joseph.* Non fidamus mulieri procaci; tunc nubes coacervat, cum frontis affectat serenitatem; undis obruit, cùm ore ridet; mordet cùm mulcet; lævit cùm blanditur, ideóque soliciùs à fœmina cavendum, quàm à ceto, feráque marina.

Lib. de S. virgin.

Lib. 1. Epist. 1.

§. VII.

Concupiscentia carnis, quam amor cupidineus excitat, & fovet quavis venenosâ viperâ est deterior. & marinâ ferâ truculentior, blandè allicit, ut crudeliter interficiat.

50. Declinaturus Jonas contectam Dei veniam sub comminationis specie navim conscendit, sed machinam ibi suo consilio valentiorem adinvenit: vix vela ventis navis dederat, & per fluentes tractus relicta cœperat signare itinera, cum oborta de repente tempestas navim adoritur, contrarisque quassatam ventis nititur profundo tradere, ac infelici sepelire naufragio; jàmque inflata adversante vento scinduntur vela, sibilant funes, disrumpuntur antenæ, franguntur arbores, & Naucleri ars priùs nave naufraga, anceps hæret nescia ampliùs clavum regere, ac dirigere: Jonas verò, quem solùm tempestas illa quærebat, spontaneum non expavens periculum adire, sorte ductus naufragus redditur, & è navi in mare dejectus ferinæ voraginis fit esca. Elias autem Jezabelem insanientem adeò timuit, ut eam declinaturos per avia montium, pérque invios itinerum errores diffugeret: *timuit Elias, & surgens abiit quocunque eum ferebat voluntas.* Duo hic nobis Prophetæ obviant animi affectionibus dispares, Jonas, & Elias; ille audax piscis rictus contemnit Jon. 1. *Tollite me, & mittite in mare*: iste vel mulieris irascentis occursum pavet, quem propterea declinaturus montium, sylvarúmque adit avia.

Quid? quòd Jonas audeat, & Elias timeat? ille audax fluctus decumanis procellosiores ingreditur; hic timidus mulieri pavet obviare; an non Jonas ferinam potiùs rabiem, marísque exagitati procellam pavere debuisset; & Elias muliebres ridere minas, contemnere voces? quid igitur causæ quòd Elias timore concutitur, quando Jonas intrepidâ constantiâ munitus, ac inconcussa pectoris firmitate loricatus fluctus ingreditur marinos? quia nimirum ait Ambrosius *Asperiores tentationes has esse cognovimus, quæ fiunt per mulieres, quàm per æstuantis maris fluctus*: cui adhærens Glossa Moralis ait: *Per hoc, quòd Elias fugit à facie Jezabel significatur, quòd bonus Discipulus fugere debet concupiscentiam carnis, quæ significatur per Jezabel, eò quòd interpretatur fluxus sanguinis, ex cujus abundantia carnis excitatur concupiscentia*; in Jezabel igitur amor exprimitur cupidineus carnis concupiscentia quavis marinâ belluâ truculentior, quovis procelloso fluctu turbulentior, quovis naufragio nocentior: non animæ tantum necem intentat, sed & corporis interitum amor cupidineus; ideóque Jezabel mortem minatur Prophetæ, qui consultiùs in avia fugit sylvarum, insaniam declinaturus concupiscentiæ, ac incolumen servaturus animæ æquè, ac corporis vitam sylvestres inter feras, cui urbicas inter mulieres exitium parabatur: siquidem nisi celerem arripuisset Elias fugam infaustè vitam amisisset: pronior ad parcendum Jonæ fugienti fuit cete in procelloso mare, quàm Jezabel in gynæceo Eliæ corripienti. Quàm indomitum animal, quàm truculentior fera, quàm venenosa vipera est concupiscentia, quam amor excitat cupidineus! quàm grassantior pestis, luésque lethalis est fœmina, quæ nec Prophetæ parcit, cui piscis adblanditur! ò malum malorum pessimum mala mulier! an non laqueus est comptus, cùm homines in voluptates illiciat, ut illiget, ac interficiat? splendet facie, sed caligines effusura; annuit oculis, sed sagittas emissura; arridet genis, sed lachrymas elicitura; blanditur labiis cum oscula figit, sed lethalia infligit vulnera; voce molliter canit, sed duriùs deceptura; sermone pellicit, sed ad interitum vocatura: multos enim vulneratos ait Parœmiastes dejecit, & innumeros interfecit: *propter speciem mulieris multi periêrunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* 51.

Epist. 29.

An non mulier naufragium est virorum, radix nequitiæ, fons immunditiæ, origo malitiæ, oculorum pernicies, animorum exitium, cordis spiculum? an non amor cupidineus, quovis bello est flagitiosior, quavis bestiâ impudentior, quavis Pantera est œnatior? cùm inter blanditias sæviat, inter lenocinia cruentet, & inter delicias enecet. 52.

Procax mulier hospitium est lascivorum, officina dœmonum, fomentum vitiorum, malitia incurabilis, viri socordia, quotidiana calamitas, expedita rabies, eblandiens vipera, & mors exornata, ut non immeritò dixerit Sapiens: brevis omnis malitia supra malitiam mulieris: & quamvis S. Chrysostomus; non diffiteatur mulierem ad bonum, & malum posse quamplurimum, eámque describat in secessu domesticorum parietum, à foro, à tumultu Urbano sejunctam; si tamen procax fuerit, ac cupidineo adhæserit amori, non ampliùs in gynæceo veluti in Philosophiæ Gymnasio virtutes excolit, sed in scenica veluti orchestra vitiis indulget omnibus; si in enim vel latum unguem à recto exerrat, nonnisi pestes spargit, & venena diffundit, quibus inficit, quos vel voce, vel aspectu allicit. Petrus Chrysologus cum petitionem saltatricula filiæ Herodiadis retulisset subdit: *Hac est mulieris antiqua malitia, qua Adam ejecit de paradisi delicijs, hac cœlestes homines fecit esse terrenos: hac humanum genus misit in infernum; hac vitam abstulit mundo propter unius arboris pomum; hoc malum, quod homines ducit ad mortem, hoc malum fugit Elias Propheta, & cujus lingua clavis facta est cœli, tanquam Reus fugit à facie mulieris, qua invenit verum laborem, & pressuram, qua occidit Joannem Baptistam, dejicit pueritiam, perdit juventutem, illicit, & inquietat emortuam senectutem.*

Homil. 60. In Matth.

Serm. 127.

53. Nil viro infestius, nil nocentius obtingere potest muliere procaci suis illecebris viros decipiente, suisque blanditiis in eosdem lethalitec sæviente; ut enim non insulsè dixit ille: mulier est melle mollior, quò nitentior, eò nocentior; si te fovet, sibi favet; téque perdit, si te lucretur; ut non jam virago, sed vorago sit; nunc mulieribus jam fide illecebris, qui amore pulsaris cupidineo, ad effrontem accede mulierem, incolumis haud recedes; nil eidem magis volupe, quàm te absorbere, opes exsugere, divitias emungere, & animam rapere. Quoties mulier procax suis cum viro illecebris pugnas apparat, ocyùs ut eum expugnet, & ex lapsu viri surgat ipsa ad triumphos, partem in homine quatit cæteris imbecilliorem, concupiscentiam scilicet, cujus flammas succendens innocentiam extinguit.

54. Insigne hujus pugnæ monumentum, expressámque imaginem dedit toti posteritati giganteum illud Nabuchidonosoris simulacrum, cujus caput auro rutilavit, pectus terso enituit argento, femora limato splenduerunt ære, tibiæ polito emicuerunt ferro: sed adhæsit pedibus cœnum, quod sui mollitie ita metallorum omnium eviravit fortitudinem, ut singula ad delabentis è montis fastigio lapilli ictum misera strage corruerint confusè permixta, & favillæ etiam dissipatæ: *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento.* Quantam non effecit stragem unius delabentis lapilli ictus? immensæ dissipantur divitiæ; solo æquatur, quæ in giganteam erigebatur celsitatem statua, quæ tametsi sæculis visa fuerit de soliditate insultare, ad unius tamen lapilli ictum cecidit, & exili lapide icta simul & quasi ficta miserè corruit; suis, quibus affluebat, destituitur divitiis; auro caret, depauperatur argento, cæterisque spoliatur nitoribus, & collapsa sordescit in pulvere, quæ stans splenduerat in auro: sed quænam hujus tragœdiæ causa? Quid? quòd giganteum simulacrum auro nitidum, argento splendidum, ære, & ferro firmum tam facilè corruerit? quia scilicet luxui, concupiscentiæ, libidini, amorique cupidineo indulserat: testa, seu cœnum delabente lapillo petitum carnem expresserat, ejúsque delicias exhibuerat; & propterea, quæ dives perduraverat ambitiosè inflata, permanere non potuit concupiscentiæ deliciis afflata: cùm primum amori cupidineo, fœdóque libidini indulsit cecidit ferri constantia, defecit æris fortitudo, discessit argenti nitor, & evanuit auri splendor; & quæ priùs surrexerat populorum obsequiis ad se trahendis apta, carnis illecebris addicta in humum prostrata, pede conteritur luteo, quæ capite colebatur aureo. In terrea autem pedum parte carnis adumbrari illecebras, amorémque exprimi cupidineum scitè observat Richardus Victorinus; *De eruditione interioris hominis cap. 25.* inquiens: *Planta testea voluptuosam designat superfluitatem: per autem ex parte ferreus, & ex parte testeus describitur, quia delicata mens nunc in eorum odium obduratur, per quos fortè à suis desideriis restringitur: nunc verò cum concupita suppetunt, in eorum luxu resolvitur.*

Daniel 2.

Portalis

Corruit, sorduitque resoluta in pulveres, quæ carnis adhæserat illecebris: splenduit auro, enituit argento, donec fœdas, cœnosásque amplexa est voluptates: sed cum primùm amori adhæsit cupidineo carnis indulsit illecebris, non amplius auri nitore claruit, sed caruit etiam ferri constantia; & infelix cecidit deliciis diffluens, quæ divitiis affluens steterat. Nil est quod promptiùs hominem è supremo excelsarum virtutum fastigio in cœnum, pulverésque sordescentium vitiorum dejiciat, quàm amor cupidineus, & mulier procax, concupiscentiæ favens, & carnis fovens delicias. Mulier si procax sit, ac lenociniis illiciat, hominem quem allicit decipit, testis Adam, quem è terrestri paradiso mulier exclusit; vel multiplici interrogatione circumscribit, donec capiat, ut contigit Petro ad illum ignem, in quo sui oblitus Magistri frignir destitutus ejus amore: mulier igitur & Adamum ad 55.

præ-

prævaricandum impulit, & Petrum ad negandum compulit: nimirum fœmineus sexus instar ancillæ, ostiariæ fungens officio, quotquot illicit, aut excludit à vita sicut Petrum à Christo, aut detrudit in mortem sicut Adam exclusit è paradiso.

56. Nunquam non noxia mulier viro, cùm vel in primæva radice protoparentis totam corruperit posteritatem, suúmque maritum simul, & Patrem veneno infecerit, mortíque fecerit obnoxium. Heu quantos jam mulier viros perdidit, nec adhuc sævire desistit in viros, quos omnes ad mortem pertraxit, pertrahit, & pertrahet; nisi enim peccâsset prima mulier, & fœmineis illiciis, mollibúsque suasionibus in peccatum pertraxisset primum hominem, non moreretur homo in corpore, quia à muliere non fuisset primus homo deceptus; nec ejus anima æternis torqueretur suppliciis. Ita est amor cupidineus, mulier procax, effrænata luxuria, fœda libido præ hostilibus armis humanum genus labefactârunt, prostraverunt, ac vulneribus saucium interfecerunt.

57. Neque humano generi propagando quidquam nocentius amore cupidineo: quò pluribus vir fœminis adhærescit eò minus soboli suscipiendæ consulit. An non videretur conducibilius ad humani generis laxiorem propagationem, non unicam, sed plures fœminas ex pluribus Adæ costulis, vel etiam è cœno effictas à Numine fuisse, & viro adsociatas? & tamen Sapientissimus rerum Artifex, mundíque Conditor, vel ab ipso orbis exordio continentiam introduxit, cujus beneficio feliciùs, ac faciliùs humanum genus propagaretur: quæ si deficiat, & exæstuans libido ei succedat, jam homines priùs enecantur, quàm nascantur, cùm nil sit, quod valentiùs hominum obsit propagationi, quàm effrœnata cum pluribus fœminis luxuria, quâ etiam variis morborum flammis aduruntur, & impotentibus dilaniantur affectibus. Olim in spectaculis, qui ex hominibus ob patrata flagitia erant extremo supplicio addicti ferarum objiciebantur sævitiei, cum quibus eò valentiùs pugnarent, quò periculum declinare non poterant: sed vix ullum reperies spectaculum humano generi adeo adversum, sicut illud Salacitatis pugnas hominis internas ineuntis, ut notat Tertullianus: *In omni spectaculo nullum magis scandalum occurrit, quàm ille ipse virorum, & mulierum accuratior cultus, ipsa consessio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Plus humano generi nocet mulier procax, quàm leo furens; quia ut scitè Ambrosius: *sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, de negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat.* Nimirum mulier procax venenatum exhibet poculum, mortem ijs al-

De spectacul. cap. 23.

Lib. 2. de Cain & Abel cap. 1.

latura, qui incauti labra admovent lethali potioni.

Scio ab impudicis mulierculis fuisse olim philtra, & amatoria pocula adhibita, virisque exhibita ad amorem cupidineum conciliandum, quo minus cautos sibi viros devincirent, ut refert S. Chrysostomus: *Homilia de muliere, & pulchritudine* inquiens: *Et multi quidem ex his, qui meretricibus adhærent, non modò æternam mortem inde subierunt; sed & hîc mali malè perierunt, ærumnas à meretricantibus mulieribus perpessi; cùm enim contenderent illæ, ut adhærentem sibi, atque amore sui penitus adstringerent amatoria pocula apparârunt; ita deinde in gravem morbum conjectum, & lui, tabíque lentè traditum ex hac vita sustulerunt.*

59. An non mulier procax amore æstuans cupidineo suo aconita poculo in amasiorum interitum temperat? non potest non perire quisquis lethali huic poculo labra admovet, mortem scilicet cum mulso bibiturus, venenum cum lacte: hinc Joannes *Apocal. 17.* Meretricem illam describit blandientem simul, & sævientem, habentem aureum poculum plenum abominatione, & fornicationis immunditiâ, & quo delicias carnis, ac concupiscentiæ voluptates sitientibus porrigeret bibendas, dicitur enim de illa Apocal. 17. vers. 4. *Et habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus.* Poculum istud à Joanne descriptum amatorium est, quod voluptates sitientibus in interitum temperat, ac exhibet amor cupidineus: aureum est poculum, quia fucato nitore procax mulier allicit, sed ut veneno inficiat, perdátque, ideóque quamvis aureum sit poculum, plenum tamen est abominatione; neque auri eximus splendor interni liquoris venenum abigit, sed in auro illud propinat, ut ad bibendum blandiùs alliciat; ut non inscitè Diogenes formosa scorta, venenatum mulsum dixerit; voluptas enim venerea venenum continet, quod bibendum exhibet in mulso, seu in ementita, & larvata dulcedine voluptatis: hinc S. Petrus Damianus procaces mulieres viros ad carnis delicias illicientes vocat *virus mentium, gladium animarum, & aconita bibentium.* Epist.

60. Exhibent procaces mulieres aconitum aureo in poculo, seu fucatis in carnis deliciis; hoc est mellitum voluptatis poculum ostentat amor cupidineus exhibiturus aconitum, seu mortem in melle, felleum haustum mellea larvatum voluptatis dulcedine. Venenum enim ad mortem bibit, qui molliori fidit sexui, sinitque se ab ipso allici, ac nimia cum ipso agit familiaritate, unde S. Cyprianus Clericos monens ait: *Ipsi nos fallimus quotiens inordinabiliter credimus æstimantes per fidem nostram legis præcepta mutari, ut inter masculos, & fœminas speremus passim castitatem immobilem custodiri: difficulter quis venenum bibit, & vivet:* alludit ad melli-

De singula. vitæ. Cleric.

mellitas carnis voluptates, quas sexus mollior viris exhibet; venenum continent, quod ebibitur fucatâ lethalis voluptatis temperatum dulcedine; voluptas enim amatorium exhibet poculum, non tamen ad sitim extinguendam, sed acriùs acuendam, & ad interitum accendendam: quisquis sapit eidem hocce poculum desipiat: rejiciat sibi oblatas voluptates, ne suum in iisdem exitium ebibat; adeo veneno infecta est illa potio, quam procax mulier viris exhibet, & in perniciem

Tract. adversus improb. mulier. propinat, ut non immeritò viperæ soleat pariari à S. Ephræno Syro, ubi sexum mollio-rem vocat Expetitam rabiem, vestitam viperam illiciorum fucis ad interitum adblandientem: & Anastasius Nizenus *quæst. 63.* vocat mulierem improbam, quietem serpentis,

Ad Neophyt. Serm. 9. diaboli solatium: & S. Gaudentius, gestus mulierculatum motibus æquiparet serpentinis inquiens: *Turpium fœminarum colubrini gestus ad concupiscentiam movent illicitam.* An non vel à nudo gestu vestitum dimanat venenum, seu palliatum fucata voluptate?

§. VIII.

Viperinum virus viris amasiis procax propinat mulier, cum lenociniis eblanditur: nec à serpente abludit, à quo seducta fuit mulier; hac hominem in perniciem, ac perditionem ducit.

61. Ferunt, viperas fœminas se masculo commiscentes eidem caput amputare, mortémque adferre: nimirum viperas fœminas mares ejusdem speciei per lenocinia voluptatum, per illicia blanditiarum, ac illecebrarum invitamenta ad necem trahere; sed hoc idem etiam procaces præstant mulierculæ; Christum enim, qui hominis est caput, & ejus gratiam, quæ hominis est vita

Epist. 11. suis præciduot larvatis deliciis, fucatisque voluptatibus. Huc voco S. Petrum Damianum, ubi hisce succensens mulierculis eásque alloquens ait: *Vos vipera viriosa, qua pra impatientis ardore libidinis, Christum, qui caput est Clericorum, caterorúmque hominum vestris detruncatis amatoribus.*

62. Quid exitialius, quàm hisce finere se à viperis illici? quid nocentius, quàm iisdem annuere procacibus mulierculis, quæ vitam adimunt spiritualem? Plurimum cum serpente præsefert affinitatis mulier prava; sicut enim serpentis ope seducta fuit prima mulier; ita ope mulieris sedoctus fuit primus homo, quia nullum est Sathanæ opportunius instrumentum ad pelliciendos, perdendósque mares: speciali consuetudine, & familiaritate simul devinci Sathanam, & serpentem ex iis conjicitur, quòd Sathan serpente usus pluties fuerit ad plura etiam mira agenda, ac adnixus etiam, ut à dementatis hominibus cultum serpentibus exhiberetur, ut notat Baronius anno Christi 324. Imò consuevisse Ethnicos omnibus dæmoniacis Numinibus serpentes appingi, vel insculpi asserit Justinus *de Apol. Antonin.* & Delphicæ Tripodi, ex qua Sathan fertur oracula fudisse etiam serpens circumplicabatur, sed specialis est etiam Sathanæ cum muliere familiaritas, ut etiam mulieris cum serpente: siquidè vel ipso Hebræo, adeóque primigenio nomine fœmina ad serpentem proximè accedit: audiendus est Clemens Alexandrinus *in protrept.* inquiens: *Dionysium Menolem Orgijs Bacchi celebrant, crudarum carnium esu sacram agentes insaniam, & casarum carnium peragunt divisionem coronati serpentibus, ululantes Evam illam, per quam error est consecutus: & signum Bacchicorum orgiarum est serpens mysterijs initiatus. Jam verò si accuratè vox spectetur hebraica nomen Heva aspiratum exponitur serpens fœmina.*

63. . . . Hinc perinde ac serpenti nititur Sathan obsequia procaci exhiberi mulierculæ, cujus lenociniis promptiùs viros prosternat, vincat, devinciátque in tartara. Neque latum unguem à Clemente Alexandrino abscedit S. Epiphanius *in compt doctr.* inquiens: *Dionysij alij, qui Curetes, & carnium distributionem in sacris habent serpentibus coronati clamantes va, va illam adhuc Evam à serpente deceptam invocantes, aut per aspiratam vocem ex hebraica lingua, serpentem ad suum errorem evocantes; quia si Eva citra aspirationem Hebrais mulierem significat & Heva cum aspiratione serpentem significat.* Quòd si nominis affinitate serpenti prima mulier adhæret; longè tamen serpente nocentior est mulier, si procax, si prava fuerit: etenim vipera ante commixtionem cum mare, dicitur venenum evomere, quod peracto opere iterum ebibit, ut notat S.

Ambrosius, qui loquens de vipera ait: *per- acto conjunctionis munere venenum, quod evomuerat, rursus haurire fertur.* *Lib. 4. in Hexam. cap. 1.*

64. Prava tamen muliercula venenum non deponit, sed ponit; non minoit, sed auget; non exuit, sed induit; ut eos perimat, quos lenociniis illaqueat: hinc S. Petrus

Damianus alloquens hujus depravati furfuris mulierculas ait: *Vos miseris, & incantis hominibus sic sanguinem sugitis, ut lethale virus eorum visceribus infundatis:* Quàm noxium est, quàm lethale ex meretricio poculo bibere! tametsi larvatæ voluptatis, ementitæ dulcedinis vinum in eo contineatur, latet tamen venenum, & si voluptas illicit, venenum inficit. *Epist. 33.*

65. Mos quosdam apud Ethnicos fertur extitisse, quò probum vinum nulli venderetur, quin simul emeret & de corrupto, nec proinde ullum emeretur vinum sine vappa, nullum non corruptum, non infectum, meminit hujus moris Stephanus Cantuariensis *libro allegoriarum super Abacuch* inquiens: *In concupiscentia carnis ostendit diabo-*

diabolus eſcam voluptatis, ſed latet aculeus peccati, vel ſi videatur propter voluptatem amplectendam parvi penditur: ſic in quibuſdam Regionibus caupones noluerunt alicui bonum vinum vendere, niſi emeret, & de corrupto: voluptatem dixeris hujus corrupti vini exiguam quidem guttulam; ſed quæ omnem inficiat voluptatem, quam abſynthio aſpergat, veneno inficiat; ubi enim peccatum intervenit, ibi voluptas omnis acetat, ſeu aceſcit, & deperit: ſi ſapis noli ex meretricio poculo vinum hocce ebibere corruptum. Infecta enim veneno eſt potio, lethalis hauſtus, quo peccatum deglutitur. Qui ſuæ conſulit ſaluti meretricia hæc declinet pocola larvatæ voloptatis, mentitæ dulcedinis, lethales has reſpuat potiones. Exulat à prudentia, qui meretricium hocce ſitit poculum.

66. Venus græcis Aphrodiſia dicitur, hoc eſt ſine prudentia, quia hæc virtus minimè cum Venere cohæret, quia caſtitati adhæret, ſitque propterea idem prudens, qui caſtus; ubi enim *1. Petri 4.* dicitur: *Eſtote itaque prudentes:* Syriacè legitur *eſtote caſti*, acſi caſtitas prudentiam complecteretur, nec quiſquam ſit prudentiæ ſtudioſus, quin caſtitatis ſit cultor. Quàm dirè ſævit in hominem cupidineus amor, quem ratione, conſilio, & prudentiâ deſtituit, imò & humanum genus corrumpit, minuitque? Hæcque ratio, cur Joſue cum ageret jam animam, dum ſtudioſiùs populus curat incrementa libidinis, procurat detrimenta removere: *ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant erroribus adhærere, & cùm eis miſcere connubia, atque amicitias copulare. Jam nunc ſcitote, quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram; ſed ſint vobis in foveam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima.* Optimè enim ei innotuerat; libidinoſa connubia, & improba luxuriæ commercia longè graviùs, nocentiùſque minari damnum, quàm hoſtiles phalanges attuliſſent periculum. Si à *militibus* libido expungatur, ovant iſti triumphis celebres: at ſi carnis adhærent illecebris, ſi fœdis indulgent libidinibus, non ſolùm cadunt devicti, verùm & de terra prorſus abacti delentur, cum eos libido auferat, atque diſperdat de terra hac optima.

67. Scio præ cæteris beneficiis, quibus Deus munifica largitate ſuum cumulaverat populum illud recenſeri præcipuum, quòd non uno, eodémque tempore hoſtes ſuos deleverit, ſed ad populi exercitium, & utilitatem ſervatos eos voluerit: *Non ejiciam eos à facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ.* At ſi vetus eſt parœmia *homo homini Leo*, quî in munificum beneficiorum cenſum ſervantur hoſtes? quibus nil magis volupe, quàm humanum ſanguinem ſitire, cruentáſque ſpargere clades, ac ferales ſtrages? quòd ſi nulla fera nocentiùs in hominem deſævit homine hoſtiliter adverſante, cur datur homini beneficio hoſtes ſervari, cùm ex hiſce ſervatis vitæ non minuantur pericula, ſed augeantur? Huic Gordio nodo gladium adaptat S. Auguſtinus, qui cenſet per feras, carnales deſignari appetitus; ac libidinis exprimi inſultus: & quia ex arridente felicitate, ex pacis tranquilla malacia aſſolet cupidineus amor petulantiùs inſurgere, & procax Venus exitiali veneno in viros armari, ideo luculento datur beneficio, truculentiſſimos non depellere hoſtes, ſed beſtias impedire libidinum: ſcitè Auguſtinus: *quòd ait: Ne multiplicentur in te beſtiæ feræ, mirum ſi non beſtiales quodammodo cupiditates, & libidines intelligi voluit: quæ ſolent de repentino ſucceſſu terrenæ felicitatis exiſtere: nec enim Deus homines exterminare poterat, & beſtias non poterat vel perdere, vel paſci potiùs non permittere.*

Exod. 23. v. 21.

Quæſt. 17. in Judices.

68. Si enim ſuis fuiſſet blanditiis humana felicitas hebræis lenocinata, hi terrenis indulgentes voluptatibus luxuriam irritâſſent, & arridentis felicitatis fomento fœdis ſtuduiſſent libidinibus: at quoties hoſtilia arma cruentas neces minitantia timorem incutiunt, libidinum non inſurgunt irritamenta: & quia potior eſt amor cupidineus ad evertendum humanum genus, quàm armatus hoſtis ad illud delendum, rectè datur beneficio truculentos ſervâſſe hoſtes, ne fœdæ inſurgerent libidines, quæ populum corrumperent: quamdiu populus cum hoſte decertat non purpureas Veneris roſas ſtudet decerpere, ſed palmas demetere hoſtili irrigatas cruore, quibus tropheis ornetur, triumphis coronetur: ſin verò hoſte penitus deleto otio torpeſceret populus, libidini vacaret, ac fœdis diſperiret naufragiis in libidinum pelago, marique Veneris: ſiquidem ad perdendum hominem nulla nocentior peſtis noxiâ carnis voluptate, quæ lactea ſub malacia nonniſi naufragia apparat: ideo Venus ex aquis nata fertur, quia nonniſi aperiendis naufragiis ſtudet.

69. Idque etiam cauſæ, cur Venus aquis emerſa Orco parietur, & Acheronti; quia ſicut quidquid orci ingreditur januam, nunquam egreditur: ita ubi domum quis fuerit meretricis ingreſſus, ac Veneri adhæſerit perquàm difficulter viæ reſtituitur ſalutis, & huc reſpexit Salomon cùm dixit Proverb. 2. *Et ad inferos ſemitæ illius: omnes qui ingrediuntur ad eam non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ:* nimirum ut pronior pateat ad orcum aditus, iter ſternitur plenum illiciis, teſſelatum voluptatibus, deliciarum fucatum lenociniis, floſculis ornatum; & ideo propriæ ſalutis obliviſcuntur, qui orcum adeunt procacis moliercuke faſtem præferente cupidineo

amore: huc spectat illud Oseæ cap. 5. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum:* sin verò quæras, cur ita sui suæque salutis sint immemores? subdit Propheta *quia spiritus fornicationum in medio eorum.*

70. Difficillima sanè eorum est salus, qui fœdis se libidinibus prostituêre. Est orcus immundorum spirituum Regio: & quid meretrix nisi fœda officina, ubi nonnisi pravæ ventilantur cogitationes, & suppeditante cupidineo amore flammas, ignésque avernalibus noxiores scelera cuduntur nefandarum libidinum; pulchrè propterea Chrysostomus cellam meretriciam *diaboli officinam* etiam dicit; eò quia tartareus artifex in ejus sinu instrumenta cudat, quibus viros decipiat, & deceptos ad tartara pertrahat; pronus igitur ad procacem mulierem hostis currit tartareus, perinde ac sues suum ad cœnum, ut notat Chrysostomus inquiens: *quemadmodum ubi est cænum eò porci concurrunt; ita ubi sunt meretrices, & meretricia carmina illic congregantur & dæmones.* Sathanicos igitur hosce ante porcos pellucidas projiciunt margaritas quotquot animam pro fœdissima delectatione tartareis hostibus proculcandas tradunt, ac spurcitiæ luto immergendas. Idque causæ ait S. Ephræmus Syrus, cur catervatim procacium mulierum frequententent dœmones lupanaria: nam *quid est meretrix?* ait Ephræmus: *causa diaboli, diaboli consolatio, arma diaboli, triumphus tenebrarum, dux delictorum.*

Homil. 2. in Matth.

Psal. 31.

Tract. adversus improbas mulieres.

71. An non mulier procax diaboli causa, cùm per eam jus in animas acquirat? An non mulier prava, & impudica patrocinari dicitur dœmoni? cujus causas parvo lucratur impendio? an non dicuntur meretrices gehennam fulcire, tartareósque specus sustentare, cùm hominum frequentias infeliciter in eosdem detrudant? hinc scitè de meretrice Proverb. 5. *Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant*, ubi hebraicè legitur: *Et infernum gressus ejus sustentabunt:* quia pravæ mulieres multos ad tartara adducentes infernum fulciunt, quem implent; quasi esset infernus nutaturus nisi meretricio quæstu fulciretur. Imò improbam mulierem inferni etiam sceptrum vocat Ephræmus Syrus, qui quærens, quid sit procax mulier, respondet, nil aliud, quàm, *juvenum perditio, sceptrum inferni*, Liquet, morem olim Persarum fuisse, quo sceptrum in clementiæ, ac pietatis tesseram extenderetur; ut habetur in *lib. Esther*, sed quàm dissimile hocce pravæ mulierculæ sceptrum, cùm non in clementiæ signum, sed in sævitiæ notam porrigatur, hoc est non ut erigat correptum timore animum, quod in Estherem suo præstitit Assuerus sceptro; sed ut animas ad sua detrudat tartarea regna, nunquam finiendis torquendas cruciatibus.

Loc. cit.

§. IX.

Eatenus prisci homines Amorem cupidineum pinxerunt, vel finxerunt velatum oculis, quia noxiâ ejus flammâ, qui ardent tenebris offunduntur cæcitatis.

Eatenus finunt homines se tam miserè decipi pravis, ac procacibus à mulierculis: quia fucatæ venerearum voluptatum deliciæ rationem obruunt, cui fumus, & caligo cupidinei ignis tenebras offundunt, ac sepeliunt: unde Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel cap. 4. *Deus deliciis, & gaudijs nostris ponit modum, ne super alveum effusa rationem obruant:* & ideo coërcet Deus terrenas delicias; quibus amaritudines intermiscet, ne mens, & rationis vigor deliciis hebetatus cæcutiat; cæcitate gaudet amor cupidineus, cujus impensius studium est, oculum eruere rationis: unde Chrysostomus *Homil* 8. *de pœnitent. ait: cæcitas mala est adulterium, oculorum est morbus, non corporis, sed animæ priùs.* De viris Sodomitis, qui ostium Loth ingredi satagebant hospitibus abusuris dicitur, quòd percussi fuerint cæcitate: *Eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent:* nimirum respondit sceleri pœna; rectè corporis etiam cæcitate damnantur, cum mentis cæcutirent oculi ob fumum libidinosum ob luxurias, quibus diffluerent, flammásque libidineas, quibus exæstuarent, pulchrè S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. *Percusserunt illos Angeli cæcitate, ut etiam ostium domus, quod aperire cupiebant, non reperirent: simul etiam illud ostenditur, quia cæca est omnis libido; & quod est ante se non videt.* 72.

Genes. 19.

Crebrò visûs jacturâ punitur, qui carnis per venereas voluptates indulget illecebris, & oculorum usurâ destituitur, quia interni oculi usum amisit. Plura hujus supplicii generis suppetunt exempla, & præ cæteris illud Algari Reguli, quod refertur à Polydoro *lib. 4. Histor. Anglic.* Algarus enim Regulus Fridesvidam Ducis cujusdam filiam Virginem Oxoniensem ad stuprum cùm niteretur adigere, ac fugientem puellam persequeretur cupidineo exagitatus amore; illa statim in oppidum proximum recepta; fores ejusdem Algaro clauduntur insequenti, qui & oculorum usum statim amisit, quamvis mox puella fusis ad Deum precibus Numen Algaro placaverit, visúmque intercesserit, ut inde videret, quanta cæcitate laborent quotquot Virgines DEO sacras amore cupidineo insequuntur, cùm persæpe in hujusce testationem rei oculorum destituantur usu, & lucis priventur usura. Etiam Seleucus legem tulit, quâ ad- 73.

adulteria oculi eruerentur; & cùm ejus filius juxta a Patre sancitam legem utroque deberet oculo privari; & populus enixim Seleucum rogaret, ut vellet cum filio legis rigorem temperare; permisit tandem Seleucus se flecti populi precibus, sed salva lege ejus supplicium divisit, suo prius, deinde filii eruto oculo. Hinc conjicimus, quanta mentis laborent cæcitate, qui amore ducuntur cupidineo, cùm sanctis legibus lumine etiam destituantur externo: & fortassis prisci homines amorem cupidineum velatis pinxerunt oculis, vel potiùs finxerunt ipsum cæcutire, eò quia quivis impudicus amor tenebras menti offundat, quæ palpabilem invehunt cæcitatem.

74. Idque proprium amoris cupidinei oculis statim insidiari, lumina tetro suffundere fumo; mentem tetra invadere caligine, quâ omni destitutus lumine, hoc qui ardet amore, quò pergat non videat, & ideo præceps in fœdas ruat libidines, ac nefanda crimina; qui enim luxuriæ sordescit cœno, rationis oculo amisso non videt scelerum fœditates; nec pericula, quæ imminent; nec mala, quæ adstant; neque pœnas, quæ sequuntur; neque gehennam, cui destinatur; quia licèt cœlo natus, cœno adhærescens sordidæ luxuriæ lumine destituitur; quia cœnota caligine obruitur: scitè S. Chrysostomus *Homil. 11. in 1. ad Corinth* ait: *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima; sicut nubes, & caligo corporis oculos, ita cùm illa eripuerit mentem, & perspicendi facultatem, nil sinit videre ulteriùs, non præcipitium, non gehennam, non timorem:* quia nemo tam crassâ laboraret dementiâ, qui tam pœnitenda vellet labe fœdari, si pœnam cogitaret, si perennaturas gehennæ flammas mentis intueretur oculis: sed quia oculis caret, omnique lumine destituitur, qui libidini famulatur; adeo orbatus oculis præceps in omnia ruit fœdæ libidinis scelera.

75. Proditum est, corvum in sibi obviis cadaveribus oculos primùm effodere, & huc respexit Salomon *Proverb. 30. vers. 17.* inquiens: *Oculum qui subsannat Patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus:* hoc est amor cupidineus eum effodit de torrente fœdarum voluptatum, quæ perinde ac torrentes aquæ turbidæ, ac fœditatibus scatentes fluunt; fluxæ siquidem sunt Veneris voluptates, quæ statim delabuntur, & nonnisi vestigia relinquunt fœditatum; Quàm noxius est hic corvus, qui oculis insidiatur, quos suo destituat lumine: cæcus est quisquis ab arca cordis sui hunc non abigit corvum, ut abeat, & non revertatur. Quòd si Noë corvum ab arca dimisit, ut inde conjiceret, si jam diluvii aquæ cessassent: amor cupidineus, veluti corvus Sathanicus non luxuriæ aquas siccatas esse denuntiat, sed earum jugiter inhiat incrementis; ut cùm iisdem homines abluuntur ratio obruatur. Lethales luxuriæ aquas non bibat, qui letheas non vult undas bibere; non cœca caligine tantùm mentem suffundentes, sed & memoriam prorsus extinguentes rerum divinarum, ac æternæ salutis.

Læta in extima cutis specie videtur procax mulier, sed ocyùs ad lethum pertrahit, quos suo risu allicit: latent sub blandæ voluptatis larva insidiæ: Venus siquidem aquis assueta, è quibus suam traxit originem, lethales jacit hamos, quibus qui amore cupidineo ducuntur ad necem alliciuntur, ac perducuntur, quia perinde capiuntur ac pisces; scitè S. Nilus ait: *Læta hujus vitæ fluxa non te oblectent, latent hami, apparantur insidiæ, animam non secus, ac pisces irretientes:* amore cupidineo perinde ac hamo utitur tartareus piscator homines decepturus, ac in interitum expiscaturus. Quis tam sui immemor, sibique inimicus, ut non timeat hujus tartarei piscatoris fraudes, non expavescat insidias? quis cœlo, & perennaturis natus gaudiis, velit cœno Venereæ voluptatis inescari, flammisque addici in gehenna nunquam extinguendis? quis tantam cæcitatem, ac impudentiam non stupeat? Quis tam crassam non exhorreat amentiam? etiam Philo turpes Veneris voluptates hamo escarum fucis larvato pariavit *lib. de mundi opific.* inquiens: *Lasciva voluptas, procax muliercula, amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos homines hamo capiat.* Et huic succinit Plato in Catone, ubi vocat voluptatem *malorum escam.* An non ficta, & fucata est ea dulcedo, quæ voluptatibus adhærescit venereis? esca est, sed quâ hamus homines promptiùs decepturus operitur. 76. *In Paraen.*

Cupidineo, qui amore ducitur, oblatam sibi videt escam, cui pleno ore inhiat; sed dum dulcedinem fucatæ jucunditatis gustat; mellitum deglutit venenum. Timeant quotquot hac esca illiciuntur, latitant enim sub illecebris insidiæ; latitat sub esca dolosa hamus dolosus: mortem deglutit, qui hujus escæ dulcedinem gustat: probè monet S. Ephræmus Syrus *sermone de recta vivendi ratione* inquiens: *cùm ea, quæ sensus jucunda sunt, conspicis, cave, ne capiaris iisdem, nam in illis laqueus, & esca mortis latitat, neque enim nudum piscator hamum in aquam demittit:* sicut piscator hami insidias allicientis escæ occultat larvâ; perinde stygiæ paludis piscator homines expiscaturus insidias nectit, hamos in aquas demittit venereas, non nudos tamen; sed voluptatis dulcedine fucatos, quibus amore cupidineo capti promptiùs adhærescant. Hinc dum in fluentis hujus vitæ delabentibus aquis ludere videntur homines, hamis hisce voluptatum escâ larvatis inhiant, & miserè capiuntur etiam ludentes, unde festivè Augustinus monet, ut nolimus fidere hisce voluptatum escis: *Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat, nondum trahit hamum piscator. Nam jam ille habet* hamum 77. *In Psalm. 39.*

hamum in faucibus, & quod tibi videtur longum, breve est; omnia ista cito transeunt: latent ubique hami, quia exhibet suas ubique mundus voluptates, quæ tamen hamos habent suos dolosâ inescatione ad fraudem, & necem fucatos; & præsertim in luxuriæ voluptatibus, carnisque illecebris Sathanicus piscator hos demittit hamos, tendit insidias, ut deceptos homines perinde ac pisces ad mortem trahat; ludentésque in vita capiantur tristes ad necem, qui enim Venereis incantus ludit in aquis, escam sentit in hamo voluptatis, sed mortem deglutit iniquitatis; & quotquot hos non declinant hamos neci addicuntur æternæ.

78. Quos non fefellit venereæ voluptatis hamus? quos ad tartara non traxit? quot non perdidit, qui hocce in hamo aliquid se lucraturos speraverant? eò cautiùs caveri debent larvati hami, quò exitialiùs incautos decipiunt: an non lethalis amor ille, qui sub esca larvatæ voluptatis lethale exhibet peccati venenum? Ostentant procaces mulieres inanem, ac larvatam pulchritudinem, vultum fucis illitum, frontem serenitate arridentem; genas purpureis florescentes rosis; oculos blando allicientes aspectu: sed cavendum omnino est, quia sub illa risûs, ac serenatæ frontis larva latet hamus, eò exitialior, quò sub voluptatis illecebris, sub deliciarum lenociniis paratas celat insidias, escâ fucatum occultat hamum; scitè S. Nilus agens de nequioris sexûs insidiis ait: *Ornantur, ostentántque se jam liberè, & vultus ornatu quid in animo lateat, indicant, intendunt supercilia, & palpebras circumvolvunt, collum aperiunt, & toto corpore delicias agunt, mollibus utuntur verbis, & dulci vocis sono auribus blandiuntur, donec animam tuam plenè diripiant, & deprædentur. His veluti hamis, atque esca ad mortem raperis imprudens, his retibus, & varijs plagis captus traheris ad interitum: cave, ne te blandis sermonibus irretiant; pestiferum enim illis venenum inest:* adeò est procax mulier viro insidiosa, ut nil in ipsa fit, vel ab ipsa fiat, quod insidias non tendat, quod laqueos non apparet, quod hamos larvata non instruat esca ad viros, qui amore ducuntur cupidineo, decipiendos, capiendos, & ad necem trahendos; uncatæ sunt procacis mulierculæ blanditiæ, rapiunt, quos tangunt; cavendum est ab omni, quod fœmineam redolet mollitiem, quia etiam verba hic inescant, & decipiunt.

Orat. 11.

79. Solent, qui hamo piscibus insidiantur silentium sibi indicere; ne verborum strepitu terreantur pisces, abeántque incapti: sed procax mulier etiam verba in casses trahit, & in retia tendit, quibus minus cauti capiantur viri: tunc hamum demittit, cùm blanda verba immittit; tunc insidias occultat, cùm se ipsam manifestat, séque inspiciendam prodit: scitè S. Ambrosius inquiens: *Virilis sexus nullo magis lubricus, quàm muliebri decore, citò capitur, & maximè si ardor mentium alloquiis inflammetur frequentibus; & quasi facibus mardescat, si spem petendi hauriat, & affectum deferat: faciant igitur mulieres suo votibus suis hamos.* Has fraudes declinat, qui in fœminas minimè inclinat; eò tutior quis est, quò longiùs à procaci abscedit muliere. Discas alieno periculo tuæ consulere saluti: quot viros etiam pietate insignes, fortitudine invictos, & virtutum studio commendatos non perdidit procax mulier? An non David inspiciens Bersabeam se lavantem hamum in fonte deglutivit, escâ voluptatis larvatum? Fefellit nimirùm muliebris species Davidem, qui in aquis deceptus extimæ pulchritudinis escâ illectus peccati hamum noxiè quæsivit, & lethaliter deglutivit; appositè Theodoretus loquens de lapsu Davidis ait: *Cùm simpliciter non curiosè dispexisset, vidit mulierem, quæ lavabatur, & formæ inescatus pulchritudine hamum deglutivit peccati.*

Lib. 6. Epist. 19.

Quæst. 25. in Lib. 2. Reg.

80. Quòd si David inconcussâ loricatus fortitudine, quia simpliciter, non curiosè mulierem conspexit, fœdè cecidit? qui stabunt viri curiosiùs fœminas spectantes? Quid spectandum in ipsis, quàm turpissimus lapsus? David manibus, cassisque agrestibus innutritus ea fortitudine ad leonis, ursique intrepidus occursum insurrexit, ut non solùm metum ferarum ferocissimis incuteret, sed & gloriosè prosterneret: David, qui non solùm ab oculis semotus hominum feras discerpsit in ipsum sævientes, verùm etiam coram populo gigantem lacessivit, pugnavit, expugnavit; ad unius lavantis se mulieris speciem fœdè cecidit; quis adeò temerè de se ipso sentiat, ut stare sibi spondeat coram procaci muliere, cujus pulchritudo virum fœdat, species devenustat, & oculi illius basilisci nocentiores interimunt? Qui Davidem secutus est in lapsu; eundem mox imitetur in timore iterum dilabendi. David enim timore concussus hostem timet: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus:* quia si procax mulier suam prodat speciem, & suum nobis Deus auxilium subtrahat, necesse est imminens timeamus periculum. David cum semel libidini indulsisset propriis prostratus fuit oculis, & qui alienis subjugari non potuit armis, vincitur fœminea nuditate; & ideo quia semel cecidit, iteratos timet lapsus; si Numinis ope destituatur, experimento edoctus, quòd tametsi ferarum insultus, horribilésque truculenti Gigantis vultus animos exacuissent, virésque addidissent; ad unum tamen, & hunc simplicem Bersabeæ intuitum victus miserè cecidit, fortitudine destitutus: non ad leonis occursum, neque ad gigantis monomachiam, sed ad mulieris aspectum cecidit victus à fœmina, qui victor steterat contra Leonem.

Psalm. 29.

❀ (o) ❀
❀

§. X.

§ X.

Concupiscentia amore illiciente haustum spondet nectareum in aureo voluptatis poculo; sed nonnisi lethale propinat venenum: blandè incipit, & dirè desinit.

81. Nil est, quod valentiùs hominis infringat fortitudinem, enervet vires venereâ voluptate, expertus id fuit Pharao, cujus silicinea durities divinam in se indignationem obarmaverat: delegatur Moyses Omnipotentiæ Vicarius, qui pastoritio baculo Numinis veluti sceptro, non hominibus tantùm, sed & elementis imperet; quæque in pervicaciam ferro durioris Principis obarmet: enixim deposcebat Moyses exolvi populum, ac libertate donari; cui tamen reluctatos Pharao; compedes infringere, jugúmque removere, quo populus æquè premebatur, & opprimebatur, pervicaciter detrectavit: sed Moysis Virga in Draconem mutatur; pellucidi fluviorum latices nativum exuentes chrystallinum nitorem; sanguineum induunt colorem; non tamen hisce signis flectitur Pharao, sed ejus superbia indurescit pervicacior. Quid tunc? *Venit musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra ab hujusmodi muscis.* (Exod. 8.) Quid? quòd ad superbiam retundendam Pharaonis non è sylvis accersiti fuêre rugientes leones; sævientes Panteræ, ferocientes Ursi, sed minutissima coacervantur insecta muscarum agmina? cur ad delendos Ægyptios non elephantes turribus obarmantur, sed muscæ turmatim accersuntur? An sæviùs musca; quàm leo valuit in Pharaonem irruere? si musca inermis volat, si ad solùm manûs motum insidens tabulæ avolat, si timida quemlibet expavet occursum; cur muscas ad duritiem retundendam Pharaonis, ad Ægyptios debellandos, pervicacésque delendos Numen accersivit? quia nimirum per muscas, ait Gregorius Papa, appetitus signatur libidinosus, amor cupidineus, voluptas venerea, quæ ad hominem prosternendum fortior est quocunque armato exercitu: (Lib. 18. Moral.) pulchrè Gregorius: *Ægyptus, qui hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur: musca enim nimis insolens, & inquietum animal est, in qua quid aliud quàm insolentes cura desideriorum carnalium designantur.*

82. Ut igitur pervicacia superbientis Pharaonis retundatur, ut Ægyptios egregiè Deus percutiat, non rapaces armat leones, nec sævas concitat Panteras; sed carnalium libidinum permittit æstus; inquietósque luxuriæ assultus; quia nullus aries fortior ad evertendam hominis pervicaciam insultante concupiscentiâ, cujus æstus ad naufragium pronum sternit iter, cujus lenocinium ad necem adigit; cujus dulcedo venenum exhibet. Nulla æstuante concupiscentia est fera truculentior. Scorpius quamvis facilè lenocinetur, venenum nonnisi de postico corporis jaculatur, & ultima sui parte percutit, ac vulnerat: an non etiam carnalis voluptas, insolescens concupiscentia scorpionem venena effundentem refert? tametsi suis eblandiatur lenocinijs, ac extima arrideat specie, in venenum tamen desinit, quo nonnisi strages spargit animarum. Quod si de Aulico quodam falsa felicitatis spe deceptus Sidonius Apollinaris dixit, eum à fortuna adblandiente interemptum. (Lib. 4. ep. 13.) *Quem cruentavit fortuna diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut scorpius, ultima sui parte percussit.*

83. Id fortiùs censendum de illiciente concupiscentia, quæ cum nectareum spondeat haustum in aureo voluptatis poculo, reverà nonnisi venenum propinat: blandè incipit, & dirè definit; delicijs affluentia initia exhibet; sed exitu cuncta funestat; ridet ore, & vulnerat caudâ; blanditur vultu, sed pede percutit, conterítque; ac interimit, quos vultu ad se traxerat: probè S. Chrysostomus *in serm. contra luxum, & crapulam* ait: *Fera est voluptas, fera gravis: neque scorpio, neque serpens in visceribus nostris sedens ita utrinque grassatur; sicut deliciarum concupiscentia omnia subvertit, & perdit. Fera nonnisi corpori insidiatur, sed hac cùm insederit unà cum corpore animam etiam perdit.*

84. Nulla fera æstuante concupiscentiâ, lenocinante luxuriâ est nocentior, neque evomendis venenis aptior, cùm ab una libidine veluti à fœdito, corruptóque fonte omnia scaturiant vitia, quæ veneno nocentiora non corporis tantùm corrumpunt viscera, sed animæ perimunt vitam: libido siquidem cùm incrementum subit languores auget, & defectus multiplicat: & hæc ratio, cur homines Venereis indulgentes voluptatibus, fœdísque addicti libidinibus, consumptis carnibus, destituti viribus miserè deficiant, ut autumat Clemens Alexandrinus, inquiens: *Homo ex homine nascitur, & evellitur, vide damni magnitudinem: totus homo per exinanitionem corporis abstrahitur: dicit enim hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea. Homo ergo tantùm exinanitur semine, quantus videtur corpore: est enim generationis initium, id quod recedit.* (Lib. 2. pæd. cap. 10.) Minus adferret mali amor cupidineus, si solùm perimeret corpus; & non animam interimeret; parùm esset, si homo venereis indulgens voluptatibus corpore tantùm deficeret, nisi & mente miserè periret; adeò in hominem sævit amor cupidineus, ut non solùm corporis membra corrumpat, ac profliget, verùm & latentes in animo virtutes confundat, cùm pietatem scortatione premat, charitatem extinguat, & reliquarum virtutum deleat vestigia.

85\. Nil plures in homine strages invehit, nil plura infert damna, quàm amor unus cupidineus. Cum callidus serpens primævi delicti infaustissimus incentor Evæ seductæ reus sisteretur, hoc uno supplicio ejus impudentia mulctata fuit: *super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quid? quòd serpens seductor hâc mulctetur pœna, quâ super pectus suum gradiatur? Quid novi attulit hoc pœnæ genus serpenti, cùm antequam primam seduceret fœminam, suum jam graderetur super pectus? si à natura id ipsi inditum, super terram repere, quomodo potuit pœna ei obtingere, quod ejusdem naturæ jam proprium erat? An quia serpens seductor hominem præsignet in aulam inductum, ad honores, ac dignitates promovendum; & nulla viro aulico possit pœna dirior contingere, quàm si spes omnis amputetur ad altiora assurgendi; eique dicatur, quod nunc es, jugiter in aula eris; perinde ac seductori serpenti dixerat Deus vindex; super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ, cùm jam & super pectus graderetur, & terræ lutum comederet? Verùm non abs re videtur serpens inimicitias cum muliere agere. Mulier serpentis caput conterere pede properat, sed serpens mulieris insidiatur calcaneo: sed si calcaneum momorderit, non tamen adeò grave videtur damnum intulisse, cum corporis extremam partem duntaxat, seu pedem deute læserit.

Genes. 3.

86\. Sed si intimiùs rem introspiciamus, quid serpens, qui reptatione totus ventri incumbit, significat, quàm fœdam libidinem, cœnosam concupiscentiam? hæc est ille serpens delictorum pravissimus incentor. & qui perniciosissimè calcaneo insidiatur, pedes impetens; est enim pes extrema, & infirmissima hominis pars, cui reliqua humani corporis membra innituntur, huic ergo venereæ voluptates quasi totius structuræ fundamento minitantur, ut universa spiritualis fabricæ moles corruat, labefacto scilicet per pravam concupiscentiam, cœnosam libidinem castitatis fundamento: est enim libido, quæ totum hominem inficit, mentem hebetat, lumen offuscat rationis, voluntatem enervat, & ad illicita pertrahit; corpus nativis suis destituit viribus, membra labefactat, potentias corrumpit, totúmque hominem prosternit. Quàm callidè, quàm astutè serpens libidinis hominis insidiatur calcaneo, putat enim maximam, ac irreparabilem moliri perniciem, si suo calcaneum veneno inficiat; si castitatis labefactet basim, evertátque fundamentum.

87\. Quòd si reliqua vitia nonnisi in reliquas seorsim virtutes obarmantur; ut gula insidietur temperantiæ; timiditas excutiat constantiam; superbia evertat humilitatem; prodigalitas prosternat liberalitatem, perfidia fidem cogat abire extorrem; una libido est, quæ cæteris vitijs andentior virtutes omnes uno assultu evertere nititur, dum castitatis fundamentum subruere vaferrimè tentat, & totum interiorem hominem profligare festinat omnium virtutum fatali clade; & hæc ratio, cur libido insidietur calcaneo, ait Anselmus Laudensis, *dum sapientiæ basim conatur destruere*, quia ut scitè notat Beda, voluptates carnis dissolvere mentem per delicias solent. Quòd si calcaneum suo infecerit venerea voluptas veneno, totum non solùm corrumpit reliquum corpus; verùm & animam devenustat, & vitia evocat omnia, sicque propterea libido vitiorum omnium fertilis, ac feracissima tellus, cui succensens Salvianus eam vocat *ætnam impudicarum flammarum*, & Petrus Damianus *ærarium pravarum cupiditatum, aream cruenti belli, clibanum obscœnæ luxuriæ, sentinam passionum carnalium*; imò est volutabrum passionum omnium, quibus homo quasi humanitatis oblitus feræ degenerat in naturam: siquidem inter reliqua insolescentis concupiscentiæ mala illud in primis notum, quod homines quasi humanitate exutos, crudos efficiat, aggrestres, refractarios, exleges, jugi omnis impatientes, quod promptiùs excutiunt, quàm eidem assuescant; hinc hominis natura sylvescit, ait Chrysologus, *si aggrestis luxuria semel in ipsa dominetur*, & huc respexit Jeremias *cap. 28.* Cùm depravatam intuens hominis salacitatem, & in ipso homine pravam concupiscentiam alloquens ait: *à sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non serviam*, & quærens quid causæ, cur legis impatiens populus Dei reddatur illicò, subdit: *In omni enim colle sublimi, & in omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*, quia insolescens concupiscentia, fœda libido idololatriam accersit vitiorum omnium parentem feracissimam: videtur enim lascivia idololatriæ esse appendix; & idololatria lasciviæ pedissequa, & perinde lascivia, ac idololatria excutit jugum.

In 1. Genes.

Lib. 7. de guber.

Serm. 12.

Nonnisi perniciem intentat exlex libido non hominum solùm, sed Urbium, ac Regnorum. Quatuor potentissimi Assyriæ, ac Persidis Dynastæ contra sibi rebelles Pentapolis Reges armantur, scilicet contra Regem Sodomorum, Regem Gomorrhæ, Regem Adumæ, & Regem Seboim, non tamen contra Regem Balæ, *contráque Regem Bala ipsa est Segor*, nimirum urbs, quæ priùs Bala audiebat, postquam precibus Loth servata est à Pentapoleos incendio nuncupata est Segor. Expensione tamen id dignum, & discussione, quòd Urbs Bala, quæ S. Hieronymo interprete idem sonat, ac absorpta, vel vorago, vel ut placet Anselmo Laudensi Urbs devoratorum, 88.

Genes. 13.

torum, cùm esset ejusdem sceleris rea, ac sodomitico fœdata crimine sola Lothi precibus incolumis servetur à communi totius Regionis conflagratione,& tantùm urbs audiat devoratorum. Cur Bala asseritur absorpta, vel devorata? & urbs dicitur devoratorum, cùm sola absorpta, & devorata non fuerit in Sodomorum incendijs, cùm reliquæ Pentapoleos Urbes sulfurea conflagraverint voragine? non mentitam putamus nomenclaturam de appellationis fallacia suspectam; sed potiùs arcanum nominis Sacramentum: quia urbs Bala ejusdem rea flagitij, cùm præferat in nomine nefarij sceleris reatum, eidem Lothi prece vorago sulfurea pepercit, & reliquæ Pentapoleos urbes ignita absumuntur voragine, quia nullum patrati flagitij videbantur vestigium impressisse, quod à scelere cæteros arceret, & ideo sulfuream ipsam patiuntur voraginem, à qua Bala eripitur, quam præfefert in nomine, dicatúrque absorpta, aut devorata, vel urbs devoratorum; ut inde conijciamus, quam fœda sit libido, cujus vel nomen vindex Numen acerbè puniat; meritò Bala absorpta dicitur, ut quod meretur in re, etiam patiatur in nomine, ejúsque supplicium cum nomine transeat ad posteros.

89. Neque abs re vorago libido dicitur, cum animas devoret, ac perdat: generatim quævis carnalis voluptas instar voraginis se habet, hinc Petrus Celensis eam vocat puteum dœmonis, ubi loquens de superflua carnis delectatione ait: *Hæc radix est peccati, tinea totius honestatis, fovea vitiorum omnium, puteus dæmonum, & vorago animarum; quasi & corporum: recludite obsecro, recludite feram hanc pessimam, quæ devorat Joseph nostrum:* Vorago est, & fera pessima voluptas venerea, quæ blanditur, & mordet; osculatur, & vulnerat, ridet, & interimit; mulcet, & ferit. Imò etiam ipsum matrimonium, si illicitè ineatur, & generatim quævis illicita carnis voluptas vorago est, ut notat S. Petrus Damianus, qui libidine infectos lapsos describit in luxuriæ voraginem. Hinc *Persici exitij vorago*, quæ locum dedit parœmiæ apud S. Isidorum Pelusiotam, nil aliud est, quàm fœda libido: ait ipse: *Nonnulli persæpe eum spurcis fratribus se se contaminârunt, atque item alij cum filiabus suis, quas ex meretricio concubitu extulerunt, ac libidinosa temulentia Persicis exitij ipsis facta est vorago:* Persarum siquidem luxuria eò excreverat, ut omnes terminos egrederetur honestatis, cum etiam matribus filij, & cum sororibus fratres fœdè commiscerentur. *An non audis*, ait Chrysostomus, *Homil. 7. in 2. epist. ad Corinth. Persas nemine cogente cum matribus suis misceri, nec unum, aut duos, sed universam gentem.*

Lib. 2. epist. 4. *Opuscul. 15. cap. 7.* *Lib. 1. epist. 494.*

90. Imò non obstante turpitudine ex sanguinis orta necessitudine; sunt, qui asserant matrimonia etiam iniviße; ut habet Lexicon Alexandrinum, ubi dicitur. *Ninus alter Saturni filius, qui matrem Semiramidem in uxorem duxit. Unde Persis accepta lex, parentes, & sorores in consortium thori adsciscendi. Unde Picus Junonem sororem matrimonio sibi copulavit.* Putârim tamen hæc filios inter, & matres inita matrimonia aniles inter fabulas recensenda, cùm vel ipsa natura, quæ una, & communis est omnibus gentibus ab hisce abhorreat ejusdem sanguinis mixtionibus. Cæterum vitanda omninò, est hæc libidinis vorago, in quam carnalium voluptatum illecebræ nos pertrahunt: à carnalis voluptatis gurgite nos futuræ mortis metus, ac divini judicij timor revocet cum D. Augustino, qui Deum alloquens ait: *Nec me revocabas à profundiore voluptatum carnalium gurgite nisi metus mortis, & futuri judicij tui.* Enixim Deum rogemus, preces ad ipsum fundamus, ut ipse sua nos ope præservet, detineátque, ne in hanc ruamus voraginem; impuras cogitationes eâ excutiamus celeritate, quâ ignitum carbonem nostras illapsum in vestes, ne læderet. Fulmen est libido, ut arserit, fulgurat, perstrepit, ac lædit. Omnis etiam præcidenda est insolescenti libidini occasio, quæ ab otio præsertim, esculentis, & poculentis petitur, ut etiam à convictu pravorum, à societate malorum, à colloquijs fœdam libidinem redolentibus; nec quidquam negligendum; sed pravæ concupiscentiæ totis viribus obsistendum; quæ sub initijs videtur veluti scintilla blandè illuescere, mox incrementum subit, præluditque incendio omnia devastanti, absumenti: libidinum oblectamenta ruinæ sunt mortalium.

Lib. 7. confess. cap. 15.

Plures sunt non hominum tantùm, sed & urbium casus, imò & provinciarum excidia non fictis oculis memoriæ revocanda. 91. Quot etiam in veteri lege una insolescens libido ad interitum non rapuit animæ simul, & corporis? Quis recenseat Sodomæorum ignes; Sichimorum cædes; Beelphegoritarum clades; Madianitarum strages; Beniamitarum interfectiones? quis memoriam repetat Troiæ ob Spartanam adulteram decennio circumsessæ, quis recolat Trojanorum sexcentorum septuaginta sex millium excidium; & Græcorum octingentorum,& octo millium deletionem ob unam impuram Helenam. O profundum damnatæ voluptatis barathrum! in quod quos suis Venus dementat illecebris, cœco furore præcipites agit. Verè sapiens de homine libidinoso *Prov. c. 7.* ait: *Sequitur velut Bos ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur.*

Cœcus

92. Cœcus est cupidineus amor præreps trahitur ad interitum, dum delicijs suffundi putat; perinde ac stolida pecus injectâ collo resti, lascivit, exilit, putans se ad præsepe duci, cum tamen trahatur ad lanienam. Libido si semel insolescat, oculis est cæca, auribus surda, corde fatua; quia quæ imminent pericula, non videt, dehortamenta non audit, futuras pœnas non præmeditatur; & demens circumfertur, quocunque eam turpis æstus impulerit: hoc animi morbo concitatus Hemor *Genes. cap. 34.* ad domum festinavit Jacob; quamvis Jacob pastor esset, & Hemor Hevei Princeps terræ illius: deperjerat Hemor Dinam; quâ ut potiretur, Principis exuit supercilium, Imperantis deposuit Majestatem mapalia ingressurus Pastoris: etiam Artaxersem libido, quâ æstuabat, ad vestibula abjecit rusticorum. Ut impetretur Dina, etiam Pastoris vilis limen à Principe teritur: quis nunc somnianti non parcat Poësi, si sua Numina, & Europam per fluxa aquarum devehens itinera, in tauros recoxit? Urias è castris redux regia enancilcitur fercula, quamvis nullas detulisset Davidi palmas; nullo foret triumpho acclamatus, nec celebris, quia nimirum uxorem habuit Bethsebeam, quam rex deperjerat. Libidinis æstu exagitata principum cervix non flecti modò, sed vel in abjectiora potest mapalia abripi: qui viros etiam illustres audire fastidiunt Principes, adire plerumque non erubescunt viliores tabernas, si in ijs mulierculæ fœda stabulentur libidine: Pudeat tot viros principes uni subesse libidini; millies decantata exempla Samsonis, Davidis, Salomonis, & aliorum, quæ posteriora suis fœdârunt libidinibus sæcula, nos ab ijsdem subtrahant.

Fucata est carnis voluptas, delicias spondet, & venenum propinat; ludit pede, & capiti insidiatur hominum: utinam 93. in aula duntaxat Herodis psaltria regnum repudiaret, cui præferret prophetæ caput, quod esset gestatum in disco. *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ:* annuit rex, & pes saltatricis puellæ, caput perdidit prodromi monentis, quod Herodi non liceret. Quin vel apud Innocentem Adamum Eva mulier Deo præfertur; maluit Protoparens mori, quàm eductæ ex se fœminæ non parêre. Hæc est indoles amoris cupidinei, ut ei lenocinanti connivere non possit homo sine conscientiæ angore, sine famæ damno, sine fortunarum jactura, sine memoriæ corruptione, sine mentis hebetudine, sine animi crimine, & sine corporis discrimine. Cautè igitur agendum, ne ullus ei in animi adyta pateat aditus, ne sinas te ab ipso allici; satiùs semper fugiendo vincere, quàm pugnando cadere.

Marci 6. 25.

DIS-

DISSERTATIO IX.

Odium quovis cane rabidius in omnes furiosè sævit, alios lethaliter mordet, & se ipsum feraliùs rodit.

§. I.

Odij proterva natura expenditur, ejúsque fons putidissimus detegitur, ne venenati ejus latices hauriantur, qui sitim non extingunt, sed desiderium acuunt alienum sanguinem fundendi.

1. ODium humanæ est societatis venenum, quo amor corrumpitur, & aureum amicitiæ vinculum solvitur, ac dissidentia hominum capita, vel cruenta sibi indicunt bella; vel cædes, cladésque minantur; omniáque sus, déque in orbe evertentia, injurias vindicatura sibi illatas. Est quippe odium, animi ab eo, quod malum sibi esse sentit aversio; & à plerísque videtur, cum ira confundi, præsertim ab Augustino *libro definitionum*, definiente odium, veterem iram ex pluribus causis collectam, & diuturno tempore perseverantem; & videtur adhæsisse Tullio, qui odium iram inveteratam esse dixit.

2. Verùm licèt ira jugali veluti vinculo odio copuletur, nonnihil tamen ab illo dissidet, quia ira propriè nonnisi ex privatis, aut communibus injurijs, quæ ad nos quoquo modo spectant, ebullire solet, ut docet Aristoteles in Rhetoricis. Odium verò ex radicibus universalioribus germinat; ut ex improbitate etiam, à qua nil damni ad nos derivatur; etenim citra susceptas injurias, ac læsionem solemus improbos odisse; licèt minimè ijsdem irascamur. Præterea ira ex Seneca *lib. de ira cap. 1.* est brevis insania, æquè impotens sui, decoris oblita, necessitudinis immemor, in quod cœpit pertinax. Insanos esse, quos ira incendit, ex eo conijcit, quia in irascentibus flagrant, & micant oculi, perfunditur vultus multo rubore, exæstuante, ab imis præcordijs sanguine labia quatiuntur, dentes comprimuntur, subriguntur capilli, quæ singula insaniam produnt; ut etiam parum explanatis vocibus sermo præruptus, complosæ sæpius manus, & pulsata pedibus humus, quæ omnia quia violenta brevia sunt. Odium verò est diuturnum, ad plures nutritur annos sine dolore illius, qui odit: ira verò semper effervescit cum aliqua irascentis molestia.

Definitur odium à D. Thoma, dissonantia quædam appetitûs ad id, quod comprehenditur ut disconveniens. Estque odium duplex, unum, quo pravi, vitiísque indulgentes resistunt virtuti, ut sibi invisæ, & est odium prorsus iniquum: alterum quo viri probi culturæ addicti virtutum vitia insequuntur, & pravitatem aversantur, & est odium laude dignum. Illud est triste, & exitiale; hoc alacre, ac faustum. Illud protervitatis suæ conscium in se ipsum sæviens se dilacerat; istud virtuti studens propriâ gaudet innocentiâ. Illud ex matre improba natum, vitium pro patre nactum, nonnisi mala molitur; istud obstetricante virtute ortum, omne aversatur scelus. Illud mentem corrumpit, & cordis intima corrodit; istud animum exhilarat, & pectus munit. Illud non molitur nisi sordida, non concipit nisi cædes, non agit nisi neces; istud non prosequitur nisi splendida, non cupit nisi honesta, non amplectitur nisi decora. Illud tristitiâ vescitur, & semina spargit dissidiorum, ut obsit; istud lætitiâ nutritur, & virtutem promovet, ut prosit. 3.

4. Aliud est odium, quo viri pietati addicti, & cœlestibus inhiantes, peritura oderunt; mundi dignitates, honores, divitias aversantur, vitæ civilis studia negligunt; hominis consuetudines fugiunt, & solitudines petunt, ubi sanctitas lætiùs efflorescit; ubi eremi Incolæ liberiùs cœlo inserviunt; & semina, quæ in terris jaciunt virtutum, in fructus excrescunt vitæ nunquam defecturæ. Fuerunt tamen ex perditis hominibus aliqui, ita corruptæ mentis; qui Anachoretarum, ac Monachorum institutum impiè sugillantes SS. Anachoretas contemptim *Viros lucifugas* nominârunt, Bellerophontea percitos tabe, cœno aptiores, quàm cœlo. Odium civilis consuetudinis, antiqui nominârunt morbum Bellerephontem; eò quia eadem tristitiæ lue crederetur Bellerephon laborâsse; hoc eodem morbo infectos dixerunt eos, qui hominum odio,

& vitæ tædio contabuerunt; cujusmodi fuit Timon in genus humanum singulari odio teter, ac funestus.

5. Aliud est odium ferinum, éstque rabinla, ac insatiata cupiditas fundendi humanum sanguinem; spargendi ubique funestas clades, & cruentas neces: ex hoc odio fuerunt cædes cædibus cumulatæ, sanguine sanguis expiatus. Hoc debacchante odio amnos occilorum cædibus fluxerunt infecti, & redundantes: Hinc ad libitum luparum decollati innocentes. Hinc immerentes cuneo insuti, Hinc filij in parentum conspectu trucidati. Hinc cœnæ illæ Thyestææ effuso sanguine ebriæ. Hinc illæ tot numero mortes, quot inflicta vulnera. Hinc in convivas lanceæ contortæ; in amicos venena propinata, in parentes neces acceleratæ. Hinc illa omnem feritatem excedentia vota; quale hoc, ut ingens, ac Dominus terrarum populus unica cervice truncari posset. Hinc pisces ob levissimam causam humano cruore saginati. Tauri æneì, in quibus Christiani subditis ignibus auditi sunt repetis gemitibus mugire. Innocentes parvuli vix vagitu vitam salutantes ab ipso uberum suctu abstracti, ac impiè necati. Hinc demum illa ominosa nomina etiamnum terrorem incutientia, illi Cyclopes, Cerciones, Lastrigones, Busirides, Scirones, Phalarides, Cephrenes, Sennacheribij, Typhones, Gyges, Cambyses, Syllæ, Tyberij, Caligulæ, Nerones, Domitiani, Polliones, Commodi, & alij, qui ferino rigentes odio in humanum genus sævierunt, & ubique luctus, clades, neces, sparserunt.

6. Demum aliud dicitur odium naturale proficiscens ex arcana quadam antipathia, quâ alij alijs minus sunt affecti, tametsi nil damni, vel incommodi ab ijsdem fuerint experti; nec res ulla exterior ijsdem suppeditetur ad odium concipiendum, sed tantùm quodam naturæ instinctu illos aversantur; & hoc odio non homines soli laborant, verùm etiam bruta; canes enim perpetuo odio feles aversantur, imò & res anima carentes, qua ratione lupina tympana dicuntur dissolvere ea, quæ ex agnino corio sunt conflata; aquilarum plumæ dicuntur deterrere alias cæterarum avium.

7. Mira sanè est in rebus naturalibus vis, antipathiæ, & sympathiæ, quâ res, vel amore junguntur, vel perpetuis dissident odijs. Torpedo manum dicitur stupefacere piscatoris. Ab Echeneide sisti ingentes naves in medio mari etiam obversante ventorum impetu: refert Plinius in Naumachia Actiaca Antonij Prætoriam navim à Semipedali Echeneide fuisse detentam, & supervenienti Cæsari unà cum palma veluti in manus consignatam.

Lib. 32. cap.

8. An verò majus prodigium ab uno pisciculo carinam subeunte ingens sisti navigium Caij Caligulæ quadringentis remigibus contra semipedalem pisciculum nil proficientibus; quàm ad immanis Balænæ conspectum trepidare, haud facilis decisio. Quid? quòd ipsæ Balænæ, seu immania Cete minimi cujusdam pisciculi præsidio, doctúque utantur. Pisciculus est (ait Plutarchus *libro utrum terrestria prudentiora sint aquatilibus.*) quem musculum vocant, magnitudine, ac forma Gobij. Piscis est albo colore, prælongo capite, angustâ caudâ. Hunc an natura Balænæ Ducem dederit; an quadam amicitia ductus piscis ultro Cetos antegrediatur, adhuc anceps, ac sub judice lis: certè piscis nunquam à ceto separatus meare cernitur; sed ejus caput antegrediens quasi Temo, & dux ejus existit: cuncta illi providet, & præsentit, caudæque extremo præmonstrat singula, tum declinanda, tum persequenda, sic cibatum ei conciliat, insidiásque à Piscatoribus positas signo quodam suo ostendit, & ubi occurrunt Brevia, ne propter molem corporis in illis hæreat tempestivè præsignificat, ut aliò meatum dirigere valeat, ac periculum declinare. Huc videtur allusisse S. Job, cum dixit: *Ecce Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis:* ait Pineda, *conjectura mihi est, Jobum respicere admirabilem illam pisciculorum naturam, qui proximi Cetis enavigant, & Balænarum duces sunt; mutua amicitia fœdera inter parvum pisciculum, & maximum gigantem conciliante natura.* Cap. 26.

9. Pleraque alia antipathiæ, & sympathiæ signa produnt res naturales, quæ mutuis amoribus copulantur, vel odijs sejunguntur. Ex citharis binis prorsùs unisonis, si fides unius pulsetur, respondet in altera similis chorda æquè unisona. Phalangij morsu vulneratus enecto phalangio statim convalescit. Ignis diffitus naphtam inflammat. Cervus solo halitu serpentes dicitur è cavernis extrahere. Brassica cum ruta jugem habet inimicitiam. Platani folia vespertiliones abigunt. Herba Eryngæ totum sistit gregem, quoties ovis prima illam deglutit. Lupus solo visu raucedinem inducit. Buffo hiante ore ad se se mustellam, licèt reluctantem trahit. Magnes ferro nititur copulari, quod ad se trahit.

Causæ odij humani, quibus solent homines se se odisse (de hoc enim solo odio agere præsentis est instituti) plures solent recenseri: præcipuæ ab Aristotele tres enumerantur, eò quia ex ijs frequentiùs homines odium in se excitent, & foveant; Suntque Ira, Detractio, Incommodum: siquidem ex prævia irarum flammâ concipitur odiom, quod diuturnitate temporis concrescit in morbum lethalem, qui difficulter curationem sustinet. Si quis detrahat famæ, Gloriæ, honori tuo, non erit is tibi benevolus, à quo graviter læderis; hinc odium in te excitabis, cum sis memor injuriæ tibi irrogatæ, nisi hanc charitate extinguas, & oblivione deleas. 10.

Ca-

11. Calumnia, seu falsi criminis impositio fomes est odiorum; cum quisque proprio enixim studeat honori, ægrè patiuntur homines, se adversis linguæ telis impeti, & si non sanguinis effusione, nominis denigratione fœdari. Omnis siquidem calumnia mentitur, fallit, & authorem habet mendacium, ac fucum, quò alterius splendor, vel extinguitur, vel imminuitur. Plus mali plerumque viro forti irrogatur in foro per calumnias, quàm per hostes in castris, & bello; & plerisque injuria major facta est propter aurium infirmitatem, quàm inimicorum insidias: vitanda est in omni consuetudine detractio, & quidquid illam redolet, cum fœcunda sit odiorum parens, & ipsi detractores, ut ait Apostolus *ad Rom. 1.* sint Deo odibiles. Tu si sapis ostia obducito, feras oti, linguæ frœna immitte; si detrahant alij proximo; tu aliò sermonem verte. Quòd si inurbanum tibi visum fuerit, majorum sermones tanquam injectâ novaculâ secare; saltem silentio linguam preme; rogaris sententiam promere aspera mollioribus lenire stude, absinthium favo tempera; vide, an aliquid habeat laudandum, qui damnatur, & pro damnandis laudanda suggere. Mirum quantum hæ laudes ad odia extinguenda, & amorem conciliandum valeant. Quid? quod etiam ipsi damnantes laudent secum taciti, ac mirentur, & amare fortiùs incipiant, quem noverint hostis sui laudatorem.

12. Tertia odij causa est incommodum, quod quis sentit in bonis, vel animæ, vel corporis; quòd si damnum bonis itidem fortunæ accesserit, acriùs riget odium adversus eos, qui damna hæc intulêre. Hi siquidem acriùs oderunt; qui è pinguiori fortuna dejecti exilia, corporis mutilationes fuerunt experti, & structas nomini, & honori ab alijs noverunt insidias. Hi præconteptum difficulter deponunt odium; neque conquiescunt, donec, qui intulit, injurias resarciat.

13. Bilingues odijs extitandis, fovendisque aptam suppeditant materiam; nil enim indignius, quàm aliud clausum pectore, & aliud lingua promere. Hos magoetes dixeris odiorum, quos propterea magnates præsertim in aulis Principum adversentur. Simulatio diu nunquam proficit, ipsa sibi larvam detrahit, séque prodit, stibio illitam, fucóque obductam. Tegi verborum purpurisso, perinde ac ignis sopiri cineribus, veritas potest; verùm eò erumpet fortiùs, quò fuerat densiùs contecta. Nil solidi fraudes habent, earum structura fluctibus quasi innitens promptiùs ad ima deprimitur, quàm ad altiora surgat; eisque idem obtingit, quod Gomorrhæis pomis, quæ licèt extimo in cortice speciem referrent maturitatis, inanem intus fuliginem favillaceam claudebant, quæ levi pressa tactu fumum exhalaret, & in vagos cineres poma ipsa fatiscerent. Quàm bellè, quàm graphicè Gomorrhæa hæc poma bilingues delineant, extimis hi verbis amicè loquuntur, venusta, & dulcia exhibent, probitatem imitantur; aures demulcent; at si extimam hanc removeas superficiem; hostilia omnia intùs sæviunt, quæ eò acriora excitant odia, quò sub amicitiæ larvâ necem moliebantur; quia verè dixit ille: *Speciosa verbis, re inania, ac subdola, quantóque majore libertatis imagine tegebantur, tantò eruptura ad infensius servitium.* More aucupum dum ludunt, lædunt; dum canunt, falluut; dum alliciunt; illaqueunt. Ne aliena ad te odia trahas candorem indue, cordi respondeat lingua, nil sit in verbis fucatum; nilque calamistris inustum.

14. Generatim causa odij est cujusvis objecti disconvenientia exhibita appetitui; quâ ratione, quæ nobis disconveniunt, solemus odisse, cujusmodi sunt injuriæ, contemptus, detractiones, calumniæ, læsiones, offensæ, indignationes, suspiciones, fraudes, deceptiones, inimicitiæ, bonorum alterius usurpata possessio. Huic passioni plerumque obnoxij sunt ignavi, & timidi, ac suspiciosi. Sunt ignavi ad odium proni, ut etiam timidi, quia imminete undique sibi damnum metuunt, proinde adversantur, quotquot sunt potentiores ad ijsdem nocendum: quinimò hæc timiditas adeò in Principibus suspiciosis, quales fuerunt Caligula, & Nero, vecors extitit, ut in sævitiem humani sanguinis avidam, cupidámque degeneraverit. Accedit naturalis ratio, quia cum odium ex frigidis fit, ac siccis, ideo in hominibus ignavis, timidis, ac melancholicis invalescit, altiúsque radices agit; quòd si fervor accesserit sanguineus, acuitur ad acerbitatem.

15. Effectus odij plures solent itidem recenseri, quorum præcipuus est timor; quia præmisso recessu, seu aversione appetitûs à re aliqua, emanat timor causarum, quibus res illa potest inferri, si nondum cognoscatur illata: hic autem timor, si adnexam habeat ignaviam magis recrudescit; & si ignaviæ jungatur potestas, degenerat in sævitiem, ut in Caligula, & Nerone, aliísque ignavis Principibus; qui cum imbelles essent, ac meticulosi, ex odio in sævitiem acti plures hominum strages effecerunt propriæ crudelitatis argumenta. Alij effectus pedissequi hujus affectus sunt contemptus, subsannatio, excandescentia; rei invisæ delere memoriam, minas vibrare, questus edere, execrari, incendi, furere, ultorem optare, à concordia abhorrere, exprobrare comitatem, & alij id genus, qui miserè torquent eos elicientes, odióque habentes.

16. Remedia odij coërcendi desumuntur ex ejus causis, & effectibus, etenim si perpendatur causa odij, plerumque fit perspicuum, non esse in persona, quam odio habe-

habemus, sufficientem odij segetem. Quia verò ut plurimum causa odij est iojuria oobis illata; nuoc ad coërcendum odium præsentissimum remedium est, perpendere, esse proprium viri strenui, ac fortis injurias sibi irrogatas parvi pendere, & æquo animo tolerare; & præsertim viri Christiani ad imitationem sui capitis benefacere ijs, qui oderunt nos. D. Augustinus rectè admonet, quòd tametsi censeamus alicui personæ inesse causam, quâ debeamus eam odisse: caveodum tameo est, oe odiũ illud inordinatom fiat arcus dolosus, qui in oostram perniciẽ retorqueat sagittas, ait ipse: *Inimici homines qualescunque fuerint, non sunt odio habendi, ne cum odit malus, quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus, & quem patitur malum, ut vel unus sit malus.* Quia verò plerumque causa odij est cupiditas, diluitur odium, si cupiditas coërceatur: si spes aliquid ab inimico adipiscendi tollatur: si aliarum rerum majoris momenti, curâ, & solicitudine detineamur. Si quæ alij contra nos dixerint, ut ea in meliorem partem assuescamus interpretari. Demum sublatis causis, quibus odium concitatur, ipsum qooque aboletor.

Concio 3. in Psal. 30.

§. II.

Odij excitandi in improborum scelera, pleráque exhibentur adminicula, quibus odium lacessitur in Judam proditorem; & Herodem permittentem amputari caput Joannis Baptistæ, ob jusjurandum.

17. Faciliùs odium excitatur, quàm semel excitatum extinguatur: flammam hujusmodi affectus imitatur, quæ unâ, vel alterâ scintillulâ injectâ in dispositam materiam facilè concipitur; sed excitata difficulter restinguitur; præsertim si flamma diu irrepserit, ac iucremeotum subjerit. Id datur vitio naturæ corruptæ, ut homines prouiores sint ad odia; quæ ubi animo insederint, fortiùs eidem inhærent. Excitatur odium contrarijs causis, quibus amor cietur; ut si ostendatur aliquid fuisse ab adversario factum superbè, temerè, malitiosè, flagitiosè à persona vili, sæva, illiberali, arrogante; idque proditoriè, iniquissimis consilijs, avaritiæ, vel alterius vitij causâ.

18. Ab hisce adjunctis excitatur odium in Judam proditorem, qui cum laternis, & fustibus profectus Christum comprehendere, osculo satellititibus magistrum indicavit, & trigiota argenteis sacrilego pretio vendidit. Ita ne Mercator pessime exiguo argeoto venalem eum efficis, qui pretio carens, pretium auro, argento, gemmísque dedit? Ita oe qui thesauros continet omnium divitiarum; & à quo pereuni fluxu scaturit, quidquid nitoris splendet in gemmis, quidquid pretiosi fulget in auro, quidquid nobilis lucet in cæteris rebus, vile fiet pretium proditoris? Quàm cæcus, quàm demens es, cum thesaurum omnium divitiarum perdas, paucos lucraturus argenteos. Tuam cæcitatem produnt laternæ, & faces, quas solem quæsiturus accendis, & accedis sacrilegus ad Magistrum Redemptorem, ut inventum perdas: credidissem te tartareum vespertilionem exitialibos noctis umbris associandum; sed accensæ faces quartam Erebi Furiam re manifestant. Ne tibi com Furijs illigato tædæ deessent faces accendisti, non ut mundi lucem augeres; sed ut sacrilegè extingueres. Fictis siquidem subdolæ salutationis officijs, & osculo iu vitæ authoris perniciem temperato proditor infamis omnia perturbâsti; amoris arma, quibus abusus fuisti, tunc odij symbola effecisti, cum venenum in osculo propinâsti: quippe ad hanc perfidiæ tesseram veluti ad ferale classicum se tota vesana cohors effudit in furias; no centésque manus in caput innocentissimum sacrilego ausu injecit. Sitisti argentum nequissimè Juda, cum osculum in curia fœnerâsti laqueo mox redimendum; sed stygiam ebibes paludem, hauriésque Cocythi stagna. O facinus ab ipsa inhumanitate barbarum; in castris amoris bellum indixisti authori pacis, & velitatione pugnæ præludens, amoris jaculo pacis nomen, & omen gentibus omnibus commune transfixisti. Ore sacrilego Dominum osculo perdidisti, & inspirastu in faciem vitæ spiraculum mortis.

An fuit hoc vices ie rependere, qui iu faciem hominis inspiravit spiraculum vitæ? O impium bellum à diabolica excogitatum neqoitia, & à fordidissima avaritia, dolosè, & arroganter indictum! à signo pacis exorsus insidas hominum amicitias prodidisti, com Magistrum osculo proderes: & ubi non erunt timenda pericula, si mors in osculis later? cui voluptas erat pro omnibus mori, mortem amplectitur osculo, licèt ex ore prodeunte Avernali. Sed tu sacrilege Juda, Mercatorum pessime, virorum nequissime, venditor divinitatis, emptor suspendij, apage te ad umbras tartareas; indignus es lucis usu, qui osculi abusu lucem mundi extinxisti: amoris syngraphâ sacrilegæ proditionis instituisti mercaturam, quâ lucrareris pretium, unde Charontis cymbam ad traijciendum Cocytum solveres. I pessum mercator perditissimè; I pessum, ad umbras detrudendus Tartareas. 19.

D. Joannes Chrysostomus odium excitaturus in jusjurandum eloquentia planè aurea, Joannis Baptistæ amputatum ab Herode caput adhuc recenti sanguine madidum in orationis producit imagine, manibus fermè palpandum, domúmque asportandum. Cui vocem hanc ei tribuit, *Me jusjurandum interfecit, odio habete interfectorem meum;* ait Aureus Antistes. Antea vos 20.

Homil 14. pag. 171.

ros rogavi, ut Joannis caput abscissum adhuc calido distillans sanguine lumentes, sic domum suam quisque cedeatis, & puteris ante oculos habere ipsum, vocem emittentem, & dicentem. Odio habete jugulatorem meum, scilicet Juramentum. Quod increpatio non fecit, hoc fecit juramentum: quod ira non potuit tyrannica, hoc perjurii necessitas effecit. Et quando nempe omnibus publicè audientibus, arguebatur, increpationem generosè tulit Tyrannus; cum verò se in juramentorum necessitatem adegit, tunc illud beatum caput abscidit. Hoc igitur nunc peto, & petere non desistam, ut quocunque abjerimus, hoc gestantes caput habeamus, & omnibus clamans ostendamus, & juramenta condemnans. Quamvis namque valde simus ignavi, & negligentes, capitis illius oculos intuiti terribilitec nos cespicientis, & minantis jurantibus, ficeno omni vehementiùs pec timorem hujusmodi repressi, cohibere, & avertere facilè poterimus linguam à jucandi præcipitio. Hactenus D. Chrysostomus.

21. Demum ad concitandum odium proderit ad animos jam suspicionibus exulceratos, non modicè inflexos accedere. Materia siquidem jam disposita promptiùs formam suscipit inducendam; ita in animo jam disposito ad mutum aliquem ciendum, si uberior accesserit fluxus, acrior succenditur flamma. Hinc Marcus Tullius in accusatoribus Deiotari animadvertit, eos ad exulceratas Cæsaris aures accessisse, & eam propterea accersionem excitâsse contra Deiotarum; ut Cæsar in oppositam partem vix disertissimi Oratoris facundia flecti potuerit. Persona quæ damnum intulit, vel injuriam àrcogavic repræsentanda erit sub specie quadam indigna, crudeli, funesta, prout res patitur. Secus innocentia personæ læsæ eric exprimenda, & cum improbitate lædentis conferenda. Injuria itidem irrogata per graves hypotyposes erit oculis subjicienda, & sublimioribus figuris repræsentanda, cujusmodi sunt exclamatio, apostrophe, prosopopæia, & aliæ id genus: in quibus tamen curandum est, ut Orator decorum personæ retineat, nec ipse fignrâ, & actione intemperanter utatur, ne risum potiùs, quàm alium moveat affectum. Si suspicio irrepserit animi privato odio iniquiùs affecti; tunc orator lentè, ac cemisse progrediatur, simplici utatur rei narratione, à motibus abstineat vehementioribus, ne privati odii adaugeat suspicionem.

§. III.

Odium furiosè sævit, & sævè furit, strages, cladésque ubique spargit ni coërceatur.

22. Viri præpotentis manum, quia timor carò arcet, frequenter odium ad strages, necésque exacuit; Tametsi plura sint, quæ hominem in hominis instigant perniciem, invidia, metus, contemptus, ira, audacia, spes, desiderium, & odium; ex hisce tamen postremum quod recensuimus reliquis sævius furit; sitque pcoptecea odium virus pacis, venenum humanæ societatis, salutio fœderis, fœtus Erebi, partus furiarum, nutrix dissidiorum, radix discordiarum, putidus fons scelerum, lethalis lues flagitiorum, sævus parricida charitatis, alvearium fellis, schola maleficentiæ, gymnasium conviciorum, officina ærumnarum, fomes delictorum, ac elenchus malorum omnium; quia commune illud benevolentiæ vinculum, quod rerum omnium Sator, & conditor Deus plucibus sategit firmare modis, nititur fœdè discindere.

Lædit odium eam rerum harmonicam suavitatem, quâ singulæ fœdere colligantur amoris, ut firmiùs, perenniúsque subsistant, paratæ potiùs sinere à propriis, nativisque se divelli sedibus, quàm dissociari: etenim licèt elementa æmulis ferantur incursibus, quia tamen se diligunt; ne sibi noceant in remota recedunt; jurique cedunt proprio rixas declinatura; libentiúsque fugiunt, quàm pugnas ineant, ac per mutua dissidia detrimentum alteri adferant. Ignis cæterorum acerrimus, ne rixetur, ne pugnet, ultrò exulat, fugitque fere nostri orbis confinia, ne vicina vi adurendi quidquam adferat nocumenti, sed dissitâ foveat, quæ virent in sylvis, florent in pratis, germinant in campis. Terra cæteris depressior elementis sedem occupat humillimam, cedítque libenter aëri, & aquæ loci præeminentiam, ut imperturbatum relinquat æthera. Aqua prona jugiter est propria decedere sua de sede, ac cedere, ut colles, montésque cœlo exhibeat conspicuos. 23.

Quinimò natura ipsa arcano quodam amoris vinculo videtur omnia simol colligâsse, unóque complexu etiam sibi adversantia in unum coëgisse harmonicum organum; & dispares invicem naturas sensim aptâsse, ut unum essent omnia, & inter se cognatione quadam teneantur; non enim solùm in singulis speciebus omnia junxit individua, locisque suis uno copulavit fœdere, veluti stellarum choreas in cœlo, ercantium planetarum nitores in æthere, volucrum examina in aere, armenta boum in campis, pecudum greges in montibus, turmas ferarum in sylvis: verùm etiam omnia, quæ ubique sunt, aptè inter se composuit: ut enim eleganter edisserit Nemesius, perinde ac in unoquoque animali, quæ sensu carent, os, adipem, pilos, aliàque id generis, cum iis quæ sensu vigent, nervis, carnibus, aliisque similibus conjunxit; & ex his utrisque animal conflavit, & in unum quid sibi consentiens harmonicè coëgit; ita in cebus reliquis cujuscunque sint speciei, effecit, ut singulæ partes tametsi discrepantes unà amicè copularentur, & amoris vinculo colligarentur. 24. Lib. de homine c. 2.

tur. Quin imò ut notat Athenagoras ipsa Elementa quamvis inter se se contraria, adhuc invicem consœderantur, & concordem tenent harmoniam; ignem enim frigido, & siccum humido commixtum cernimus, nec sibi invicem resistere, sed unum quasi corpus absolvere; quod licèt ex contrariis, dissimilibúsque coalescat naturis, parem tamen similémque ordinem ex illis tenet. Verùm sacer hic nexus, quò omnia dulci confœderantur amplexu fœdè rumpit, dissoluítque odium, quod sanctum violat pacis fœdus; eúmque extinguit amorem, qui ex justitia debetur proximo, cui nonnisi perniciem molitur.

Odio cum primùm cœpit Abimelechus fratres prosequi, & aversari, quæ occulta bella, quibus eos perderet, non intentavit? Fuerat inter filios Gedeonis Abimelechus è matre Sichimitide genitus, seu ex uxore inferioris conditionis, quæ causa fuit, cur cæteris fratribus posthaberetur; idque ferale, ac exitiale in Abimelecho odium excitavit contra fratres. Justis enim persolutis patri exuto mortalitate, simulavit pietatis, & officii causâ domum invisere maternam, ac proficisci Sichimam principem Ephrææ Tribus urbem, quò cum appulisset, conceptum regni aggrediendi molimen nefariis explicuit viris, cædisque fraternæ impium desiderium, ob odium, quô fratres ad internecionem prosequebatur: cruenti facinoris adjutores se exhibuerunt materni sanguinis propinqui homines facinorosi; quorum consilio, & operâ depromitur pecunia ex fano Baalis ad milites conducendos, ac exercitum construendum; illecti militari stipendio, speque prædandi, expiscandique in turbido lurcones, nebulones, sycophantæ, obærati, ac ejusdem furfuris viri nequam, qui ob patrata flagitia patriis expulsi terris ad incerta fortunæ extorres vagabantur, Abimelecho eò libentiùs adhæserunt, quò ad meliorem sperarent fortunam posse perduci; instructo ex hac hominum fœce exercitu è Sichimis Ephram versus Abimelechus movit, captâque primo impetu urbe, minus tunc, quàm bella cogitante, in domum accellerato passu irrupit paternam, fratrésque comprehendit; & exceptô uno Joathamo, quem latebræ ita disponente Numinis providentiâ imminenti subtraxerant discrimini, omnes ferreis devincit catenis, detrudítque in carcerem; & altera die productos in forum dicere causam ex vinculis adigit, iis potissimum accusatos criminibus, quæ Sichimis nuper in eos per calumniam congesserat; scilicet Jerobaalis, seu vastatoris *Beli* filios, fratrésque suos, in simulacrorum excidium tota mente, ac viribus incubuisse: cúmque inermes odio non possent armato obsistere, neque ab aliis hostilitate perterritis defenderentur, capitis damnantur omnes; diéque statuto trahuntur ad supplicium, nimirum à fratre, ò crudele spectaculum! septuaginta fratres: supplicio locus deligitur, scopulus urbis Ephræ publicus, in summo plus latitudinis habens, quàm fastigii. Feriuntur securi post alium alius ea in urbe, quæ patri Præturæ sedes, ac patria fuerat, ut tantò uberius subiret ignominia incrementum dedecoris; quantò filiorum Gedeonis nota singulis erat nobilitas, decúsque paternum: *occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros super lapidem unum, remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, & absconditus est,* (Judic. c.9.) non sine tamen speciali Numinis cura, ut omnium fratrum imbecillimus, ac minimus odium evaderet potentioris: hinc Hugo Cardinalis censet æquè mirum Joatham fraternam iram frustrâsse, ac Davidem supremum in Israele conscendisse dignitatis fastigium: *Minimus* ait Hugo, *& absconditus; & David minimus inter fratres suos inunctus est in regem.*

16. Adeo est difficile odium evadere invidentis & odientis, ut Numinis detur miraculo: Davidem nonnisi speciali, ac mira Dei providentia invenimus regem inauguratum, & manu electum prophetica; tametsi tota in ipso floreret virtutum verna temperies; earúmque culturâ, & studio se omnibus exhibuisset commendabilem; adhuc cum ovium greges aperto ageret sub dio, eò videbatur à rege distare, quò à grege nondum abscedere didicerat. Deus verò virtutum remunerator, quem pastorem gregi dederat, regem Israeli destinavit, ut qui pascendis ovibus assueverat, regendis populis incumberet. Samuelem Deus delegerat ad Israelis inungendum regem: uno excepto Davide reliquos filios duxerat Pater ad Prophetam, ut quem mallet ex ipsis regem ungeret; verùm quamvis Propheta uncturus sibi à Patre oblatum filium cornu invergeret propriæ oblitum oleum naturæ, fluxus liquor perinde vasi adhæsit, ac si fluere ampliùs nesciret; nimirum fluere oleum recusavit expectaturum, quem Deus elegerat; majores natu repudiavit, ut natu minimus majoribus imperaret, & quem natalia postremum effecerant, Dei beneficentia primùm ad thronum erigeret: demiratur Samuel inobedientiam olei, rogat num alius supersit filius; cui Pater reposuit remanere Davidem natu minimum ad custodiam gregis: *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves;* (1.Reg.16. v.11.) jubet Propheta eum ad se adduci, & inverso cornu fluit oleum, ejúsque verticem oblinit, & præ omnibus eum asserit à Deo electum. In hac Davidis inauguratione in regem miraculum intercessisse ex inobedientia olei conjicit Basilius Seleuciensis inquiens: *cornu invergens rejectaneum, ut ungeret, cogebat; sed oleum fluere recusabat,* (Orat. 40) nimirum supra consuetas naturæ leges fluere dedidicit oleum, donec de Davide eligendo Numinis confirmaret sententiam: inaugurationi igitur Davidis in regem, Joathami evasionem ab odio indignantis Abimelechi, regnique

cupi-

cupientis exæquat Hugo Cardinalis; quia sicut præter rerum humanarum obtigit ordinem, ut David omni destitutus patrono, quamvis virtutum munitus patrocinio supremum dignitatis occupâsset fastigium; ita virtuti datur vires naturæ excedenti Joatham natu minimum delituisse, fratrisque regnum ambientis odium neque evasisse exitiale; adeo sævit odium, ut neque fraterno parcat sanguini, detúrque speciali Numinis providentiæ ferali ab hoc affectu non dilaniari: neque Abimelechi sævitiem compescere à fundendo fratrum cruore valuit benefici Numinis memoria, cujus ope Gedeon eorum genitor gentem universam in pristinam asseruerat libertatem: neque ipsius Patris Gedeonis gratissima recordario, cujus tuba, gladius, victoria, triumphus, ac diuturna quadraginta annorum prætura commodis omnibus Israelem cumulaverat.

27. Neque fraterni cruoris effusio odium valuit Abimelechi extinguere, quinimò veluti ex modica aqua in ignem injecta incrementum subiit: inauguratus siquidem Rex, veriùs tamen tyrannus post fraternam cædem, exorta seditione civium odio tyranni armis se munientium, cruentus instituitur conflictus, quo cæduntur, cadúntque enecti magna strage conjurati Duce Gaale; acriúsque furit odium in Abimelecho, qui urbem oppugnat, fraudéque Zebulis urbis præfecti captam ferro, flammáque evertit, incenditque, omnésque incolas nullo sexus, ætatisque discrimine trucidat, salémque per omnes passim urbis ruinas spargit, ut Sichimæ eversæ fundus probro laboraret sterilitatis, & culturam negaret, vel ipsi aratro. Confugerat ingens virorum multitudo in arcem muris validioribus circumseptam, altisque præmunitam turribus, cui Abimelechus acriori furens odio frondium, ramorúmque congestis acervis circum in orbem positis subdere ipse faces cæpit, regisque exemplo reliqui flammas accendere nixi sunt; humidâ illâ frondium, humescentiúmque ramorum materiâ flammas detrectante concipere; eo tamen spissiorem, copiosioremq; fumum evoluente, quò ventorum vi, flatúque urgentiori validius convaluit incendium, quod arcem absumpsit; & Sichimitæ promeritas Deo, & Gedeoni dedêre pœnas, quas & ipse Abimelechus sui in fratres odii pedissequas subivit; exacto inde triennio Theben oppidum Sichimitarum fugientium receptaculum cum expugnâsset, diripuissétque; plures obsessorum in turrim sitam in urbis meditullio se receperant, quam bellicis instrumentis, armisque missilibus oppugnatores nitebantur arcere; pugnabatur utrinque telis, jaculisque per catapultas adactis, saxisque in oppugnantes devolutis, & excussis; aquâ, glareáque fervente ab obsessis injectâ in muros conscendentes.

28. Fervebat æstus certaminis; cumque Abimelechus odio, furoréque percitus omnes turris capiendæ aditus quæreret; propiúsque portæ arcis succendendæ accederet, jamque aggestis virgultis facem subdere conaretur, mulier è turris fenestra lapideum molæ fragmen dejicit, & Abimelechum succendentem artibus suis incendiariis turris portam cranio confracto extinguit, interimit; cum enim in humum prostratus vidisset cerebrum mistum sanguine difluere, ne cædis gloria manui tribueretur muliebri, diceretúrque Abimelechus à muliere interfectus, uni præcepit ex armigeris suis, ut inflicto vulnere mortem à fœmina inchoatam perficeret & absolveret; jussui obsequutus armiger lethale inflixit vulnus, ex quo fœdam animam Abimelechus evomuit in orcum. Meritas nimirum dedit pœnas, dum sic cecidit, qui odio percitus noluit fratres suos stetisse, ut sederet ipse in throno: malis artibus parta, malè dilabuntur.

29. Ab uno in fratres odio quot in Abimelecho prodiere scelera? quot clades, necésque hominum in regni perniciem derivârunt? æmulatio indignationem, indignatio odium peperit, & odium funestas ubique sparsit hominum strages, urbium excidia, regnique totius eversionem; fraternum in Abimelecho odium furorem excitavit, simulationem pietatis, fallacias, threnas, criminationes, ambitionem, mendacia, sævitiem, sitimque fraterni sanguinis; imò & cœli induxit oblivionem, Numinis contemptum, fluxarum rerum ardens desiderium; quódque deteriùs etiam vanis simulacris profanum cultum: sed tot propudiis subactus cum non erubesceret, rubere adactus fuit proprio sanguine, & pertinaciam sceleris, quam recta ratio flectere non valuit, neque emollire, prædurus lapis è manu dejectus fœminea fregit; nimirum saxum quod olim in commodum urbis fruges triverat in molendino; nunc utilius hominem nulli frugi obtrivit; seu lapis talionem rependit; septuaginta viros super lapidem unum interfecerat Abimelechus, eamdem dedit & ipse in lapide pœnam; nec tam mulieris, quàm divinæ justitiæ fuit manus, quæ lapidem dejecit, quo caput contereretur Abimelechi; cecidit lapide, qui lapidibus aras falsis erexerat numinibus; odii ambitiosi genium mundo exhibuit Abimelechus, quia præceps, audax, crudelis, novitatum amans, antiquam, verámque exosus religionem, virtutem sceleri prætexens, ac in proprium sæviens sanguinem; sed sanguinem, quem sitivit, hausitque, fœdè evomuit; multos enim necesse est timeat, quem multi, ut vulgata fert parœmia, timent; non evasit muliebrem manum; qui urbes evertit, ac regna sibi subjecit.

30. Removendus animus est ab omni odio, ac improbâ æmulatione; ex virtutum cultura, bonarúmque artium studio, ut etiam ex congestis divitiis, possessis honoribus, ac dignitatibus solet æmulatio oriri, quam æqua-

æqualitas, vel inæqualitas alit; exardescit inde invidia, exsurgit livor, ignescit ita, cujus fœtus ferale est odium; quod nonnisi cruentas clades molitur; & plerunque ex domestica consuetudine, ex amica societate, fraternóque consortio oriuntur odia eò acerbiora, quò ab amore deflexerunt: ex eodem flore dulcem exugit in mellificium apis liquorem; cum api depulsæ si araneus succedat venenum ebibat; in eadem familia ob sanguinis necessitudinem dulcis solet inter conjunctos amor foveri, ac mellificium sapidæ conversationis construi; sin verò apes ob præconcepta odia in scarabeos degenerârint, non nisi lethale spargitur virus. Plerunque è sanguinis arctiore propinquitate vehementiora oriuntur odia, quàm sint quæ ex alieno excitantur; cum vix ulla sopiantur arte, nec ullo restinguantur flumine nisi sanguinis, quo deleantur homines; sed quid? quòd inter eos, quos arctiùs sanguinis necessitudo conjungit perniciosiora excitentur odiorum incendia? Id sanè ex eo provenit, quia quò amor est defœcatior, ac intensior, si exasperetur, in lethale degenerat odium; ut etiam summa mititas, si exacerbetur in ferociam transit, Pantheræ crudelitati supparem: & quamvis tardè hæc obtingant, gradúque veniant testudineo, sylvarum tamen more flammas concipiunt, quæ quò tardiùs diflagrant, eò acriùs intenduntur, & accenduntur: quos ad iram lentos deprehendimus, semel iratos experimur acerbissimos: tenaciùs hærent, altiúsque imprimuntur, quæ diuturno parantur labore.

§ IV:

Odium ex invidentia præsertim ortum, plerunque argumentum est laudis, testimonium innocentiæ, & indicium excellentioris virtutis.

31. TAmetsi plura sint, quæ odium excitant, foventque; nil tamen promptiùs, aptiúsque, quàm dignitates, quibus nobis etiam suppares insigniuntur; vel pinguior fortuna, ad quam promoventur; vel congestæ opes, quibus opulentiùs ditescunt. Tametsi mutuam fratres benevolentiam foveant, si tamen uni præsertim natu minori pinguior arriserit fortuna, vel principis favor, aut dignitas, vel honor aliquis accesserit, invidia in altero excitatur, cujus fœtus plerunque est odium; & qui mutuâ fovebantur benevolentiâ odiis incipiunt dissidere lethalibus; nubésque in aëre pendulas imitantur, quæ licèt molles aquas, rorémque terris instillent, ut primùm tamen cœperint inter se se collidi, flammas, ignésque evomunt, fulmina ejaculantur, & nonnisi strages spargunt; nimirum adolescunt inter roscidos imbres flammæ; rorisque, ac fulminis eædem sunt cunæ.

Ab eodm utero prognati primi duo fratres Abel, & Cainus; licèt sanguinis necessitudine arctissimè juncti, quia tamen Abelis victimæ supra illas Caini Numini placuerunt, invidia cæpit Caini viscera torquere. Gloriabatur hic specioso primogeniti titulo, futili tamen, ac inani, si virtute destituatur, eóque fiebat insolens, quò nonnisi animi cupidinibus indulgeret; contumax ad parentum monita erat ejus ingenium, asperum, querulum, fallere edoctum; mores agrestes, asperi, corrupti, ad vitia quæque proni; affectus mali, qui pravum in Abelem fratrem foverent odium: è converso erat Abeli indoles ab incunabulis comis, placida, mansueta, placabilis; & candorem, quem cum lacte suxit, incorruptum in moribus servavit; religione in Numen; reverentiâ, & pietate in parentes; observantiâ in fratrem plurimum fuit commendabilis: quoties per oblatas victimas rerum conditori supplicavit; quidquid pinguioris in gregibus, & optimi in frugibus possideret alacri animo, ac paratissimo corde offerebat: cum Cainus perfunctorius in cultu Numinis non nisi deteriora soleret Deo dicare, sapidioribus, ac delicatioribus in proprias servatis delicias: cumque utriusque fratris discretus esset in Numen cultus, discreta quoque fuerunt & præmia; perpluit enim divinus favor in Abelis victimas immolatas, quas, priusquam hominis manus ignem subderet, flamma de summo cœlo delapsa absumpsit; verùm ignis, quo Abelis victimæ cinerescere didicerunt; invidiam accendit in Caino, qui propterea lapsus in fraternæ felicitatis clandestinam detestationem, odiúmque lethale, nil jam animo volvebat, quàm vindictam fraterna cæde consummandam; vultûs tristitiâ, frontis dejectione, oculorum torvitate internum prodebat livorem, odiúmque, quo in fratrem contabesceret; cædémque ut certiùs construeret sceleri amicitiam prætexens; Abelem nihil suspicantem noxii in agrum pertraxit; cúmque spatiatum irent, variósque invicem miscerent sermones, & Cainus plura in Authorem naturæ criminaretur, legésque divinæ providentiæ insectaretur; & è converso Abel Divini Regiminis ordinem propugnâret, commendarétque ferventiùs; Cainus sceleris sui aggrediendi nactus ansam; & ratus occasionem sibi opportunè ex præconcepto odio obviâsse, rurale ligneum instrumentum ferro fortassis præfixum toto brachiorum impetu in caput demittit Abelis, & iterum in pectus, donec géminatis ictibus frater animam ageret, vitámque clauderet, quam mundo aperverat; & licèt tellus cæsi corporis fluentem exceperit sanguinem, hic tamen terræ inhærens, clamore tacito ultricia feriebat sydera. Quàm atrox, quàm ferale est in mundo odium! causa fuit primi funeris, manúmque fraternam prima cæde cruentavit. 32.

Flamma

33. Flamma cælitus delapsa, ac depascens Abelis victimas livorem, æquè ac odium succendit in fratricidæ pectore, ubi tamdiu exarsit, donec effuso cruore unà cum propria siti vitam extingueret innocentis Abelis; in quem manus injecturus, animum à Deo summo bono avertit, fratrémque occidit, & Deum irritavit, mortémque primus in mundo invexit, à quo vitam fratris exclusit. Est igitur odium malorum omnium princeps, pravorum affectuum coriphæus, sæculorum venenum, virus vetustissimum; mortis genitor, cladium radix, dissidiorum fomentum, doloris initium, mortifer stimulus, mucro reconditus, telum lethale, feralis flamma cordis, ac ignis intestinorum; odium enim qui fovet non tam propriis malis, quàm alienis bonis infelix est; ejus siquidem pectus inundat felle; pallor sedet in ore, tremor in labiis, stridor in dentibus, macies in vultu, squalor in fronte, tetra cogitatio in mente; & quod est vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc idem animo odium; imò est orcus, in quo solus mœror stabulatur; ignis consummens, sed sine lumine; labor defatigans, sed sine quiete; pœna torquens, sed sine commiseratione: combussit Cainum ignis de cœlo demissus; sed onde debuisset scintillas concipere pietatis, flammam arripuit odii exitialis, & extremæ calamitatis.

34. Odiorum fomes æmulatio est, pinguiórque fortuna, si qua melior uni præ altero arriserit. Tametsi fratres ob sanguinis cognationem, morum similitudinem, mutuam soleant fovere benevolentiam; si tamen uni honor accesserit uberior, maximè juniori, quæ non metuenda statim oriuntur? fratres esse desinunt; & quos amor, & sanguis conjunxerant; odium, & invidia per noxia dissidia separant; æquari uno, eodémque utero, & non iisdem honoribus, ac dignitatibus omni cruciatu obtingit acerbius: hinc illa etiam inter fratres accenduntur odia, quæ nonnisi multi sanguinis effusione extinguuntur, neque cessant nisi alterius partis internecione. Adeo arctò amoris vinculo colligantur fratres, ut Nigidius *fratrem* interpretetur *ferè alterum*; & Salustius in Jugutha, amorem fratrum quovis alio præferat amore inquiens: *quis amicitior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris*; amorem conjugum; imò & parentum in filios videtur fraternus excedere, si Paraphernem consulimus, cui cum data optio fuisset à Dario rege, ut maritum, vel filium, vel fratrem sibi deligeret, tradendis reliquis extremo supplicio, fratrem sibi servari maluit referente Herodoto in Thalia, ubi inducit Paraphernem ita Darium alloquentem: *ô Rex, vir quidem mihi alius contingere potest, si ita Deo visum fuerit, & alij filij, si hos amiserim: sed cum mihi pater, & mater morte jam è vita discesserint, nulla ratione fieri potest, ut mihi frater alius nascatur.*

35. Altiùs etiam commendatur fraternus amor ex eo, quòd reciproca fratrum dilectio, ac domestica concordia Deo sit grata Eccles. 25. v. 1. *In tribus placitum est mihi, quæ sunt preclara coram Deo, & hominibus* loquitur Sapientia, ut ibi edisserit Rabbanus; quæ autem sint hæc tria, explicat eadem Sapientia, ulteriùs pergens: *concordia fratrum, amor proximorum; & vir, & mulier bene sibi consociantes.* De amore proximorum cum sermo instituitur, primarius locus amori datur fraterno, qui & præclarus dicitur coram Deo, & hominibus; quia præclara est domus illa, & felix, in qua fraterna viget dilectio; nil hoc amore jucundius, nil utilius, hinc Psaltes ait: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum;* Psalm. 132. quia omnibus redundat commodis, affluit deliciis, omnibúsque abundat jucunditatis illiciis domus illa, in qua fratres mutuæ dilectionis nexu obstringuntur, ac reciprocis se obsequiis prosequuntur; hinc Euthymius in præfatum *Psalm. 132.* ait: *sanè quid tam bonum, aut quid tam jucundum est, quàm ut fratres eodem habitent in loco, ac eisdem animis, summâ concordiâ, & consensu?* jucundum dicitur fraterni amoris vinculum, quia cum utilitate commercii jucunditatem secum trahit convivendi.

36. Imò ubi dilectio fratres conjungit, ibi domus arx fit expugnatu difficillima, quos enim fraternus amor invicem tuetur, hos nullus hostilis incursus potis est expugnare, ut enim ait Salomon Proverb. 18. *Frater qui adjuvat fratrem quasi civitas firma;* quia fratrum concordia invictam constituit familiam, ac veluti arcem propugnaculis munitissimam, quia ut explicat Cornelius ibid. *quod in una Urbe facit multitudo civium; hoc in familia facit unio, & amor intimus fratrum; quo fit, ut pauci fratres concordes multis civitatibus aquivaleant.* Ita est pro muro est domui fraternus amor, quia ubi fratres sunt concordes, ibi domus fit inexpugnabilis. Verùm si fraternus hic amor exasperetur, & in odium deficiat, corruit domus, & nonnisi cruentæ clades, feraléque strages protenduntur. An non præconceptum in Jacobi filiis contra Josephi innocentiam odium causa fuit, cur in cisternam demitteretur, ac priùs sepeliretur, quàm decederet? Josephus enim Jacobi filius ex Rachele natus à fratribus inter pascua per odium sævè opprimitur, ac Ismaelis institoribus illac fortuitò transeuntibus, perinde ac vile pecus venditur, à quibus in Ægyptum etiam abducitur cùm annum agerei ætatis septimum duntaxat supra decimum.

37. Causâ præconcepti odii non una fuit, sed multiplex, & præsertim, quia Ocellus erat patris sui Jacobi, cui præ cæteris erat in

æqualitas, vel inæqualitas alit; exardescit inde invidia, exsurgit livor, ignescit ira, cujus fœtus ferale est odium; quod nonnisi cruentas clades molitur; & plerumque ex domestica consuetudine, ex amica societate, fraternóque consortio oriuntur odia eò acerbiora, quò ab amore deflexerunt: ex eodem flore dulcem exugit in mellificium apis liquorem; cum api depulsæ si araneus succedat venenum ebibat; in eadem familia ob sanguinis necessitudinem dulcis solet inter conjunctos amor foveri, ac mellificium sapidæ conversationis construi; sin verò apes ob præconcepta odia in scarabeos degenerârint, non nisi lethale spargitur virus. Plerunque è sanguinis arctiore propinquitate vehementiora oriuntur odia, quàm sint quæ ex alieno excitantur; cum vix ulla sopiantur arte, nec ullo restinguantur flumine nisi sanguinis, quo deleantur homines; sed quid? quòd inter eos, quos arctiùs sanguinis necessitudo conjungit perniciosiora exciteutur odiorum incendia? Id sanè ex eo provenit, quia quò amor est defæcatior, ac intensior, si exasperetur, in lethale degenerat odium; ut etiam summa mititas, si exacerbetur in ferociam transit, Pantheræ crudelitati supparem: & quamvis tardè hæc obtingant, gradúque veniant testudineo, sylvarum tamen more flammas concipiunt, quæ quò tardiùs diflagrant, eò acriùs intenduntur, & accenduntur: quos ad iram lentos deprehendimus, semel iratos experimur acerbissimos: tenaciùs hærent, altiúsque imprimuntur, quæ diuturno parantur labore.

§. IV.

Odium ex invidentia præsertim ortum, plerunque argumentum est laudis, testimonium innocentiæ, & indicium excellentioris virtutis.

31. Tametsi plura sint, quæ odium excitant, fovéntque; nil tamen promptiùs, aptiúsque, quàm dignitates, quibus nobis etiam suppares insigniuntur; vel pinguior fortuna, ad quam promoventur; vel congestæ opes, quibus opulentiùs ditescunt. Tametsi mutuam fratres benevolentiam foveant, si tamen uni præsertim natu minori pinguior arriserit fortuna, vel principis favor, aut dignitas, vel honor aliquis accesserit, invidia in altero excitatur, cujus fœtus plerunque est odium; & qui mutuâ fovebantur benevolentiâ odiis incipiunt diffidere lethalibus; nubésque in aëre pendulas imitantur, quæ licèt molles aquas, rorémque terris instillent, ut primùm tamen cœperint inter se se collidi, flammas, ignésque evomunt, fulmina ejaculantur, & nonnisi strages spargunt; nimirum adolescunt inter roscidos imbres flammæ; rorisque, ac fulminis cædem sunt cunæ.

Ab eodem utero prognati primi duo fratres Abel, & Cainus; licèt sanguinis necessitudine arctissimè juncti, quia tamen Abelis victimæ supra illas Caini Numini placuerunt, invidia cœpit Caini viscera torquere. Gloriabatur hic specioso primogeniti titulo, futili tamen, ac inani, si virtute destituatur, eóque fiebat insolens, quò nonnisi animi cupidinibus indulgeret; contumax ad parentum monita erat ejus ingenium, asperum, querulum, fallere edoctum; mores agrestes, asperi, corrupti, ad vitia quæque proni; affectus mali, qui pravum in Abelem fratrem foverent odium: è converso erat Abeli indoles ab incunabulis comis, placida, mansueta, placabilis; & candorem, quem cum lacte suxit, incorruptum in moribus servavit; religione in Numen; reverentiâ, & pietate in parentes; observantiâ in fratrem plurimum fuit commendabilis: quoties per oblatas victimas rerum conditori supplicavit; quidquid pinguioris in gregibus, & optimi in frugibus possideret alacri animo, ac paratissimo corde offerebat: cum Cainus perfunctorius in cultu Numinis non nisi deteriora soleret Deo dicare, sapidioribus, ac delicatioribus in proprias servatis delicias: cumque utriusque fratris discretus esset in Numen cultus, discreta quoque fuerunt & præmia; perpluit enim divinus favor in Abelis victimas immolatas, quas, prinsquam hominis manus ignem subderet, flamma de summo cœlo delapsa absumpsit; verùm ignis, quo Abelis victimæ cinerescere didicerunt; invidiam accendit in Caino, qui propterea lapsus in fraternæ felicitatis clandestinam detestationem, odiúmque lethale, nil jam animo volvebat, quàm vindictam fraterna cæde consummandam; vultûs tristitiâ, frontis dejectione, oculorum torvitate internum prodebat livorem, odiúmque, quo in fratrem contabescere; cædémque ut certiùs construeret sceleri amicitiam prætexens; Abelem nihil suspicantem noxii in agrum pertraxit; cúmque spatiatum irent, variósque invicem miscerent sermones, & Cainus plura in Authorem naturæ criminaretur, legésque divinæ providentiæ insectaretur; & è converso Abel Divini Regiminis ordinem propugnâret, commendarétque ferventiùs; Cainus sceleris sui aggrediendi nactus ansam; & ratus occasionem sibi opportunè ex præconcepto odio obviâsse, rurale ligneum instrumentum ferro fortassis præfixum toto brachiorum impetu in caput demittit Abelis, & iterum in pectus, donec geminatis ictibus frater animam ageret, vitámque clauderet, quam mundo aperverat; & licèt tellus cæsi corporis fluentem exceperit sanguinem, hic tamen terræ inhærens, clamore tacito ultricia feriebat sydera. Quàm atrox, quàm ferale est in mundo odium! causa fuit primi funeris, manúmque fraternam prima cæde cruentavit. 32.

Flamma

33. Flamma cælitus delapsa, ac depascens Abelis victimas livorem, æquè ac odium succendit in fratricidæ pectore, ubi tamdiu exarsit, donec effuso cruore unà cum propria sibi vitam extingueret innocentis Abelis; in quem manus injecturus, animum à Deo summo bono avertit, fratrémque occidit, & Deum irritavit, mortémque primus in mundo invexit, à quo vitam fratris exclusit. Est igitur odium malorum omnium princeps, pravorum affectuum coriphæus, sæculorum venenum, virus vetustissimum; mortis genitor, cladium radix, dissidiorum fomentum, doloris initium, mortifer stimulus, mucro reconditus, telum lethale, feralis flamma cordis, ac ignis intestinorum; odium enim qui fovet non tam propriis malis, quàm alieuis bonis infelix est; ejus siquidem pectus inundat felle; pallor sedet in ore, tremor in labiis, stridor in dentibus, macies in vultu, squalor in fronte, tetra cogitatio in mente; & quod est vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc idem animo odium; imò est orcus, in quo solus mœror stabulatur; ignis consumens, sed sine lumine; labor defatigans, sed sine quiete; pœna torquens, sed sine commiseratione: combossit Cainum ignis de cœlo demissus; sed onde debuisset scintillas concipere pietatis, flammam arripuit odii exitialis, & extremæ calamitatis.

34. Odiorum fomes æmulatio est, pinguiórque fortuna, si qua melior uni præ altero arriserit. Tametsi fratres ob sanguinis cognationem, morum similitudinem, mutuam soleant fovere benevolentiam; si tamen uni honor accesserit uberior, maximè juniori, quæ non metuenda statim oriuntur? fratres esse desinunt; & quos amor, & langois con junxerant; odium, & invidia per noxia dissidia separant; æquari uno, eodémque utero, & non iisdem honoribus, ac dignitatibus omni cruciato obtingit acerbius: hinc illa etiam inter fratres accenduntur odia, quæ nonnisi multi sanguinis effusione extinguntur, neque cessant nisi alterius partis internecione. Adeo arctò amoris vinculo colligantor fratres, ut Nigidius *fratrem* interpretetur *ferè alterum*; & Salustius in Jogurtha, amorem fratrum quovis alio præferat amore inquiens: *quis amicitior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris*; amorem conjugum; imò & parentum in filios videtur fraternus excedere, si Paraphernem consulimus, cui cum data optio fuisset à Dario rege, ut maritum, vel filium, vel fratrem sibi deligeret, tradendis reliqois extremo supplicio, fratrem sibi servari maluit referente Herodoto in Thalia, ubi inducit Paraphernem ita Darium alloquentem: *ò Rex, vir quidem mihi alius contingere potest, si ita Deo visum fuerit, & alij filij, si hos amiserim: sed cum mihi pater, & mater morte jam è vita discesse-*

rint, nulla ratione fieri potest, ut mihi frater alius nascatur.

35. Altiùs etiam commendatur fraternus amor ex eo, quòd reciproca fratrum dilectio, ac domestica concordia Deo sit grata Eccles. 25. v. 1. *In tribus placitum est mihi, quæ sunt præclara coram Deo, & hominibus* loquitur Sapientia, ut ibi edisserit Rabbanus; quæ autem sint hæc tria, explicat eadem Sapientia, olteriùs pergens; *concordia fratrum, amor proximorum; & vir, & mulier bene sibi consociantes.* De amore proximorum cum sermo instituitur, primarius locus amori datur fraterno, qui & præclarus dicitur coram Deo, & hominibus; quia præclara est domus illa, & felix, in qua fraterna viget dilectio; oil hoc amore jucundius, nil utilius, hinc Psaltes ait: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum;* Psalm. 132. quia omnibus redundat commodis, affluit deliciis, omnibúsque abundat jucunditatis illiciis domus illa, in qua fratres mutuæ dilectionis nexu obstringuntur, ac reciprocis se obsequiis prosequontur; hinc Euthymius in præfatum *Psalm. 132.* ait: *sanè quid tam bonum, aut quid tam jucundum est, quàm ut fratres eodem habitent in loco, ac eisdem animis, summâ concordiâ, & consensu?* jucundum dicitur fraterni amoris vinculum, quia cum utilitate commercii jucunditatem secum trahit convivendi.

36. Imò ubi dilectio fratres conjungit, ibi domus arx fit expugnatu difficillima, quos enim fraternus amor invicem tuetur, hos nullus hostilis incursus potis est expugnare, ut enim ait Salomon Proverb. 18. *Frater qui adjuvat fratrem quasi civitas firma:* quia fratrum concordia invictam constituit familiam, ac veluti arcem propugnaculis munitissimam, quia ut explicat Cornelius ibid. *quod in una Urbe facit multitudo civium; hoc in familia facit unio, & amor intimus fratrum; quo fit, ut pauci fratres concordes multis civitatibus æquivaleant.* Ita est pro muro est domui fraternus amor, quia ubi fratres sunt concordes, ibi domus fit inexpugnabilis. Verùm si fraternus hic amor exasperetur, & in odium deficiat, corruit domus, & nonnisi cruentæ clades, feralésque strages protenduntur. An non præconceptum in Jacobi filiis contra Josephi innocentiam odium causa fuit, cur in cisternam demitteretur, ac priùs sepeliretur, quàm decederet? Josephus enim Jacobi filius ex Rachele natus à fratribus inter pascua per odium sævè opprimitur, ac Ismaelis institoribus illac fortuitò transeuntibus, perinde ac vile pecus venditur, à quibus in Ægyptum etiam abducitur cùm annum ageret ætatis septimum duntaxat supra decimum.

37. Causâ præconcepti odii non una fuit, sed multiplex, & præsertim, quia Ocellus erat patris sui Jacobi, cui præ cæteris erat in

æqualitas, vel inæqualitas alit; exardescit inde invidia, exsurgit livor, ignescit ira, cujus fœtus ferale est odium; quod nonnisi cruentas clades molitur; & plerunque ex domestica consuetudine, ex amica societate, fraternóque consortio oriuntur odia eò acerbiora, quò ab amore deflexerunt: ex eodem flore dulcem exugit in mellificium apis liquorem; cum api depulsæ si araneus succedat venenum ebibat; in eadem familia ob sanguinis necessitudinem dulcis solet inter conjunctos amor foveri, ac mellificium sapidæ conversationis construi; sin verò apes ob præconcepta odia in scarabeos degenerârint, non nisi lethale spargitur virus. Plerunque è sanguinis arctiore propinquitate vehementiora oriuntur odia, quàm sint quæ ex alieno excitantur; cum vix ulla sopiantur arte, nec ullo restinguantur flumine nisi sanguinis, quo deleantur homines; sed quid? quòd inter eos, quos arctiùs sanguinis necessitudo conjungit perniciosiora excitentur odiorum incendia? Id sanè ex eo provenit, quia quò amor est defœcatior, ac intensior, si exasperetur, in lethale degenerat odium; ut etiam summa mititas, si exacerbetur in ferociam transit, Pantheræ crudelitati supparem: & quamvis tardè hæc obtingant, gradúque veniant testudineo, sylvarum tamen more flammas concipiunt, quæ quò tardiùs deflagrant, eò acriùs intenduntur, & accenduntur: quos ad iram lentos deprehendimus, semel iratos experimur acerbissimos: tenaciùs hærent, altiúsque imprimuntur, quæ diuturno parantur labore.

§ IV:

Odium ex invidentia præsertim ortum, plerunque argumentum est laudis, testimonium innocentiæ, & indicium excellentioris virtutis.

31. TAmetsi plura sint, quæ odium excitant, fovéntque; nil tamen promptiùs, aptiúsque, quàm dignitates, quibus nobis etiam suppares insigniuntur; vel pinguior fortuna, ad quam promoventur; vel congestæ opes, quibus opulentiùs ditescunt. Tametsi mutuam fratres benevolentiam foveant, si tamen uni præsertim natu minori pinguior arriserit fortuna, vel principis favor, aut dignitas, vel honor aliquis accesserit, invidia in altero excitatur, cujus fœtus plerunque est odium; & qui mutuâ fovebantur benevolentiâ odiis incipiunt dissidere lethalibus; nubésque in aëre pendulas imitantur, quæ licèt molles aquas, rorémque terris instillent, ut primùm tamen cœperint inter se se collidi, flammas, ignésque evomunt, fulmina ejaculantur, & nonnisi strages spargunt; nimirum adolescunt inter roscidos imbres flammæ; rorisque, ac fulminis eædem sunt cunæ.

Ab eodm utero prognati primi duo fratres Abel, & Cainus; licèt sanguinis necessitudine arctissimè juncti, quia tamen Abelis victimæ supra illas Caini Numini placuerunt, invidia cæpit Caini viscera torquere. Gloriabatur hic specioso primogeniti titulo, futili tamen, ac inani, si virtute destituatur, eóque fiebat insolens, quò nonnisi animi cupidinibus indulgeret; contumax ad parentum monita erat ejus ingenium, asperum, querulum, fallere edoctum; mores agrestes, asperi, corrupti, ad vitia quæque proni; affectus mali, qui pravum in Abelem fratrem foverent odium: è converso erat Abeli indoles ab incunabulis comis, placida, mansueta, placabilis; & candorem, quem cum lacte suxit, incorruptum in moribus servavit; religione in Numen; reverentiâ, & pietate in parentes; observantiâ in fratrem plurimum fuit commendabilis: quoties per oblatas victimas rerum conditori supplicavit; quidquid pinguioris in gregibus, & optimi in frugibus possideret alacri animo, ac paratissimo corde offerebat: cum Cainus perfunctorius in cultu Numinis non nisi deteriora soleret Deo dicare, sapidioribus, ac delicatioribus in proprias servatis delicias: cumque utriusque fratris discretus esset in Numen cultus, discreta quoque fuerunt & præmia; perpluit enim divinus favor in Abelis victimas immolatas, quas, priusquam hominis manus ignem subderet, flamma de summo cœlo delapsa absumpsit; verùm ignis, quo Abelis victimæ cinerescere didicerunt; invidiam accendit in Caino, qui propterea lapsus in fraternæ felicitatis clandestinam detestationem, odiúmque lethale, nil jam animo volvebat, quàm vindictam fraterna cæde consummandam; vultûs tristitiâ, frontis dejectione, oculorum torvitate internum prodebat livorem, odiúmque, quo in fratrem contabesceret; cædémque ut certiùs construeret sceleri amicitiam prætexens; Abelem nihil suspicantem noxii in agrum pertraxit; cúmque spatiatum irent, variósque invicem miscerent sermones, & Cainus plura in Authorem naturæ criminaretur, legésque divinæ providentiæ insectaretur; & è converso Abel Divini Regiminis ordinem propugnâret, commendarétque ferventiùs; Cainus sceleris sui aggrediendi nactus ansam; & ratus occasionem sibi opportunè ex præconcepto odio obviâsse, rurale ligneum instrumentum ferro fortassis præfixum toto brachiorum impetu in caput demittit Abelis, & iterum in pectus, donec geminatis ictibus frater animam ageret, vitámque clauderet, quam mundo aperverat; & licèt tellus cæsi corporis fluentem exceperit sanguinem, hic tamen terræ inhærens, clamore tacito ultricia feriebat sydera. Quàm atrox, quàm ferale est in mundo odium! causa fuit primi funeris, manúmque fraternam prima cæde cruentavit. 32.

Flamma

33. Flamma cælitus delapsa, ac depascens Abelis victimas livorem, æquè ac odium succendit in fratricidæ pectore, ubi tamdiu exarsit, donec effuso cruore unà cum propria sti vitam extingueret innocentis Abelis; in quem manus injecturus, animum à Deo summo bono avertit, fratrémque occidit, & Deum irritavit, mortémque primus in mundo invexit, à quo vitam fratris exclusit. Est igitur odium malorum omnium princeps, pravorum affectuum coriphæus, sæculorum venenum, virus vetustissimum; mortis genitor, cladium radix, dissidiorum fomentum, doloris initium, mortifer stimulus, mucro reconditus, telum lethale, feralis flamma cordis, ac ignis intestinorum; odium enim qui fovet non tam propriis malis, quàm alienis bonis infelix est; ejus siquidem pectus inundat felle; pallor sedet in ore, tremor in labiis, stridor in dentibus, macies in vultu, squalor in fronte, tetra cogitatio in mente; & quod est vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc idem animo odium; imò est orcus, in quo solus mœror stabulatur; ignis consumens, sed sine lumine; labor defatigans, sed sine quiete; pœna torquens, sed sine commiseratione: combussit Cainum ignis de cœlo demissus; sed unde debuisset scintillas concipere pietatis, flammam arripuit odii exitialis, & extremæ calamitatis.

34. Odiorum fomes æmulatio est, pinguiórque fortuna, si qua melior uni præ altero arriserit. Tametsi fratres ob sanguinis cognationem, morum similitudinem, mutuam soleant fovere benevolentiam; si tamen uni honor accesserit uberior, maximè juniori, quæ non metuenda statim oriuntur? fratres esse desinunt; & quos amor, & languis con junxerant; odium, & invidia per noxia dissidia separant; æquari uno, eodémque utero, & non iisdem honoribus, ac dignitatibus omni cruciatu obtingit acerbius: hinc illa etiam inter fratres accenduntur odia, quæ nonnisi multi sanguinis effusione extinguntur, neque cessant nisi alterius partis internecione. Adeo arcto amoris vinculo colligantur fratres, ut Nigidius *fratrem* interpretetur *ferè alterum*; & Salustius in Jugurtha, amorem fratrum quovis alio præferat amore inquiens: *quis amicitior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris*; amorem conjugum; imò & parentum in filios videtur fraternus excedere, si Paraphernem consulimus, cui cum data optio fuisset à Dario rege, ut maritum, vel filium, vel fratrem sibi deligeret, tradendis reliquis extremo supplicio, fratrem sibi servari maluit referente Herodoto in Thalia, ubi inducit Paraphernem ita Darium alloquentem: *ò Rex; vir quidem mihi alius contingere potest, si ita Deo visum fuerit, & alij filij, si hos amiserim: sed cum mihi pater, & mater morte jam è vita discesserint, nulla ratione fieri potest, ut mihi frater alius nascatur.*

35. Altiùs etiam commendatur fraternus amor ex eo, quòd reciproca fratrum dilectio, ac domestica concordia Deo sit grata Eccles. 25. v. 1. *In tribus placitum est mihi, quæ sunt præclara coram Deo, & hominibus* loquitur Sapientia, ut ibi edisserit Rabbanus; quæ autem sint hæc tria, explicat eadem Sapientia, ulteriùs pergens: *concordia fratrum, amor proximorum; & vir, & mulier bene sibi consociantes.* De amore proximorum cum sermo instituitur, primarius locus amori datur fraterno, qui & præclarus dicitur coram Deo, & hominibus; quia præclara est domus illa, & felix, in qua fraterna viget dilectio; nil hoc amore jucundius, nil utilius, hinc Psaltes ait: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum;* Psalm. 132. quia omnibus redundat commodis, affluit deliciis, omnibúsque abundat jucunditatis illiciis domus illa, in qua fratres mutuæ dilectionis nexu obstringuntur, ac reciprocis se obsequiis prosequuntur; hinc Euthymius in præfatum *Psalm. 132.* ait: *sanè quid tam bonum, aut quid tam jucundum est, quàm ut fratres eodem habitent in loco, ac eisdem animis, summâ concordiâ, & consensu?* jucundum dicitur fraterni amoris vinculum, quia cum utilitate commercii jucunditatem secum trahit convivendi.

36. Imò ubi dilectio fratres conjungit, ibi domus arx fit expugnatu difficillima, quos enim fraternus amor invicem tuetur, hos nullus hostilis incursus potis est expugnare, ut enim ait Salomon Proverb. 18. *Frater qui adjuvat fratrem quasi civitas firma:* quia fratrum concordia invictam constituit familiam, ac veluti arcem propugnaculis munitissimam, quia ut explicat Cornelius ibid. *quod in una Urbe facit multitudo civium; hoc in familia facit unio, & amor intimus fratrum; quo fit, ut pauci fratres concordes multis civitatibus æquivaleant.* Ita est pro muro est domui fraternus amor, quia ubi fratres sunt concordes, ibi domus fit inexpugnabilis. Verùm si fraternus hic amor exasperetur, & in odium deficiat, corruit domus, & nonnisi cruentæ clades, ferales que strages protenduntur. An non præconceptum in Jacobi filiis contra Josephi innocentiam odium causa fuit, cur in cisternam demitteretur, ac priùs sepeliretur, quàm decederet? Josephus enim Jacobi filius ex Rachele natus à fratribus inter pascua per odium sævè opprimitur, ac Ismaelis institoribus illac fortuitò transeuntibus, perinde ac vile pecus venditur, à quibus in Ægyptum etiam abducitur cùm annum ageret ætatis septimum duntaxat supra decimum.

37. Causâ præconcepti odii non una fuit, sed multiplex, & præsertim, quia Ocellus erat patris sui Jacobi, cui præ cæteris erat in

æqualitas, vel inæqualitas alit; exardescit inde invidia, exsurgit livor, ignescit ira, cujus fœtus ferale est odium; quod nonnisi cruentas clades molitur; & plerunque ex domestica consuetudine, ex amica societate, fraternóque consortio oriuntur odia eò acerbiora, quò ab amore deflexerunt: ex eodem flore dulcem exugit in mellificium apis liquorem; cum api depulsæ si araneus succedat venenum ebibat; in eadem familia ob sanguinis necessitudinem dulcis solet inter conjunctos amor foveri, ac mellificium sapidæ conversationis construi; sin verò apes ob præconcepta odia in scarabeos degenerârint, non nisi lethale spargitur virus. Plerunque è sanguinis arctiore propinquitate vehementiora oriuntur odia, quàm sint quæ ex alieno excitantur; cum vix ulla sopiantur arte, nec ullo restinguantur flumine nisi sanguinis, quo deleantur homines; sed quid? quòd inter eos, quos arctiùs sanguinis necessitudo conjungit perniciosiora exciteutur odiorum incendia? Id sanè ex eo provenit, quia quò amor est defœcatior, ac intensior, si exasperetur, in lethale degenerat odium; ut etiam summa mititas, si exacerbetur in ferociam transit, Pantheræ cruderati supparem: & quamvis tardè hæc obtingant, gradúque veniant testudineo, sylvarum tamen more flammas concipiunt, quæ quò tardiùs deflagrant, eò acriùs inteduntur, & accenduntur: quos ad iram lentos deprehendimus, semel iratos experimur acerbissimos: tenaciùs hærent, altiúsque imprimuntur, quæ diuturno parantur labore.

§. IV.

Odium ex invidentia præsertim ortum, plerunque argumentum est laudis, testimonium innocentiæ, & indicium excellentioris virtutis.

31. Tametsi plura sint, quæ odium excitant, fovéntque; nil tamen promptiùs, aptiúsque, quàm dignitates, quibus nobis etiam suppares insigniuntur; vel pinguior fortuna, ad quam promoventur; vel congestæ opes, quibus opulentiùs ditescunt, Tametsi mutuam fratres benevolentiam foveant, si tamen uni præsertim natu minori pinguior arriserit fortuna, vel principis favor, aut dignitas, vel honor aliquis accesserit, invidia in altero excitatur, eujus fœtus plerunque est odium; & qui mutuâ fovebantur benevolentiâ odiis incipiunt diffidere lethalibus; nubésque in aëre pendulas imitantur, quæ licèt molles aquas, rorémque terris instilleut, ut primùm tamen cœperint inter se se collidi, flammas, ignésque evomunt, fulmina ejaculantur, & nonnisi strages spargunt; nimirum adolescunt inter roscidos imbres flammæ; rorisque, ac fulminis cædem sunt cunæ.

Ab eodem utero prognati primi duo fratres Abel, & Cainus; licèt sanguinis necessitudine arctissimè juncti, quia tamen Abelis victimæ supra illas Caini Numini placuerunt, invidia cœpit Caini viscera torquere. Gloriabatur hic specioso primogeniti titulo, futili tamen, ac inani, si virtute destituatur, eóque fiebat insolens, quò nonnisi animi cupidinibus indulgeret; contumax ad parentum monita erat ejus ingenium, asperum, querulum, fallere edoctum; mores agrestes, asperi, corrupti, ad vitia quæque proni; affectus mali, qui pravum in Abelem fratrem foverent odium: è converso erat Abeli indoles ab incunabulis comis, placida, mansueta, placabilis; & candorem, quem cum lacte suxit, incorruptum in moribus servavit; religione in Numen; reverentiâ, & pietate in parentes; observantiâ in fratrem plurimum fuit commendabilis: quoties per oblatas victimas rerum conditori supplicavit; quidquid pinguioris in gregibus, & optimi in frugibus possideret alacri animo, ac paratissimo corde offerebat: cum Cainus perfunctorius in cultu Numinis non nisi deteriora soleret Deo dicare, sapidioribus, ac delicatioribus in proprias servatis delicias: cumque utriusque fratris discretus esset in Numen cultus, discreta quoque fuerunt & præmia; perpluit enim divinus favor in Abelis victimas immolatas, quas, prinsquam hominis manus ignem subderet, flamma de summo cœlo delapsa absumpsit; verùm ignis, quo Abelis victimæ cinerescere didicerunt; invidiam accendit in Caino, qui propterea lapsus in fraternæ felicitatis clandestinam detestationem, odiúmque lethale, nil jam animo volvebat, quàm vindictam fraterna cæde consummandam; vultûs tristitiâ, frontis dejectione, oculorum torvitate internum prodebat livorem, odiúmque, quo in fratrem contabesceret; cædémque ut certiùs construeret sceleri amicitiam prætexens; Abelem nihil suspicantem noxii in agrum pertraxir; cúmque spatiatum irent, variósque invicem miscerent sermones, & Cainus plura in Authorem naturæ criminaretur, legésque divinæ providentiæ insectaretur; & è converso Abel Divini Regiminis ordinem propugnâret, commendarétque ferventiùs; Cainus sceleris sui aggrediendi nactus ansam; & ratus occasionem sibi opportunè ex præconcepto odio obviâsse, rurale ligneum instrumentum ferro fortassis præfixum toto brachiorum impetu in caput demittit Abelis, & iterum in pectus, donec geminatis ictibus frater animam ageret, vitámque clauderet, quam mundo aperverat; & licèt tellus cæsi corporis fluentem exceperit sanguinem, hic tamen terræ inhærens, clamore tacito ultricia feriebat sydera. Quàm atrox, quàm ferale est in mundo odium! causa fuit primi funeris, manúmque fraternam prima cæde cruentavit. 32.

Flamma

33. Flamma cælitus delapsa, ac depascens Abelis victimas livorem, æquè ac odium succendit in fratricidæ pectore, ubi tamdiu exarsit, donec effuso cruore unà cum propria siti vitam extingueret innocentis Abelis; in quem manus injecturus, animum à Deo summo bono avertit, fratrémque occidit, & Deum irritavit, mortémque primus in mundo invexit, à quo vitam fratris exclusit. Est igitur odium malorum omnium princeps, pravorum affectuum coriphæus, sæculorum venenum, virus vetustissimum; mortis genitor, cladium radix, dissidiorum fomentum, dolotis initium, mortifer stimulus, mucro reconditus, telum lethale, feralis flamma cordis, ac ignis intestinorum; odium enim qui fovet non tam propriis malis, quàm alienis bonis infelix est; ejus siquidem pectus inundat felle; pallor sedet in ore, tremor in labiis, stridor in dentibus, macies in vultu, squalor in fronte, tetra cogitatio in mente; & quod est vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc idem animo odium; imò est orcus, in quo salus mœror stabulatur; ignis consumens, sed sine lumine; labor defatigans, sed sine quiete; pœna torquens, sed sine commiseratione: combussit Cainum ignis de cœlo demissus; sed unde debuisset scintillas concipere pietatis, flammam arripuit odii exitialis, & extremæ calamitatis.

34. Odiorum fomes æmulatio est, pinguiórque fortuna, si qua melior uni præ altero arriserit. Tamen fratres ob sanguinis cognationem, morum similitudinem, mutuam soleant fovere benevolentiam; si tamen uni honor accesserit uberior, maximè juniori, quæ non metuenda statim oriuntur? fratres esse desinunt; & quos amor, & sanguis conjunxerant; odium, & invidia per noxia dissidia separant; æquari uno, eodémque utero, & non iisdem honoribus, ac dignitatibus omni cruciatu obtingit acerbius: hinc ista etiam inter fratres accenduntur odia, quæ nonnisi multi sanguinis effusione extinguntur, neque cessant nisi alterius partis internecione. Adeo arcto amoris vinculo colligantur fratres, ut Nigidius *fratrem* interpretetur *ferè alterum*; & Salustius in Jugurtha, amorem fratrum quovis alio præferat amore inquiens: *quis amicitior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris*; amorem conjugum; imò & parentum in filios videtur fraternus excedere, si Paraphernem consulimus, cui cum data optio fuisset à Dario rege, ut maritum, vel filium, vel fratrem sibi deligeret, traden dis reliquis extremo supplicio, fratrem sibi servari maluit referente Herodoto in Thalia, ubi inducit Paraphernem ita Darium alloquentem: *ò Rex, vir quidem mihi alius contingere potest, si ita Deo visum fuerit, & alij filij, si hos amiserim: sed cum mihi pater, & mater morte jam è vita discesserint, nulla ratione fieri potest, ut mihi frater alius nascatur.*

35. Altiùs etiam commendatur fraternus amor ex eo, quòd reciproca fratrum dilectio, ac domestica concordia Deo sit grata Eccles. 25. v. 1. *In tribus placitum est mihi, quæ sunt præclara coram Deo, & hominibus* loquitur Sapientia, ut ibi edisserit Rabbanus; quæ autem sint hæc tria, explicat eadem Sapientia, ulteriùs pergens; *concordia fratrum, amor proximorum; & vir, & mulier bene sibi consociantes.* De amore proximorum cum sermo instituitur, primarius locus amori datur fraterno, qui & præclarus dicitur coram Deo, & hominibus; quia præclara est domus illa, & felix, in qua fraterna viget dilectio; nil hoc amore jucundius, nil utilius, hinc Psaltes ait: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum;* Psalm. 132. quia omnibus redundat commodis, affluit deliciis, omnibúsque abundat jucunditatis illiciis domus illa, in qua fratres mutuæ dilectionis nexu obstringuntur, ac reciprocis se obsequiis prosequuntur; hinc Euthymius in præfatum *Psalm. 132.* ait: *sanè quid tam bonum, aut quid tam jucundum est, quàm ut fratres eodem habitent in loco, ac eisdem animis, summâ concordiâ, & consensu?* jucundum dicitur fraterni amoris vinculum, quia cum utilitate commercii jucunditatem secum trahit convivendi.

36. Imò ubi dilectio fratres conjungit, ibi domus arx fit expugnatu difficillima, quos enim fraternus amor invicem tuetur, hos nullus hostilis incursus potis est expugnare, ut enim ait Salomon Proverb. 18. *Frater qui adjuvat fratrem quasi civitas firma:* quia fratrum concordia invictam constituit familiam, ac veluti arcem propugnaculis munitissimam, quia ut explicat Cornelius ibid. *quod in una Urbe facit multitudo civium; hoc in familia facit unio, & amor intimus fratrum; quo fit, ut pauci fratres concordes multis civitatibus æquivaleant.* Ita est pro muro est domui fraternus amor, quia ubi fratres sunt concordes, ibi domus fit inexpugnabilis. Verùm si fraternus hic amor exasperetur, & in odium deficiat, corruit domus, & nonnisi cruentæ clades, ferales que strages protenduntur. An non præconceptum in Jacobi filiis contra Josephi innocentiam odium causa fuit, cur in cisternam demitteretur, ac priùs sepeliretur, quàm decederet? Josephus enim Jacobi filius ex Rachele natus à fratribus inter pascua per odium sævè opprimitur, ac Ismaelis institoribus illac fortuitò transeuntibus, perinde ac vile pecus venditur, à quibus in Ægyptum etiam abducitur eûm annum agerer ætatis septimum duntaxat supra decimum.

37. Causâ præconcepti odii non una fuit, sed multiplex, & præsertim, quia Ocellus erat patris sui Jacobi, cui præ cæteris erat in

æqualitas, vel inæqualitas alit; exardescit inde invidia, exsurgit livor, ignescit ira, cujus fœtus ferale est odium; quod nonnisi cruentas clades molitur; & plerunque ex domestica consuetudine, ex amica societate, fraternóque consortio oriuntur odia eò acerbiora, quò ab amore deflexerunt: ex eodem flore dulcem exugit in mellificium apis liquorem; cum api depulsæ si araneus succedat venenum ebibat; in eadem familia ob sanguinis necessitudinem dulcis solet inter conjunctos amor foveri, ac mellificium sapidæ conversationis construi; sin verò apes ob præconcepta odia in scarabeos degenerârint, non nisi lethale spargitur virus. Plerunque è sanguinis arctiore propinquitate vehementiora oriuntur odia, quàm sint quæ ex alieno excitantur; cum vix ulla sopiantur arte, nec ullo restinguantur flumine nisi sanguinis, quo deleantur homines; sed quid? quòd inter eos, quos arctiùs sanguinis necessitudo conjungit perniciosiora excitentur odiorum incendia? Id sanè ex eo provenit, quia quò amor est defœcatior, ac intensior, si exasperetur, in lethale degenerat odium; ut etiam summa mititas, si exacerbetur in ferociam transit, Pantheræ crudelitati suppares? & quamvis tardè hæc obtingant, gradúque veniant testudineo, sylvarum tamen more flammas concipiunt, quæ quò tardiùs diflagrant, eò acriùs intenduntur, & accenduntur: quos ad iram lentos deprehendimus, semel iratos experimur acerbissimos: tenaciùs hærent, altiúsque imprimuntur, quæ diuturno parantur labore.

§ IV.

Odium ex invidentia præsertim ortum, plerunque argumentum est laudis, testimonium innocentiæ, & indicium excellentioris virtutis.

31. TAmetsi plura sint, quæ odium excitant, foventque; nil tamen promptiùs, aptiúsque, quàm dignitates, quibus nobis etiam suppares insigniuntur; vel pinguior fortuna, ad quam promoventur; vel congestæ opes, quibus opulentiùs ditescunt. Tametsi mutuam fratres benevolentiam foveant, si tamen uni præsertim natu minori pinguior arriserit fortuna, vel principis favor, aut dignitas, vel honor aliquis accesserit, invidia in altero excitatur, cujus fœtus plerunque est odium; & qui mutuâ foventur benevolentiâ odiis incipiunt diffidere lethalibus; nubésque in aëre pendulas imitantur, quæ licèt molles aquas, rorémque terris instillent, ut primùm tamen cœperint inter se se collidi, flammas, ignésque evomunt, fulmina ejaculantur, & nonnisi strages spargunt; nimirum adolescunt inter roscidos imbres flammæ; rorisque, ac fulminis cædem sunt cunæ.

Ab eodm utero prognati primi duo fratres Abel, & Cainus; licèt sanguinis necessitudine arctissimè juncti, quia tamen Abelis victimæ supra illas Caini Numini placuerunt, invidia cœpit Caini viscera torquere. Gloriabatur hic specioso primogeniti titulo, futili tamen, ac inani, si virtute destituatur, eóque fiebat insolens, quò nonnisi animi cupidinibus indulgeret; contumax ad parentum monita erat ejus ingenium, asperum, querulum, fallere edoctum; mores agrestes, asperi, corrupti, ad vitia quæque proni; affectus mali, qui pravum in Abelem fratrem foverent odium: è converso erat Abeli indoles ab incunabulis comis, placida, mansueta, placabilis; & candorem, quem cum lacte suxit, incorruptum in moribus servavit; religione in Numen; reverentiâ, & pietate in parentes; observantiâ in fratrem plurimum fuit commendabilis: quoties per oblatas victimas rerum conditori supplicavit; quidquid pinguioris in gregibus, & optimi in frugibus possideret alacri animo, ac paratissimo corde offerebat: cum Cainus perfunctorios in cultu Numinis non nisi deteriora soleret Deo dicare, sapidioribus, ac delicatioribus in proprias servatis deliciis: cumque utriusque fratris discretus esset in Numen cultus, discreta quoque fuerunt & præmia; perpluit enim divinus favor in Abelis victimas immolatas, quas, prius quam hominis manus ignem subderet, flamma de summo cœlo delapsa absompsit; verùm ignis, quo Abelis victimæ cinerescere didicerunt; invidiam accendit in Caino, qui propterea lapsus in fraternæ felicitatis clandestinam detestationem, odiúmque lethale, nil jam animo volvebat, quàm vindictam fraterna cæde consummandam; vultûs tristitiâ, frontis dejectione, oculorum torvitate internum prodebat livorem, odiúmque, quo in fratrem contabescere; cædémque ut certiùs construeret sceleri amicitiam prætexens; Abelem nihil suspicantem noxii in agrum pertraxit; cúmque spatiatum irent, variósque invicem miscerent sermones, & Cainus plura in Authorem naturæ criminaretur, legésque divinæ providentiæ insectaretur; & è converso Abel Divini Regiminis ordinem propugnâret, commendarétque ferventiùs; Cainus sceleris sui aggrediendi nactus ansam; & ratus occasionem sibi opportunè ex præconcepto odio obviâsse, rurale ligneum instrumentum ferro fortassis præfixum toto brachiorum impetu in caput demittit Abelis, & iterum in pectus, donec geminatis ictibus frater animam ageret, vitámque clauderet, quam mundo aperverat; & licèt tellus cæsi corporis fluentem exceperit sanguinem, hic tamen terræ inhærens, clamore tacito ultricia feriebat sydera. Quàm atrox, quàm ferale est in mundo odium! caussa fuit primi funeris, manúmque fraternam prima cæde cruentavit. 32.

Flamma

33. Flamma cælitus delapsa, ac depascens Abelis victimas livorem, æquè ac odium succendit in fratricidæ pectore, ubi tamdiu exarsit, donec effuso cruore non cum propria siti vitam extingueret innocentis Abelis; eo quem manus injecturus, animum à Deo summo bono avertit, fratrémque occidit, & Deum irritavit, mortémque primus in mundo invexit, à quo vitam fratris exclusit. Est igitur odium malorum omnium princeps, pravorum affectuum coriphæus, sæculorum venenum, viros vetustissimum; mortis genitor, cladium radix, dissidiorum fomentum, doloris initium, mortifer stimulus, mucro reconditus, telum lethale, feralis flamma cordis, ac ignis intestinorum; odium enim qui fovet non tam propriis malis, quàm alienis bonis infelix est; ejus siquidem pectus inundat felle; pallor sedet in ore, tremor in labiis, stridor in dentibus, macies in vultu, squalor in fronte, tetra cogitatio in mente; & quod est vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc idem animo odium; imò est orcus, in quo solus mœror stabulatur; ignis consummens, sed sine lumine; labor defatigans, sed sine quiete; pœna torquens, sed sine commiserati one: combussit Cainum ignis de cœlo demissus; sed unde debuisset scintillas concipere pietatis, flammam arripuit odii exitialis, & extremæ calamitatis.

34. Odiorum fomes æmulatio est, pinguiórque fortuna, si qua melior uni præ altero arriserit. Tametsi fratres ob sanguinis cognationem, morum similitudinem, mutuam soleant fovere benevolentiam; si tamen uni honor accesserit uberior, maximè juniori, quæ non metuenda statim oriuntur? fratres esse desinunt; & quos amor, & sanguis conjunxerant; odium, & invidia per noxia dissidia separant; æquari uno, eodémque utero, & non iisdem honoribus, ac dignitatibus omni cruciatu obtingit acerbius: hinc ista etiam inter fratres accenduntur odia, quæ nonnisi multi sanguinis effusione extinguntur, neque cessant nisi alterius partis internecione. Adeo arcto amoris vinculo colligantur fratres, ut Nigidius *fratrem* interpretetur *ferè alterum*; & Salustius in Jogurtha, amorem fratrum quovis alio præferat amore inquiens: *quis amicitior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris*; amorem conjugum; imò & parentum in filios videtur fraternus excedere, si Paraphernem consulimus, cui cum data optio fuisset à Dario rege, ut maritum, vel filium, vel fratrem sibi deligeret, tradendis reliquis extremo supplicio, fratrem sibi servari maluit referente Herodoto in Thalia, ubi inducit Paraphernem ita Darium alloquentem: *ò Rex, vir quidem mihi alius contingere potest, si ita Deo visum fuerit, & alij filij, si hos amiserim: sed cum mihi pater, & mater morte jam è vita discesserint, nulla ratione fieri potest, ut mihi frater alius nascatur.*

35. Altiùs etiam commendatur fraternus amor ex eo, quòd reciproca fratrum dilectio, ac domestica concordia Deo sit grata Eccles. 25. v. 1. *In tribus placitum est mibi, quæ sunt preclara coram Deo, & hominibus* loquitur Sapientia, ut ibi edisserit Rabbanus; quæ autem sint hæc tria, explicat eadem Sapientia, ulteriùs pergens; *concordia fratrum, amor proximorum; & vir, & mulier bene sibi consociantes.* De amore proximorum cum sermo instituitur, primarius locus amori datur fraterno, qui & præclarus dicitur coram Deo, & hominibus; quia præclara est domus illa, & felix, in qua fraternus viget dilectio; nil hoc amore jucundius, nil utilius, hinc Psaltes ait: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum;* Psalm. 132. quia omnibus redundat commodis, affluit deliciis, omnibúsque abundat jucunditatis illiciis domus illa, in qua fratres mutuæ dilectionis nexu obstringuntur, ac reciprocis se obsequiis prosequuntur; hinc Euthymius in præfatum *Psalm. 132.* ait: *sanè quid tam bonum, aut quid tam jucundum est, quàm ut fratres eodem habitent in loco, ac eisdem animis, summâ concordiâ, & consensu?* jucundum dicitur fraterni amoris vinculum, quia cum utilitate commercii jucunditatem secum trahit convivendi.

36. Imò ubi dilectio fratres conjungit, ibi domus arx fit expugnatu difficillima, quos enim fraternus amor invicem tuetur, hos nullus hostilis incursus potis est expugnare, ut enim ait Salomon Proverb. 18. *Frater qui adjuvat fratrem quasi civitas firma:* quia fratrum concordia invictam constituit familiam, ac veluti arcem propugnaculis munitissimam, quia ut explicat Cornelius ibid. *quod in una Urbe facit multitudo civium; hoc in familia facit unio, & amor intimus fratrum; quo fit, ut pauci fratres concordes multis civitatibus æquivaleant.* Ita est pro muro est domui fraternus amor, quia ubi fratres sunt concordes, ibi domus fit inexpugnabilis. Verùm si fraternus hic amor exasperetur, & in odium deficiat, corruit domus, & nonnisi cruentæ clades, ferales que strages proveniuntur. An non præconceptum in Jacobi filiis contra Josephi innocentiam odium causa fuit, cur in cisternam demitteretur, ac priùs sepeliretur, quàm decederet? Josephus enim Jacobi filius ex Rachele natus à fratribus inter pascua per odium sævè opprimitur, ac Ismaelis institoribus illac fortuitò transeuntibus, perinde ac vile pecus venditur, à quibus in Ægyptum etiam abducitur eùm annum agebat ætatis septimum duntaxat supra decimum.

37. Causâ præconcepti odii non una fuit, sed multiplex, & præsertim, quia Ocellus erat patris sui Jacobi, cui præ cæteris erat in

in deliciis, ut præcipuo prosequeretur amore, eò quia jam senio confectus eum genuisset, deliciuim, & baculum senectutis suæ: unde in grave apud fratres cæteros numerum explentes denarium incidit odium, nonnisi innocentis interitu extinguendum: undecimus enim frater Beniaminus admodum puer tunc erat, ac nondum capax quidquam noxii intentandi. Excitaverat execrabile hoc odium incusatio criminis nescio cujus pessimi: cùm enim fuissent à Josepho accusati apud patrem, graviter fraternos animos hæc incusatio exulceravit: ut etiam, quæ accesserunt imagines per somnium Josepho objectæ, quas ipse propria innocentiâ suos metiens fratres candore puerili, ac simplici innocentia iisdem aperuerat; narraverat enim, se per quietem vidisse fratres suos colligare singulos suos manipulos, cùm suus proprius dumtaxat inter reliquos humi prostratos staret erectus, quasi à fraternis manipulis circumstantibus adoraretur: ut etiam aliam per somnium sibi objectam speciem Solis, & Lunæ, ac undecim syderum in sui venerationem flectentium: cùm hujusmodi somnia sinistra interpretatione in Josephi arrogantiam refunderent, quasi vellet dominatum affectare supra cæteros suos fratres; hi lethali odio exarserunt; nec quicquam exulcerato animo aliud volvebant, quàm ejus internecionem: usserat etiam invidos eorundem oculos vestis quædam polimita, seu togula multicolore filo eleganter contexta, quam Josepho fieri Jacobus parens curaverat: *Fecitque ei tunicam polimitam:* Genes. cap. 37. cùm enim plus cæteris diligeretur, elegantiori veste ornatum voluit: moris siquidem esse videtur, ut parentes, quos impensiùs amant filios, hos pretiosiori veste decorent: non enim aliud sui amoris in filios præsertim pueros signum prodere solent, quàm eosdem elegantiori vestium ornatu condecorare: ut in Ascanium puellum protestata fuerat Andromache, tunc ei togam propriis manibus eleganter elaboratam obtulit inquiens apud Virgilium

Accipe & hæc manuum tibi, quæ monumenta mearum
Sit puer: & longum Andromache testentur amorem

& in Regina Didone erga Æneam ejusdem amoris pignus vestis eleganti depicta acu fuit: quam

Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telâ discreverat auro.

Nimirum putant parentes suo deesse amori, si quem filium impensiùs diligunt pretiosiore veste, & ornatu elegantiore non exornent.

38. Impensiùs Rebbecca Jacobum dilexerat, quàm alium suum filium Esau: & sui amoris datura tesseram vestes elegantiores Jacobo obtulit: *Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi induit eum:* Genes. 27. scilicet Jacobum, quem impensiùs prosequebatur affectu: pretiosior vestis chariori datur, quam etiam ab eo surripuit, quem minùs dilexerat. Nec in solis matribus hæc viget consuetudo elegantiori veste eos ornare filios, quos præ cæteris diligunt; verùm etiam in patribus: siquidem filio prodigo in gratiam restituto, & ad paternos amplexus admisso in patriam reduci, ostensurus pater amoris sui argumentum vestem exhibuit elegantem: *Dixit autem pater ad servos suos citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus.* Luc. 15. Cùm enim pater exarderet in reversum filium, & conversum amore, de vestis elegantia, & pretio solicitus statim fuit; erat redux filius adolescentior; & quia simul redux, & conversus, etiam dilectior, cui propterea stolam primam, seu pretiosiorem ei afferri jussit diligens pater, quasi erubesceret perdilectum filium non statim eleganter intueri vestitum; & ideo primas deferri festinat in habitu, cui primas pater dederat in amore. Verùm perinde ac invidiolas inter fratres excitant harum discrimina vestium, ita dissidia, & odia fovent: stola hæc prima causa fortassis fuit, cur filius natu major fuerit graviter contra patrem indignatus: *Indignatus est autem, & nolebat introire.* Luc. 15.

Josephi igitur polimita tunica à patre accepta in signum specialioris amoris reliquam decadem fratrum odio obarmavit, ut eleganter observat S. Ambrosius inquiens: *Quid miraris si propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres jurgia: quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia, & insurrexit exitiale odium!* In cap. 37. Genes. Pulchrioris togæ discolor elegantia fratrum oculus percusserat, cor læserat, animúmque pupugerat: Dum enim Josephum ornatiùs indutum aspiciunt, se despectos arbitrantur à patre, & odium in fratrem concipiunt lethale. Fuit enim vestis illa polimita bellicum veluti vexillum, quod fratrum animos ad prælia concitavit. Observat S. Hieronymus Pharisæorum vestes inquiens: *faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant;* In cap. 23. Matth. sed quid mysterii prætendunt spinæ fimbriis illigatæ? dixerim, quia persæpe in pretiosiori vestium ornatu, ac elegantiori togâ spinæ invidiarum, & aculei illigantur odiorum: eo ipso quòd parens in sui specialioris amoris tesseram unum ex filiis præ cæteris ornatiùs vestit, & elegantiùs; odium plerumque in aliis excitat: *Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Genes. 37. Et nonnullis interjectis: *Confestim ut pervenit ad fratres suos nudaverunt eum tunicâ talari, & po-*

& polimitâ ; miseruntque eum in cisternam veterem. Schola charitatis, & gymnasium pacis videbatur Jacobi domus cùm filii se mutuò prosequerentur amore, mutuísque dilectionibus, & obsequiis complecterentur: at ubi hoc amoris vinculum superveniens odium dissolvit, domestici Jacobi parietes in quasi bellorum castra visa sunt degenerâsse; vigili enim curâ custodiendus est fraternus amor, ne in odium prodeat execrabile, quia quo jucundior, arctiórque est fraternus amor, eò truculentiùs sævit, si in odium degeneret, ut enim notat (Polit. lib. 7.) Aristoteles: *Fraternæ contentiones acerbissimæ sunt, & qui se nimium amant, si se odio prosequantur saviùs exacerbantur;* quod (Dial. 85.) etiam monet Petrarcha inquiens: *Nescio an fraterno ullus major esse debeat amor, an ullum majus odium, & indignatio profundior,*

40. Amandaverat Jacobus præ cæteris filiis à se dilectum Josephum adolescentem ad fratres suos pascendis gregibus occupatos, & fortassis exploratum quid agerent. Josephus paterni imperii tenacissimus eidem obsecuturus oberrat solicitè, sed non fratres invenit, sed carnifices reperit: hi siquidem procul venientem Josephum intuiti statim de illius cæde patranda consilium ineunt, ac deliberant, statuúntque deferre patri à fera Josephum discerptum se invenisse. Cruento tamen consilio unus ex fratribus Ruben nomine intercessit, suasitque, ut potiùs sicca morte permitterent somniatorem perire, hoc enim nomine per convicium fratrem suum appellârunt, quem propterea in cisternam siccam abjecêre, ut fame, & siti deficeret, & fraternæ manus ejus non polluerentur cruore: & quamvis adolescens prætexta exutus versicolore, seu veste polimita precibus, lachrymis, questubus, & obsecrationibus instaret, pérque Dei clementiam modò singulos, modò universos deprecaretur, non tamen fratrum duritiem potuit emollire, nec blandus rogantis decor ad pietatem fratres flectere, qui per funes in profundam eum demisêre cisternam inediâ conficiendum.

41. Sed non diu latuit sepultus priùs in fovea illa, quàm mortuus; rogatu enim Judæ retrahitur è cisterna, & Madianitis negotiatoribus viginti argenteis venundatur, à quibus in Ægyptum abducitur, cùm interim per plagiarios fratres illuderetur; parenti extrema senectute confecto suadent, Josephum filium in prædam cessisse cruentæ belluæ; fidémque facturi adolescentis tunicam hœdino tinctam sanguine ostendunt, exhibéntque Jacobo patri, qui nonnisi lachrymas elicuit, & lamenta edidit nullo solatio nisi sola morte lenienda, & qui fratrem per odium dederant exitio, patrem per mendacium quasi enecârunt. Verùm si Josephi virtus Patris sibi conciliavit gratiam, fratrum è contra excitavit odium, quod tamen dum nocere studuit, vel invitum profuit: ductus enim à Madianitis in Ægyptum Josephus ad Proregis ibi dignitatem conscendit, quod si odium eum innocentem in profundum cisternæ dejecerat; virtus ad clarioris dignitatis culmen eum provexit: est enim plerumque odium præsertim ex invidentia ortum virtutis testimonium, signum innocentiæ, argumentum laudis.

Quàm ex levi causa persæpe dissidia inter fratres concitantur? Abelem Cainus frater occidit, quia de ejus victima flammis superposita fumos ad cœlum rectà instar virgulæ conscenderet, ideóque Deo gratior probaretur, & inde discimus non ex luce tantùm, verùm etiam ex fumo ipso fraternum sæpe odium concitari. Quid aliud est, fama apud vulgus, quàm fumus? si quis tamen clariori fama commendetur, sibi timeat, ne fratrum odia, simul & incendia incurrat: negatum sibi credunt honorem, quem sciunt alteri exhiberi: & scintilla gloriolæ quâ unus clarescit, odii incendium plerumque excitat in fratrum præcordiis; ex quibus perinde ac gehennali è specu malorum omnium prorumpunt debacchantes turmæ; sitque propterea diabolicum officium odium inter fratres suscitare, vel suscitatum fovere; neque de ulla orcus prædâ triumphat gratiori, quàm fratrum dissidio, unde Chrysologus: *Sicut amor fraternitatis ex Deo est, ita odium ex Diabolo. Qui odit fratrem homicida est;* (Serm. 89.) quia lethale odium nonnisi cruentas cædes, & ferales clades molitur, & præsertim si inter fratres excitetur, tunc enim sævit crudeliùs, duratque pereniùs; testes voco Eteroclem, & Polinicem fratres, qui cum se mutuis interfecissent vulneribus, & eorum corpora simul fuissent rogo injecta, flammæ ea non tulerunt, sed partitæ se dissociârunt, ut quæ unum exurerent, tangere aliud exhorrerent; nimirum flamma, quæ vitam potuit extinguere, non valuit odium sopire.

43. Certè lethale est venenum, quod fraternis fovetur odium in pectoribus; ad præcordia statim currit, cor primum impetit, quod nec mortuum deserit, sed putrescens absumit; adeo ut nullum gravius sit vulnus, quàm quod fraterno infligitur ab odio. Hinc etiam sponsa dolet experta hoc vulnus: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me;* (Cant. 1.) conqueritur nimirum sponsa, eò quia suis oppugnetur à fratribus, & cùm se fraterno odio insectatam videt, se flammis deflet dicatam: siquidem in hebræo legitur. *Filij matris meæ exarserunt in me;* quia fraternum odium iræ cognatæ exitiales flammas excitat, pyram struit, incendium apparat, & accendit, donec me in cineres redigat: ut inde conjicias nullum crudeliorem esse hostem eò, qui impensiùs amaverat, si ab amore deficiens, odium incipiat fovere, tunc enim nil expectandum, quàm extrema

exitia, violentæ interneciones, ac funestæ strages, & difficulter reperitur alexipharmacum, quod morbos à præconcepto odio in hominis inductos præcordiis curare valeat; imò adeo noxium est fraternum odium, ut per se sufficiens fit ad universum orbem prorsus evertendum: neque cataclysmus, quo totus orbis naufragus periit, aliunde suam traxit originem, quàm fraterno ex odio, quo Cain fuerat Abelem

Genes. 9. prosecutus: *De manu viri, & fratris requiram animam hominis*, ubi Rupertus Abbas expendit: *sicut requisivit de manu Cain propter quem* (ut nonnulli perhibent) *diluvium mundo induxit*: neque ullum hactenus supplicium totum percussit orbem nisi diluvium illud, quo tempore Noë cœli cataractæ apertæ fuerunt, ut tellus submergeretur universa, & unà cum hominibus odium extingueretur: Censent siquidem plerique, mundi conditorem diluvium hocce orbi immisisse, ut fraterni odii turpitudinem mundo per Cainum inductam, fæcésque vitiorum gehennæ æmulas extingueret.

§. V.

Dissimulari odium licèt per modicum temporis possit; non tamen diu celari: se prodit, & venenum quod interiùs in imo pectore fovet, exteriùs præsignat oculorum torvitate, frontis asperitate, orisque malignitate.

44. Quàm perniciosum, ac exitiale est in mundo odium, si hoc fraternis exardescat in visceribus! ejus malignitas, vel in ipso legitur vultu, & protervitas exteriùs se per oculos prodit: hinc fratres Josephi ob præconceptum in imo pectoris odium nonnisi fronte exasperata, torvísque oculis fuerunt eum intuiti: *Nec poterant ei quidquam pacificè loqui*: in oculis siquidem, ore, lingua, vultúque toto fraternum legebatur odium, quia ut rectè ait Tullius: *Vultus, & frons animi est janua, quæ significat voluntatem abditam, & retrusam*: odium qui fovet in pectore velit, nolit, ejus prodit vultu venenum, criménque occultum vel ipsum os silens abundè deprædicat, quòd cùm animadvertisset Ovidius cecinit.

2. Metamorph.

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu!

45. Dissimulari licèt per modicum temporis odium possit, non tamen diu celari, cùm os loquatur, quod cor suggerit, & mens intus meditatur; & certè si ferale intus odii exurat incendium, exteriùs occultari difficulter potest; nec prohiberi, quin scintillas per oculos, vel saltem fumos per os, & verba emittat; hæcque ratio, cur Patriarcha Jacob Sagax mente, gnarúsque industriâ à Labano socero per opportunam fugam se distraxerit, noverat enim ex vultu, frontéque extima præconceptum intus in pectore contra se odium: *Animadvertit faciem Laban, quòd non esset erga se, ut heri, & nudiustertius*: nimirum in Labani soceri vultu pravas mentis cogitationes, noxiósque pectoris motus legerat, nec cùm homine odium fovente connivere voluit; quamvis nullis adhuc Laban verbis suum deprompsisset odium, quia ut pulchrè Oleaster ibi: *Nihil meliùs vultus, quàm amorem, aut odium ostendere solet*: tametsi lingua sileat, os taceat, frons tamen ipsa clamat, hinc Tullius, *Ex oculorum obtutu, superciliorum aut emissione, aut contractione facilè judicamus, quantus sit in homine dolor, aut metus, aut tristitia.* Genes. 31. Lib. 1. off.

46. Per faciei spiracula erumpunt, quæ doloso sub cinere latent in præcordiis flammæ, nec minus urit irata facies exteriùs, quàm intùs succensæ flammæ; idque causæ fortassis fuit, cur cùm igne accenso Numinis irati faciem æquiparaverit Regius Psaltes: *sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*: & rectè divini pectoris ira divino turgens in vultu ignis dicitur, quia peccatores consummit; quas enim ignis excandescens flammas elicit, scintillásque ejicit, in peccatores evibrat frons irata, ut expendit Lorinus: *pereant peccatores à facie DEI, consumpti ab ipso tanquam ab igne, sicut ab hoc, & recedit cera, & consummitur*: quòd si solam loquentis Numinis vocem extimuit Adam Genes. 3. *Audivi vocem tuam, & timui.* Quid si iratam frontem vidisset? Maximum reproborum supplicium extremo in judicio illud erit, quod iratam DEI faciem ferre non poterunt; is acerbissimè punitur, qui irascentis Numinis exasperatum nequit vultum ferre: irata enim DEI facies sufficit pro quovis satis acerbo supplicio: hinc Deus statuens contra reos legis punitionem ait: *si comederit sanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius*, sanguine vesci cùm prohiberentur Hebræi, pœnis erant obnoxii legis hujus transgressores; ut autem acerbiùs punirentur, ait DEUS *obfirmabo faciem meam contra animam illius*, quia nimirum irata DEI facies pro quovis acerbiore supplicio videtur sufficere: hinc D. Gregorius ait: *facies DEI intelligitur ira DEI, quâ castigat*: imò adeò proxima est cladi, stragique DEI frons, ut idem prorsus videatur esse, frontem præ ira contrahere, & supplicium, ac ruinam explicare; hinc ait DEUS, *obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eos*: hoc est, quos DEUS iratus intuetur, hos simul disperdit. Psalm. 67. Levit. 17.

Imò adeò acerbè pœnas irrogat frons iræ percita æstu, ut truculantius sævire videa-

videatur iræ succensa æstu facies, quàm manus gladio obarmata; quia si gladios vitam potest adimere, non tamen nomen potest perimere, nec famam inficere; secus facies, quam odium turbat, nec vitæ parcit, nec famæ, imò nititur, vel ipsius nominis memoriam delere; huc pertinet, quod Regius Vates dixit: *Vultus autem Domini super facientes mala, nimirum ut perdat de terra memoriam eorum:* impiorum enim nomen funditus evertitur, ut eorundem memoria penitus extinguatur: faciliùs est ferocientem Leonem blanditijs cicurare, vel etiam in frusta discerpere, quàm frontem lenire odio exasperatam, & furore percitam: hinc David, *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis, & obloquentis à facie inimici & persequentis*, tametsi ursos in sylvis David compresseric, rapidósque leones in campo discerpserit, adhuc confusio ejus conturbat animum à facie inimici, & persequentis, quia plus sibi timet ab irato vultu, quàm ab irato leone: quamvis de prostrato leone gloriosum reportaverit triumphum, reformidat tamen irato vultui succumbere. Pulchrè Lorinus: *Potest hic significari, causam verecundiæ, confusionisque esse, non solùm voces exprobrantis, sed multò magis os, & vultus ejusdem inimicitias gerentis, propriásque injurias, quas persequatur, ac vindicet, prætexentis; nec verbis agere duntaxat volentis, sed factis quoque, & non solùm famam, verùm & ipsam vitam eripere meditantis.*

Psalm. 33.

Psalm. 43.

Psal. 43.

48. Ira quam odium succendit universa nititur delere, pœnitúsque consumere. Hinc quia Jacobi filij Josephum fratrem oderant non solùm non poterant ei quidquam pacificè loqui, seu ut explicat Oleaster, non poterant integrè loqui, sed truncata verba, & semesa proferebant, nitebantur ei vitam adimere, quia odium integritatem disrumperat amoris, & verba prohibebat integrè proferri, quia ut ait D. Gregorius in Moralibus: *Ira suis stimulis accensa cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, & exasperant oculi:* neque verba pacis potest lingua depromere, ubi odium, & bellum spirant præcordia.

49. Scitè hominis pectus horologio pariatur, cujus stylus defluentes signans horas lingua dicitur; quia quidquid horologij rotæ, seu pectoris latebræ intus evolvunt, stylus foris, seu lingua exteriùs prodit: cujus pectus odio corroditur, frustra vultu internum dissimulat virus: stomachus cum pessimè valet facilè foras eructat, quod intus difficillimè digerit: quidquid intus mente quis volvit, hoc ut plurimum verba sapiunt, & foras produnt, dixerat Servator. *Quo ego vado, vos non potestis venire*, loquebatur Magister Christus de mirabili in cœlum ascensu, & tamen Judæi necem exinde intulêre dicentes: *nunquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quò ego vado, vos non potestis venire*, quæ

Jo. 8.

tamen illatio insana prorsus fuit; non enim qui fatetur, se aliquid acturum, quod ab alio fieri neutiquam possit, intendit violentas in se manus injicere, séque interimere; neque inde verè assererer, non posse alios hoc idem præstare, cùm possit quisque, quamvis illicitè, se ipsum interimere. Fuerat igitur Christus locutus de suo in cœlum ascensu, & tamen Judæi ejus verba de nece proprijs manibus sibi inferenda perperam interpretantur: nulla cum nece Christi, ejúsque ascensu in cœlum connexio est; nec propterea inferre violentam ejus cædem ulla potuerunt ratione: & tamen eam intulêre; quia nimirum, quam intus mente meditabantur Christi cædem, odiúmque fovebant in corde, linguis exteriùs protulit Judæorum, pulchrè D. Antonius Patavinus: *Ex abundantia cordis os loquitur, & quia Judæi Christi sanguinem ejúsque mortem ex odio altiùs in corde impresserant, ideò nil promptiùs loquuntur, quàm de nece Christi.* Venenum odij, quod per viscera serpebat Judæorum, lingua statim detexit, & mortem, quam intus maturabant, os exteriùs deprompsit.

Quæ intus volvuntur mente, foventúrque corde, labia exteriùs fundunt, & verba loquuntur, hinc David loquens de impio ait. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua.* Sed si cogitare proprium est intellectûs, & cogitationis actus, nonnisi à principio ab omni sejuncto materia potest dimanare, quomodo lingua cogitare dicitur injustitias? Cur David actus, qui proprij sunt solius intellectus, nec possunt nisi à potentia spirituali fluere, linguæ à materiei crassitie minimè disjunctæ attribuit? quia nimirum fidissimus, promptúsque mentis Legatus est lingua, in quam delabuntur, quæ animo intùs volvuntur: & adeò expeditè mentis evulgat arcana; cui innato fœdere nectitur, ut in verbis ipsis mens ipsa tertio veluti in speculo se ipsam prodat, scitè Ambrosius: *De sermonibus nostris mens nostra perpenditur:* quia cùm primùm cogitatio aliqua intùs affulget in mente, exteriùs relucet in ore, exprimitur linguâ, manifestatur verbis. 50.

Psalm. 51.

Lib. 7. de Abraham cap. 1.

Gymnasium mens aperit, in quo linguâ eruditur, & quæ cogitationibus intùs edocentur, lingua exteriùs verbis recitat; hinc Jobum redarguit Eliphas Themanites. *Docuit iniquitas tua os tuum*, quia magistra iniquitas, quæ in corde nascitur, ibique radices agit, linguam edocet, quâ exteriùs se prodit, scitè Pineda: *Instruit interior affectus non solùm os, & linguam ad loquendum, verùm etiam manus, & cætera membra ad operandum: ex corde enim exeunt furta, blasphemia, & homicidia:* id tamen interest discriminis, quia cùm cor, & interior affectus in abdito, ocultóque edoceant, lingua non nisi in publico recitat, quæ ab affectu didicit in occulto, & quam impietatem mens magistra tegit, lingua discipula detegit; & ideo ex iniquitate cordis malignitas prodit oris: 51.

Job. 15.

oris: & quia pectus odio exulceratum nil pacifici edocet, sed tantùm cruentas dictat cædes, ideo Jacobi filij non potuerunt pacificè Josepho fratri loqui, eò quia *oderant eum:* ubi odium viscera exulcerat, nonnisi sanguinis effusio protenditur: & quamvis non desint ex Judæis, ut notat Abulensis, qui laudibus Jacobi filios excipiant, eò quia extima fronte intimum, quod in pectore foverent odium, quo Josephum prosequerentur, minimè explicarent: falluntur tamen quotquot interna odia, irásque occultè enutritas commendant: gravius siquidem crimen est tegere odium, cui detecto applicari alexipharmacum haud difficulter posset: pulchrè D. Cyprianus: *Facilior cautio est, ubi manifestior formido: plus metuendus, & cavendus inimicus cum latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit.*

52. Odium, qui tegit, vel venena adaptat, vel strages apparat, & is longè deterior est hostis, qui cordis venenum oris inaurat lenocinio. Nemo est, qui ab hoste lenocinia speret, qui enim eblanditur, non creditur velle nocere; & ideò eò acriùs sævit, quò suaviùs eblanditur. Quid Syrene blandius; & tamen nil fallacius, vocis enim blandimento aures demulcet, & intus cor corrumpit, hominémque miserè perdit: id in Syrene notatu dignum, quia suave, plenúmque illicio est, quod auditur, noxium verò quod tegitur: verba tametsi serica, ac mellita non tamen venenum exuunt, si intùs odium foveant: imitatur tunc occultum odium syrenem concinna voce aures demulcentem, simúlque ad scopulos trahentem, ut à se illectos miserè allidat: non amicitiam produnt, quæ ita eblandiuntur mollissima verba, sed venenum spargunt, quo eò tutiùs interficiunt, quò sub cortice blanditiarum dolus obtegitur: sic piscibus hamo insidiæ parantur; apparet deforis alliciens esca, sed latet sub illicio interficiens ferrum; non amat, sed hamat quisquis dolosis verbis illudere satagit: sic Pharisæi consilio inito per discipulos Magistri Christi eum alloquuntur. *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licèt censum dare Cæsari, an non?* Matth. 22.
An non serica, vel mellita visa sunt prolata verba, cùm nonnisi in obsequium flectantur? & tamen: *Cognitâ autem JESUS nequitiâ eorum, ait quid me tentatis hypocritæ:* quot enim voces deprompserant, tot visi sunt laqueos apparâsse; verba exteriùs amorem sapiunt, sed cor intùs odio exulceratum venenum effundit; mellea fuêre exteriùs verba, sed felleum intùs cor, infectúmque nequitiâ erat: si enim Christus assereret solvendum tributum Cæsari, inde ansam sumere cogitârunt, eum exosum reddendi populo, cui gravamina imponeret, onera superadderet: sin verò denegandum diceret Cæsari tributum, Imperatori Ministros contra ipsum incitarent, ut in perduellem, & seditiosum; de nece Christi tunc Pharisæi cogitârunt, cùm per serica, & saccharea verba ei eblandiuntur; quia occultum in pectore enutrierant odium, laqueos verbis exteriùs tendebant, *ut caperent eum in sermone*, seu ut habetur in textu græco, *ut illaquearent*, Pharisæi tunc verbis obsequia simulârunt, ut verberibus vulnerarent, necémque adferrent.

Nullus deterior, ac periculosior hostis, quàm domesticus, qui verbis eblanditur, ut ferro trucidet, vel veneno corrumpat. Moliturus tartareus hostis ruinam Protoparentibus, serpentis induit larvam, eò quia serpens plus cæteris animalibus familiaris fuerat homini, quem frequenter accesserat, motibúsque corporis placidè eidē blandiebatur; ideóque ut tutiùs venenum in pomi esu hauriendum exhiberet Sathan primis parentibus illius specie animalis larvari voluit; quod oris affabilitate cordis obtegeret venenum. Sicque primi mundi accolæ, cùm sibi non timerent à callidissimo hoste, & incauti processissent, promptiùs corruerunt; & ab hoste domestico amicitiam simulante in ore, & odium fovente in corde, mors inducta est in totum humanum genus; tunc oculatiùs extimendus est hostis, cùm occultiùs vel præmia spondet, vel lenocinijs demulcet verborum, & ab omni vindictæ specie se alienum ostendit. In editiori montis fastigio suis utrinque stipatus militibus David blandas æquè, ac pias Saulis voces audit, imò & lachrymas videt. *Et levavit Saul vocem suam, & flevit, dixitque ad David: justior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Quis ex verbis hisce melle oblinitis, pietatem redolentibus sinceræ non intulisset amicitiæ tesseram? & nihilominus tunc David magis sibi timuit, & unà cum suis locum petit tutiorem, & accessu difficiliorem, quia ut expendit Carthusianus, *David, & viri ejus conjecerunt, quòd brevi eos insequeretur:* verba enim illa sacharea, & mellita nonnisi cor felleum indicârunt: proinde cùm primùm David verborum audivit lenocinium, meritò districti gladij cœpit aciem expavescere: an non se pium in Davidem, & amicitiâ devinctum nitebatur ostendere Saul, cùm dixit: *justior es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala:* justitiam commendat Davidis, laudat virtutem, fatetur munificentiam; & nihilominùs tunc magis formidatur, quia per lenocinia verborum sævit periculosiùs; odium non evomuit ore, quod corde tegebat. 53. 1. Reg. 24.

§. VI.

§. VI.

Truculentiùs sævit, debacchatúrque odium, si larvâ tegatur amicitia. Verba tunc loquitur melle oblinita, saccharo inspersa; noxium ut venenum propinet, & lethalius vulnus infligat.

54 PLerumque sub larva amicitiæ truculentius sævit odium, proinde *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis* Proverb. 27. etiam Joab ob præconceptum in Amasam odium, quò tutiùs è vivis eum tolleret, inter oscula, & amplexus eidem necem intulit. Erat Amasa filius Abigailis sororis Davidis, quem Absolon in suas partes abduxerat, Præfectúmque in castris rebellantium constituerat copiarum exauctorato Joabo, eò quia validissimam omnium Tribum Judæ Davidi reconciliaverat. Idque iniquiùs ferens Joabus pluribus titulis de Davidico regno benè meritus atrocem injuriam interpretatus sibi ab Amasa illatam, nil die, noctúque mente molitur, quàm Amasæ internecionem; utque quod mens intùs volvebat, tutiùs manus exteriùs perficeret; larvatus ementitæ amicitiæ specie hominem adit, salutátque perhumaniter, & dum osculum amici animi symbolum figit, levâ manu mentum Amasæ apprehendit, & dextera vulnus infligit, seu dolosum pugionem immergit in ilia Amasæ nil timentis. *Salve mi frater, & tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi deosculans eum, & percussit eum in latere, & effudit interiora ejus*, (Reg. 20.) osculum fronti fixit, sed pugionem lateri infixit: salutem auribus ingessit, sed sicam visceribus intorsit; fallacissima, ac lenocinante usus linguâ fratrem vocavit, quem odio exulceratus ferro jugulavit: sic Judas Iscariotes Magistrum Christum perfidissimo osculo necandum tradidit nefandis sicarijs.

55 Quid? quòd frequentiùs in aulis Principum, quàm alijs in locis, figuntur, & finguntur proditoria hæc Joabi, & Judæ oscula? Quot in aulis ostentant ea se velle, quæ revera nolunt; & ea nolle, quæ enixim videntur concupiscere; ambire videri volunt, quæ adversantur; & ea aversari, quæ ambiunt. Tibi plures ibi obviant ore damnantes improbos quosque; cùm sint ipsi corde improbissimi: affectant alij summis probos laudibus excipere, cùm sint ipsi omnis probitatis prorsus ignari: pietatem satagunt vultu præferre, cùm tota mente impietati famulentur. Alij etiam reperiuntur, qui toti ad obsequia videntur proni, ore ridente, fronte serena, oculis ad hilaritatem compositis, ad genua usque decrescunt; ut sua alijs prodant obsequia, cùm tamen eorum cor persæpe felle, ac mœrore inficiatur, & nonnunquam odio etiam exitiali ulceretur; & inter obsequia, quæ venerabundi exhibent, insidias obtendere moliuntur, quibus alios in perniciem, & sibi ad pinguiorem fortunam viam nituntur sternere; sed plerumque ijsdem miserabiliter implicantur, & quod pueris obtingere ob ignorantiam assolet, ijsdem ob improbitatem accidit. Aliqua plerumque pueri amplectuntur, ut sibi commoda, quæ dispendia esse inveniuntur, ut scitè (4. variar.) Cassiodorus. *Ignara pueritia contraria gerit, quæ profutura putaverat.*

56 Hoc idem Aulicis e vanidæ gloriolæ cupidis contingit, pluries quæ sibi profutura putârunt, detrimentum attulisse deprehenderunt, quia superna Numinis providentia ipsam perversorum vafritiem in eorundem obarmat pœnam. Expertus id fuit Saul, cùm magnis laboribus Davidi laqueos obtenderet; incidit enim in idem periculum, in quod Davidem pro viribus satagebat adducere, improvidus enim se se obtulit Davidis gladio, cùm ferventiori odio eum prosequeretur. *Venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti. Erátque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem: Porro David, & viri ejus in interiore parte speluncæ latebant.* (1. Reg. c. 24.) Non cogitâsset Saul, potuisse Davidem circa viam latitare, & ob id ipsom ibi latuit, ubi publicitas viæ remotiorem à suspicione eum constituerat; proinde Saul odio persequens Davidem tunc in manus adversarij incidit, cùm studiosius eum rapere satagebat. Meruit David protegentis Numinis præsidium, cùm fugeret improbi Saulis vafritiem, cúmque persequeretur Saul injustè innoxium, periculum sibi nocenti maturavit, quia ut rectè Regius Vates: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator:* (Psal. 9.) quia nimirum improbi in eosdem incidunt laqueos, quos in perniciem protendunt aliorum, quos odio persequuntur: sibi improbi discrimina imprudenter solicitant, quoties solicitiùs contra innoxios retia obtendunt: quia scilicet odium eas cæcitatis offundit tenebras, ut odia, qui fovent, pericula non videant; imò eâ furoris amentiâ obcæcantur, qui odij delirijs aguntur, ut sua sibi frequentiùs maturaverint præcipitia, dum avidiùs in aliena enixi sunt detrimenta currere. Saul militum cogit delectum, & ut Davidem insequeretur, per abruptas petras, exesósque montium scopulos conatur inscendere, ubi vel ipsis sylvestribus capris videtur iter perarduum, & facilius præcipitium. *Perrexit ad investigandum David, & viros ejus etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus pervia sunt.* (1. Reg. c. 24.) Cùm enim prærupta illa saxa solis essent ibicibus, ceu rupicapris pervia, indubia erant hominibus præcipitia; & nihilominus adeò exulceratum odio in Davidem fuerat cor Saulis, ut nec difficultatibus prærupti itineris deterreretur, neque imminentis præcipitij periculo coërceretur, quò minùs Davidem sibi invisum pertinaci conaretur capere insecutione: adeò obcæcantur, qui insaniente odio ducuntur, ut nec præcipitia, neque imminentia exitij pericula videant: sibi, suísque Saul præcipitia,

tia sollicitaverat ; Davidem sibi odiosum quæsiturus , quem per abruptissima saxa, scopulósque excelsos , & itinera solis ibicibus pervia ad necem insequebatur ; idque ut exoculato adularetur odio , ac deliræ obsequeretur malevolentiæ ; hinc Oseas loquens de improbis illis , qui nonnisi lethalia fovent,
Cap. 7. odia ait : *Applicuerunt quasi clibanum cor suum , cùm insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos , manè ipse succensus quasi ignis flamma :* nimirum ut odio percitus , ac insidiator justos affligat , innoxios perdat , clibani instar ardentissimis exæstuat flammis , & quia odio obcæcatus flammas minimè videt , in quas miserè se injicit ; tetro odij incendio , & fumo æstuans , & cæcutiens , non videt contra se flammas illas armari , quibus alios adurere adnititur ; flammis , quas in perniciem aliorum accendit , miserè ipse coquitur , peritque.

57. Oderat Saul in Davide justitiam , & æquitatem , cæteràsque virtutes , quibus regio sceptro dignus commendabatur ; & proinde nullum fuit Numinis patrocinium fortitus ; quia armata injustitia suffragia non invenit. Imò scelesti manu prorsus evelluntur, qui innoxios, & Numini charos odijs pertinacibus persequuntur ; quia ut
Lib. 9. varr. cap. 21. scitè Cassiodorus ajebat : *Indiscreti hominum mores , confusíque vagarentur , si aut culpa formidinem , aut virtus præmia non haberet :* perinde ac virtutem gloria, ita pœna comitatur culpam , fuit enim semper delicti ultio pedissequa ; ne si improbi impunè delinquerent , vitium grassaretur , & triumpharet in exitium virtutis , & perniciem reipublicæ : & licèt culpam pœna sequatur severior ; tamen districtio eos urget , qui in charos Deo iniquis conflagrant odijs. Cùm primùm vidit Jonathas Saulem cæci odij insania in Davidem insurgere , dirísque persecutionibus Dei amicum divexari filijs suis solicitè providit tu-
1. Reg. cap. 20. telam , & exoravit misericordiam. *Non auferes misericordiam tuam à domo mea usque in sempiternum , quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra :* non dicit , si fortè eradicet sed *quando eradicaverit* , eò quia minimè dubitaret , reliquos filios Saulis pertinaci odio Davidem insectantis evellendos esse , ac penitus prosternendos ; & quidem non humano consilio , sed decreto cœlesti , quia solet Deus unius suppliciò reliquos admonere , ne delictum grassetur impunitum ; odium , quod contra Davidem protervè fovebat Saul totam radicitùs ejus evertit domum , avolsítque liberos ; tametsi David patienter omnia adversa tulisset ; cœlestis tamen invigilavit justitia ultura etiam in filijs patrem ; non enim poterant filij efflorere , cùm constaret , eorum patrem flammis aduri exitialis odij. Etiam in aula Assueri Aman ob odium , quod foverat contra Mardocheum , acerbam patibuli meritò pœnam tulit ; imò & ipsa morte acerbiorem etiam infamiam , quin & ejus filij acutis affixi stipitibus disperierunt. *De-*
Esther. 9. *cem filij Aman in patibulo suspenduntur: præcepitque Rex , ut ita fieret :* nimirum ut tota posteritas pertinacissimi odij , ac injustæ persecutionis promeritas daret pœnas , radicitùs evulsa fuit , ac patibulis discruciata.

Non in alios tantùm , quod in corde fovetur odium sævire solet ; verùm & in 58
ipsum foventem , ac nutrientem perniciosissimum hunc affectum , & ideo plures odij cæcitate ita insaniunt , ut in se ipsos furere videantur , cùm cæcis suis adlaborant affectionibus adulari , & ut ajebat Constantinus Magnus apud Eusebium *lib. 3.* loquens de odio , quo Judæi dissagrabant in Christianos : *cæco animarum errore fordidatè meritò tenebantur* , quia ut observat Nazianzenus orat. 1. *Plerumque veritas subripi odio solet :* quia protervitas odij tenebras offundit , quibus mens cæcutiens veritatem non videt : hinc Plutarchus de Iside refert : ejus sacerdotes adeò fuisse mare aversatos , ut salem sibi interdixerint , quem à suis etiam amandaverint , & excluserint mensis sanè insipidis , cùm nulla salis guttula condirentur. Ait Plutarchus : *hinc mare sacerdotes detestantur , salémque Tiphonis appellant spumam , & ex interdictis in mensa salem nefas est apponere :* Salem sapientiæ esse symbolum nemo ast , qui nesciat , & cùm salem sibi interdicerent, omnem prorsus videbantur à se sapientiam abijcere , ostensuri non posse odium oti prudentiâ , cum destituatur sapientiâ : testes adduci possunt Gethæi , qui eo odio contra Israëlitas conflagrârunt , ut maluerint Arcâ circumductâ acerrimis uri doloribus , ne ad Hebræos diverteretur. *Illis autem circum-*
1. Reg. 5. *ducentibus eam fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis :* ne staret apud Hebræos Arca , maluerunt ipsi cadere ; hinc quærit Abulensis. Cur
Quæst. 11. Philisthiin Arcam non miserint ad Hebræos, cum reciperent propter eam circumductam tot mala ? & respondet : *quia si apud Hebræos stetisset , quantò potentior esset , tantò magis Hebræos adjuvâsset.* Verebantur Philisthijn , ne si Arca ad Hebræos reverteretur , quos odio prosequebantur , meliorem isti fuissent fortunam adepturi : & ne quidquam boni Hebræis obtingeret ob restitutam Arcam , maluerunt ipsi gravissima perpeti mala , ac plaga concuti ad internecionem , quam odium elegerat , ne melior fortuna Hebræis arrideret : adeò offusis odij tenebris cæcutierunt Philisthijn , ut disperire maluerint , quàm æmulorum gloriam spectare ; plúsque sibi infert odium damni , quàm alijs detrimenti.

59. Scimus Saulem à Dæmone exagitatum in Davidis lyra alexipharmacum adinvenisse 1. Reg. cap. 16. *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocilabatur Saul.* Sed cùm primùm audivit Davidem plausibus à puellarum choris acclamatum, eo cœpit exardere odio, ut in eum hastam contorserit: *Invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ. David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies; tenebátque Saul lanceam, & eam misit, putans, quòd configere posset David cum pariete.* (1. Reg. cap. 18.) Quid? quòd si telo confoditur David, nulla supersit Sauli medella, & is liberiùs ab hoste distorqueatur tartareo; & tamen ex odio cæcutiens maluit ipse tormenti eligere tolerantiam, quàm Davidem audire faustis, festivisque vocibus acclamatum; pulchrè Basilius Seleucensis: (Orat. 15.) *quo pacto Saul audes talia? quid in te ipsum hastam vocas? si Davidem sustuleris, quomodo Dæmonem persequeris? quid eum mori cogis, à quo unicum salutis speras remedium?* Quamvis David unicum foret divexati à Dæmone Saulis remedium, hoc tamen carere maluit, quàm invido desinere in eum odio sævire.

60. Durus carnifex est, quod in pectore nutritur odium, foventem se jugiter discruciat: & tartareus ipse hostis homines pressurus duriori tyrannide pravis assolet affectibus tradere, odióque præsertim insanienti; quia si ambitio torquet, voluptas discerpit, cupiditas adurit, odium enecat, & qui odium fovet, dolorem sibi, & necem maturat; imò quem odium torquet Sisypho pariaverim ingenti saxo illigato, vel Ixioni volubili rotâ se ipsum insectanti, vel Prometheo splendoris olim ambitioso exesis, & renatis visceribus jugiter discruciato: nulla enim improbo potest pœna acerbior obtingere, quàm si intus odio torqueatur: quisquis enim pravum hunc fovet affectum ingentem sibi materiam perturbationis, ac doloris adsciscit: aliena felicitas invidum rumpit, & odio habentem sævè distorquet: nil odium molitur, quàm clades, necésque cruentas, ac pœnarum incrementa: hæcque causa fuit, cur Naas implacabili odio in Jabesenos exæstuans, utróque oculo eos noluerit orbare, sed tantùm dexterum eis eruere custodito sinistro: *Eruam omnium vestrum oculos dexteros.* (1. Reg. cap. 11.) Sed cur non etiam sinistros? ut nimirum graviore eos dolore divexaret, tormentóque intolerabili discruciaret: sinister oculus symbolum est odij, quia qui illud fovet, nonnisi sinistrè aspicit, quem odio prosequitur; igitur Naas ut implacabili adularetur odio dexterum tantùm eruit oculum custodito sinistro, quia eorum aspectu usus fuit, ut duro carnifice ad incrementum doloris, ad multiplicandum tormentum; ut in eos duriùs, diriúsque desæviret, sinistrum custodivit oculum, quo acriùs distorquerentur.

Imò non corpus tantùm, & viscera intus corrodit odium; verùm & ipsum honorem, famámque commendatam graviter lædit: neque odiorum obnoxij phrænesi curant famæ, honorísque opinionem. 61.
Decreverat Saul Davidem interficere, sed aliquo quæsito colore, & ob id mortem distulit in sequentem diem, arbitratus posse secretim falsos adducere testes gravissimis Davidem reum criminibus asserentes; dignúmque extremo supplicio: verùm cùm cogitabundus hæsisset, sententiam mutavit, misítque apparitores, qui omni disrupta cunctatione statim Davidem caperent, quamvis innocentem, & contra fas occiderent: *Misit autem Saul Apparitores, qui raperent David:* (1. Reg. cap. 19.) sed cur fucatum saltem aliquem non quæsivit colorem, larvatum non concupivit titulum ad propulsandam ex nece illa infamiam, quam inde erat contracturus? præsertim cum populo antea mortem illam non intulerit ex metu notam subeundi indecoram? Respondet Abulensis in Saule augmentis exarsisse odium, (Quæst. 18.) ut jam quodammodo visum fuerit in delirium transiisse, cum Saul impatiens moræ honorem postposuerit, famámque propriam despexerit, bonámque de se opinionem in vulgus neglexerit, solúmque sitiverit Davidis sanguinem, quo præconcepti odij leniret, vel sedaret ardorem: *quia odio ardebat*, ait Abulensis: *preponebant illud honori suo, & famæ, non curans, an in executione talis homicidij infamaretur, vel non: cum tamen sequeretur odium à principio, quia fama sua erat sibi chara, voluisset eum occidere per dissimulationem.* Tametsi sub initijs infamia iminens suppetias verecundiæ tulerit, & timor incurrendi dedecoris notam manus coërcuerit; cùm primùm postea incrementum odium subijt, ejúsque incendium acriùs exarsit, non ampliùs honorem curavit, nec solicitus fuit de infamia declinanda, dummodo Davidis sanguine suam posset sitim lenire: sic odium rationem hebetat, sic ejus lumen extinguit, sic cor stimulat, ut quodam veluti delirio homines ad flagitia quæque impellat etiam cum famæ, honorisque detrimento: Saul siquidem, qui antea proprij extimuit læsionem honoris; cùm primùm cœpit vehementiori æstuare odio, omnem neglexit honorem, nec curavit infamiam ex nece Davidi inferenda orituram.

Plerumque, quos ratio non cohibet, ipsa verecundia coërcet; verùm si huic odij succedat incrementum, quidquid antea coërcuerat verecundia, laxat, disrumpítque superaccedens odium, mentem prorsùs obnubilans, ne infamia ex flagitio incurrenda videatur, ac timeatur. Licet Magnates, & Prin- 62.

Principes scelerum effugiant pedissequas pœnas; non tamen infamiam possunt declinare: cùm enim vitium non solùm pœnæ depr... datur obnoxium, sed notis respersum infamiæ, has nec impedire, nec obliterare potest, ex odio alienum qui sanguinem fundit: quidquid ab honestate exorbitat, honorem deturpat, & famam innubilat; & perinde ac à nocte illuni, ac intempesta dispelli tenebræ minimè possunt; ita neque à scelere caligines separari dedecoris, & maculæ infamiæ: ea autem offusa est cæcitas odium foventibus, ut hi flocci faciant ignominiam, si incutiendam frustraverint pœnam; cùm tamen longè gravior sit læsio famæ, & honoris, quàm corporis cruciatus: & nisi virijs, & flagitijs præter pedissequas pœnas, infamiæ, ac ignominiæ adnecterentur notæ; viros Principes, quos pœnarum timor non coërcet; effrœnis appetitus, affectúsque corruptus in omnem perduceret scelerum enormitatem: sua enim potentia tuti supplicia eluderent, edicta contemnerent, ac jura omnia ad improbitatis arbitrium disponerent: nullus esset, qui præconceptum in pectore odium niteretur extinguere, si saltem enormitatis ingloriam effugere non satageret. Scitè Seneca: *Mul-* Epist. 97. *tes fortuna liberat pœnâ, metu neminem: quare? quia infixa nobis ea rei aversatio est, quam natura damnavit.* Quamvis potentiâ Magnatum supplicia, quæ scelera sequuntur, frustrentur; aliquid tamen adhuc superstes hæret sceleri, quod nec declinare valeat, nec inhibere, quò minùs conscientiam laceret, éstque ipsa infamiæ nota, quæ ex sceleris enormitate necessariò enascitur.

63. Tametsi scelerum non luant pedissequas pœnas viri Principes; non tamen dedecus possunt evadere, nec impedire, quin proprio honori injuria inferatur, neque propriæ famæ nota non inuratur dedecoris. Scimus Abimelechum Pantheræ feritatem supergressum fraterno sanguine copiosè fuso terram fœdâsse, Regnúmque enormi hoc scelere obtinuisse, & per fratrum vulnerata pectora ad thronum sibi viam aperuisse: & Principes, qui ejus partes secuti fuerant, quíque consilijs eum juverant, fuisse etiam extra legem impunes, imò etiam honore insignitos, & ad dignitates clariores promotos. Verùm æquè Abimelechus, ac Principes apud gentes omnes patrati flagitij notabantur infamiâ. *Cœperunt eum* Judic. cap. 9. *detestari, & scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum in cæteros Sichimarum Principes, qui eum adjuverant:* quamvis execranda Abimelechi impietas fuerit muneribus donata in sceptri, Regnique assecutione, licèt nullam ex patrato scelere pœnam luerit, & Principes Fautores ab omni fuerint etiam ipsi pœna immunes; non tamen diffugere valuerunt, quin apud omnes execrabiles haberentur: ubi enim textus latinus ait, *& scelus interfectionis*, ex hebræo ita redditur: *Ut veniret injuria septuaginta filiorum Jerobaal, & sanguinem illorum ponendum super Abimelech fratrem eorum, qui occidit illos, & super Proceres Sichem:* rectè textus hebraicus ait, *ut veniret injuria:* hoc est, ut ab omnibus injurij, & exosi haberentur, & perinde ac probra naturæ ab omnibus despicerentur, haberentúrque contemptui: licèt patrati sceleris nullas dederint pœnas, non tamen præconcepti odij valuerunt detestabilem infamiam effugere.

Cum vidisset cultor ille incultæ solitudinis Joannes Baptista Herodem, Reginámque luxuriæ administram libidinum in aula debacchantes sceleribus, contra naturæ leges, justitiæ terminos, voces illas emisit in aula. 64 *Non licet tibi habere uxorem fratris tui:* Marc. verùm hæc in aula prolata veritas odium peperit, quod præsertim fœminam libidinibus addictam adussit, torsitque in corde; cúmque diei natalis Principis opportuna accessisset celebritas, & inter se Mater impudica, & filia saltatrix aliquid petendum statuissent, saltatrici optionem concessit, quam jurejurando firmavit Herodes, id petendi in præmium ductæ choreæ, quod magis placuerit; sed puella saltatrix suggerente matre ob præconceptum odium in Joannem Baptistam, nil aliud petijt, quàm caput Prophetæ, quod statim affertur in disco, & mors Baptistæ convivantium epulis peragitur. Et quamvis Herodes, & Herodias patrati sacrilegij promeritas non dederit pœnas: vox tamen Baptistæ etiam post jugulum disectum altiùs inclamavit, & infamiam evulgavit occisoris, scitè Basilius Seleuciensis. *Abscissum quidem est* Orat. 1 *caput; nec tamen Joannis vox tacet: æternùm loquetur post funera: Accusatorem in te mulier armâsti; neque enim cum capite vocem quoque præcidisti. Etiam post jugulationem superstes tibi est accusator, plena criminum tuorum terra, audaciam maria ipsa mirantur, cœlum supernè cum Joanne vociferatur: linguam unam sustulisti, sed vice lingua Joannis, totus est mundus ad te accusandam, creatura plena vocis est.* Evaserunt quidem libidinibus indulgentes, & execrandi sceleris authores pœnas promeritas præpotentiæ privilegio: non tamen effugere valuerunt infamiæ probrum, & dedecoris notam; cum totus mundus functus officio linguæ scelus promulgaverit. Audent præpotentes in scelera proruere nullo incurrendæ pœnæ timore coërciti: verùm pro supplicio insurgunt hominum linguæ, quibus nomen devenustatur, fama aduritur, & impudentia suggillatur.

Odium adeò cæcutit, ut nec ipsas actiones omni vestitas honestate videat, imò & aures obturat, ne verba veritatem 65.

pro-

proferentia audiant. Veritatem edixerat Baptista in aula Herodis, sed quia odium peperit, aures non pulsavit, sed cor exulceravit. Pulchrè Tertullianus. *Quid hic deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam inauditam damnabunt veritatem? Cæterum inauditam si damnent, præter invidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ, & nolentes audire, quod auditum damnare non possunt, hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odium, erga nomen Christianum*, loquitur Tertullianus de odio exitiali, quod Ethnici contra Christianos enutrierant, quô ea fuêre cæcitate capti, ut eorum etiam præcellentes, summásque virtutes niterentur infamare, & dumos asserere flores; spinas, quæ rosæ erant; & stercora ipsa lilia. Non sinit furens odium aures audire, nec oculos videre, rectè Lactantius. *Timent ne à nobis revincti manus dare aliquando clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus, quo planè ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cum neque cognoscere, neque congredi audeant, quia sciunt se facilè superari*: adeò odium in Ethnicis contra primævos increverat Christianos, ut nullum pro istis patrocinium admitterent, nec ullum juris suffragium attenderent, quia odium cæcutientibus circumseptum tenebris perperam judicat, virtutes damnat, & ipsos virtutum propugnatores audire detrectat. Sed cœlesti manu prorsus evelluntur, ac dissipantur, qui virtutum cultores, ac Dei amicos odijs prosequuntur exitialibus: indiscreti enim, confusique in omne scelus dilaberentur hominum mores, si neque scelus supplicij formido coërceret, nec virtutem præmij promoveret illicium; perinde ac gloria virtutem comitatur, ita sceleris pedissequa semper est pœna, & severior eos districtio urget, qui in Dei servos, ac virtutum studiosos protervis deflagrant odijs, durísque eos affligunt persecutionibus. Viderat Jonathas Saulem cæcutiente odio insanire contra innocentem Davidem, & statim filijs suis solicitè tutelam providit, exoravítque misericordiam. *Non auferes misericordiam tuam à domo mea usque in sempiternum.* Timuit enim, ne quod Saul iniquum foveret in pectore odium, universam statim everteret familiam, pro cujus incolumitate Numini eximiè supplicavit, precésque fudit.

In Apologet. cap. 1. — *l. 5.* — *1. Reg. 20.*

❀ (o) ❀
❀

§. VII.

Nil duriùs, diriúsque nihil obtingit odiò exulceratis, quàm non posse odiosorum jussionibus refragari; ut & jugo subjici illorum, quorum odio se inflammari præsenserant.

Quòd si odium in eum foveatur, cujus jugo subjici cogitur, tunc non urente 66
tantùm incendio præcordia odium discruciat, sed totum hominem suppliciorum gehenna distorquet: omnis quippe servitus humanæ naturæ deprehensa jugiter fuit odiosa, ac prorsus invisa; nec ab ipso mundi exordio verita fuit prima fœmina vitam irreparabili exponere discrimini, rata jugum posse subjectionis excutere; licèt tunc ex heta, & libera facta sit serva, cùm soluta à quovis subjectionis tributo esse voluit; hæcque ratio, cur Josephi fratres post prodita somnia ejus decreverint internecionem: timuerunt, ne illis dominaretur, & ideo necem moliuntur. *Ecce somniator venit, venite, occidamus eum*: sed cur fratri ascensuro ad thronum mortis obtendunt præcipitium? An non uberiora ex fratris dominatu videbantur ijsdem oriri commoda? eh quid tumens potuisset ambitio splendidius concupiscere, quàm fratrem regio diademate redimitum salutare in throno sedentem? cur igitur insanientes interficere gestiunt, quem pinguior fortuna ad apicem regiæ dignitatis evehere per immissa somnia destinaverat? Causam fraternæ internecionis innuit sacer Textus. *Videntes fratres ejus, quòd à Patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum*, arduum, ac perdifficile ipsis videbatur fratri subijci, in quem odium nutrierant intùs in pectore: non curârunt commoda, quæ ex fratris regno in ipsos redundâssent, cuilibet renuntiârunt utilitati, floccique fecêre honorem, qui ex fraterno diademate posset in ipsos diffundi; dummodo dolorem; quem ex præconcepto odio præsentiebant, abigerent: nil enim durius, nil dirius ijsdem visum fuerat, quàm non posse odiosi jussionibus refragari, & jugo subijci illius, cujus odio se inflammari præsenserant; scitè Chrysostomus. *Odio illum prosequebantur, & impugnare moliebantur, & quotidie ipsius cædem meditabantur, quia cùm ipsi vivere non possent sub dominatu illius, cujus odio jam urebantur, cruentam moliuntur cædem*: si odium subditorum pectora exasperet, si dissidium eorundem corda possideat, tunc subjectio suppliciorum secum trahit gehennam; & quidquid præcipitur, difficultatem adducit invincibilem.

Genes. 37. — *Genes. 37.* — *Homil. 61. in Genes.*

Expresserat hanc veritatem S. Lucas: 67
cùm narraret, hominem quemdam profectum fuisse in Regionem longinquam enacturum sibi regnum hæreditarium, cùm

tamen concives odio inflammati legationem instituerint, eúmque in Regem accipere recusaverint. *Cives ejus oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Verùm parum legatio profuit; Regnum siquidem etiam invitis civibus occupavit, cœpitque eos ulcisci, qui sceptrum ausi fuerant ipsi recusare: *Inimicos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me:* tunc auditâ extremi supplicij dura sententia non cœperunt lachrymas fundere, qui sanguinem erant mox effusuri; nec manus supplices in altum tendere, qui cervices flectere debuerant; nec importunas iterare preces, qui verba protulêre, quibus à Regno Rex excluderetur: nullum legimus protulisse verbum, quo in miserationem flectere regem niterentur: cum tamen ære alieno gravatus solatium invenerit apud suum Herum, cui enixim supplicavit: *Procidens servus ille orabat eum, dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Quare exemplo hujus debitoris, eruditi concives non fategerunt duram mortis sententiam precibus declinare, vel lachrymis obliterare, vel saltem emollire? sed cur instante morte, nec preces fundunt, nec lachrymas effundunt? quia nimirum alterutrum ex hisce duobus sustinere opus ijsdem erat; vel odiosi Regis parêre præceptis, obsequi mandatis; vel cruentam subire necem: & cum præconcepti odij exulcerarentur intus aculeo, dolorémque experirentur superatu difficilem, maluerunt gladio cervices flectere, quàm manus supplices sursum erigere, & prece regem ad veniam inflectere; promptiùs elegerunt caput offerre amputandum cultro, quàm jugo odiosi sibi Regis collum submittere: ait enim Theophylactus: *odio habentes illum noluerunt supra se regnare:* perire maluerunt, quàm jugo subijci Regis, cujus odio torquebantur; & maluerunt perire, quàm obsequi: neque legationem instituerunt, ut mortem fugerent; sed dominatum, ut declinarent odiosi, necem libentiùs subjerunt, adeò dura est hujus pravi affectus servitus, ut flecti nesciat, frangi malit; adeò pertinax est, quod pectore innutritur odium, ut supplicium præferat lachrymulæ, quâ latam mortis sententiam obliterâsset.

Luc. 19.

Matth. 18.

In Luc. 19.

61. Non in Reges tantùm terræ sævit odium, verùm etiam in ipsum debacchatur Deum. Cùm ex odio Judæi causam mortis, quâ Christum perderent, invenire fategerint; detestabili odio Scribæ, & Pharisæi exulcerati falsos subornârunt testes, qui Dei filij virtutem obscurarent, splendorem delerent, lumen extinguerent, cùmque nec auro, nec argento potuissent iniquum assequi propositum veritatem per ipsos scrutari nituntur: sed tunc Christus æternum Patrem honorans veritatem statim protulit, inquiens: *Videbitis filium hominis sedentem à dexteris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli,* his ee auditis verbis sacerdotum Princeps quasi superveniente telo ictus in præcordijs ingemuit, & quo intùs torquebatur externa vestium scissione, dolorem indicavit: *Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua;* quia ut expendit D. Hieronymus, odio exulceratus, furore testatur se perculsum: ait ipse: *Pontificem, quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendum vestes provocat:* verùm si tam ardente desiderio mortis causam aliquam coloratam invenire satagunt, cur dilaniante intus rabie discerpuntur? & cur Christus non dixerit eos flammis tradendos, ut de patrato flagitio pœnas darent promeritas; sed ijsdem proponit filium hominis ad supremum regni fastigium evectum suis oculis esse inspecturos? *Videbitis filium hominis sedentem à dexteris virtutis DEI.* An fortassis ut graviori eos torqueret supplicio enuntiata ejus elatione ad culmen Imperij? ita est, odio cùm Scribæ, & Pharisæi Christum prosequerentur, nullis poterant diriùs verberibus percuti, quàm verbis supremam eis Christi gloriam indicantibus; nil enim acerbiùs hominibus exitiali odio in Christum furentibus poteuit obtingere, quàm eosdem adigere ad sustinendum ipsum Prælatum, & ad summum dignitatis culmen evectum. Eos ab execrando, detestandóque sacrilegio repressurus, non dixit, ipsos gehennalium flammarum nigris vorticibus devorandos, non pœnis intolerabilibus discruciandos, non æternis supplicijs torquendos; sed eundem quem odio prosequebantur, & animitùs aversabantur inspecturos mox dominantem cum potestate magna; & sedentem à dexteris virtutis Dei, quasi sæviori dolore lancinarentur, & acutiore pugione intus exulcerarentur per verba ejus, quem oderant, manifestantia dominium, & gloriam, quàm per verbera, quodcumque aliud tormentum afferentia, unde pulchrè Hieronymus: *Pontificem furor excusserat, rabies ad scindendum vestes provocat;* quia nimirum rabies omni cane pejor, tunc cœpit Pontificem exagitare, cum hic Christum sibi infensissimum, incepit regnaturum audire, tunc animo cecidit, cùm Christi ascensus ad thronum ipsi innotuit, furebat Pontifex ad regni vocem; odium acriùs intùs præcordia exulcerabat, eùm foris debuisset sedentem in solio videre, quem ex odio morti traditum vellet.

Matth. 26.

Quemadmodum, quod in pectore innutritur odium, gehennam excitat tormentorum; ita è converso quæ in corde fovetur charitas, omnia ad se commoda trahit, amor enim omnia levigat, nec coacta obsequitur obedientia, quoties imperantis placet persona, amatur præceptum, vóxque diligitur: *Erigite nunc, animos* (ajebat Athalericus 63.

apud

apud Cassiodorum: *& Deo propitio meliora semper optate, ut sicut à charitate potestatem regiam inchoavimus; ita tranquillitatem Deo placidam sequentibus temporibus exequamur.* Tunc Princeps tutâ regit tranquillitate, cùm à charitate exorditur imperium, & commoda studet subditorum, qui tametsi deliquerint, non tamen debet Princeps odio, sed potiùs amore eos prosequi.

70. Est dilectio eorum, qui nos oderunt, quæ Christianum supra cæteros commendat; neque quidquam olet probri, si apertis ulnis hostem quis amplectatur, & in sinum admittat, non enim è pectore dicitur dignitatem excutere, qui in pectore, ac corde hostem complectitur: neque audiendi sunt, qui id dant dedecori; non enim Christi præcepta, & consilia ullum secum probrum
Psalm. 18. trahunt, cùm dicat David: *Lex Domini immaculata convertens animas*, si ab omni expurgata macula fœdare non potest, nec maculis inficere; & cùm Christus Matth. 5. nobis injungat inimicorum dilectionem: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, nequit hujusmodi dilectio, seu præclara amoris flamma quidquam denigrantis, & obscurantis prodere, cum enim Regius Vates vocet, *preceptum Domini lucidum*,
idem. utique plenum lucis effulgurat, non infuscat; splendores emittit, non caligines denigrantes immittit. Plus enim decoris hauritur ex dilectione hostium, qui odio nos fuerant prosecuti, quàm ex amore amicorum, qui vinculo humanæ societatis, veræque amicitiæ fuêre nobis semper devincti.

71. Idque ut Discipulos suos Magister Christus edoceret, quamvis ad mare Tiberiadis Regnum repudiâsset à turbis eum sequentibus oblatum, & cujus declinandi causâ solus in montem secesserat: non tamen ultimo affectus supplicio, crucique affixus titulum voluit Regium respuere Joan. 19. *scripsit autem, & titulum Pilatus, & posuit super crucem, erat autem scriptum JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM*, & hunc Regium titulum luculentiori etiam calamo descripsit Lucas characteribus scilicet græcis, latinis, & hebraicis, imò & eas etiam nobis Christi voces expressit, quibus agens animam enixim æternum Patrem rogavit pro suis carnificibus, veniámque impetravit: *JESUS autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quàm præclarè, quàm splendidè ibi Christus Rex inscribitur, Réxque salutatur, ubi non solùm convicianti Latroni indulget; verùm, & ferocienti contra se Synagogæ, & præ odio crucifigenti veniam impetrat; & tesseram prodit veri amoris, & sinceræ charitatis, quâ populum contra se sævientem dilexerat: nullibi admiserat Christus Regium titulum, quem tamen patitur, cùm pendens è cruce orat pro suis inimicis, quibus ex vero indulget amore, & injurias, ac supplicia sibi illata libenti animo, & aperto cordè condonat: nimirum Magister Christus ex crucis cathedra hanc suis discipulis, & fidelibus lectionem dictavit, & exemplo fortiùs, quàm verbis edocuit; non esse dedecus, nec probrum, illatas sibi condonare injurias, & hostem amoris amplexu in sinum admittere, altiúsque in corde imprimere; sed honorem, ac dignitatem ex dilectione inimici, qui nos oderat, splendidius subire incrementum. Omnium nationum litteris Rex salutatur JESUS apud D. Lucam, à quo fertur supplicâsse æterno Patri pro suis inimicis.

Sed cur in capite titulus inscribitur Re- 72.
gis, & non potiùs in latere, ex quo & gladius pendet? quamvis Regia dignitas ejus fulgeret in capite; adhuc Regius Titulus insculptus erat femori redemptoris: *Habet in* Apocal. 19.
vestimento, & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus dominantium, & tamen nusquam Christi femori appensum audivimus gladium, aut acinacem; idque cùm & David ipse prævidisset, ei visus est suasisse, gladio latus obarmare: *Accingere* Psalm. 44.
gladio tuo super femur tuum potentissime: quia gladio erat destitutus, admonetur à Regio Vate, ut eo succingatur inquiens *accingere*, quia scilicet nondum fuerat accinctus, non enim miles ad bellum instructus, armisque stipatus, monetur, ut gladio armetur, cum jam supponatur armatus. Quinimò Regni characteres femori potissimum dicuntur imprimi, & cum arma Reges deceant, non horreret femur gladio muniri. Christus verò Regis Titulum admisit in capite, non in femore gladium, quia non ferire, sed sanare venerat; non necem inferre, sed vitam afferre.

Verùm objicies mihi, prodiisse filium 74.
hominis gladio obarmatum, utrinque flammis stipatum super candelabra, & quidem tantæ plenum majestatis, ut Joannes in terram pronus ad ejus pedes procubuerit mortuo similior, quàm viventi propior; sed licèt Joannes viderit filium hominis cum ense inter candelabra luminibus instructa, non tamen legitima inde deducitur illatio, in hominum ultionem gladium illum adhibuisse: nulla enim ibi ultio pronunciabatur, sed tantùm justitia ostendebatur; nulla sanguinis effusio exigebatur, sed æquitatis executio indicabatur, cùm gladius minimè vibraretur brachio, manúque districtus, sed ore, labiisque expueretur, ut ita dixerim: siquidem ait Joannes in Apocalipsi: *Exibat de* Apocal. 1.
ore ejus gladius, sanguinem qui sitit, non labiis ensem dimittit, sed nudatum manu stringit, vibrat, vulnera inflicturus, & cruentas cædes impressurus. Non igitur filius hominis gladio ex ore prodeunte ullam minabatur ultionem, sed justitiam duntaxat micantes inter candelabrorum flammulas ostenderat. Non enim Regiæ est Majestatis, neque magnæ mentis, ultionem intendere.

Splendor majestatis omnem dissipat con- 75.

cepti odii caliginem; quâ solùm hominum fæces involvuntur; etenim etiam in aëre spissata nubes, si vaporibus obluctatur, fulguribus statim, ac tonitruis diffringitur, obmurmurat querula, & plerumque fulmina evibrat, eò quia palustribus urgeatur evaporationibus, halitúque terrestri, ac limoso commoveatur; & tamen cùm primùm solem aspicit in opposito, discolore coronatur iride, arcúque cingitur multiplici depicto colore; nec ampliùs repetito tonitru obmurmurat, nec excusso fulmine ferit; quia id limosi est rabies vaporis, non præcelsæ mentis lumine circumfusæ rectæ rationis; tunc in objectam sibi nubem debacchatur fulmen, cùm solari destituitur nitore, quo si circumfusa sit, arcum pacis tesseram, & amoris symbolum statim prodit: neque opposita mundi lampas nubem suis fulgoribus lacerat, sed discolore convestit ornatu. Nunquam lebetes ab austro efferbuerunt, sed ab Aquilone; unde calamitates omnes erant effundendæ. Jeremias 1. *Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie aquilonis*, quia frigidus Aquilo nocturnis circumfusus cimmeriis omni destituitur nobilitatis splendore; cum Auster meridiano solis jubare splendeat: ergo Lebetes non in splendore Austri, sed à facie Aquilonis succenduntur in ultionem, quia ibi exsurgitant procellæ, & strages, ubi nitor extinguitur, & splendor exulat: quia abjecti est animi omni destituti nobilitatis nitore odia exitialia innutrire, & cruentas cædes meditari.

DISSERTATIO X.

Lingua odiorum fœcunda parens taciturnitatis frœno coërcenda ést, ne quæ verba profert, verbera fiant, quæ necem inferant.

§. I.

Lingua ad convicia in alios torquenda, quia prona, & lubrica, nisi compescatur, dissidia excitat, & odia parit exitialia.

1. Lingua utpote lubricissima, & ad convicia in alios torquenda proclivissima, nonnisi dissidia, & odia parit, quibus homines natura sociabiles animo sejunguntur, & nil nisi cædes, stragésque inter dissidia moliuntur; ideóque ni lingua coërceatur, nonnisi odiorum flammis succendendis apta deprehenditur; cujus propterea petulantiæ compescendæ vallum natura opposuit dentium, quò loquendi temeritas, non cordis tantùm custodiâ, mentisque vigilantiâ cohiberetur; sed quibusdam veluti excubiis in ore dispositis sepiretur: imò ut ait Chrysostomus in cateches. *Ideo Deus linguam veluti duplici muro voluit circumdari, cùm dentium tegmine, & labiorum custodia continentur, ne verba improvida garrulitate proferantur.*

Adeò prona est ad lapsus lingua, ut etiam Regius Vates enixim Numini supplicaverit, ut ejus lingua custodiretur: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis:* petierat à DEO veluti præsidiariam cohortem, militares excubias, fidósque satellites in munimen oris, in custodiam linguæ; ne quidquam ex ea prodiret, quod non prodesset audienti; cum enim lingua osse careat, quo ejus sistatur volubilitas, facilè loquitur, sive prosint verba, sive obsint; quo fit, ut lingua cæterorum in humano corpore membrorum sit periculosissima, vitæ æquè, ac mortis receptaculum, ut innuit Sapiens: *Mors, & vita in manibus linguæ:* sed si distat à brachio lingua, cur manibus dicitur instructa? quia sicut manus vulnera infligunt, cædes spargunt, sanguinem fundunt; ita lingua, si non gladio obarmata ut manus, verbis tamen prolatis, quasi armatis immissis militibus odia excitat, bella indicit, cruentas clades invehit.

Psalm. 140. Prov. 18.

Imò omni gladio est lingua acutior ad vulnera infligenda; omni serpente nocentior, ad venenum fundendum, si quis ea in fraudem, ac perniciem abutatur cæterorum; perinde ac ipsa nil præstantius, nilque divinius, si quis eâ utatur ad salutem proborum contra temeritatem perditorum; quo pacto intelligimus mortem, & vitam manibus inesse

esse linguæ. Hinc rogatus Anacharsis apud Laërtium *lib. 1. cap. 9.* quid in homine optimum esset, & quid pessimum; linguam ostendit: est enim optima, si eâ utamur ad indoctos, ignavósque instruendos, ad salutis iter ostendendum; est verò pessima, si eâ abutamur in conviciis effutiendis, honori detrahendo proximi. Fuit in manibus linguæ vita, cùm gratiosissimâ eloquentiâ Abigail familiæ suæ salutem peperit, quam stultus Nabal superbo suo responso in summum adduxerat discrimen, *verbum enim dulce*, ut ait Ecclesiast. 6. *Multiplicat amicos, & mitigat inimicos*, unde plurimum adfert emolumenti, sicut attulit Abigaili, totique ejus familiæ, cæteroquin crudeli ferro perituræ, nisi mulieris labia favos distillâssent, & mella, quibus amaritiem Davidici pectoris edulcâsset. Dicuntur lactis blandimento exitiales restingui fulminum ignes; certè Abigail mansuetudinis lacte candidis æquè, ac dulcibus verbis Davidis extinxit furorem, compressit iram. Primò gratiosa, frontéque serena, ac vultu ad hilaritatem composita sistere se Regi voluit, oblatura largiter munera, quæ Nabal recusaverat, & iram hac arte sopivit, ac benevolentiam sibi Regiam conciliavit. Dein summè se demittens in humum prostravit, & culpam fassa veniam est deprecata: rationes addidit blandas, quibus ostendit, quàm noxia Davidi futura esset ira, & vindicta ex præconcepto odio ob stultum Nabalis responsum; & quàm salutaris, & commoda oblivio illatæ sibi injuriæ, & quàm gloriosa ejus condonatio: hæc verborum suavitate, hoc sermonis dulcore, Davidis, & adstantium sociorum exulceratos animos Abigail mirè demulsit, & placavit; ut inde disceremus, & nos alienam iram, odiúmque in imo pectore innutritum nostrâ refringere lenitate: nam sicut globi ferrei è tormentis excussi bellicis impunè excipiuntur saccis lanâ fartis: ita feriis verbis, blandóque sermone alienum coërcemus furorem, ait enim Salomon: *Responsio mollis frangit iram: & sermo durus suscitat furorem.* Exemplum prioris exhibuit Abigail: documentum posterioris dedit Nabal, ut explicat D. Chrysostomus inquiens: *si insles in scintillam ignis, excitas incendium; si inspicis, extinguis: idem fit in inimicitia, odióque proximi: si inflatos, ac vecordes ingeneras sermones ignem excitas: si mites, & moderatos flammas extinguis.*

1. Reg. 25.

Prov. 15.

Homil. 3. de Saul & David.

3. Blando hoc sermone fuit etiam usa Tecuitis iram extinctura Davidis, cùm pro Absolone peroravit. Imò & Nathan pectus Davidis ad pœnitudinem emolliturus nonnisi blandâ & ipse usus fuit orationis conciliatriculâ; artificiosis enim eloquentiæ ambagibus in animum Regis pœnitudini inaccessum blandè penetravit, ejúsque cor tetigit, flexitque. Hæcque fortassis ratio, cur Mythologi vim, ac energiam linguæ fictis fabulis supra fidem extulerint: nunc enim summis excipiunt laudibus lusciniam, quæ boream fugiens, & volatu marinos trajiciens tractus Delphini tandem suscipitur dorso, vehitúrque: nunc Orphei commendant lyram, eò quia leones, ac tigrides cicuraverit harmonico sonitu, cujus pulsu ferarum turmæ dicuntur belluinam exuisse sævitiem: nunc Amphionis testudinem, cujus pulsu saxa ipsa accessêre, ac Thebanæ arcis mœnibus construendis dicuntur se sua aptâsse.

4. Nil est, quod non emolliat lingua, si blanda sit, nullúmque animum quamvis exasperatum, quem sibi non conciliet; nullúmque pectus quamvis durum, quod non flectat: orationis blandis subnixæ lenociniis ea est efficacia in hominibus flectendis, ut eorumdem ima penetret pectora, quæ movet, ac gratissimo etiam famulitio sibi emancipat. Ast si linguâ quis abutatur, incredibile planè est dictu, quantum hæc inferat damni, quot excitet dissidia, foveat odia, & spargat cruentas clades, ut non incongruè dixerit ille *infrænis oris vectigal calamitas:* ut etiam appositè alius: *Naufraga est hominis lingua silentij ancora, clavo recta rationis, velis, remísque Sapientiæ destituta:* quia tunc per fluctus decumanis tumidiores rapta nonnisi in brevia, syrtes, ac charybdes impingit naufraga. Quod clavus in navi, id lingua est in homine, regitur clavo, & dirigitur linguâ homo; si rectè Nauclerus clavo utatur, navim per æquoris tractus citra naufragium ducit; sin verò clavus negligitur, facilè in scopulos impingit navis, & collisa saxis dirumpitur: penetrat intima hominis præcordia vehiculo vocis lingua, totúmque hominem movet, & commovet in solamen, vel perniciem: quas non tragædias excitavit lingua in homine? quas non dedit metamorphoses? quia si inflammandi sunt ad iram animi, in ignem accenditur lingua; si urgendi, in stimulos, acuitur; si illustrandi, in lumen diffunditur; si coërcendi, in frænum cuditur; si consolandi, spargitur in Nepenthes tristitiam abigentes; si deliniendi, est sirenula; si cicurandi, Orpheus; si sanandi, Panacæa; si ex mutuis dissidiis conciliandi, Mercurii caduceus; si è labyrinto difficultatum liberandi, Ariadnæ est filum, quia nil est, quod non emolliat, sibíque conciliet præstigiatrix animorum, & flexanima oratio.

5. Verùm licèt lingua totum dirigat hominem, nisi tamen coërceatur, plerumque ad exitium trahit. Potuisset Amalecites ille, qui spolia Sauli, ipsámque armillam, ac diadema detraxerat, si frœnum linguæ injecisset, tutus evadere; & beneficio solius silentii triumphum sibi occinere: sed quia linguam non compescuit, & apud Davidem stulta temeritate facinus suum confessus fuit, extremam sibi accersivit perniciem. Neque in suppar discrimen tumida, ac superba loquacitas Roboamum perduxit potiore pa- 2. Reg. c. 1.

terni

terni Regni parte depulsum: cùm enim subditorum animos, benigno, facilique responso potuisset sibi devincire; inconsultæ juventæ protervíæ adhærens minas sparsit, tonitrua emisit, fulmina cudit in propriam tamen perniciem, *Minimus* ait ipse, *digitus meus grossior est dorso patris mei: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus*. 1.Reg.12. Effrænis, & non coërcita Roboami lingua dissipavit, quod Davidis avi prudentia, ac fortitudo collegerat. Roboamo Tyrannum magis, quàm Regem agenti, nonnisi neces spondere, vectigalibus populos gravare, subditósque opprimere volupe fuit: sed quia tributorum onera animorum sunt vulnera; ideo nonnisi odia serit, qui fortunas metit subditorum; unde perperam imperat, & malè regit, qui propriam libidinem ad omnes extendit terminos potestatis.

6. Non regnat felix Princeps, qui propriam nescit linguam regere, nec affectus coërcere: nimius Majestatis splendor ignem frequenter accendit æquè Principi, ac populo exitialem, præsertim si crudelitas accesserit, quæ hostes non delet, sed facit; inimicos non propulsat, sed ad se trahit, documentum præclarum dedit posteritati Caligula, qui cùm in quoslibet sæviret, libidine, rapinis, cædibus, violentiis, extorsionibus, sanguinisque effusionibus debaccharetur, admonitus ab Antonia Avia, ut rigorem temperaret, sævitiem exueret, & modestiùs, benigniúsque cum subditis ageret; illud dedit nigrum, & indignum Principe responsum: Memento, omnia mihi, & in omnes licere: oderint, dum metuant, imò infensus turbæ sibi adversanti exclamavit: utinam populus Romanus in unum cogeretur corpus, unámque haberet cervicem, uno vibrati gladii ictu omnium amputarem capita: & Cassio Tribuno, familiarísque suo subridens dixit: rideo, quia caput tuum sub mea est potestate, ut illud statim tibi tollam: sed ab eodem præventus percussus miserè, ac fœdè interiit. Has pœnas dedêre alii Principes, qui minas linguâ spargentes, odia populorum contra se excitârunt. Nero Senatores, vel proscribens, vel spolians, aut occidens à populo hostis patriæ est habitus, & fugiens persequentium manus, pugione se cruentans, animam avulsit è pectore pluribus sauciato vulneribus.

§. II.

Negligentes prudentiæ fræno linguam compescere lethalia sibi adsciscunt odia, quibus fiunt pluribus obnoxij discriminibus.

7. Est lingua instrumentum utile si rectò usu regatur: perniciosum verò si ejus usus pravus fuerit: id insinuaturus Amasis Rex Ægypti victimam misit ad Biantem Philosophum adjecto mandato, ut exemptum ex eadem optimum, simul & pessimum carnis frustulum seligeret, sibique mitteret: Philosophus anceps non hæsit, nec incertus animi, quænam esset in humano corpore pars hæc carnea optima simul, & pessima; sed illicò linguam exsectam Regi transmisit referente Plutarcho in convivio; quia nimirum lingua; si mala sit, vitiis omnibus aut materiam suppeditat, aut exhibet incitamentum. Neque linguæ volubilitas, & non coërcita licentia, fuit unquam laudibus excepta, teslis Cetisiphon apud Lacedemones, qui cùm stolidè profiteretur posse de re qualibet quantumvis exigui momenti per diem integrum sermonem instituere, fuit illico velut Reipubulicæ perniciosus è civitate proscriptus: quia nemo est, qui hanc inconditam verborum proluviem, & nugarum operosam voraginem æquo animo ferat.

Obest & loquenti, & audienti imprudens, & inconsiderata linguæ volubilitas, ac lubricitas, quâ quicquid mens suggerit, illicò per linguam effutitur, quid aliud est, quàm propriam depromere levitatem audientibus plerumque gravem; non enim in multiloquio desunt spinæ, quibus audientes punguntur, excitantúrque jurgia ad odium loquentis. Qui promptiùs verba ad linguam, quàm limam, & libellam transmittunt, facilè impingunt: siquidem inconsiderata verborum profusione tanquam æstu, & fluctibus perciti in omne abripiuntur vitium; nunc candorem in fama innocentium denigrantes; nunc honori proborum detrahentes; nunc scurrilibus verbis aures exulcerantes, vel adulatione demulcentes, vel blandimentis allicientes ad turpia, imò nunc etiam ipsum cœlum convicûs lacessunt; odia inter homines, & dissentiones fovent, amicitias dissolvunt, fœdera dirrumpunt, mendaciis grassantur, perjuriis offendunt, blasphemiis Numen irritant, ut meritò dixerit ille, esse linguam clavem ad vitiorum omnium colluviem.

8. Sed exitium sibi maturat, qui in viros præsertim probos, Deique amicos linguam acuit; quia ut rectè ait Petrus Damianus; *Otiosis verbis assuetus duplici culpa videtur obnoxius, quia divinas laudes, ad quas ex jure tenetur, abjicit; & superflua loquacitati, à qua prohibetur insistit.* In aliqu. Tract. ad Jerem. Qui linguam nescit compescere, neque prudentiæ frœno regere, frequentes culpas, & exitialia sibi odia adsciscit; quia lingua garrula, procáxque variis semper est discriminibus obnoxia, præcipuè tamen si viros probos, Deique amicos arroserit temeraria: cùm enim sit virtus promeritis commendanda laudibus, piaculum procul dubio est lividis eam dentibus mordere, & abrodere; hinc Joannes ait: *Projectus est* (Inquitur de voce Angelorum) *accusator fratrum nostrorum*, ubi enim draco in Angelorum fratres linguam adarmavit, projectus est; sed cur draco linguam acuit? an quia linguæ pro- Apoc.12.

cacis

cacis draconis adnectitur pestiferum venenum? Ita est, lingua etiam in homines probos, qui morum candore Angelos imitantur suum lethale diffundit venenum, & adnititur pestifero dente eos ferire, quos ob vitæ integritatem Deus amicos sibi adsciscit: sed Draco unà cum lingua sua pestifero infecta veneno promeritas dedit pœnas; meruit enim ignominiosè projici, & pede proculcari.

9. Nabal procax Davidem virtutum studio addictum, concinnisque excultum moribus, temerariâ carpsit linguâ, cui & no- 1.Reg.c.25. tam iussit ignominiæ inquiens: *Quis est David, & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt Dominos suos*, quasi dicat: servi ab officiis erga Dominos non deficerent, nisi Davidem Patronum, fautorem, & tutelarem crederent: sed hæc linguæ procacis audacia inulta non mansit: Deus siquidem Davidis vindex loquendi usum ei interdixit, necémque acceleravit: *cùm pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est:* & hanc ultimi supplicii pœnam luisse Nabalem ob procacis linguæ audaciam fassus fuit ipse David inquiens: *Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrij mei de manu Nabal:* passus fuit Nabal extremum supplicium ob convicium, probrúmque contra innocentem Davidem prolatum; seu procax lingua mortem sibi adscivit, quia ut notat Lira inde *conjicitur, quòd non fuerit mortuus morte naturali, sed accelerata Numinis ultione:* tunc vitam à se extraxit, cùm honorem Davidi detraxit.

10. Quamvis apud Danielem *cap.13.* senes Mœchi corruptis moribus essent denigrati, fœdísque libidinibus assueti, & non tam annorum serie, quàm vitiorum cœno insenuerint, quamvis pudicitiæ castæ Susannæ fuerint insidiati, cùm mulier contra solis ardorem pararet corpus abluere, frondibus arborum, septisque fruticosis occultata, (ut enim flos castitatis soliciti est plenus timoris, obserari ostia horti duabus, quas secum duxerat, puellis præceperat Susanna) cúmque solam se crederet: ecce duo adsunt lenones senes libidine insanientes ex insidiis exilientes, & ad scelus irruentes perinde ac equus, & mulus adhinnientes; qui flammas frigidis ex illis laticibus accendentes in pectore acriores, solicitârunt integerrimæ Matronæ pudicitiam, eique reluctanti violentiam minantur; imò & capitale supplicium; non tamen leguntur senes ob patrata hæc scelera, ob fœdas hasce libidines à culmine deturbati dignitatum, nec lapidibus obruti: benè tamen tunc promeritas cœpêre pœnas dare, quando in Susannam pudicam fœminam cœperunt linguam acuere, ejúsque pudicitiæ candorem denigrare, ejus detrahere honori, & linguis mendacibus innocentiam arrodere pudicæ Matronæ: vocata fuit ad judicium Susanna à senibus Mœchis accusata; in odium enim versa fuit frustrata lascivia: sedent Judices iidem, qui accusatores, & testes. Sistitur tanquam rea Susanna; adsunt cum innocente parentes, filii, propinqui, non tam de Susannæ fama, quàm de tribunalis justitia soliciti; luctus, & squalor vultus occupant adstantium, calomniis opprimebatur casta mulier, quas nec fusis lachrymis valuit delere, neque oris pudore abigere. Senes verò in fonte insidiatores, & solicitatores, & nunc in tribunali Judices, propriæ saltem aspectu satisfacturi libidini, jubent velatæ Matronæ ora retegi, fœdásque manus innoxio capiti imponunt, & Susannam adulterii accusant ignoto cum Juvene patrati: mentiuntur, se præsentes interfuisse flagitio, tenuisse adulteram æquè, & adulterum, sed hunc viribus validiorem, & ad cursum agiliorem elapsum è manibus, & præsentiâ evasisse: cúmque jam lata sententia ad supplicium Innocens duceretur Susanna falsis oppressa calumniis, adest Daniel, qui divino concitatus spiritu palam profitetur, Susannam imminentis cædis innoxiam esse, falsò accusari, ac iniquè ad mortem damnari: petit judicium impium retexi, causámque pleniùs cognosci: hæ Danielis voces impetum coërcuêre populi, cum Deus in adolescente, sapientiâ supra ætatem loqueretur, eíque partes cognitoris, & Judicis imponuntur, licèt eas non admiserit, sed criminationem, & senum calumnias, linguásque mendaces detexit; & tunc quia in castam & pudicam procaces armârunt linguas, illicò meritissimas luerunt pœnas, calumniæ enim convicti condemnantur ad pœnam subeundam talionis, quæ sententia summo fuit à toto populo excepta plausu, & nequissimi senes à populo lapidum grandine percutiuntur, & ad inferos exturbantur, Daniel. 13. *Et interfecerunt eos*, quia ut pulchrè notat Zeno Sermon. de Susan. *falsos testes pavor invadit*, acri timore imminentis mortis pavent, nec poterat pœna differri, cùm procax lingua innocentiam fœminæ ausa fuerit denigrare, & integritatem corrumpere.

11. Qui nescit prudentiæ, & æquitatis frœno linguæ coërcere volubilitatem, nonnisi cædem, & supplicia sibi apparat. Plures reperias, qui cùm non valeant contra potentiores manibus, & gladiis insilire, temerariam acuunt linguam, & per os audacissimum præconceptum pectoris ardorem conantur stultè foras evomere: perperam loquuntur de æmulis, quorum odia contra se excitant, eos asperis, durisque verbis, acriùs exasperant: & cùm nequeant lividas manus in eos injicere; stultis saltem latratibus adnituntur se ipsos consolari. Non tamen cum de adversariis malè loquuntur, periculum propulsant proprii discriminis: verba enim per adulatores delata indignationem lividiùs accendunt, odia magis fovent, novósque injiciunt igniculos. Hinc David imminentem declinaturus invidentiæ, odiíque

Lib. 1 Reg. cap. 24. que procellam, se non solùm canem dixit, sed, & mortuum edixit: *Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum*, quia linguam cohibuit, & prudenter se dejecit, odii tempestatem feliciter evasit: canem respectu Regis se dixit; sed cur etiam mortuum edixit? quia ut scitè Abulensis canis vivus licèt plerumque dentes non valeat infigere, latratibus tamen solet semper irritare: ut autem David indicaret, se nunquam Saulis,& aliena facta, vel dicta dentibus momordisse detractionis, nec latratibus infamâsse, non solùm canem se dixit, sed & canem mortuum edixit, pulchrè Abulensis:

Quæst. 24. *Canis si sit vivens magis latratu, quàm ferocitate terret; cùm autem mortuus fuerit latratu caret, & ferocitate. Ita erat David ad Saulem: ipse enim non erat ferox invadendo Saulem, vel turbando ipsum, quia impotens erat, & potiùs fugiebat; vocibus quoque non inquietabat eum, quia nihil mali de Saule unquam dixerat. Ergo canis mortuus erat*; quia David contra potentiorem se, nec manus injecit, nec linguam adhibuit, inflexilem Saulis duritiem in sua flexit vota. Quamvis non potuisset David manibus, & armis contra Saulem insurgere, procaci tamen lingua oblatrare valuisset, & contra se acriùs iram, & odium Saulis accendere; sed quia etiam solatio ipsius obmurmurantis latratûs voluit privari, Saulis duritiem flexit; & David quia linguam coërcuit Rex fuit postea à populo salutatus: qui enim prudentiæ frœno propriam scit linguam compescere, meretur sceptro populos regere.

22. Tartareus hostis sic desipuerat, ut ad genua Christi se provolueret, & quamvis indignationem metueret, verbis tamen procacibus eam contra se excitavit; Christum

Matth. 8. alloquens ait: *Venisti huc ante tempus torquere nos*, nimirum cum humili dejectione satagere debuisset, ut filium hominis demulceret, inurbanis eum verbis potiùs exasperat: conqueritur enim, venisse ante tempus, quasi Christus temporum leges inverterit, & non esset author temporum, ut notat Chry-

Serm. 16. sologus: *Authori temporum tempus opponunt, & de tempore conqueruntur:* sed eum Christus linguam silentio coërcuisset, non ampliùs filium hominis, sed filium Dei credidêre, & potentiam sentientes adorârunt provoluti sanctitatem.

§. III.

Est lingua animi index, & quæ intus fovetur affectio, exteriùs se prodit, & plerumque est homini exitio, si sua permittatur lubricitati.

23. Quemadmodum lingua si prudentiæ frœno coërceatur, plurima adfert homini commoda; ita est eidem exitio, si effrœnis suæ permittatur volubilitati; est siquidem lingua animi index, & quæ intùs fovetur affectio, exteriùs ipsa se prodit; cùm enim Index sit pectoris, mentem, & præcordia facilè detegit: hinc quia fracto, depravato odii affectu Josephum prosequebantur Jacobi filii, non potuêre verba proferre, quæ pacem & tranquillitatem proderent animi; *Oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui*, sen ut Genes. cap. 37. ibi expendit Oleaster: *Non poterant integrè loqui: quia trunca verba, & semesa proferebant fratres ad puerum innocentem Josephum:* cùm enim intùs innutritum odium charitatis discerpsisset integritatem; odiique gelu flammam extinxisset amoris fraterni, nequivit lingua integra proferre verba: huc pertinet, quod ait D. Gregorius: *Quia ira sua stimulis accensum cor* In Moral. *palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, ignescit facies:* pectoris enim Index fidissimus est lingua; quæ intùs mente volvuntur, hæc exteriùs prodit, & quia corda filiorum Jacob odio percita bellum spirabant, non mirum si pacificè loqui non poterant.

Humanum pectus horologium dixeris, cujus stylus horas signans lingua est: 14 quicquid hujus horologii rotulæ intùs circumactæ, seu pectoris latebræ evolvunt, stylus, seu lingua exteriùs statim evulgat: si odio quispiam corrodatur, frustra venenum dissimulat: si tetras caligines, nubésque procellosas mente quis foveat, frustra vultus hilaritate serenitatem prodit: lingua est pectoris Index, quæ intus volvuntur ipsa foris fidè prodit; & stomachus malè sanus facilè semper eructat, quod nonnisi difficulter digerit: verba semper sonant, quæ præcordia celant, & vultus etiam plerumque oratio est animi: verba sesquipedalia vanum produnt animum, lasciva intemperantem, severa bellicosum; adeò ut quod corde geritur, frequenter per labia dignoscatur; hinc Seneca ait: Græcis in proverbium cessisse, talem hominibus esse orationem, qualem vitam; uniuscujusque actio dicenti est persimilis: nec potest alius esse color animis, & alius verbis: verba cincinnis ornata, & calamistris pollita animum exprimunt non solùm non gravem, & maturum; sed levem, ac juvenilem. Epist. 114.

Hinc si quispiam è castris vitiorum ad virtutum se conferat culturam unà cum 15 moribus, etiam verba mutat: propterea de Saule prædixerat oraculum: *Mutaberis in virum alium*. Sed quid tunc? pergit, & ait, *Prophetabis*, mutatio hominis ex verbis conjicitur, & oratione manifestatur: sed cur non prophetet immutatus, vel mutatus eadem non proferat verba, quæ antea proferre consueverat, sed Prophetis associatur, & à reliquis sejungitur hominibus? quia ut ait textus, in virum alium mutabatur; proinde qui terrenis animum agglutinaverat, rebus-

rebúsque fluxis interitui obnoxiis incubuerat, mox divinis consecratus obsequiis, Prophetis cœlestia duntaxat meditantibus adsciscitur, & cœlestia eloquitur: pulchrè Cajetanus *discerne* inquit, *effectus Spiritus divini, facit enim exteriùs prophetare cum aliis: hoc est divinas canere laudes, quas priùs nesciebat, & intùs mutat hominem in virum alterum:* cùm primum interiori divini spiritus luce cœpit collustrari, statim exteriùs etiam eloquium mutavit, & lingua antea verbis inconcinnis proferendis assueta, mox nonnisi vocem emittit decoram; & cùm primùm cœpit mens nobiliori radio intùs clarescere, cœperunt, & foris labia illustriorem depromere orationem; quia hæc animi est speculum, indicium viscerum, nuntius cordis; dignoscitur siquidem ex labiis, quod corde geritur, & in labiis persæpe relucet, quod in præcordiis abditissimis latet: sicut Medicus ex lingua adusta, labrísque hiscentibus conjicit, quid intus lateat; sic animi affectus, non ita semper premi, & occultari possunt, ut frequenter non se prodant exteriùs, omnéque eludant cautelæ artificium, ut scitè adnotavit Seneca inquiens: *Affectus sunt motus animi improbabiles, subditi, & concitati, qui frequentes, neglectique morbum fecère: sicut distillatio una, nec adhuc in morem adducta tussim facit; assidua tamen & vetus Phthisim.* Interior è capite fluxio, quamvis si sola præcordia pulset, oculos fugiat; externa tamen tussis internum prodit angorem; rarò enim viri industria internos ita affectus dissimulat, quin exteriùs linguâ, & voce eos prodat. — Epist. 75.

16. Plures Israëlitarum occulto idololatriæ licèt polluerentur scelere, adhuc à Samuele in Masphath suo fuêre deprehensi crimine coinquinati, & idololatras illicò à reliquis discrevit. Quòd si quæras, quo signo Samuel Idololatriæ fœdatos scelere conjecerit, respondet D. Heronymus ex epotæ aquæ haustu; porrexerat enim Samuel Israelitis aquam degustandam; quâ haustâ ita idololatræ labia sibi hærebant muta, ut verba nequirent efformare: ait Hieronymus: *Tradunt quòd quicumque idololatra hanc aquam gustâsset, ejus labia ita sibi adhærerent, ut nequaquam ea ab invicem idololatra separare posset:* nimirum in extimis labris animi dignoscitur morbus, qui tametsi altissimis præcordiorũ penetralibus improbus lateret, adhuc labia eum foras evulgârunt: labia enim, & lingua, quæ mente volvuntur, intimóque occultantur in cordis recessu, etiam cautelâ renitente foris denuntiant. — In lib. 1. Reg. cap. 7.

17. Hinc qui cædes meditantur, & bella turbidis construunt cogitationibus, & eorum labia, perinde ac emissæ sagittæ, vulnera infligunt; sed dum aliis vulnera inferunt, sibi imprudenter detrimenta solicitant, necémque accelerant: asperis verbis dum alios feriunt, exoculatam succendunt iram, odiúmque Libithinæ gelu intùs concretum foras produnt. Sunt etiam qui verbis imprudenter jocantur evanidum sibi plausum lucraturi; enixímque student pungentibus salibus, non quibus propriam condiant insipidam dementiam, sed stimulent ad risum adstantes, cùm tamen persæpe proprium moveant luctum. Phenenna asperrima, & prædura verba ejaculabatur in Annam probro afflictam sterilitatis; filii quoque matris secuti exemplum pungentium, ac ferientium irrisionum sagittas emisêre, quibus recentia vulnera afflictæ adderent mulieri: Sed labia, quæ arcûs instar, evibrandis verborum telis ad vulnera infligenda assueverant, mœrore contabuerunt, & eadem, quæ in afflictam Annam tela evibrârunt, in se miserè, ac imprudenter retorsêre; & cum conarentur Annam ferire, pericula sibi solicitaverunt, & parvulorum sagittæ factæ sunt plagæ eorum, quia: *arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore:* per arcum autem livida significari invidentium labia testatur Lira inquiens; *Arcum fortium vocat linguam detractricem, & puerorum ejus, ex qua procedebant verba, quæ pungerent quasi sagitta.*

Qui malè affecto corde laborat, is suo se verno prodit. Cùm Judæi exitiali odio Christum prosequerentur conviciis statim cœperunt eum lancinare: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes:* Samaritanum aliquem vocare, perinde fuerat, ac gravissimum convicium eidem irrogare, gravémque injuriam inferre, ait enim Cornelius à Lapide: *Vocare Samaritanum ingens convicium erat, & probrum,* imò convicio contumeliam addiderunt graviorem, cùm dixerint eum dœmonium possidere: si enim Christus tot perpetraverit prodigia, si tot protulerit verba Deo dignas ex quibúsnam præmissis potuêre Judæi inferre, & Samaritanum Christum fuisse, & dœmonium possedisse? quia nimirum, cùm id mente, & corde evolverent intùs, lingua foris prodiit; evomuit lingua, quod intus in stomacho latuit; odium in pectore enutritum pro præmissis fuit, quibus intus contumelias meditarentur in Christum, & quas foras linguâ evomerent; quicquid enim pectus decoquit, hoc idem verba olent, & lingua sapit; & tamen adeo odio excutierunt, ut convicium non videntes incontaminata putaverint eorúm labia, dixerunt enim: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes:* malè de Christo cùm loquerentur bene se dicere arbitrabantur; quos redarguit Isaias succlamans; *dicitis malum bonum:* siquidem bonum dixerunt, cùm contumelias, & orcum ex ore evomerent, cum Satanam labiis parturirent, & Samariam linguâ producerent; & ideo bene dixerunt, hoc est rectè; quia quod corde intus fovebant, foras linguâ effutiêrunt; malum igitur dixerunt bonum, quia ve- — 18. — Joan. 8. — Joan. 8. — Isaia 5.

ritate vestitum, quia cordi respondent verba.

19. Detrahentium hæc est conditio, ut nullibi se putent bene loqui, nisi cùm malè loquuntur; nisi cùm convicia, contumeliásque effutiunt, quibus aliorum detrahunt honori, & alienæ innocentiæ denigrant candorem; depinxit D. Thomas eleganti suo calamo 2. 2. q. 73. art. 1. detractionem cum dixit, esse denigrationem alienæ famæ per verba occulta: siquidem dupliciter potest quis verbis alium conviciari apertè, & occultè; seu præsentem, & audientem lædere, quod contumelia est; & absentem ferire, quod propriè detractio dicitur; hinc interrogatus Antonius Magnus referente Paladio: (In Cap. 19. hist. num. 13.) Quid detractio esset, hoc dedit responsum: Omnis est sermo malus, quem non audet quis eo præsente proferre, de quo loquitur. Quia mens bona, & intentio recta duobus duntaxat modis de alieno defectu potest sermonem miscere, nimirum cùm in vulgus percrebruit promulgatus, & per omnium jam labia transijt: & rursus cùm ei dicitur, qui peccantem castigare, ac juvare potest: & ad id nos charitas adigit, ne ulcus occultum putrescat, & vulnus necem inferat: hac de causa Joseph nec detractor fuit, nec proditor, cùm suos accusavit fratres apud Patrem de crimine pessimo, quia potuit, & debuit Jacob filios redarguere; eósque juvare, ut resipiscerent.

20. Ex multiplici radice pullulat vepretum istud detractionis, quo aliena integritas laceratur; vel enim oritur ex superbia, ut obtrectator suam ostendat scientiam, vel ex animi levitate, cum quis ut alicui placeat probra, & convicia effutit, quibus alios pungat, feriátque lethaliter, vel ex invidia, cùm quis aliena lucra proprium existimat damnum: vel ex odio diu pectore innutrito, ut cùm quis animum vindictæ appetentem cupiens satiare, contumeliis alienum candorem studet denigrare; virtutísque decorem extinguere; vel etiam ex insolita detrahendi consuetudine: assueti enim detractionibus frequenter verba effutiunt, quibus honori detrahunt alterius: ea enim est obtrectatorum indoles, ut quibus præsentibus mano nocere non possunt; iisdem saltem absentibus linguâ obesse studeant. Detrahitur autem alicui multipliciter. Primò cùm quis vanitatem adhibet orationis, vel falsum profert, vel quidpiam affingit, mendaciísque narrationem aspergit; & tunc geminatur delictum in mendacio, & detractione. Secundò cùm peccatum adhuc latens ex occultis latebris in lucem profertur; ut pluribus pateat, cum omnes lateret, & tunc licèt vera sint, quæ dicuntur; quia tamen dicenda non sunt, honori detrahitur alterius, non quia veritas non aperiatur; sed quia aliena existimatio imminuatur: non enim semper licet palam facere veritatem, si hæc non possit è latebris erui, quin proximi honor detrimentum patiatur; tametsi verum sit quod narratur, quia tamen occultum, narrandum non est, ne proximi fama devenustetur, quamvis veritas non lædatur. Tertiò detrahitur etiam proximo, cùm delictum ab altero patratum augetur, & exaggeratur, & tunc potissimum contingit, cùm alterius vitia enarrantur. Quartò cùm alienum factum, vel dictum sinistrè interpretamur, dicimúsque animo non bono factum, nec ob bonum finem, sed quia humanos ambiat favores, vel ut credatur vir probus. Quintò cùm licèt nihil ex se quis affirmet, asserit tamen, quod alii spargunt, rémque ipsam profert; vel cùm quis alterius laudat quidem virtutem, sed nonnisi frigidissimè, de quo; *Turpius est exiguè atque frigidè laudari, quàm insectanter, & graviter vituperari.* (Gellius lib. 19 Noctium Attic.) Sextò cùm quis nutu indicat, non esse alteri fidendum, quia tunc vel ipso silentio ejus prodit vitium, ut si quis alium laudans; tertius, qui adest frontem ducat silendo, vel caput in girum volvat, vel solis oculis tale det signum, quo facilè deprehendi possit, eum qui laudatur, talem non esse, qualis laudando extollebatur; fit etiam interdum, ut detractor ore compresso manum duntaxat bis, térve invertat, & tunc plurimùm, vel solâ manûs inversione alteri detrahit, cùm ejus prodat levitatem, ac mutabilitatem. Septimò non solùm externo signo, nutúve, sed etiam solo silentio potest quis alteri detrahere, & tunc contingit, cùm de illius probitate, morúmque integritate, nequiter silet, cùm interrogatus teneretur veritatem depromere. Octavò cùm quis ob admissas noxas jure merito coram aliis reprehenditur, & is se reum esse negat, ac pernegat: quâ ratione infamiam derivat in reprehensorem mendacii, quia tametsi non teneatur quis se prodere, neque occultas depromere noxas, alia tamen ratione par est resistat, ut si dicat proferri quidem dicta, sed non probari.

Sunt etiam qui aliis detracturi frontem, & oculos ad modestiam inflectunt, totúmque vultum ad gravitatem componunt, oculos humi dejiciunt, gemitus edunt, voce lenta, ac seria per varias ambages, ac veluti præruptos anfractus incipiunt nocituram ordiri narrationem, ac tortuosa verborum circuitione serpentina ejaculari venena: aiunt statim, dolendum quidem, hos homines, alioquin probos, tam fœdè lapsos fuisse, non esset id credendum, nisi viri plures gravitate commendati, astruerent: & tunc quò majoris sunt authoritatis, qui aliis detrahunt, eò gravius, nocentiúsque damnum inferunt, vulnúsque infligunt, scitè Bernardus circa medium. *Sunt species pestis hujus, dum alij quidem nudè, atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomunt detractionis.* (serm. 24. in cant.) *Alij au-* 21.

tem

tem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangente egredi maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo inquit, vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & nunquam posui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem ait, benè compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico, revera ita est.

22. Id charitas exigit, ut fratris probrum amoris pallio tegatur, non odij propaletur livore. Percellitur à Noë Chamus, eò quia Patris somno sopiti pudenda non velâsset, sed ridenda fratribus ingessisset. Sed quia cordi lingua respondet, & quod stomachus non digerit, os plerumque eructat, ideò perperam cogitantes, & probra inutrientes nonnisi malè loquuntur: *Anna loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius movebantur: Æstimavit ergo eam Heli temulentam; dixitque ei: usquequo ebria eris; digere paulisper vinum, quo mades.* Com Anna probro laborarct sterilitatis, alium non hauserat liquorem nisi amarissimum suarum ærumnarum, biberat calicem suæ sterilitatis, ut lachrymis tunc, non musto maderet. Sed Heli, quod ipse mente cogitaverat, lingua protulerat, eam monuit, ut epotum mustum excoqueret. Suis Heli spectaverat oculis, quod Annæ tunc exprobrabat, & tamen craíse erravit: quantò magis sunt erroribus obnoxij, qui ea aliorum evulgant flagitia, quæ ipsi non viderunt.

1. Reg. 1.

§ IV.

Lingua in labijs detractoris ignis est in fornace avernalis tortoris; non splendet, sed urit, & fumos emittit, quibus aliena innocentia candorem denigret.

23. PRudentiæ frœno, qui linguæ volubilitatem coërcere negligit, is in scopulos sibi, aliisque noxios necesse est, impingat: perinde ac navis, quæ ventorum impulsu exagitata per æquoris fluctus clavo est destituta. Quæsierat Esdras sacerdos, quomodo Deus rerum humanarum moderaretur vicissitudines: adfuit statim ei Angelus, & anxio sacerdoti triplicem proposuit quæstionem, quarum prima fuit, quâ ratione ad trutinam sit ignis examinandus, *vade pondera, mihi pondus ignis*, sed quis impunè manu ignem contrectet, quem in bilance, aut statera collocet? si ignis moræ impatiens sursum toto nisu avolat, qui fieri poterit, ut immobilis hæreat stateræ, donec ad trutinam examinetur? Noluit cœlestis civis ignis pondera trutinæ examinari; sed linguæ effrœnis volubilitatem redarguere: Detractoris symbolum esse ignem nemo diffitetur, cùm sacræ paginæ noxium detrahentis sermonem ignem vocent urentissimum. *Quid apponatur tibi ad linguam dolosam? sagitta potentis acutá cum carbonibus desolatorijs*, & Apostolus Jacobus c. 3. linguam detractricem ignem vocat, & in labijs detractoris ignem stabulari, ait Salomon. *In labijs ejus ignis ardescit.*

4. Esdr. cap. 4.

Psalm. 119.

Proverb. c. 11.

24. Rectè ignis lingua dicitur, quia si utriúsque & ignis, & linguæ celeritatem, inconstantiam, volubilitatem, mutabilitatem virésque spectemus, utriúsque non absimilis est natura: sicut igitur ignis nullo coërcetur repagulo, nullóque obice injecto, si metas transilit, forásque erumpit, huc, illúcque noxio debacchatur furore, & in ligna, trabes, domus, sylvas, & obvia quæque grassatur: ita lingua si frœno excusso carceres suos effringit, & sua volubilitate foras exilit, nonnisi strages, & damna spargit, adeò ut non abs re lingua prudentiæ frœno non coërcita igni parietur: hunc igitur linguæ ignem æqua lance ponderare maximæ est prudentiæ: & qui præ cæteris prudentiâ pollent, hi in verbis proferendis as solent circumspectiores esse, hinc Siracides: *Verba prudentium staterâ ponderabuntur*, nimirum sunt in ore labia, perinde ac in trutina geminæ lances, quibus hic ignis linguæ appendendus est, ut verba, quæ profert, staterâ ponderentur.

Eccles. cap. 21.

25. Non tamen difficultate caret, hic agere libripendem, cum etiam strictura e ferro candente exilientes, & scintillæ, hac sint trutinâ examinandæ, seu nocumenta propemodum innumera, quæ unica plerumque infert detractio, cùm non uni tantùm noceatur; verùm & pluribus tam domesticis, quàm familiaribus; consanguineis, & affinibus, cognatisque illius, cui detrahitur. Persæpe incauta, & malevola lingua ignea eructat detractionis, quo non solùm eum lædit, quem perstringit; verùm & conjugi, liberis, totique familiæ ingens affert nocumentum; ac deò ut unica scintilla incendium excitet, quo omnes adurit; damnúmque sentiunt universi; & non solùm pares, verùm & ipsos superiores graviter lædit, cùm ejus abrodit mandata, quia tunc audientes retrahuntur à debitis obsequijs: sed quia tunc detrahentes graviter delinquunt, odiúmque superioris contra se ipsos excitant, debitas etiam luunt pœnas.

26. Consultum à Saule Oraculum scimus responsum denegâsse, vel ipso silentio ostensurum, piaculum aliquod fuisse patratum: quidni consuluntur statim sortes, & Jonathas ut flagitij patrator, anthórque piaculi capitur, inque vincula injicitur. *Captus est Jona-*

Jonathas, sed quidnam sceleris patraverat Jonathas, scimus enim favum tantùm degustâsse mellis, & quidem prohibitione prorsus ignorata, quà ab omni excusaretur piaculo: cur ergò ut reus capitur, qui scienter non deliquerat? non capitur Jonas, quia melle labia delinierit, sed quia de prohibitione admonitus Patri detraxit, ejus edictum, ut imprudens, nimiśque severum carpens, & præceptum damnans, quò parer vir imprudens, sævúsque à cæteris haberetur. *Turbavit pater meus terram. Vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustaverim paululum de melle isto.*

27. Minùs peccaverat deglutiendo mel, quàm eructando verba, quibus ausus fuit patri detrahere, tametsi leviùs deliquerit favum mellis deglutiendo; reum tamen gravis sceleris se constituit, cùm verba illa protulit, quibus patris denigravit honorem, ausus enim fuit tacente reliquo populo præceptum patris imprudentiæ, nimiæ severitatis, ac temeritatis arguere. Saulis præceptum apertis ulnis à toto susceptum populo à suis domesticis à proprio filio abroditur, quia plerúmque promptiores, audaciorésque sunt familiariū linguæ ad heri detrahendum honori; quàm exterorum. Piaculum non fuit favum degustâsse, sed etiam, superioris mandatum abrodisse; ac imprudentiæ, temeritatísque redarguisse, & ob id capitur Jonathas, mortique addicitur; cùm enim teneretur paterna tueri mandata, ejus præceptum audacter sugillavit, idque cùm graviter Deus tulisset, reum fuisse, ac morte dignum, ostendit, quo disceremus, quàm Numini displiceat, & quàm grave sit scelus honori præsertim superiorum detrahere.

28. Hinc illa Theologorum communis vox: *Peccatum detractionis gravius est furto*, nec probatu id difficile est, tantò siquidem piaculum est gravius, quò meliore bono iniquè alios privat, damnum enim tunc infert majus; longè autem nocentior est nominis, quam nummi fur, & latro, quia ut scitè Salomon: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ:* si igitur pluris fit honor, quàm divitiæ, congestæ graviùs delinquit, pejúsque committit piaculum, qui honori detrahit alterius, quàm qui ejus surripit divitias; & licèt hæc jactura famæ grave sit damnum, graviùs tamen adhuc nocet ipsa detractio, quæ veluti fulmen trisulcum uno ictu tria infligit lethalia vulnera, Bernardo teste: ubi loquens de lingua detractrice, ait. *Nunquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè, qua tam lethaliter tres inficit flatu uno. Nunquid non lancea est lingua ista? profectò acutissima; ut qua tres penetrat ictu uno:* nimirum lingua detrahentium gladius est acutus, non biceps, sed triceps, sicque propterea veluti triplex illud Joabi spiculum, quo Absolonem è quercûs ramo pendulum incursans confodit: siquidem lingua detractrice non solùm detractor lethali vulnere sauciatur; verùm & detractionis auditor, & is cui detrahitur, miserè confodiuntur; eo tantùm discrimine, quod is, in quem lingua detractrix virus, venenúmque spargit, leviùs læditur, cum nequeat majus incorrere dispendium, quàm solius famæ: cum detractor, & detractionis auditor animæ patiantur detrimentum; Detractor siquidem sibi plurimum nocet, & venenum, quod in alium effundit, iterum resorbet, non ad honoris, sed animæ internecionem; graviter itidem hæc lingua serpentina nocet audienti detractionem, in cujus aures, ut Bernardus loquitur, venenum infunditur mortiferum.

Proverb. c. 22.

Serm. de triplici cust. lingu.

Non solùm obstrepente garritu damnum hocce infertur, verùm & ipsâ reticentiâ; cum virtutes occultantur, quarum enarratio plurimum posset prodesse: impeditur enim tunc linguæ silentio illud boni incrementum, quod in alium derivaretur. Ceciderat Ochozias per cancellos cœnaculi sui, & cum graviter ægrotâret, nuntios statim misit ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, num esset infirmitatis evasurus discrimen? pristinæque restituendus sanitati; sed Angelus de summo cœlo in tetras delapsus Eliæ obviavit, quem jussit ascendere in occursum nuntiorum Regis Samariæ, ad quos diceret esse Deum in Israël, eúmque esse consulendum, & pro salute Ochoziæ rogandum; eíque precibus enixim supplicandum, & non Beelzebub, & ob neglectam veri Numinis supplicationem injunxit Angelus Eliæ Thesbiti, ut nuntiis mortem indicaret Ochoziæ. Reversique nuntii Eliæ monitu, qui à decumbente Ochozia ablegati fuerant in Accaron, dixerunt. *Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini ad Regem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus, nunquid quia non erat Deus in Israël, mittis, ut consulatur Beelzebub Deus Accaron? idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* 29.

4. Reg. 1.

Cúmque Ochozias mœrore confectus lachrymis madidus, & in squalore jacens, reduces interrogâsset nuntios, cujus figuræ, & habitus fuerit vir ille, qui iisdem occurrerit, cujus ætatis, ac virtutis; audiendum est, quid in Elia observaverint Regij Exploratores, non virum spiritu Dei plenum, omnigena exornatum virtute expresserunt, sed ut quendam bubulcum spreverunt Prophetam, eúmque lingua detractrite dixerunt virum esse pilosum, vestitu pelliceo accinctum. *At illi dixerunt vir pilosus, & zonâ pellicea accinctus renibus*, si rudi penicillo non Eliæ figuram, non viri Dei imaginem, sed Agazonem, vel Satyrum moribus imbutum belluinis, sylvísque inter feras innutritum pinxissent, uti vividiori colore vix potuissent. Ergóne in Elia tot virtutibus exornato nil prorsus observâtunt; quo super cæteros homines, vir Dei emineret? 30.

4. Reg. 1.

ergóne

ergóne præter pilosam cutem, zonámque pelliceam, quibus vir rudis indicabatur, nil aliud in Thesbite Elia viderunt, si Propheta abstemius erat, pallorem certè in vultu notârunt; si zelotes, gravitatem in verbis; si cœlestibus assuetus contemplationibus, lachrymas in oculis; si Propheta, serenitatem in fronte; si cultor virtutum, affabilitatem simul, & majestatem in toto vultu; si ætate maturus, venerandam in albente capite canitiem; si peregrinus, detritos in pedibus calceos; si denique vir Dei, summam in verbis, & moribus sanctitatem; & tamen has omnes reticêre virtutes, quarum enarratio plurimum Eliæ profuisset; maluerunt igitur tot inter virtutum nitores unam pilorum ingluviem prodere, quâ vir Dei dignosceretur à decumbente Ochozia: tametsi esset Elias vir Dei, plenúsque divino spiritu, adhuc Satrapæ contemptim Eliam nudum describunt virum, & inquiunt, *vir occurrit nobis pilosus, & Zona pellicea accinctus renibus:* nimirum viros garrientes de Prophetis, ac detractores miserat Ochozias, ut Beelzebub consulerent, eósque in aula enutriverat, & propterea in Elia perinde, ac in arbore pomis onusta non fructus, sed folia observârunt, & responsum detulêre Ochoziæ, quo in ipso Rege morituro etiam nuntiorum detrahentium puniretur temeritas. Utinam non essent qui, ut Ochoziæ nuntij, roditatem externi habitûs, cutísque extimæ tantùm proderent, omissis virtutibus, quæ intus florent: viso enim habitu sacerdotis de ejus garriunt ingluvie, pronuntiant rapinam: si eidem interfuerint comedenti eum abdomini suo natum evulgant: & lumbos non explorant, qui fortassis sæviùs constringuntur catenulis, linteamini ferro supposito; jejunia non observant, quæ tolerat; preces, quas Deo fundit, missas faciunt; virtutes, quas summo studio excolit, omninò prætereunt; & quæ obesse potiùs, quàm prodesse possunt, evulgant: utinam deteriores, ac pejores ipsis animantibus non essent.

31. Dimiserat Noë columbam ex arca fluctuante adhuc per cataclismum, exploraturus candore, & innocentiâ volucris, num aquæ diminuerentur, montiúmque cacumina inciperent cœlo frui, non ampliùs aquis obruta: sed columba cum cadavera tantùm, trabésque fluitantes invenisset, maluit vacua ad Noëmum redire, quàm mundi probrum in arcam referre. Potuisset quidem frustum aliquod cadaveris, aut saniem putrescentis naturæ secum deferre, sed quia nil boni, gratíque id erat, inanis reversa est, & vacua: cúmque iterum fuerit emissa, montiúmque fastigia vidisset, illuc pernicissimo volatu se contulit, ramúmque rostro avulsit oleæ, quem ad arcam deferret. *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus folijs in ore suo:* Gen. 8. nimirum ales innocens ex ingente rerum, ruderúmque colluvie unum decerpsit surculum oleæ, quo pacem proderet cœlum inter, & terram initam, mundóque instaurationem adgratularetur. Erudiantur ab alite homines non quisquilias, non cadaverum frusta, non rudera putrescentia deferre, seu proferre linguâ aliena probra, sed ramos seligere olearum; quibus pacem promoveant, non dissidia commoveant: discant, vel conticescere, vel ea tantùm proferre, quæ alieno honori incrementum potest adferre decoris, non quæ alienum nitorem possunt infuscare; imò si instructricem detrectant columbam, corvum saltem sequantur, qui exulare maluit ab Arca, quàm in eam regredi, cum frusto cadaveris, quo mundi strages, naturæque putrescentis saniem ostenderet.

Conduxerat profusis pecunijs Balach, imò & ingenti spe Balaamum, ut de Israële obloqueretur, honorique Jacobi linguâ detraheret; sed visis tentorijs Tribuum in castris nonnisi in laudes erupit, & venenum detractionis in nectar vertit laudationis, inquiens: *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël? ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui: ut tabernacula, quæ fixit Dominus quasi Cedri propè aquas.* Quid? quòd Balaam aliàs vir ariola assuetus convicijs effutiendis ore draconis, hurtos, & nemora nectare, & rore irrigat Israëlis, probra reticet, & cedrorum tantùm, hortorúmque meminit? nimirum Balaam Asinæ comes, satanæque Discipulus non potuit non optimè loqui, cum de ipso fuerat, & Deus ipse bene locutus. At detractores linguæ gladio non sacerdotum tentoria tuentur, sed multiplici scissu detractionis lacerant: pudeat ipsos à columba non edoceri, nec corvo coæquari, qui ne cogeretur putrescentis frustum cadaveris referre; exilium ab Arca naturæ prætulit ignominiæ. Si obijcias, emissas ab Arca aves instinctu naturæ, non ductu rationis ea præstitisse, quæ in ijsdem laudantur. Concessum id volo, sed simul ut te pudeat; id à te minimè posse philosophiam impetrare, quod vel ab ipso volucrum nebulone natura extorsit. 32. Num. 24.

Sed si non volucres, quadrupedes certè imitantur detractores: refert Plinius: Camelum sitim extincturum aliter potu non gaudere, nisi priùs multiplici pedum proculcatione turbatis laticibus commoti limi mixtione: nimirum superbiens animal suam sibi strigosam corporis deformitatem non ferens, à pellucido latice fluxo veluti à speculo repræsentari, & objici; mavult sitim aquâ extinguere limosâ, quàm suam videre probrositatem: Detractores cùm ut plurimum, homines sint nullius pretij, nullo virtutis nitore circumfusi, nullo scientiarum decore ornati, sed prorsus illiterati, lurcones, nebulones, sicophantæ, virique nauci, idem videntur, quod Camelus agere, hominum siquidem proborum famam con- 33. Lib. 8. natur. histor. cap. 18.

contumeliis, ac detractionibus nituntur obturbare, eorúmque nitorem obnubilare, ne soli putentur esse deformes, vitiorum cœno inquinati; ut minus suas erubescant maculas, nituntur alios quoque suis fœdare detractionibus, ut formosi ipsi putentur, cùm cæteros deformes, rugosósque asserunt. Pharisæi eatenus Christum odio fuerunt prosecuti, quia moribus, & vitâ dissimillis erat illis, sed proprias obtectuti maculas eas per detractiones in Christum ejecerunt; hinc illæ Pharisæorum voces, potator est, Sabbathum temerat, pessimis quibúsque se se aggregat; unde per Psalmistam ait. *Qui retribuunt mala pro* Psalm. 38. *bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi:* hinc Chrysostomus homil. 79. ad populum Antiochen. *Es homo ne venenum evomas aspidum. Homo es, fera ne fias: tibi factum est os, non ut mordeas, sed ut nutriaris.* Quòd si in feram quis degeneraverit, viperam saltem imitetur, de qua D. Chrysostomus: *natura* In cap. 33 Matth. Homil. 3. *viperarum talis est, cùm momorderit hominem statim currit ad aquam, quam si non inveniat, emoritur:* si quis alienis auribus venenum instillaverit detractionis, si verbis incautè prolatis alienum candorem infuscaverit, si vox exciderit, quæ alienam læserit famam; fontem statim accurrat pœnitentiæ, aquam eliciat lachrymarum, sui ipsum pœniteat delicti, doleat detraxisse, læsionem resarciat, ablatum restituat, spondeat se cautiorem futurum.

§. V.

Detractor omni ferâ deterior etiam in ipso sessoris otio, cum nihil videtur agere, cadis sparga lingua molitur, non fuso cruore nocentis madidas; sed prostituto pudore virtutis ferales.

34. Sunt tamen qui ita detractionibus assuevêre, ut nullo urgente fratri detrahant; ex quibus ille fuit, quem David alloquens dixit: *Sedens adversum fra-* Psalm. 49. *trem tuum loquebaris.* Nimirum, vel in ipso sessionis otio, ne prorsus nihil videretur agere, fratrem gladio linguæ occidit; profuso non cruore innocentis, sed prostituto pudore virtutis *sedens adversum fratrem tuum loquebaris:* cùm sederet, jugulabat; cùm quiesceret honorem prosternebat; cum otiaretur cædes spargebat omni tigride pejor, cùm nec tigrides sedendo strangulent, & leo ipse surgat, cùm lacerat: fulmen ipsum nunquam cadit, nisi cùm cadit, & gladius nunquam vulnera infligit, nisi evaginatus mano vibretur; & carnifex ipse non sedet, cùm perimit, sed stat, ut alius cadat: solus detractor omni ferâ deterior etiam sedens cædes spargit; otióque marcescens alienam dilacerat famam, obnubilat claritatem; an non quovis gladio pejor est lingua, quæ licèt non evaginata adhuc sævit, & vulnera infligit? hac fortassis de causa utrumque labium voluit natura rubore perfusum, ut ostenderet ante linguam detractoris nil jacere incruentum.

Detractionibus, qui assuevit, morbum contraxit sanatu perdifficilem, scitè Siracides cap. 23. eccles. *Homo assuetus in verbis improperij in omnibus diebus suis non erudietur,* quia assuetudo inolita alteram olet naturam, quam cum non exuat, qui sedet, ideo detractor etiam sedens adversum fratrem suum loquitur, nec putat se alteri detrahere; nec ullus est, qui se detractorem esse fateatur, dum re ipsa aliis detrahit: & quia nos ægrotare nescimus, nec morbum judicanti credimus, ideò nobis exhibita pharmaca sunt contemptui. At vulnus gladio inflictum linguæ detractricis vix medicas admittit manus, & tametsi obligetur occultum, manet tamen plerumque fœda cicatrix. Qui Magno Macedoni adulabatur, dicere consueverat: si quem hostem habes, tibique infensum, vel adversum, conviciis, contumeliisque eum audacter petas, quia tametsi vulnera curet, cicatrix tamen mansura superstitem dabit fœditatem: quâ semel est animus falsa imbutus opinione, difficulter eam obliterat: qui alteri graviter detrahit, quamvis resipiscens centies fateatur, se irâ percitum, furore turbatum, talia dixisse, & omnino inconsideratè verba illa protulisse, quæ alteri damnum intulère; adhuc altiùs hæret prima opinio impressa animo, quàm ut ea stirpitùs convellatur. Contra serpentis morsus præsens est alexipharmacum è serpente pulvis; contra venenatum scorpionis aculeum medela est scorpionis oleum; contra rapidi canis morsum ejusdem canis pilâ proficuè adhibetur: qui verò linguâ læduntur Detractotis, nonnisi difficulter ab eadem potest læsus curari, & tametsi nitatur vulnus abstergere, & circumligare, ne appareat, aliquid tamen semper remanet cicatricis. 35

Sunt etiam adeò in detrahendo proximo vafri, ut non vulnera videantur infligere interno prodeuntia ex odio, sed osculis figere amoris symbola; & eos acriùs persequebatur David inquiens. *Detrahentem* Psal. 100. *secretò proximo suo, hunc persequebar,* ex gravitate supplicij conijciamus criminis fœditatem, nullum enim vitium detractione etiam occulta iniquius: in domo enim Davidis nequior est detractio, quàm avaritia, & superbia, tametsi illa vitiorum sit fœcunda parens, & hæc ductrix, & antesignana: & quamvis clangulum detrahens nonnisi domesticis ulcus detegat, adhuc tamen, si ulcus refricetur, novum infligitur 36

tur

tur vulnus, quod licèt toleretur, quia solis domesticis innotescit, adhuc tamen lædere non desinit: nemo est, qui æquo animo suas ferat ignominias publicè revelari, licèt patienter tulerit fratribus publicari, domesticis aperiri.

37. Si filius parenti obviet publicâ confossum in via, curat statim in agro saucium vulneribus cadaver sepeliri: sed cur non potiùs inhumatum deserit in campo, ut ejus carnibus satientur corvi, avésque cœli? numquid inhonoratius est à vermibus ebullientibus in corpore exedi; in squalore, ac fœtore sepulchri putrescere, quàm aperto sub dio, & in sole ab aquilis non tam vorari, quàm in earundem stomacho curari, ut sepeliatur? si voracium volucrum stomachus prostrati cadaveris oppletur carnibus, an non nobilius nanciscitur tunc in aquilæ stomacho cadaver sepulchrum, quàm si terrâ obrutum putrescat vermibus corrosum? cur filius enectum patrem cœli eripit avibus, quem fœdis tradat vorandum vermibus? quia scilicet non iniquo animo fert filius patris cadaver ab ijs exedi, quos ipsummet parturit, Domestici sunt vermes, quia in ipso cadavere nati, pastúmque enacti; exteri sunt cœli volucres; fœtoris probrum promptiùs toleratur, si solis innotescat domesticis, iniquè si in exteros diffundi incipiat. Libentiùs sinuntur cadavera vorari in squalore, fœtoréque sepulchri à vermibus, quàm in stomacho sepeliri aquilarum: videntur cadavera in vermibus vorantibus potiùs propriam prolem lactare, quàm pati carnifices. Sin verò à vulturibus in campo dilanientur sub sole; non curam putantur pignorum exercere, sed dirum patrati sceleris luere supplicium: hinc satiùs ducunt homines, suorum reliquias corporum à domestica depasci vermium famelica turba, quàm à voracibus aëris avibus absumi.

38. Sunt tamen, qui non solùm clanculùm in angulo; sed etiam dissimulanter cum laudes videntur texere probra construunt, & insidias tendunt; videntur ungere, & mordent; & hi lapillum illum imitantur fatalem, qui non caput, non pectus, non tibias, sed pedes duntaxat percussit statuæ, quæ tamen tota corruit. Hicque lapis in aulis præsertim Principum devolvitur, est enim qui administrum, & ab intimis consilijs commendet, asserátque apud regnantem ejus nobilitatem, doctrinam, capacitatem, prudentiam; & sunt nobiliora metalla, quibus conflatur hæc statua; mox lapillus luteos impingit in pedes, defectum detegit, ejus scilicet pronitatem in divulgandis consilijs: & illicò concussa in pede statua tota corruit, & tota encomiorum præcedens narratio unius commemoratione vitij perijt: stabat mole sua prægrandis statua, quamvis ex parte fictilis, sed lapilli ictu in pede fictili collapsa evanuit in cineres. Aulicorum adumbratur invidia, & odium; fulget Aulicus capite aureo prudens, argenteo pectore candidus, ære multiplex in officijs, ferro prævalidus; sed testam unà cum ferro gerit: torquetur domesticus famulus invidiâ, percutitur hoc lapillo administri statua, lutum percellitur, quod latebat, Principi evulgatur; & cuncta statuæ metalla unà cum lapsu ejusdem dissolvuntur.

Uno apud Principem detecto nævo; nec prudentia, nec fides, nec eloquentia, nec robur, seu nec aureum caput, nec argenteum pectus ampliùs in eo attenduntur, sed testæ pars minima lapillo homuncionis invidi, odiúmque innutrientis icta, totum evertit simulacrum: imò & ita evertit, ut ne locus ejus superstes hæreat, nec ampliùs reperiatur: & qui primos inter Administros fulgebat in aula, statim fit invisus, dejectus munere; proscissus, proturbatus ex aula. Sed quid in hac statua prægrandi, in hoc homine tanti nominis deprehensum est, quo corrueret; an quia lutum gestaret? si luto non caruit, auro tamen claruit, cum sublimis staret; si sorduit pede luto, enituit pectore argento: cur igitur ob modicum luti tota prosternitur statua, quæ ornamento fuit aulæ, & tutamini Principi? An testa pedis aureum invasit caput, vel argentum infecit pectoris? non surrexit testa in caput, nec lutum in pectus; sed lapillus, ne staret statua, è monte cecidit, & testam percussit pedum, ut caput, & pectus concuteret: lapis autem, ideò statuam dejecit, quia odio induruerat, & invidiâ volvebatur, fuit enim lapis iste detractio nescio cujusdam homuncionis, qui administri probrum Principi detulit. 39.

Adeò difficile est vulnera declinare detrahentium, ut nec loricatum argento pectus potis sit, ictus retundere. Quid Christo innocentius, quid nobilius, cujus caput sponsa teste aurum optimum, cujus pectus nonnisi inter lilia creverat, & tamen Joann. 4. Mirabantur homines, quia cum muliere loqueretur, licèt non detraherent, nec arguerent; mirabantur tamen, eò quia loqueretur cum fœmina; quòd si nec ipse JESUS potuit absque admiratione, non dico Pharisæorum, & Scribarum, sed Discipulorum loqui, qui ex virgine noverant eum natum: quomodo producta à summo mane, ad meridiem, à meridie ad noctem cùm fœminis colloquia, detrahentium declinabunt murmura? non enim Christus fabulabatur in templo, ubi preces sunt Deo fundendæ, non in secessu, nec angulo, ubi fama pudoris citò decoloratur; sed palam, & juxta puteum, ut aqua omnem abstergeret pravam suspicionem; & quidem non alios miscuit cum fœmina sermones, quàm de patris adoratione in spiritu, rudem instruebat fœminam, scripturas aperiebat, 40.

riebat, & tamen Christi sermo cum muliere admirationem etiam in Discipulis excitavit. Ut inde conijciamus, quàm proni sint homines ad perperam, de alijs cogitandum. Sed si fuerunt admirati, cur Samaritanam illam non scortum potiùs, quàm simpliciter mulierem dixerunt? an quia ex scorto in fœminam pudicissimam conversa jam fuerat, cùm primùm loquentem, ac instruentem cœpit Magistrum Christum audire? An quia Discipuli præ modestia ausi non sunt in vultum fœminæ aspectum injicere, nec fucatos ejus intueri oculos, sed tantùm ex habitu fœminam agnovêre? & nihilominus licèt non scortum, sed mulierem esse putaverint, adhuc mirari non destitêre, eò quia cùm muliere Samaritana eorum Magister loqueretur. Sed si mirati fuerunt Discipuli, possumus & nos mirari, non tamen quod fœminam fuerit allocutus; sed quia taliter locutus: sciverat enim Christus, se adoratum iri à muliere, si ejus vitam, ac scelera, quibus inficiebatur, ei aperuisset: noverat se spernendum à fœmina esse, si aquam priùs ab ipsa exposceret: si hæc Christum non latuêre; cur ergo aquam priùs poposcit, eductuus postea in lucem, quæ intus in animo fœmina volveret, & quæ in corde secreta obtegeret? quia sitiebat Christus non tam aquam fœminæ, quàm ejusdem detrahentis contumelias; priùs illudi voluit, ut virtutem exerceret, spiritum pasceret, postea patientia satur, Prophetæ defunctus est officio; ut nos edoceret animi avidiùs sitire virtutes, quàm corporis solatia: aquam petierat à fœmina, sed ut felle conviciorum priùs potaretur; & mox virtutis documenta daturus, felle potatus, nectar porrexit pincetnæ.

§. VI.

Lingua infrœnis non solùm detractionibus, verùm etiam convicijs, & derisionibus odium excitat in pusillis. Pragrandes verò animi, non pluris convicia faciunt, quàm ranarum coaxantium importunos clamores.

41. NOn detractionibus tantùm, sed etiam convicijs odium lingua excitat: est siquidem convicium pessimæ matris pejor filius; contumelia hujus sobolis parens hoc gaudet fœtu deformi: idque interest discriminis detractionem inter, & convicium, quia ut docet D. Thomas. Conviciator manifestè contra aliquem loquitur; detractor occultè; ille honori, hic famæ derogat, & quidem convicium frequens inter homines vitium est familiarius; nil enim promptiùs, quàm in omnes convicijs, ac dicterijs invehi, nisi lingua coërceatur: *contumelia enim*, ait Cicero, *si petulantiùs jactetur, convicium nominatur, sin facetiùs urbanitas dicitur:* hinc Fridericus III. Imperator referente Ænea Sylvio *lib. 1.* cum plura in se deprehendisset jactata convicia suos conversus ad proceres, dixit, non miror, quia me non latet, Principes quasi signum ad sagittas vulgi expositos; & præcelsas turres fulminibus obnoxias esse. Id tamen vertitur Principibus laudi, convicia, & detractiones contemnere, quia id ipsorum virtutem indicat. Neque prægrandes animi hos curant muscarum morsus, talis fuit Ludovicus XII. Gallorum Rex, qui Carolo VIII. etiamnum superstite multis lacessitus contumelijs, cum Carolo vitâ functo Regni adiisset hæreditatem, conviciatores statim fugæ beneficio sibi consuluêre; quos tamen Ludovicus sponte sua eos revocavit, ut impunes venirent, fatebatur in solio sedens personam prorsus exuisse privati, & ipsos non in Regem, sed in privatum convicia fuisse ejaculatos, quæ sicut Regem non tetigerunt, nec debet Rex illa curare, neque ulcisci, Viri Principes, quique prægrandem nacti sunt animum, convicia perinde, ac ranarum coaxantium clamores flocci faciunt.

S. 2. q. 73. art. 1.

42. Num verò convicium liceat retorquere in conviciatorem? non defuerunt ex priscis hominibus, qui id præstiterint, sic Diogenes hac in re plenè edoctus à quodam calvo convicijs petitus extorsit: *Tibi contumeliam non dico, sed capillos tuos summis debeo laudibus excipere, quòd malam sciverint calvam effugere*, cùmque eidem alius objecisset, quòd falsam signâsset monetam; reposuit ipse: fateor, tempus fuisse, quòd talis jam pridem eram, qualis es tu nunc: sed doleo, quia qualis nunc sum ego, tu nunquam profectò es futurus. Scimus Chrysippum ab improbo quodam pluribus exoneratum convicijs reposuisse: optimè quidem dixisse, eò quia nihil eorum, quæ in convicianțe erant, tacuerit: idque procul dubio perinde fuit, ac falsam potionem porrigenti ex eodem poculo propinare. Anacharsis etiam cuidam Attico exprobranti, quod natus in Scithia esset, statim retorsit, non difficeor patriam esse mihi probro, sed fateor te probrum esse patriæ. Quintus Optimius vir consularis virum uxorium convicio pupugit, cum eum rogaverit, ut cum sua lana, & collo ad ipsum veniret.

43. Verùm virtutis cultor ab hisce se retorsionibus abstinet, mavult ex fellea conviciantium lingua favum decerpere virtutis, eámque exercere prudenti silentio, præsertim cum lex Christi sit, ut percutienti unam ex nostris maxillis alteram patienter porrigamus. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram.* Convicia tolerare, qui nescit, virtutem exercere nondum edidicit: *Matth. 5.*

unde

unde hominis Christiani est, non solùm abstinere à convicijs, sed neque in se vibrata retorquere: scitè Gregorius Nissenus. *Decus est viro prudenti non fronte serena, animóque tranquillo conviciantem audire; sed ad ea, quæ dicuntur convicia retorquere.* Imò non solùm Christianis, verùm & ipsis Ethnicis, cultoribúsque idololatriæ vitium est indecorum, ac turpe, conviciatorum non posse verba tolerare, quæ aëra tantùm movent, non verbera sunt, quæ vulnere corpus feriant. Hinc Demosthenes Atticæ eloquentiæ Magister convicijs lacessitus dixit: *committor in certamen, in quo qui superior evaserit, inferior est, & qui vicerit, victus:* quia nimirum animi prodit imbecillitatem tolerandi convicia impotentia. Non enim convicia minùs inferunt convicianti damnum, ut enim jaculum, si in solidum quid inciderit, interdum retorquetur in ipsum mittentem, ita convicium in virum fortem emissum in emittentem recidit, & authorem ferit.

rat. con. a Eunom. ium.

44. Quinimò convicium, quod ut obesset prolatum fuit, interdum etiam prodest, perinde ac telum illud ab hoste emissum contra Tessalum Prometheum ad ejus internecionem: emisit hostis ab arcu sagittam, vulnúsque inflixit Promethei pectori, sed eo prorsus in loco ubi intus humor putrescens foras per vulnus exilijt, nimirum dissecto tubure sanitati fuit restitutus; perijsset, nisi hostis vulnus inflixisset: ita perlæpe in convicio obtingit, per iracundiam ab inimico profertur animi vitium, fortassis ignotum, detegitur, & sanatur: quisque prudens, si alteri obviet ostendenti lutum, quod vesti adhæret, monitionem non ægro fert animo, sed fronte serena maculas abstergit: vir prudens non convincianti irascitur, sed si quid in se deprehendit virtuti dissonum corrigere admititur, & deformitatem abstergere, rectè Basilius nobis contemptum suadet conviciorum inquiens: *si mihi credis probra, contumeliásque minimè curabis. Illa te obscurum, nulliúsque æstimationis vocabit, tu terram, te ac cinerem esse dicas. quando enim verborum contumelia tentaris, existima periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, an per iram in adversarij partes inclines. Nam à duobus alterum procul dubio consequeris, aut inimicum tua consuetudinis exemplo mitiorem reddes; vel certè si despexeris acrius illum vindicabis. Quid enim adversario durius esse potest, quàm te animo gerere contumelijs omnibus superiorem.*

Serm. de ira.

45. Derisionibus itidem odia excitantur, sunt plerumque deridentium linguæ desperatæ petulantiæ, ea siquidem est deridentis linguæ indoles, ut quò eam plùs redargueris, eò plus rideat, ac illudat: hinc monet Salomon. *Noli arguere derisorem, ne oderit te:* sicut enim cœnum eò plus fœtet, quò magis dimovetur, & perinde ac ignis maximè ardet, cum excutitur; ita derisor acrius sævit, & petulantiùs cachinnatur, cùm redarguitur. Dignoscuntur autem Derisores tribus, quibus insigniuntur coloribus. Suspicimus in nube rorida, solisque opposit̄u iridem pingi croceo, purpureo, viridíque colore; & si fabulis credimus, aurum jacit neglectos in fontes: perinde derisores trino solent colore dignosci, croceo scilicet splendore, lucisque æmulo; quia derisores, nec terræ parcunt, nec cœlo, nec Deo, qui lucem habitat inaccessibilem: viridi terræ haud dissimili; & eos indicat, qui etiamnum superstites terram incolunt, fiúntque derisionibus obnoxij: demum purpureo, ac igneo, quia hic color designat linguas ipsas derisorum extendi usque ad piaculares flammas, cùm nec sepultis derisor parcat, nec ipsos Manes manere sinat in quiete. Sed odio tam acri Deus hos derisores prosequitur, ut eos nec in rebus levissimis, neque in pueris, & balbutiente adhuc ætate toleret. Eliseus irrisus à pueris horribili pœna vindicatur, loquitur textus de Eliseo: *cùmque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei dicentes: ascende calve, ascende calve, &c.* egressique sunt duo ursi de saltu (quasi duo carnifices) & lacerârunt ex eis quadraginta duo pueros pravos parvos, qui vix fari cœperant, adeò ut nec ipsa tenella ætas pueros illos à tam rigido subtraxerit supplicio.

Prov. 9.

4. Reg. cap. 2.

Non hominis tantùm, sed & Numinis odium excitat lingua convicians contra conviciantes, qui rarò impunè virorum insignium præsertim Principum mores, jocis legimus læsisse mordacibus. Non enim conviciantes possunt sibi semper polliceri Antigonum, qui cum manipulares duos pro regio tabernaculo excubantes, audivisset Regis sui facta criminantes succusso leviter aulæo, eos mansuetè æquè, ac modestè monuit, ut longiùs abscederent, ne ab ipso Rege audirentur: neque semper Cæsari Augusto obviant; in quem cum Timagines quidam varia per circulos scomata conjecisset, eum benignè monuit Imperator, ut imposterum moderatiùs linguâ uteretur. In iram pronior semper est Majestas Principum, cum à nebulonibus, & sicophantis convicijs pungitur: habétque Princeps ad hujusmodi convicia exploranda emissitios oculos, aurésque mille, quibus ubique adest, hominúmque circulis se se interserit, cauponis insidet cum dicacibus, & in intima quæque irrepit ædium penetralia, quatenus habet ipse delatores suos, genus nimirum hominum publico expertum exitio, ut olim sub Tiberio Cæsare veluti triumphos egit: ut enim de Tiberio ait Suetonius: *Nemini Delatorum fides abrogata, omne crimen pro capitali receptum etiam populorum, simpliciúmque verborum* Seneca lib. 3. de benefic. cap. 26. ait: *Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens, & penè publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simpliciter,* 46.

citer jocantium; nil tutum erat. *Objectum est Poëta, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset; objectum est & historico, quod Brutum, Cassiúmque ultimos Romanorum dixisset, & quidem scriptis abolitis læsa majestatu Rei fuerunt.* Utinam nostro sæculo in principum aulis ad aures magnatum clandestini, versutique rumigeruli, quietis turbatores ab aliis non deferrent prolata convicia ad Principis odium contra convicantes excitandum, & nonnunquam ad totam aulam suam, déque evertendam: innumera propemodum possent exempla hic congeri, quæ tamen satius est silentio præterire, cùm quotidianum experimentum id clariùs doceat: sunt hujusmodi delatores instar cucurbitularum pessimum è carne humorem sugentium: etenim quidquid, vel in speciem nocere posse existimant, ad se trahunt: nil nisi noxij aulici hi delatores exugunt ab aliis, quod convehant ad Principum aures, & ut plurimum ex alienis malis aliquid aucupaturi favoris, cùm careant ipsi eo virtutum honestamento, quo habeantur commendabiles. Id naturæ corruptæ vitio datur, ut gaudeat quis, clangulum cum plena suspicione audire criminationes: aures tunc perinde calumniis suaviter titillantur, ac si pennis confricarentur.

47. Adeò noxia sunt, quæ lingua prava excitat odia, ut non privari duntaxat homines perierint, verùm & familiæ integræ fuerint subversæ, imò & civitates funditus eversæ; patrúmque in liberos, fratrum in germanos, liberorum in parentes, amicorum in socios furor fuerit exitialis excitatus: & nullum fuit in mundo instrumentum nulla lues, nullúsque gladius, qui tot mala invexerit, sicut lingua: hæc enim fallax, & mendax, vel in ipso mundi exordio protoparentes ejecit à culmine terrenæ felicitatis, totúmque corrupit humanum genus, cum serpens esum persuasit Evæ pomi vetiti, simúlque Numini detraxit, cui pares homines edixit, cùm dixit mulieri: *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum:* malè carptum malum momordit mulier, sed malorum omnium plenam iliadem deglutivit; & unicus interdicti pomi morsus in cumulum omnium calamitatum mundum detrusit. Quis linguam non vocet Pandoræ pixidem, cùm ex ipsa tot scelerum portenta, & supplicia, tot morbi corrumpentes, dolores lancinantes, bella sanguinem fundentia, pestes homines interimentes proruperint: hinc enim ruunt è cœlo tonitrua, micant fulgetra, decidunt grandines, debacchantur procellæ, turbines, fulgura, & fulmina, quia linguâ serpens fusit Evæ pomi esum, quem mulier viro persuasit.

48. Nullum in homine membrum linguâ deterius si prava sit, si alteri nocere intendat; scitè Nicetas: *Nihil habet natura humana linguâ calumniatrice deterius.* Potest hæc vel famam lædere; vel honori detrahere, vel etiam utrique nocere: id enim interest discriminis inter utrumque, ut longè gravius sit famam lædere, quàm honori detrahere: est enim fama longè majus bonum, quàm honor, & per injuriam, qua fama læditur acerbior infligitur aculeus: & inter hujusmodi perniciosissimas injurias Principem occupat sedem infamatio per impactionem falsi criminis; hæc enim propriè calumnia dicitur, quæ cæteris linguæ aculeis nocentior, lethalius infligit volnus: ea est calumniatoris indoles, ut in crimen omnia vocet, tametsi nihil probet: quódque deterius, si quidpiam de altero bonî audiat, tunc lingua caret, ne clareat alterius virtus; nullum profert verbum; sed ut fert parœmia, *Areopagitâ est taciturnior*, cùm è converso, si quid mali arripiat, audiátque, illicò in ejus narratione labia dilatet, & plenam texat iliadem, & fusissimam adducat Odysseam, addens, quæ non audivit; & ea eblaterando omnibus incolcet, ut alienum probrum evulgetur, omnibúsque innotescat: eh quid boni in lingua detractrice notari potest? cùm tunc benè tantùm loquî sibi videatur, cùm malè, imò & pessimè loquitur.

In Manual. commentar. Numer. lib 3.

49. Graviter æquè, ac graviter larvam detraxit detractori Divus Bernardus, cum dixit in ejus lingua tartareum sessitare hostem, qui tanquam leo rugiens circuit, & quærens, quem devoret: linguâ potissimum utitur Detractoris, quia nil aptiùs damno hominibus inferendo ipsâ linguâ, quæ teste Augustino, *Non frustra in udo est, quia facilè labitur:* ideóque detractor Dœmoni simillimus esse dicitur, cùm omnia circumeat, penetret, quærens, quos lædat: nullus Venator solicitiùs sylvas percurrit, campósque circumit feram rapturus, sicut Detractor loca omnia perlustrat, ut nocendi ansas invenist, ut scitè dixerit David. *In circuitu impij* (seu detractores) *ambulant*, in orbem semper eunt, redeúntque centies una die, rumusculum audituri, quem deprehendant, & per auxeses sutoribus, sartoribus, tonsoribus enarrent, inculcent: totam pervagantur urbem, plateas, vicos, fores, compita, omnia de omnibus percunctando, imò & ipsa ingrediuntur ascete ria, omnésque angulos perlustrant, omnia everrunt, rimantúrque; in omnia oculos jaciunt, de omnibus inquisituri; alienas investigant infirmitates, non ut eis medeantur, sed ut opportunè in proprium commodùm, & aliorum perniciem ijsdem abutantur; erigun-túrque ipsi aliorum ruinis, & scarabæos imitantes, nunc his, nunc istis equinis excrementis insident ad sui incrementum; eósque crocitantes caliginosa nigredine corvos diceres cadavera putrescentia quæritantes; non apes argumentosas florum gremio insidentes, mellis dulcedinem lecturæ; cum aliena duntaxat vitia depromant, quibus videntur delectari; prætermissis virtutum floribus, quos

In Psal. 31

Psal. 11.

quos in aliis fastidiunt: Argos assereres centoculos, ut singula videant; & veluti Ardeliones curiositate, & malignitate ducti minus suspicaces discutiunt, quos prodant, evertántqoe oblatâ sibi occasione: quæ enim prava, vitiísque affinia viderint, vel audierint, alta reponunt mente, perinde ac tela futuro reservanda bello.

50. Detractioni affine est convicium, seu impudens alienæ famæ laceratio: eo tantùm discrimine dissociantur detractio, & convicium; quia illa clanculum famam imminuit alienam; hoc verò apertè, quod proinde homini læso videtur magis injurium, estque convicium impudens alienæ famæ laceratio, & nulli crebrioribus impetuntur conviciis, quàm qui præ aliis vel naturæ, vel fortunæ, vel gratiæ eminent donis: hi siquidem perinde ac signum ad sagittas videntur expositi: turres editiores, montiúmque præcelsa cacumina fulmina feriunt, cum humilia tecta, valiésque demissas prætereant: verùm cùm sint convicia contemptibilia, non aliud merentur nisi contemptum, tunc vires deperdunt, cum incipiunt contemptui haberi.

51. Læsioni famæ violatio succedit honoris, éstque crimen nomine indigitatum contumeliæ, eò quia alterius honor non proteratur absque contemptu, à quo propterea contumelia audit, & nonnisi tetris adumbratur coloribus, est enim ex Paulino: *Importunum vacui culicis murmur:* ex Synesio Epist. 44. *Cinadorum susurrus:* ex Pindaro, *Vulpium gannitus:* ex Chrysostomo homil. 2. *Scarabeorum sonitus, garritus Satanæ:* en quibus pigmentis hocce delineetur vitium: qui igitur conviciis, maledictis, calumniis, & contumeliis effutiendis student hos dixeris Mitridatis discipulos, qui nonnisi venenis pascuntur, ut aliis noceant.

Ep. 1.

Homil. 2.

52. Frœnum igitur injiciatur linguæ, ne ipsa nos dejiciat in tot vitiorum probra: sicut lingua nullo repagulo coërcita, licèt sine dente mordet, sine gladio ferit, sine telo vulnus infligit; ita si prudentiæ frœno compescatur, & silentio custodiatur, nonnisi laudes promeretur; qua de causa sponsus Cant. cap. 4. labia, & eloquium commendavit sponsæ: ait *vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Sed cur sponsus dulcedinem laudaturus eloquii, non linguam, sed tantùm labia commendat sponsæ, quia nimirum non quæ lingua verba profert, sed quæ cohibet, sunt Deo gratiora; quia tunc si verba emittantur, quia frœno coërcita prudentiæ nil adferunt nocumenti, sed suaviùs aures demulcent; hinc non labia tantùm, sed cumulatiùs, & ipsos dentes commendavit suæ sponsæ; *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eos:* verba igitur tunc commendationem merentur cum duplici coërcita labiorum, & dentium repagulo gregibus associantur; tonsis tamen, & lotis, ascendentibúsque, ac fœcundis: si verba tondantur si purgentur, si in iisdem omnes contundantur aculei, si fœcunda fuerint, ut aliis prosint, & nulli obsint, tunc grata sunt Deo: & hac fortassis de causa, quamvis priùs spectentur labia in ore, quàm dentes; sponsa tamen priùs dentes, quàm labia laudavit, & utroque tardiùs dulcedinem commendavit eloquii; ut disceremus ambo linguæ repagula dentes, & labia supra eloquii dulcedinem à cœlesti sponso adamari: & ex ipsis repagulis, quæ duriora sunt ampliori laudum excipi stipendio: dentes enim labiis duriores gregibus pariantur, & labia nonnisi vittis æquiparantur; quia quò durior est obex, eò est fortior, aptiórque eloquii coërcendæ exsuperantiæ.

Cant. 4.

Sed quid? quòd antea fores verborum, ruborem æquè labiorum, ac candorem dentium jussit naturâ veluti vigiles milites excubare? an ne verba inde prodeuntia candore careant simplicitatis; nec rubore verecundiæ? Ita est: tunc eloquium est dulce, ejúsque dulcedo à sponso laudatur, cœlestíque sponso est gratior, si procedat ex candore dentium, & labiorum verecundiâ, seu si verba à lingua prolata simplicia sint, & nemini obsint, & rosarum purpuram præseferant, quâ exercitio charitatis prosint. *Vitta coccinea labia tua.* Moris est, coccum bis tingi, quia semel verecundiâ animum imbuisse, fortassis non sufficit, quia cùm sit rubedo verecundiæ color præ cæteris in adolescentibus, & sponsis gratus, tunc etiam est Deo gratior, si geminetur; & ideò labia, quæ geminantur, vittæ comparantur coccineæ, & eloquium geminatum, hunc à labiis, quod mutuavit colorem, dulce effatur à sponsa, *eloquium tuum dulce:* sed cur sponsus ex eo, quod laudaverit in sponsa labia, sermonem etiam commendet; & non ita cùm commendâsset oculos sponsæ, oculorum non laudet perspicacitatem? cur eloquium labiorum dulce dicitur; & intuitus oculorum non prædicatur amabilis? an quia loqui interdum liceat, imò & necessarium sit, si aliis velimus prodesse, eósque instruere; & oculis evagari sine culpa vix aliquando liceat? promptiùs enim per oculos, quàm per os venenum haurimus, quo corrumpimur. 53.

Imò sunt oculi naturales quidam animi cuniculi, per quos expugnamur, ut ait Salvianus, ubi vocat oculos naturales quosdam animi cuniculos: sicut in obsidione munitissimæ arcis ducto cuniculo ad propugnacula, fit resticula pulveris tormentarii, ducitúrque in lineam ad præsidii fundamentum; neque igne applicito statim evertitur propugnaculum; sed paulatim flamma serpit, & exigui fomitis continuatione innutrita tandem ad consarcinatum in specu tormentarium pulverem appellit, cui delatum communicat ignem; qui incrementa subiens ex uberiori tormentarii pulveris pabulo, pugna- 54. *Lib. 3. de Provid.*

pugnaculum evertit, solum quatit,& horrifico sonitu arcem subvertit, saxa, trabésque sursum evibrat; quasi telo trisulco Pnëtici Jovis, vel immanium gigantum violentiori conatu Acroceraunia convellerentur. Parem huic dixerim cuniculo eximiæ pulchritudinis formam, præsertim in fœmina: hæc enim per oculos, veluti animi cuniculos subiens, si aspectûs continuatione, ut igneo fomite, ardor ipse cupiditatis iotimam pervenerit in arcem, enorme, ac exitiale ibi excitat incendium, cujus fumo, cæca caligine mens circumfusa à sua rectæ rationis disuellitur sede; divinæ gratiæ propugnaculū evertitur, ruúntque parietes dissipatæ conscientiæ: hunc sensit cuniculum David, qui cum somno meridiano se recreâsset, auram capturus liberiorem deambulavit in solario regii palatii; cúmque oculos curiosiùs circumegisset: *vidit mulierem se lavantem ex adverso*, nimirum ut acutè S. Augostinus *in Psalm.* 50. *mulier erat longè, libido prope:* insidebat aquis mulier eminus; cominus libido ignes accendebat; jecit aspectus in speciosam mulierem pellucidis se lavantem laticibus; sed David ignemè fonte illo hausit; radius ab aqua illa exiluit, & cum radio fulgur, cum fulgure amoris impudici telum, quo ictus cecidit ad mulieris aspectum, qui victor steterat, prostraverátque leones in campo, ursos in sylva, & Goliathum in valle. 2.Reg.11.

55. Oculi nisi fuerint columbæ, ut illi sponsæ; basilisci induunt naturam; venenum fundunt, vel hauriunt: secus sermo si è lingua prodierit prudentiæ frœno coërcita favos mellis distillat cum verba profert; unde sponsus alloquens sponsam vocat melleaejus verba: *eloquium tuum dulce:* hinc mel, & lac, sub lingua cœlestis sponsi, & quamvis Dei verbum gladius esse dicatur, non tamen ferreus, sed melleus: melle non ferro vulneratur cor; dulcedo cuspis est; & si cor inflicta suscipit vulnera, non sunt ad necem inferendam, sed vitam promovendam; non ad sanguinem fundendum; sed ad gratiam infundendam; & licèt Joannes sponsum viderit, ex cujus ore gladius erumperet utrinque acutus; nullæ tamen fluunt sanguinis guttæ, nec manu vibratus fulgurat; sed stipatus micantibus candelabris splendet; imò stillat multum mellis, cum sponsus sileat armatus, ne vulnera infligat, sed amoris telo oscula figat: hinc etiam sponsæ verba laudantur, quia mellea; *eloquium tuum dulce;* vel ut interpretantur Septuaginta *eloquium tuum decorum;* quia sermo linguæ prudentiæ frœno coërcitæ, non dulcis tantùm esse debet, sed etiam decorus, ac honestus: quia si dulcis, & vanus fuerit venenum spargit dulcedine inspersum, quò promptiùs ad interitum deglutiatur; sicut verbo dulci, & decoro, seu honesto educimur è sepulchro peccati; ita verbo dulci, sed vano in cloacam omnium scelerum facilè perducimur, venenum unà cum verbis haurimus.

Cum mulier Ægyptia æstu deperiret impudico adolescentem Josephum, non eum largitoribus solicitavit promissis, non fucata spe inflexit, non muneribus emollivit, sed unam præ cæteris mulier machinam admovit expugnatura adolescentis pudicitiam, quam rebatur cæterarum validissimam: fuit autem hic aries sermo dulcis, sed vanus; fabulari cum adolescente mulier concupiscentiæ calore percita frequentiùs cœpit: verbis usa fuit blandioribus: *Hujuscemodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum:* quamvis Ægyptia cæco amore lipiret, adhuc vidit ad expugnandam pudicitiam nullum esse dulci, vanóque eloquio arietem fortiorem, quem totius orbis illecebræ non flexissent, linguæ eloquio frœno haud coërcitæ honestatis, arbitrata est posse prosterni: & fortâssis hac de causa à Poëtis omni penè instrumento tum corporis, tum potentiæ destitutus amor fingitur, & pingitur, cæcus scilicet, inops, & nudus, non tamen elinguis, quia si una ei superfit eloquentia, satis est ut triumphet, quia ut scitè S. Valerianus Nicienfis Episcopus, & Cemeliensis *quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus.* 56. Genes.39. Homil.6.

DIS-

DISSERTATIO XI.

Affectus Desiderii quid, & quotuplex sit? expenduntur ejus causæ excitantes, ac remittentes, & Effectus.

§. I.

Mira humani Desiderii vis est; omnia penetrat, singula lustrat, & nullibi quiescit, quia nil est extra Deum, quod ejus valeat capacitatem explere.

1. DEsiderium solet definiri amor boni absentis; seu exporrectio appetitivæ facultatis in bonum, quod abest, & potest adesse; per quod ab amore discriminatur, quia amor fertur in bonum absolutè etiam ut præsens; desiderium verò in bonum futurum, & nondum acquisitum; quò fit, ut mens humana stimulante desiderio omnia pervadat, res abditas investiget, investigatas desideret, desideratas comprehendat. Datus est desiderio pro regno mundus, & quidquid in ampla ejus supellectili continetur pretiosi; quidquid nobilis fulget in auro, quidquid rarioris nitoris splendet in gemmis; quidquid elegantiæ emicat in floribus, virtutis in plantis, pretiosi in conchis. Non tangitur desiderium, & omnia attingit; non movetur, & omnia percurrit loca; volitat per aëra cum avibus, innatat aquis cum squammigero grege; trajicit æquora cum navibus, conscendit montium editiora juga cum feris, venaticísque canibus, naturam rerum omnium pervagatur, cœlum, terras, mare mira celeritate percurrit, neque in hisce acquiescens inferioribus, è caligine ista rerum fluxarum interitui obnoxiarum ipsa cœlorum penetralia pervadit, mentes ab omni conjunctione materiæ defœcatas perlustrat, earum cupit contubernium, ac iisdem associari. Ubique locorum est desiderium, arbiter universi, nullis circumscribitur finibus, nullo angustatur loco, coarctatur sede, contrahitur litore. Si prælucente ratione ducatur, in bonum fertur; si impetu feratur, cæcutit, impingit, labitur.

2. Ethic. §. 11. Multiplex est desiderium, seu concupiscentia, ut docet Aristoteles. Aliæ dicuntur concupiscentiæ naturales, sive irrationales; aliæ rationales: illæ oriuntur ex ipsa natura, seu complexione animalis; siquidem animalia quæque ea concupiscunt, quæ existimant sibi consentanea. Rationales dicuntur, quæ oriuntur ex dispositione, quam habet concupiscens, non prout constituitur ex tali natura, & complexione, sed quatenus existimat, hoc vel illud sibi congruere ad delectationem.

3. Concupiscentiæ naturales communes sunt hominibus, brutisque: Rationales soli homini sunt propriæ; quia tametsi hæ concupiscentiæ in homine dicantur inesse appetitui sensitivo, sequuntur tamen cognitionem potentiæ cogitativæ; quæ licèt sensitiva sit in homine, & respondeat æstimativæ brutorum; nihilominus ob affinitatem, quam habet cum intellectu, eo ipso quòd naturaliter cum ipso conjungitur in eodem homine, potest ferri in res plures, tanquam in propria objecta, in quæ potentiæ sensitivæ brutorum ferri nequeunt.

4. Lib. 1. polit. c. 6. Præterea concupiscentiæ rationales, ut docet Aristoteles, sunt infinitæ; eò quia propemodum infinita, & innumera sint, quæ ratiocinatione particulari videri possunt hominibus delectabilia. Secus concupiscentiæ irrationales, quæ & naturales dicuntur communes hominibus, & brutis finitudine clauduntur, eò quia determinata sint, quæ à brutis expetuntur, ut pertinentia ad eorundem naturalem statum. Rursus cupiditates rationales versantur circa honores, dignitates, divitias; non ita irrationales.

5. Hanc infinitatem rationalium cupiditatum ex eo Aristoteles evincit, quia ipsa cupiditas est sui ipsius finis, qui in omnibus artibus infinitè quæritur. Præterea quia inexplebilis est voracitas appetitûs humani; est siquidem infinitus ejus sinus, & capacitas; éstque veluti Tantalica sitis, cujus est in fabulis mentio. Hinc Epictetus aperiens

primam

primam radicem nostrarum cupiditatum, pulchrè ait: *Si quis mensuram necessitatis transierit, ejúsque terminum, jam sine termino vagabitur, alia aliis adjiciendo, donec ad extremas delicias, & vanitatem præceps feratur.* Per hoc enim fit quoddam quasi divortium à regula; & quæ inde sequitur inexplebilis egestas, & ejus comes afflictatio. Nam si decem paravimus volumus viginti habere; si hæc, quadraginta & sic deinceps: nec ullus finis est prolabendi in vastum illud, atque immensum pelagus insatiabilis cupiditatis. Constat enim in singulis iis, quæ ad usum corporis adhibeutur, possessionem, quæ limites excedit, recidere in infinitum.

Cap 61. Enchirid.

6. Hac ratione Richardus Victorinus ait, mundum universum ori cordis humani, non nisi exiguam esse buccellam incapacem explendi ejus famem; adeò ut solus Deus possit perfectè satiare nostra desideria, famémque humani cordis, dicente ipso per Regium vatem: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Extra Deum nihil est, in quo humana quiescant desideria; quia quidquid boni hominibus obtingit aliquam semper molestiam secum adfert. Qui divitiis affluunt semper anxii sunt, ne damnum ullum incurrant, curas semper animo volvunt, quibus miserè torquentur; adeout Magister Christus divitias spinas esse dixerit, eò quia earum sollicitudo animum semper pungat; perinde ac spinæ corpus lacerant. Præterea divitiæ cum vitiis plerumque nectuntur, adeout *divitiis*, & *vitiis*, sicut affinitas inest nominis; ita & re facilè copulentur. Neque divitiæ per se quantumcunque coacervatæ adæquatè hominis explent appetitum, quia ut notat Boëtius, Dives semper indiget, & nunquam est satur: quâ ratione Tertullianus vocavit divitias *Terræ minutalia*, eò quia non valeant hominum vota sistere, nec appetitum explere, quin potiùs eum magis incrementant, & sitim acuunt; quia ut often-dit S. Ambrosius, *Accessione facultatum accedit cupiditatis augmentum; inflammatúrque lucro avaritia, non extinguitur.*

Psalm. 80.

Lib. 3. de consol. prof. 3.

Lib. de Nab. c. 2.

7. Extra Deum examina humanarum cupiditatum, & desideriorum nunquam exsatiantur, quia cætera bona, quæ à nobis expetuntur, vacua sunt, ac insufficientia sibi, & aliis; quò fit, ut unâ cupiditatum avulsâ, illicò repullulet altera, humanum dixeris desiderium Lerneæ monstrum paludis; Hydram quippe æmulatur, cui uno dissecto capite nova non defuêre jugiter subpullulantia: mihi authoritatem molituro pondere suffragatur verborum S. Augustinus, qui monens Julianam viduam, quæ continentiam profitebatur, & ejus filiam Demetriadem, quæ virginitatem; ut caverent, ne divitiarum cupiditate caperentur pro cupiditate nuptiarum; & in earum corde nummi cupiditas succederet amori viri, ait: *carnalis cupiditas sæpe à concumbendi voluntate cohibita, majoribus viribus in pecunia se porrigit appetitum; & illinc eversa, huc se impetu ardentiori convertit.* Nunquam cor hominis est desideriis vacuum; sicut homo cogitationibus mentem implet, ita eos votis opplet; nec ullus est homo, qui cum Daniele *cap. 11.* non sit *vir desideriorum*; idque docet humanitas ipsa, quæ addiscit desiderare antequam loqui, lactantium siquidem infantium vagitus, verborum funguntur officiis, & interceptorum querimoniam produnt votorum: desideriis qui caret, aut homo non est, aut excors homo est. Natura cor hominibus inseruit votorum seminarium, ut faciliùs sit reperire terram sine arbustis, prata sine herbusculis, segetes sine aristis, quàm humanum cor omni prorsus desiderio spoliatum. Non abs re cor hominis pelago pariaveris, desideriorum æstu jugiter fluctuanti: sunt quippe vota in corde, quod undæ in pelago; fluctuant enim humana vota; mutuóque luctantur, colliduntúrque: *pugnant vota nostra cum votis*, ait Seneca *quia mens in varia distracta, plura desiderat, etiam sibi adversantia.*

Lib. de Bono viduitatis cap. 21.

§. II.

Causæ humanæ excitantes desideria, ex gemina præsertim radice germinant, copia scilicet, & inopia.

8. CAusæ, quæ desideria nostra excitant, plures sunt, quæ generatim ad duas revocantur principaliores: suntque indigentia, & copia; indigentia enim desiderantem premit, & copia repræsentatur ut assequibilis. Hinc præcipua desideriorum causa cognitio est egestatis, & boni idonei eidem explendæ. Lepidè Plato in convivio exponit has desiderii causas sub involucro cujusdam fabellæ de ortu Amoris ex Poro, & Penia, eámque describit Origines, juxta mentem Platonis inquiens. Cum nata esset Venus parato convivio cæteri Dii accessêre. Porus quoque (seu Copiæ Numen) & Metis (id est consilii filius) peractâ cœnâ, Penia, seu paupertas mendicatura ciborum reliquias eò venit. Porus autem nectare ebrius in Jovis hortum ingressus somno sopitus indormit: Penia rerum necessariarum penuria laborans, hac sibi occasione oblata consilium capit filium ex Poro suscipiendi; & prope illum accumbens Amorem concepit. Inde natus est Amor, & Veneris comes, ac famulus factus est, quia in Veneris natalibus est genitus. Amor igitur Pori, & Peniæ filius hanc est sortem consequutus: primùm pauper est, semper pannosus, squalidus sub dio dormiens, naturam matris ubique servans. Ex paterno genere bonis, & pulchris insidiatur, virilis est, audax, sagax venator, prudentiæ studiosus, facundus; neque mendicus, neque dives; quin medius collo-

4. contra Celsum.

collocatur Sapientiam inter, & inscitiam; ex qua liquet, desideria oriri simul ex indigentia, & copia, quatenus illa desiderantem stimulat, premitque; & copia objicitur, ut assequibilis: positâ enim indigentiâ, & copiâ cognitâ, ut consequibili, nascitur in appetitu desiderium obtinendi, quod cuique deest, ut propriæ consulat ægestati. Cúmque homo extra Deum semper sit indigus a desideriis vacat nunquam.

9. Aliæ desiderii causæ, sunt rei cujusvis novitas, & admiratio, quæ desiderium parit scientiæ; oblata præmia; objecta gloriæ; exhibitus honor, boni sperati præsentia, lucri facile incrementum, pinguioris fortunæ promissio; memoria patriæ; prosapiæ recordatio; facilitas obtinendi dignitatem; occasio acquirendi commodum aliquod, opportunitas sibi aucupandi benevolentiam Principis; significatio rei quæsitæ; æmulatio, zelus, meritum, & alia id genus pleraque.

10. Omnes desiderant, sed paucorum est scire desiderare. Plures suis inhærentes votis labyrinthum ingrediuntur Cretensi implicatiorem, & Ariadnæa destituti filo prudentis consilii in Minotaurum propriæ calamitatis miserè incidunt; quoties terrena commoda anxiè desideramus, felicitas nostris præludit miseriis. Cæci plerumque æmulamur jaculatores, quò tendant, & in quod arcum dirigant, ignorantes; quod effusâ hilaritate imaginamur assequi, hoc semen est mœroris; succenset huic palpabili

11. cæcitati Seneca inquiens. *Quid votis opus est? fac te felicem, facies autem, si intellexeris bona esse, quibus admixta est virtus: turpia, quibus malitia adjuncta:* pluriès, quæ censebatur felicitas, gradum sibi struxit in præceps. Quæ virtutem non redolent, salubria non sunt; & eorum sitis, non exigentia, sed morbus est naturæ. Quæ mundus exhibet gaudia, vera non sunt; quia nil verius, quàm falsa ea esse gaudia, quæ suis mundus fallax ostentat, & affert, ut decipiat; siquidem mundi gaudia extima *specie* suos decipiunt; Heliogabali sunt *speciosa* fercula, quæ palato eblandiuntur, sed non satiant; Tantalica poma, quæ famem acuunt, non explent: & Tantali latices, qui sitim accendunt, non extinguunt. Quid hæc desideria, quàm cæcutientis voluntatis fallaciæ? hæc indito sibi à natura pondere fertur in bonum non fucatum, sed ab intellectu prælucente defœcati judicii face ei exhibitum rectæ consonum rationi: est siquidem recta ratio Lydius veluti lapis rerum explorans momenta, verum probitatis aurum à fucata personatæ simulationis secernens.

❀ (o) ❀
❀

§. III.

Desiderii plures effectus recensentur, quorum præcipuus est vexare desiderantem. Beneficium enim diu desideratum, quò per interpositam dilationem diutiùs expectatur, eò acriùs torquet.

Effectus desiderii plures sunt, quorum præcipuus est onerare, ac egregiè vexare desiderantem; tametsi res concupita bona sit: ut enim animadvertit Seneca, beneficium quod diu desideratur ob interpositam dilationem non parum torquet desiderantem, & plurimum amittit gratiæ, adeò ut molestias ingeneret, ac fastidia procreet; scitè Seneca, *Nihil æquè amarum est, quàm diu pendere, & plures æquiore animo ferrent præcidi spem suam, quàm trahi.* Non modica est pœna censenda, quæ tranquillitatem pellit ex animo, quæ serenam eripit menti malsciam, & nubibus perturbationis caput funestat; hinc homo diu desideriis, ac spe frustratus rei concupitæ pertæsus; quam antea anhelus concupierat; mox tædio affectus fastidit. Ille rectè desiderat, qui nonnisi Deum summum bonum peroptat. Bonum hocce indeficiens est, indissolubile, si nostra secum desideria traxerit, mens nostra in culmine hærens virtutis, cætera ut humi repentia, nullóque digna pretio despiciet; rerúmque vicissitudinibus illudet, & inconcussa pectoris firmitate utrique obviabit fortunæ; arridentem modestiâ temperabit, nec per eblandita potentium suffragia altiùs enitetur: furentem, & univercali odio debacchantem ridebit; nec minacem ejus rictum pavebit. 11.

Lib.2. de Beneficiis cap.5.

Rursus effectus desiderii est aliud invehere, ac excitare, adeò ut homo licèt re concupita potiatur, non tamen in illa quiescat, sed ulteriùs pleraque alia exoptet, & post hæc adhuc alia, quæ causa fuit, cur Plato in Thimæo cupiditatem descripserit per belluam multicipitem, animum variè exagitantem. Trahuntur à desideriis desideria, inter quæ irrequietus volutatur animus, qui Proteum æmulatus cothurnatum desideriorum obambulat fucata theatra; quæ licèt apes, favósque nonnunquam referant, melle tamen carentia, aculeis in nostram armantur perniciem. 12.

Magnetis naturam humana desideria induunt, alia ab aliis jugiter trahuntur, & catenam construunt, quâ miserè illigantur homines in Tyrannicam servitutem, ut videatur sceleris pœna desiderium implevisse, quia humana vota caduci mancipata, & perituris addicta sitim accendunt, cum fluxa ebibunt; famémque acuunt, cum terrenis saturantur. Hinc Gallenus, non diffi- 13.

Lib. de curandis animi affectibus.

diffitetur unicum principium omnis nostræ molestiæ, ac irrequietæ agitationis esse concupiscentiam; quam voracitati æquiparat ventriculi, quâ hic plus, quàm par sit, ciborum amplectitur copias: cibo enim indigemus, ut vires reficiantur, corpus alatur. Nutritur verò corpus, si cibus benè coctus fuerit; & bene concoquitur, si modicus fuerit. Immodicus enim non totus digeritur cum eidem non sufficiat insitus calor, sed plures ejus partes corrumpuntur; & cibus corruptus per inferiora profusionem alvi excitat; & distributus per universa corporis membra vitiosum intra venas humorem gignit. Ita si fiat translatio de corpore ad animum; inexhausta cupiditas plura jugiter expetit, quàm ipse usus exigat, quapropter causa est omnis nostri mœroris, ac tristitiæ: hac cupiditate qui accenduntur, nunquam concupiscere desinunt; si duplum obtineant, triplum statim acquirere student; & triplum nacti, quadruplum appetere incipiunt, adeo ut nunquam sint saturi, sed desideria desideriis semper viam sternant ob inexplebilem cupiditatem, cui homo per acquisitionem rerum fluxarum nequit satisfacere, Quinimò in vetita semper excrescit appetitus, & eò impatientior fert obstacula, quò amantior est suæ libertatis.

14. Excitatur desiderium si ostendatur rei utilitas, commodum, quod ex ejus possessione resultat possidenti; honestatis incrementum, honoris, gloriæ augmentum; siquidem quæ nobis utilia esse possunt, ac commoda, enixim desideramus, censentes inde nostræ consultum iri indigentiæ: hac ratione D. Augustinus, *lib. medit. cap. 22.* excitat in se desiderium vitæ æternæ in cœlesti patria inquiens. O tu vita, quam præparavit Deus iis, qui diligunt eum! vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate, sine mutatione, vita totius elegantiæ, & dignitatis plenissima; ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, & timor nullus; ubi dies æternus, & unus omnium spiritus; ubi DEUS facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo, mens sine defecto satiatur. Libet me tuæ intendere claritati. Delectant me bona tua avido corde; quanto plus valeo mecum considerare, tantò plus amore tui langueo, tui vehementi desiderio, tuique dulci memoria admodum delector. Libet itaque in te oculos cordis attollere, statum mentis erigere, affectum animi conservare. Libet sanè de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine, & gloria quotidie legere, & lecta sæpius corde revolvere; ut vel sic passim ab hujus mortalis, perituræque vitæ ardoribus, periculis, & sudoribus, sub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio transire, & transiens in sinu tuo fessum caput dormiturus, vel paululum reclinare. O tu vita felicissima! o tegnum verè beatum, carens morte, vacans fine! cui nulla tempora succedunt per ævum; ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus; ubi victor miles, illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion. Hactenus Augustinus.

Coërcetur, & extinguitur desiderium, si ostendamus mala, quæ in homines ex ipso derivant; ex hoc enim concupiscentiæ fonte mala omnia scaturiunt; omnia siquidem perversè admissa nihil aliud sunt nisi miserrima soboles malorum desideriorum. Pecuniarum desiderium ad latrocinia, homicidia, cruces inducit. Desiderium gloriæ milites instruit, bella indicit, sanguinem fundit, strages hominum spargit, cruentas clades congerit, & campos sauciis, enectisque opplet cadaveribus. Concupiscentia ophthalmiâ laborans amicos non videt, amicitias dirimit, seditiones excitat intestinas, quibus omnia fluctuant ferali tumultu, gladiis ultro, citroque illatis. 15.

Enixè igitur invigilandum est, ne motus concupiscentiæ diuturnitate corroboretur, sed statim cum primùm excitatur coërcendus est; quia ut scitè Seneca: *Facilius est initia affectuum prohibere, quàm impetum regere.* Rursus ne voluptatum specie illecti ad concupiscendum rapiamur, optimum erit cum Aristotele relato à Valerio Maximo voluptates abeuntes considerare; ac earundem perpendere vacuitatem gignendo vero gaudio idoneam. Coërcetur desiderium mundanæ voluptatis; si hanc ostendamus sub larva fucatæ voluptatis lethale nobis venenum propinare, ex Sardonico risu funestam inferre necem. Mundi enim lætitia, perinde ac Sardonicus risus morti præludit, quam portendit, ac infert. Licèt ridere videantur homines voluptatibus indulgentes, non tamen verus est eorum risus, sed vera veræ mortis consignatio; & quod de Romano populo Salvianus dixit, nimirum herbis sardonicis exsaturatum ridere simul, & emori, ad homines alios facilè transfertur, qui voluptatibus inhiantes in favo mundanarum illecebrarum lehale exsugunt venenum. De Goæ mulieribus perhibent, eas herba uti *Datroa*, ut viros fallant, cujus seminis succus in cibo, vel potu propinatus insano similes efficit eodem madidos, nec quidquam intelligunt, sed jugiter rident. 16. *Epist. 11.* *Lib. 7. cap.*

Plerique non expectant, ut decipiantur, sed ipsi se decipiunt, cum succum ebibunt voluptatum; rident, sed inter denatos, quia ridentes miserè pereunt; eòque nocentius, quò perire non sentiunt. Mundi risus hominem non efficit lætum, sed inficit ad lethum, quia venenum propinat in favo. 17.

favo. Lethi, ac læti magna nominis cognatio, ut si hæc duo nomina tantùm audias, non vides, vix ullo discrimine, separes; magna, & rei cohærentia; quod in mundi voluptate lætum putas, lethum est; quia mortem invehit quod lætitiæ credebatur fururum vehiculum. Mundi voluptates aureis Neronis hamis pares dixeris, quibus capiebantur pisces, ut perirent. Voluptates illecebrarum escis alliciunt, ut illaqueent; illaqueant, ut ad lethum trahant. Quis nisi Anticyrano helleboro indigus venenum, licèt in lacteo cyatho haurire desideret? Quis nisi corruptæ mentis laborans morbo, velit, serpentes cum pratorum viretis amplecti? Quis nisi insanus lugendæ cum risu obviet neci? Extinguenda igitur sunt mundanarum voluptatum desideria, ne ipsa nos extinguant.

§ IV.

Desideria diù innutrita æstu ferventiori ex imis visceribus lacrymarum eliciunt imbres, quibus interioris flamma amoris irrigantur, ac foventur.

18. Est plerunque desiderii effectus, lachrymas ciere. Vehementi tenebatur Jacobus Patriarcha desiderio videndi filium suum Josephum in Ægypto Proregem, & licèt centum, & viginti annorum esset ætate gravatus ex Chananitide profectionem suscepit in Ægyptum: Josephus accepto de Patris adventu nuntio, curru sublimis eidem obviar in terram Gessenam, ubi redditur parens filio, & filius parenti veluti postliminio charior: adeò vehemens aestuat Josephus filius desiderium Jacobum Patrem videndi, amplectendique, ut à lachrymis non Gen. 46. potuerit se temperare: *Quò cùm pervenisset juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eundem locum: vidénsque eum irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit:* nimirum desideria diu innutrita, ac temporis diuturnitate multiplicata prodeunt in amoris signa, & quia amor impellente desiderio stare nescit, ideo corruit Josephus in amplexus Jacobi, quem anxius à longo tempore videre desideraverat: urgente desiderii æstu Josephi viscera, non potuit in lachrymas non colliquari ejus cor, quin per oculos exiret, in pectus patris suam positurum stationem; cùm patrem dulcissimis rigaret lachrymis; & quamvis in juventa tunc floreret Joseph ætatis, & in fastigio eminere dignitatis, princeps à populo salutatus, & raro teneritudo juvenes emolliat, rariúsque magnos principes desideria comitentur; amor tamen eximius utrumque à Josepho extorsit, quem & ad lachrymas tenellum fecit, & ad desideria flagrantem effecit: *& inter amplexus flevit*, seu ut legunt septuaginta Interpretes *flevit fletu multo* nimirum cùm sint oculi cordis exploratores, & nuntii, æquum videbatur, ut lachrymæ oculis effusæ diffusum testarentur in pectus amoris incendium, ac desiderii diu innutriti incrementa. Patris jam senio confecti, diúque desiderati aspectus præcordia urserat; & desiderium, quod intus incrementa subierat, lachrymas statim fudit per oculos, interni testes gaudii, ut ait D. Chrysostomus: *Fontes emisit lachrymarum, & magnam declaravit lætitiam:* amoris legationem mittunt præcordia, cùm in dilecti vultum, collúmque lachrymas spargunt: neque alio exteriori indicio internus amor, ac ardens desiderium explicatur foris evidentiùs.

Hinc calidæ, ac fervere dicuntur lachrymæ, quia ex æstu nascuntur amoris, & ex calore prodeunt desiderii: ignem enim utriusque affectûs produnt lachrymæ. hæcque causa, cur Magdalena in domo Simonis pedes magistri præsentis lachrymis rigaverit, & fletu; geminatisque suspiriis in horto quæsivit absentem: sed ubinam ardentiùs Maria amavit, in domóne Simonis, an in horto? certè domesticos inter Simonis parietes, ubi teste Luca, *Dilexit multum:* sed quem in domo Simonis ardentiùs amavit præsentem; in horto vehementiùs desideravit absentem: scitè D. Gregorius: *Exquirebat, quem non invenerat, flebat inquirendo, & amoris igne succensa, ejus quem ablatum credidit, ardebat desiderio:* flebat in horto inquirendo, seu desiderando absentem, quem non invenerat, & ideo lachrymas eliciuit, non quibus flammas extingueret desiderii, sed ut ejus ardorem magis incenderet. 19. Cap. 7.

Joseph in Ægypto Prorex suspicatus fuerat, Jacobum Patrem ultimo confectum senio mortalitatem exuisse, & quia hærebat anceps, solicitus fuit, quid de ipso esset, inquirere à fratribus, à quibus cùm intellexisset, Jacobum adhuc vivere in Chananitide uberiori exarsit desiderio eum videndi, nimirum desiderium stimulos addidit, quibus quæreret, quæsitum videret, & visum rigaret lachrymis, sua fletu abundè satians desideria. Dulces eredas Josephi lachrymas, cùm enixim desiderantis, ac vehementer amantis sint lachrymæ, quæ absque ullo prævio delicto in collum, pectúsque diu desiderati parentis cadunt.

20. Apostolorum Princeps, cùm friguisset ad ignem, ubi proprium oblitus Magistrum quidquam ampliùs de ipso nesciebat, ad eundem reversurus lachrymas effudit amaras, quasi mare positurus, cujus tractus trajiceret, ut ad malaciam portûs post procellam appelleret: sed eur si ex amore fleverat Petrus, non dulces potiùs fuerunt ejus lachrymæ? cur amaritudine aspersæ felleum potiùs, quàm melleum propinârunt haustum sitienti magistrum discipulo? quia nimirum delictum præcesserat negationis, quod Petrum excruciabat; & defluebant lachrymæ in pe-

ctus non compatiens Christi, sed Petri resipiscentis, & cùm in pectus fluerent hominis peccatoris proprium non exuerunt amarorem: è converso Josephi lachrymas nullum praecesserat delictum, & cum è corde elicerentur non amante tantùm, sed & innocente, ac in collum, finúmque dilecti, ac diu concupiti parentis caderent, dulcedinem stillârunt. Desiderium si simplex fuerit, quódque nullum comitetur delictum, lachrymas elicit, sed dulces, quae amorem conciliant; non amaras, quae affectum aversum, vel avertendum produnt. Id tamen singulare in Josepho, qui licèt emineret in culmine dignitatis, splenderet gemmeo ornatu, ditesceret congestis thesauris, adhuc per lachrymas testatus fuit humanitatem minimè exuisse in Principatu: dignitas quò sublimior, eò similior censetur soli, quem imitatur in hoc, quòd nubes dissipet, pluviásque exficcet: sed in Josepho, quia desiderium videndi Patrem suum Jacobum praeferebatur dignitati, non valuit haec imbres prohibere, nec exficcare lachrymarum.

22\. Cùm Magister Christus defuncto Lazaro illachrymaretur, dixit D. Basilius: *Per hoc quòd amico illachrymatus est, verè expressit fortitum se esse consuetudinem naturae:* quia homana dignitas ob validiorem potentiam, feritatis potiùs, quàm charitatis feminae solet cordibus inserere, quae nonnisi caedes producunt: hinc plures; quos inter privatos, humilésque homines pios, ac ad omnem mansuetudinem flexiles senseramus, cùm primùm eminens aliqua dignitas ad imperium evexit, crudeles experimur, quasi propriae oblitos naturae in feras degeneerent. Non ita suo se in principatu gessit Joseph, cùm non ficcis oculis Patrem suum Jacobum viderit, sed eadem pietate emollitur in dignitatis fastigio, quâ domesticos inter parietes suum dilexerat genitorem. Cùm cor in fletus per oculos in pectus patris per fluxas, mallésque lacrymas caderet, satis ostenderat, nullam in visceribus induisse duritiem, nec etiam in fratres, à quibus fuerat venditus, sed antiquam servâsse humanitatem. Imò aestuans desideriis in patrem, & fratres, vel in apice felicitatis miserum se credidit, si diutiùs aspectu frandaretur parentis, dulcique ejus conspectu. Repleverant congestae divitiae cistas, non pectus Josephi; ornaverat purpura corpus, non spoliaverat animum pio affectu, quia neque divitiae, neque honores amoris flammam, & desiderii famem valuerunt extinguere: amantium enim est jugiter torqueri, quamdiu absentem sentiunt, quem impensè diligunt, scitè Gregorius Nazianzenus in laudibus D. Cypriani. *Neque procrastinationem fert Zelus, totiúsque vita spatium instar est unius diecula desiderio laborantibus.* Annos supra viginti abfuerat Joseph à patria domo, & parente; desiderium genitorem videndi tot finxerat saecula, quot fluxerant dies, cúmque desiderìis acrioribus torqueretur, ad patris collum omni disruptâ morâ, amplexúsque cucorrit; & collum senile strinxit, lachrymísque rigavit.

Sed si Joseph ex patris accessu singulari fuit gaudio exhilaratus, cur in lachrymas liquescit, quae interni doloris sunt potiùs nuntiae? si patrem amplecti enixiùs cupit; cur non potiùs laetitiae signis, hilaritatis indiciis in ipsius irruit collum? An quia verum gaudium per lachrymas in homines derivatur dicente Christo: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* si lachrymae ex sincero eliciantur desiderio eos beneficandi, à quibus nobis fuerunt illatae injuriae, verum gignunt nobis solatium? Joseph beneficus in fratres, à quibus fuerat in cisternam demissus, & exteris postea Mercatoribus divenditus, aliisque affectus injuriis, cùm arderet desiderio, eos & videndi, ac beneficiis cumulandi, erupit in lachrymas, quae summum eidem gaudium peperêre; & desiderium, adeò sincerum fuit, ut nullum potuerit in corde moerorem pati, omnémque antiquam amaritudinem fortassis haustam ob sibi illatas injurias, stillatam mox in lachrymas per oculos foras ejecit, ut nil nisi defoecatissimum gaudium animum occuparet. Plerumque ad omnem excludendam infecti sanguinis suspicionem solent, qui valetudini impensiùs studeut per phlebotomiam venam scindere ad sanguinis emissionem; Josephus ut omnem abigeret in fratribus olim injuriis lacessitus amaroris suspicionem, non per venae scissuram sanguinem fudit, sed per cordis emollitionem lachrymas emisit, ut per oculos stillaret amor, quidquid antiqui moeroris potuisset in Josephi praecordiis superesse: per lachrymarum effusos imbres non solùm mitescit dolor, sed expungitur moeror, irrigatur solatium, & uberiora sobit interioum gaudium incrementa: sintque propterea praenuntiae internae laetitiae, quae solent lachrymae etiam internum prodere dolorem: tunc autem solatium rigant, cùm defoecata desideria fletus eliciont.

23\. (margin: right) Matth. 5.

Scimus extorres Israelitas, tùm patriae aestuarent desideriis, ripis insedisse fluminis Babylonis, ac amarè flevisse suspensis in salicibus instrumentis laetitiae: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion: in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra:* sed si extorres Israelitae sermones miscent de coelesti Sione, de patria aeterna, cur potiùs linguas non solvunt in cantus, & organa pulsant ad excitandam laetitiam? sed quid dixerint, audiamus; *Sedimus, & flevimus dum recordaremur,* quia nimirum lachrymae abundè cantum supplevêre, ac musica instrumenta; cùm enim flerent, ardentia desideria fortiùs amor commendabat. Hinc Joseph in Aegypto non aulae accivit Citharoedos, excepturus jam diu concupitum Patrem plausibus instrumentorum; neque musicae artis 24.

jussit

jussit dulcisonam concini melodiam, neque pulsu citharæ aures demolceri adventantis patris, sed lachrymas fudit ex oculis, quibus liquatum cor patri dedit: desiderium adeo præcordia inflammaverat, ut liquescere in lachrymas coëgerit, & caput, pectúsque patris rigare; suaviorem amoris concentum dedêre lachrymæ, quas diu innutritum desiderium in pectore, è corde amoris æstuante flammâ elicuit: oculisque ad musicos instructi concentus, dum plorant in filio, suaviùs aures recreant patris, animú demulcent, & omnia intima reficiunt præcordia. Dulcioribus igitur concentibus utitur, qui musicam oculos fluxu edocet lachrymarum, quàm qui oris, gutturisque assuescit inflexionibus: hinc sponsa vernæ indicatura temperiei accessum, aviúmque dulcisonos in sylvis concentus, lachrymas subindicat, quas amputatæ vites sub veris initium eliciunt. *Tempus putationis advenit*, seu ut legitur in hebræo: *Tempus plorationis, & cantationis advenit*; ac si perinde esset flere, ac canere; lachrymas elicere, & dulcisonos concentus foras emittere.

Cant. 2.

25 Non animi mœrorem semper lachrymæ produnt, sed plerumque indices sunt gaudentis cordis, animique lætantis ob expleta desideria, quæ diu suspensa totum subiode hominem torquent. Esse lachrymas, quas per oculos internum emittit desiderium interni gaudij nuntios, ex eo itidem infertur, quia Deus per Moysem jussit, populum gaudia festivitatis lachrymis temperare afflictionis. *Decimo die mensis hujus, dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus, affligetisque animas vestras in eo.* Quid, quòd afflictio animi lætitiam debeat solemnioris festivitatis comitari, & corrompere? quid, quòd mœrentis animi nubes lætantis diei debeant serenitatem infuscare? & cùm dulcisonis plausibus deberent potiùs diem commendare quietis, & lætitiam prodere festivitatis, jubeantur Israëlitæ inquietos afflictionis accersere motus, quibus in malacia festivitatis procellam experiantur mœroris? scitè Oleaster. *Festum miscuit afflictioni peccatorum, ut ostendat nil jucundius esse, quàm de peccatis dolere:* sigoa igitur internæ jucunditatis lachrymæ sunt, quas expletum desiderium per oculos exterius emittit: argumentum internæ quietis fletus sunt oculorum: ideò Joseph quia desiderium patris videndi expleverat per ejus præsentiam, & amplexus; lachrymas fudit, dulcissimè filius lætatus est, cùm diu concupitum parentem fletu excepit, & lachrymis amplexus est; quia ut pulchrè D. Basilius. *Sæpe spiritum ex alto cordis eductum solatium indolescentibus animis affert, & lachryma erumpentes afflictionis copiam discutiunt.* Præconceptam igitur in intimis visceribus lætitiam fletû temperat Joseph, ut hoc veluti sale conditum gaudium jucundius esset: arridentem mentis serenitatem pluvijs lachrymarum irrigaret, ut lætiores florerent amoris rosæ.

Levit. 23.

Epist. 79.

§. V.

Humana desideria naturam induunt flammæ; si remissa fuerint, facilè coërcentur: difficulter si acriùs æstuent.

26. Desiderij effectibus accensetur etiam moræ impatientia, omnisque cunctationis disruptio, est enim animus noster periode, ac flamma semper in motu, quiescit nunquam, agitatur semper, pulchrè Seneca. *Quemadmodum surgit in rectum, jacere, ac deprimi non potest, non magis quàm quiescere: ita noster animus in motu est, eò mobilior, & actuosior, quò vehementior fuerit:* est siquidem in homine affectionis, & desiderij motus acrior, vel remissior, prout desiderium majore concitatur æstu, vel remissiore ardet igne: naturam induunt flammæ humana desideria, si remissa fuerint, facilè coërcentur, perinde ac flamma, si exigua sit, pauxillæ frigidæ effusione extinguitur: sin verò in incendium excreverit, domos evertit, urbes absumptas cinere cooperit, sylvas quas depascitur in fumum cogit, & succensas è terris, ubi radices egerant, sursum in cœlis avolare; nec ejus flamma ullo potest humano coërceri conatu, nullóque extingui flumine, nec ulla sopiri industriâ.

Epist. 39.

27. Quòd si montium in abruptis visceribus stabulentur flammæ sulfure fartæ, ac bitumine innutritæ? tunc etiam præcelsos montes cautiom, rupiúmque propugnaculis munitissimos elocant, & horrendo fragore excutiunt, disrumpúntque; & eò lethaliùs apparant excidium, quò diutiùs intùs hærentes exitum per hiantes montis latebras difficulter aperiunt; tunc ignis moræ impatiens saxea ipsa infringit repagula, omnique excusso obice foras exilit: ita dixerim flammantia nostris in pectoribus desideria; quò oberius ex diuturnitate fubeunt incrementum, eò difficiliùs moras patiuntur, nec cunctationem sustinent: scitè Tertullianus. *Calor est omnis affectus; verùm cùm in affectationem flabellatur, jam de incendio gloria ardor est*, nimirum cùm in animo incipit desiderium ingenerari, veluti in cunabulis viribus destitutum moras sustinet, quòd si adolescat, diúque innutriatur, & flabelli exagitatione in incendium excrescat, impatiens tunc fit moræ, omnisque cunctationis frœnum excutit, & quævis torpens celeritas testudinea ei videtur lentitudo, contra quam pernicitas celeriori armatur motu; quia nescit

Lib. de pallio cap. 4.

ctus non compatiens Christi, sed Petri resipiscentis, & cùm in pectus florent hominis peccatoris proprium non exuerunt amarorem: è converso Josephi lachrymas nullum præcesserat delictum, & cum è corde elicerentur non amante tantùm, sed & innocente, ac in collum, sinúmque dilecti, ac diu concupiti parentis caderent, dulcedinem stillârunt. Desiderium si simplex fuerit, quódque nullum comitetur delictum, lachrymas elicit, sed dolces, quæ amorem conciliant; non amaras, quæ affectum aversum, vel avertendum produnt. Id tamen singulare in Josepho, qui licèt emineret in culmine dignitatis, splenderet gemmeo ornatu, ditesceret congestis thesauris, adhuc per lachrymas testatus fuit humanitatem minimè exuisse in Principatu: dignitas quò sublimior, eò similior censetur soli, quem imitatur in hoc, quòd nubes dissipet, pluviásque exsiccet: sed in Josepho, quia desiderium videndi Patrem suum Jacobum præferebatur dignitati, non valoit hæc imbres prohibere, nec exsiccare lachrymatom.

22. Cùm Magister Christus defuncto Lazaro illachrymaretur, dixit D. Basilius: *Per hec quòd amico illachrymatus est, verè expressit fortitum se esse consuetudinem naturæ:* quia humana dignitas ob validiorem potentiam, feritatis potiùs, quàm charitatis semina solet cordibus inserere, quæ nonnisi cædes producunt: hinc plures; quos inter privatos, humilésque homines pios, ac ad omnem mansuetudinem flexiles senseramus, cùm primùm eminens aliqua dignitas ad imperium evexit, crudeles experimur, quasi propriæ oblitos naturæ in feras degenerent. Non ita suo se in principatu gessit Joseph, cùm non siccis oculis Patrem suum Jacobum viderit, sed eadem pietate emollitur in dignitatis fastigio, quâ domesticos inter parietes suum dilexerat genitorem. Cùm cor in fletus per oculos in pectus patris per fluxas, mollésque lacrymas caderet, satis ostenderat, nullam in visceribus induisse duritiem, nec etiam in fratres, à quibus fuerat venditus, sed antiquam servâsse humanitatem. Imò æstuans desideriis in patrem, & fratres, vel in apice felicitatis miserum se credidit, si diuriùs aspectu fraudaretur parentis, dulcíque ejus conspectu. Repleveraot congestæ divitiæ cistas, non pectus Josephi; ornaverat purpura corpus, non spoliaverat animum pio affectu, quia neque divitiæ, neque honores amoris flammam, & desiderii famem valuerunt extinguere: amaotium enim est jugiter torqueri, quamdiu absentem sentiont, quem impensè diligunt, scitè Gregorius Nazianzenus in laudibus D. Cypriani. *Neque procrastinationem fert Zelus, totiúsque vitæ spatium instar est unius diecula desiderio laborantibus.* Annos supra viginti abfuerat Josephà patria domo, & parente: desiderium genitorem videndi tot finxerat sæcula, quot fluxerant dies, cúmque desideriis acrioribus torqueretur, ad patris collum omni disruptâ morâ, amplexúsque cucurrit; & collum senile strinxit, lachrymisque rigavit.

Sed si Joseph ex patris accessu singulari fuit gaudio exhilaratus, cur in lachrymas liquescit, quæ interni doloris sunt potiùs nuntiæ? si patrem amplecti enixiùs cupit; cur non potiùs lætitiæ signis, hilaritatis indiciis in ipsius irruit collum? An quia verum gaudium per lachrymas in homines derivatur dicente Christo: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* si lachrymæ ex sincero eliciantur desiderio eos beneficandi, à quibus nobis fuerunt illatæ injuriæ, verum gignunt nobis solarium? Joseph beneficus in fratres, à quibus fuerat in cisternam demissus, & exteris postea Mercatoribus divenditus, aliisque affectus injoriis, cùm arderet desiderio, eos & videndi, ac beneficiis cumulandi, erupit in lachrymas, quæ summum eidem gaudium peperêre; & desiderium, adeò sincerum fuit, ut nullum potuerit in corde mœrorem pati, omnémque antiquam amaritudinem fortassis haustam ob sibi illatas injurias, stillatam mox in lachrymas per oculos foras ejecit, ut nil nisi defœcatissimum gaudium animum occuparet. Plerumque ad omnem excludendam infecti sanguinis suspicionem solent, qui valetudini impensiùs student per phlebotomiam venam scindere ad sanguinis emissionem; Josephus ut omnem abigeret in fratribus olim injuriis lacessitus amaroris suspicionem, non per venæ scissuram sanguinem fudit, sed per cordis emollitionem lachrymas emisit, ut per oculos stillaret amor, quidquid antiqui mœroris potuisset in Josephi præcordiis superesse: per lachrymarum effusos imbres non solùm mitescit dolor, sed expungitur mœtor, irrigatur solatiom, & uberiora subit internum gaudium incrementa; sintque propterea prænuntiæ internæ lætitiæ, quæ solent lachtymæ etiam internum prodere dolorem: tunc autem solatium rigant, cùm defœcata desideria fletus eliciont.

Scimos extorres Israelitas, cùm patriæ æstuarent desideriis, ripis insedisse fluminis Babylonis, ac amarè flevisse suspensis in salicibos instrumentis lætitiæ: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion: in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra:* sed si extorres Israelitæ sermones miscent de cœlesti Sione, de patria æterna, cur potiùs linguas non solvunt in cantus, & organa pulsant ad excitandam lætitiam? sed quid dixerint, audiamus: *Sedimus, & flevimus dum recordaremur,* quia nimirum lachrymæ abundè cantum supplevêre, ac musica instrumenta; cùm enim flerent, ardentia desideria fortiùs amor comendabat. Hinc Joseph in Ægypto non aulæ accivit Citharœdos, excepturus jam diu concupitum Patrem plausibus instrumentorum; neque musicæ artis jussit

Margin notes: 23. Matth. 5. 24.

jussit dulcisonam concini melodiam, neque pulsu citharæ aures demulceri advenientis patris, sed lachrymas fudit ex oculis, quibus liquatum cor patri dedit: desiderium adeo præcordia inflammaverat, ut liquescere in lachrymas coëgerit, & caput, pectúsque patris rigare; suaviorem amoris concentum dedêre lachrymæ, quas diu innutritum desiderium in pectore, è corde amoris æstuante flammâ elicuit: oculísque ad musicos instructi concentus, dum plorant in filio, suaviùs aures recreant patris, animũ demulcent, & omnia intima reficiunt præcordia. Dulcioribus igitur concentibus utitur, qui musicam oculos fluxu edocet lachrymarum, quàm qui oris, gutturisque assuescit inflexionibus: hinc sponsa vernæ indicatura temperiei accessum, aviúmque dulcisonos in sylvis concentus, lachrymas subindicat, quas amputatæ vites sub veris initium eliciunt. *Tempus putationis advenit*, seu ut legitur in hebræo: *Tempus plorationis, & cantationis advenit*; ac si perinde esset flere, ac canere; lachrymas elicere, & dulcisonos concentus foras emittere.

Cant. 2.

25 Non animi mœrorem semper lachrymæ produnt, sed plerumque indices sunt gaudentis cordis, animíque lætantis ob expleta desideria, quæ diu suspensa totum subinde hominem torquent. Esse lachrymas, quas per oculos internum emittit desiderium interni gaudij nuntios, ex eo itidem infertur, quia Deus per Moysem jussit, populum gaudia festivitatis lachrymis temperare afflictionis. *Decimo die mensis hujus, dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus, affligetísque animas vestras in eo.* Quid, quòd afflictio animi lætitiam debeat solemnioris festivitatis comitari, & corrumpere? quid, quòd mœrentis animi nubes lætantis diei debeant serenitatem infuscare? & cùm dulcisonis plausibus deberent potiùs diem commendare quietis, & lætitiam prodere festivitatis, jubeantur Israëlitæ inquietos afflictionis acerserse motus, quibus in malacia festivitatis procellam experiantur mœroris? scitè Oleaster. *Festum miscuit afflictioni peccatorum, ut ostendat nil jucundius esse, quàm de peccatis dolere*: signa igitur internæ jucunditatis lachrymæ sunt, quas expletum desiderium per oculos exterius emittit: argumentum internæ quietis fletus sunt oculorum; ideò Joseph quia desiderium patris videndi expleverat per ejus præsentiam, & amplexus; lachrymas fudit, dulcissimè filius lætatus est, cùm diu concupitum parentem fletu excepit, & lachrymis amplexus est; quia ut pulchrè D. Basilius. *Sæpe spiritum ex alto cordis editum solatium indolescentibus animis affert, & lachryma erumpentes afflictionis copiam discutiunt.* Præconceptam igitur in intimis visceribus lætitiam fletu temperat Joseph, ut hoc veluti sale conditum gaudium jucundius esset: arridentem mentis serenitatem pluvijs lachrymarum irrigaret, ut lætiores florerent amoris rosæ.

Levit. 23.

Epist. 79.

§. V.

Humana desideria naturam induunt flammæ; si remissa fuerint, facilè coërcentur: difficulter si acriùs astuent.

Desiderij effectibus accensetur etiam moræ impatientia, omnisque cunctationis disruptio, est enim animus noster perinde, ac flamma semper in motu, quiescit nunquam, agitatur semper, pulchrè Seneca. *Quemadmodum surgit in rectum, jacere, ac deprimi non potest, non magis quàm quiescere: ita noster animus in motu est, eò mobilior, & actuosior, quò vehementior fuerit*: est siquidem in homine affectionis, & desiderij motus acrior, vel remissior, prout desiderium majore concitatur æstu, vel remissiore ardet igne: naturam induunt flammæ humana desideria, si remissa fuerint, facilè coërcentur, perinde ac flamma, si exigua sit, pauxillæ frigidæ effusione extinguitur: sin verò in incendium excreverit, domos evertit, urbes absumptas cinere cooperit, sylvas quas depascitur in fumum cogit, & succensas è terris, ubi radices egetant, sursum in cœlis avolare; nec ejus flamma ullo potest humano coërceri conatu, nullóque extingui flumine, nec ulla sopiri industriâ. 26.

Epist. 39.

Quòd si montium in abruptis visceribus stabulentur flammæ sulfure fartæ, ac bitumine innutritæ; tunc etiam præcelsos montes cautium, rupiúmque propugnaculis munitissimos elocant, & horrendo fragore excutiunt, disrumpúntque; & eò lethaliùs apparant excidium, quò diutiùs intùs hærentes exitum per hiantes montis latebras difficulter aperiunt; tunc ignis moræ impatiens saxea ipsa infringit repagula, omnique excusso obice foras exilit: ita dixerim flammantia nostris in pectoribus desideria; quò uberius ex diuturnitate subeunt incrementum, eò difficiliùs moras patiuntur, nec cunctationem sustinent: scitè Tertullianus. *Calor est omnis affectus; verùm cùm in affectationem flabellatur, jam de incendio gloria ardor est*, nimirum cùm in animo incipit desiderium ingenerari, veluti in cunabulis vitibus destitutum moras sustinet, quòd si adolescat, diúque innutriatur, & flabelli exagitatione in incendium excrescat, impatiens tunc fit moræ, omnísque cunctationis frœnum excutit, & quævis torpens celeritas testudinea ei videtur lentitudo, contra quam pernicitas celeriori armatur motu; quia 27.

Lib. de pallio cap. 4.

nescit tarda molimina vehemens desiderij flamma.

28. Sisara Dux Cananeorum cùm frustra turbatam in bello aciem restituere conatus esset, eò quia pavor aures clausisset confusis, ac fugientibus jam militibus; nititur etiam ipse ex prælio subductus indecorâ fugâ sibi consulere; ut vitam conservaret; & ut aliorum effugeret notitiam, aureo desilit è curru, abjectóque Principis paludamento; cum cæteris gregalibus militibus, ac insignibus pedestrem, & incomitatam arripit fugam: in ea autem fugientium festinatione defertur ad tentorium Habèri natione Cinæi, qui sub pellibus habitare consueverat; cujus uxor erat Jahel, cùmque maritus unà cum famulis abesset, currentium pedum excitata mulier sonitu fugienti occurrit, piâ fraude solatur Sisaram, quem etiam è malè pugnato prælio fugere suspicatur, jubètque metum omnem exuere, pavidámque diffidentiam excutere, & blandissimis verbis suum invitat, allicitque in tentorium: Sisara verò quâ sermonis suavitate demulsus; quâ amicitiâ, & fœdere confisus, quô Jabino conjuncti erant Cinæi, tabernaculum ingreditur, utque lateret tutiùs in abstrusiorem seductus locum, stragulo operitur; excubias mulier ipsa actura, ante tentorij fores sedet. Priùs tamen quàm Sisara ex prolixo itinere ad reficienda defessa corporis membra somno indulgeret, frigidam ad temperandum conceptum in pectore calorem efflagitat à muliere, quæ indulgentior, quàm vir petierat, ex utere coreaceo lac è grege recèns emulsum in phialam fundit, haustúmque plenum lactis exhibet defatigato Sisaræ, qui post siccatam phialam, lactis dulcedine, ac frigiditate refectis visceribus profundo sopitur somno; sed tunc mulier suspicata hebrææ gentis hostem esse, quem sopor occupaverat; sumptis animis communem ultura Hebræorum inimicum; ferreum clavum prælongum, seu unum ex ijs, quibus papillionum castrensium densi funes solo depanguntur, extrahit humo, manúque altera arrepto ferreo malleo, per summum oris, pedisque silentium tardo, mollíque incessu accedit armata mulier ad Sisaræ jam altiori somno sopitum caput; designat locum vulneri mox infligendo, clavum admovet per dormientis tempora, dexterum elevat brachium, totóque nisu, ac conatu ferreo malleo clavum percutit, & dormientis Sisaræ caput terræ affigit. *Tulit Jahel uxor Habèr clavum tabernaculi* Judic. 4. *assumens pariter, & malleum, & ingressa abscondité, & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussúmque malleo, defixit in cerebrum usque ad terram.*

29. Quærit Abulensis *Quæst. 21.* Cur Jahel uxor Habèr per se ipsam, & non per alium voluerit Sisaram interimere; cùm fatiùs videretur, honestæque Matronæ decentiùs per famulum aliquem Sisaram interfecisse, ac impollutas manus ipsam custodivisse, præsertim cum soleant fæminæ humanum sanguinem horrere, eóque proprias dedignentur fœdare manus? cur igitur maluerit ipsa per se ipsam carnificis fungi officio, & hanc ignominiæ detestandam notam subire? Acutè respondet Abulensis, Jahelem fuisse tunc vehementissimo inflammatam desiderio occidendi Sisaram infensissimum hebraici populi hostem; & præsertim eum vitijs indulgeret, & virtutum cultores insequeretur; ideo vehementiori virtutis desiderio succensa mulier facinus ultra consuetas fœmineas vires aggreditur, impatiénsque cunctationis, omnémque disrumpens moram, nec famulum expectare, aut vocare voluit, sed desiderij stimulis concitata homicidium per se ipsam omni excusso timore peragit: ait Abulensis. *Respondendum est, quòd Sisara erat magnus hostis Israël, & si evasisset, inde poterat facere multa mala Israëli, quæ abominabatur Jahel: ideò desideravit ipsa nimis, quòd moreretur, & quia timebat, quòd fortè aliquis veniret, it citò ad inquirendum ipsum, ne ipse expergefactus de somno fortè recedere hinc vellet, & deluderetur intentio Jahel, ideò festinavit occidere ipsum per se ipsam.*

Festinavit igitur mulier dormientem interficere Sisaram: causa verò hujus festinationis alia non fuit, quàm vehemens desiderium interficiendi hebraicæ gentis hostem: nullam potuit desiderium moram, quantumvis exiguam pati, omnem statim disrupit cunctationem, quia vehemens desiderium moras non sustinet, sed in opus statim prodire nititur: Baraci milites gloriosiùs cumulaturi triumphum fugientem Sisaram comprehendere festinârunt: sed Jahel ob vehementem desiderij ardorem, quo incitabatur ad Sisaræ interfectionem militum festinationem arbitrata fuerat nimiam lentitudinem, proinde proprij desiderij ardore compulsa, homicidium ultra muliebres vires, animúmque fœmineum voluit ipsa per se statim complere: *festinavit occidere eum per se ipsam*, ait Abulensis: *quia desideravit nimis, quod moreretur.* Desiderium eòm vehementiùs æstuaret in fœmina pati non potuit, ut ab opere divelleretur, ne mors Sisaræ protraheretur. An verò licuerit Jaheli Sisaram occidere, hominem scilicet hospitem, calamitate oppressum, fugientem ex fracta sua militum acie, imò confœderatum, etiam amicum, & dormientem, & quidem ultrò comiter invitanti, imò etiam & data fide securitatem spondenti, non est hujus loci quæstionem decidere; id enim videretur juri gentium adversari, & pacta conventa, jurata violare; nisi pactum Jabinum inter, & Ci- 30

næos

næos initum, metu injustè incusso extortum fuisset, vel invalidum eo tempore, quo à Cinæis hebrææ genti sanguinis necessitudine junctis tanquam Reipublicæ membrum putre, communis, & publicus hostis, imò & invasor proclamatus fuisset, proinde tollendus è vivis. Sed ut ut res est, id unum mihi est certum, nunquam fœminæ fidendum esse illicijs, duxerat Jahel Sisaram in intimiores sui tentorij recessus, non tamen ut is tutiùs indormiret, sed ut ipsa securiùs lethale vulnus infligeret, haustum lactis exhibuit, ut mortem præambulâ lacteâ illâ ebiberet dulcedine; illexit verborum blandimento fessum è fuga virum, sed ut infixi clavi vulnere interimeret: lactis florem, & pinguedinem propinavit in pretiosa phiala, lactis dulcedine apparatum virus palliatura, quàm stolidè blanditijs credunt viri mulieris! cùm hæc vel in lactis dulcedine felleum propinet haustum: quàm noxia fœminarum blandimenta, cùm tunc gladios acuant, quando ori lac, & butiri mollitiem videntur porrigere, hinc David.
Psal. 41. *Molliti sunt sermones ejus sicut oleum, & ipsi sunt jacula.*

31. Sed si vehemens in Jahele desiderium nullam potuit moram pati, omnémque disrupit cunctationem, haud minus in Christi Discipulis impatiens fuit desiderium: erat cum Apostolis in scapha Petrus, verùm cum primùm acriorihus ventorum flatibus impetita navicula, & à Magistro Christo paulò longiùs contigit sejungi, cœpit tunc scapha exagitari fluctibus, sursum, deorsum vehi, ac ventorum impetu impelli ad
Matth. 14. naufragium? *Navicula in medio mari jactabatur fluctibus.* Christus verò nonnisi levissimo pede, gressúque sedato, tumidos æstuantis maris vortices sicco calcat vestigio opem laborantibus æquè, ac periclitantibus allaturus: voce solatur afflictos, & sicco incessu per marinos fluctus periculum prævenit: præ cæteris autem Discipulis unus rogat Petrus, ut liceat sibi tumentibus etiam se committere fluctibus; siccóque etiam pede spumantia æstuantis æquoris calcare itinera: inquiens: *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas:* an quia non minùs periclitaretur cymbula pugnantibus concussa turbinibus, quàm mens Petri exagitaretur anxijs imminentis naufragij pulsata timoribus? At quid tumentibus se fluctibus committere è propria exilire scapha, & per cerulea commoti maris dorsa ad Magistrum Christum properare, cùm intueretur eum acceleratis gressibus ad scapham venire? cur adeo est impatiens, ut nolit, vel per modicum temporis venientem Magistrum in scapha expectare? quia nimirum vehementiori flagrabat Petrus desiderio Magistrum amplectendi præ cæteris discipulis; desideravit ei adhærere, nullámque propterea potuit vehemens desiderium moram pati, omnem statim disrupit cunctationem suum expleturus desiderium; ita dulci ardentis desiderij urgebatur tyrannide, ut modis omnibus tarditatem depellere moliretur, & quia rebatur id fieri posse, si supra fluctus gradienti Magistro obviaret, ipse etiam super undas gradiens; ideò ausus est Petrus marinis se committere fluctibus, quia desiderium, quo urgebatur, nullam potuit moram pati: scitè D. Chrysostomus in catena *concupiscit velociter ad Deum ire: hoc enim tam magnum quæsivit propter amorem, & vehemens desiderium,* cùm enim urgeretur Petrus ardenti desiderio Magistro adhærendi omnem disrupturus moram irascentis maris minaces sonitus, fluctúsque tumidos contemptui habet, nec pavet pede superbiam, tumoremque undarum calcare: difficiliùs ei videbatur Magistri sicco vestigio terentis æquoris dorsa præstolari adventum, quàm ferri ipsum super vortices spumantes æstuantis maris. Promptiùs pericula subir, quàm vel exiguam patiatur vehemens desiderium moram: si Petrum desiderium vehemens statim adhærendi Magistro non ursisset, commendabile desiderij sui argumentum non dedisset, sed quia nec exiguam sustinuit morulam nobile sui amoris, urgentísque desiderij in Magistrum prodidit documentum.

§. VI.

Desiderium, si purum, & sincerum sit, non spurium; moræ impatiens obstantia quæque propulsare admititur, quò res adhæreat concupita.

VBi desiderij vehementia intus præcordia pulsat moræ impatiens omnem disrumpit cunctationem; non in Discipulo tantùm, sed & in ipso Magistro, quem cum non latuisset, quid animo Judas moliretur, ipsum alloquens ursit, ut executioni daret statim absque ulla mora, quid intùs animo volveret. *Quod facis, fac citiùs:* at si Magister Christus omniscius, quemque nil latuit, optimè scivit, quid mente perfidus Judas moliretur, si ipsi innotuit perfidum Discipulum, tunc moliri sacrilegam Magistri proditionem, perfidámque deditionem, cur ipsum urget, ut quavis disrupta cunctatione opus sacrilegum, impium, perfidúmque exequatur? Respondet S. Augustinus in Catena D. Thomæ: Magistrum Christum minimè ursisse perfidum Discipulum ad opus illud sacrilegum, neque Proditoris maturâsse malignitatem; sed duntaxat vehementissimum humanæ salutis desiderium, quo intùs urgebatur, voluisse foras prodere: pluries jam suum celebrandi pascha desiderium ostenderat Discipulis, studiúmque subeundæ necis; & adeò eo arctabatur desiderio, ut vel ipsa tartarei hostis celeritas, perfidiique discipuli

32. (beside "VBi desiderij vehementia intus præcordia")
Joannis 13. (beside "intùs animo volveret. Quod facis, fac citiùs")

velo-

velocitas, quâ sacrilegum moliebatur facinus ei visa sit lentitudo, quam ut abigeret, Judam orsit, ut quod animo molitetur, citiùs exequeretur, non Judæ Proditoris intendens perditionem, neque sacrilegum scelus; sed vehementiam, quâ intus urgebatur, flammásque, quibus urebatur, desiderij subeundi necem pro salute humani generis prodere voluit; pulchrè Augustinus: *Non præcepit facinus; sed prædixit: non tam in perniciem perfidi sæviendo, quàm ad salutem fidelium festinando:* cùm erucem, aliáque mortis instrumenta Orcus compingeret; Judas proditionem molitetur, Judæi Christum quærerent, ille ut eum proderet, isti ut eum perderent, & Dominus inhiaret morti; stimulos adjecit Discipulo molienti Magistri deditionem; proditurus hominibus, nullam potuisse moram pati desiderium necis subeundæ pro humano genere, ut homines ejus morte ad meliorem perducerentur vitam.

In Catena D. Thomæ.

33. Adulterina sunt ea desideria, quæ moras patiuntur, & cunctationem sustinent. Plures desiderijs, quæ fovent, virtutum omnium videntur studijs favere, qui tamen opere nonnisi inertes probantur. Virtus utpote sine fuco pulcherrima, sine tibio venusta, sine calamistris ornata, oculos prolectat intuentium; quia tamen est acquisitu difficilis, aliquod statim videtur obstaculum injicere, quo desides arceantur, metúque fallaci deterrentur ignavi. Idque causæ, cur plures nec se totos voluptatibus, neque culturæ addicant virtutum, quia tametsi desiderium foveant; quia tamen hoc moram patitur, & cunctat onem sustinet, quamvis sub initijs visum sit arsisse, mox inertiæ gelu deficit: neque hujusmodi adulterina fovenres desideria gressum promovent ad virtutem, quamvis perlæpe conatum spoponderint.

34. Desiderium, si germanum non spurium fuerit, moras nescit, & statim ad opus currit: tale fuit desiderium patris prodigum ejus filium amplectendi in domum reducem; petitâ ejus portione, quò liberiùs vitijs indulgeret è paterna exivit domo; maluítque remotiùs vivere, ut suis inserviret concupiscentijs, quàm famulos in domo paterna habere ad obsequia paratos. Abijt corrupti consilij adolescens, proprijs indulsit concupiscentijs, & vitijs, suas dissipavit divitias, abligurijt patrimonium, & ipsâ libidinis insaniâ castigatus ad eam devenit indignam miseriam, ut jam periret sordidæ porcorum servituti addictus, faméque tabidus urgentissima: ut sæpe suis servientibus concupiscentijs obtingit, qui postquam ijsdem indulserint, omni destituuntur oblectamento, & discruciantur supplicio: suâ edoctus pauperie, & fame eruditus, redire ad patrem, & domesticos inter parietes eidem inservire molitur. *Surgam, & ibo ad patrem meum:* nimirum fame stimulatus, paupertate adactus, miserijs cumulatus redux veniebat ad patrem, qui cum eminùs prospexisset filium venientem, desiderio eum amplectendi resipiscentem, statim quavis disruptâ morâ cucurrit. *Vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus:* sed quid? quòd filius fame stimolante, paupertate urgente, necessitate adigente dicatur tantùm ire ad patrem suum, *ibo ad patrem meum*, & non potiùs dixerit, curram statim, volabo ad patrem meum, ut præ fame deficientem stomachum epulo reficiam; & è converso pater dicatur non filium accessisse venientem, sed ad ipsum cucurrisse in domum reducem? *& accurrens cecidit super collum ejus:* an non debuisset potiùs filius ad patrem currere, quàm pater ad filium ex porcorum custodia, è cœno vitiorum, veste discissâ, ac feminudô redeuntem? præsertim cum pater non parum ex filij ingratitudine fuisset exasperatus!

Luc. 15.

35. Nihilominus filius dicitur venisse; & pater cucurrisse, quia ut acutè observat Chrysologus: Graviùs desiderio amplectendi filium urgebatur pater, quàm famis tormento filius, qui tametsi stimulis pulsaretur famis, non tamen currit ad patrem, sed tantùm venit, cùm pater cucurrerit omni disruptâ morâ ad filium venientem; quia nimirum desiderium patris reducem filium exosculandi vehemens erat, amorísque simul ardebat flammis, proinde moræ impatiens omni disruptâ cunctatione statim cucurrit pater ad filium non currentem, sed venientem, quia tametsi desideraret filius patri famulari domesticos inter parietes, erat tamen desiderium timore repressum, non amore succensum, cùm timeret filius patris indignationem, eò quia totam suam abligurierit portionem: quò desiderium amoris ignescit vehementiùs flammis, eò gressum ocyssimè accelerat; cùm è converso si desiderium timore torpescat; pedes quidem moveat, sed gressus ad accelerationem timor coërceat: hinc pater quantocyus recipere, amplecti, ac osculari venientem filium maturat: omnémque disrupturus moram non ambulavit, sed cucurrit ad filium, ut minus temporis in itinere perficiendo insumeret, & pernicibus urgentis desiderij alis ad filium volat, quem amplexibus recipit in corde, & osculis figit in animo; qui igitur non spurio, non adulterino, sed vero, germanóque urgetur desiderio, nullam patitur moram, nullam sustinet cunctationem, nec permittit tantillum temporis teri: cùm filius famem patiens, non ita solicitus esset, nec satageret moras disrumpere: pulchrè Chrysologus: *Movetur misericordiâ, qui loco non potest dimoveri: accurrit non progressu corporis; sed pietatis affectu*, cùm pientissimus pater ætate jam gravis, & senectute confectus pedes ad cursum dimovere non valeret, pietatis affectu corporis supplevit agilitatem, & cucurrit animo, amore, ac pietate, qui non facilè pedes potuit dimovere: nimirum desiderium patris citiùs ut filium venientem amplectaretur, non suppetias à pedum agilitate, sed alas à pernicissima avium velocitate,

Serm. 3.

Serm.

Luc. 15.

citate, seu ab affectuum ardore mutuavit; & ideò ut ait Chrytologus: *accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu.* Desiderium quò acrius est, eò videtur magis cæcutire, & impetu concitatiore ferri in rem concupitam, tametsi non videat, quæ eidem insint commoda, vel detrimenta, & & ideò pater, quia toto desiderio in filium ferebatur reducem; non sordes, quas contraxerat; non vitia, quibus se coinquinaverat, non probrosam nuditatem, quâ virtutibus se spoliaverat, vidit, cùm nec unum de hisce verbum protulerit; sed filium tantùm consideravit, in quem vehementi ferebatur desiderio.

36. Verùm non in patre tantùm prodigi filij vehementia desiderij oculos obvelavit, ne videret filij nuditatem, sordésque, quas contraxerat, cùm luxuriosè viveret, vitijsque indulgeret; sed etiam in Isaaci primogenito licet moræ fuerit impatiens oculos etiam clausit. Revertebatur ex agro Esau frater Jacobi, ambo erant gemelli, quos Isaacus ex Rebecca susceperat, quorum Esau erat major natu; & licèt ambo eodem partu editi, habitu tamen corporis, & animi dotibus perdissimiles fuêre: siquidem major natu naturâ ferócior, ingenio agrestis, genio sævus, à puero ruri assuetus, venatui addictus, ferarum potiùs, quàm hominum imbutus erat moribus; cum è converso Jacobus esset ingenio facilis, genio comis, moribus elegans, animo flexilis, honestis artibus, studiisque addictus virtutum, domi assiduus, & ad obsequia parentum semper paratus: cùm igitur Esau reverteretur ex agro in paternam domum: contigit ut pulticulam ex lente pro ævi illius simplicitate Jacobus sibi apparâsset ad stomachi; corporísque refectionem; cúmque jam vesceretur coctis lentibus, appulit ex venatione defessus, imò & famelicus Esau, qui vix oculis in edulium conjectis, jam dentibus cœpit in cibum prurire, enixímque à fratre fami exsaturandæ partem expetere pulticulæ, seu rudis edulij, quod sibi Jacobus apparaverat, & Esau adeò perfervidè postulavit, ut ejus desiderio inflammatus mortem timuerit, si tantisper famem distulisset; & si desiderium, quo intus vehementissimè urgebatur, omnē nō statim dirupisset moram, abegisset cunctationem. *En*
Genes. 25. *morior*, inquit Esau, *quid mihi proderunt primogenita?*

37. Sed si Isaacus divitijs affluebat, qui fieri potuit, ut in tam opulenta domo fame, & inedia primogenitus illius periret? si aliæ non defuerunt lentes, cur non statim jussit famulos, vel ancillas similem ex lente sibi parari, ac apponi pulticulam: an forsan ancillæ abfuerant? sed cur ipsemet simile sibi non statim paravit edulium? Quid? quòd sentiat se mori, floccique faciat primogeniti jura, quæ rudi edulio posthabet? *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Certè similem potuisset sibi ex lente pulticulam præparare: sed quia saltem aliquid exigui temporis edulij apparatio exigebat; & desiderium, quo urgebatur, nullam poterat moram sustinere, nec pati cunctationem, ideo sentiebat se mori stimulis vehementissimi desiderij exulceratus; proinde jam paratæ pulticulæ portionem fami saturandæ causâ enixim à Jacobo fratre petijt: moras non sustinuit, quia vehementiorâ conatu, ac ardentiori desiderio rude illud concupierat edulium, ut enim ait Abulensis: *magno desiderij æstu lenticulam concupivit*; proinde neque exiguam tulit moram, quia dum flabellatur affectus, transit in ardorem, qui moræ impatiens moras disrumpit, & umbras omnes lentitudinis abigit.

38. Sed Jacobus, qui intentus erat in occasionem recipiendi juris, quod primogenito debebatur, sibíque nascendi forte vindicabat Esau: & Jacobus natu minor ex privilegio, ad se pertinere à matre Rebecca didicisset, eâ conditione pulticulam ei concessit, ut sibi prærogativam, ac jura primogeniti cederet. Ad hæc turbatus licèt Esau; nihilominus gulæ satisfacturus cupiditati, ac desiderij sedaturus acritatem, annuere Jacobi petitioni maluit, quàm vehementissimo ardens desiderio moram ullam pati, & cunctationem sustinere; sícque una cum vili lenticula decoxit principatum familiæ, dignitatem sacerdotij, ac paternæ hæreditatis partem opimiorem: & quidquid bonorum cum fausta patris precatione nectebatur; & quamvis Esau censeret irritam cessionem jurium primogeniti in Jacobi favorem ob susceptam pultem ea conditione, ut Jacobo cederet prærogativam natalem, & minaretur ferro sibi vindicandam: Rebecca tamen antevertit cruenta consilia, titulísque juris nascendi in Jacobum astu pio translatis à quovis periculo Jacobum extraxit.

39. Tenebatur Isaacus decrepita jam ætate senex desiderio ferini edulij, vocavítque propterea ad se Esau, cui præcepit, ut statim venatum è domo exiret, sibique ex præda sylvestri ferculum appararet, & id obsequij munificâ non cariturum remuneratione. Paterno obsecuturus jussui exit in campum Esau venaticis instructus instrumentis, feris capiendis aptioribus: sed mater pro Jacobo solicita hunc ad ovilem gregem statim mittit, jubétque absque mora duos statim afferri hædulos: obsecutus mandato Rebeccæ Jacobus duos adfert hædos, quos mater pelle spoliat, quorum alterum cocturâ tam exquisita, ac condita parat, ut crederet Isaacus ferinam ad se carnem allatam: Jacobus verò cibi delator vultu, collo, manibus, pelliculis tectus hædinis fratrem hirsutum apud jacentem in lecto patrem mentiebatur: senex verò cùm jam oculis caligaret, tactu explorabat, quod visu discernere haud poterat: verùm hirsuta hædorum tegmina, quæ referebant hispidam Esau

cutem; odórque vestimentorum, quibus major natu in sacrificijs, aliisque solemnitatibus uti consueverat, Jacobum apud patrem indicabant Esau primogenitum, sola Jacobi voce dubitationem aliquam ingerente, quia tamen ex reliquis signis conijciebat Isaacus primogenitum esse delatorem ferini edulij, comedit de carne, non jam in sylvis, sed in stabulo capta, & recreatus venatoris obsequio, osculis Jacobum excipit, & primogenitorum privilegia ei impertit, abundantiam apprecatur frugum terræ, honorem, & reverentiam apud exteros, authoritatem, dominium, jurisdictionem in domesticos, & nepotes.

§. VII.

Anxium, qui intùs fovet desiderium, sævo non indiget, quo discrucietur tortore; ipsum desiderium suo æstu viscera lancinat, & cor corrodit.

40. Desiderij effectibus adsciscitur intima divexatio; nil enim est, quod acriùs hominum mentes dilaniet, quàm inardens imis præcordijs desiderium: qui enim anxium intùs desiderium fovet, sævo non indiget, quo discrucietur tortore: ipsa siquidem desiderij immodici flamma præcordia durè torquet, lancinat, aduritque. Repertus est, qui ardenti rogo, fronte serena, vultúque hilari, ac ore ridente manum admoverit, eluseritque industriam trucis, ac insanientis tortoris, cujus truculentam rabiem imperturbatus spreverat: non tamen hactenus inventus deprehenditur, qui anxio, vehementique desiderio divexatus, non clamaverit, ingemuerit, & repetita emiserit suspiria torquentis intùs doloris nuntios: sunt qui flocci fecerint ferreas sartagines, torquentes equuleos, cruentas secures, & quidquid tyrannorum insania ad humani corporis excruciandos artus excogitare valuit; hæc enim non solùm patienter plerumque tulêre, verùm & audacter etiam provocârunt; qui tamen vehementis æstui desiderij succubuêre, necémque ipsam sibi accelerârunt: hinc scitè Seneca. *Si vis Pythoclea* Epist. 21. *senem facere, & implere vitam, non annis adijciendum est, sed cupiditatibus detrahendum:* quia nil est, quod acriùs hominum mentes dilaniet, quàm anxium desiderium, quod imis inardens præcordijs, cor urget, lancinátque.

41. Referunt, Axam, cum nuptiali pompa, ad sponsi duceretur domum inter harmonicos concentus, festorum hilaria, & consanguineorum gaudia, tristissima emisisse, non absque industria, suspiria, & lamenta; quæ cùm lachrymis maderent, internum satis valuêre dolorem prodere: turbârunt creberrimi filiæ gemitus lætitiam patris, qui causam indagaturus filiam interrogavit plorantem: *quid habes?* suspirij causam statim edixit filia: nimirum vehemens esse desiderium amœnioris Regionis: *Terram australem, & arentem dedisti mihi; junge & irriguam.* An non festorum hilaria luto corrumpit, anxium, quod intus fovetur desiderium? An non lætitiæ serenitatem, gaudiúque malaciam, ventis suspiriorum, nubibus luctuum, ac pluvijs lachrymarum, fœdat; ac rapit? An non cultiorem ornatûs pompam, cantúsque harmonicos; ac festivos sonitus næniis funestat ploratuum? Ita sanè, cupiditatis solicitudo cor discruciat, & præcordia torquet anxietas desiderij; ut vel inter nuptiarum solemnia tristissima Axa desiderij intus lancinantis sentiens dolorem suspiria emiserit, & in lachrymas colliquerit. Desiderium si vehemens sit, anxietatem accersit, quæ dolorem parit.

42. Verebatur Pharao in Judæis natis, ac parvulis propriam perniciem, ne Hebræorum populus ex incremento, quod subivit, posset, si bellum ingrueret, hostibus adjungi, & in Ægyptios sævire; hácque suspicione quamvis temerariâ cum urgeretur, cruentam, sævámque innocentibus necem inferre molitur. Indoles hæc semper fuit mundi, ejúsque Principum vanissimis scilicet fidere suspicionibus, sanguinem fundere, quo candorem fœdent innocentiæ. *Venite* Exod. 1. *sapientes opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatísque nobis egrediatur de terra.* Verùm crassè desipuit, cum vana innixus suspicione innocentes molitus est opprimere; non enim contra Hebræos gladios acuit, sed in imperij sui stabilitatem luctuosos solicitavit casus, ac aliorum ruinas: nequissimi Pharaonis anxium desiderium, quo torquebatur, erat, ne populus egrederetur de terra: cúmque timeret, ne hosti insurgenti adnecteretur duplici affectu desiderij, & timoris tortus duplici divexabatur martyrio, cujus cruciatus leniturus pueros recèns natos omni exuta humanitate, fluminum tradidit rapiditati; & artus, quos solers natura novem mensium spatio in officina materni uteri efformaverat in torpasculis puerorum aquis statim obliteravit, adeò gíque pueros illos, quamvis vix lucis natos usuræ occasum priùs, quàm orientem videre solem, necisque caliginibus priùs involvi, quàm solari jubare perlustrari: adeò dirum fuit tormentum, quo ex anxio desiderio, pavidó timore torquebatur, ut vel innocuo puerorum sanguine putaverit posse, vel desiderij æstum extingui, vel saltem timoris cruciatum leniri.

43. Verùm supremus mundi Rector non permisit, hominem nequissimum diu sævire in innocentes pueros: misit enim ad Pharaonem, quem præ cæteris elegerat Moysem, qui populum deposceret exsolvi, & ex Ægypto deduceret in opulentas Palæstinæ Regiones: detrectans Moyses Pharaonem adire se cum Angelo Dei nuntio excusavit, & demissè sentiens de

de se ipso asseruit, se pascendis gregibus duntaxat assuevisse, & non legationibus apud Principes obeundis; sed cum tergiversaretur Moyses varijs excusationibus super imperitia sua, animos excitavit inexpectato prodigio virgæ suæ pastoritiæ, quam proijci in humum jussus, verti statim vidit in colubrum, & iterum de colubro in virgæ naturam, ac formam reverti. Rursus manûs in sinum suum immissione lepram mundavit, imò & Nili fluminis undas sanguineos etiam ad nutum transmutavit in fluctus: tot igitur extimulatus prodigijs, & hortamentis, Moyses coacto Procerum Hebræorum concilio, cætúque seniorum, expositóque mandato sibi à Numine per Angelum cœlitùs commisso, baculique in viperam versi, manûsque in sinum immissæ leprâ correptæ; & inde depulsâ retractæ, ad Pharaonem Regem accedit, cui disertissimis verbis Dei mandatum de populo dimittendo exponit, ac Israëlitarum omne nomen triduano itinere petit in Arabiæ desertum dimitti, Deo cœlorum, terræq; Conditori, ac totius universi Moderatori illic juxta legis præscriptum litaturum: cùmque verbis, & comitate nil posset Moyses impetrare, cùm potiùs Pharao graviter excandescens, non tantùm Moysem à se repulerit, sed & diriùs sævire cœperit in Hebræos, quos adegit ad stipulas, palleas, omnîsque generis quisquilias undique deferendas, sectásque luto miscendas, & laterum pensum severiùs præstandum, instantibus etiam operum Præfectis verberibus, loris, & flagris nudata terga scindentibus: sed Moyses plagarum agmina contra obstinationis duritiem producit in campum: & quidem innoxia fuêre prima, quæ Moyses exhibuit spectacula, virgam enim pastoritiam ante oculos Regis in serpentem convertit, qui colubros Magorum incantationibus productos devoravit.

64. Cùmque Moysis virga Principem non flecteret, plures, & quidem horrendas plagas pertinaciæ objecit Pharaonis: Percussit virgâ Nili fluenta, quæ statim mutato colore spissum conversa sunt in cruorem; cùmque ejus unda piscibus, ac crocodillis enectis putrefacta ad potum inhabilis effecta esset; Ægyptij siti acriùs torquebantur, cùm hæc plaga cæteras quoque aquas lacustres, fluviales, ac fontanas involveret. Mox ijsdem in Nili fluctibus non tam sanguine, quàm verecundiâ ob Pharaonis pertinaciam rubentibus ranarum immanis gignitur multitudo, quæ exiliens foras coaxatione, lue, sordibúsque totum implevêre Ægyptum. Ranas secuti sunt Ciniphes, è corrupto telluris pulvere producti: éstque genus animalculi minutissimi alis instructi, quod medio solet in aëre suspendi ingentis instar nubis solem abripientis; súntque infesta, quæ acriter vulnerant, sanguinem exugunt: horum igitur animalculorum examen, velut extensa nubes universam obumbravit Ægyptum; adeò ut ciniphes aculeatis stimulus corpora terebrantes, nares, aurésque pervadentes; inque oculos volantes omnes mirè torserint Ægyptios; quibus ingentes attulêre molestias.

65. Ciniphibus muscæ successerunt, quarum copia volatu, & proposcide, imò & morsu, linctúque fœdo, non solùm demorsi homines, & jumenta molestias, & dolores sensêre, verùm & detrimenta etiam vestes, & vasa, & quidquid pretiosi fulgebat in aulæis ob maculas, quibus omnia coinquinârunt intacta duntaxat relictâ Gessenorum terrâ. Muscarum incommodo pecorum successit lues, & strages, imò & in humanis corporibus ulcera turgentia, quæ Ægyptios egregiè turserunt. Et hinc plagæ pedissequa fuit alia è cœlo in terras delapsa unà cum grandine inauditæ magnitudinis, fulminibúsque, ferale exitium in Ægyptum deferentibus: & huic procellæ locustarum successit innumera multitudo, quæ campos, agros, satáque omnia voravit: & post locustas densissimæ tenebræ triduanæ Ægyptios omni destituerunt luce.

66. Hisce diverberatus Pharao plagis inducias sibi dari supplex deposcit adjectâ sponsione de populo exolvendo, ut detumuerit plagarum fervor. *Orate Dominum, ut auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, ut sacrificet Domino:* Exod. 8. Moyses verò cùm non studeret afflictioni Pharaonis, sed satageret ejus duritiem, & pervicaciam emollire, & flectere; reposuit, *constitue mihi, quando deprecer pro te*, sed Pharao dixit *cras:* at si tam grave, támque dirum non valet supplicium tolerare, cur in crastinum doloris mittit lenimentum? spondet Moyses remedium præsentissimum, & Pharao in crastinum differt cruciatûs alexipharmacum? nimirum distulit in futurum plagarum lenimentum, quia verebatur, ne si cessaret tormentum, adimpletur promissum: cùmque anxio teneretur desiderio populum detinendi; has inter molestissimas curas, ac intolerabiles plagas hærer anceps, stupétque consilij expers, ambigens num duriùs sit desiderij sustinere tormenta, quàm plagarum pati supplicia: cúmque optio ei daretur alterutrum pro arbitrij sui voluntate eligendi, leviùs duxit, mitiúsque putavit plagarum sustinere verbera, quàm vehementissimi desiderij pati cruciatus. Non potuit exaggeratiùs cruciatus exprimere, quibus desiderij anxietas cor dilacerat humanum; appositè Ambrosius *libro de Cain, & Abel.* Cap. 6. *Cùm deberet in tanta positus necessitate rogare, ut jam oraret, neque differret; respondit crastina die:* inflexilis plagis, suppliciisque defatigabatur marmorea Pharaonis duríties, sed cùm retinendi populi anxio urgeretur desiderio, premeretúrque flammâ; utriúsque doloris expertus acerbitatem, maluit plagarum torqueri doloribus, quàm cruciatu dilaniari anxij desiderij.

DISSERTATIO XII.

Proba frustrantur desideria, nisi excussâ segnitie adnitantur operibus insudare.

§. I.

Desideriorum semina terræ concredita nostri cordis, si nullo excolantur labore sterilescunt, quovis destituta fructu.

1. PLures virtutis illecti pulchritudine desiderium in corde fovent, eam enanciscendi, quò animum exornent, mentémque imbuant: verùm si fiat ipsis obvium aliquid incommodi, arcentur desides, vel in ipso vestibulo ab ejus assecutione, metúque fallaci deterriti vincere difficultatem non satagunt, quâ sublatâ dulcem degustent laboris fructum: hæcque causa, cur ad studia virtutum pedes non moveant, licèt desideria promoveant, crebriúsque conatum promittant. Hærent tunc suspensi inter objectos labores, quos sustinere detrectant; & virtutis honestatem, quam enixim desiderant; sic desideriorum semina cordis terræ concredita nullis excultæ laboribus sterilescunt sine fructu: Seneca monens Lucilium ait: *I quà cæpisti, & in isto te vita habitu compone placidè, non molliter, malè mihi esse malo, quàm molliter.* Desideria acquirendæ virtutis, quæ animus concipit, & cor fovet, omni destituuntur fructu, si desidij, & segnitiei gelu ea in flore decoxerit. Epist. 18.

2. Desideraverat sponsa cœlestem suum sponsum; eúmque & David concupierat; sed felicior fanè fuit David, quàm sponsa in Deo quærendo: siquidem sponsa frustratam se fatetur suo desiderio, testatur vota sua absque ullo fructu cecidisse; cùm tamen David lætus, & exultans sibimet gratuletur, quia sua scopum desideria tetigerint, in quem collimaverant; sed quid causæ, quòd sponsa, quem enixim desideraverat, & anxiè quæsierat, non invenerit; cùm David voti sui fuerit compos factus? quia nimirum David omnem statim excussit segnitiem, labores superavit, quibus potuisset retrahi ab assecutione summi illius Boni, quod enixim concupierat, ait enim David. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Psal. 76.

Non fuit David deceptus, quia invenit, quem desideraverat: secus sponsa testatur se non potuisse eum invenire. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima, quæsivi illum, & non inveni.* Sed cur Virgo castitatis amans; suíque sponsi enixim appetens, eum non invenit; cùm tamen David adulter eum repererit? An quia occurrit Deus peccatori resipiscenti? sed elongari inde ab innocentia sponsæ non videtur suo amori congruum; cur igitur sponsæ frustrantur desideria, quæ in Davide fructum colligunt concupitum? Quia nimirum non excussit sponsa segnitiem, quâ desideria remorabantur: *In lectulo meo*, ait: *per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni*; in otio lectuli desideravit sponsum, cum corporis membra indulgerent quieti; & segniùs quæri incœpit à sponsa Deus, proinde desideranti haud occursurus: desiderium suo adhærendi sponso distulit sponsa in noctem, cùm diem prodegisset; & segnities eum quærendi, quem desiderabat, frustravit desiderium in nocte. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni.* Quæsivit solem suum in nocte, ideóque ejus fuit frustrata jubare, quia in noctis segnitiem delata desideria corruerunt nullam allatura utilitatem. Cant. 3.

E converso David Deum indagaturus occasum antevertit, lucis utitur beneficio, solisque meridiani suffragia exposcit, opémque quærit, cùm primùm dies incipit elucescere: Psal. 76. *In die tribulationis meæ Deum quæsivi:* non expectavit solis occasum licèt tribulationum caliginibus obvolutus nocte detineretur ærumnarum; sed ad Deum confugit, cùm primùm ærumnis circumseptus, molestiisq; exagitatus cœpit eum enixim desiderare, tunc enim omni disruptè cunctatione, omni excusâ segnitie cœpit, quem desideraverat, quærere, *In die* 3.

tri-

tribulationis meæ Deum quæsivi; ideóque non inventus à sponsa, invenitur sponsus à Davide, eò quia sponsa delibatis priùs humanæ virtutis adminiculis deses in quærendo, in noctem distulit sponsum quærere, & quidem cùm jaceret in lecto, & quieti indulgeret: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea*, ideóque dilata, & frustrata desideria, quem quærunt, non inveniunt: cùm Davidi quærenti statim obviaverit: quia illa otiosa in lectulo cœpit quærere, & iste statim laboriosus in opere: illa desiderii executionem in noctem distulit; hic statim cùm primùm cœpit dies illucescere omni excussâ segnitie quæsivit, nec fuerunt ejus desideria frustrata: invenit iste, quia manibus strenuus, quia laboribus defatigatus: non invenit illa, quia suspiriis defes, quia otio in lectulo suo indulgens: non frustrantur Davidis desideria, quia nec labori parcit, neque occasum præstolatur defuncti diei, ut ad Deum, quem enixim desiderat possit accurrere: non obviavit sponsus quærenti sponsæ, quia per diem laboribus pepercit, & tantùm nocte, cùm corporis membra in lecto somno semisopita jacerent, quærere cœpit, quem die desiderarat.

4. Ita est, humana desideria, quantumvis proba, suo frustrantur fructu, nisi excussâ segnitie adnectantur operibus insudare; quod enim est purpuræ tinea, hoc probis desideriis segnities, quæ sensim sine sensu ea exedit, & absumit: si otium occupet animum, desideriorum fontem in eodem possidet, non ut ad pias scaturiat functiones, sed ut infeliciter arescat; non ut vigeat virtutum exercitiis, sed ut rigeat otii torpore: hinc omnis desidiosus est etiam sibimet otiosus; nec quidquam potest de probis suis, ac præconceptis desideriis boni præsumere, nec sperare, cum labores diffugit; nec quidquam grave prò se sustinere velit.

5. Utilis non est equus, si perpetuò detineatur in stabulo, saginetur avenâ, sed qui ad sudorem usque exercetur in arena: non quæ complicatis velis firmata anchoris litori hæret navis, divitias suo adfert hero; sed quæ fluctuantes æquoris tractus trajicit, cùm ventis luctatur, undis exagitata decumanis: non quæ stagnat salubris est aqua, sed quæ jugi fluit cursu; rubiginem contrahit, ac hebetatur qui semper vaginâ clauditur gladius; cùm è converso ad vulnera infligenda, hostémque arcendum plurimum valeat, qui sæpe per aëra vibratur; si enim persæpe è vagina exeratur, argenti instar splendet, imò, & fulgurat solis lustratus radio; cùm reconditus semper in vagina exuto omni splendore, rubigine squaleat: quod rubigo gladio, hoc est probis desideriis segnities; est siquidem quædam rubigo, quæ non solùm virtutis obfuscat splendorem, verùm & ipsa corrodit, exeditque, ac penitus absumit proba, quæ fuerant mente concepta desideria: nisi hanc segnitiei rubiginem deterserimus laboris cote, hebetantur nostra desideria, neque luxurianti vitiorum sylvæ rescindendæ idonea sunt.

6. Imò non solùm segnities proba nostra corrumpit desideria, verùm & vitia fovet, nec aliud est negotium torpentis hominis, quàm sedere in toto, oscitare in lecto, se volutare in cœno vitiorum, hærere in luto, sensui indulgere, vitio favere, & solius corporis commodis studere. Spectaculum risu procul dubio, quàm plausu dignius exhiberet, qui enixim desiderans cursu in stadio certare, simul cum æmulis ad certamen descenderet, & mox cæteris omnibus toto pedum nisu currentibus, ipse duntaxat pedetentim incederet, ac veluti gressu testudineo ambularet. Omnes spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus: spectantur nostra desideria, quibus nitimur ad cœlestem patriam à Deo, & Angelis, qui dum spectant nil enixiùs expectant, quam ut pernicissimo cursu feramur per stadium salutis, & comprehendamus bravium; & nihilominus torpescunt desideria, labores refugiunt, cursum detrectant.

7. Qui excussâ inertiâ proba, quæ concipit desideria, opere complet, *similis est* *Cant.* 2. *capreæ, hinnulóque cervorum*, quia motu velox, & ad cursum pernicissimus est Sponsus dilectus, & electus è millibus, proba, quæ concipit desideria non otio sinit marcescere, sed opere perficit; qui enim segnis est, & deses; tam dissimilis est capreæ, quàm similis cochleæ: illa salit, hæc repit; illa rapitur per juga montium, hæc radit humile solum; illa saltat per editiora montium fastigia, hæc depressas fœdat valles; illa labori assueta, à cursu vix desistit; hæc quieti addicta ita movetur, ac si non moveatur, quia ut scitè Salomon Proverb. 26. *sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo*: ostium enim ita vertitur, ut cum movetur, non videatur moveri: movetur enim, quia vertitur; non movetur, quia eidem semper hæret cardini, nec loco dimovetur: ita homo socors aliqua quidem præstat opera; ita tamen ut operam perdat, quia ejus desideria, quamvis proba suo frustrantur fructu, quatenus operando nil proficit, & tantùm sudat cùm manducat; alget verò, cùm laborat.

8. Plures sunt, qui virtutis acquirendæ desiderium nutrientes inertis tamen otii torpescunt desidiâ, vitámque ita partiuntur, ut virtuti nonnisi brevissima impendant momenta, cum inertiæ, & torpori dies dent singulos. Sapit multis, virtutum desiderare studia, sed dolet exercere, quæ ad ejus ducunt assecutionem; scitè Cassiodorus: *Constat jucundum esse rerum bonarum saporem, & utilem ambitum laudis, quia petitur per augmenta virtutis*: plures virtutis 7. variar. cap. 38. concupiscunt honestamenta, ne saporis amittant oblectamenta, sed laboribus parcentes, otió-

otióque indulgentes, nonnisi ignaviæ blandiuntur. Etiam Israeliticus populus cùm in Ægypto famulitio, ac prædura compede detineretur, terræ promissionis desideria & concepit, & fovit, quinimo etiam per crebra suspiria, quid animo volveret exteriùs prodebat. Verùm licèt anxiis suspiriis tellurem exambirent Israelitæ promissionis; quia tamen otio torpentes, ac desides, inertissimæ ignaviæ eos Josue insimulat inquiens: *Usquequo marcetis ignaviâ, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Anxiè corde desiderant ex duro exire Ægypti famulitio, sed otio torpentes pedem non movent profecturi ad promissionis concupitam tellurem: frigent torpore, & æstuant desideriis; marcent otio, & suspirant corde; meditantur amænam hæreditatis lætitiam, fœcunditatem fundorum anhelis suspiriis possidere exambiunt; mente per fœcundas promissionis telluris spatiantur Regiones, cùm tamen torpore illigati pedem ex Ægypto non moveant: quia licèt Israelitis arrideret, ac saperet camporum fœcunditas, Regionis amœnitas, telluris ubertas, aëris salubritas in terra iisdem promissa; quia tamen otio torpentes arma arripere, cum hostibus pugnas inire, turmatim Ægyptum deserere, & labores itineris suscipere detrectant; ideóque præconcepta interiùs desideria, non excussâ exteriùs segnitie, non abacto torpore flaccescunt, languent, & corruunt; quia invitante opportunitate, alliciente sponsione, probantur inertes, qui crebris suspiriis præconcepta produnt cordis desideria: otio se dedit populus ille, maluitque commune in castris stativis vitam ducere potiorem, quàm laboribus subeundis, & molestiis sustinendis assuescere: & licèt exierit populus ex Ægypto, quia tamen otio assuetus nondum ejus pœnitùs torporem excusserat, ideo pugnare detrectavit; & licèt suspiria ederet, quibus facilè posset quisquam conjicere, avidissimè ituros in pugnas, & certamina, adhuc tamen Hebræi otio maluerunt indulgere, quàm desideria possidendi sibi promissam tellurem complere. Misera certè fuit filiorum Israel conditio, cùm flammantia, quæ corde fovebant desideria, torpentis otii gelu extinxerint, cùm ad eam tellurem, quæ ipsis promissa fuerat, minimè appulerint. Utinam non essent etiamnum, qui integram mortalis vitæ diem otio perderent, & quibus propterea dixit Christus: *Quid hic statis tota die otiosi?* integram hujus vitæ diem dementissimè otio corrumpunt, Matth. 20.

§. II.

Ea non datur quies laudi, nisi quam exantlati labores præcesserint.

9. Neque laudi datur semper quies, quamvis olim de quiete, & somno Lazari certiores à Christo facti discipuli argumentum inde sumerent lætitiæ, ac salutis: *Domine si dormit, salvus erit:* nam dormitio Lazari otium non arguebat jacentis, sed opus Magistri resuscitantis; & ideo salutem fuit consecutus, & redivivus surrexit è sepulchro, quia Christus excusso otio itineris subivit labores, & ad Lazarum properavit: scio lapidem è rope labentem deorsum devolvi, ut in imò quiescat; Jordanem profluere per varios terrarum tractus in mare mortuum, ut ibi otio perfruatur: navim spumantia æquoris dorsa trajicere, cum ventis colluctari, ut portum appellens optata quiescat in malacia. Verùm ad hanc non devenitur quietem, nisi per exantlatos labores. Plures sunt, qui vel in ipso otio laborant quidem, non tamen construendo, sed destruendo: sibi videntur felices si otiantes quiete gaudeant; qui tamen nonnisi infelicissimi sunt, vel ipso otio corrumpentes eam felicitatem, quam credunt enactos fuisse; cùm enim sit otium vitiorum domicilium, mentis inertia, virtutis venenum, probi desiderii virus, malitiæ fœnus, imò vitiorum nundinæ, honestatis naufragium, honoris pestis, erroris emporium, & totius improbitatis gymnasium, non potest, qui otio indulget, nonnisi in fœdam delabi miseriam: hinc Seneca: *Illos meritò, quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velus in mari lento tranquillitas iners detinet;* & subdit: *fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, quâ animi permadescunt, nisi aliquid intervenerit, quod humanæ sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti.* Joan. 11. Lib. de providentia cap. 4.

Qui enim otio marcescit pessimum sibi adsciscit consiliarium, otium scilicet, cui indulget, & à quo crebrò suggeruntur vitia, licèt felicitatem videatur assecutus, qui otio captus, quiete sibi videtur frui, in multiplex tamen se discrimen injicit, est enim periculosa ea felicitas, quæ suggerente otio probum omne corrumpit desiderium, & movens cerebrum in vanas mentem imagines evocat, & ne valeat oculus multum distinguere falsum inter & verum, caligines diffundit: cùm excusso quovis torpore à probis desideriis, is veram dicatur felicitatem enancisci, qui honestis incumbit laboribus, qui voluptatum insaniâ non desipit, sed virtutum culturâ floret. 10.

Id vel maximè verendum, si amico fœdere unà copulentur otium, & felicitas, ac ma- 11.

sic maritali velut vinculo confœderentur; quia tunc ipsa felicitas stimulante otio in omne proruit facilè scelus. Hebræorum populus tandem promissionis adeptus terram felicitate fruebatur; verùm ne otio torpescerent, Deus eorum consulens saluti, aliquot ad laboris exercitium reliquit hostes, cum quibus decertarent: nimirum, *Quinque satrapas Philisthinorum, omnémque Chananæum, & Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Lybano, & de monte Baal Hermon usque ad introitum Hemath. Jud. cap. 3.* Potuisset Deus omnes hostium phalanges, hebræorúmque inimicos ex promissa illa tellure dispungere, prorsúsque exterminare; sed quia præsciverat, quòd si felices floruissent, otio facilè torpuissent, & nullo ad labores, ad arma, adigente inimico, nullo ad pugnas compellente adversario vitiis indulsissent; ideo ne otio torperent, maluit hostium incursionibus, pugnísque cruentis, eos exagitari; tunc uberior est vitiorum seges, quando felicitas divitiis affluens opportunitates suppeditat, & otium viam emollit.

12, Felices igitur floruerunt Israelitæ quando ab hostibus provocati honestæ incubuerunt militiæ: quando labor bellicus omnem peccandi depulit occasionem; quando ferrum, quo armata manus in hostem irruebat, obici erat, ne aurum suo fulgore oculos perstringeret mentis; nec per devia duceret vitiorum: non enim inertibus valuêre voluptatibus indulgere, cùm militaribus incubuerunt certaminibus, omnémque excussêrunt otii torporem.

13, Nil hominibus otio potest obtingere deterius, magísque noxium; cum ejus torpor non proba tantùm corrumpat desideria, sed propriis etiam privet bonis. Scimus, permisisse Deum à vastatore Angelo Ægyptiorum primogenitos interfici, non die solis jubare illustri, sed intempestæ noctis silentio: *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat.* (Exod. 12.) Quòd si quæratur quisnam fuerit interfector tam dirus, qui nec uni ex primogenitis pepercerit, qui & ipsum Pharaonis Regium Principem sceptri hæredem, enecavit? respondent plures interpretes, Dœmonem fuisse homicidam, eique supplicii demandatam executionem: sed cur tartareo hosti, non traduntur in meridie, cum vigilant occidendi Ægyptiorum primogeniti? cur potiùs nocte intempesta cum somno indulserunt Ægyptii gladium vibravit Dœmon, & cruentam cladem, ac enormem omnium primogenitorum stragem effecerit? Scio Rupertum in enodatione hujus difficultatis arcanum quoddam aperuisse mysterium ad mores componendos, rogat ipse: (lib. 1. Exod. c. 17.) *Cur potiùs medio noctis dormientes placuit interfici?* & respondet: *ut historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, & ad vigilandum eos percelleret:* dies laboribus, & occupationibus destinatur; nox verò otio addicitur; quia somno, vel saltem quieti indulgetur: igitur cùm Primates Ægypti, primámque enacti fortunam otio torpent, quieti indulgent, somno corripiuntur inertissimo, ab interfectore tartareo hoste jugulantur: tametsi per diem felicitate gauderent Primates Ægypti, non tamen consueverant inerti torpescere otio ludis præsertim, aliísque ludicris occupati exercitiis; secus nocte somno indulgentes, otio tradebantur felicitate destituti, & dœmon non occupatos interemit, sed otio addictos, ac desides, in quos duntaxat jus obtinuerat speciale: fuisse harum plagarum ministros malos Angelos innuit David inquiens: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & tribulationem, immissiones per Angelos malos,* (Psalm. 77.) ubi Euthymius ait: *Omnia immissa, ac delata sunt per Angelos malos.* Jus enim acquirunt dœmones in eos, qui otio indulgent, & ea possunt, in eorum perniciem exequi, quæ in laboribus occupatos nec intentare valent.

14. Est otium, quo proba solent desideria corrumpi, suóque destitui fructu, triplex. Primum purum à quavis seria actione sejunctum, & in hoc marcescunt fœdis addicti libidinibus: quíque in prælato mari sine nauclero, absque remige ventis omnibus eblandientis licentiæ ad languidam usque corporis oblectationem rapiuntur: qui deliciis affluentes, vitiis indulgentes, voluptate languidi, ignaviâ torpentes, pigritiâ emolliti, delinimentis otiosi, nil moliuntur honesti, & præconceptos probi desiderii fœtus priùs extinguunt, quàm foras exiliant; priùs interimunt, quàm nascantur: consuescunt Smyndirides isti in rosis jacentes, nonnisi in risu, nugis, fabellis tempus proterere, & non secus ac jumenta in torporis sui computrescunt otio: solent etiam hi, quæ Deus, & natura ad obsequia concedunt, ac utilitatem, in proprium vertere detrimentum; nimirum potum non ad sitim extinguendam, sed ad ebrietatem invehendam; cibum non ad corpus reficiendum, sed ad stomachum per crapulam gravandum; quietem in somnolentiam vertunt; valetudinem in voluptatem; ingenium ad fraudes; formam corporis in culpam libidinis, sintque propterea homines inglorii, nullius æstimationis, & pretii, quorum vita, quamvis ad plura protrahatur lustra, nullâ insignitur illustri notâ, quia otiosi vita cùm nullius sit meriti, nullius est pretii.

15, Secundum otii genus eorum est, qui omne tempus suum, omnémque industriam in rebus impendunt, nullius prorsus momenti: in futilibus siquidem occupati, nil prorsus agunt, licèt operosè videantur omnia agere: & hi sunt, ut loquitur Tertullianus

tullianus: *famæ negotiatores*, eò quia nil impensius habeant in desideriis, quàm auram sibi popularem aucupari, & revera nonnisi auram manu capiunt, cum in vanum operosi otiosissimis occupationibus diem prodigant, tempúsque perdant: sibi nunquam vacant, quia toti in res exteras, ac vanissimas effusi propria negligunt, sibíque utilia despiciunt, séque immiscent alienis; forum, tonstrinas, trivia, ac bivia frequentant per alienas vagantur domos indagaturi, quæ ad ipsos non pertinent, perinde ac muscæ importunæ, ac molestæ, huc illúcque volitant, ut quid ubique fiat deprehendant; semper vagi, jugiter inquieti, plus foris, quàm intùs, & in se ipsis habitant; plus aliena curant, quàm propria procurent; hisce quia singuli dies feriantur, vel sunt nundinæ, desides deprehenduntur in plateis, vel tumultuantes in foro, vel obloquentes in officinis; quos tamen mentis inopia, rationis jactatio, ac turbulenta in rebus futilibus sollicitudo non modicum torquet, & præsertim accusantis conscientiæ stimulus, quo graviter punguntur, scientes nullam ab ipsis actionem inchoari homine dignam Christiano.

16. Tertium demum otii genus eorum est, qui propria sepeliunt talenta, suisque abutuntur otiosissimè dotibus: cùm enim ingenio polleant, ignavi marcent otio; cùm possent sibi, & aliis prodesse, nil efficiunt ad suam, vel publicam utilitatem: cœli dona, quibus ditescunt, defodiunt; oblivione virtutem; silentio rerum cognitionem; torpore scientiarum honestamenta; otio virtutum studia; inertiâ ingenii vires; segnitie mentis vigorem consepeliunt: adolescunt non in sinu musarum, sed in gremio inertiæ; non florent virtutibus in juventa, sed languescunt otio torpentes; nil per totum vitæ defluxum moliuntur grande, nil cogitant præclarum, nil meditantur illustre, arbitrantes, se multum fecisse, si nil fecerint, si propriæ indulserint quieti.

17. Verùm quamvis otiosus nil videatur agere, nihil tamen omittit malignitatis, easdemque proinde pœnas luit iners otiositas, ac actuosa perversitas; quia otiosus in corruptæ eruditionis gymnasio scelera omnia perdiscit, & exercet, *otiositas enim* ait Bernardus: *Nugarum est mater, & noverca virtutum.* Foris quieti indulget otium, pacem videtur excolere; sed intus fremunt vitia, quæ bella indicunt, quia ut rectè Polybius: *Otium perniciosissimum est, & fons, & origo seditionum omnium*, & ut aiebat Siracides: *Multam malitiam docuit otiositas*, hæc enim nonnisi cladem intentans virtutum; proba omnia desideria corrumpit, verecundiam fauciat, modestiam depellit, & virtutibus omnibus insultat, linguámque solvit ad omne convicium, quam nullo coërcet sufflamine; pariari solet otium aquæ, decursu, fluxúque destitutæ, quæ cùm jaceat in fuveis, vitium contrahit, corrumpitur, & putrescit humanis inepta usibus; quæque repletur animalculis veneno infectis, & noxiis: corpus enim otio marcescens, & torpori indulgens tabe inficitur concupiscentiarum, ac plura suppeditat vitiis fomenta, quibus nutrit insaniam, scitè Seneca: *Magni Imperatores cum malè parère militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent, nunquam vacat lascivire districtis; nihilque tam certum, quàm otii vitia negotio discuti*, quæ enim otium vitia fovet, & alit, negotium, seu labor discutit; & proba desideria, quæ otio corrumpuntur, solo labore vigent, & excoluntur.

Lib. 2. de consid. prope finem.

Eccles. 33.

Epist. 56.

18. Non tamen à pœnis luendis eximitur, qui otio torpet, quia nocentissima perpetrat in otio flagitia. Jussit Deus æqua pœna Haienses mulctari, ac Jerichuntinos: *Facies urbi Hai, & Regi ejus, sicut fecisti Jericho, & Regi illius:* sed si culpa fuit dispar, cur non dissimilis pœna? Jerichuntini nil contra Israelitas tentant, sed timore ante certamen perculsi non fuêre ausi egredi, nec urbem ingredi: *Jericho clausa erat, atque munita timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat, aut ingredi:* secus Haienses non solùm egredi audent, sed etiam aggredi; manipulum profligant Israelitarum, ex quibus sex supra triginta enectì cadunt, & plures vulneribus saucii terga vertunt, & alii fugæ se dantes inflictis sauciantur vulneribus: *Terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hain, & corruerunt ex eis triginta sex homines:* Haienses excusso otio districtis gladiis fugientes insequuntur Israelitas, eósque fauciant, interficiunt: Jerichuntini verò timore correpti semimortuis similes, jacent consternati; & tamen easdem luunt pœnas, ac Haienses pugnantes, insequentes, ferientes, sauciantes, occidentes: *Facies urbi Hai sicut fecisti Jericho*, cur igitur in dissimili culpa similis infligitur pœna? An quia flagitia non minora perpetravit Jericho otio torpens, quàm Hai audaciâ congrediens: Haienses Israelitas persequuntur, vulnera infligunt, cruorem fundunt, in virtutes armantur: Jerichuntini verò quia infami torpuerunt otio, animo vili ceciderunt, & inerti jacuerunt ignaviâ, easdem dedêre pœnas, ac Haienses; ut inde conjiciamus, quàm nefas sit flagitium otio immarcescere, nilque agere, cum æquè puniatur iners otiositas, ac perversitas actuosa; quia cùm Jerichuntini intus in urbe otio marcerent, vitiis indulserunt, virtutes radicitùs evulserunt, pudicitiam jugulantes, verecundiam abigentes, mores depravantes, & vitia omnia foventes: bellum fuêre Haienses armorum apparatu exorsi in corpora fugientium, sed Jerichuntini vitia foventes bella move-

Josue 8.

Josue 7.

moverunt in animam, quam iniqua cæde virtutum proſtrârunt, ut luculentius vitium triumpharet, ideóque æquas dederunt pœnas.

§. III.

Segnities non proba tantùm corrumpit deſideria, quæ concipiuntur in cultura virtutum: verùm & animam inficit, in qua unà cum probis deſideriis areſcunt virtutum germina.

19. NOn ſolùm proba corrumpit otium deſideria, quæ concipiuntur in virtutum ſtudia; verùm & animam ipſam fœdè inficit, ut areſcant, quæ proba in ipſa germinant deſideria, quæ cum optato deſtituantur fructu, divelluntur; ideóque ad hæc avertenda damna Deus rerum Conditor in prima mundi molitione non modò Adamum locavit in paradiſo, ut operaretur; verùm etiam ſuis injunxit Apoſtolis Chriſtus non ſolùm ut proba foverent deſideria, ſed ut ea laborum exercitio excolerent optatos datura fructus: *Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis*, pati nequit fructu deſtitutas arbores vineæ innutritas; & ſtantem in agro ficulneam otiantem abſque fructu, non ſolùm ſuccidi mandat, ſed exuri: cúmque hominem condiderit ad labores ſubeundos, eum non putemus impunem paſſurum, ſi nihil agat inerti torpeſcens otio, ſi tempus prodigat, jaceátque iners, ſi tota die otietur; præſertim cum juſſerit ficulneam otioſam ſuccidi, licèt ad infœcunditatem, idémque otium cæteras non pertraxerit arbores progerminantes: certè validiùs hominem puniet otio indulgentem; & proba deſideria, quæ conceperat, ſinentem deſtituta fructibus; cùm neque vir unus neſciat otio marcere, torpore corrumpi, quin multiplicem poſt ſe gregem trahat ignavorum, quos ab exercitio virtutum ad lutum trahit vitiorum. Joan. 15.

20. Hæcque cauſa, cur Jabel cum defluens deſes interpretetur, major natu ejus frater dicatur Jubal; quod ille enim otium præſetulit in nomine, Jubal omine, & re præſtitit: Genes. 4. *Et nomen fratris ejus Jubal: ipſe fuit pater canentium cithara, & organo.* Si ipſum duntaxat deſidiæ nomen, oménque ſegnitiei, ac nomen defluentis, urgere valuit fratrem ad pulſum cymbali, ad cantum citharæ, ad harmoniam organi, quid non poterit, qui jugi torpet otio? an non plenas hominum catervas potis erit ad ſuum pertrahere cœnum? Præſens, quæ fluit vita noſtra, dies eſt paucarum horarum, in ſuam nos paterfamilias vineam adduxit, non ut otio torpeamus, ſed ut virtutum exercitijs eam excolamus; & quia laborem refugimus otio indulgentes, meritò noſtram reprehendit, corripitque inertiam: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Matth. 20. plures proba concipiunt deſideria excolendi virtutes, ſed labore perterriti malunt otio marcere, quàm exercitio honeſtatis vigere.

In Ægypto nox erat, cùm compede detenti otiarentur Iſraelitæ, nos verò licèt dies 21. jam appropinquaverit, fueritque jam exortus Lucifer in cordibus noſtris, adhuc torpemus in lumine, & proba quæ concipimus deſideria profligamus in limine. Nulla graſſatur in urbe peſtis adeò hominibus noxia, quæque plura inferat damna, ſicut otium, quod hominem deſtituit ornatu virtutum, omníque ſpecie honeſtatis. Videbantur Zara & Phares materna in alvo antequam nati ſtadium nacti, ac de majoritate decertare: tempus acceſſerat, quo Thamar geminum, quem conceperat in utero fœtum, eniti debuerat, lucíſque dare uſuræ; cùm Zara tenellam dexteram prior luci dedit; nondum tamen prorſus exertam detraxit, maternisque iterum viſceribus reddidit: Genes. 38. *In ipſa effuſione infantium unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum dicens: Iſte egredietur prior, illo verò retrahente manum egreſſus eſt alter:* mirum ſanè, quòd cùm manum protraxerit, vix protractam recondiderit; ſi cum fratre de majoritate certaverat exambiens primogenituræ gloriam, cur quam Zara prior manum materno extraxerat ab utero daturus eam luci iterum maternis recondidit in viſceribus? an quia Zara enixim majoritatem anhelaverat, & deſiderium primogenituræ innutriverat; & cùm primùm cœpit manum porrigere, & ad labores eam protendere ceſſit ignavus, qui putabatur honeſto deſiderio ambitioſus? Fovit quidem deſiderium enanciſcendi primogenituram, & ideo prior ſe accinxit eam manu rapturus; ſed quia difficultas ei obviavit non modico ſuperanda labore, maluit deſidiâ, cui per novem jam menſes materno indulſerat in utero torpere, quàm excuſſo otio exporrectâ luci manu obvios vincere labores: ſcitè Rupertus in Catena: *Duo gemini in utero Thamar reperti ſunt diſcordantes, & quaſi de privilegio naſcendi contendentes:* & paucis interjectis ſubdit: *In ipſa effuſione infantium unus protulit manum, unus ille, qui manum protulit, Judæus eſt, qui primus legem accepit, & cui primum oportebat loqui verbum Dei; at ille repulit illud, & indignum ſe judicavit æterna vitæ: manum ergo coccino illigatam citò retraxit:* nimirum Zara enixim materno adhuc in utero primogenituram deſiderat, ſed otio aſſuetus manu luci exporrecta refugit labores; ambit, ſed torpet; anhelat, ſed marcet.

Plures ſunt in mundo, qui Zaram imitantur, qui proba quidem concipiunt deſi- 22. deria honeſtamenta enanciſcendi virtutum, lucem exambiunt; ſed cùm primum laborum, ac virtutum, ſe offerunt exercitia lan-

languent illicò, & ab otio cui indulserant, nec latum unguem sinunt se abripi: manum porrigunt, ut accipiant; sed eandem statim retrahunt, si vel minimus eisdem labor obviet; malúntque proba, quæ conceperant desideria arescere omni destituta fructu, quàm excusso otio per virtutum exercitia excolere, & optatos colligere fructus. Sine cultura nec segetes campus, nec racemos vinea profert, quibus ille ditescat in messe, hæc despumet in vindemia: fructus, quos proba enituntur desideria segeti persimiles dixeris, culturam si subtraxeris, & laborem, unà cum otio priùs marcescunt, quàm colligantur fructus probi desiderii: hos fructus collegit, & gustavit Jacob Patriarcha; sed labore fractus, die ustus, & nocte rore perfusus, & qui cum baculo Jordanem primùm trajecerat; duabus instructus turmis tum filiorum, tum armentorum redux pertransit: *Die, noctúque æstu urebar, ac gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis. In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Qui verò ut otio indulgeant, laboribus parcunt, quovis frustrantur virtutum fructu, cùm otium nonnisi vitia foveat, iisque faveat. Implere magnis desideriis mentem perinde est, ac Chamæleontem æmulari: animal est Chamæleon nomine quidem grande, plenóque vocabulo ingens, sed re, & corpore perexigua bestiola, quæque à sacrificiis arcetur: *Mygala, Chamæleon, stellio, & lacerta, & talpa, hæc omnia immunda sunt*, cúmque omne immundum ab aris, ac sacrificiis excluderetur, etiam Chamæleon arcetur; sed cur chamæleon? an quia perinde ac cibum, quo pascitur, nomen affectat ventosum? grande quidem, ac tumidum vocabulum, sed aëre inflatum, perinde ac vento innutrita bestiola: an quia nonnisi odibilis fit, cùm notâ inurantur exiguitatis, & præ cæteris animantibus nomine æquè ac omine ventosissimè superbiat, aurâ duntaxat depastus?

Genes. 31.

Levit. 11.

23. Aliter tamen sentit Tertullianus, ubi id notatu dignum asserit, quòd Chamæleon semper specie gradum spondeat, gressum promittat, cùm ferè nunquam pedes moveat: & symbolum exhibeat viri desiderantis, sed otio torpentis; vellet quidem honestamentis insigniri virtutum, sed labore in earundem cultura subeundo deterretur; probè desiderat, sed iners torpet; & perinde ac Chamæleon ad opus, motúmque licèt videatur se accingere; hæret tamen semper iners; quandóque Chamæleon aëre libratur quasi gressum promoturus, sed vel minutula atomus per aëra discurrens obicem injicit, quo gressum non explicat; sed oscitans suo se implicat in otio: scitè Tertullianus: *Caput & alia bestiola versiculum, de mediocribus oppidò, sed nomen grande: Chamæleontem, qui audieris, haud antè gnarus jam timebis aliquid amplius cum leone; at cùm offenderis apud vineam, fermè sub pampino totum, ridebis illicò audaciam, & tumidámque nominis ambitionem, fessus vix se à terra suspendit, molitur incessum stupens, & promovet; gradúmque magis demonstrat, quàm explicat.* Hominis probo excitati desiderio, sed inerti otio torpentis emblema si pingas, Chamæleontem exhibe gradum quidem promittentem ex desiderio se movendi, sed gressum retrahentem inerti otio torpentem: videtur quidem gressum promovere, sed nec latum unguem ab eodem abscedit loco, quem occupat: gradum non promovet, nec pedem movet, quo oscitanti aduletur ignaviæ. Quot inter homines Chamæleontis induunt naturam? probis affecti desideriis, plura spondent, & quidem magna, & insignia: & plerumque ad egregia etiam se facta accingunt, cùm tamen labore perterriti & otio marcentes nunquam quidquam agant, quod desiderio respondeat: sicque desideria diu innutrita inerti otio fallunt, & falluntur qui ea concipientes, negligunt.

Lib. de pallio cap. 3.

Nil est quod citiùs proba, quæ concipimus desideria, corrumpat, quàm iners otium; imò non proba duntaxat desideria, verùm & mores ipsos labefactat, ad vitia viam emolliens, & etiam trahens: & hæc causa fuit, cur inter severiores à Dracone sancitas leges ea perhibeatur, & quidem opportunissima; nimirum *ut otij damnati, capite punirentur:* videtur sanè acerbiori supplicio mulctari otium, quàm mereatur in ipso culpa, cùm non sit hæc valdè noxia. Sed à vero deflectit, qui in otio culpam non invenit valdè noxiam: est enim otium vitiorum omnium Gymnasium, in quo ut rectè aiebat Marcus Cato: *Nil agendo homines, malè agere perdiscunt.* 24.

Extinguit otii inertia quidquid probitatis præconcepta desideria secum trahunt, quia est otium mentis inertia, virtutis lassitudo, schola improbitatis, genus malitiæ, radix nequitiarum, fons vitiorum, fomes libidinis, spes gehennæ, & quasi quædam æternæ salutis desperatio: enervat enim vires ad virtutem, probitatem desiderij corrumpit; robur animi frangit; sanctitatem abigit; bonos mores profligat; nauseam inducit ad culturam probitatis, fomitem ad indulgentiam vitiorum, fastidium ad studia virtutum; ac propterea fit otium proscriptio sanctitatis, probitatis noverca, transfuga virtutis, & arx omni præsidiario milite destituta, & hostium exposita licentiæ, paucis, sed scitè S. Basilius; *otium preceptor est omnium vitiorum*, cui consonat S. Joannes Chrysostomus inquiens: *Omnem malitiam edocuit otium;* ex quibus præmissis ritè infertur, esse otiositatem pestem virtutum, fomitem vitiorum, sepulchrum probitatis, fontem putidissimum improbitatis; & otio marcescentem, gehennæ candidatum, & extorrem beatitudine, ac cœlesti patria: unde monet D. Basilius: *Non itaque nobis dormiendum, ne ob brevem desi-* 25.

Homil. 8 in Hexaem.

Homil. 13 in Genes.

diam

diam spes magnas amittamus: eò quia sit otium veræ spei amissio, & quædam veluti dissimulata desperatio.

26. Est otium gehennæ janitor, ac dœmonum quies; hinc Christus ait: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit, tunc dicit: revertar in domum meam, & veniens invenit eam vacantem, tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi & fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Quia hostis tartareus quamvis totius gehennæ torreatur incendio, omnibúsque inferorum tormentis excrucietur; adhuc audacter præsumit requiem quærere, & otio indulgere: sed ubinam requiem quærit, ubi eo fruitur otio, quod sit illi levamini? certè nullibi otium levamen adfert pressuræ ærumnarum, nullibi rigorem temperat cruciatuum: quæ igitur erit dœmonis requies? si vis scire ubi malignus quiescat spiritus, te docet Hugo inquiens: *Nolite stare otiosi, quia ad domum vacantem unde exivit Diabolus, revertitur, & habitat, cùm septem spiritibus nequioribus, & sunt novissima hominis illius peiora prioribus:* unde Christus, *Quid hic statis toto die otiosi?* quia homo vacans, & otiosus ita vitiis adulatur, ut malignus Spiritus plurimo non indigeat labore, ut hominem otio torpentem inducat ad se omnium vitiorum inquinandum cœno; quia cùm otium per se otio indulgentem pertrahat in vitia omnia; cacodœmon in viro otioso nullum quasi laborem impendit, ut videatur ipse quiescere: deliciatur hostis tartareus in homine otioso, & vacante otiosè; sit autem otio indulgens veluti dœmonis domus, sed vacans: *Revertar in domum meam. Et veniens invenit eam vacantem*, otio scilicet, quia nihil in manibus suis reperiunt, qui otio indulgent, unde David Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum; & nihil invenerunt in manibus suis*, otio qui indulget, somno fruitur, & omni fraudatur mercede.

Matth. 12. | In Jerem. cap. 51. | Matth. 20. | Matth. 12.

27. Sibi igitur vel maximè complacet hostis tartareus in homine otio indulgente, in quo perinde ac in propria domo vacante deliciari videtur, quia tam ingens est vitiorum colluvies in homine otiosè vacante, ut sit quasi dœmonis laxamentum, ac tormentorum levamen; hinc dœmon requiem quærens, in homine habitat vacante, in quo ipsum otium ejus sunt deliciæ, ejúsque voluptuosa requies: ita est homo inerti torpescens otio requies est cacodœmonis, eùm parum vel nihil impendat laboris, ut ei vitia suadeat, ac persuadeat, eùm ipsum otium officio fungens dœmonis viam ad ipsa vitia emolliat, ac pertrahat otiantem; imò nulla dœmonis perniciosior tentatio, quàm otiosa desidia, quæ blandè trahit ad indulgentiam carnis, sensuum oblectamenta, ac vitiorum inquinamenta: lascivire in otii gymnasio perdiscunt, ac carnis indulgere illecebris, otio qui torpent: est enim otium vagum, garrulum, blandum, sagax, petulans, audax, & primæ, quas dictat, prælectiones, sunt deturbare verecundiam, exterminare modestiam, disciplinam subsannare, mores corrumpere, innocentiam constuprare, & linguam ad omnem exacuere nugacitatem, ad omnia acuere convicia; eleganter Valerianus Niciensis Episcopus ait: *Otiosa sunt semper infructuosa colloquia, fictis rumoribus exposita. Qui autem putandus est otiosus esse sermo, nisi ignarus rationis, & nuncius falsitatis, cui id studij est, aut ridenda confingere, aut de incertis quasi certa sentire.* Homil. 6.

§ IV.

Otium in hoc est operosissimum, quia totius malitiæ scenam construit, & aperit; & impietatis protervus pedagogus scelera edocet omnia.

Facilè conjicis, esse otium non solùm probi desiderij pestem, sed & malitiæ scenam, impietatis pedagogum, malignitatis fomitem, nugacitatis fontem, perversitatis officinam, ac vitiorum omnium gymnasium. Quamobrem vel in ipso mundi conditi primordio voluit Deus protoparentem ab hujusmodi otii gymnasio arcere: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Quid? quod rerum Conditor Deus primum in paradiso hominem collocat, delicijs ut affluat loci ad omnem confiti amœnitatem, & statim laboribus eum addicit? si non finit labor, quo corpus defatigatur, & lassitudinem contrahunt laborantis corporis artus, ac membra, delicijs frui, voluptatibus deliniri, cur in paradiso voluptatis posuit Deus primum hominem, ut operaretur? pulchrè S. Ambrosius ait: *Quamvis paradisus operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideò legitimè etiam in paradiso speciem suscepit laboris, ut nos ad operationem, & custodiam debiti officij, & hereditaria successionis munus adstringeret.* Cùm esset paradisus terrestris à mundi conditore ad omnem consitus elegantiam, operibus ruralibus hominis Incolæ non indiguit, fuit enim hortus ille soli amœnitate ridens, aëris temperie arridens, deliciarum quà corporis, quà animi refertissimus. 28.

Genes. 2. | Lib. de parad.

Fuit enim locus in primis amœnus, situ præcelsus, specie eximius, omnique deliciarum genere affluens, partim in planitiem exporrectus, partim in colliculos molliter assurgens, vernantem frugiferarum arborum utrinque explicans feracem copiam; 29.

piam; ibi pratorum herbescebat viriditas intermicantium florum varietate picturata, ut verna temperies perpetuam ibi suam posuisse sedem diceretur; imò etiam reliquæ anni tempestates, cum ætatis beneficio viderentur aristæ molliter flavescere; & autumnus ob gratam olivitatem, vitésque diffusa corymborum luxurie collibus inserpentes, præmaturis racemis vestitas, spumantem exhiberet vindemiam. Cùm igitur operibus ruralibus non indigeret locus ad omnem consitus amœnitatem, cur posuit DEUS Conditor in illo protoparentem, *ut operaretur?* ne scilicet si primus homo nil egisset, otiari visus fuisset, etiam in paradiso, & docente otio malè agere didicisset: tametsi de cœli schola docente DEO Magistro miris scientiis, & excelsis virtutibus imbutus esset Adam, omnique virtutum honestamento ornatus; adhuc quia fortassis timebatur, ne in otij Gymnasio virtutes dedisceret, & vitiis perversè instrueretur, rectè *posuit DEUS primum hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum*: quia si ab operibus vacâsset, otio indulsisset, à quo vitia hausisset. Non igitur labor, quo primus homo tellurem illam excoluit, felicitatis, ac innocentiæ abegit statum, sed otij perversum Magisterium, noxiam pedagogiam exclusit, ne desidiæ lenocinio ab apice summæ felicitatis dejiceretur: non enim labor ille, & soli cultura ullum attulit molestiæ sensum, sed otij prohibuit indulgentiam: labor enim primi hominis non minuit delicias, quia ut scitè notat Hugo Cardinalis secutus commentationem S. Augustini: *Tulit hominem extra paradisum formatum, ut ipse homo operaretur non laboriosè, sed deliciosè, & sic Dominus custodiret illum*: quàm tuta, quàm secura hominis vita, cujus vel ipse DEUS est custos: sicut cuilibet homini Angelus designatur specialis, cujus concreditur homo tutelæ, ita DEUS custodem voluit se Adami destinare: sin verò quæras quomodo DEUS custos hominis protoparentem custodierit, habes: *Tulit hominem extra paradisum formatum, ut ipse homo operaretur, & Deus custodiret illum*: nimirum divinæ arbitrium custodiæ est, hominem laboribus, ac operationibus destinare, ne quem innocentiæ status felicitaret, otij torpor depravaret: est jugis occupatio divinæ instar custodiæ, ne à felici virtutum statu dejiciatur: Deus enim custodit occupando, quos otium perderet torpendo, ac otiando; & ideo vel in ipso protoparente totam voluit Deus posteritatem edocere, quantæ sit labor, seu occupatio utilitatis, & quanti otium damni.

Genes. in 2.

30. Fuit Adamus totius humani generis Princeps à DEO constitutus, ac propterea futurorum Principum primum exemplar, ac viva idea; & ne sibi persuaderent Reges, & Principes specioso prætextu solertiùs vacandi regimini, immunitatem à laboribus communitatis; voluit DEUS Adamum omnium creaturarum Principem statim laboribus assuescere, ut reliqui in mundo Principes, & Præsules hæreditariæ successionis officio adigantur ad opus, quod vel ipsius DEI est custodia, quâ homines vigili custodiuntur curâ, quia ut rectè ait Sophocles in Iphigenia: *DEUS otiantibus haud assistit*: forsan timuit DEUS, ut humano loquar modo, ne per indulgentiam otij ornatum exueret Adam virtutum, quas ipsi indiderat; & ideo præmaturè laboris legem, & ipsi, & toti ejus posteritati indixit. De cœli Gymnasio scientiarum encyclopediâ, omniúmque virtutum honestamentis imbutus fuerat Adam instructore Magistro Deo; & nihilominus timetur, ne si otio torpeat, scientias animo impressas obliteret, ac virtutes exuat; non dejecit igitur labor protoparentem ab innocentiæ statu, sed otium avertit, ne desidiæ lenocinio à sua corrueret felicitate.

31. Sed si arceri omnino otium in innocentiæ statu debuit, ne desidiâ torperet protoparens, cur DEUS ipse consummato sextidui opere voluit die mundi septima otiari, quam hominum quieti destinaverat? *Et requievit die septimo ab omni opere, quod patrârat.* *Genes. 2.* Quid, quòd DEUS cum otium abigat, ne Adam desidia torpeat; cessit postea ipse ab opere? An non quod Magister verbis docet; altiùs firmat exemplo? quid, quòd nolit, Adamum otio indulgere, cùm DEUS ipse otietur in quiete diei septimæ? Quomodo dicitur DEUS ab omni cessare opere, si Christus Joan. 5. loquens de Patre æterno fatetur, eum jugi detineri occupatione, & nunquam ab opere desistere: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: nimirum est Deus actuosus, & perpetuò operatur; non enim Deus noster otio torpet, sicuti nugatorius, & futilis Epicureorum DEUS, de quo Tertullianus: *Asseverant Epicurei DEUM otiosum, & inexercitum, & ut ita dixerim neminem humanis rebus*: *In Apolog. cap. 47.* non enim DEUS noster hac torpet inertiâ, hoc marcessit otio cùm *Genes.* 2. dicitur requievisse die septimo, ab omni opere, quod patrârat; quia Deus etiam in ipsa operis cessatione non otiatur; subditur enim: *cessavit ab omni opere suo, quod creavit DEUS, ut faceret*: nimirum *creavit*, non ut ipse otiaretur, sed *ut faceret*: quid iterum faciet, si omnia creavit, quæ condita voluit? & hæc neque emendatione, aut mutatione indiguerint, cùm deprehensa fuerint valde bona? Scitè Hugo Cardinalis ait: *Creavit ut faceret, hoc est de iisdem creaturis, quas condiderat alias in iisdem producerct speciebus*: igitur cessavit ab omni opere, quod creavit, ut faceret, seu

seu ut individua in quavis specie cum vegetabilium, tum sentientium produceret, ac multiplicaret ad mundi ornatum, ad vices temporum distinguendas: cessat die septimo rerum Conditor Deus ab omni opere, ut opus inchoet, ideóque otiatur, ut agat; & otium nos edocet negotiosum; ne in ipso torpeamus otio, sed otiantes rectè agamus; pulchrè S. Bernardus. *Rectè Sapiens hortatur sapientiam scribi in otio: cavendum est ne in otio otium sit.*

Lib. de consider.

32. Otiari quidem licet, sed otio activo, & non torpente in otio: id desiderat Bernardus, ne otietur homo in otio, sed aliquid agat, dum otiatur, sitque hominis otium actuosum. Cavendum enim est in otio otium; quia *otium*, & *vitium* cognata nomina, re vix distant, est siquidem otium, si otietur in otio omnium vitiorum usitatum pulvinar. Imò si aliquid agat, quia perversè agit, luxuriam fovet, cùm sit libido otiosorum negotium; verùm & tunc dicitur in otio otium otiari, quia proxima sibi sunt *nihil agere*, & *malè agere*, otiari, & luxuriari, ut cecinit Poëta ipse

Quæritur Ægysthus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

33. Otiari in otio non est à quavis vacare actione, cùm ab otio pleraque libidinum excitentur incentiva, sitque ipsum otium, quod otiatur in otio, favilla libidinis, pestis pudicitiæ, destructor probitatis, & corruptor recti cujusvis desiderij: nisi torporem omnem excutiant, qui proba nutriunt desideria, hisce facilè destituuntur, *sicut enim* ait Bernardus sermone de S. Andrea, *per rimam sentina aqua latenter intrat, & excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergatur; ita ex otio, atque ignavia cogitationes pravæ, & concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur:* fuit mellifluus Doctor otij otiantis in otio infestissimus hostis, quia ipsum non latuit, esse tineam, quâ proba quævis in corde præconcepta desideria corroduntur, vitia arcersuntur, hinc scribens ad fratres de monte Dei, ait: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ.* Utque ostenderet, quàm sit cavendum castitatis cultori, studijs addicto virtutum otium, quod in otio otiatur, ait de modo bene vivendi: *luxuria citò decipit homines otio deditos, & graviùs urit, si quem otiosum invenit; industria, & labori cedit.*

Serm. 55.

34. Quamvis aliquid otium agat, adhoc dicitur otiari in otio, quia nil agere, & malè agere perinde est; cùm tempus semper prodigatur, ac malè impendatur: aqua etiam omni destituta cursu, licèt otietur stagnans in fovea, adhuc dicitur absque ullo motu otiari, quamvis aliquid semper agat, nimirum putrescat: quia cum putrescere sit deficere à sua natura, est quoddam otium, quo vel ipsa aqua suo otiatur in otio, cum corrumpitur: quotquot otio indulgent, adhuc in otio otiantur, quamvis corporis tabe confecti, concupiscentiarum, ac voluptatum carnalium insaniam foveant, quia nisi torpor excutiatur otij, facilè insurgunt rebellantes rationi concupiscentiæ: hinc ait Seneca moris fuisse apud priscos Imperatores, otium præsertim in militibus excutere, si rebellantis dissidij suspicio oriretur, ait Seneca. *Magni Imperatores, cùm malè parêre militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent.* Otio, qui indulget, addit ipse, *non sibi vivit, sed turpissimum, quod est ventri, somno, libidini.* Epist. 56.

§. V.

Quod in otio otiatur otium, non solùm proba in hominibus cultura etiam addictis virtutum corrumpit desideria: verùm & urbes ipsas otio torpentes sus déque vertit, ac radicitùs evertit.

Non solùm quòd in otio otiatur otium proba in hominibus etiam virtutum addictis culturæ desideria corrumpit; verùm etiam urbes integras evertit ac perdit: est siquidem otiositas mater nugarum, ac vitiorum fœcunda parens, & omnium virtutum sæva noverca, & mens otiosa in sexcentas facinorum furias facilè discurrit. Cessavit absoluto sextidui opere Deus mundi Conditor, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat, non ut otiaretur in otio, sed ut per impertitam benedictionem sanctificaret diem septimum. *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum*, quæ verba expendens Theodoretus ait: *Diei septimo in creationis locum largitus est benedictionem, ne solus dies ille præ cæteris honore careret:* cùm enim sex prævij, qui fluxerant dies, satis, supérque honoris, ac commendationis ex opere in singulis patrato fuerint assecuti: & cùm die septimo nullam è nihilo extraxerit creaturam, sicut in præcedentibus, ideò septima dies, quæ hominum quieti, & otio destinatur, licèt operatione destituatur, qua nova in mundum adducatur creatura, quamvis nulla operis commendatione signata fuerit, sed destituta; fuit tamen divina benedictione, ac religiosa sanctificatione insignita: & ne die mundi septima otium otiaretur in otio, loco operationis Numinis substituitur sanctificatio, & divina benedictio, ut quod deest operis, sanctificatione suppleatur: quæ fluxerant præcedentes dies plurimum hauserunt benedictionis, ac sanctificationis ab ipso opere, quo Deus Conditor singulos voluit insignitos; dies autem septima Numinis, & hominis de- 35.

Genes. 2.

Quæst. 21. in Genes.

stinata quieti, ne otium otiaretur in otio, sanctiùs benedicitur, & solemniùs sanctificatur, ut divina sanctificatio honorem suppleat religiosum, quem otium, si fuisset in otio otiatum, abstulisset: scitè Chrysostomus. *Quid igitur? non erant, & cæteri dies benedicti? etiam profectò? sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quòd in singulis illis creatura producta fuerunt; & ideò non inquit, & benedixit: sed solo autem hoc septimo die hoc dixit, & benedixit:* nimirum reliqui dies plurimum susceperant honoris, & commendationis ex opere in singulis patrato: prima siquidem die procreatum est è nihilo cœlum empyreum, suam à mirifici splendoris copia hauriens nomenclaturam, éstque empyreum, Dei thronum, augustissima divinitatis sedes, & futurum beatorum domicilium: & unà cum fulgentissima illa sede evocatæ è nihilo fuerunt mentium, quas Angelos vocamus, corporis crassitie carentium, & ab omni discretarum materia innumeræ propemodum Myriades: imò è nihilo etiam prodiêre die hac prima terra, & aqua in globum unum coalescentes, quamvis nullo formarum ornatu, nec plantarum virore, nec florum varietate distinctum, sed undique tenebris involutum, donec divino imperio lux quædam cœpisset in aquis corulcare.

In cap. 2 Genes.

36. Secunda dies illustris fuit ob conditam lucem; quamvis rudem, & imbecillem ei supparem, quæ cum abeunte nocte diluculum instat, & crepero nitore nostrum solet emisphærium clarescere: Orbes itidem cœlestes, seu firmamentum, aliísque cœli extera fuerunt jussi medij inter aquas superiores, seu christallinas; & inferiores, seu elementales, nullis adhuc syderibus fulgentes, neque externa incitatione circumacti: duo itidem primigenia corpora prodiere, aër ex aqua; & ignis ex aëre: ignis in sublime avolavit; aër naturâ spirabilis totam terraquei globi extimam superficiem ambiens occupavit spatia per singulos intercapedinis tractus, è terra ad cælum usque protensus; aqua terræ insidet; & terra aquis circumfusa medium mundi occupat sedem.

37. Die tertia fluctuum aquarum, ac telluris sublatâ confusione cœpit ex undis tellus in speciem ingentis orbis glomerata emergere; & aquæ ipsæ in cavernas recessêre, ac in maria, flumina, paludes, stagna se coarctârunt, discretis ab habitabili tellure spatijs: hac enim die cœpit tellus divino obsecuta mandato, herbis vestire prata, & fructus profundere: cœperunt etiam arbores fœtibus gravidari, campi segetum copiâ, ac densitate fluctuare; margines, ac ripæ fluviorum eleganti stirpium varietate ornari, & terra omnem depromere herbarum varietatem, florum elegantiam discolorem, plantarum multiplicitatem, ac fructuum copiam, quamvis aratio sationem, satio occationem, occatio sarritionem, plantatio putationem non præcesserint; cœperunt & campi maturè flavescere segete; neque arbores priùs deorsum radices egerunt, postea stirpes in altum emiserunt, nec rami foliorum capillamentum priùs diffuderunt, quàm fructus promerent; sed hæc omnia conjunctim unóque temporis puncto proruperunt. Imò excitèrunt etiam genera omnia metallorum, fossilium, lapidum, ac mixta ex elementis, quæque vitâ destituuntur: & præ cæteris terræ tractibus suam deprompsit elegantiam, floridámque amœnitatem paradisus terrestris, hortus scilicet voluptatis, quatuor irrigatus fluviorum ex uno, eodem scaturentium fonte limpidissimis laticibus.

Quartum diem commendabilem effecêre, ac illustrârunt tam diurna in sole mundi lampas, quàm nocturna in luna; ac reliquæ stellæ micantes in cœlis veluti pyropi, cœlum perinde ac gemmæ distinguentes, vel florentes ut rosæ vernantes, ac ornantes: hinc suum duxêre initium dierum, noctiúmque discrimina; quadripartita anni tempora; tempestatum signa, prognostica, cœperúntque æquè sub terra, quàm in extima ejus superficie vegetantium semina suas depromere divitias, elegantésque virores. 38.

Quintus dies squamigero piscium gregi, volucrúmque turmis cum natalia dederit, satis & ipsi contigit honoris: utrúmque enim & piscium, & volucrum genus suam aquæ fœcunditati originem debet; siquidem è sinu aquarum prosiliit quidquid vel pennis aërem secat, vel pinnis undas trajicit. 39.

Sextus demum dies satis illustris, & commendabilis fuit ob tot animantium species, jumentorum, ac reptilium genera è nihilo, ad lucis traducta usuram: & præsertim cum hac die effictus ex humo homo fuerit, cui Conditor Deus suammet impressit imaginem, cùm animam inspiravit intelligendi, appetendi cum ratione, & reminiscendi facultate præditam, cæterísque decoratam gratijs; ac ornamentis primævæ innocentiæ cum pleno in cætera omnia animantia dominatu. Cùm igitur sex dies fuerint singuli aliquo insigniti opere, quo plurimum mererentur comendationis; subsecuta fuit dies septima otio, & vacationi deputata, quæ tamen, ne suo destitueretur honore, & ne otium otiaretur in otio, benedictione, & sanctificatione divina contra desidiæ insultus præmunitur. 40.

Christus Discipulos cùm antea appellâsset Sal terræ, & mundi lucem postea, eos instruens, quomodo se debeant gerere, ne quæ proba concipiunt desideria, suo frustrentur fructu, ait. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, quæ verba expendens Tertullianus ait: *Succingere debemus lumbos, id est, expediti esse ab impedimentis laciniosæ vita, & implicata*, quæ verò sit hæc laciniosa, & implicata vita? certè non aliud, quàm vita mundi negotijs, perversis desiderijs, & cupiditatibus, carnisque 41.

Luc. 12.

Lib. 4. contra Marcionem cap. ...

que

que illecebris irretita: ab hisce lacininsæ, & implicatæ vitæ impedimentis vult Magister Christus suos discipulos, & fideles expeditos esse, ut eorum lumbi sint præcincti: verùm quia non sufficit lumbos præcingere, & proba concipere, ac fovere desideria, ne hæc otij torpore corrumpantur, addit, *& lucerna ardentes in manibus vestris:* nimirum vult manus nostras lucernis instructas, non tamen extinctis lycnis, & otiantibus; sed ardentibus, ac operantibus, ne otium lumen extinguat virtutis, probique desiderij ardorem, ac excultæ virtutis abigat splendorem: imò non sufficit, si excusso otio manus operentur, sed ut tales efficiant operationes virtutum, quæ cæteros illuminent, iisdémque iter ostendant salutis: scitè Theophilatus in præfatum textum Luc. 12. *Notandum*, inquit, *quod primò jubet, lumbos præcingere, (seu expeditos esse ab impedimentis laciniosa, & implicata vita) secundò præcipit, & lucernas ardere in manibus, quibus cæteri illuminentur.* Lucernæ autem manuum, exercitia sunt virtutum, quibus exemplo fortiùs, quàm verbis alij instruuntur, ac illuminantur; ut quà fit eundum, videant.

42. Possunt etiam lucernæ ardentes, quibus cæteri illuminantur eam præsignare doctrinæ perfectionem, quâ cæteri verbo, & scriptis illuminati, videant, quomodo lumbos suos præcingere debeant: nimirum amputare laciniolæ, & implicatæ vitæ impedimenta, séque subtrahere à pravis desiderijs, ac negotijs, quibus ambitionis studio se se ultro ingerunt: etenim scitè sua auspicatur scripta Basilius Seleuciensis. *Universa hominum vita virtutis palæstra est, ac vita spatia doctrinam spectant*, sicut enim Heliotropium ita gaudet solis aspectu, ut semper ad solem vertatur; perinde universa humanæ vitæ spatia doctrinam spectant, quæ excussô quovis otij torpore sapientiæ impendantur: & quia plerisq; tumultuosa sæculi negotia pro summa videntur beatitudine esse, ac felicitate; ideò monet Magister Christus, docétque suos Discipulos, lumbos præcingere, seu negotia hæc sæcularia, & futilia, quæ manus magis implicant, quàm pedes explicent ad salutis æternæ percurrendum iter, amputare: sunt enim hujusmodi negotiosi sæculi occupationes, quæ tempus absumunt; & proba, quæ concipiuntur desideria, paulatim arrodunt: hisce qui implicantur negotijs, seu hanc lacininsam ducunt vitam, vel ad divitiarum cumulos coacervandos, vel ad dignitatum titulos sibi comparandos nil in manibus suis reperiunt: & quia perperam agunt, nec ad verum ultimum finem se ipsos, suásque dirigunt operationes, ac si jugi torperent otio, non agere, sed dormire dicuntur. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis omnes viri divitiarum*, quia tametsi divitijs affluentes multos videantur labores subire, divitias coacervare, dignitates enancisci, titulis insigniri illustriotibus;

Oratio 1. | Psal. 75.

quia tamen in futuro merces deerit, cœlesti gloria destituentur, ideò quasi otio torpentes, ac dormientes, nil in manibus suis invenient.

Hinc etiam Apostoli de nocte laborantes, vacui mane reperti fuerunt. *Præceptor per totam noctem laborantes, nil cepimus:* per nocturnos labores laciniosa, & implicata hujus præsentis vitæ denotantur negotia, quæ cùm ad ultimum verum finem, in cujus assecutione proba nostra quiescunt desideria, non dirigantur; sed ad commoda mortalis hujus vitæ instituantur; nil secum trahunt mercedis, & per totam noctem sic laborantes nihil capiunt, quod ipsis prosit in æterna vita; ideóque ita laborantes otio pariantur torpentibus, suúmque dormientibus somnum, quibus vacuæ sunt manus; quia otio indulgentes, pia & proba, quæ conceperant desideria, suo destituunt fructu, ut excludantur à vita æterna; adeò ut etiam è thalamo cœlestis sponsi excludantur virgines post excultum multo conatu lilium pudicitiæ, servatúmque incorruptum florem virginitatis, non operarij tantùm iniquitatis, sed etiam satores aromatum eijciuntur ab epulo: non vepreta duntaxat, sed & lilia à cœlestium deliciarum horto jugiter vernante excluduntur; quia licèt quinque virgines proba foverent desideria videndi sponsum: quia tamen otio torpentes neglexerunt pedes movere, & festinato gressu ire ad venditorem, oleum emptoræ, quo suas exornarent lampades, ideóque à veniente Sponso aliud adgratulationis non audierunt exordium, quàm illud Matth. 25. *Nescio vos:* nimirum ignorantur, & nesciuntur etiam à lilio convallium, ab eo, qui delectatur lilijs, & lilia colligit, pascitúrque inter lilia; seu excluduntur à flore campi etiam ipsa lilia, quia tametsi niveo, & adblandiente picturata colore, quia otio torpuerunt ab areolis virescente jugiter topiario clausis excluduntur. 43. Luc. 5.

Tametsi plures videamur labores subire, adhuc otio torpemus, & otiosis æquiparamur: hinc per Isaiam, Filios Jacob exterret, & populum Israël justo percellit timore, inquiens: *Non me invocâsti Jacob: nec laborâsti in me Israël:* quia licèt plures exantelaverit Jacob labores, multósque fuderit Israël sudores, quia neuter Deo laboravit, sed sibi, humanísque commodis allaboravit, ideò quasi otio torpuerunt, dicuntur non invocâsse Numen, nec ullum subijsse laborem, & ideo subdit Deus. *Victimis tuis non glorificâsti me, nec laborem tibi præbui in thure. Adipe victimarum tuarum non inebriâsti me: verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis. Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Sed quid supplicij ita delinquentibus injungit? pergit, inquiens, *Glorificabit me bestia agri, Dracones, Struthiones. Populum istum formavi mibi, laudem meam narrabit.* 44. Cap. 43. Isaia cap. 43.

rabis. Licèt adeps inundaverit victimarum plenam usque ad ebrietatem, non tamen populus Deum inebriavit, sed sibi indulsit, propterea non laboravit Numini, sed Deum laborare compulit, qui etiam adigitur Operariis suis Dracones sufficere, & struthiones.

45. Sunt etiamnum in claustris Religiosorum, in Asceteriis virorum, qui proba foventes desideria, quibus & labores subire, & sacrificia instituere, & victimas mactare videntur; & tamen Deo illudunt veriùs, quàm litent, quia sola corticis, seu extimæ pellis dedicatione Deo litantes, sibique adipem reservantes victimarum; quatenus cordis affectus, mentis desideria, studiorum labores, defluentis vitæ horas præstantiores sibi, se propriæ gloriæ plerumque impendunt: non hos laborare dixeris, sed otiari, cùm in vinea cœlestis Patrisfamilias, non secus, ac olim Jezabel in vineto Nabuthis, non Christo vites colant, sed sibi voluptatis olera excolant; & gloriæ fœnum proprio rigent sudore, ac in proprium duntaxat serant commodum. Sed sicut id fieri à Jezabele minimè potuit, quin Nabuthes necaretur: ita nec otiari in Asceteriis licet, quin Deus ipse laboret, qui propterea conquestus ait: *Praebuisti mihi laborem:* quia plerumque sudoribus vineæ rigandæ aptis propriam nutrimus gloriolam, vitésque vineæ vertimus in labruscas, quasi otio torpentes vineam non colentimus, sed stirpes, ac vepreta siverimus in ea excrescere, quibus semina proborum desideriorum suffocantur, ne fructus ferant: & tunc hunc otii incipimus torporem excutere, cùm nitimur spinas evellere, quas sevimus; fœnum eradicare, quod rigavimus; zizanium comburere, quod frumento proborum desideriorum torpor noster immiscuerat, vel ab hoste superseri passi fumus, cùm dormiremus, otióque indulgeremus. Verùm si otium securim haud declinat, & punitioni subjacet; non putemus impunem seminum corruptorem, plantarúmque dissipatorem, ac ipsius torporis fautorem, cùm & ipse plura sibi incommoda sustineat, ubi ex soli fœcunditate fructuum sperabat ubertatem; quamvis visus sit laboràsse, quia tamen ejus operâ didicerunt vites sylvescere, & pro musto fel distillare aspidum insanabile, ideo non jam musto, sed felle potabitur.

46. Scio in vinea Domini timuisse ab apro Davidem, à vulpibus sponsam, à leone Samsonem; sed si isti feras evaserunt, quæ timorem incusserant; non ita tamen qui perperam in via Domini operatur, sinitque vites silvescere, ficulneas excrescere infœcundas, & reliquas arbores luxuriare foliorum pompâ, non curvescere fructuum pondere; imò & delapso è cœlo semini, seu probo præconcepto desiderio exitiũ parari ab ipsis volucribus. *Aves exederunt illud*, vel ab enutritis dumetis; *exorta spina suffocaverunt illud*, vel ab sterilescente petræ siccitate; in cujus sinum delapsum probi desiderii semen exarescit; quia nec volucres cœli vineæ assuescunt culturæ; nec exortæ spinæ labores exigunt coloni, ut sua fubeant incrementa; neque petræ durities aratrum patitur: cúmque otio videantur indulgere, ideo aves sine labore in vinea, & spinæ sine cultura, & petræ sine industria, promptiùs proborũ semina desideriorum corrumpunt, exedunt, suffocant, ac perdunt.

§. VI.

Qui otio torpescunt homines stare nesciis ad pulsum cujusvis modicæ tentationis corruunt, & in scelera ruunt.

Lapis de montis ruens fastigio non simulacri lapsum desideravit, sed veriùs immittum metallis lutum fallidivit. 47. *Daniel. 2.* Fictiles tantùm pedes percussit, ne in uberi illo auri, argentíque fulgore squaleret lutum; verùm dum cretam percutit in pede, etiam crura submovet in corpore, & singula statuæ membra unà cum pedibus dissolvuntur, & corruunt. 1. Surgebat statua plena nitoris, ac fulgoris, majestatisque, ut simul terrorem incuteret, ac gratiam emitteret splendoris; quia verò hanc suam firmitatem non auro debuit, nec argento, sed luto; ideò neglecto, vilique innixa fundamento tota corruit. *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eam.* *Daniel. 2.* *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento.* Lutum, quo nitebatur statua otium præsignat, cum jaceat neglectum in foveis, vel publicis tantùm conculcetur in viis: aurum & argentum, quibus partes statuæ superiores conflatæ erant, proba, quæ concipimus desideria, produnt; hæc si otio torpescant, perinde corruunt, ac membra aurea, & argentea statuæ.

48. Hinc Gabriel Angelus Virginem Matrem alloquens dixit: *Ecce concipies in utero, & paries filium:* & tametsi verba videatur superflua miscuisse, cùm partus jam satis intelligatur sequi conceptum in utero fœtum, adeò ut quæ concipit in utero Virgo nuptui data, etiam pariat: non tamen ut eleganter observat S. Ambrosius in Catena verbum illud, *& paries*, otiosè, ac superfluè censendum est ab Angelo prolatum, imò quod superfluum videtur, illud apprimè asserit Ambrosius necessarium: sunt enim plures, qui in utero cordis proba quidem concipiunt desideria, quæ tamen nunquam pariunt, adeò ut partus non semper sequatur conceptum in utero cordis probi desiderii fœtum: plerique proba concipientes desideria, quamvis per aliquid temporis videantur ea fovere in utero mentis, non tamen ea formata pariunt, *Luc. 1.*

sed

sed abortiva excludunt; quia otio torpentes, quæ conceperant proba desideria, infelici excludunt abortu, nec sinit otium, cui indulgent conceptum proprij desiderij fœtum in cordis utero efformari, ac perfici; sed gelu torporis, etiã prima probi desiderij germina decoquit: cum enim exercitia requirantur virtutum, & labores in superandis difficultatibus, quæ illis obviant, malunt destituta proprio fructu dimittere, quæ conceperant proba desideria, quàm otio non indulgere: pulchrè S. Ambrosius. *Non omnes sunt sicut MARIA, ut dum de Spiritu S. concipiunt, Verbum pariant: sunt autem, quæ abortivum excludant Verbum, ac probum desiderium, antequam pariant. sunt, quæ in utero Christum habeant, sed nondum formaverint.* *In c. 1. Luc.*

49. Placet quidem virtutis elegans species, ejúsque honestas, & animum allicit, ac oculos mentis pellicit; adeò ejus pulchritudo animos attrahit; ut nemo sit, qui, saltem ejus non concipiat desiderium, quo insignitus aliquid sibi imaginetur veræ felicitatis participare: verùm cum virtutis assecutio aliquid secum trahat laboris, plures sunt, qui præconcepta proba desideria, quæ alere potuerunt cum gaudio, quia parere non possunt sine dolore, nec virtutis vincere arduitatem absque aliqua sudoris effusione, nolunt otij excutere torporem; ideóque se avertunt à virtutis assecutione, præferúntque honestati virtutis otij torporem: & isti concipiunt quidem probum desiderium, sed conceptum in mentis utero fœtum abortivum excludunt, antequam pariant.

50. Plures concipere desiderant, quia id nonnihil semper adfert oblectamenti, quod ex pulchritudine, ac illicio hauritur virtutis; sed detrectant parere, quia partus labores, ac dolores secum trahit; & malunt proinde otio indulgere, quàm fructum capere ex præconcepto probo desiderio. Etiam sponsa anxiè suum concupierat sponsum, quem per vicos, & plateas anxia quæsierat, eo tamen tempore, quo excusso omni otij torpore sollicita percurrebat civitatis plateas; sed cùm primùm cœpit somno indulgere, otio torpescere, in lecto jacere, omni spoliata ornatu, tunc cœpit & ipsius anxium desiderium suo frustrari fructu. *Spoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ; lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos:* *Cant. 5.* desiderium sponsi eam quidem excitaverat, sed cum jam somno indulgeret, & otio in lectulo suo torporet, non ampliùs sponsum curat, séque excusat, & propriam accusat nuditatem, *spoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ:* nimirum quæ expergefacta, & solertiori adornata curâ visa fuit plateas discurrere civitatis, fructum lectura in sponso sui desiderij; somno & otio postea indulgens, non ampliùs videtur sponsum curare; & nuditas cœpit somno obrutæ placere; cui expergefactæ, & currenti per vicos, & plateas ornatus virtutum unicè erat in delicijs: pulchrè S. Gregorius. *Quidam intra sanctam ecclesiam devoti per desiderium sunt; sed consueta vitiorum debilitate remissi: possunt quidem bona proponere; sed quia exequi, quod proponunt, nequeunt ob otium, quo torpent fructu destituuntur virtutum.* *1. Reg. c. 15. 11.*

51. Quòd si objicias, plerósque culturæ haud addictos virtutum, imò & otio etiam indulgentes minime suis fraudari desiderijs; id haud difficulter non inficias iverim, sed grande id est otiosorum, seu impiorum supplicium proprijs non fraudari desiderijs. Tunc affectus desiderium intus concipit, sed foras vitium parit; unde cavendum ab hisce desiderijs, quæ minimè fraudantur, sunt enim affectus proprij, qui viro sapienti suspicionem ingerunt erroris, eò quia non rectæ rationis, sed pravæ concupiscentiæ sunt soboles; & sicut rationi animal nõ obtemperat, eò quia sit natura brutorum incapax suasionis; ita quæ depravata concupiscentia concipit intùs desideria, non sinunt ratione duci, sed libidine conduci.

52. Proposuerat Magister Christus suis Discipulis parabolam illam de homine, qui cœnam magnam paraverat, & plures ad eam vocatos voluit, ac propterea misit etiam servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, eò quia jam parata essent omnia *Luc. 14.* Cúmque cœperint se excusare, & quidem adeo frivolè; ut potiùs indicarent, nolle ad convivium ire, quàm non posse; cúmque reversus servus singula, quæ contigerant, hero nuntiâsset suo, tunc iratus paterfamilias dixit servo, ut citò exiret in plateas, & vicos civitatis, & alios quósque accerseret. Verùm perpendendum hîc est, quo supplicio iratus paterfamilias mulctaverit eos, qui inurbanè neglexerunt paratæ à se cœnæ assidere? non censeamus, Evangelistam pœnam omisisse, quâ detrectantes venire ad cœnam severissimè punirentur, ipsa enim exclusio à cœna, cui invitati noluerunt assidere, acerbissima fuit pœna; quâ torquerentur. *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam:* *Luc. 14. v. 24.* neque putes levissimâ eos mulctatos pœnâ, tametsi ipsi excludi voluerint, suis satisfacturi desiderijs; quamvis ipsi paratæ mensæ noluerint assidere, desideraverint abesse, noluerint apposita gustare fercula; quia eo ipso quòd proprijs satisfecêre desiderijs pœnam incurrerunt acerbissimam, quâ æterna fuêre felicitate destituti, & gehennalibus addicti supplicijs: pulchrè, & subtiliter S. Gregorius expendens præfata verba ait: *Sed valdè est tremenda sententia, quæ protinus subinfertur: Intenso hanc ore percipite, ut tanto eam minus sentiatis in examine, quanto nunc auditis formidolosiùs in prædicatione: ait enim: dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit* *Homil. 36. in Evangel. Luc. 14.*

bit cœnam meam. Quid inter hæc fratres charissimi nisi relinquere omnia debemus, curas mundi postponere, solisque desiderijs æternis inhiare.

53. Acerbissimum sanè fuit supplicium, quo ab æterna fuerunt gloria exclusi, eò quia frustrata voluerint, quæ præconceperãt inconsultè desideria: magnifici convivij delicias, æterni epuli refectionem, honores cœlestis patriæ ultro recusârunt, qui paratæ assidere mensæ, ad quam fuerunt vocati, noluerunt. Proprijs satisfacturi desiderijs in æternos se dejecerunt cruciatus, ut hinc conijciamus, quàm cæca sint hominum desideria, quàm errantia mortalium vota, cum aurum fastidiant, luto adhærentes: æternum epulum gustare nolunt gehennalibus supplicijs torquendi? An non vel in ipsa proprij desiderij possessione habent, quo absconsum timeant supplicium? Et quamvis impius suis se munitum putet desiderijs, ut innuit Salomon proverb. 12. *desiderium impij munimentum est pessimorum:* nòn tamen in arce, se credant, vel propugnaculis cincta, vel accessu difficillima: tantùm enim abest, quòd suis muniatur impius desiderijs, ut potiòs rete, quo implicatiùs capiatur, ijsdem sibi texat, ut vertunt ex Hebræo plures legentes; *Impius desiderat rete deficiens malorum*, & verè quid aliud est impij desiderium, quàm rete, quo auceps tartareus impios capit, enecátque æterno comburendos igne? quod impio inconsultè desideranti videtur proficuum esse, id eidem subdolum est rete, quo ipse miserè præpeditus illaqueatur; quia ita imperitè desiderat, ut sibi suis desiderijs insidietur.

54. Adeò cæcutiunt, otio qui torpent, ut talpis persimiles honestatem non videant, quam desiderent; & tantùm quæ rebellans suggerit concupiscentia incautè appetunt: humanarum actionum gubernaculum desiderium est, quod pretium rebus imponit; tantò enim pluris res solet fieri, accenseri, quantò ardentiùs desideratur: horum etiam desideriorum fluctibus mens obvoluta procellæ objicitur discrimini; rapitur enim fluctuans per syrtes naufragiorũ fœcundas, charybdésque voraces, & nubibus terrenarum affectionum obruta vix honestatem virtutis à turpitudine secernens vitij, promptiùs huic adhærescit, ad quod per pravum trahitur desiderium. Israëlitæ Dei obliti præceptorum, ita siverunt pravis se suis desiderijs rapi; ut nonnisi humanis commodis, corporis blandimentis, concupiscentiæ illecebris, carnisque lenocinijs studuerint: inque hisce sibi parandis infatigabiliter laboraverint; torpebant ad divina præcepta exercenda detestabili ignaviâ, cùm ad humana sibi comparanda solerti arderent diligentiâ; in quos propterea justè indignatus dixit. *Usquequo marcetis ignaviâ, & non intratis ad possidendam terram: quam Dominus Deus Patrum vestrorum dedit vobis:* nimirum cum ageretur de observantia divinorum præceptorum torpore videbantur otij rigere, cùm hortarentur ad parendum Numinis jussui, quasi desidiæ vinculis irretiti, nec manus movere, nec pedes ad gressum solicitare voluerunt, cùm tamen humanis inhiantes commodis, carnísque illecebris sua impleturi desideria nil vacuum deseruêre, nullique non pepercêre labori, & ideo ita laborantes, otio miserè torpuerunt, quo detinebantur, ne terram sibi promissam ingrederentur, & ideo otium, cui indulserunt, non solùm proba, quibus tenebantur desideria possidendi terram sibi promissam corrupit, sed in cœnum etiam vitiorum pertraxit.

Josuè 8, 18.

Imò non solùm proba corrumpit otium desideria, verùm etiam tempus ipsum surripit, quod propterea Israëlitis defuit, cùm per varios itinerum circuitus, & ambages, quoties otio torpuerunt, tempus prodegerunt: neque dies, quibus otio indulgemus, in numero recensentur dierum, quia non meretur diei nomen, quem vitij caligo obscurat, & otium consummit. De Saule 1. Reg. cap. 13. duos tantùm regnâsse annos legimus: *duobus annis regnavit super Israël*, verùm si ex syderum, solisque cursu, si ex vita Saulis ejus metiri regimen volumus, viginti eum annis regnâsse deprehendimus: cur igitur dicitur, *duobus annis regnavit super Israël?* quia non ex cursu solis, non ex vita Saulis scriptura ejus voluit regnum metiri, sed ex sola duntaxat virtute, & merito, ac honesta operatione, virtutísque exercitio; quia otium, & vitium cæteros surripuerant annos. Hinc etiam capularis Balaam tametsi septuaginta annis major esset, rogatus tamen à Principe Josaphat quot annorum esset, respondit quinque supra quadraginta, eò quia hos duntaxat virtutum studijs impenderat, & cultui religionis, Numinisque servitio dederat, non alios, proinde solos eos computat annos, quos virtutis studia illustrârunt, non quos otium, & vitia perdiderant. Hinc etiam Jobus patientiæ illud decantatum miraculum, diem sibi natalem expunctum desideravit à numero cæterorum. *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine:* sed cur putas adeò acriter in diem illum sibi natalem invexisse? ex eo certè, quia è carcere materni uteri editus non libertate se donatum censuit, sed vinculo fortiùs illigatum iniquitatis, quasi diceret cum Psalmista: *Et in peccatis conceptus sum*, quia dies illa, quæ fuit ipsi natalis Psal. 7. *concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, proinde desideravit perire diem illum, cum non fuerit virtutis nitore illustris, sed peccati caligine obvolutus, & ideò petijt, ut obscurarent eum tenebræ, & umbra mortis, & ut occuparet eum caligo, & obvolveretur amaritudine; quia nimirum dies peccati, dies mali, dies dœmonis, dies quem otium perdit, quem propterea expunctum ex dierum cathalogo desideravit. 55.

1. Reg. cap. 13.

Job. 3.

Psalm. 50.

Verùm

56. Verùm quod otium, & vitia tempus perdunt, hoc sola virtus redimit; tempus perdit, qui otio, vitiisque indulget; quia dies suos mundo, carni, & Cacodæmoni, seu malis mercatoribus perperam vendit, quasi otiosi vita nullius sit meriti, nullius censenda pretij: sed tunc, qui peccatis indulgens suum malè voluptatibus tempus vendidit, illicò redimere satagit, si præterita damna resipiscens fervore resarciat charitatis, ut ait D. Gregorius, *est tunc tempus redimere, quo damna præterita lucris compensantur sequentibus* Hac compensatione tempus, quod perdiderat, redemit Jonas Propheta, is enim declinaturus onus concionandi ad Ninivitas fugit à facie Domini, navim conscendit, mare traijcit, sed fugientem sequitur à tergo Deus, qui procellam excitat, ventis habenas laxat, fluctus decumanis tumidiores commovet, irásque excitat Neptuni contra fugientem prophetam. Quid in hoc imminente naufragij periculo fiet? missâ sorte subortæ procellæ author deprehenditur Jonas, qui in mare deijcitur, ubi absorbetur à ceto, a quo postea evomitur in litore, & iterum jubetur ire Ninivem, quæ urbs erat distans itinere trium dierum *Jonæ. 3.* quod tamen spatium unius solius diei complevit itinere, quia nimirum ut notat D. Hieronymus in Jonam. *Ille præcepti, & superioris naufragij memor, viam trium dierum unius diei festinatione complevit:* hinc Jonas quod per inobedientiam tempus perdiderat, redemit per resipiscentiam, paratámque obedientiam.

57. Quotquot per peccata se à Deo avertunt, & cum Jona fugiunt ab ejus facie, si ejus fuerunt præcepta transgressi, si naufragium per lethalem noxam passi fuerunt; memores damni, quod passi fuerunt; studeant totis viribus, totóque nisu tantum virtutis, ac meriti uno die enancisci; ut quæ perdiderant malè agentes, redimant bene viventes. Hoc pacto sua redemit damna, tempúsque, quod vanitatibus, ac vitijs vendiderat, Magdalena.
Luc. 7. *Erat mulier in civitate peccatrix*, seu in ea civitate, de qua dixerat Isaias cap. 1. *quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion.* Erat mulier peccatrix in civitate, perfidiæ septa muris; superbiæ communita turribus; luxuriæ laxata foris; iniquitatum distincta plateis, doli depicta fucis; vitiorum armata præsidio; idolorum instructa templis; luxuriæ infamata lupanaribus, erat in civitate peccatrix, ex qua, ait Chrysologus. *Mulier* Serm. 93.
hæc gravissimum trahebat reatum ex tanta præcedentium colluvie peccatorum. Verùm damna hæc compensavit, tempúsque, quod vitijs vendiderat, cum fœnore redemit, *ut cognovit, quod accubuisset JESUS in domo Pharisæi*, recessit a Deo mulier mundi gaudijs, carnis illecebris, concupiscentiæ voluptatibus tempus, ut venderet; sed accessit ad Deum tumida luctu, madida lachrymis, clamosa planctu; abivit homini placitura, sed redivit Deo satisfactura; fuit in civitate peccatrix, sed adfuit in domo Pharisæi ploratrix, & veniæ piscatrix: charitatis, non voluptatis convivium paratora mensam ponit, quam pœnitentia componit; fercula compunctionis apponit, panem infert doloris, potum lachrymis miscet, organi planctibus dat clamorem, citharam per suspiria modulatur, gemitúsque in fistulam aptat, dum pectus manu tundit, dum cordis suspiria per labia emittit, & animi dolorem per lachrymarum imbres effundit. Venit illa ad JESUM, & quidem retrò, quia reus animus cum noverit per culpam se vultûs perdidisse fiduciam, post tergum stat ad veniam impetrandam. Oleum secum tulit, quia opobalsamum lethalibus suis curandis vulneribus à superno perquirebat Medico; cujus pedes lachrymis rigavit, ut labes, quas mentis cogitationibus contraxerat, abstergeret; capillis tersit, ut sua deleret delicta; osculata est pedes, quos lachrymis rigaverat, ut serenitati suam restitueret frontem per gratias largiùs sibi impertitos radios; idque fuit assecuta cum dixit Christus: *dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

DISSERTATIO XIII.

Fugæ natura, & indoles, ejúsque causæ excitantes, & coërcentes donantur explicatu.

§. I.

Ludicra spectacula ideò fugienda, quia plùs luctûs, quàm gaudij, plus damni, quàm voluptatis ab ijsdem haurimus.

1. Desiderio adversatur fuga, quæ ob cognatam affinitatem nomine timoris solet à plerisque appellari. Sunt enim ambo affectus de eodem objecto, eodémque modo tendunt in illud, & duntaxat hoc differunt discrimine, quia timor est de malo absente declinatu difficili: fuga verò licèt abstrahat ab hac arduitate évitandi, quod imminet malum; est nihilominus de malo itidem absente.

2. Quemadmodum eùm agitur de aliquo bono, quod prosequimur per appetitum suppositâ prævia ejus notitiâ oritur primùm amor simplex circa illud secundùm se simpliciter spectatum; tum desiderium, quo idem bonum, ut à nobis assequibile connotatâ distinctè ejus absentiâ appetitur; tum demum gaudium de bono illo à nobis possesso. Ita appetitus aversivus circa malum ei exhibitum ut læsivum, & noxium per prælucentem notitiam præviam elicit primò odium simplex; quo appetitus simpliciter aversatur malum illud. Deinde si malum fuerit absens excitatur in appetitu Fuga, quæ pro absentia varia, multiplex esse potest. Quòd si malum impendeat in futurum, ejúsque declinatio censeatur perdifficilis, tunc fuga illa ratione arduitatis fit timor. Sin autem malum futurum non censeatur declinatu difficile; actus quo appetitus illud aversatur, propriè est Fuga opposita desiderio, & pertinet ad appetitum concupiscibilem. Uterque actus corroboratur ab adjuncta volitione mediorum ad illud vitandum, & accedente proposito illud declinandi.

3. Quòd si malum absens jam præterierit, ejus fuga propriè vocatur detestatio, quæ aversatur anteacta mala non ampliùs existentia. Sin verò malum sit præsens, oritur tristitia, quæ est terminus totius progressûs aversionis circa malum.

4. Tametsi desiderium propriè sit de bono absente obtentu difficili, Fuga desiderio opposita juxta nonnullorum sententiam versatur circa malum quodvis absens, sive futurum, sive præteritum, adeò ut comparetur ad odium, perinde ac desiderium ad amorem; & sicuti amor laxè sumptus complectitur actum omnem prosecutivum; & pręsisè, ac strictim captus solum actum attingentem bonum absque ullo respectu ad præsentiam, vel absentiam: ita vice versa nonnunquam odium sumitur laxè pro quovis actu aversiunis; in quo sensu odium non est actus ullus specialis re ipsa distinctus à cæteris aversivis actibus. Plerumque sumitur odium, quatenus fertur in malum simpliciter, & à cæteris discriminatur aversionis actibus, in quo sensu Fuga differt realiter ab odio simplici, perinde ac desiderium à simplici amore. Non tamen est de ratione Fugæ includere tristitiam, seu dolorem, cum D. Thomas asserat, inesse Beatis summam peccatorum detestationem; tametsi q. 7 ad. 24. ar. 4 eos nullus tangat dolor, nulla torqueat tristitia: cum status ille Beatitatis immunis sit ab omni animi angore.

Causæ excitantes affectum Fugæ sunt 5. mala omnia, quæ damnum, incommodum, molestias possunt nobis afferre; est siquidem Fuga declinatio voluntatis ab eo, quod censetur malum esse. Tria autem sunt malorum genera, à quibus per fugam voluntas se avertit; quædam enim sunt mala, quæ interimunt, cujusmodi sunt fulmina, præcipitia, naufragia, incendia, eluviones, hostium incursiones, ferarum impetus. Alia quæ ingenti sunt nobis molestiæ, ut amissiones parentum, conjugum, liberorum, fratrum, amicorum, fortunarum, honorum, dignitatum; ignominia, carceres, exilium, infamia; amissiones itidem bonorum spiritualium. Alia quæ signa sunt rerum ejusmodi, & certius indicant periculum, ut sunt portenta, prodigia, & alia id genus, quæ præter communem rerum naturalium cursum obtingunt, ac gravissimos solent mor-

mortalibus terrores incutere. Hæc omnia mala, quantum possumus, fugimus.

6. Hinc si orator vellet excitare affectum fugæ à ludicris spectaculis, indísque theatralibus ostendendum est, plus luctûs à theatris hauriri, quàm gaudii; plúsque damni, quàm voluptatis; quia quæ incommodis risui eliciendo videntur idonea, larvata sunt; aliud exhibent, quàm sint, neque à personatis nonnisi personata potest voluptas prodire. Risus enim in theatris vi, & arte extorquetur, verus esse neqnit, quia sua sponte à natura non fluit: quidquid in theatris spectatur, oculorum est ludibrium, auriúmque deceptio; quidquid agitur factitium non est, sed fictitium: quinimò plerumq; à vera lætitia excidit, qui fucatum in theatris risû sensuum lenociniis aucupatur; quapropter monet Isidorus Pelusiota, theatra, & ludos curules tanquam communis orbis pestem esse fugienda: mentem inficit hæc pestis, si eam afficit. A verò gaudio avertere theatra, ex eo conjiciendum est, quia ad impura convertunt; à vera avocant lætitia, vocant ad fucatam, venenum in favo exsugentem; ut non immeritò Tertullianus theatrum dixerit, *Veneris Sacrarium, aram impudicitiæ* & eos Veneri sacros, qui illuc frequenter venerint. Avocant theatra à vero Dei cultu, quia revocant à Dei templo; plures frequentiores currunt ad vana in theatris spectacula, quàm ad sanctorum in templis celebritates, quod in Christianis exprobrabat S. Leo in festo SS. Petri, & Pauli, ubi ait. *Pudet dicere, sed necesse est non tacere, plus impenditur dæmoniis, quàm Apostolis; & majorem obtinent insana spectacula frequentiam, quàm beata martyria. Quis hanc urbem reformavit saluti? quis à captivitate eruit? quis à cæde defendit? ludus Circensium, an cura sanctorum?* Redarguuntur ij omnes, qui paratiores se exhibent ad mundana spectacula, quàm ad sacra frequentanda templa; qui promptiores currunt ad cathedram vanitatis, quàm ad sanctuarium pietatis, ad templum sanctitatis. Est theatrum Tertulliano privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, nisi quod à probitate reprobatur. Quòd si dixeris theatrum incontinentiæ Gymnasium, officinam impudicitiæ, orchestram impuritatis, fornacem ignis gehennalis, nec latum unguem à vero deflectes.

Lib. 5. Epist. 317.

Serm. in octav.

7. Imò Isidorus Pelusiota theatrum mare vocat multiplici periculum ventorum impetu, in quo sæviens procella voluptatum fluctus excitat decumanis deteriores ad naufragium impellentes; & frequentantes theatra eis æquiparat, qui pelagus trajiciunt, neque progredi valent, *nisi* (ut ipse loquitur) *in theatra, ubi voluptatum procella, & illicia densius ingruunt, si se ingesserint*, declinanda sunt theatra, ne in syrtes libycis periculosiores impingamus. Damna, quæ à spectaculis oriuntur, spectemus, ut ab ipsis nos eximamus. Seneca audiendus hîc est, qui licèt ab externa schola, ea tamen prodit mente, ut pudorem ijs injiciat, qui Christiano nomine gloriantur, ait ille loquens de spectaculis. *Quid me existimas dicere avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò verò crudelior, & inhumanior.* Produnt spectacula, quæ latebant vitia; & sylvas si plerumque ad oculorum oblectamenta exhibent, feras nutriunt; scitè Euthymius in *Psalm. 9.* loquens de ijs, qui ludicris delectantur spectaculis, ait: *Apud quos densa sunt affectuum, ac passionum sylva, in quorum latebris dæmones ferarum instar commorantur.* Sylvescunt eorum mentes vitiorum vepribus refertæ, qui spectacula adeunt; & vitiorum immansuetiores enutriunt feras. Falluntur, qui spectacula adeunt tristitiam exuturi: falluntur qui ludicris spectaculis se posse mœrorem pellere credunt. Suos spectatores fallunt spectacula sub larva voluptatis, flores exhibent vitiorum olentes Mephitim.

Lib. 5. Epist. 412.

Num aurum verum sit, ut probetur, solet lydio lapidi affricari; quales sint voluptates, quæ à ludicris hauriuntur spectaculis mors imminens Lydii instar lapidis prodit; quæ enim jucunda, quæ splendida, ac spectatu digna nobis videbantur, & læti spectabamus, prope lethum instante morte lurida nobis apparent, & lacrymis eliciendis tantùm idonea. Hæc & alia ijs similia posset orator producere ad excitandum affectum fugæ, quò à theatri spectaculis exulent, qui iisdem fuerunt hactenus delectati. 8.

Mira acrimonia, vique eloquentiæ nervosiore Salvianus ex impuritate, & luxuria, aliisque vitiis theatrorum, affectum excitat fugæ, avocátque ab iisdem spectatores, aic ipse *lib. 6.* Sicut exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur, scilicet ut etiam si non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat: ita etiam dæmones jam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, ut etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacunque capiatur. Equidem quia nunc longum est de omnibus dicere, amphiteatris scilicet, aleis lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæterisque portentis, quæ piget dicere, quia piget malum tale, vel nosse; de solis jocorum, ac theatrorum impuritatibus dico. Talia enim sunt, quæ illic fiunt, ut ea non solùm dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit. Alia quippe crimina singulas sibi fermè in nobis vendicant portiones; ut cogitationes sordidæ animum, ut impudici aspectus oculos, auditor improbi aures, ita ut cum ex his unum aliquid erraverit, reliqua possint carere peccatis. 9.

In theatris verò nihil eorum reatu vacat; quia & concupiscentiis animus, & auditu aures & aspectu oculi polluuntur. Quæ qui- 10.

qu idem omnia flagitiosa sunt, ut etiam explicare ea quisquam, atque eloqui salvo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum, ac verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? quæ quanti sint criminis, vel hinc intelligi potest, quod & relationem sui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referentis, & nominari, & argui possunt, ut homicidium, latrocinium, adulterium, sacrilegium, cæteraque in hunc modum; solæ theatrorum impuritates sunt, quæ honestè non possunt, vel accusari; ita nova in coarguenda harum turpitudinum probrositate res evenit arguenti, ut cum absque dubio honestus sit, qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui, & accusare non possit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non videntes, vel audientes: siquidem etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis. Et si intervenias latrocinio non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ unum admodum faciunt, & agentium, & aspicientium crimen. Nam dum spectantes hæc omnia comprobant, assensu agunt, ut verè in eos Apostolicum illud cadat: *Quia digni sunt morte non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

11. Itaque in illis imaginibus fornicationum omnis omnino plebs animo fornicatur. Et qui fortè ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, sed etiam quando veniunt, fornicantur. Nam hoc ipso, quòd aliquis rem obscœnam cupit, dum ad immunda properat, immundus est. Et cùm hæc ita sint, qui talia agimus, negligi nos à Divinitate causamur, relinqui nos à Domino nostro dicimus, cum ipsi dominum relinquamus. Fingamus quòd nos respicere Deus velit, etiam non merentes, videamus, si potest. Ecce innumera Christianorum millia in spectaculis quotidie rerum turpium commemorantur. Potest ergo Deus illos respicere, qui tales sunt? potest ad eos respicere, qui bacchantur in circis, qui mœchantur in theatris? An fortè hoc volumus, & hoc dignum putamus, ut cum in circis nos, & in theatris Deus videat ea quæ nos aspicimus, aspiciat quoque ipse nobiscū, & turpitudines, quas nos cernimus, cernat etiam ipse nobiscum? alterutrum enim fieri necesse est: quia si nos videre dignatur, consequens est; ut etiam illa ubi nos sumus videat: aut si ab illis, quod non dubium est, avertit oculos, etiam à nobis, qui illic sumus, pariter avertit. Hactenus Salvianus lib 6. stylo Demosthenico recensens mala, quæ theatra suis parturiunt spectatoribus, in quibus propterea excitat affectum fugæ, ne in ipsis nos fugiat Deus, Idque urget paucis interjectis subdens: *Irritamus in nos misericordem Deum impuritatibus nostris, propitiantem sordibus lædimus, blandientem injuriis verberamus: Christo ergo, ô amentia monstrosa! Christo Circenses offerimus, & Mimos; Christo ludicrorum turpissimorum hostias immolamus.*

Per excitationem affectus fugæ avocantur à peccato vitiis indulgentes. Posset enim orator per Apostrophen peccatorem alloqui. Quid moliris in cœno demersus impudicitiæ? quid cogitas, corruptas, putidásque cum suibus ebibens impuritatum aquas? quid agis vitiorum larvatis turbis lurida mancipatus compede? Itane vitiis blandè indulges; cum in vitia severissimos deberes aculeos distringere? Itane si qua muliercula comit se elegantiùs, si fucis genas illinit, si fluentes eblandienti Zephiro concedit comas, & lacinias, oculos, animúmque in eam convertis, flammas impuri amoris concepturus ex fucata nive in muliebri vulto larvatum ostentante candorem? Imminet extremum necis periculum; illi obvias? ruinam labentis in præceps animæ tibi minitatur contubernalis muliercula, illi adhæres? quæ dementia non fugere hostem districto gladio furentem; non exire domo, mox ruitura? Præsentientes ædificiorum excidia formicæ, & mures præcipiti festinatione foras exeunt, lares sibi tutiores quæsituri, tu flagitiorum obviabis casibus? ubi pericula imminent festinabis? fallacissimæ lenocinio voluptatis fines te seduci? non te larvata deterrent vitia? non te pudet in eorundem putido cœno sordescere? surge, rumpe moras, fuge si sapis, declina, quæ imminent pericula. 12.

§. II.

Sperata ex antlatis laboribus præmia fugam coërcent, & ad insistendum bene cœptis animum firmant.

Quemadmodum mala imminentia, incommoda, gravia damna tum animi, tum corporis fugam excitant; ita è converso eandem coercent sperata ex antlatis laboribus præmia; commoda, quæ inde emergunt; & præsertim æterna gloria, quæ in cœlesti patria Christi manet Athletas. Hac spe freti sancti Martyres fugam, quâ natura tormenta subire detrectabat, coërcuerunt; & hoc unum habuerunt in votis, proprio sanguine Ecclesiæ irrigare tenella germina, jam læto gemmarum partu turgentia. Hoc unum iisdem volupe, tormentorum procellâ, cruorisque effusi fluctibus obrui, ut citiùs per hasce undas portum appellerent immutabilis in cœlo tranquillitatis. Ob stupescit mens, rigent membra ad tot genera tormentorum, quæ Christi fideles hilari vultu, serena fronte, læto animo subiverunt, 13.

In-

Instruebantur ubique terrarum cruenta laniaria; accendebantur exitiales ignes; acuebantur funestissimi gladii; apparabantur sexcenta alia id genus barbara instrumenta invisis, ac inauditis suppliciorum generibus aptanda. Instabant Imperatores humani generis potiùs lanistæ, quàm Principes; urgebant tortores, ut acriùs sævirent in Christi Martyres, in tenellos parvulorum flosculos, quos persecutionis pruina decoxit, ac perdidir terræ, cœlo digniores; in sexus imbellis virgines, ac Matronas; in Ecclesiæ Sacerdotes authoritate graves, religione sanctos, ætate venerandos; quibus comites adjungebantur utriusque sexus gaudentes in supplicia chori; qui trahebantur ad Prætorum subsellia, & à subselliis ad amphitheatra, ab amphitheatris ad publicam lanienam; tantùm hoc crimine rei, quòd crimen idololatriæ execrantes verum Deum, rerum omnium conditorem, quâ par erat reverentiâ colerent, veróque prosequerentur amore. Sed Christi pugiles excusso quovis timore, coërcitáque fuga naturaliter insurgente ad objecta tormenta, saucia corpora, quibus vix superetat vulneri locus ultrò tortoribus exhibuerunt; & cum non haberent membrum integrum, quo ferrum reciperent; habuerunt, unde tortorum vincerent efferatam sævitiem; eui pectus objecerant inconcussa firmitate loricatum; animúmque adamantina fortitudine inflexilem; spe illecti æternæ gloriæ, flocci faciebant tormenta; & supplicia pro ludo habebantur; periude ac in hortos ridentibus, ac arridentibus vernantes floribus accensas læti Christi pugiles ingrediebantur fornaces; & ignitas prunas veluti purpureas amplectabantur rosas; favos cœlestis dulcedinis sugentes ex acerbitate pœnarum; cùm tormenta illis cederent in delicias; & ex fauciati corporis supplicio unà cum sanguine animi elicerent solatia; cum feræ ipsæ propriæ oblitæ feritatis co- ram sanctis Martyribus propriam exuerent naturam, & cicures, ac clementes iisdem eblandiri viderentur; cum liquatum plumbum quasi roscidus imber è cœlo deciduus casta virginum castra percurreret; cum tor. cularibus pressi, non vinum, sed cœleste nectar in sanguine ubertim funderent; cum inclusi scaphis, ac per varias tormentorum procellas excruciati alacriores ad vitæ æternæ portum properarent; cum melle deliburi, vespisque objecti cœlesti intus perfunderentur dulcedine. Cùm enim mugire adigerentur in æneis tauris valentissimo succensis igne, ad symphoniam beatarum mentium evocabantur; cum in ferreis cratibus torrerentur, fercula cœlo digniora efficiebantur; cum sparsos floribus, lucentibúsque unionibus, aliisque gemmis interdistinctos pro Christo spernerent thalamos, ad cœlestes evehebantur nuptias; si unà cum venis membratim concisum corpus sanguine purpurasceret, mens integrior charitatis ornata rosis ad Elisias evehebatur delicias. Vicerunt naturam detrectantem pati, fugam superârunt suppliciorum; & per calcatos ignes, cruentos gladios, imminentes secures, securiorem ad cœleste capitolium viam triumphis celebrem, victoriis laureatam sibi straverunt: siquidem dum viverent, antequam hinc à nobis excederent, vicerunt frementes Principes, funestos, & exitiales judices, barbaros lanistas; quia inter palmarum fructus denati properantem spiritum cum sanguine effuderunt in victoria.

14. Laborum, suppliciorúmque fuga coërceri commodè potest à conglobatis exemplis. Si vir Christianus detrectet Ecclesiæ servare jejunia; sibique adversantes fugiat molestias, recuset incommoda; ab exemplis potest hæc fuga coërceri; si proponatur industria mercatorum remotissima institmentium itinera ad ultimam usque Thulem; quique sola illecti temporalis lucri dulcedine tot amarulentas subennt maris trajectiones, naufragiorum pericula; ut enim occinuit Horatius *Lib. 1. Epist. 1.*

Impiger extremos currit Mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens per saxa per ignes.

15. Evangelicus negotiator cuncta dedit venum, quæ possidebat, paupertati nupsit, ac terrena deposuit gravamina, ut levior cœlestes adscenderet nundinas; & quomodo Christianus deses, supernorúmque appetens otio torpescet, laborésque declinabit? scitè Bernardus: *utinam fratres nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares homines pecuniæ temporalis, magna enim confusio, magna valde, quòd ardentiùs illi perniciosa desiderent, quàm nos utilia? citiùs illi ad mortem properent, quàm nos ad vitam.* *Serm. 1. de ads.* Milites sunt objiciendi, qui tenuis spe mercedis assuescunt diu, noctúque laboribus; in agendis vigiliis; præveniendis bellico stratagemate hostium consiliis; obsidione vallandis arcibus, suffossionibus, seu subterraneis cuniculis labefactandis propugnaculis incluso vase nitrato pulvere farto, quem sensim repens ignis accendit; in erigendis pluteis, terreisque munitionibus ex humo congestitia factis, in describendis sinuatis itineribus ad declinandos plumbeos hostium globos. Quales initâ pugnâ subeunt milites labores? quot adeunt pericula? videntur per turmas hinc inde concurrere, decurrere, latere, procurrere, resistere, cedere, repentè consurgere, in ordinem restitui, extendi, laxari, condensari, circuire, ex obliquo invadere, ferire eminus, cominus; locum servare, tueri, hostiles impetus retundere; imperata exequi; mutare acies; jam se in orbem colligere; cuneum describere; in columnam protendi, curvari in dimidiam lunam, colligi in aciem quadratam; hostes adoriri, vulnera infligere, ac recipere, san-

sanguinem fundere, vitam finire. *Quanto magis* ait Mediolanensis Præsul re, & nomine ambrosiam exhibens, *debet Christianus pro Christo subire labores, cujus etiam promissa sunt nobis beneficia, qui pro parvis magnifica, & pro temporalibus perpetua præmia cum gloria pollicetur?* Quos non subeunt artifices labores spe exigui lucri. Faber lignarius desudat in exasciandis, dolandis, edolandis, polliendis, terebrandis, dissecandis lignis. Parietarius in delutandis parietibus; suspendendis, vel suffigendis fornicibus, ponendis cratibus stramine lutatis, operéque tectorio inductis. Lapidarius in eruendis ligone lapidibus, effringendis vectibus, disrumpendis nitrato pulvere in latomiis ingentibus saxis, quæ latomus cœlô ad normam conquadrat, aptátque vectationi. Faber cæmentarius in construendis, lævigandis, exæquandis parietibus, trullissandis, incrustandis, obducendis. Faber ferrarius in tondendo candente ferro, flagellanda malleorum repercussu incude. Et alii alios subeunt non minores labores exigui causâ lucri; plenos hauriunt amaritudinis calices ex antlatis laboribus: & Christianus pro cœlesti acquirenda gloria detrectat summis labiis subamaras laborum potiones pitissando delibare? quis pudor? quæ verecundia?

16. Effectus fugæ sunt eripere se periculis, mortem præ tædio scelerum prævenire: omne sibi invisum, ac contrarium arbitrari: velle adversorum memoriam delere, odisse mala imminentia. Fugæ effectus aliquot exprimit Virgilius lib. 2. Æneidos.

Abnegat excisa vitam producere Troia
Exiliúmque pati. Vos ô quibus integer ævi
Sanguis ait, solidæque suo stant robore vires
Vos agite fugam.

§. III.

In naufragiis enavigat, qui in vitiorum pelago malaciam non fugit, sed trajicit; nec pericula cavet, quæ imminent, peccandi.

17. NUlla est fuga, quæ paratiorem ad victoriam sternat viam, quàm quæ de triumphato suscipitur vitio, quod non tantùm ut noxium fugere debemus, sed etiam ut fœdum horrere; si enim virtutem enixim desideramus assequi, quia plurimum ex eius studio contrahimus honestamenti; vitium omni nisu solertiori fugiendum erit, cùm ex ejus turpitudine plurimum in nos redundet dedecoris: est enim vitii turpitudo tanta; ut vel unicus dumtaxat ejus intuitus omnium posset intuentium certus esse interitus. Est siquidem vitium, quo non solùm à cultura virtutis extorres distrahimur; verùm & à summo Bono avertimur; estque omnium turpitudinum fex, omnium sordium sentina, omnium fœditatum complexio, omnium deformitatum colluvies, omnium abominationum fœda coacervatio, cum vel unius vitii avertentis à summo bono fœditas nauseam ingeneret cœlitibus omnibus, & sua purulenta sanie totam infecerit tellurem in Protoparentibus, statim in ipso mundi exordio. Est vitium, quo à Deo fine ultimo avertimur; mentis obcæcatio; cordis lues; rationis caligo; stygii Draconis venenosum sputum; tricerberi avernalis tabificum phlegma; stigiæ paludis innutritum aconitum; fœdissimi Erebi putidum excrementum; & demum est virtutum deploranda strages, meritorum lugenda clades, hominum miseranda tabes; imò & naturæ ipsius dehonestamentum, recti ordinis inversio, mortis stipendium, & malorum omnium ferale compendium.

18. Neque ullus inter hædos tam pravè olet; nulla inter sentinas tam malè fœtet; nulla inter cloacas tam fœdè exhalat. Hancque vitii turpitudinem pulchro veluti in emblemate expressit Jeremias cùm calamo pinxit Heroinam quandam oris venustate, frontisque celsitate nobilem, quæ tamen gemmarum collucentium splendore, & murice spoliata instar scarabei gaudet in luto volutari, in cœno immergi, in stercore fœdari *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.* Tren. 4. Ubi Græci Interpretes legunt, *qui nutriebantur in cocco*, nimirum regali induti purpurâ, nuptiali ornati veste; Imperatoria veluti abjectâ trabeâ totos se in sterquilinium abjiciunt, ut volutentur in luto. Testem voco vel ipsum Angelorum Antesignanum Luciferum, qui ut erat Cherubinorum primus, ac Seraphinorum Princeps, Angelorum signifer, ac ignifer, seu Sapientiæ jubare conspicuus, amoris flammâ fervidus, virtutum splendore illustris; adeo ut nihil ei deesset elegantiæ, & ornatûs, ad uberius decoris incrementum, *Omnis lapis* Ezech. 28. *pretiosus erat ejus operimentum.*

19. Verùm cùm esset Lucifer plenus luce, creaturarum elegantissimus, pulchritudinis prodigium vix cœpit vitio adhærescere ambitionis, & superbiæ, & illicò ex micanti sydere visus est in avernalem titionem, fœdissimum emittentem fumum converti. Sentiunt plures, qui tamen non detumescunt, Luciferum insolente mentis elatione æqualitatem exambüisse Numinis, neque propriâ contentum arrogantiâ in pestiferam suam societatem, quamplures ex cæteris Angelis etiam pertraxisse; adeò ut scissæ in factiones spirituum turmæ, prælia cœperint instituere; Melior tamen defœcatior, ac sincerior pars peracriter contra Luciferianos insurrexit, cujus primus atrocis belli dux Michaël fuit è Seraphinis unus, qui desertores attonans dixit; *Quis sicut Deus.* (Id

enim

enim nomen significat Michaëlis) & is unà cum Angelorum socialium fidis ordinibus in perduelles Lociferianos omni acriori nisu pugnavit non jacolis, nec hastis, nec districtis gladiis, sed innutritis mutuis odiis: tenuitque prælium prout Numini visum fuit, à quo obstinati in pravo, detrusi fuerunt in tartara æternis plectendi cladibus; & emerita virtus condignis fuit præmiis donata: igitur Numinis decreto fulguris instar præceps è summo cœlo in imum tartari ruit Lucifer, fitque omnium infelicium infelicissimus, qui antea Numinis ambire æqualitatem instigante vitio ambitionis ausus fuit: Lucifer ergo licèt mirificæ claritatis prodigium, pulchritudinis rarum miraculum, excellentiæ prima inter creaturas oota, vix cogitatione superbiæ hausit vitium, ambitionis ebibit fumum, ut obcæcatus, imminens non videns præcipitium, voluntate commisit flagitium, cùm primùm horrificam vitii speciem mente induit: & tameo hanc ex omnium sordium colluvione concretam belluam, vel potiùs tartaream furiam omnes exosculantur quotquot vitiis adhærent.

20. Quàm excors hominis vecordia! cùm ultrò se vitii contaminet fœditate; ut homo larvam induat avernalis cerberi, bonis se omnibus exspoliat, venustatem abigit habitûs sanctificantis, & ut vitio indulgeat, ex Angelo lucis uno fit momento horribile monstrum, stercorata larva, horridum ludibrium, carcinoma dæmonum, mundi catharma, & totius universitatis lividum terriculamentum: vitiorum siquidem infecta sordibus, lethalibúsque sauciata vulneribus anima, scelerum inquinata cœno, exosa fit cœlo, odibilis mundo, & tantùm chara gehennæ: non enim cœlestis sponsus ad suos potest amplexus admittere animam tot sordibus vitiorum fœdatam, nec eam potest osculari, è cujus ore intolerabilis exhalat fœtor, & divortium accersit in thoro.

21. Si igitur quod turpe est, ac noxium, horrorémque sui ingenerat id animum à se avertit, ne inde quidquam hauriat detrimenti, vel maximè declinandum est vitium quodvis, cùm ooonisi necem moliatur animæ, si hæc eidem indulserit. Larvam induit vitium fallacis oblectamenti, quo allicit quotquot concupiscentiis, carnísque deliciis indulgent, eos miserè deceptrarum: sunt homines ad concupiscentiæ illecebras proni; & cùm ob primævam ac originalem contractam labem, oaturæque corruptionem sint infirmi, viribus destituti, & in lubrico positi, urgeantúrque intùs stimulante concupiscentia ad carnis indulgendum illecebris, utique proclives sunt ad delinquendum, si fomitem concupiscentiæ intùs senserint æstuare: est hujusmodi fomes ipse appetitus vitiatus, judicium obliquum, recurvúmque, in pravo pertinax, ex insolita malitia; quæ tametsi à libertatis suo jure non dejiciat voluntatem, nec arbitrium cogat, adigátque ad prava; eò tamen promptiùs liberum ab eodem obsequium & consensum extorquet, quò impensiùs bonum eidem suggerit delectabile ex carnis hauriendum illecebris: cúmque sinat homo se allici à fucatis deliciis, quas depravatum judicium voluntati exhibet ad illecebras concupiscentiæ, ad carnis blandimenta, & delicias; fit, quòd tametsi sit homo sui juris, fruatúrque libertate, ab omni servitutis compede sit plenè solutus; adhuc liberè suis adhærescat concupiscentiis, & miserè inserviat vitio, à quo ad extremum trahitur malorum.

Hinc cavendum vel maximè, ne sinamus nos abripi à concupiscentiis, quæ nos intùs urgent; fallitur enim, qui commodum censet, posse ex iisdem haurire, & veram in iisdem frui quiete: siquidem nullibi est quies, nisi ubi recta ratio immodicas coërcet concupiscentias, motúsque omnes compescit, qui à summo Bono, finéque ultimo avertunt: tunc gaudet homo vera animi quiete, quando ratio singulos in eodem regit, ac dirigit, componitque motus, tametsi plerumque contingat, ut quod diu recta ratio compescuit, occasio præceps illicò dissiciat; neque adeò firma est in homine virtus, quæ urgente occasione, imminente periculo, alliciente oblectamento, suadente pravo exemplo, non diffluat, cadátque à suo decore: fremunt enim intùs affectus etiam in homine virtutum addicto culturæ; si vel leviter excitentur ab extrinsecis illiciis rebellantis concupiscentiæ: etiam feræ feveriores pacatæ quiescunt, si somno sopitæ jaceant, quæ tamen si excitentur, statim efferantur, cùm sit ferinas iisdem, vel à natura indita, quàm nonnisi cum vita exuunt; cavendum igitur, ne nostrarum feræ concupiscentiarum intùs excitentur in nobis, propriæ enim haud oblitæ feritatis internecionem moliuntur, ubi oblectamenta exhibent; quibus ad lauitiem innutriantur. 22.

Ne quæ in nostro inferiori appetitu stabulantur concupiscentiarum feræ in nostram excitentur perniciem declinandum est quidquid extrinsecùs, vel leviter potis est eas excitare intùs, fugiendæ omni studio, totóque nisu, quæ nobis obviant occasiones, quibus invitamur ad oblectamenta illecebrarum; tunc damna declinamus, quæ nobis nostræ inferunt concupiscentiæ, si ab occasionibus, periculisque omnibus intùs, forisque imminentibus nos subducamus. Neque inertem putemus hanc fugam; pugna enim est fortiorum fortissima, quæ de triumphato vitio felicem nobis semper auspicatur victoriam: fugiamus concitato passu, firmóque animo ea omnia, quæ ad indulgendum vitio nobis videntur viam sternere: hæc vitii pericula si fugiamus, 23.

mus, gloriam enancifcimur triumphi: vitium enim fugisse, vicisse est; pericula imminentia declinâsse, perinde est ac assurrexisse ad triumphi gloriam; neque ulla quantumvis levis occasio debet nobis contemptui esse, quia plerumque exiguum periculum ita excrevit, ac vitio favit, ut pugnatricem virtutem exarmaverit, imò & fœdè prostraverit: nemo sibi in periculis fidat, neque se tutum existimet, tametsi pectus objiciat vitio eximiâ loricatum virtute; nemo occasiones labendi contemnat, tametsi fulcris innixus virtutum, quas excoluit, diu steterit: est siquidem natura nostra ad vitium proclivior, & ad lapsum pronior, quàm ad standum firmior; fortiùs enim trahunt, quæ in nobis excitantur concupiscentiæ ad prava, ac illecebrosa, quàm alliciant studia virtutum, ad earundem honestamenta; concupiscentiis qui ducitur præceps ruit in prava, & semel inchoato motu tardè admititur, ut præcipitium declinet.

24. Id datur excellentioribus in arte medica peritis laudi; si corporis morbos solerter investigent, causa nitantur indagare, notare symtomata, pericula præcavere, priusquam decumbant, & ea maturè propulsare: quæ omnia animi morbis, periculisque congruunt; non expectandum est periculum, sed præcavendum, priusquam immineat. Scimus montem oliveti, quamvis innutritis in ejus gremio oleis pacem sponderet; bellum tamen indixisse, imò & exorsum fuisse, quia conterminus Servatoris passioni fuit. In horto Gethsemani prolixiùs orabat mundi Redemptor æternum Patrem, cúmque ejus immineret passio, nubes timoris, ac tristitiæ divinæ frontis serenitatem, animíque malaciam turbaverant; & si non pluvias lachrymarum hæc animi procella effuderit ab oculis, imbres tamen sanguineos ex toto perrupto corpore elicuit; nimirum è nostrorum peccatorum cœno, tormentorum tempestate excitatæ nubes nonnisi in hos imbres solvi poterant, licèt hoe imbre spontè deciduo irrigata tellus pro sentibus, ac dumis rosas cœperit nobis, & lilia germinare. Cùm Patri in periculo illo imminente enixim supplicaret toto corpore sanguine rubuit, an non decuit divinæ charitatis, ac perfectissimi amoris Regem hac purpurâ vestiri? quam amor occulto ingeniosæ charitatis machinamento texuerat.

25. Verùm cùm præsentiret jam ingruere Pharisæorum armatam cohortem, licèt attentiùs oraret Patrem, ac vigilaret in oratione, obliti tamen ejus Discipuli imminentis periculi non solùm oscitant, sed profundiori etiam somno sopiti altè dormiunt; sed Christus invigilans ad imminens Discipulorum periculum interrupta oratione, quam ad Deum Patrem fundebat, Discipulos accessit dormientes, quibus experge factis injunxit vigilantiam, & oratio-nem ad omne præcavendum periculum? *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*, sed cur voluit Christus suos Discipulos orare simul, & vigilare? si orant certè etiam vigilant, cùm nonnisi vigilantes orare possint; si igitur oratio vigilantiam præsupponit, cui innititur, an non satis fuisset, si ad solam suos Magister Discipulos adhortatus fuisset orationem, ad tentationes, & pericula præcavenda? An voluit ipsos priùs vigiles, & postea orantes, ut invigilarent, ne periculum immineret? sed si oratio, & vigilantia potuerunt imminens antevertere periculum, quare non etiam periculum avertere in ipso periculo? siquidem vigilantia comes orationis etiam in ipso periculo cavere potest, ne quis periclitetur; nil enim valentius ad declinandum etiam quod imminet periculum, quàm vigilans oratio. Cur igitur vigilantiam priùs, & postea orationem suis Magister Christus discipulis suadet? nimirum suasit priùs vigilantiam, ne periculum expectarent, sed illud priusquam immineret, essent declinaturi beneficio orationis, quia plerumque sera est vigilantia, & tarda oratio ad pericula, quæ jam imminent fugienda, ideóque ut scitè notat Origenes in præfata verba: *Primùm suasit ut vigilarent, & postea ut sic vigilantes orarent.* Matth. 26.

Matth. 26.

26. Non est sera oratio, neque unquam tarda vigilantia ad hoc, ut possimus pericula declinare, sed tantùm ut ea cùm jam imminent revera fugiamus, quia tametsi possimus semper periculum, quod jam imminet declinare illud tamen non fugimus, quia liberè sinimus ad ipsum nos trahi ab ipsis concupiscentiarum illecebris, ac carnis oblectamentis, quæ ad tale nos periculum perduxerunt, & ideo, quia perire volumus in periculo, jam tarda est vigilantia, & sera oratio; quia certè cadet, qui potest non cadere: hortatus igitur fuit Christus priùs ad vigilantiam suos Discipulos, ut præcaverent, nec expectarent periculum imminens; postea ad orationem; ut inde nos doceret, somnolentam esse vigilantiam, & tardam orationem, quæ occasiones, & pericula, non prævenit: nemo diu tutus est periculo proximus; & ut scitè Cyprianus: *Perversa est ea confidentia, quæ vitam concredit periculis: & lubrica ea spes, quæ inter fomenta peccati salvare se posse confidit.* Flammis circumdari, & non comburi, nonnisi miraculo datur. Verendum est dormienti in præalto scopulo, ne cadat: etiam in castris quamdiu hostilia arma miscentur, & utrinque pugnatur anceps hæret alea, & incerta est victoria. De singul. Cleric.

27. Hinc hæc solicitudo præcavendi pericula antequam immineant viros cordatos semper ursit: tot enim pericula undique nos circumstant, ut quo tuto nos vertamus, vix invenire possimus, est enim, mundus plenus laqueis,

laqueis, refertus periculis, nec aliter eum vidit D. Antonius in sua eremo, cùm Deus ei aërem repræsentavit, quà latissimè patet laqueis obductum, idque cùm vidisset, se à lachrymis temperare non valuit, & mente perturbatus exclamavit: *Quis tandem evadet?* & revera plena sunt omnia periculis, undique auceps tartareus insidias tendit, retia extendit, laqueos apparat, quia ut scitè S. Leo; *Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amara sunt obloquentium linguæ; nec semper veracia ora laudantium:* & Serm. 11. explicans hæc tartarei aucupis retia subdit: *Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine; insidiæ in paupertatis angustijs; illa elevant ad superbiam; ista incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat & infirmitas, dum illa materia est negligentiæ; hæc causa tristitiæ.*

Serm. 50

§ IV.

Cum pericula in castris præsertim Veneris, ac impudici Amoris imminent; nonnisi beneficio fugæ de prostrata libidine epinicion canitur.

28. NOn est viri cordati expectare, ut in paratas sibi insidias incidat, in apertum sibi præcipitium cadat; sed pericula omnia quantumvis remota, & occasiones omnes licet leves præcavere, & fugere: periculum antequam immineat, qui non declinat in delictum inclinat; omne enim periculum semper instigat ad culpam, tametsi studio quis occupetur virtutum, quia ut rectè notat Chrysologus: *Virtutes deficiunt, dum coluntur, & crimina, dum succiduntur, increscunt:* Josephus Jacobi filius gratiam Regis Pharaonis sibi conciliaverat, eò quia fuerat interpretatus somnia, quæ non parum Regi incusserant timoris. Videbatur sibi Rex per quietem stare juxta fluxum Nili, ex quo videbantur sibi septem emergere pingues boves pascentes in locis herbidis, ac humentibus, remotiùs tamen à fluminis alveo. Totidem etiam vidit vacas è sinu fluvii ascendentes, sed macie confectas, prorsúsque strigosas, quæque in ipsa Nili ripa nonnisi tenue, ac aresceus abraderent dente famelico pabulum; imò tam acri fame stimulabantur, ut dormienti Regi visæ fuerint boves illos septem pingues, & corpulentos devorare: quo alludebatur ad septennem fertilitatem, & sterilitatem Ægypti: siquidem in tenui incremento Nili sterilescebat Ægyptus, idque significabant jumenta arescentes ripas depascentia: & per septem pinguiores totidem fertilitatis, & copiæ indicabantur anni ex Josephi interpretatione; vocatus enim à Pharaone expeditè respondit per spectra illa in somno visa indicari magnam tam copiam, quàm inopiam pecoris, ac frumenti, & septem annos ubertatis exceptum iri, ac totidem macrescentis sterilitatis; suasitque Regi, ut virum Sapientiâ, & industriâ præditum summa cum potestate rei præficeret frumentariæ, frugúmque in annonæ vili pretio coëmptarum maximum cumulum in Regiis tam horreis, quàm apothecis conderet in subsidium ingruentis famis. Placuit consilium Regi, qui Josephum etiam præfectum instituit totius rei frumentariæ, Regiis decoravit insignibus, purpurâ vestivit, annulo signatorio munivit, torque ornavit, & totius Ægypti Proregem proclamavit.

Serm. 116.

Verùm ut proximiùs ad rem nostram accedamus, non fuit Josephus in aula Pharaonis immunis à periculis, quæ præcaveret, erat in adolescente admiranda tum formosæ speciei, tum mirandæ pudicitiæ mixtura, agebat annum vigesimum ætatis septimum, seu florem vernantis juventæ exhibebat vegetiorem, & quidem virtutum omnium odore suavissimè olentem; ejus capta mulier amore cæpit æstu impuro purum, castúmque deperire juvenem; in quem ætas florida, sanguinis fervor, aspectus heræ frequens, & ad illecebras compositus, intuitus quotidianus lascivientis fœminæ laqueos certè injecerunt, quibus Josephi pudicitia periclitaretur, præsertim cum procax mulier verba misceret ad turpia allicientia, lacrymas etiam funderet, & munera exhiberet lautissimis aucta promissis, & hujusmodi insidias per integrum tetenderit decennium castissimi pectoris expugnatura pudicitiam, cujus victoriæ exemplum ante non habuit, ut meritò Chrysostomus magis miretur Josephum in hoc igne illæsum, quam tres pueros in fornace Babylonica minimè combustos: sed quo Ariadneo filo se ab hoc Joseph insidiarum subtraxit labyrinto? evasitque Ægyptiæ fœminæ pulchritudinis illicia, venustatis fucos, eloquii blandimenta? quâ sagaci industria fefellit mulieris artes, quibus Ægyptia fœmina satagebat castissimum juvenem secum in unam eandémque intemperantiæ servitutem pertrahere? plures fuisse mulieris artes innuit S. Basilius Seleuciensis inquiens: *Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, vestes, oculorum pellaciam, lecythos, unguentarias se naribus insinuantes, animæ per aures obsidionem, naturales corporis infractiones:* hos tamen assultus queis præcox Ægyptia expugnare adnixa est Juvenis castitatem elusit Joseph beneficio fugæ, quâ de prostrata libidine gloriosiores retulit triumphos: pergit Basilius Seleuciensis: *Ægyptia manus in eum injecit armatas libidine: sed castitatis cultor juvenis tenacibus manibus permittens vestem, libidinis effugit ansas.* 29.

Orat. 8.

Josephus unicè studio addictus castitatis, nec pallium admittere ampliùs voluit, quod lascivientes procacis mulieris manus tetigerant; ne per contactum vestis, pestis venereæ virus irreperet intus in animum; maluítque vestem amittere; quàm impudicum in veste tactum admittere; & ne virtutem 30.

tem exueret castitatis, pallium quo tegeretur abjecit. Cùm enim ex fœminæ attactu pallium minas spiraret libidinis, illud deseruit, ne à pudicitia desereretur ipse; & ocyssimè fugiens vestem contagio attactûs fœminei infectam reliquit; timuit Josephus, ne impudicè attacta vestis suâ laciniâ veneno conscientiam inficeret: non enim procacem dumtaxat fœminam fugit, sed & pallium mulieris lascivientis attactu contaminatum; maluitque vestem spirantem exosam libidinem deserere, quàm pudicitiæ non olere suavolentiâ, & nudari pallio, quàm pudore: *Relicto in manu ejus pallio fugit.* (Genes. 39.) Flos enim castitas est gratissimum cœlo, & terræ emittens odorem, qui vel ipsum cœlestem allicit sponsum, hic enim nonnisi inter lilia depascitur: at si venereus concupiscentiæ æstus urere incipiat, statim arescit; ideóque hujus floris eximius cultor Josephus, hunc æstum, quia timuit, statim fugæ se dedit, *relicto in manu ejus pallio fugit.*

31. Insidum, ac naufragiis fœtum est impudicitiæ mare: latent enim in ejus sinu scopuli, ingentia imminent ejus undas trajicientibus discrimina, fluctibus decumanis sævit, ac tempestatibus jugiter cietur, & nusquam quies, nullibi securitas, cùm vel ipsa impudicitiæ malacia ad naufragium impellat, & succensæ libidinis faces noctem inducant, cæcutientibus obrutam tenebris; ideóque non caret periculis, hac in nocte hujus vitæ navigatio; nisi pharus aliqua, lúxque splendens appareat, ad quam Nautæ hisce jactati fluctibus navium proras dirigentes scopulos declinent, in quos non impingant, & naufragia devirent, quibus non absorbeantur; & omnes fugientes insidias, ac pericula, occasionésque submersionis ad optatum portum appellant, ut scripsit S. Gregorius Nazianzenus ad Eudoxium Rhetorem, cui describens hujus fluctuantis vitæ discrimina ait: *Diffluxêre bona; mala, & periculosa est navigatio in nocte, facula non præluecente:* qui hujus vitæ aquas trajiciunt, alta tenebrarum nocte circumsessi ad naufragium currunt, nisi pharus aliqua eis splendeat, cujus luce discrimina videant, quæ caveant. Quærenda propterea hæc pharus est, quam prospectantes à periculis in scopulos impingendi se subducant; est autem hæc pharus ipsa castitas, quam Josephus excoluit, & cui adhærescens, procacis fœminæ insidias victrici fugâ evasit: scitè (De Virginit.) S. Archtellus: *Laudanda virginitatis sublimitas quasi precelsa pharus in edito rupis promontorio splendescat.* Qui insidum fluctuantis concupiscentiæ mare trajiciunt infelix facilè naufragium subeunt, si navis suæ cursum ad hanc non dirigant pharum.

32. Noëmus ea præcipuè de causa fertur in aquis non periisse diluvii, quia hanc respexerit castitatis pharum, cujus beneficio, & ductu in Arcam ingreditur ipse cum filiis ab uxoribus sejunctus, nimirum ait S. Joannes Damascenus; *Ut cum castitate pelagus, & illud totius mundi naufragium evitaret:* placuit Numini Noëmi castitas, & propterea, à communi fuit submersione exemptus: castitatis enim amator diu conjugium distulit, seriúsque ad opus accessit nuptiale, quàm ullus unquam mortalium id præstiterit anno scilicet ætatis quingentesimo: *Noë verò cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cam, & Japhet:* (Genes. cap. 5.) quæ verba expendens Oleaster ait: *Commendat valdè castitatem, & continentiam Noach, qui quingentis annis cœlibem vitam duxit, & ideo fortè tam gratus esse Deo meruit, ut in toto terrarum orbe solus in oculis Dei justus videretur, de nullo enim alio legimus, generationem tamdiu distulisse; quo exemplo discimus, Deo semper continentiam placuisse.* Non nuptias tantùm ad quingentos distulit annos, sed cultor castitatis à quovis jugiter se periculo avertit eam labefactandi; occasiones singulas solertissimè declinavit, fœminásque ad libidinem allicientes perinde, ac basiliscum solo intuitu enecantem aufugit: ideóque placuit Deo, & in communi mundi naufragio submersus non fuit, nec aquis sepultus; quia luxuriæ, & incontinentiæ fluentis obrutus nunquam fuerat, sed ad castitatis pharum fluctuantis vitæ cursum direxerat, & ab occasionibus singulis semper deflexit; fœminarum illicia semper respuit, fugitque.

Fugienda est procax mulier, & ad castitatis pharum flectenda est corporis ratis, ut secura ad portum appellat honestatis. 33. Fugiamus hanc virtutis scyllam, pudicitiæ charybdin, castitatis scopulum, blandientem sirenulam, infamem scopulum, Circeum stabulum, pestem interficientem, labem repentem: nil enim procaci muliere deterius: *Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa* (Eccles. 7.) est enim mulier, quæ viris naufragia aperit; imò & lerna malorum omnium, & si quid dirius orcus habet; blanditur & oscula figit, ut vulnera infligat; malaciam spondet, & naufragia apparat: & ideo Ecclesiastes ait, se invenisse, vel ipsâ morte amariorem mulierem, quæ licèt inermis, sexúque imbecillis, de viris tamen etiam summis crebros retulit triumphos: & qui omnium tormentorum genera siccis oculis, serena fronte, animóque hilari sustinuêre, & ipsam mortem ante oculos constitutam ludibundi aspexerunt, fortésque ac imperterriti steterunt in bello; fœdè ceciderunt, cùm primùm mulieris illicio capti, ejus laqueos non declinârunt. *Quot Episcopi, & Clerici* (ait Cyprianus de singul. Cleric. vel potiùs Origenes) *post confessionem, & victoriarum calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia ostensa, nescuntur cum his omnibus naufragâsse, dum volunt in navi fragili navigare.*

§. V.

§. V.

Qui fortiter steterunt imperterriti in castris contra hostiles exercitus, fœdè ceciderunt in ginecæu fœminarum; quia beneficio fugæ neglexerunt earundem illicia, & aspectus declinare.

34. MUlier tametsi sexu fragilis, viribus infirma, animo imbecillis solo tantùm illicio, ac illecebrâ plures vicit, prostravitque viros inter fortiores fortissimos, eò quia hujus sirenulæ fallentis non effugerunt blandientes voces; testes vocari possunt Samson, David, Salomon, & sexcenti alij, qui tametsi virtute loricati, fortiter contra hostium turmas steterint, quia tamen blandimenta non effugerunt allicientis mulieris prostrati cesserunt blanditijs, & fœdè imbecilles ceciderunt in ginæceo, qui fortes steterunt in castris. Samson intrepidus leoni obviavit, fortésque manus injecit in ejus collum, & qui suffocare in campo leonem ferocientem potuit; amorem impudicum extinguere non valuit in sinu fœminæ; vincula potuit suorum disrumpere hostium, sed suarum nexus cupiditatum discindere non valuit; messes sparsis flammis incendit alienas, sed unius mulieris accensum ignem extinguere nescivit, quia beneficio fugæ periculum lapsûs noluit declinare. Davidi contemptui fuit ingens moles carnea Gigantis Philisthæi, cum quo in singulare descendens certamen insignem detulit solo lapidis jactu triumphum, & tamen Davidem victorem unica inermis mulier, non armis tantùm, sed omni etiam veste spoliata, eminùs conspecta licèt invictum, & propemodum inconcussa animi firmitate loricatum, enervavit, profligavítque.

35. An non & Salomon omni scientiarum ornatus encyclopedia, tunc desipere incepit, cùm primùm mulierem neglexit blandimenta fugere? tunc expertus eam fuit quovis malo pejorem. *Et inveni amariorem mor-* Eccles. cap. 7.
te mulierem, quam suis etiam depingens coloribus subdit: *Quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius:* venationem enim in viros exercet mulier, & ideo plena est laqueis, & vincula sunt manus ejus: aucupium exercet, ideóque sagena, ac rete est cor ejus: tunc autem venationem exercet, dum curiosè spectat, dum lascivientes intuitus in viros jacit: imó & fera est mulier, quæ non prædæ tantùm patet, sed alios etiam venatu decipit, ut capiat.
Proverb. 23. v. 28. *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet*; loquitur Salomon de procaci, & lasciviente; cujus oculi instrumenta sunt venatica hominibus capiendis perapta, & intuitus retia, quibus minus cauti irretiti capiuntur: unde textus Chaldæus vertit: *sicut fera rapiens oculis insidiatur, & venatur filios insipientes*: venatur mulier procax filios insipientes, qui incautè sinunt se allici, ac illius irretiri blandimentis; quia qui sapiunt, ejus intuitus basilisco perniciosiores, declinant, & ipsam perinde, ac draconem venenum spirantem fugiunt: est enim mulier hominis pernicies, & naufragium.

Hinc si quæras, quid sit mulier, re- 36.
spondet Ambrosius. *Esse januam diaboli,* Lib officior.
viam iniquitatis, scorpionis percussionem, nocivum genus, quod cùm proximat, stimulat; cùm ignem accendit, exurit fundamenta montium. Si petas à D. Chrysosto- Homil. 19.
mo, quid sit mulier, respondet esse natu- super Math.
ralem tentationem, domesticum periculum, delectabile detrimentum, naturam mali boni colore depictam. Si interroges D. Maximum, quid sit mulier? Respondet *sermone 39.* esse viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ captivitatem, quotidianum damnum, voluntariam pugnam, sumptuosum bellum, exornatam scyllam, allicientem sirenulam, animal malitiosum. Si petas à D. Anastasio Niceno, quid sit mulier? re-
spondet. Nil alud esse, quàm serpentis Quæst. 63.
quietem, diaboli solatium, officinam dœ- in script.
monum, viperam vestitam. Nil igitur muliere procace, ac lasciviente pejus, nil decipiendis, capiendísque viris aptius, quapropter scitè Ecclesiastes *cap. 7.* vocavit eam laqueum venatorum. Sin verò quæras, quinam sint hi venatores, quorum mulier est laqueus. Non alios esse dixeris, quàm cacodœmones meretricio quæstu compendium
facientes: & huc respiciens Chrysostomus Homil 2. in
vocat impudicam mulierem cellam meretri- Matth.
ciam, diaboli officinam, in qua tartareus proxeneta infamem hanc mercem venum publicè exponit. Et in *in epistola 1. ad Corinthios 6.* vocat cacodœmones mulieris meretricis lenones: quia sicut in id incumbunt studij lenones, ut meretricibus amatores concilient; perinde cacodœmones officio lenonis fungentes meretricibus amatores procurant, & ad scorta libidinosis perducunt suggestionibus; & quemadmodum lenones, cum meretricibus infamem illam partiuntur quæstum; ita tartareus prædo, quamvis fortunas amatorum esse mercedem scorti permittat, sibi tamen animarum spolia reservat.

Tametsi varijs allegorijs mulierem pro- 37.
cacem soleant SS. Patres describere, præ cæteris tamen magis arridet, quæ Ecclesiastæ placuit, nempe venatio, quam adeo fœminis accommodatam censuit Ecclesiastes, ut singula etiam ejus membra gehennalis prædonis, ac venatoris dixerit instrumenta esse hominibus capiendis, ac perdendis accommodata. Hinc Ægyptia mulier non nisi venatione usus fuit, ut Josephum eximium castitatis cultorem alliceret, ac caperet, tametsi cassus fuerit omnis ejus labor, fraus irrita, illicium frustratum: dicitur enim de ipsa.
Injecit Domina sua oculos suos in Joseph, non Genes. 39.

se in hoc conjecisset discrimen, nisi oculos in pudicitiæ studiosum injecisset; scitè Oleaster expendens prætacta verba ait: *Audis quid valeat honestas in fœmina: nam quamdiu hæc oculos habuit dimissos, non peccavit; nunc verò scandalum passa est: & simul adverte, quantum prosit ad honestatem oculos dejicere:* nimirum in scelus se mulier dejecit, quia injectos oculos in juvenem quà corporis elegantiâ, quà virtutum ornatu excellentem fixit; & cùm capere juvenem satageret, capta est ipsa; ruinæ enim suæ sibi causa est mulier, si oculos non custodiat: explicuit procax mulier sua retia oculorum intuitu, verborum blandimentis, vocum lenocinio, promissionum irritamentis; sed per suas fraudes, ac insidias incidit ipsa in venaticos laqueos, quos juvenem captura apparaverat: non potuit conqueri, se in casses ab adolescente injectam, cùm hic castitatis cultor non intuitus, sed terga procaci dederit mulieri; & fugæ beneficio ab imminente se periculo subduxerit. Pulchrè D. Ambrosius. *Immisit oculos uxor Domini ejus in Joseph, hoc est, non ipse se ostentavit, sed ipsa retia sua misit, & indagine sui capta est, laqueos suos sparsit, suisque hæsit vinculis.* Venaticas has plagas, ac retia tartarei aucupis, cum vidisset in mulierum consortio S. Antiocus, scitè nos monet, ut solicito pede mulierum fugiamus consortia: ait ipse: *Fugiamus illarum consortium, non enim aliud sunt mulieres viro, quàm virus præsentaneum, quàm Orci venatrices, cum studeant animas nostras suis irretire pellicibus, plagisque capere venaticis.* Hoc procacis mulieris aucupium pulchrè etiam innuit lena illa apud Plautum. *Hic noster quæstus aucupi simillimus. Esca est meretrix, lectus illex, amatores aves.* Meretrici adhærentes tartarei Aucupis præda fiunt.

In cap. 39. Genes.

Lib. de Joseph. cap. 5.

In Asin.

38. Qui sapit, in fucato procacis mulieris vultu, in sermonis blanditijs, in vocis lenocinio, oris suavitate, aspectûs illicio, fraudem timet, insidias expavet, & ideo volucre ocyus fugit, avolátque aliò, cùm sciat lascivientem mulierem nonnisi insidias apparâre, ac mellitam linguæ facundiam, venustam faciei dignitatem, fulgurantes oculorum aspectus; frontis hilaritatem, genarum purpuram, corallina labra, orísque rotius honestatem, in laqueos vertere, & retia, quibus minùs cauti fœdè capiantur; hinc nos monet Salomon. *Non concupiscat pulchritudinem ejus,* (seu mulieris) *cor tuum; ne capiaris nutibus:* seu ut legitur in textu Syro: *ne sis præda venationis oculorum ejus, & palpebris suis captivum te faciat:* quia in oculorum nutibus, palpebrarum ictibus venatica expanduntur retia, quibus miserè capiuntur, qui fœminarum illicijs se sinunt irretiri. Dum alijs mulier spectandam exhibet vultûs, corporisque pulchritudinem, aucupium exercet, quibus alliciuntur, & capiuntur quotquot impuris æstuant flammis, ideóque opportunè monet Clemens Alexandrinus mulieres, ne viros frontis hilaritate, oculorum illicijs, linguæque mellita facundia, ac corporis pulchritudine viros irretiant, ait ipse. *Caput tegere, vultum adumbrare jussum est, neque enim honestum est corporis pulchritudinem esse hominum aucupium.*

Proverb. 6.

Lib. 2. pedag. cap. 10.

39. Hoc autem cacodæmonis aucupium exercent procaces mulieres, quæ facies fucant, genas purpurâ pingont, & promiscuè omnibus se videndas offerunt; quod in pravis mulieribus gravi æquè, & acuto calamo redarguit S. Gregorius Nazianzenus se se studiosiùs ornantibus, & excolentibus inquiens: *Membrorum elegantiam domi occultari præstat, quàm commentitiam; & adulterinam pulchritudinem nefariè proferre, meritò sufficit nativa tua pulchritudo: si autem ea pluribus viris, non secus, ac rete avium gregibus prostat, quid tu te accidet?* Retia tunc expandont, sed cùm alios capiunt, & ipsæ simul capiuntur, & pereunt: dum superfluo ornatu corporis aucupium apparant, nonnisi diabolo fucis famulantur, & illecebris; non enim cacodœmones hominibus irretiendis, capiendísque aptiori utuntur laqueo, quàm fœmina procace, fucis larvata, illecebris adblandiente: rectè D. Thomas à Villa Nova ait: *Væ mulierculis, quæ in hoc fœno ponendo, adornando, fucando, decorando vitam expendunt, vestes pretiosas, & jocalia, & muraenulas, & alia puerilia, & vana curiosiùs perquirendo factæ sunt laquei dæmonis ad capiendos stultos passeres, & veluti aranea tela ad capiendas muscas.* Has cacodœmonis insidias in sequioris sexûs fucata, qui cogitat pulchritudine, vanóque ornatu; non emotæ facilè mentis erit, ut moveri se ab illis illicijs ad noxas sinat. Muliebris enim forma teste Carneade Philosopho, Regnum est absque satellitio, propugnaculum absque præsidiario milite: vim adhibet sine vi, impetrat, quidquid vult, sauciat, dum allicit; venenum propinat, dum placet; fel spargit, dum mellita verba profert; sitque propterea mulier blandus tyrannus, suave tormentum, grata mors, cujus casses, qui cautè non fugit, necem incurrit; hinc Siracides: *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius:* siquidem præcipitium aperiunt, ruinam pandunt, necémque accersunt, ætas florens, forma nitens, frons serena, vultus hilaris, rosæ vernantes in genis; corallia purpurascentia in labris; lilia candicantia in vultu, blandimenta linguæ, sexus mollities, & cultus vestium, quæ omnia retia sunt hominibus capiendis aptè extensa: idque cùm Alexandrum Macedonem minimè lateret, avertere oculos maluit à captivis Darij Regis filiabus, quàm sinere se ab earundem singulari venustate capi, inquiens: *Non committam, ut cùm viros vicerim, vincar ipse à mulieribus.*

Lib. advers. mulier.

Con. de 1. Domin. 3. Advent.

Cap. 9.

§. VI.

§. VI.

Singula procacis mulieris membra, ornatus, & vestes retia sunt minus cautis hominibus capiendis, ac perdendis accommodata. Vis non irretiri, Ecro citiùs fuge.

40. CAvenda est, ac fugienda blanda procacis mulieris lactea malacia, quæ plena est naufragijs, fœta intus retibus laxatis ad homines, vel aucupandos, vel expiscandos, ac perdendos. Hanc venationis, & piscationis allegoriam adeò fœminis accommodatam censuit Ecclesiastes, ut singula procacis mulieris membra lascivientia avernalis prædonis, ac cacodœmonis venatoris instrumenta edixerit: *Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus*, quia cùm fucatam se prodit, vultu, voce, gestu, aspectu, retia hominibus illaqueandis accommodata apparat; & forrassis Salomon ad illa alludit reticula, vel translucida vela, quibus procaces fœminæ ubera, & pectus furtive ostendentes, eo nequius grassantur, eóque truculentiùs sæviunt in hominum, & castitatis perniciem, animarúmque irreparabilia damna, quò majori dissimulatione retia expandunt; moris fuit, ut reticulis uterentur fœminæ, quibus crines, totúmque capillamentum complecterentur; an non hanc muliebrem comam sic irretitam, sylvam dixeris venatui accommodatam, cùm undique retibus claudatur? An non hac in sylva, & vulnerantur, & capiuntur venatico illicio quotquot eam ingrediuntur? etenim neque in sacris epitalamijs immunis ab hoc vulnere fuit sponsus cum sponsam adiret, ac quæreret in hac sylva. *Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa in uno crine colli tui*: quòd si sacer sponsus se vulneratum præsenserat, vel uno suæ sponsæ crine; quot lethalia non debet vulnera extimescere, qui profano æstuans amore procacem sequitur mulierem crinibus, cincinnis, calamistris, comarum suggestu, ac pulvere adulterino non solùm in crine, sed etiam in toto capite luxuriantem? (Eccles. 7.) (Cant. 4.)

41. Nullum est in procace muliere membrum, in quo laqueus non lateat cacodœmonis: si enim non solùm comarum retia, sed, & oculorum perpendamus adspectus, non unius reos flagitij deprehendimus, nec uno duntaxat titulo infames; adeò ut Seneca in excerptis meliorem innocentiæ portionem esse cæcitatem fateri haud dubitaverit; innuens, oculos irritamenta esse vitiorum, scelerúmque duces, castitatis hostes, innocentiæ profligatores, eò quia adulterium monstrent, incestum ostendant, stuprum insinuent, & mala omnia edoceant, sintque propterea muliebres oculi impudici amotis infames proxenetæ: his siquidem internuntijs mercatus exercetur hujus propudiosæ mercis. Hinc Lucianus procacis mulieris oculos lenones vocavit, primámque impudici amoris januam; Plato semen concupiscentiæ, amoris principium; fontes, è quibus fœdæ scaturiunt cogitationes: Heliodorus præcipua amatoriæ fascinationis instrumenta. Quòd si muliebres oculos speculis pariaveris concavis, nec latum unguem errabis; incendiarias enim amoris flammas ejaculantur, quibus ambusta virorum pectora accenduntur, & præclara virtus excultæ castimoniæ statim cincsit.

Vultum si expendamus lascivientis mulieris ornatum, qui in eo fuci, & pigmenta, minium, & cerussa, herbarum, florúmque succi palpebris venustandis, genisque fucandis adhibiti sunt, qu id aliud esse dixeris, quàm laqueos tartarei aucupis? An forsan non satis illecebrosa sine adscitijs pigmentis, sine picturata venustate, larvata pulchritudine esset muliebris forma? an frustra luderet, virósque deluderet? An nisi ab hisce accersitis mendacijs adminicula fallendi sumeret, poris non esset procacis mulieris vultus, ore, oculísque lenocinantibus ad incautos irretiendos viros? refert Gregorius Nazianzenus, pavonem tunc fœminas ad venerem incitare, quando turgente collo caudam in orbem explicat, pennis gemmantibus picturatam, oculisque licèt cæcutientibus Argum mentientem centoculum. Haud dispari ratione, *mirabor*, ait Nazianzenus; *si tu aliam ob causam formam depingas, quàm ut comptudorum, & salacium virorum oculos ad te convertas*. 42. (Orat. in mulier. ambitios.)

Quòd si oris, labiorúmque gratiam, & venustatem introspiciamus, etiam sua ibi retia expandere orci aucupem facilè deprehendimus, ac instrumenta ibi latere venationis cacodœmonis; ut nec immeritò oris venustatem viscum Comicus vocaverit: *Viscus merus vestra blanditia est*. Quòd si cantûs accesserit illicium, subdit S. Cyprianus de singul. Cleric. *tolerabilius esse basiliscum audire sibilantem, quàm procacem mulierem impudicè cantantem*. Pectus, & cor mulieris retia dœmonis, & sagenam esse tartarei aucupis edixit Ecclesiastes: *Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius*: imò non vincula tantùm, sed & polypus, quem Veneris esse symbolum ex Jeroglifica Ægyptiorum disciplina scitè explicat Pierius. 43. (Lib 17.)

> *Námque sub æquoribus deprehensum polypus hostem*
> *Continet, ex omni demissis parte flagellis.*

Non enim aliter lascivientis mulieris manus, quos complectuntur, vel amplectuntur viros, irretiunt, tenent, premunt, stringunt, enecant.

Neque

44. Neque putemus frustra vacare illecebris, ac insidijs mulieris pedes præsertim si lascivis saltationibus frangantur in numeros, ducantur in choreas, exiliant in saltus; has pedum insidias nos edocet sacer textus, ait Ambrosius, quando Joannes Christi prodomus petulantis, ac lascivientis saltatricis optione jugulatus cecidit, cùm assurgeret in saltus puella; quia ut ait Ambrosius: *Plus nocuit saltatricis illecebra, quàm sacrilegi furoris amentia:* imò tanta vis inest fœmineis pedibus ad hominum capita prosternenda, ut vel castæ Judithæ sandalia, ac pedes caput perdiderint Holophernis; & mirum sanè, quòd pedes adeò molles, ac delicatuli caput prostraverint tam ferox, & minax, ut fuit illud Holophernis; cecidit Holophernis caput, cum ejus oculi sandalijs cessêre Judithæ, *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus:* tantúmne potuerunt involucra pedum ex enectorum pellibus animalium, telísque bombycum consuta? An non calcei, quibus & lutum terimus, & solum quatimus, & sordes calcamus, & ignobilissimam corporis partem contegimus, oculos valuêre tyranni rapere? An nō caput, quod superbo fastu Deū, hominésque despiciebat, adeò fœdè landalijs cessit mulieris, ut à reliquo sejunctum corpore ceciderit fundamenta positurum triumphi, nunquam apud posteros perituri? mirū cecidit caput Holophernis, cui supplex orientalis orbis se dederat, ac prostraverat; quia affectus suos, altósque spiritus sandalijs subjecerat mulieris, pedibúsque substraverat, & qui plurium fuerat populorum domitor, Regnorum terror, mortísque fulmen, fœdè adhærescit captivus fœminæ crepidolis; mirum Judithæ sandalia hoic libidinoso Prometheo, qui flammas, vel è pedibus fœminæ hauserat, rupes fuerunt caucasea, ad quam lascivientibus suis affectibus tenebatur illigatus.

Lib. 3. de virgin.

Judith. c. 9.

45. Hæc amoris impudici est indoles vilissimæ semper rei se se mancipare. Trahitur uno crine colli lacer sponsus, quid levius? uno calceolo capitur Holophernes, quid abjectius? textili quadam nebula irretitur David, quid inanius? quàm formidandum Veneris imperium, cum vel ipsa Martis fulmina, pedibus conterat, & crine irretiat, & nebulâ extinguat. Pudor sanè, quòd viri in castris fortes, imbecilles in gynæceo, vel è calceis impuræ Cypridis infectis pædore, ac malè olentibus venenum dolce ebibant, quo necem deglutiant fœtidissimam. Quòd si pedum sandalia caput possunt virorum inter fortiores fortissimorum evertere, quid reliquus totius fœminei corporis non poterit ornatus, cultúsque ad homines illaqueandos? præsertim, quando infames illæ, ac *prostituta pudicitia venatrices*, ut loquitur Petronius, prostant in nebula lintea, ventum textilem indutæ, cùm corporis membra ita parcè contegunt, ita avaro indusio, sericóque translucido obvelant, ut ab oculis se minimè subducant virorum, nec aspectus valeant indumenta prohibere, nec illuc penetrent, ubi pudor didicit à natura delitescere. *Video sericas vestes*, ait Seneca, *si vestes vocanda sint, in quibus nihil est, quod defendi, aut corpus, aut denique pudor possit; quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse jurabit:* sed nec pretium deest, ut magis venalis prostet pudor. Pergit Seneca, inquiens: *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos, jam enim exercitata aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se se, & insuper alij binis superponuntur, ut bina ac terna patrimonia auribus singulis appendantur. Omitto torques, armillas, monilia, cæterúmque mundum muliebrem, quibus ad stuporem usque tanquam vittis exornantur infelicissima illa publicarum libidinum victima.* In hoc nimio vestium cultu, gemmarúmque ornatu, latent etiam tartarei aucupis laquei, ac retia, quæ nec robur Samsonis disrumpere valuit, nec sanctitas Davidis eludere, nec sapientia Salomonis frustrare, quia minimè effugerunt.

Lib. de benefic. cap. 9.

Has voluptatis illecebras, in quibus retia latent tartarei aucupis, nemo eludit, nisi qui ludere dedisicit cum fœminis, & beneficio pernicissimæ fugæ præsertim divino auxilio, ac favore susceptæ se subtrahit à muliebris voluptatis illecebra: *& inveni*, ait Ecclesiastes, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.* Nemo de casta cum fœminis conversatione, aut vitæ austeritate sibi eblandiatur, cum vel ipse fœmineus ornatus homines virtute spoliet, ac devenustet. Procaces mulieres hoc laborant vitio, ut extimum enancisсantur ornatum, quo viris placeant, parùm curantes internum neglectum, quo Deo displicent, quas propterea meritò premit S. Chrysostomus, inquiens: *Multa mulierum mollities, & omne studium in cultu vestium, in accuratis collaribus, & externo ornatu, anima verò nulla est cura.* 46.

Homil. 44. in Genes.

Ita est: quæ totæ sunt in corporis cultu, vestiúmque ornato mulieres, virtutes, quarum honestamentis anima exornatur, negligunt; cúmque deberent probis moribus animam excolere, virtutúmque exercitijs venustare, omne impendunt studium in luto corporis fucando, in stercore exornando, in esca vermium fovenda. Utinam meliorem ebiberent mulieres mentem, ve rúmque quærerent cultum, quo Numinis imago, anima immortalitate donata venustaretur, & neglecto externo corporis cultu, solo delectarentur interno animæ ornatu? ut eas monet Clemens Alexan. inquiens: *Non externi hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est. Vel si corporis ornatus quæritur, ornanda quidem est caro,* 47.

2. Pædag. cap. 1.

sed

sed ornamento continentia: vult quærendum in primis esse mentis ornatum per virtutum studia, quòd si corporis placet ornatus, is quæratur, quo caro etiam cœlitibus placeat, & hominibus non displiceat; suntque hujusmodi ornamenta castitas, pudicitia, continentia, & reliquæ virtutes, quibus concupiscentiæ motus coërcentur, ne contra rationem inferior portio rebellet: harum enim virtutum cultura corporis tellus sata, & occata, non solùm lilia producit veram olentia virtutem, sed & uberem fructuum messem, quibus anima nutritur, & pinguescit, & caro floridam contrahit pulchritudinem, quâ cœlitibus placet, quia ut scitè notat S. Chrysostomus in orat. de parasit. *Ipsa forma, & cultus corporis mulierem amabilem non facit, sed virtus, & pulchritudo animi, ubi neque lineamenta, neque fuci, non aurum, non vestis pretiosa, sed continentia, castitatis, animi æquabilitas, & timor, qui Deo nicatur.*

48. Ornatus, quem mulier procax quærit, corpori exornando, tametsi aliquid adscititij addat fuci, ac larvatæ pulchritudinis, animam tamen fœdat, mentémque devenustat. Ea debent à probis mulieribus ornamenta quæri, quæ non hominibus, sed Deo placent, quæ non viris sunt illicio, sed cœlitibus sunt oblectamento; hic enim ornatus est, qui solus in muliere probatur: quivis alius, qui Deo non placet, & viros allicit, reprobatur, scitè Tertullianus mulieres alloquens ait: *Caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis. Vestite vos serico ubertatis, byssino sanctitatis purpurâ pudicitiæ, taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem:* probæ sunt mulieres illæ, & plus cæteris sapiunt, quæ nonnisi hæc virtutum quærunt ornamenta; & probiores, quæ ea possident, & solo delectantur virtutum exercitio, animi ornatu, ac pudicitiæ culturâ; quæ non vestium ornatum, quo extimam corporis cutem vestiunt; sed Dei gratiam quærunt, quâ animum exornant; quæ monilia, gemmásque respuunt, ut culturâ virtutum fiant ipsæ gemmæ nobiliores cœlesti sponso magis gratæ, virisque probis in majori pretio habendæ.

l. de habitu fæmin.

49. Quæsierat filio suo uxorem Abraham, non tamen onustam auro, splendentem argento, illuminatam gemmis, ornatam monilibus, sed morum probitate venustam, ut notat D. Ambrosius, inquiens: *Disce, quid in uxore quæratur non aurum, neque argentum quæsivit Abraham, non possessionem, sed gratiam bonæ indolis, morúmque probitatem:* hæc enim cuilibet præferri debet auro, & pluris æstimari, quàm tota gemmarum, ac monilium supellex: illa mulier est probè venusta, quæ non monilibus, sed probis moribus ornatur. Idque causæ etiam fuit, cur non permiserit Araham Isaac in Mesopotamiam filium proficisci quæsiturum sibi uxorem, maluítque servum mittere, qui uxorem filio inveniret virtutum honestamento, morúmque probitate facilè imbuendam, ac in Abrahæ domum adduceret, quò virtutum culturæ, & exercitio probitatis priùs incumberet, quàm filio nuberet, idque studiò Abraham voluit, ut uxor bonos mores in ejus domo addisceret, & virtutum culturæ assuesceret, ac ijsdem ornata filio traderetur, cautúmque esset utriusque conjugium, ac firmum, quod non opum affluentia, non extimæ pulchritudinis illicium, sed morum sanctitas, & virtutum honestamenta stabilivissent, scitè Oleaster. *Abraham noluit filium suum Isaac in Mesopotamiam ire quærenda uxoris gratiâ, sed potiùs uxorem ad se adduci, ut penes se bonos mores addisceret, malósque, si fortè haberet, deponeret.* In cap. 18. Levit.

l. 1. de Abraham, c. 9.

Veræ probitatis gymnasium, non muliebris vanitatis gynecæum erat Abrahæ domus; ubi singuli ex familia ad modestiam compositi virtutum exercitia exemplo fortiùs, quàm verbis edocebant; voluit Abraham hac in schola erudiri fœminam, priusquam hæc filio nuberet, ut per virtutum exercitia ornamenta indueret proborum morum, & si quos non probos secum tulisset, priùs exueret, quàm vestes indueret nuptiales. Viri probi non extima corporis in muliere approbant ornamenta, quæ potiùs reprobant, ut Tacitus Imperator, qui propriam uxorem passus non est gemmis illuminatam se prodere viris, ut refert Vopiscus, qui eleganter ait. *Viderat in non nimis Imperatricis vertice saltus, & infulas ludentes, ab alterius auribus integrum Imperatorium kalendarium dependisse: in digitis etiam, & pedibus Provincias, & Regna integra inerrâsse: damnavit in uxore hæc prodigia, regnorum dispendia, libidinúmque incitamenta, quæ de propinquo luxuria curant negotium, obstrepunt pudicitiæ disciplinis, castimoniam prostituunt: nam dum tenera cervix, frons, capilli, aures per gemmas ignes jaculantur, incalescunt animi, mutuísque concidunt vulneribus: & quæ non mulier mutuo hoc forma, & gemmarum lenocinio periclitari doceat viros? quæ verò non periclitetur cùm tot fulminibus, quot virorum percutitur oculis: sustulit pericula, & uxoria hæc naufragia Imperator, dum gemmarum omnem ornatum vetuit: sat ignium inornatam circumferre, stultum esse ab alijs novos mutuare, ni prostituere ultro cum gemmis uxorem voles, aut tanquam suspensa hedera venalitiam castimoniam prodere.* 50. In polit. cap. 15.

§. VII.

Ornatus muliebris æstus excitat marinis procellosiores, quibus naufraga perit pudicitia; nisi beneficio fuga castitatis cultor ab ornata fœmina se subducat aspectu.

51. MUliebrem ornatum in uxore minimè damnavit Myris Rex Ægyptius, qui referente Diodoro *lib. 1. cap. 4.* Vectigalem etiam constituit squamigerum gregem, quo pisces ipsi muliebrem ornatum inveherent soluto sibi imposito vectigali. Myris enim Rex Ægyptius vectigal piscium, qui in stagno Mydios à se effosso vel rete, vel nassa, aut hamo capiebantur, uxori concessit non ad unguentorum duntaxat usum, sed ad reliquum etiam corporis cultum. Quid ni nonnisi naufragia timeri potuerunt ab illo vestium cultu, gemmarúmque ornatu, qui ab aquis, earúmque incolis pretium hauriebat. Malum certè omen, quando vel ex aquis fluctuantibus, ventorúmque æstu exagitatis, ac littore fluctibus diverberato ornatus muliebris pretium haurit. Quid possunt viri ad concupiscentiam proni inde expectare? quàm naufragia, quàm ut miserè obruantur? sed si desipiunt fœminæ piscium ebibentes stoliditatem; sapiant homines, & à consortio harum se subducant fœminarum? quas crocodilis pulchrè non abs re cumparat Clemens Alexandrinus, inquiens: *Non est mulieris, sed meretricis illud nimium sui ornandi studium. Quæ quidem mulieres domus apud maritos servanda, administrandaque familia curam gerunt exiguam. sed solutâ mariti erumenâ, qua eis suppeditantur, convertunt in suas cupiditates: & ornandi artificio toto die assidentes vacant are emptis mancipijs, ut perinde, ac crocodili pulchris Ægyptiorum templis, & ipsa colantur.* Quàm viris est mulier perniciosa, quæ vel ab aquis ornamenta extorquet corporis, quibus naufragia invehat pudicitiæ: etiam à muliebri ornatu castitas naufragium subit; fœmineo siquidem cultu, ac calamistris, crinibúsque in gyros irretortis veluti fluctibus, ac ventis pudicitiæ navis acta, ac luxuriæ undis obruta, aquis obruitur Veneris. (3. pædagog. cap. 2.)

52. Tametsi recto cursu castitatis navis æquora traijciat, si tamen ei obviet lasciviens, & prava mulier ad concupiscentiæ illicium ornata, veluti in siccum impingens cursum sistit, & fluctuum discrimina subit, quibus mens æstuans incipit, & ipsa fluctuare, & nisi beneficio cœlestis auræ intus efflantis, se illicò inde subducat, in apertum se inijcit naufragij discrimen. An non Elias, qui suo adeò potis fuit sermone, quò cœlum clauderet, cùm vellet; imbrem deduceret, cùm juberet; an non & ipse licèt summarum virtutum culturæ addictus improbæ Jezabelis ornatu, & verbis percellitur; instar navis, cujus secundum, rectúmque cursum, faventes cœli auræ dirigerent, mox fluctibus exagitatæ decumanis? scitè S. Petrus Damianus serm. 18. *Elias monstrabatur, in infirmitatibus servabatur. Scriptum quippe est, quia dixit Jezabel. Hæc faciunt mihi Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis: & audivit Elias, & timuit, ac fugiens abijt. O violentiam verbi! O formidinis eminentiam! audito mulieris ornatæ verbo fugit Elias, & quidem quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ingressus enim sermo compta mulieris in cor ejus, quasi quidam gladius fuerat, & omisso rationis consilio, quid ageret, nesciebat.*

Si Propheta tot munitus virtutibus, ut verbo cœlum clauderet, ruentes pluvias coërceret, ac retardaret, aëri imperaret, divinos ignes in terram educeret, falsósque salubriter interfici juberet sacerdotes, ab ornatu, colloquióque comptæ mulieris adeò timuit, ut vix quadraginta dierum, totidemque noctium fuga ei visa fuerit sufficiens ad se subtrahendum à periculo, quod apprehenderat imminere? quis nostrum de casta cum fœminis conversatione valet sibi securitatem spondere? cum scribat Hieronymus. Esse nos ex eodem confictos luto, ijsdem compactos præcordijs, & æquè in molli serico, quàm pannosa ruditate, eandem dominari libidinem; & hanc nec Regum purpuram timere, nec religiosorum spernere pannositatem, neque pauperum parcere squalori. Quis sit à sana mente ita alienus, quò sibi adulerur eâ excultâ muniri virtute, quâ retundere mulieris procacis tela valeat. 53. (Epist. ad Salvinam.)

Cavendum est vulnus, quod nonnisi acriori curatur dolore. Neque est, quod sibi de pœnitentiæ subsidijs post lapsum quis eblandiatur: sunt enim hæc subsidia proba, & valida, sed infelicium remedia, quæ à lapsis minimè dependent, ut possideantur: satiùs, & laudabiliùs integra navi, salvisque mercibus salutis portum ingredi, quàm nudum hærere tabulæ, crebrisque fluctuum incursibus jactari, & ad exesos collidi scopulos. Si re munias, dicásque pudicas fœminas, quibus familiariùs uteris, imò & religiosas; adhuc si discrimen times salutis, nec tibi, nec religiosæ fœminæ debes fidere: non rarò sub prætextu pietatis viscus latet libidinis: etiam primæ sanctitatis aquilæ, hoc visco captæ interdum deprehenduntur; & cedros Libani hac peste aruisse scimus, & cecidisse. Cultor castitatis mulierum familiaritatem quantum potest, effugiat, ac ab earundem consortio se subducat, tametsi mulieres sint religiosæ, pudicæ, & culturæ virtutum jugiter addictæ, adhuc fœminæ sunt excitandæ concupiscentiæ aptæ, 54.

Proxi-

55. Proxima censetur esse deditioni arx illa , cujus supremus Præfectus incipit cum obsidientibus hostibus miscere colloquia : concupiscentia per verba paulò à frœno modestiæ laxata incipit suum virus diffundere , quod mox per simplicem tactum incipit proximiùs irrepere , & in præcordia serpere , ac excultæ castitatis virtutem corrumpere. Pulchrè referebat Beatus Jordanus in vitis PP. Prædicatorum. Cùm quidam frater Religiosus accusatus esset , quòd mulieri dexteram porrexisset manum , & Religiosus se excusaret , eò quia sancta esset mulier illa, omninò pudica , & culturæ virtutum unicè addicta : hâc auditâ excusatione superior reposuit : scias mi frater , quòd tametsi pluvia bona sit , & terra sit itidem bona , lutum tamen ex horum commistione statim generatur ; sic & manus viri Religiosi , quamvis bona , & similiter manus mulieris religiosæ etiam bona ; ex conjunctione tamen illarum cogitatio prava nonnunquam excitatur , & affectio mala consurgit , quâ mens alioquin pura fœdè collutulatur , inficitur. Ab hoc luto , & contactu , vult Apostolus omnes quotquot castitati student omninò alienos ,

1. ad Corinth 7. Epist. 16.

bonum est homini mulierem non tangere , quem textum expendens S. Hieronymus in Apologia ad Pammachium ait : *Animadvertenda Apostoli prudentia , non dixit , bonum est homini uxorem non habere , sed bonum est mulierem non tangere , quasi & in tactu ejus periculum sit , quasi qui illam tetigerit , non evadat.*

56. Est adeò prona ad lapsum sola cum fœminis conversatio , ut vel minimus tactus manuum impellat ad lapsum. Noverat id insignis ille castitatis cultor Joseph Patriarcha, qui non solùm à tactu voluit mulieris abstinere , sed nec pallium pati potuit , quod mulier tetigerat , ne scilicet contagium , quod è muliebri manu in vestem effluxerat , in animum irreperet , si tactam à muliere vestem induisset : scitè Hugo Victorinus libro de claustro animæ. *Adultera resistit Joseph per munditiam cordis , & corporis ; respuit enim adultera tactum , rupit fimbriam , ne serperet contagium :* fugiamus itáque toto nisu , gressúque pernicissimo , & quantum possumus hanc pestem , ut nos monet Siracides. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ , ne ingrediatur in virtutem tuam , & confundaris* , nil enim est , quod magis ab studio virtutis etiam castitatis cultorem avertat , quàm fœminea blandimenta.

Cap. 4.

Eccles. 9.

57. Sunt etiam in justis fomitis incentiva , quibus si palea accesserit , flammas concipiunt : est fomes etiam in viris religiosis studio virtutum assuetis , seu latens quidam serpentis sibilus , qui facilè dormientem concupiscentiam extitat : sunt in castitatis cultoribus etiam quædam semina , nonnullæ affectiunculæ , quæ tametsi malæ non sint sub initium , progressu tamen temporis principia fiunt peccatis prçludentia : ijs enim sensim sine sensu fascinatur mens , luménque rationis irruente surgentis concupiscentiæ nebula , & caligine infuscatur , incipítque mens cæcutire , & nisi statim castitatis cultor obsistat , præceps ruit , prætertim si se nimiâ suâ fiducia decipi sinat : hos inter æstuantis concupiscentiæ fluctus , qui non timet , jam censetur lapsus ; qui sibi non cavet , jam naufragus perijt , testes sunt plures viri etiam summis addicti virtutibus , insignibus illustres victorijs , qui ex incauto fœminæ aspectu miserè ceciderunt , licèt intrepidi steterint contra hostes ad pugnam paratos, testes sunt pluries decantati David , Salomon , Samson , aliíque sexcenti , & ideo S. Job pactum injerat cum oculis suis , ne mulierem aspicerent , *Pepigi fœdus cum oculis meis , ut ne cogitarem quidem de virgine.* Pepigere hoc cum oculis suis fœdus quotquot in asceterijs summarum culturæ virtutum assueverunt , talis fuit Arsenius referente Daulvatio , cujus colloquium, & conspectum cum Matrona quadam gravis , ætate provecta , pietate ducta longo itinere petijsset ; eam videre renuit, nec ullum cum ipsa miscere sermonem ; cúmque fœmina viri admirata modestiam eum rogâsset , quatenus memor ipsius esset in suis precibus , quas Deo funderet ; reposuit Arsenius , id enixim se à Deo petiturum , ut nunquam ejus meminisset ; veritus ne sola fœminæ memoria menti impressa , noxia castitati esset. Talis fuit teste Surio Hugo Gratianopolitanus Antistes , à quo cum alter venerabilis Hugo , quæreret , quid sibi de suæ matris ætate videretur , quæ infulatum filium non tam officij causâ, quàm invisendi gratiâ convenerat , respondit , ex verbis ejus posse quidem judicium à se ferri ; vultum autem propriæ matris non aspexisse , fœdus servaturus , quod suis cum oculis pepigerat abstinendi à fœmineo aspectu.

Job cap. 31.

Tom. 3. catech. histor.

Prima , quæ victoriæ præludit fuga à custodia petitur oculorum , qui si aspectum à fœmineo vultu avertunt , vires arcent , enervántque hostis. Sunt enim oculi præcipua bellica instrumenta , quibus utitur hostis tartareus ad expugnandam arcem cordis ; est acroama Salviani. *Oculos esse naturales quosdam animi cuniculos :* ijsdem enim utitur in nostram perniciem ad propugnaculum castitatis evertendum , solóque æquandum obsidionarius hostis : Moris est , ut in castris ab Expugnatoribus urbium priùs per tubicinem ad deditionem arx invitetur , dein Obsidionarijs cingitur copijs , clauditúrque circumvallatione , ne ullus egressus permittatur , nullúsve pateat ingressus , mox acriter oppugnatur , donec expugnetur ; & ad id mira machinamenta , sexcenta stratagemata , astúsque oppugnationum , insultuum , impressionum , irruptionum adhibentur ; & hodie muros quatiunt , propugnacula labefactant , deijciunt , evertunt , subvertúntque ferrei globi excussi è tormentis bellicis locatis ad cratitias 58.

Lib. 3. de providentia.

gerras tumoltuario opere erectas. Dein producuntur appropinquationes sinuato itinere ad declinandos hostium ictus, globósque excussos, simúlque viam assultui per murorum ruinas aperiendam.

59. Quæ verò præ cæteris bellicis machinamentis propugnaculis evertendis aptiores censentur, sunt suffossiones occultæ per subterraneos cuniculos; quamvis enim sit arx validissimis munita propugnaculis, ducto cuniculo ad arcis fundamentum, vasa bellico pulvere farta supponuntur; quibus adjicitur resticula pyrij pulveris, quæ sensim repens ignem defert ad vasa, quæ conceptâ flammâ in vastum erumpunt incendium; videmus enim statim ignem furere, solum quati, horrifico sonitu repleri omnia, turres sobrui, saxa in altum vehi, muros in sublime attolli, & propugnaculum dirui, solóque æquari: & flammula illa, quæ per resticulam serpens, exiguóque fomitis continuatione innutrita subivit in specum latè patentem, oberiorem ad incendium excitandum materiam invenit; viam adaperuit, quâ hostes obsidentes per assultum arcem occupant. Non secus dixerim cum Salviano: *esse oculos naturales quosdam animi cuniculos*: procacis, ac lascivientis fœminæ fucata pulchritudo per oculos veluti per animi cuniculos mentem subis, quòd si aspectûs continuatione, seu igneo fomite ardor ipse æstuantis concupiscentiæ in arcis intimiora serpit, ut fumo caliginoso lumen incipiat infuscare rationis, enorme illico excitatur in corde incendium, quo propugnaculum castitatis non solùm quatitur, & labefactatur, verùm etiam à fundamentis evertitur, ac subruitur, & pia proposita subvertuntur, & convelluntur, muríque dissipatæ conscientiæ eversi corruunt.

60. Esse corporis oculos naturales quosdam animi cuniculos edocet nos virorum fortissimus, Samson, & quidem proprio suo damno, utinam & nostro etiam emolumento. Scimus Samsonem, eum fuisse inter Nazareos, quem cœlestis aliger, Dei nuntius prædixerat nasciturum ad bella, ad palmas, & victorias: scimus eum fuisse, qui vino abstinuit, & siceram non bibit; cujus comam nullum violavit ferrum; cujus infantiam sibi Numen dicatam voluit; cujus pectus Numinis spiritus in suum selegit domicilium; & tamen qui invictus prostravit Philisthæos, qui pugnantibus hostium turmis inconcussa stetit firmitate, ad primum fœminei vultus aspectum fœdè cecidit, & in gremio Dalilæ virum exuit, & fœminam induit: & juxta aquarum fluenta, ita cedrum præcelsam Libani flamma pervasit libidinis, ut fructeta ejus omnia corruerint; & quidem stupente Poësi, sed lugente pudore, eò quia in Samsone sine Baccho, & Cerere non riguerit, sed Venus viguerit: hæc enim nata in aquis nonnisi naufragia apparat: ex muliebri enim familiaritate, & aspectu castitas naufragium subit, fœmineisque oculis, velut fluctibus mentis podicitiæ navis acta, luxuriæ ondis infelix sepelitur: tametsi hæc castitatis navis faventibus cœli auris recto feratur cursu; si tamen in procacis, lascivientísque mulieris fucatam impingat pulchritudinem, quodam veluti turbine corripitur, cursum sistit, fluctuúmque discrimina subit, & miserè perit. Statim ac Samson mulierem aspexit, exarsit; & Nazatei candorem fumus fœdavit libidinei ignis, nec ullis sedari rationum fluminibus potuit impuritatis exardens Ætna.

Non me latet plures Poëtarum fabellas è veris, imò & sacris historijs suam traxisse originem, nimirum commentum Titanum, cœli arcem expugnantium montes motibus adijcientium, ex sacra Gigantum historia, monstrositate flagitiorum bellum ipsi cœlo indicentium. Cataclysmum Deucalionis, ex Noëtico diluvio. Incendium Phaëtontis ex impuræ Sodomæ, & Gomorrhæ fœda conflagratione, *Genes. 19.* Hortos Elysios ex paradiso terrestri *Genes.* 2. Fabulam de coma fatali Nisi Magarorum Regis, quâ servatâ nec vinci posset, nec suo expelli regno; & eadem comâ resectâ per Syllam Nisi filiam victum, regnóque deturbatum: ex historia Samsonis, & Dalilæ, quæ fœmineis blandimentis fortissimum virorum illexit, & recisâ comâ illaqueavit. Fabellas, quæ de Hercule fictè referuntur, ex Samsonis historia: si enim quæ verè Samson gessit, cum ijs conferamus, quæ de Hercule finxit Ethnicismus absque Græcorum mendacio, Nazareorum Herculem Samsonem fuisse deprehendemus. Edidit Hercules, vel ab ipsis incunabulis specimina inconcussæ fortitudinis, ac invictæ virtutis, cùm angues geminos arctato gutture elisit in cunis: & Samson à primis annis cum lacte suxit spiritum Domini, quo impletus, innutritus, ac roboratus ad fortissima quæque, & ardua molienda impavidè se accinxit, & à teneris nonnisi grandioribus assuevit gestis. Hercules in famulum Eurystheo extraditus ob libertatem vindicandam labores plurimos exantlavit: & Samson pro sui populi asserenda libertate ardua, ac difficillima cum Philistheis certamina inivit, præclarúmque posteris documentum dedit, heroas non sibi, sed patriæ nasci. Hercules impavida manu Nemæum leonem arripuit, ac per fauces dilaceravit: etiam Samson leonem Thanmathæum invicta prostravit fortitudine. Hercules de enecto leone loco spolij exuvias retulit leoninas; Samson ex prostrati leonis hiante ore favos decerpsit mellitos. Hercules clavâ obarmatus sine gladio, absque hasta hostes & terruit, & domuit: Samson nullo munitus gladio, nullisque cinctus sagittis solâ

61. (right margin) *Genes. 6.* *Genes. 19. & 4.*

demon-

demortui jumenti maxillâ hostes debellavit, fugavit, prostravit: tanti interest, qualis sit manus unde veniat ictus, & non gladius, quo vulnus infligitur; cùm & Hercules clavâ, & Samson maxillâ asinariâ hostes prostraverint, vicerintque. Hercules lerneam hydram, centauros, harpias, & alia monstra superavit; Samson itidem Philistheos, qui veluti fetocientes belluæ insurrexerant gloriosè prostravit, hydrásque non ementitas (cum pluries ab Hebræis cæsi in recentia repullulantes capita sæpius in arma resurrexêre) ferro & igne extinxit. Tandem Umphales lasciviens, & procax fœmina Herculem blanditiarum lenociniis fregit, inconcussam emollivit ejus fortitudinem, ac in fœdam dejecit servitutem inter fœminas, quarum consuetudini assuescens, cum consuetudine fœmineam hausit & naturam, cui etiam volupe fuit cum fœminis nere, ac fila ducere: Samson itidem ex consuetudine Dalilæ fortitudinem exuit, & fœmineo in sinu sopitus in fœdam fuit servitutem dejectus.

§. VIII.

Marinis è fluctibus orta Venus, procellis ciendis assueta; etiam in pellucids fontis malacia ad naufragia viros, beneficio fugæ à periculo se non subtrahentes, impellit.

62. NOn Samsonem tantùm per oculos veluci per naturales quosdam animi cuniculos evertit Venus, verùm etiam purpurâ insignem, sanctitate conspicuum, ac virtutum studio celeberrimum Regem Davidem; cùm enim somno meridiano indulsisset, è regio surrexit lecto, liberiorem capturus in solario pallatii auram, ubi liberior in omnem viciniam vagaretur aspectus:
2.Reg.11. oculos circumegit curiosè: *Vidítque mulierem se lavantem ex adverso:* nimirum ut acutè notat Augustinus, *vidit mulierem longè, sed sensit libidinem propè.* Erat mulier illa Bethsabea, quæ contra solis ardorem corpus in horto domestico abluebat ad salientes pellucidi fontis latices, erátque mulier elegans formâ, florens ætate, in quam Rex ut primùm è solario regiæ domus oculos conjecit, è formoso illo spectaculo radius exivit, cum radio fulgur erupit, cum fulgure amoris flamma exercevit, quæ interiora depascens præclaram in Davide castitatis virtutem absumpsit; visúsque sit, putuisse plenum mœrore, tumidum fletu, lachrymis madidum occinere cum Jeremia threnorum: *Oculus meus depradatus est animam meam.* Misit enim statim ex aula famulos, qui nomen, genus, & vitæ conditionem lavantis se fœminæ exquirerent; cúmque sigillatim omnia didicisset, & inter alia uxorem esse Uriæ, qui tunc in castris Regi inserviebat; cœpit tunc ardentiùs exardescere, accersivitque mulierem in palatium, ad turpia invitavit, cúmque non fuisset mulier obluctata, corruit virtus Davidis, scelúsque commisit, quo castitas profligata interiit. Quàm proclivis à somno, & cibo ad venerem transitus! quàm præceps occasio, ad jacturam virtutis, ad famulatum vitii, si fucata mulieris pulchritudo viri perstringat oculos! Id proprium est procacis mulieris allicientis ad turpia pulchritudinis fuco, pudorem simul, & prudentiam eliminare.

Marinis è fluctibus orta Venus etiam in 63.
fontibus pellucidis ad naufragia viros minùs cautos, qui beneficio fugæ à periculo non se subtrahunt, impellit: non secus ac naves æquora trajicientes fluctibus colliduntur; viri ex noxia cum fœminis consuetudine detrimentum subeunt, ni eas fugiant; scitè S. Cyprianus exclamavit: *O quàm inordinabilis* De singul.
fœmina propinquitas jaculatur, cujus vici- Cleric.
nia est delictorum latrocinium: non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet, velut quibusdam fluctibus turbulentas. David non in maris procella, sed in fontis malacia fœdi naufragii expertus est detrimentum. Cavendum igitur, ne in hos fontes oculos dirigamus, si nolimus in scopulos impingere: si enim à fœminarum consuetudine non caveamus; sed sinamus oculos luxuriosè per hos fontes vagari, statim mentis ager hisce irrigatus aquis, semina gignit libidinis, non luxuriantes tantùm herbas, sed lethales etiam criminis fructus productura: idque quotidiano edocti experimento deprehendimus, quamvis alieno periculo nolimus sapere, nec nos ipsos subducere beneficio fugæ à mulierum familiaritate ab earundem colloquiis. Imò non tantùm ab ijsdem nos non subtrahimus, verùm & eorum fontes accedimus, ut ibi sordes contrahamus animæ, ubi corporis solent maculæ deleri: pulchrè S. Nilo ait: *Florent olera* Lib. 2. de
propè aquam sata, & libidinis semina fami- luxur.
liaritate mulierum excitantur. Prava libidinum semina propè hos fontes sata statim germinant, incrementum subeunt, adolescunt, sed in aconita inferendæ neci solùm apta in castitatis interitum.

Si objicias, Eliam virum justum, eximiæ 64.
sanctitatis studio celebrem, qui hospitari 3. Reg. c. 17.
apud viduam minimè recusavit. Non favet mulierum consuetudini, consortióque fœmineo hocce Eliæ exemplum; quin potiùs suadet fugam à quavis cum fœminis familiaritate: etenim Elias propio instinctu domesticos viduæ parietes non fuit ingressus; sed à Deo missus, qui potest etiam inter flammas servare illæsos pueros in fornace ignis ardentis: rursus fuit hospitium viduæ adeò rude, omnibúsque esculentis, & poculentis destitutum, ut frigere potiùs deberet Venus sine Baccho, & Cerere; nullus in illo hospitio victus, nullæ erant deliciæ, quæ luxuriam foverent, fomitem excitarent concupiscentiæ: & Elias, quamvis jubente Deo, mulieris domum ingressus quidem fuit, sed armatus abstinentiâ, loricatus jejunio, ne ex fœmineo consortio casti-

castitas periclitaretur. Imò priùs quàm fœminam accederet, in solitudine adeò corporis membra afflictionibus, & præsertim jejunio ad quadraginta dies producto, & continuato edomuit, omnémque subtraxit concupiscentiæ fomitem; ut extinctam veriùs dixisses in Elia concupiscentiæ flammam, quàm pœnitentiæ cinere sopitam; quòd si essemus, & nos ita muniti, possemus cum minore pudicitiæ discrimine lugentium viduarum, miserabilia ingredi tuguria. Cæterum non est, cur nobis paria spondeamus cum Elia, ut scitè nos monet S. Cyprianus, ubi eos premens, qui Eliæ exemplo sibi blandiebantur, ait: *Et hoc non potest cujusquam favere luxuria; qualis illic fuit communitatis affectus, ubi non erat victus? & qualem ad viduam habuit Elias introitum, cui fames dedit hospitium? quisquis es, qui te vis Eliæ de commoratione Eliæ vocare Discipulum, priùs solitudinis afflictiones, & quadraginta dierum tolera jejunij exitum, & aut non quæres fœminam, aut non erit, qui cum fœmina commoretur.*

Lib. de singular. Cler.

65. Is tutiùs à discrimine se subtrahit, qui non solùm à mulierum consortio se eximit; verùm & ab ejus aspectu; quòd si perfunctoriè oculi in fœminam jaciantur, nunquam in ipsam figantur; obiter enim etiam non animadvertentes interdum oculos jacimus in fœminam, quæ tametsi pudica sit, nunquam tamen in eandem eos figere sine castitatis læsione vix valemus; proinde non solùm fugâ pedum, sed etiam subtractione aspectuum necesse est oculos avertamus à mulieribus; præsertim si incipiat intus suas concupiscentia flammas accendere, quia ut nos monet Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo; quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te:* cùm periculum tunc naufragii immineat, ratio suadet, ut id abjiciamus quod ad naufragium impellit, perinde ac è navi fluctibus decumanis ad submersionem agitata, sarcinæ, ac merces dejiciuntur in mare, ne causa sint submersionis; & ideo Christus nobis suadet, ut oculum etiam dextrum, si nos scandalizet, eruamus, & à nobis longiùs projiciamus. Quid? quòd tam severam oculi avulsionem, & projectionem nobis Magister Christus injungat? nil enim sævius nilve dirius, contra petulantem oculorum curiositatem, ac lascivientem vagationem poterat edici: quid? quod hactenus de membrorum injuria, corporisque concisione nulla fuerit lex sancita, nec præceptum latum; & tamen præceperat nobis, ut nonnisi Deo, veróque Numini conditori Cœli, & terræ nostrum exhiberemus supra cætera omnia cultum, ac nostra dedicaremus obsequia: jusserat non irasci; prohibuerat convicia effutire in proximum; vetaverat contumeliis fratres impetere; & tamen fel exscindi non præceperat, si excandesceret; nec linguam evelli è faucibus, si

Matth. 5. v. 28.

fortè convicia proferret; nec manus & brachium amputari, si aliquem percuteret. Quid? quòd non videndas mulieres, cùm mox suadeat; licentiam nobis impertitur mysticè sæviendi in oculum? an quia voluit nos edocere, id vel maximi ad salutem esse momenti, si sensuum contumacia, si vana oculorum curiositas, si noxia aspectuum divagatio non infractè, sed fortiter coërceatur?

Vult, ne mœcharemur, ab oculo diligentiùs, quàm à corde nos cavere: & cùm Mœchia in mente concrescat, & fœtus fit turpissimus æstuantis concupiscentiæ, non tamen jussit præcordia puniri, neque è pectore cor divelli, si stimulans concupiscentiæ æstus in præceps nos urget; sed eruendum dicit esse oculum; imò neque evellendum tantùm; sed ne vel humi, & ad pedes abjectus suum adhuc in nos venenum diffunderet, procul projici à nobis debere existimavit. Adeò est castitati oculus noxius; ut, ne illa quidquam patiatur detrimenti, necessum sit, hunc evelli, eruique è capite, & longius projici, ne suo nos lascivientis aspectûs veneno inficiat. Lilium enim castitatis non tantùm concupiscentiæ sulfure corrumpitur, quàm luce, & fulgetris oculorum dissipatur. 66.

67. Conclamatum sanè est de castitate, ubi incipiunt oculi venenum haurire libidinis, & ubi non in corde incipit libido fervere, sed suos in luminibus flammas accendere: siquidem quod interdum impuri ignis conceptâ flammâ cor intus exardeat, vectigal id est naturæ vitiatæ; sed libidinis scintillas oculis haurire, quibus præcordia ardeant, non nostræ id datur corruptioni vitio, & appendici, sed nostræ est audacia voluntatis, ac liberi protervia arbitrii: tametsi vel invitus præsentiat castitatis culturæ addictus stimulo se titillari concupiscentiæ; nunquam tamen nisi volens lethale libidinis virus oculis bibit, & haurit: & quia nocentior nobis ea est lues, quâ ultrò volentes inficimur, quàm quæ per cordis stimulas, se insinuans invitum exagitat: idque fortassis causæ etiam fuit, cur Abraham non semel à sævituro Angelo pro Sodomitis intercesserit; cùm tamen neque ullas effuderit Noë preces Numini supplicaturus, quatenus rigorem justitiæ elementiæ temperaret mititate. An forsan in Abrahami pectore humanius inseruit cor, quàm in Nuëmi visceribus? An clades Sodomorum gravior fuit, quàm mundi universi cataclysmus? supplicat Angelo Abraham, & in sua eum vota flectit, intercedítque pro Sodomitis; non rogat Noë Deum irascentem, ut velit ultionis sagittas saltem suspendere: An forsan immitior fuit Deus, quàm Angelus? cùm hic effusis flectatur precibus, & Deus nec una rogetur prece, ut mitescere velit? An scelus, quod in filias hominum lascivientes viri perpetrârunt, fœdius fuit, quàm scelus Sodomorum? cur ergo de Gomorrhæorum pœnitentia speravit Abraham, cùm de repatatione universæ terræ Noëmus statim desperaverit?

raverit? si longè turpior fuit Gomorrhæorum libido, ac tetrior, quàm virorum lascivia, cum filiabus hominum; sperare potius Noëmus debuisset, fore, ut Numen posset in sua vota flectere, quàm Abraham fusis precibus Angelum à punitione Gomorrhæorum avocare: nimirum pro mœchantibus Dei filiis cum filiabus hominum, non rogavit Noë, cùm tamen supplicaverit Angelo Abraham pro delictis Gomorrhæorum; quia filij hominum lascivientibus aspectibus, oculisque libidinosis, quos non solum jacere, sed & figere in filias hominum voluerunt, pestem per oculos hauserunt, cujus venenum in pectus statim irrepsit: Gomorrhæi verò cùm per visum contagionem libidinis non ebiberint in tam imminens non se discrimen injecêre labendi, quamvis fœdiùs lapsi fuerint, quàm filij hominum, pro quibus vanum duxit Noë Numini supplicare: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchra acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant:* (…nes. 6. …um. 2.) & quia per oculos venenum libidinis ex pulchritudine filiarum hominum fœdè hauserunt; séque in discrimen injecerunt, quasi ineluctabile; ideo statim abscessit à lascivientibus hominibus Deus. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est,* & justâ percitus irâ Deus effregit cœli cataractas, disrupitque in lascivientes abyssus nullo coërcendas aggere. *Delebo hominem ab homine usque ad animantia.* Idque causæ Noëmo fuit, ut nullis precibus speraret, fore, ut Deum irascentem posset in sua flectere vota, ut præconceptam extingueret iram: nimirum non latuit Noëmum, immisso per oculos veneno nullis posse mederi pharmacis; nunquam enim arescit Zizanium, quod oculorum contumacia in exculta lasciviis cordis tellure prosevit.

68. Consuetudines, quas viri cum mulieribus induxerunt, eatenus diluvium accersiverunt, ut inde disceremus, nullibi naufragij periculum imminere laxiùs, quàm inter fœminas procaces præsertim, ac lascivientes, si earum consortium statim non declinetur. Utinam naufragium sola esset in aquis submersio, & non gehennalis ignis æternum supplicium! meretricium enim quotquot mare trajiciunt æstu libidinoso fervescens, ventisque luxuriæ fluctuans non portum appellunt, quietis, sed in gehennam impelluntur cruciatuum: non enim aliò ducere naves meretriciæ aquæ consueverunt, quàm in gehennale naufragium, cùm influant ipsæ in abissum, eòque decurrant.

69. Timeant qui non solùm ore, sed & oculis has impudicitiæ aquas in fœminea ebibunt pulchritudine, ne in æterna mergantur supplicia, & quæ in aquis impudicitiæ haurire deliciarum oblectamenta crediderant, flammarum experiantur supplicia, & gehennalis ignis æterno torqueantur cruciatu, ut monet D. Augustinus inquiens: (…rm. 249. de tempor.) *Illi miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentia polluta; quia æternas merguntur in pœnas,* qui enim in pelago impurarum voluptatum ludunt, ni meliorem statim mentem ebibant, eas subeunt pœnas, quæ in gehenna scelerum victimis reservantur: & sicut pisces qui aquis innatare, ac ludere consueverant, rete, vel hamo capti ferrea ebullire postea videntur in sartagine; ita qui cum Venere in undis natâ ludunt, oblectamenta lucraturi voluptatum: & huc fortassis, allusit Ezechiel cum dixit: *Sume tibi sartaginem ferream;* alloquitur Cap. 4. homines impurum voluptatum pelagum trajicientes, & putidas libidinum ebibentes aquas, ut censet S. Bernardinus Senensis, qui Tom. 1, c. 2… perstringens hos homines venereis assuetos voluptatibus, ac in pisces degeneres venerearum voluptatum mare innatantes ait: *Cur non timeant ab extremo, & sempiterno supplicio, quod post hanc vitam manet libidinosos? ludunt quidem, & lasciviunt in pelago suarum voluptatum uti pisces, vel in maris salo, vel in fluento rivuli enatantes: at signum inquit Ezechiel cap. 4. est domus Israel prope oram rivuli, aut littus maris, ubi pisces lusitant, signum erexit divina justitia, ut minaci spectro lascivientium compesceret intemperantiam: sed quod tandem est supplicium istud? sume tibi dicitur Propheta sartaginem ferream; ea ad conspectum vestrorum lusuum, ac deliciarum ò miseri pisces ferrea sartago gehennalibus flammis mardescens ebullit; in hanc è mari, rivulóque hujus sæculi transmigrabitis flamma post aquas sempiterni cruciatus, post fugaces delicias, post momentaneas voluptates excipiens amatores mundi.*

Saniorem ebiberent mentem venerearum 70. voluptatum innatantes mare, si non aquas ebiberent voluptatis, sed flammas, quibus Ezechielis sartago ebulliit altiùs menti imprimerent; si non in procaces, ac lascivientes fœminas oculos jacerent corporis, sed in hunc ignem intuitus dirigerent mentis; procul dubio justo incutiendo timori peridoneus deprehenderetur nexus, quo haurientes impudicitiæ latices cum gehenna cohærent, eísque copulantur. Non delicias carnis, non concupiscentiæ oblectamenta quærit, qui domum ingreditur meretricis, sed in gehennam se demittit præcipitem, neque me fallere sinit S. Augustinus, qui inferno domum comparat meretricis, eò quia neminem repellat, nullum rejiciat, omnes in exitium amplectatur, ait Augustinus Serm. 107. de tempor. *Pro inferis ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, omnésque intrantes ad se trahit: nimirum quia ignem inferni habet domus meretricis.*

Quis tam mente corruptus censebitur? 71. quis tam fatuus, támque hellebero indigus, ut lubens ad infernum se conferat, & non potiùs ab omnibus se subtrahat periculis, ne cruciatus illos nunquam extinguendos subire adigatur? qui lubens velit in scopulos impingere æternum ut patiatur naufragium?

Finxe-

Finxerunt Poëtæ Venerem ita ex aquis natam, ut nacta ſtatim cum orco, & Acheronte affinitatem fuerit, ait Plutarchus: *Non eſt Venus tantùm, ſed habet multa cognomina, orcus eſt, & inſanarabies:* Orco, & Acheronti æquiparat domum meretricis: an quia ſicut quidquid ſemel hiatum ingreditur gehennæ nunquam egreditur; ita ubi quis meretricis domum intraverit, eiſque adhæſerit, actum eſt de ejus ſalute? quia ſalutis ſuæ oblitus, libidini duntaxat inſervit, & negligens, quæ æterni naufragij pericula iminent, declinare, miſerè in ijsdem perit, nec ampliùs reſipiſcit, ut ad Deum revertatur. Huc ſpe-
Oſeæ 5. ctat illud: *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum*, ſed cur ita immemores propriæ ſalutis? cur ſemel lapſi non ſatagunt reſurgere, ac reſipiſcere? cur ſi pericula incurrerunt ea ſolertiùs non declinant? ſubdit Propheta: *quia ſpiritus fornicationum in medio eorum:* difficillima eſt eorum ſalus, qui fœdis ſe libidinibus proſtituerunt, domúmque meretricis inferno pariatam ingreſſi ſunt, qui mulierum conſuetudines ſub initium effugere, ac declinare neglexerunt, qui impudicis oculorum aſpectibus venenum è vultu, ſinúque fœminæ hauſerunt, quod irrepens in pectus animam infecit, animam ſcilicet cœleſtibus affluentem bonis, virtutum omnium locupletem, & divinæ gratiæ priùs illuſtratam fulgoribus, ornatam radiis: hanc animam ſuis glorioſam ornamentis, vel unico libidinoſo aſpectu laſciviens oculus evertit, auferens è mente lumen, è voluntate religionem, ab animo gratiam, dejicitque everſam in Acherontis gehennale incendium.

72. Quòd ſi infernus ſpirituum immundorum tetra eſt habitatio; non credas domum meretriciam malignis hiſce vacuam ſpiritibus, cum S. Chryſoſtomus, cellam meretri-
Homil. 2. in Matth. ceim vocet *Diaboli officinam*, quia Diabolus ſuæ artis ibi collocat inſtrumenta, quibus & homines decipiat, & deceptos ad tartara trahat, neque diſſentit S. Petrus Damianus, qui meretrices ipſas cubilia vocat dœmonum ait:
Epiſt. 55. *Audite me ſcorta, proſtibula, cubilia ſpirituum immundorum*: alacriores ſiquidem ad procaces has fœminas currunt tumultuariæ dœmonum turbæ, perinde ac ſues lutulentum ſuum ad cœnum, in cujus volutabro aliquid hauriant ſolatij, ebibant voluptatis;
In Pſal. 41. ſcitè Chryſoſtomus: *Quemadmodum ubi eſt cœnum eò porci concurrunt, ita ubi ſunt meretrices, & meretricia carmina, illic congregantur dæmones.* Ante Satanicos hoſce porcos, ante ſuiles hos Tartari greges, margaritas (quod inhibuit Chriſtus) projiciunt, qui ſuas animas quavis pretioſa margarita longè pretioſiores, quaſque nonniſi Chriſti ſanguis, ceu pretium infiniti valoris redimere potuit à Satanico famulitio; pro viliſſima, fœdiſſima, ac impuriſſima delectatione Venerea, carnis oblectamento, ſenſûs voluptate iterum dœmonibus proculcandas, ac ſpurcitiæ luto immergendas extradunt meretriciis in lupanaribus.

§. IX.

Fugienda ſunt colloquia cum procaci muliere, quia proxima eſt lapſui caſtitas, quæ cum eadem ſermones inſtituit; perinde ac à deditione non procul diſtat arx, cujus præfectus incipit cum hoſte obſidente miſcere ſermones.

Caſtitatis cultor non à quovis tantùm adſpectu in muliebrem vultum directo neceſſe eſt ſe ſubducat, ne caſti- 73.
tas periclitetur; verùm & à quovis etiam muliebri ſermone, quia ut ſcitè monet S. Valerianus Cimelienſis, & Nicienſis Epiſcopus *Homil. 6. Quotieſcunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aſpectus:* exiguo diſtant ſpatii intervallo in homine aures, & oculi, ideóque promptiùs venenum quod per aures ebibitur, oculis propinatur. Non minus à muliebri colloquio caſtitas naufragium ſubit, quàm à fœmineis verbis, quibus velnti fluctibus mens libidinis æſtu exagitatur, & luxuriæ undis miſera ſepelitur. Impar eſt quævis loquendi facundia damnis enarrandis, quæ à fœminea prodeunt locutione; impar eſt ſermo erroribus recenſendis, in quos fœdè lapſi fuêre, qui minùs cautè ſe fœminis credidêre, cœperúntque cùm ijsdem miſcere ſermones. Cecidit Apoſtolorum vertex Chriſti in Eccleſia militante Vicarius D. Petrus ſanctitatis norma, virtutum cultor, Eccleſiæ fundamentum, & Magiſtrum ſuum infelix negavit *Matth. 26.* vix cœpit Petrus cum fœmina oſtiaria loqui, quaſi letheas bibiſſet undas ſui obliviſcitur Magiſtri, illicò ſimulare didicit, & mentiri; quamvis novus in arte mentiendi eam ita feliciter non potuerit exercere, quin vel cum mentiretur, veritatem depromeret, cùm dixit, ſe hominem non noviſſe, etenim hominem non noverat, cum Deum hominem deſerviſſet, nec is ampliùs eſſet, quem in horto viderat: Magiſter enim impavidus ac intrepidus militum cohortem in ipſum irruentem contempſit; cùm Diſcipulus ancillam reformidaret interrogantem.

Imò è Chriſti diſcipulatu ſe noverat ex- 74
punctum Petrus, cùm non coactus, ſed lubens ad ancillam acceſſerit oſtiariam, ſed ibi cœpit frigere, ubi ad ignem reliqui ſe califaciebant: tametſi plures fuerint occaſiones hujus negationis; mulier tamen poſtrema non fuit; excepit oſtiaria Petrum, cùm quo cœpit ſermones miſcere, & quia Petrus ſtatim ab imminente periculo beneficio fugæ non ſe ſubtraxit, naufragus miſerè cecidit; interrogatus ſiquidem à muliere, an Chriſti eſſet Diſcipulus, Magiſtrum negavit, nimi-

rum

rum cùm sequeretur eum à longè, quos prope marinas undas ferventis amoris conceperat ardores; prope accensas prunas extinxit: minor fuisset Christo moriente terræ concussio, si hæc etiam petra fracta non fuisset: cùm nonnisi veritatem suo didicisset à Magistro, mentiri statim didicit, & turpem errorem in loquela committere, cùm primùm fœminam aspexit, & ejus verbis aures præ- In Cap. 22. Luc.
buit: huc spectat D. Ambrosius *quomodo non erraret, quem ineromisit ostiaria, quem interrogavit ostiaria, & ostiaria Judæorum.*

75. Petrus in Pontificis atrio pertinaci impietate ter Magistrum suum Christum abnegavit, tametsi in se reversus statim declinaturus periculum, in quod jam lapsus fuerat, ne iterum laberetur aufugerit: *& con-* Luc. 22.
versus Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: quia priùs, quàm gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras Petrus flevit amarè; vibrato in se fulguri, ne fulmen secum traheret, pares illi lachrymarum imbres opposuit, sed extra Pontificis atrium, ut ab omni se periculo subduceret loquendi cum ostiaria: præproperè festinavit egredi ex palatio Pontificis, *ut iterum cadendi periculum declinaret*, ut notat D. Leo Papa *Serm. 9. de passione.*

76. Id tamen notatu videtur dignum, quòd tametsi egrediens ab atrio Pontificis à periculo se subtraxerit miscendi ulteriores cum fœmina sermones, subduxit etiam se à Magistri sui oculis, quorum benefico aspectu conversus fuerat. *Conversus Dominus respexit Petrum: respicere namque ejus* ait Beda *perinde est, ac misereri.* Quòd si in domo Pontificis adest occasio delinquendi, non tamen desunt pientissimi Magistri Christi oculi, quorum aspectus misericordia est, & intuitus salus; & tamen adhuc consultissimè fugit Petrus. Quid? quòd tam præproperè festinet Petrus ab atrio egredi Pontificis? si adest periculum, adest etiam ibi asylum in oculis Christi; si lapsum timet, adest, quo possit statim resurgere; si ancilla verbis in errorem trahit, Christus sola voce à quovis subtrahit errore, trahitque ad veritatem.

77. Cur igitur tam præproperè, gressúque solicito ex Pontificis atrio festinat Petrus egredi, nunquid validiora sunt ad ruinam ostiariæ verba, quàm potens Christi aspectus ad resurgendum? Exiens Petrus è palatio Pontificis à periculo se subducit iterum labendi; sed simul ab oculis se subtrahit Christi opem impertientis, & ansam resurgendi concedentis. An maluit Petrus abesse ab oculis Christi beneficio fugæ, & egressionis ab atrio, quàm perseverare in periculo, licèt sub asylo oculorum Christi? verùm licèt festinato gressu ex atrio Pontificis exierit non abfuit ab oculis Christi, dum periculum fugeret, quia miserentis Magistri oculi Discipulum etiam aspexêre extra atrium, ubi periculum non ampliùs immineret miscendi cum ostiaria sermones, nec relabendi: sicque providè à periculo se subduxit, & à Magistri oculis non se subtraxit: nam egressus foras Petrus flevit amarè; respicere enim Christi, perinde est ac misereri; cúmque misertus fuerit Petri è Pontificis palatio egressi, eum respicere non destitit resipiscentem; & tametsi Petrus à præsentia corporea sui Magistri se subtraxerit, adhuc maluit corporeo carere Magistri aspectu, quàm in occasione peccandi perseverare, quàm in periculo permanere, iterum sermones cum ancilla miscendi.

Tanti est momenti periculum, statim 78.
fugere ne delictum, quamvis per pœnitentiam obliteretur, per lachrymas deleatur, adhuc semiextinctum nova spiret delinquendi pericula, & dissimulanter ad culpam porvocet, ad lapsum instiget, adeout (verba sunt Chrysologi) *Virtutes deficiant, dum* Serm. 116.
coluntur, crimina dum succiduntur, increscant: nimirum conscientia proprij reatus, tametsi nobis exosa, & detestabilis, adhuc ejaculatur minas delicti; & persæpe cùm absolvitur, iterum ligat; & noxæ macula cùm lachrymis abstergitur, concupiscentiæ flamma irritur. Etiam Elias licèt suo sermone cœlum clauderet, cum vellet; imbres, pluviásque deduceret, cùm juberet, vix improbæ Jezabelis verbis percellitur; statim quavis disrupta mora præproperè à periculo se subducit miscendi cum fœmina ulteriora verba.
Et audivit Elias, & timuit, ac fugiens abije, 3. Reg. 19.
quocunque eum ferebat voluntas, quæ verba expendens S. Petrus Damianus exclamat. *O* Serm. 18.
violentiam verbi, ò formidinis eminentiam! audito mulieris verbo fugit Elias; & fugit Elias; fugit non uno, non duobus, non tribus diebus, sed potiùs quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ingressus enim sermo mulieris in cor ejus quasi quidam gladius fuerat, & omisso rationis consilio quid ageret nesciebat. Tanti itineris spatio, metu exagitante jactatus, velut cum secundo flatibus cursu impulsa navis arborem ex adverso turbo corripuit, impetúmque reflexit; ita Propheta animum virentis velo navigantem mulieris percussit sermo, totámque ejus navem, per omnes formidinis fluctus, turbato rectore jactavit. Quid ergo tu Elia? Tu enim es, qui verbo clauseras cœlum, & retardaveras imbres, qui mandaveras aëri, & divinos ignes eduxeras, qui falsos salubriter interfici jusseras sacerdotes, qui constanter in faciem exprobraveras Regem, quod ipse, & domus sua populum everteit Israel, qui dixeras: vivit Dominus, si erit pluvia, aut ros, nisi in verbo oris mei, qui domum viduæ, spicarum aream, & torcular feceras olei, qui in omnibus imperaveras elementis, sermonem nunc expavescis meretricis.

79. Perinde muliebri colloquio veluti delapso imbre crescunt luxuriæ semina; ac aquis incrementa subeunt, quæ terra irrepunt gramina; ut igitur probè audiamus deneganda est procacibus fœminis, quæ periculis non vacat, audientia. Quòd si vultus fœmineus

aculeus est peccati, non putes alloquium gladio minùs noxium ad vulnera infligenda; qui puram ab impuris studet mentem cogitationibus custodire, à fœminarum caveat colloquiis, sunt enim veluti incentiva, quibus excitantur, mentique imprimuntur impuritatis imagines. Hinc S. Dorotheus ait: *ab impudicis tanquam ab igne, & laqueo diaboli fuge, & cave, procaces fœminas nusquam obvias habeas, nunquam eas alloquaris, aut aspicias, ne cor tuum luto deturpetur passionum:* non datur dedecori viris probis hæc fuga, sed summæ laudi, neque satis unquam commendari potest hæc cautio, quâ vir castitatis Studiosus, ac virtutum cultor, à quavis se subtrahit occasione sermones cùm fœminis miscendi; est enim muliebris sermo oleo similis, quia sicut oleum igni innutriendo perquàm accommodatur, ita mollis fœminæ sermo libidinis ignibus excitandis, ac fovendis aptissimus est, *quemadmodum*, verba sunt S. Antiochi, *splendorem lucernæ alit oleum, sic & colloquium mulieris ignem redaccendit voluptatis:* & sicut is desiperet, qui ad incendium extinguendum, oleum in flammas injiceret, ita non sanæ est mentis censendus, qui omnem in se satagens luxuriam extinguere, non tamen à colloquiis cum mulieribus se subducit.

Cap. 24.

80. Phreneticis pares dixeris, qui continuato cum procaci muliere colloquio, lilium castitatis ita incontaminatum servare existimant, ut excitatæ libidinis non possit flamma exarescere: scitè ad rem nostram D. Basilius ait: *si quis dicat ex assiduo se cum mulieribus colloquio, congressu, atque convictu non deliniri, & non admodum lædi, hic sine dubio, aut magis naturæ particeps non est; & portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in utriusque sexus confiniis, ut ita dicam positum;* *aut certè cum totus immensis libidinibus obruatur, ebrijs atque phreneticè correptis similem se esse non sentit, qui gravissimis affectus morbis, morbum tamen à se omnem abesse existimat:* qui molli eum muliere, ac procaci cum fœmina non veretur colloquia inserere, & non timet libidinei ignis æstum experiri, is vel humanitatem exuit, sexúmque omnem deposuit, vel in frigidam marmoris statuam degeneravit: lapis est, qui sine ullo sensu melita fœminæ excipit verba.

Cap. 4. de vit. Monast.

Qui sapit, muliebri non fidat colloquio, mollia sunt fœminarum verba, sensim sine sensu rimulas cordis penetrant, ubi concupiscentiæ flammas excitant, & libidinis accendunt incendium, quo castitas cinerescit; & ejus cultor, quia se à fœmineo non subduxit colloquio, fœdè in scelera labitur: scitè D. Ambrosius ait: *Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur, graviora sunt his fomenta verborum, quæ vino quodam Sodomiticæ vitiis mentem inebriant.* Vino qui madet earenus non sentit, quia ebrius somno vel est sopitus; vel à proba mente dejectus:

Lib. 1. de pænit. cap. 14.

verba, quæ procax effutit mulier vino paria dixeris, quod ex Sodomitica exprimitur vite, non ad vitam fovendam, sed ad necem inferendam: mentem inebriant, ne quid agat audiens, videat, & ebrio similis titubans incautè labatur: non nuda, ac simplicia credamus procacis mulieris verba, non aures tantùm pulsant, sed mentem pervadunt, & animum irretiunt, quia ut loquitur D. Ambrosius: *verba petulantis mulieris cupiditatum sunt retia, manus ejus amoris nodus est.* Caveamus igitur, ne nos procaces mulieres blandis suis colloquiis irretiant; pestiferum ijsdem venenum inest, neque his retibus implicatus, cùm venenum hauriat concupiscentiæ, evadit corruptionem, necémque declinat, non enim potest quispiam illæsus venenum ebibere.

Lib. 1. de pænit cap. 13.

Quòd si impuro fœminæ colloquio in simplici ejus sermone tot implicantur pericula; quæ discrimina in ejus cantu, non incurrent quotquot eo delectantur? est procacis mulieris cantus eblandientis sirenulæ alliciens vox; meretur decipi, qui sinit se harum sirenularum allici eblandientibus cantiunculis: si luxuriæ æstus pelago pariaveris fluctibus concito; credas sua luxuriæ mare brevia habere, nec suis destitui scopulis, ac voraginibus, sunt enim in hisce undis, ubi nata Venus naufragia viris aperit, scyllæ voraces, & charybdes infames, quid enim aliud ipsam dixeris libidinem, quàm implacabilem quamdam scyllam, vel minacem charybdim. Cavenda prorsus est hæc charybdis, quæ non corporis tantùm navigium sorbet, sed & mentis, animæque navem absorbet. Blandiatur voce, alliciat cantu procax fœmina, eò truculentiùs sævit, quò suaviùs eblanditur; neque si procacem mulierem charybdim dixeris, à qua scylla non abjungatur, te errâsse credas, cum S. Hieronymus ad Heliodorum scribat: *In illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat, scylla, seu renidens libido blanditur.* Castitatis cultor, si sapit has beneficio fugæ scyllas, charybdésque, has voragines, hosce declinabit scopulos. 81.

In Epist. ad

Neque luxuriæ æstuans mare suis censeas sirenulis destitutum, non enim hisce caret illicijs, cum ipsa concupiscentiæ blandimenta, voluptatis aucupia, carnis illecebræ, procaces mulieres, blanditiæ allicientes, sirenulæ sint illicientes, quæ suis cantibus homines fallunt, suis fraudibus viros dementant, quos submergant, rectè Synesius: *Audivi doctum virum, qui fabulam allegoricè exponeret, sirenas scilicet denotare voluptates, quæ deliniunt, & suavitate ea captos paulò post interimunt.* Idque, vel maximè de venereis verè proditur: neque Helianus Sophista aliter videtur sensisse, cùm dicat: *Poësis sirenas, ut puto, comminiscitur esse fœdas voluptates,* claudendæ igitur, si cum Ulysse sapis, aures sunt; ne ab hisce decipiaris sirenulis, & deceptus naufragus immergaris. 82.

Epist. ad Herculian.

Sirenas

85. Sirenas itidem fuisse meretriculas perhibent alij ob id causæ, quia sirenulæ ob cantûs suavitatem non solùm æquora trajicientes illicerent, verùm & irretirent ad naufragium, ac oblivionem quandam patriæ, rerúmque suarum conciliarent: quia verba, cantúsque meretriculæ oblivionem ingerunt cœlestis patriæ, & mundi voluptatibus illiciunt ad interitum. Cavendæ omnino sunt hujusmodi impudicarum illecebrarum sirenulæ, quæ oblectantes decipiunt, decipientes irretiunt, & irretientes interimunt: induítque propterea fœminea facies adblandiens draconis sævientis naturam solo interimentis sibilo ex Isaia: *Et respondebunt tibi ululæ in ædibus, & sirenes in delubris voluptatis*, ubi textus Chaldeus exponit: *Et dracones in domo habitationis deliciarum eorum:* nimirum qui in extima cute sirenulas præseferunt adblandientes, dracones intus fovent, & perinde ac hericius utrinque jacula jacit, ex quavis parte pungit, & ferit. Væ qui ab hisce fallacibus non se subducunt sirenulis, væ qui voluptatum non declinant illecebras, fel ebibunt, dum melleum putant poculum libare. Claudat aures, qui sapit, obseréque cerâ, ne fallaces illicientis sirenulæ cantus aures pulsent, sic enim se ab hisce eripiet discriminibus.

Cap. 13.

84. Castitatis cultor surdus est ad sonos, vocésque vocantes ad blandimenta voluptatis, & avocantes ab exercitio sanctitatis; fugit meretricia illicia, & declinat meretricij blandimenta naufragij. Non blanda simul & fallax solùm est meretrix siren, verùm & vorax charybdis, quæ omnia absorbet, & nunquam expletur, quæ plura semper appetit, licèt omnia deglutiat; siquidem alliciens cantu meretrix viros ad se trahit, ut eorum bona abliguriat: imò & domesticos inter parietes hanc habet charybdin, qui mulierem alit impudicam, & ejus cantu delectatur, ejus illiciis gaudet, ac blandimentis fruitur: hinc experimento etiam interdum deprehensum est, vel unam ex hisce improbis mulierculis in domo divitis stabulantem totiûs domus substantiam bona omnia, opes universas consumpsisse; imò quod deterius etiam heri animam non solùm virtutibus spoliâsse, sed inflictis vulneribus sauciam perdidisse, ac in gehennam æternis torquendam cruciatibus præcipitem egisse. Fallentibus, ac illicientibus suis cantibus mulierem viros consuevisse velut charybdio absorbere etiam Philostratus edixit inquiens: *Quænam hæc nova corporum pignoratio? quæ tyrannis? ducis me aspectu, & trahis me nolentem, quemadmodum navigantes charybdis absorbeat: erant ergo & amoris luxus, & oculorum venti, quibus si quis semel implicatus sit demergitur. Hoc igitur ne charybdis quidem potuit, stati temporis erat naufragium, & si quis paulisper sustineat, salutis copiam adipiscitur arbore reperta in medio pelago. Qui verò in hoc mare semel delatus est, huic exitus im-*

Epist. ad uxor.

posterum non patet. Allicit igitur, & voce, & cantu trajicientes æstuantes libidinis fluctus, sed simul absorbet in charybdin.

85. Plures sunt qui tametsi ab aliis sint vitiis immunes, imò & studiis addicti virtutum, adhuc sinunt muliebri cantu, quo delectantur miserè irretiri. Tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam castitatis cultores in istum quasi in extremum Diaboli laqueum incidant. Utinam sicut ad sanos, sanctósque sermones aures oporteret adaperire, ut per ipsas veluti per tubos ad animum cœlestis doctrina transmitteretur: ita obscœnis hisce clauderentur cantionibus, ne per aures quasi per fistulas obscœnæ libidinis virus inferretur in mentem, & irreperet in pectus. Non secus fugienda est fallax hæc cantilena, quàm ferarum illud genus, quod toxicum ejaculatur.

86. Imò non solùm adblandientis fœminæ verbis, & cantui claudendæ sunt aures, sed etiam cuilibet verba proferenti impudentia, quibus honori detrahit aliorum, vel saltem nominis gloriam satagit imminuere: nil enim auditur frequentius, & nil plerumque libentius in platea, in triviis, in tonstrinis, in conviviis, in tuguriis pauperum, in palatiis nobilium, in rhedis, essedis, navibus, ubique enim vapulant omnium aures conviciis, contumelijs, calumnijs; & non caret vitio bibulam aurem exhibere linguæ in alienum honorem grassanti. Pulchrè Plutarchus, aures eorum qui delectantur audire perniciosa, portis æquiparat urbium, quæ vulgò abominio habentur, eò quia per ipsas educantur à carnifice, qui ultimo sunt supplicio puniendi, vel per quas non solùm nefarij educuntur, verùm etiam piacula inducuntur, & nil faustum, lætum, & auspicatum in urbem ingreditur.

87. Pares hisce portis eos dicas, qui pia colloquia, verba virtutem redolentia, sermones de DEO habent contemptui; & ambas aures veluti geminas inauspicatas animi portas longè, latéque patenter laxant ad noxia quæque excipienda: per ipsas ingreditur calumnia, ut carnifex alienæ vitæ; inducitur convicium, quod alieno detrahit honori; transit detractio, quâ alieni nominis gloria minuitur; eunt, redeúntque plaustra obscœna inverecundæ mentis, linguæ impudentis, acroamata impuri scurræ, vel effrontis sicophantæ, aut scurrilis nebulonis, aut mendacis lurconis admittuntur; & per patentes ambas aures sordibus oppletur mens, quæ carcinomatis patens acervo exuberat quisquiliarum; & per deterrimum os eandem postea mephitim exhalat, quam per aures attraxerat; eandem evomit per os turpitudinem, quam per patulas ebiberat aures.

88. Declinandi omnino sunt non solùm qui verba noxia effutiunt, verùm & qui ad improba audienda proni deprehenduntur, ad indecora attenti, & ad probra excipienda, quæ in probos à maleficis jaciuntur, procli-

ves. Aristo qui à teneris annis in sinu adolevit Philosophiæ, ventorum aiebat eos molestissimos esse, qui amictum nobis retegunt: & ita probi viri in omni congressu eos censent omnium infensissimos, proinde remis, velisque, nisúque toto fugiendos, qui quæ tecta esse charitas jubet, detractâ vento malitiæ tunicâ palam produnt: undique audiuntur obstrepere animantes, & sonis aëra opplere, sive consoni auditum emulceant, sive absoni aures flagellent, hinc audiuntur philomelæ argutè, alaudæ canoræ, citharæ ennsonæ, tibiæ harmonicæ, quæ blandè per aures in animum se insinuant; sed audiuntur etiam rudentes aselli, grunientes sues, ululantes lupi, oblatrantes canes, coaxantes ranæ, rugientes leooes, mugientes tauri, innientes equi, batientes elephantes, gementes pueri, & ondique vel inconditi fletus, vel confusæ voces: & tunc felices sunt aures illæ, quæ nil admittunt, quod noxias possit intus in animo cogitationes excitare. Aures aperiendæ tantùm sunt pijs colloquijs, & prorsus claudendæ profaoo cantui, vocique ad noxia trahenti,

89. Non solùm per oculos, & aures cavenda sont, qoæ imminent pericula in aspectu ad fœminas directo, verbisque ooxijs; verùm etiam in olfactu, qui plerumque pessimè olentia ebibit, qoibus intus anima inficitur. Tres præsertim ob caosas non modica adhibenda est cautela hunc circa sensum, quarum prima ex eo petitur, quia omnis illa voluptas, quæ percipitur ex dulcium aromatum usura, ex florum suavi exhalatione, herbarúmque suffitu; & ad jucundam sensunm oblectationem adhibetor perqnam frivola est, & suppar levioribus fumis; est enim oblectatio, quæ vel motu auræ exiguæ avolat, & disparet, ut ampliùs non sentiatur, ut inde conjiciamus, quàm vanum sit hisce inhiare suffumigationibus, quarum possessio nonnisi fumum sapit, & quorum felicitas volatica est. An non helleboro indigere eos diceres ad capitis curationem, qui insolenti pecuniarum profusione opes suas, quas in alendis pauperibus impendere in proprium verum commodum nunquam periturum possent, perdere malunt hausituri volatilem ex fumo voluptatem, quæ momentò unà cum fumo avolat, & desinit?

90. Relatum mihi fuit de viro qoodam divitijs affluente, qui Amstelodami in Holandia ut Principi hospiti aliquid daret oblectamenti, cum hyeme frigus ea in urbe acriùs rigeret, ignem accendit ex puris aromatibus, ut simul flamma olfactui eblandiretur, & rigorem frigoris è manibus arceret, & plura centena millia oummorum, quibus per plures annos pauperum turbas alere potuisset pauculas intra horas consumpsisse: ao non damnanda est hæc insania, quæ ut substantiam perdat, fumum quærit, quo perfruatur? Vir cordatus, & culturæ addictus virtutum erubescit incedere unguentis oblitus, rosis coronatus, id enim argumento est non solùm mollis, ac effœminatæ indolis; verùm etiam prodit oullum ei inesse virtutis odorem: nil enim probrosius viro, quàm palam exhibere ad omnem elegantiam effictum corporis cultum, & pompam ostentare fœmineam, quâ perinde ac amator Comœdus totus comptus, venustulus, fragrans odoribus, ubíque suffitus, & unguenta per forum, per plateas spargit: an non meretur è virorum cathalogo expungi, & ad gynæceum amandati mollium fœminarum?

91. Altera causa ex eo eruitur, quia afflatæ illa odorum suavitas, virilem mentem frangit, animum emollit, effœminat, & inducit petulantis cujusdam lasciviæ socordiam, hominémque viribus destituit, omnémque virtutis nervum in ipso laxat, disrumpit; fœmineum enim oon virilem prodit sexum muſco, vel mure fragrare; unguenta, & suffitus, odorésque exoticos ubique spargere: hoc enim suffimentum Cyrillus Jerosolymitanus vocat voluptatis inescativum, quod fœminis improbis oon viris probis convenit; hinc Homerus nulli ex heroibus odorum tribuit fragrantiam, nisi uni duntaxat Paridi, quem propterea eleganti calamo delineat, delicijs elumbem, voluptatibus fractum, muliebri venustate formosum, unguentis delibutum, floribus, rosisque stipatum, & veluti aureum ephœbum totum à Venere, totúmque à Cupidine mulierosum: Salomon itidem solis mulierculis lenocinantibus hos tribuit odores: fingit enim meretricem non tam muliebri pompa comptam, quàm multiplici lasciviæ choragio instructam, & pantectis veluti elegantiarum, venustatúmque, quibus fortes aliàs, ac generosos possit adolescentes irretire; eique ut alliciat suffitus etiam, & odores tribuit frangendis mentibus accommodatos: *Aspersi cubile meum*, seu ut alij explicant ex hebræo *cubile meum odoratum reddidi: myrrha, aloë, & cinnamomo.* Prov. 7. Veneris igitur amasij sunt, discinctique nepotuli, qui exoticis delectantur odoribus, quique suas impendunt pecunias, ut varia timiamata, ciphos, muscos, murísque exotici pelliculas, totiúsque suffitus Arabiæ sibi comparent, adscititiam exhalaturi exteriùs suavolentiam, quæ plerumq; internū vitij fœtorem prodit.

92. Tertia causa, cur rejiciendæ omnino sint hujusmodi deliciæ, quæ ex odorum hauriuntur suavitate, eruitur ex eo, quia hujusmodi odores homioes produot potiùs malè olentes, quia vitijs ut plurimum coinquinantur. Judæi quia solutis moribus fuerunt, ac in omnia deliciarum genera effusi odoribus vel maximè delectabantur, ut etiam vioo uterentur odorato: sed eorum delicias perstrinxit per suum Prophetam Isaiam Deus scelerum vindex, promeritam vanæ huic voluptati indicens pœnam: *Et erit pro suavi odore fætor*, seu Isaia 3. ut vertit Vatablus *critque pro musco tabes*,

quia

quia nimirum qui odoratis unguentis corporis obliniunt membra, multiplicique suffitu vestes imbuunt, quibus alijs suaviùs oleant, tabescent tetriori fœtore, & eorum caro in puticulos, saniem, pus, vermes, tabésque dissolvetur: & tunc harum deliciarum aucupes, qui nonnisi exoticis fuêre odoribus delectati, nonnisi fœtidam erunt mephitim exhalaturi, & qui sudariola, chirotecas, & genus omne vestium nonnisi musco, aliisque odoribus ex delicatiori mutatis flore imbuta pati noluerunt, mox putrescentes, totam aëris viciniam fœtore inficient intolerabili. Oleat odore virtutum intus animus; *optimus autem in corpore odor*, ait Seneca. *Est omni carere odore.* Epist. 10

DISSERTATIO XIV.

Gulæ deliciæ perinde fugiendæ, ac morituræ castitati præludentia sardonica Poma.

§. I.

Ventrem, qui varijs obsoniorum oblectamentis immoderatiùs onerat; mentem affectuum pravitate miserè premit: & corpus vitiatis obruit humoribus.

1. lib de anima cap. 33. NOn abs re Tertullianus hominem navem edixit æquora traijcientem, quæque rationis gubernaculo regitur, desideriorum venris aurigatur, animi affectibus, perinde ac remis agitur, his enim utitur, ut ad optata perveniat littora. Verùm si hæc navis plus æquo ciborum sarcinis, ac saburra gravetur, si immodico madeat vini haustu, plerúmque contingit, ut adspirent pravorum desideriorum, & præsertim æstuantis concupiscentiæ Euri, Notique, quibus incipit mens fluctuare scyllas inter & charybdes, ac urgeri ad fœdum naufragium: siquidem qui crapulæ, & ebrietatis merguntur fluctibus, naufragia etiam in terra subeunt; insigne hujus documentum dedit posteritati superstiti hebraicus populus, qui tametsi sicco vestigio mare rubrum pertransisset, infelix in terra naufragium subijt, gulæ illecebris gravatus, vinique ebrietate obrutus, ut pulchrè notat S. Homil. 23. Chrysostomus *ad populum Antiochenum*, inquiens: *Novi quomodo populus illius temporis, qui cum jejunio mare transgressus est; ebrietate percussus, per continentem terram naufragium fecit. Respice illorum vitium, & ruinam refuge. Si enim naturalibus ramis Dominus non pepercit, nec tibi parcet negligenti.*

2. Errant, qui putant in longius ævum posse vitam protrahere, si ciborum cupedijs innutriti ventrem immoderatiùs onerent, séque ferculorum copijs ingurgitent, variisque obsoniorum oblectamentis famem irritent, stomachum impleant, non perpendentes fœdam inde ex coacervatis cruditatibus oriri maciem, exundantem effluere peccantium humorum copiam, quibus facilè corruptis, ac inter se altercantibus, rixa plerumque indicitur, quæ nonnisi cum homine extinguitur, qui obsoniorum delicijs, vinique immodico haustui indulserat: multa enim fercula, multos ingenerant in humano corpore morbos, quod etiam notatu dignum censuit Seneca, inquiens: *corpora* Epist. 96. *opere, & vero labore durabant, aut cursu defatigata, aut venatu, aut tellure versata excipiebat cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itáque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus: simplex erat ex simplici causa valetudo. Multos morbos, multa fercula fecerunt.* Hi sanitati, tum corporis, tum animi student, qui non aliter alimenta sumunt, quàm ut medicamenta, & ut corporis vires reficiantur quidem, sed non opprimantur: cum ciborum enim varietate multiplicitas etiam excrevit ægritudinum.

Josuë provectæ erat ætatis, in bello impetentium hostium assultus longævus compescuit, tametsi celeriùs videretur finiendus: cùm Josuë sexcenta peditum millia egressa fuerunt, quæ tamen vitam clausêrunt in deserto, licèt nonadeò ibi frequen- 3.

tes essent hostium irruptiones, neque plurimo Hebræi tererentur labore. Quòd si causam quæras, cur ad extremam senectam bellicosus Josuë vitam protraxerit, quam populus perdidit in deserto extra pugnas, nullo ingruente bello? causa hæc fortassis fuit, quia tametsi hostilem non fuderit populus sanguinem, plurimum tamen diffudit in stomachum vini; quamvis devicti hostis opimis non repleretur spolijs, delicatioribus tamen ferculis ventrem oppleverat: *Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra*, oimirum pluviarum instar involârunt volucres, & accipitrum instar advolârunt Hebræi ad delicias sibi rapiendas: *surgens ergò populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregavit coturnicū multitudinē, qui parū, decem coros.* sed quid tunc? pergit textus loquens: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plagâ magnâ nimis:* qui olim steterat populus hostiles inter assultus, fœdè cecidit inter deliciarum cupedias, qui inter insidias, belliq; clamores non timuit; miserè periit inter fercula; qui armis, ferróque gravatus jejunus bene sibi, ac corporis sanitati consuluit; delicatioribus obsonijs oneratus morbos contraxit, & interitum ad se traxit. Lautitiæ, & gulæ deliciæ non vires reficiunt corporis, sed cupiditatum nutriunt insaniam, & armantur in vitam, quam miserè interimunt. Josuë licèt circumiret hostium Regiones, montium adiret prærupta, solis æstus, & laborum lassitudines sustineret, adhuc in ipso senio robustus, ac cæteris fortior fuit, cum è converso reliquus populus miserè perierit obsonijs ingurgitatus, & delicijs ipsis armorum instar eversus.

Num. 11.

4. Non solùm corpori sunt obsoniorum cupediæ, ciborum oblectamenta noxia; sed, & animæ, quam miserè enervant, viribúsque destituunt, qui gulæ, ferculis, & haustui indulgent. Est gustus inter sensus omnium infimus, at abjectissimus, utpote totus materiæ immersus, & proximiùs ad brutorum accedens naturam; minúsque propterea gustent, quàm svavis sit Dominus, qui cum brutis ventri indulgent, non menti inserviunt, delicati cupediarum aucupes, lurcones, ac liguriones asoti, qui nonnisi sybariticis delectantur cœnis, non alio gaudent humore madere, quàm generosioribus falernis. Idque vel maximè probro vertitur homini, qui invitatus, imò & conditus propter cœlum, & cœnam illam magnam, ubi proponitur gustandum manna cœleste, quod in se continet omne delectamentum suavitatis, malit suo indulgere genio, & gravari crapulâ, quâ dum impletur venter, mens evacuatur; acies ingenii hebescit, lumen rationis offuscatur, & minuitur, animi serenitas abripitur; & excitatæ concupiscentiæ æstus totum internum hominem improborum affectuum fluctibus exagitat; ut vel in scopulos scelerum collisus pereat; vel in syrtes impingens naufragium patiatur: *qui enim ventrem implet*, ait S. Nilus. *Et se castè victurum profitetur, ei similis est, qui dicit, in stipula se flammæ impetum cohibiturum:* cognatione quadam, & affinitate inter se se cohærent ebrietas, & luxuria, quia ab ebrietate lubricum, & præceps ad luxuriam est iter, ut verè S. Bacchiarius *in epistola de recipiendis lapsis* scripserit: *Luxuriam inter ac ebrietatem, ciborúmque saturitatem in vitiorum nativitate germanitas est:* in vini haustum se totum effundere; cupediarum genus omne concupiscere, lautitiarum varietati inhiare; in patinas æquè ventrem, ac mentem avidissimè immittere, ferculorum appetere multiplicem apparatum, ciborum exoticos sapores investigare, stomachum, ventrem generosiori replere vino, nil aliud est, quàm flammis concupiscentiæ fomitem adijcere, quàm mentis fumo fœdis infuscare evaporationibus, & libidinis materiam pravis ministrare desiderijs, quia ut scitè ait S. Nilus, ut ignis materia lignum est, sic libidinis materia est ingluvies, & sicut illud flammam excitat; eodem pacto hæc turpem cupiditatem. E sana mente deijcitur, qui indulgens gulæ, pudicitiæ vult cultor audiri, quia ut idem S. Nilus ait, *qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui se ignis impetum stupâ compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.*

Orat. 2. de luxuria.

Orat. de eadem.

Imò qui ventri tantùm student non concupiscentiæ duntaxat flammas nutriunt, sed & corporis colluvione fiunt stupidi, viribus fracti, mente obtusi, ingenio hebetes; & bobus pinguioribus similiores, quàm hominibus, quódque deterius contaminant omnia fœdis eructationibus; & cum illo de Comœdia Parasito, nonnisi ferculorum fumos sapiunt, & nidorem oleot culinarum, dicerésque hisce palæstram nonnisi cellam vinariam, & culinam esse, gymnasium triclinium, quibus lances sunt enses; ollarum strepitus est lituus: quique tunc tantùm sudant, cùm manducant, vel bibunt, & nullus est illis frequentior locus, quàm focus, ubi coquus laborat. An non à quovis dejecti exercitio mentis, & toti dediti in expletione ventris merentur è cathalogo expungi hominum, cùm malint ventris indulgentiâ pecudum turbis adsciscí? 5.

6. Adeò gulæ vitium est homini noxium, ut hunc omnibus constituerit ærumnarum miserijs obnoxium; morti enim corporis, & animæ nos gula initiavit; cum Protoparentes pomi interdicti esu omnes suos posteros priùs interemerint, quàm gignerent: malè enim carptum malum malorum omnium iliadem in mundum traxit, & unicus interdicti pomi morsus mortis horrorem accersivit, ac unica pomi deglutitio in omnes mi-

miserias orbem totum præcipitem egit: fuit gula, quæ cùm pomum momordit, Pandoræ pixidem aperuit, ex qua innumera suppliciorum genera, fames, bella, pestis, & lexcentæ calamitates, ærumnæ, cædes; morborúmque agmina proruperunt; gulam aperuêre Protoparentes vetiti pomi gustandi causâ; sed unde cœlum irritârunt, ex quo reboant tonitrua, ruunt fulmina, dilabuntur fulgetra, nives, grandines, turbines, & spiritus omnes procellarum. Aperuerunt Protoparentes gulam pomi vetiti morsui; sed simul, & sibi, & nobis januam clauserunt paradisi, séque & nos ejecerunt in hanc vallem lachrymis duntaxat exundantem; in huuc amoris pelagum, ubi & æstus vehementes rebellantis concupiscentiæ; & fluctus decumanis tumidiores pravarum passionum; & venti procellosi protervorum desideriorum per scyllas, & charybdes, seu ad naufragia nos ducunt. Aperuêre prutoparentes os, ut pomum sibi vetitum deglutirent; sed ex hoc camino fœdæ libidinis scintillæ statim emerserunt, & naturæ vitiatæ fumus ascendit etiam ad mentis lumen infuscandum, ad lucem divinæ gratiæ eripiendam, ad lachrymas ciendas: cum ex hac fomica cœperint statim pravarum cupiditatum purulentiæ ebullire: licèt solus Adam gulæ indulserit in esu vetiti pomi; pœnas tamen luit suo in authore tota ejus posteritas; & quod unus deliravit, plectuntur omnes: enervato enim omni vigore, rebellantis concupiscentiæ effrœnes affectus nos proterunt, conculcant, ac interimunt; hinc experimur mentis hebetudinem, animi tœdium, spiritûs langnorem; corporis infirmitates, quibus corrumpitur; dolores, quibus torquetur; febres, quibus absumitur; plauritides, quibus lancinatur, & ex unico gulæ vitio erupit, quidquid est homini noxium, necémque eidem molitur, sive sint pestes grassantes, sive rixæ flammantes, sive bella irruentia, sive procellæ naufragia minantes, sive turbines interitum prænunciantes, sive grandines segetes decutientes, sive cataclysmi mundum submergentes universum.

§. II.

Gula delicias, quia prima mulier non fugit, nec appetitum coërcuit, cum malè carpto malo malorum omnium colluviem deglutivit, hominémque suo spoliavit ornatu, ac in imum detrusit miseriarum.

7\. EMblematis involucro exhibiturus Christus hanc protoparentis calamitatem, hominem pinxit ab urbe Jerosolima ad Jericho celeri gressu proficiscentem, qui cum in itinere violentas incidisset in grassatorum manus, miserè cecidit multiplici inflicto vulnere saucius. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Luc. 10. v. 30. Per hunc viatorem emblematicè describi Adamum, fatentur unanimes SS. Patres, præsertim Augustinus apud D. Thomam in Catena, inquiens: *Homo iste, ipse Adam intelligitur in genere humano.* Sed utrumque si conferas, non videtur emblema respondere exemplari, nec transumptum prototypo: etenim si historiam repetamus, nullo fuit Adam gladio à grassatoribus vulneratus. Deliciabatur Adamus amœnissimo ditatus loco terrestres inter, ac cœlestes delicias, & licèt paradisi colonus esset; non tamen laxabatur æstu, algebat frigore, madebat sudore, frangebatur labore; sed cultura ad animi potiùs erat remissionem, quàm ad laboriosæ manus occupationem: etátque voluptas innoxia, nec ulli serpentino obnoxia veneno; & tantùm ut ingentis horti, regnique possessor fiduciariam servitutem suam, exigui tributi pensione testaretur, unicum accepit mandatum, ne gustu arborem scientiæ boni, & mali attingeret; nisi à jure vellet immortalitatis deijci; séque cum tota sua posteritate fieri è cœli etiam delicijs extorrem.

8\. Ad invidiam verò excitatus hostis tartareus, quòd homo tot affluere æquè delicijs, ac divitijs; Evam, ceu sexum fragiliorem, proniorémque ad præcepti transgressionem varijs suasionibus illexit, inflexitque ad vetitas in fructu cupedias exambiendas: serpentem cæteris animalibus sagaciorem effinxit, quem & artibus sibi notis vocalem effecit; magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm eloquentem facturus anguem; hunc igitur decipiendæ fœminæ accomodatum induit dœmon, invidiâ tortus tantæ Protoparentum felicitatis in terra, longéque majoris postea in cœlo futuræ, cujus ipse possessione deturbatus esset. Cum forsan per paradisiacas delicias inambularet Eva; consisteretque, sicut eam animi libido, desiderijque æstus pepulerat ad arborem scientiæ boni, & mali fetacem, adfuit ibi serpens, sive arboris circumvolutus ramis, sive subter arborem in caudam, aut pedes erectus: perinde ac hominem hosmo, mirâ lenocinantis sermonis illecebrâ primæ fœminæ sibi benevolentiam captat, eique venenum pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium instillat; & quidem dulcedine mixtum pleníssimæ libertatis; & tantis verborum lenocinijs jam exambienti præeminentiam fœminæ gustum vetitæ arboris suasit, ut esum fructûs persuaserit: momordit enim dentibus prohibitæ arboris pomum; & dum decepta arbitrata est beatitatem Numini invidendam unà cum pomo deglutivisse; statim maritum adit, vimque pomis illis insitam, quibus referta est arbor scientiæ boni, & mali pluribus commendat, ac dulcedinem,

reli-

reliquásque optandas in fructibus qualitates lenocinantibus laudat verbis, ac in ancipiti hærentem virum, mortísque metu tergiversantem pellicit, qoi tandem malens Deo, quàm uxori displicere oblatum sibi pomum manu rapit, eique dentes infigit, & in morsu unius pomi mortem sibi, totique ejus posteritati deglutivit, ac invexit: & qui sponte non fuisset in exitium iturus, per sathanam, & fœminam permisit se in congeriem trahi omnium ærumnarum. Proh quàm scelerata gula quæ tot inter palati delicias id quæsivit, quod contra prohibitionem sibi videbatur sapere: comedit Adam vetitæ stirpis malè carptum malum, & sapere delinitus cibum exhausit, & mortem hausit. *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, & comedit.* Genes. 2.

9. Adam igitur non mucronibus impetitus, non cruentis vulneribus saucius, néque altissimis transfossus plagis; sed pomi illectus dulcedine, ac irritamentis inescatus appetitûs à delicijs paradisiacis excluditur; unde non videtur quomodo homo ille, qui à Jerusalem descenderat in Jericho, & dispoliatus à latronibus, quibus obviaverat, ac inflictis vulneribus saucius Protoparentem Adamum emblematicè exprimat: hic enim miserandus ferro vulneratus sanguinem fudit; & Adam delicijs stipatus pomum gustavit: ille cùm suis esset indutus vestibus, spoliatur, nudúsque, ac semivivus publica relinquitur in via; hic cum delicijs affluens paradisiacis nudus esset, cùm primùm saporatum degustavit pomum, cœpit integumenta verecundiæ quærere, ac vestes sibi acquirere: ille clauso ore adactus fuit per inflicta vulnera plura aperire corporis membra; hic nullo in corpore ex gladio suscepto vulnere os tantùm aperuit, pomum degustaturus sibi veritum: si igitur tanto discrimine distat tranlumptum à prototypo; quomodo homo ille, qui ab Jerusalem descendebat in Jericho, exhibet emblematicè protoparentem Adamum?

10. Imò adeò aptè, ac concinnè ait Augustinus homo ille vulneribus saucius, ac semivivus relictus lapsum exhibet Adami, ut nulla major possit similitudo accersiri; siquidem morbis, plagisque se Adamus addixit, cùm vetiti pomi cupedijs inhiavit: prohibitus sibi cibus exacutus fuit gladius: & quæ in viatorem inflixetunt grassatores vulnera; Adam eadem in se ipsum molitus est, sibi enim manus injecit, non extersi gladij violentiâ, sed insanientis appetitûs æstu ardente: viator ille, cum ab Jerusalem in Jericho descenderet, grassatorum injurias passus est; sed Adam suismet voluptatibus, suisque dentibus, quibus pomum momordit vulnera, sibi inflixit: ille spoliatus à latronibus fuit; Adamus verò tunc habitus omnes, quibus ornabatur, exuit, cùm in pomi esu à statu fuit innocentiæ dejectus. Fuit enim spoliatus justitia originali, gratia sanctificante, & omnibus virtutibus, donisque supernaturalibus, quæ ad ipsam gratiam sanctificantem veluti pedissequæ proprietates consequuntor: pulchrè Ambrosius expendens textum *Genes. 3. Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt, quòd nudi essent*, subdit: *Antea nudi erant, sed non sine virtutum integumentis*: & paucis interjectis addit: *Ergo postea quam se spoliatos illa simplicitate, & sinceritate viderunt integra, incorruptaque natura, quærere mundana, & manu facta cœperunt, quibus nuda sua mentis operirent.* Quia scilicet spoliati habitu gratiæ sanctificantis, integumenta exuerunt virtutum supernaturalium. Lib. de parad. cap. 9.

Imò donum etiam exuit integritatis, seu justitiæ originalis, cujus benefitio appetitus sensitivus subijciebatur, ac obsequebatur superiori, cùm enim per transgressionem præcepti sibi à Numine injuncti propriam deordinaverit voluntatem, séque averterit à Deo fine ultimo, pessimus hujus aversionis fructus fuit perversio potentiarum appetitûs sensitivi, quæ rebellârunt contra rationem; rectus enim ordo potentiarum portionis inferioris statim turbatus, ac perversus fuit, & caro spiritui, concupiscentia rationi reluctata fuit: scitè Augustinus ait. *Postteaquam præcepti facta est transgressio, confestim gratia deserente divina primi parentes de corporum suorum nuditate confusi sunt; senserunt enim motum inobedientiæ carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ; jam quippe anima libertate in perversum propria delectata, & Deo dedignata servire, pristino corporis servitio restituebatur: & quia superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat, nec omnino habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si ipsa voluntas Deo subjecta mansisset.* Imò fuerunt etiam protoparentes spoliati dono immortalitatis, ac impassibilitatis, quia ut rectè Augustinus ait: *Quid timere, vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur?* 11.

14. de civit. cap. 12.

Lib. 14. de civitat. cap. 10.

Igitur, quòd primus homo donum exuerit immortalitatis, pœna fuit illius transgressionis, quâ gulæ voluit Adam indulgere: quando os aperuit, ut pomum deglutiret, januam adaperuit, per quam mors in mundum ingrederetur, omnésque homines interitui forent obnoxij: hinc ærumnæ, quibus premimur; miseriæ quibus deprimimur; dolores quibus torquemur; ægritudines, quibus corrumpimur, & ad mortem nolentes trahimur, per gulam sibi in hominem ingressum aperuêre, quia ut eleganter D. Gregorius ait: *Postquam de paradisi gaudijs exigente culpa expulsus est primus humani generis parens; in hujus quam patimur cæcitatis, & exilij venit ærumnam*: & dissertè ostendit mala omnia, quibus sunt homi- 12.

Lib. 4. dialog. cap. 1.

homines nunc obnoxij, ſuam ab uno gulæ illicio traxiſſe originem; veliſque propterea Iſidorus mortem à mordendo dici, quatenus primus parens, cùm fructum vetitum momordit per morſum mortem incurrit, & unà cum pomo etiam mortem deglutivit.

Lib. etimolog.

13. Quòd verò non ſolùm ſpoliatus Adam fuerit, ſed etiam vulneratus, perinde ac homo ille, qui deſcendens ab Jeruſalem in Jericho incidit in latrones, à quibus fuit ſpoliatus, & pluribus etiam vulneribus ſauciatus, ac ſemivivus relictus: ex eo liquet, quia quatuor principaliora fuerunt vulnera Adamo inflicta, & quidem eò deteriora, magiſque noxia, quia ſi non ſanguinem è corpore elicuerunt, majora tamen ſpiritui damna intulerunt: ſúntque hæc vulnera: *Ignorantia*, quâ rerum notitijs, & præſertim cœleſtium caret homo: *Malitia*, quâ ad vitia ſe pronum experitur, & hærentem caducis potiùs, quàm æternis: *Concupiſcentia*, quâ trahitur homo ad objecta delectabilia, ac ſenſibilia etiam rationi diſſona: *Infirmitas*, quâ eſt perquàm imbecillis, plurimúmque experitur difficultatis in virtutum cultura, & bonorum operum ſtudijs. Ex hiſce quatuor vulneribus ignorantia intellectum ſauciat; malitia voluntatem cruentat; concupiſcentia appetitum inferiorem vulnerat; infirmitas iraſcibilem lædit. Hinc ſicut viator ille, qui ab Jeruſalem in Jericho deſcenderat ſuſceptis vulneribus, fuit ſemivivus relictus: ita Adamus poſtquam injunctum ſibi præceptum fuit transgreſſus per gulæ indulgentiam ex recenſitis vulneribus eam contraxit infirmitatem, ut mortuo quàm viventi videatur ſimilior, hinc David Deum enixim rogat, quatenus velit ſanitatem ſibi impertiri. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, quæ verba expendens D. Auguſtinus, ait: *quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?*

Pſalm. 40.

§. III.

Quia per fugam Protoparentes ab eſu pomi vetiti à cupedijs gula ſe non ſubtraxerunt, ignorantiæ vulnus contraxerunt, quo intellectus lumine, & viribus deſtitutus miſerè cæcutit, & cænum cælo, temporalia præfert æternis.

14. PRimum vulnus, quod Gulæ indulgentia nobis inflixit, eſt ignorantia, per quam intellectus ſit hebes, obtuſus, caligine infuſcatus, ut nonniſi difficulter verum cognoſcat, illúdque à falſo ſecernat: per malitiam, ſeu ſecundum vulnus voluntas retardatur à proſecutione boni honeſti, retrahitur à cultura virtutum, & ſit pronior ad vitijs adhærendum: per tertium vulnus appetitus concupiſcibilis immoderatè exardeſcit, inordinatè tendit in bonum ſenſibile rationi diſſonum: per quartum iraſcibilis torpeſcit in proſecutione boni ardui, languet in difficultatibus ſuperandis, quæ eidem obviant. Rurſus ignorantia eſt, quâ intellectus per gulæ vitium à cognitione finis ultimi ſejungitur, in cujus adeptione tota hominis ſita eſt beatitudo: eſt ſiquidem finis ultimus hominis ſummum illud bonum, in cujus poſſeſſione plenè, ac totaliter expletur homo, nec poſſit quidquam ulterius deſiderare; eſt enim hic finis meta, & ſcopus, ad quem omnium vota, ac propenſiones naturaliter feruntur, cùm velint omnes homines beati eſſe, & nullus miſer, tametſi plures ob ſibi inflictum hoc ignorantiæ vulnus cæcutientes relicto vero, ſummóque bono ad falſa, & fucata quærenda ſe inutiliter occupent.

15. Hinc illud Philoſophorum diverſimodè de beatitudine ſentientium divortium. Plures enim exiſtimârunt ſummum bonum eſſe re nulla indigere, illúdque perperam collocârunt in divitijs, poſſeſſione auri. Alij rati ſummum bonum in ſumma ſitum eſſe potentia eos beatos cenſuerunt, qui vel regnant, vel regnantium lateribus adhæreſcunt. Quinimò pleríque in ſordida quæque ſe dejicientes, eum dixerunt beatum, qui voluptatibus diffluit, qui concupiſcentijs juxta vota indulget, qui ſummi boni, carne, & gulâ metitur poſſeſſionem. Verùm hi abſque fructu deſudantes, ac veluti in labyrintho jugiter errantes, quo proximiùs ad ſummum putant bonum accedere, eò longiùs ab eo diſtant, & ideò à beatitudine magis diſſiti, ac miſeriores, quia propriam non agnoſcunt miſeriam.

16. Qamobrem ex hoc primo vulnere ob gulæ peccatum inflictum intellectui, plura ſuboriuntur mala ex eadem pullulantia radice. Primò cùm homo id vel maximè appetat, beatè vivere, moríque beatè, ad cognoſcendum, quid ſit hæc beatitudo, & quibus comparanda medijs cæcutit, & errore devio per varios incedit anfractus, & quicquid agit, appetit, molitur, id contra ſe ipſum agit; eò quia per primum peccati gulæ vulnus non cognoſcit bonum illud ſummum, cujus poſſeſſione voluntas plenè quieſcit: defectu hujus cognitionis vagatur homo abſque firmo propoſito formicarum inſtar per varia repentium arbuſta, quæ in ſummum, cum appulerint cacumen, in imum inanes aguntur: cùm ſit ſolus Deus ſummum illud bonum, in cujus duntaxat poſſeſſione, poteſt homo quieſcere; debet homo omni niſu, totiſque viribus ſatagere, ac hujus ſummi boni enanciſci cognitionem, cujus beneficio ſoli Deo valeat tota mente ſervire, eíque toto affectu adhærere. Errant enim humana conſilia, ſi ad ipſum non dirigantur: inania ſunt hominum ſtudia, ſi aliò tendant, quàm ad ſummum bonum ſitum in clara Numinis intuitione.

17\. Sed ab eadem radice emergit alius ignorantiæ ramus, quia errat in electione mediorum, quibus summum hocce bonum, valeat enancisci: nullus enim est, qui plerumque non hæsitet, cæcotiâtque in rerum agendarum deliberatione, & præsertim circa circumstantias loci, temporis, aliorúmque

Sapient. c. 9. hujusmodi, dicantúrque propterea *Cogitationes mortalium timida, & incerta providentia nostra.* Opus igitur est, ut cognoscat homo, quæ sint impedimenta, quæ eidem sunt obici, ne summum in ultimo fine bonum enanciscatur: & quia hoc impedimentum ab eo derivat gulæ illicio, quo homo maluit Numini, quàm uxori displicere, ideò debet conscientiam expiare, & ea omnia excutere, ac declinare, quæ summo bono displicent, tametsi levia visa fuerint: quia hæc licèt mortem non adferant, vires tamen dissolvunt, & paulatim ad mortiferam disponunt labem. Parum interest ad naufragium subeundum, an navis uno fluctu obruta demergatur: an guttatim subrepens aqua per carinæ rimulas, & per incuriam neglecta ipsam impleat, & deorsum impellat. Sunt studia virtutum media ad finem obtinendum, has tamen virtutes nunquam animo serimus, nisi vepreta omnia pravorum affectuum radicitùs evellamus: pravi enim habitus, qui deletæ culpæ superstites in homine hærent; perinde, ac venenata peccati soboles radicitùs extirpari debent; alioquin si soli præscindantur rami servata radice, iterum germinabit soboles, novíque succrescent ramusculi iniquitatis.

18\. Tertium à prima radice ignorantiæ, quod emergit germen, est inscitia rerum necessariarum. Quartum est vacuitas, quâ nascitur homo destitutus omni operatione propria suæ naturæ. Quintum est difficultas, quam experitur homo in scientijs addiscendis, quas nonnisi labore improbo enanciscitur, quinimò in quorumdam intellectu adeò altè suas figit ignorantia radices, ut malint cæcutire jugibus obruti ignorantiæ tenebris, quàm eum subire laborem, quo possent ad scientiarum adeptionem perduci,

Lib. 22. de civit. c. 22. unde S. Augustinus ait; *Quid aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantia, ex qua mentis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, & timore non possit.* Sextum est ignorantia sui ipsius, cujus expulsionem, vel ipsi Ethnici suis inculcârunt vulgata illa epigraphe: *Nosce te ipsum*, innuentes debere hominem plurimum impendere laboris, ut, qualis sit, revera cognoscat: siquidem mens humana nil minus cognoscit, quàm se ipsam: imò non solùm suam ignorat naturam, verùm & propria sua opera, ídque causæ fuit, cur David ingemiscens clamaverit: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Septimum ab ipso etiam corpore suppetias petit, à quo intellectus dependet in ordine ad cognoscendas rerum veritates: non parum à corporea mole impeditur, ne expeditè scientias naturales sibi comparet. *Corpus enim*, ait Sapiens, *quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Octavum est inanis curiositas: pauci notantur, qui non libentiùs aliena scrutentur errata, quàm examinent propria: hinc finxit Æsopus mortales singulos binas habere manticas, quarum altera ad pectus, altera à tergo penderet; sed in priorem aliena vitia conjicere, in posteriorem sua: ex quo orta fuit parœmia: homines minimè videre quid in tergo manticæ sit, id est; cùm aliena vitia acutissimè videant, in suis postea cæcutiunt, & hæc alia est miseria ab eadem putida radice germinans propria non cognoscere vitia, & aliena scrutari. Nonum tandem germen ignorantiæ est, quia homines persæpe animo volvunt, quæ inania sunt, levia, inepta, & id causæ est, cur plerumque sine fructu absque utilitate tempus terant, diésque ducant infructuosos, unde S. Augustinus ait: *Cùm in hujuscemodi rebus conceptaculum sit cor nostrum, & portet copiosa vanitatis catervas, hinc & orationes nostra sape interrumpuntur, atque turbantur; & ante conspectum tuum, dum ad aures tuas voce cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatorijs cogitationibus res tanta pracidítur.* Lib. 10. confess. cap. 35.

§. IV.

Vulnus, quod neglectus fuga pomi vetiti per ejusdem morsum inflixit voluntati, in plura putrescit ulcera homini perquam noxia.

VUlnus per gulæ indulgentiam voluntati Adami inflictum in plura etiam dividitur ulcera, quorum primum 19. est inordinatus amor sui, rerúmque externarum, ac fluxarum: & ex hoc putidissimo fonte plures scaturiunt perniciosissimi rivuli, quos recenset D. Augustinus, inquiens: *Mordaces curæ, animi perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordia, lites, bella, insidia, iracundia, inimicitia, fallacia, seu adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, nequitia, luxuria, petulantia, hæreses, blasphemia, perjuria, oppressiones innocentium, calumnia, circumventiones, prævaricationes, iniqua judicia, violentia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita hominum non recedit.* Lib. 22. de civit. c. 22. Hæ omnes vitiorum catervæ ex uno prodeunt perverso amore, quo inordinatè se ipsum amat homo. Quia rectus amor non recurvescit, neque reflectitur in noxium creaturæ commodum; sed illuc tantùm tendit, unde suam sumpsit originem, seu

seu ad summum bonum, à quo procedit; discutiat homo vitam suam, appendàrque cor suum in statera districti examinis, ac sedula observatione perpendat, quis prævaleat amor: quod enim in lance dilectionis præponderat, hoc idolum est, quod homo colit, immo præcipit nobis Deus, ut eum ex toto corde diligamus, nimirum ne affectus nostros dividamus, sed omnes in Dei obsequium unicè impendamus. Magna est vis amoris, cùm in rem amatam transformet amantem: quàm infeliciter amat! qui Deum non amat, cùm nequeat in Deum transformari! non enim potest in Deo esse, qui terrena diligit; imò neque stare potest, qui fluxis affectu innititur, caducis fulcitur.

20. Secundum ulcus ex vulnere voluntati inflicto est difficultas, quam experimur in virtutibus excolendis, vitijs declinandis: cùm finis homini naturalis quoad voluntatem sit vitam instituere, mores componere, operationes dirigere juxta dictamina rectæ rationis; nulli est dubium, quin virtus sit juxta naturam rationalem, cui vitij adversatur turpitudo, & tamen cùm res singulæ insito sibi pondere proniores sint ad ea, quæ propriæ sunt naturæ consentanea; ut noonisi difficulter, ac ægrè in ea ferantur, quæ suæ repugnant naturæ; solus homo adeò fœdam ex lethæo vitij gurgite ebibit propriæ naturæ oblivionem, ut juxta ejus dictamina minimè operetur, quia homines ait Sapiens. *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis:* adeòut si non amore virtutis, saltem timore pœnarum, quæ hominibus infliguntur, debeant vel inviti à vitiorum coërceri indulgentiâ, & nonnisi per sponsionem præmiorum ad studia allici virtutum: leges enim humanæ ad avertendos homines à vitijs plures constituerunt pœnas subeundas per cruces, secures, patibula, gladios, rotas, ignes.

Proverb. 2. 14.

21. Tertium voluntatis ulcus ingens est segnities in eorum executione, quæ ad beatè vivendum pertinent; cùm enim tunc censeamur beatè vivere, si studijs incombamus virtutum; & media, quibus utimur, ut perfectam enancifcamur virtutem, plurimum secum attrahant difficultatis non absque ingenti labore superandæ, ratio exigic, ut totu nisu, summóque studio in culturam incumbamus virtutum, omnémque subeamus laborem ad difficultates vincendas, quæ nobis obviant: de ijs siquidem, qui nec studium adhibent, ut virtutes enanciscantur, nec labores subeunt, res deplorata est. Pudor sanè, quòd plerique non curent virtutum studia, quibus tamen satis constat, animam nostram minimè esse interitui obnoxiam, & tamen vix cogitant de beatitudine æterna, sed tantùm inter fluxa, & caduca inani cura, & solicitudine vana occupantur.

Quartum voluntatis ulcus ob gulæ indulgentiam voluntati inflictum est immoderata solicitudo in coacervandis divitijs, cumulandis thesauris, possidendis honoribus, captandis lucris: qui enim vera negligunt bona minimè petitura, nec corruptioni, ac interitui obnoxia, quæque propterea nonnisi in Deo, qui est summum bonum indeficiens reperiuntur; ij præ cæteris attentiores sunt in sibi comparandis bonis caducis, quæ pereunt: in titulis inanibus acquirendis, qui nonnisi fumum sapiunt, quo pletumque lachrymas eliciunt: in coacervandis auri, argentíque ponderibus, quæ animas premunt, ac miserè deprimunt. 22.

Quintum ulcus est perversitas humanæ voluntatis, quæ ad Deum, ut decet, amandum, & colendum nonnisi tardissimè movetur, cùm semper paratissima sit ad inhærendum rebus fluxis, caducis, ac inanibus, eò quia sensum alliciant, & corporis commoda promoveant, delicias carnis afferant. 23.

Sextum ulcus est inconstantia, instabilitas, & pugna quædam, quam voluntas cum se ipsa inire videtur. Res cæteræ creatæ, sive superiores à materia emersæ, ac defœcatæ, cujusmodi sunt Angeli; sive inferiores materiei crassitie immersæ, ut sunt pecudes, & animantia cætera, semper idem volunt, & appetunt, aut nolunt, eò quia bonum sibi consentaneum prosequantur: & malum, quod ut sibi noxium apprehenduot, studeant toto nixu fugere, & declinare; sed solus homo est, qui mox eandem rem velit, & modò nolit, imò nec nunc velit, nec nolit, ut pulchrè Augustinus inquiens: *Ego cùm deliberabam, ut servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram. Ego eram, qui volebam, ego qui nolebam, neque plenè volebam, nec plenè nolebam, ideò mihi contendebam, & dissipabar à me ipso, & ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.* 24.

Lib. 8 Confess. cap. 5.

Septimum voluntatis ulcus est fastidium proprij status, & impatientia, id sanè argumento est vitiatæ, ac sauciatæ voluntatis: proprium est ægrotantium, febrique æstuante laborantium, nunc unum, modò aliud velle, & cibos omnes fastidire ob corruptos humores, unde D. Gregorius *homil. 36. in evangel.* ait: *Fastidio nostro tabescimus, & longa inedia peste fatigamur.* Alexipharmacum hujus ægritudinis exercitium est patientiæ, qua mala hujus sæculi æquo animo sustinemus. Fluxa enim sunt bona temporalia, vicissitudinibus obnoxia; hæc benè æstimantur ab eo tantùm, qui nihili ea æstimat: in eorundem jactura non modicum est solatium perpendere infidam eorum conditionem; retinent omnia naturalem fugacitatem: vir probus tametsi illa amittat, nil putat amisisse, quia nihili fecit, quæ amitti poterant; nec eum externa angunt, quia non tangunt. 25.

Octa-

26. Octavum ulcus est propensio ad malum, & pronitas voluntatis corruptæ, ac vitiatæ ad indulgendum vitijs, dixeritque propterea ille: *Neminem sine crimine vivere, & optimum eum esse, qui minimis urgetur.* Verùm tametsi voluntas humana, ex eo quòd Adam gulæ indulserit, pomúmque sibi à Deo prohibitum momorderit, prona sit ad malum, eò quia præventa ab objectis concupiscentiæ, alliciatur ad bonum delectabile, nunquam tamen ad peccandum adigitur, sed sui est juris; túmque eidem gratia Dei præsto sit, potest semper, si velit, peccata declinare; cùm enim misericors Deus suam nobis impertiatur gratiam, tentationes, hostísque assultus eludere semper possumus, si velimus ante lapsum, imò & post lapsum resurgere; ideò id unicè debet nobis cordi esse ab omni lethali noxa cavere, id enim magis hominem devenustat, & inficit, adeò ut etiam homines pravi, hanc aderiot turpitudinem, quam detestantur: nemo enim est tam profligatæ conscientiæ, cui interdum vitia sua nauseam non creent, quamvis ex assuetudine jam inolita ijsdem indolgeat. Is verè ad Deum convertitur, qui securim ad radicem ponit, & ipsas minutissimas vitiorum fibras amputat, eliminat ab anima, & propriæ memor fragilitatis omnes declinat se avertendi à Deo occasiones.

§. V.

Uno vetiti pomi morsu utrumque portionis inferioris appetitum concupiscibilem, & irascibilem Protoparentes lethaliter fauciârunt; quia Gula venenata fugerunt oblectamenta.

27. Perinde ac homo ex anima constat, & corpore, duæ in eodem distinguuntur portiones, in quarum prima, quæ superior dicitur, viget ratio, seu intellectus, & voluntas; in secunda, quæ etiam inferior audit, potentiæ sunt sensitivæ, tum internæ, tum externæ, & passiones; & quia per gulæ peccatum in Protoparente non solùm pars superior pluribus fuit vulneribus fauciata, & à Deo summo bono sejuncta, in qua separatione consistit præcipuum vulnus nunquam satis deplorandum; verùm etiam pars inferior rebellaverit contra superiorem, & sensus omnes contra rationem per motus inordinatos eidem dissonos, quatenus potentiæ sensitivæ in bonum delectabile pronæ detrectant obsequi rationi propensæ in bonum honestum: & quia in hac inobedientia, ac rebellione partis inferioris consistit vulnus inflictum portioni inferiori: ideo superest inquirendum quale gulæ indulgentia intulerit damnum etiam portioni inferiori; in qua cum duæ præsertim dentur facultates, quæ diguntur concupiscibilis, & irascibilis; saltem perfunctoriè hæc à gula illata damna; & inflicta vulnera sunt recensenda; & quidem concupiscentiæ inflicta vulnera adeò recrudescunt, ut plerumque nocturnam etiam quietem nobis abripiant per illusiones somniorum; siquidem *ipse somnus* (ait Augustinus) *qui proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet? sæpe somniorum visis, quàm sit inquietus, & quàm magnis licèt falsarum rerum illusionibus, quas ita exhibet, & quodam modo exprimit, ut à veris eas discernere nequeamus, animam miseram, sensúsque perturbet*: interdiu verò quali nos molestiâ hæc concupiscentiæ vulnera afficiant, inquietent scripsit Apostolus, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, qua est in membris meis: infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* adeò dirè torquebatur, ut liberari optaret à morte illa per gratiam Christi Domini.

Lib. 22. de civit. Dei cap. 22.

Ad Rom. 7.

Cæterum quantum obtinuerit roboris, quantum invaluerit concupiscentia contra rationis imperium, postquam Adamus indulsit gulæ; & quantum fiot imbecilles vires rationis ad coërcendos inordinatos impetus concupiscentiæ testantur decantata plurima exempla Samsonis, Salomonis, & Davidis, qui miserè succubuerunt concupiscentiæ assultui, tametsi primus fortitudine, secundus sapientiâ cæteris præcelluerit hominibus, & tertius ad fortitudinem, & sapientiam etiam sanctitatem, & pietatem adjunxerit planè singularem. Testantur omnes historiæ, quà sacræ, quà profanæ referentes, plurimos tam ingenti turpissimarum voluptatum conflagrâsse incendio, ut quasi ad insaniam adacti fuerint. Testantur insolentes libidinum adinventiones, quibus concupiscentiæ petulantia in homine longè superat bestiarum libidines; cùm bruta nonnisi quibusdam anni mensibus sentiant se à concupiscentia stimulari ad libidinem ob individuorum propagationem, & ad propriæ speciei conservationem; cùm homines toto anni tempore singulis etiam diebus, noctibúsque, stimulos sentiant concupiscentiæ, quibus ad Venerem jugiter provocantur. 28.

Quam verò turpe sit carni se sinere spurcitijs coinquinari, ex eo facilè conjicimus, quia vel nudum luxuriæ nomen propiâ non carere ignominiâ edixerit Apostolus præcipiens, ut quæ hujusmodi sunt, nec nominentur in nobis. Hinc pudor ille, quo etiam homines ingenui affici solent, si semel aliquod luxuriæ peccatum ab ijsdem commissum alijs innotuisse suspicentur. Cùm igitur rebellantis concupiscentiæ impetus peccatis præludant coërcendi omninò sunt, & declinandæ in primis Deo opitulante omnes occasiones, ac earum fugiendum consortium personarum, quas carnis stimulos cnoijtimus posse in nobis extitare: quòd si for- 29.

fortassis cum aliquibus ex eo numero, quandóque ex necessitate agendum sit; quavis majori celeritate totum absolvendum est negotium, & quidem vultu ad modestiam composito, adeo ut frons quadam videatur gravitate contracta, verba itidem proferenda sine comitate, absque affabilitate, & omnis etiam præcidenda mora: nimia in nostris viribus fiducia non debet nos decipere; eò quia pluribus annis usi fuerimus consuetudine cum fœmina citra carnis stimulos: ea siquidem est vis, & vafrities concupiscentiæ, ut quod per plures annos non præstitit, unico absolvat momento, ac consensum extorqueat: tunc periculosiùs lædit, cum clanculum suas apparat insidias; & lethaliùs sauciat, cum blandiùs videtur se gerere, ac leviorem præbere nocendi suspicionem.

30. Imò ibi interdum debet timor major esse, ubi sub specie paliatæ honestatis consuetudo instituitur; Miscentur interdum venenatæ sensûs delectationes, quæ sensim sine sensu distillantes, animíque medullas leviter pervadentes dietim eò rationem obnubilant, mentémque præoccupant, ut flocci, ac nihili incipiamus facere subrepentia pericula in blandioribus oculorum emissionibus; mollioribus verbis ultrò, citróque prolatis: imò incipit nos delectare etiam ipsa conversationis voluptas; & cùm utrinque res ita se habeat infelici labimur ruina, & per inordinatam adhæsionem ad creaturam avertimur à summo Bono, Deúmque fontem vivum relinquimus in cisternam putidam, ac dissipatam prolapsi. Quot viri etiam virtutum culturæ addicti post plures de triumphato hoste victorias delatas incauto fœminæ, vel aspectu, vel consuetudine corruerunt? an non extremæ est dementiæ tot inter omnium ætatum, gentiúmque documenta adhuc aliquid audere? Verùm ea est humanæ pervicaciæ incredulitas, ut nunquam credat se posse cadere, nisi se viderit interire; condita fuit à Deo mulier in adjutorium viro, sed dolo adblandientis serpentis personam & ipsa induit hostilem; gulæ indulsit suasu serpentis, sibi vetitum comedit pomum, illúdque viro obtulit deglutiendum, & cum pomo marito, & nobis omnibus venenum propinavit.

31. Cùm igitur gulæ indulgentia tot mala nobis intulerit, cùm per gulam mors primò ingressa sit mundum, debemus à gula omnino cavere, quia per gulam ex nimio cibo, & potu mens hebetatur; ratio infuscatur, lumen rationis obnubilatur, vires animi proteruntur, & concupiscentia per ferculorum cupedias vegetior facta, validiùs insurgit contra spiritum. Per gulam mala plurima in hominem ingrediuntur: si enim videris abdomini natum, & ventri indulgentem, non menti studentem, hunc statim deprehendis excolendæ virtuti minus aptum, imó stupidum; ineptum, languidum, ad venerem pronum, scurrilitate, ac loquacitate dissolutum, rixis, & contentionibus fractum, vitiis, ac immunditiis coinquinatum: imò gulæ indulgentiam sequuntur quasi pedissequi famuli rei familiaris profusio; auri, argentíve dissipatio; bonorum alienatio; prolixa morborum series; & demum mors ipsa graviori ciborum sarcina accelerata; adeo ut paucos recenseas infirmos, quos gula ad ægritudinem non pertraxerit; paucos ante senium mortalitate exutos, quibus gula ad sepulchrum viam non straverit; cùm neque latum unguem à vero aberret parœmia, quâ vulgò: *plures occisi à gula, quàm gladio dicuntur:* si noxiis humoribus ex cibo, & potu congestis corpus careat, tentari quidem à morbo potest, non subigi, & promptiùs impuris cogitationibus, vel in primo earundem accessu obsistitur, & quidem ea celeritate, quâ quis succensum carbonem dilapsum in vestes sericas excutit, ne lædantur ab igne.

32. Grave vulnus per gulæ indulgentiam à Protoparentibus inflictum appetitui irascenti quædam est etiam ægritudo, quâ plerúmque non solùm imperio rationis non obsequuntur irascentis animi facultates: verùm quod deteriùs toto impetu insorgunt contra portionem superiorem, ac hominem exagitant, rabie torquent, iracundiâ inflammant: etenim audacia in discrimina homines trahit, timor excruciat, spes diverberat, desperatio perdit, & irascendi facultas, quæ ad hunc unicè finem concessa fuerat homini, ut imperanti rationi, perinde ac miles armatus obediret; ac *esset, quasi veluti nervus animi*, ut loquitur S. Basilius, *præbens robur, fortitudinem, & constantiam ad res benè gerendas juxta dictamina rectæ rationis*; postquam Adam gulæ indulserat arma convertit sua in perniciem, non munimen partis in homine nobilioris.

In Orat. de ira.

33. Quòd si appetitus irascens cum homine adoleverit cane rabido peior sævit, furitque in homine, quem plerumque ad insaniam adigit, suimet cognitione destituit, avidúmque constituit armorum, sanguinis, ac suppliciorum: hinc homo irâ exardens suimet, ac proprij decoris oblitus flagrat oculis, crispatur fronte, fremit dentibus, spumat ore, fœdatur vultu, contrahitur labiis, nutat capite, vacillat pedibus, agitatur brachiis, tumescit venis, & toto corpore indecora circumfertur jactatione: videmus in homine iracundiâ æstuante minaces gestus, complosas manus, percussum pectus, evulsos crines, & scissas etiam proprias vestes, quæ omnia, quàm sint indigna homine ex eo facilè conjicitur; quia videatur tunc homo ipsam exuere humanitatem; & naturam induere omni ferâ rabidiorem. Quòd si foris tam fœda est imago hominis irascentis, qualem intus non contrahit tunc animus turpitudinem?

34. Scio finxisse Poëtas, Averni monstra flammas utrinque spargentia, ignibus exæstuantia, serpentibus succincta, horridóque obstre-

obstrepentia mugitu: sed vix dissimilem cen, seo irati hominis animum, si ex extimo vultu conjicitur, qualis sit intus homo. Reliqua vitia possunt in habitu enutriri, & abscondi, ne suam foras turpitudinem prodant: sed ira veluti erumpens flamma maræ impatiens in faciem exit, & qualis sit intus homo, exteriùs prodit: cætera, quæ in homine stabulantur vitia certis quibusdam coërcentur limitibus: iræ verò nihil est intactum, inaccessum nihil: erumpunt veluti ferales flammæ ex iræ incendio, contumelia in proximum, detractiones, maledicta, imò quod deterius etiam blasphemiæ contra cœlites, & Deum ipsum; & si alij desint, in quos suos frangat impetus, etiam contra se ipsam excandescit, imò & contra res ipsas inanimes, quæ suam non sentiunt rabiem, cujusmodi sunt vestes, quæ ex ira scinduntur; calami, qui dente lacerantur; vasa, quæ in terram dejecta franguntur; & appetitus irascens eam ob vulnus sibi inflictum ex gulæ indulgentia imbecillitatem contraxit, ut vel à rebus nullius momenti, nulliúsque roboris vincatur, ac fœdè prosternatur; etenim in furorem plerumque hominem ad iram pronum agit clavis, si januam vel cistam statim non referet; indusium si negligentiùs purgatum fuerit; calceus si parum unum ex pedis digitis premat, & id genus alia; quæ iram nostram licèt non sentiant, bilem tamen in nobis excitant. Imò muscæ ipsæ si importuniùs circum nos volitent, nostræ impatientiæ pœnas luunt. Pudeat hominem à rebus hisce minimis vinci, vel pœnas exigere, quibus æquius esset hominis punire insaniam.

§ VI.

Cupediæ, quibus palatum inhiat, nisi à Judice fugiantur, ac respuantur; os quod hic aperit gulæ indulgentia, claudit æquitatis sententia.

35. ITa est: gulæ indulgentia cùm Protoparente Adamo totam infecit, perdiditque posteritatem: utinam etiamnum in hominibus Principibus, virisque Præfectis justitiam non corrumperet: utinam sub judice cupedijs inhiante, gulæque delicijs addicto impunè plerumque non delinqueret; & quem fœda damnant delicta, Judicis non absolveret palatum. Non timetur justitia acerbioribus legibus armata, quam gulæ deliciæ ad nutum possunt exarmare. Justitia frœno destituta sobrietatis in præceps ruit, & periclitatur, gulæque libidine passim prostituitur. Gabaonitæ impietatis cultu cæteris sceleratiores, proinde lege divinâ scelerum immanitate pœnâ mulctandi capitis, pœnas tamen evadunt, initóque cum Israelitis fœdere incolumitate fruuntur: *fecit Josue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quòd non occiderentur: Principésque multitudinis jurârunt eis*: sed pax fuit; quæ pugnavit contra justitiam; jusjurandum, quod non tam fidei fulcrum, quàm legis fuit excidium: prohibitum siquidem erat Israelitis pactum inire, ac societatem cum Gabaonitis: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum*, & nihilominus populi Judices contra leges sancitas, contra fas, & religionem non solùm pactum injerunt, societatem, & amicitiam stabilierunt, sed & juramento firmârunt. Sed quid putas, zelum sopivisse Judicum, contaminâsse religionem, corrupisse animum, & subnervâsse ad fœdus reclamante lege? Certè non aliud, quàm indulgentia gulæ, oblatum edile, prægustatus cibus: *Hi qui habitabant in Gabaon audientes cuncta, quæ fecerat Josue Jericho, & Hai callidè cogitantes tulerunt sibi cibaria, perrexerúntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgala, Israelitæ susceperunt igitur de cibarijs eorum, os Domini non interrogaverunt.*

Josue cap. 9. *Exodi 34.* *Josue cap. 9.*

Legum neglexerunt observantiam, quia gulæ indulgentes, ferculis inhiantes oblectati sunt cibis; & de palati favore servantur incolumes, qui de legum præcepto damnabantur iniqui: quia in viris Judicibus gulæ prævaluit irritamentum, legis corruit fundamentum; & ad pœnam crimen non nocuit, quibus ad incolumitatem Judicis palatum favit: hinc Carthusianus in Josue *cap. 9.* ait: *susceperunt viri Israel de cibarijs eorum in signum fœderis ineundi; & fortè inde aliqui comederunt, & os Domini non interrogaverunt:* ferculorum cupediis, gulæ deliciis Gabaonitæ contra sancitas leges, contra religionem, morésque insolitos fœdus ab Israelitis extorserunt; & gula unà cum cibariis etiam leges dente contrivit; quia edulia, ac cibária susceperant Judices, legum abjecêre observantiam; neque juxta legis æquitatem sententiam in eos tulerunt, qui ijsdem cibaria attulerunt. Aperitur ad fercula degluttienda os ciborum inhians cupediis, sed clauditur æquitati, legibúsque indicentibus sententiam, & prohibentibus fœdera cum exteris inire. 36.

Ubi Judex gulæ indulget, ibi omnis abigitur timor, quia vigor justitiæ non solùm cibi nimietate infringitur, verùm & potûs haustu extinguitur. Detrectaverat Moyses Hebreæ gentis Præfecturam suscipere, séque excusans dixerat: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus.* Sed interrogavit eum Deus, *quid est, quod tenes in manu tua?* respondit: *Virga est* (seu baculus pastoralis) *dixítque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.* Quòd Moyses viso serpente è virga exiliente exhorruerit, id mirum non est, cùm & viri aliàs fortes timore perculsi hæreant, horreántque, si draconi obvient, vel obliquato serpenti, & quidem propè spectato; quis non expavescat, simul & expallescat, si suos 67.

Exod. 4.

si suos videat ad pedes serpentem atrocioribus intextum spiris, rictúque truci, orísque hiatu minantem? sed quid? quòd Pharao impavidus serpentem postea spectet coram se varias obliquatum in spiras, quem Moyses nonnisi pavidis oculis, vultúque impallescente, totisque corporis membris contremiscentibus vidit: *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao Sapientes, & maleficos.* An non redarguenda Moysis pusillanimitas, cùm draconem timuerit, quem Pharao non expavit? quem Aulici flocci fecerunt?

Exodi cap. 7.

38. Quid? quòd Moyses serpentem fugerit, licèt Numinis sibi auxiliantis ope fulciretur? & Pharao, ejúsque administri, quamvis aulæ deliciis duntaxat assueti truces serpentis rictus non expaverint? An non Pharaonis intrepida constantia Moysis visa est pusillanimitatem redarguisse? At si Deus Moysem selegerat, qui Pharonis pervicaciam frangeret, cur serpentis expavet atroces spiras, cum Pharao constans, ac intrepidus serpentis potiùs delectetur præsentiâ? Fugit Moyses serpentem, è cujus minaci rictu plurimum haurit Pharao oblectamenti. Quòd si causam curiosiùs investigemus, cur Pharao intrepida fronte serpentem coram se spectet, quem Moyses pavidus, ac pallidus exhorruerat, eam nobis suggerunt sacri Interpretes: quia per Moysis virgam summa ejus innuitur potestas: siquidem per virgam sceptrum designatur, & per sceptrum summa in Rege potestas. Id verò interfuit discriminis inter serpentem primitùs coram solo Moyse jussu Numinis è virga exilientem; & serpentem, qui ex eadem virga Moysis formatus fuerat coram Pharaone, ejúsque Palatinis: quia serpens qui prima vice è virga erupit, gulæ non indulsit, sed rictu truci utrinque videbatur minas, & neces spargere, ideóque extimuit Moyses cùm primum vidit serpentem obliquatis intextum spiris, coram se minaces oculos volvere. Secus serpens, qui coram Pharaone, ejúsque Palatinis è virga Moysis exilüit patente oris hiatu non neces, stragésque indicavit, sed cibariis inhiavit, cùm enim Ægyptiorum Magi coram Moysis serpente per arcanas præstigias è suis etiam virgis similes serpentes efformaverint virga Moysis virgas voravit Magorum, consultissimè innuit scriptura projecisse singulos virgas suas, quæ versæ sunt in Dracones; *sed devoravit virga Aaron virgas eorum*, non dicit quòd serpens Aaron serpentes devoraverit eorum; sed *virga* Aaron *virgas eorum*, ut explicatiùs potestas denotaretur Principis; cum per virgam sceptrum, per sceptrum potestas indicetur, quæ si proclivis fuerit ad devorandum, si ferculorum inhiaverit cupediis, si gulæ indulserit deliciis, timorem non ampliùs incutit, sed omnem excutit pavorem; & persæpe nonnisi ludibrio est Princeps gulæ indulgens, præsertim cum nimio haustu madidus stare nesciat, quamvis per ipsum stent cæteri.

ibidem.

39. Nil est, quod vigorem justitiæ fœdiùs hebetet, quàm gulæ indulgentia, eum vel ipsa Poëtarum commenta finxerint, Cerberum tartareo in specu offâ potuisse soporatâ cicurari. Non mirum igitur si vel Palatini administri, si deliciis addicta Aulicorum turba virgam haud expaveat, quam cibariis inhiantem, gulæ indulgentem experiuntur. Exculpandus Moyses, si timuit, ideo enim expalluit, fugítque serpentem sua exilientem è virga, quia eum nondum vorantem viderat; cùm Pharao, ejúsque Proceres omnem abegerint timorem, Draconem enim è virga formatum voracem fuerunt experti; & ideo non fuit serpens, quia vorax, quia gulæ indulgens, quia cibariis inhians, Pharanni, nec ejus Proceribus timori, sed potiùs ludibrio, & joco. Plerumque Judices qui cæteris præsunt verbis ferociunt, aspectu, minísque terrores incutiunt, qui tamen de culinæ cibariis statim mitescunt; & cupediæ citiùs justitiæ, quàm palato insidiantur. Pulchrè S. Nilus: *Cùm quisque suam virgam projecisset multi Dracones circa primum illum volvebantur sinuosis orbibus: ille verò arrecta cervice immani hiatu, non aliter, quàm objectos pisces circumquaque petitos absorbuit, atque ita deglutitis in pristinam virgæ naturam rediję; idque eam magnificum spectaculum etiam iniquis animis omnem suspicionem exemit.*

Lib. 1. de vita Moysis.

40. Cùm primùm virga, seu potestas Judicis cibaria aspicit, cupedias appetit ferculorum, & gulæ indulget, officium exuit Judicis; perinde ac virga Moysis desuevit virgam agere, & virga tunc solùm fuit, cum ferculum abfuit; cùm verò cupedijs incipit inhiare, est ludibrio, quæ antea fuerat terrori: adeò insævit gulæ indulgentia, ut non solùm cum primo homine totam corruperit posteritatem, verùm & justitiam in posteris dietim inficiat, conterátque.

41. Neque innocentiæ gula parcit, quam nec in aula patitur redarguentem. Innocentis enim, ac sanctissimi Joannis Baptistæ mors in aula Herodis præcipitur, sed inter convivia, inter fercula, gulâ indicente feralem necis sententiam: *Rex propter jusjurandum, & propter simul discumbentes noluit puellam contristare: sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco*; ferculorum cupediis, ex gulæ delicijs cum indulgeret Herodes, puella choreas eâ duxit agilitate, ut in præmium saltationum Rex spoponderit quidquid peteret etiam regni dimidium; sed puella saltatrix impio adulteræ genitricis suasu Joannem Baptistam dividi maluit, quàm Regnum; pedes per saltus in sublime erexit, ut caput innocentissimum redarguentis Joannis è collo ad pedes caderet: in mercedem saltationum caput exegit Prophetæ; neque aliud inter epulas expectari debuerat, quàm ut impudicitia in præmium

Marc. 6.

mium lenocinantis choreæ interitum peteret castitatis: proh quàm malè tuta pudicitia, cum gulæ, largiorique indulgetur haustui! habent & cyathi suos scopulos, in quos collisa castitas perit; habent & multivoras Carybdes, quibus puritas naufraga mergitur. Circe venefica pedum multiplici circuitu, mensam ferculorum onustam cupediis, gulæ refertam delicijs, feralem convertit in caveam; fitque spectaculum crudelitatis, quod convivium erat solemnitatis: cum primùm ebrietas sitim extinxit vini, eam accendit sanguinis; & conceptam inter aras victimam, non Sacerdos Numini, sed Lictor immolat saltatrici; quæ cum malè dilexit, non bene elegit in præmium saltationis Joannem non integrum; cum nunquam integritati studuerit morum, & amorum; non potuit eidem non displicere Baptista integer, cujus caput amputatum mercedem fecit sectæ per pedes choreæ. Sapere visa fuerat puella cum Joannem regni dimidio prætulit; pretiosior enim quocunque regno erat Christi Prodromus; sed inconsulta mercatrix tunc mercedis suæ pretium destruxit, cum Joannem poposcit, non ut possideret; sed ut perderet. Cessit carceri bustum corporis, vindicatura sibi speciem capitis: nimirum noverat se capite indigam, cujus omne ingenium in pedes fluxerat: *misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco*, idque expendens S. Ambrosius *lib. 3 de Virgin.* ait: *Rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quô non cuperet, vel absolvi: perimitur gladio, caput ejus affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Ab adulteris justus occiditur, & à reis in judicem capitalis sceleris pœna convertitur: & inter epulas, & convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum: & à convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitij circumfertur obsequium; & clauduntur lumina Prophetæ non tam mortis necessitate, quàm horrore libidinis.*

42. Nil sanè luce dignum expectari poterat ab hisce ferculorum cupediis, in quibus lucerna extinguitur, & impudicitia in saltus erigitur: quis non dicat, affines suis initijs esse fines; cum Baptista vitam à choreis auspicatus, inter choreas clauserit? sed cur cum suum Herodes natalem diem, festorum hilariis, ferculorum delicijs ageret, ferali præcepto publicam corrupit lætitiam; ac funereas in nece Joannis accersivit umbras, quibus diei illius obscuraret serenitatem? an quia nulla virtuti dies potest funestior accidere, quàm quæ nequitiæ est natalis? nimirum Herodes cœnæ insederat, ut judex sententiam dicturus in Joannem, & quia hæc à Judice ferculorum cupediis inhiante effertur, æquitati non potuit adscribi, sed debuit tribui iniquitati, seu æstuanti in præcordijs concupiscentiæ, quâ saltatricem deperibat puellam.

§. VII.

Ferculorum luxus fugiendus, quia gulæ indulgentes dum ventrem implent, mentem probis affectibus evacuant: & dum prolixius sibi ævum spondent, Libitinam sibi accelerant.

NOn in alios tantùm, sed & in se ipsos 43.
sæviunt quotquot ferculorum inhiant cupediis, quibus prolixius sibi ævum spondent, & libitinam sibi accelerant: dum enim plurium se copia ferculorum ingurgitant, variisque saporatis obsoniorum famem irritant oblectamentis, ventrem immoderatiùs onerant; non mentem tantùm obtundunt, ac hebetant; sed corpus vitiatis pluribus inficiunt humoribus: ex nimia enim ciborum ingurgitatione plures noxiæ congeruntur cruditates, ex quibus fœda oritur macies, & exundans excrementorum colluvies, ac humorum peccantium congeries, quibus facilè corruptis, ac inter se se altercantibus, rixa in humano corpore oritur, menti æquè, ac ventri noxia; adeo ut inhiantes saporatis obsoniorum delicijs mortem sibi accelerent.

Experimur viros rusticos corporis assuetos 44.
laboribus, gulæque nescientes delicias utpote modico, ac simplici contentos ferculo viribus esse robustiores, corporisque exercitijs aptiores: & in primæva mundi ætate solidiora erant humana corpora, quia simplici cibo, & nulla arte condito innutrita; medicina tunc erat parsimonia, quâ non sinebantur in stomacho malè olentes coacervari cruditates: olera, & legumina, erant esculenta, & pòtum ad sitim extinguendam non pincerna, sed amnis exhibebat: postquam autem innumeræ propemodum ciborum adinventæ sunt conditturæ, & accersita est coquorum caterva, etiam vespilionum crevit numerus; cùm nil proclivius ad sepulchrum iter sternat, quàm multiplex obsoniorum oblectamentum; quo plerumque licèt jam extinctam nituntur iterum famem irritare, qui gulæ indulgent delicijs; imò & sopitam revocare sitim novis esculentorum irritamentis: sunt enim qui non solùm ventrem implent, verùm & farciunt: & in hisce plerumque vultûs albescentis pallor, nervorúmque vino madentium tremor, totiúsque corporis macies accersitam ex ciborum ingurgitatione prodit ægritudinem; cùm longè fœdior sit macies, quæ ex cruditatibus, quàm quæ ex fame torquente, sitique ardente oritur.

Distentus stomachus si assuescat plus 45.
capere, quàm potis sit coquere, putredinem contrahit, & imminuto calore flaccescit; imò non solùm cupediis addicti ventris fœdas contrahunt ægritudines, sed etiam mentis destituuntur vigore, videantúrque propterea jugi indulgere otio, nilque illis

magis

magis volupe, quàm jacentes lectuli plumis inhærere, vel surgentes, culinas frequentare: qui enim gulæ indulgent, saporatisque obsoniorum student cupedijs, nonnisi rarò solis, lunæque ortos, astrorum situs, errantium stellarum lucidos globos, errorésque perenni motu absque errore reciprocantes vigili observant oculo; nec aliam adeunt palæstram, quàm culinam, cujus redolent nidorem, & cujus reliquiæ, quas secum deferunt, sunt gravedo capitis, indigestio, eructatio, crapulæ exhalatio, hebetudo mentis, nausea stomachi, morborum iliades, & ex illis dolores viscera transfigentes, & ex doloribus mors præmatura.

46. Pauci sunt infirmi, quos gula ad ægritudinem non adegerit, ut meritò dubites, pluresne sustulerit in aliena manu hostilis gladius, an in propria calix mero despumans; num in alieno corpore genus omne armorum, an in propria gula, & in propria manu cantharus, ex quo delicias sorbent, vorántque transeuntes, ut vel ex ipsa è gula ad stomachum trajectione discant, quàm fluxæ, quàm momentaneæ sint gulæ deliciæ, cujus voluptas nonnisi in cursu, & lapsu sita est, imo & si continua sit, nulla ampliùs sit; ot inde conjiciant ferculorum inhiantes cupediis, quique nonnisi gulæ famulantur illecebris, quàm inepta sint obsoniorum oblectamenta veræ voluptati innutriendæ; præsertim cùm nec ipsis fercula placeant, nisi dente contrita: nimirum displicet integritas in ferculis, eò quia gustus ac palati obstet oblectamento, & ideo integer non placet cibus demittendus in ventrem, quia morum integritas huic gulæ voluptati assuetis displicet, cùm fercula mulcere gulam nequeant, nisi terantur, simúlque pereant. Heu quàm vilis est ventris servitus, quæ mentis invehit hebetudinem! heu quàm inexplebilis gulæ cupiditas! quæ hominem ab homine dejicit, & pecorum inter greges demittit.

47. Tametsi modicum natura corpus præbuerit homini; vincit tamen hic vastissimorum, ac edacissimorum animalium aviditatem: experimur tauros corpore obesiores, longéque ampliores paucorum jugerum impleri pascuis; unam sylvam pluribus elephantis sufficientem suppeditare alimoniam, quâ nutriantur: & explendæ in homine gulæ cupiditati vix par esse videtur orbis universus, nec ei sufficere quidquid volat in aëre cum volucribus; innatat undis cum squamigero grege; latet in sylvis cum apris, damisque sylvestribus; & cum naturæ pauca sufficiant, gulæ saporatis obsoniorum oblectamentis inhianti, angustus est orbis totus: neque sibi bene consulit, cùm ventrem immoderatiùs onerat; siquidem hominibus studio addictis temperantiæ nunquam, aut rarò inest nervorum torpor, frontis pallor, vultûs macies, palpitatio membrorum se sine intermissione vibrantium, rarò in ipsis deprehenduntur retorti digiti articulis obrigescentibus, capitis vertigines, ex tetris humoribus fœdè congestis oculorum nebulæ, aurium surditates, ac æstuantis cerebri juges verminationes; & tamen eò processit hominis ingluvies, ut voluptatem omnibus etiam pecoribus communem recentibus semper irritet artificijs, & nulla jam sit gulæ voluptas, quam ars coquorum non corrumpat.

Imò non sufficit si cibus coquatur, nisi etiam ad blandimentum oculorum plerumque auro illiniatur, quasi non liceat voluptates percipere naturales sine uberiori pretio, graviorique impensa; neque videntur fercula sapere nisi in argenteis lancibus; & insulsum quasi creditur Sal nisi in artificioso aureo, argenteo, vel etiam gemmeo fuerit salinario: & vinum non pluris æstimatur, quàm aqua, nisi in Chrystallo, in auro, vel etiam in gemma bibatur; & quod gratis natura nobis concessit, gulæ luxuries addito pretio sumptuosum facit; & intemperantia hebetissimam voluptatem communem pecoribus, brutisque animantibus studet nobilitare pretio, & artificio, & cùm æquè facilè sitim extingueret fluviatilis, vel fontana aqua utriusque manus excepta concavo, Cyathi comparantur ingenti sumptu aurei, argentei, imò & gemmei, qui generosiori spumantes vino non tam sitim extinguant, quàm gulæ accendant luxuriam. Certè si non hominis mente sani esset, plurimo sumptu, ac labore pingere, vel sculpere ligna mox tradenda igni, & consumenda flammis, eò quia irritus esset prævius sculpturæ, vel picturæ labor illicò in cineres solvendus: ita non viri est cordati esculenta, & pocu enta statim in stomacho corrumpenda ingenti sibi sumpto comparare. 48.

Ambitiosa non est fames, quæ plerumque stomachum pulsat, paucis est contenta, & statim desinit, cessátque molestias afferre, si cibus etiam vilioris pretii ei exhibeatur: dilapso momentaneo palati judicio non suaviùs sapit pretiosum, quàm vile: ad famis stimulos sedandos parum refert, an panis plebeus sit, an siligineus; parvique interest, an aqua ex proximo fonte, vel amne hauriatur; an multa nive fuerit antea refrigerata. Imò varia vini genera, & exotica Apicij condimenta infelicis luxuriæ semper consueverunt esse tormenta; & ipse Epicurus gulæ deliciis unicè addictus sobrium victum uberioris voluptatis gratiâ commendat, eò quia nil sic tam lautum, quod superaccedens nausea ex copia excedente insipidum non reddat: nihil è contra est tam insuave, quod fames nativo sibi condimento sapidum æquè, ac delicatum non faciat. 49.

Corporis necessitati quodvis modicum sufficit, & stimulantis famis sedandis clamoribus, vel frustum panis siliginei aptatur, cùm luxuriæ gulæ extinguendæ par nihil esse 50.

eſſe deptehendatur: hinc petſæpe non eſt venter, qui eſuriat; ſed gula, quæ obſoniorum inhiat oblectamentis; perſæpe non eſt ſtomachus, qui ſitit, ſed appetitus, qui delicias in delicatioribus quærit ſalernis: gula eſt, quæ menſas deſiderat omnibus exoticis oppletas obſonijs ad faſtûs pompam; non verò corporis neceſſitas ad naturæ ſub-

Homil. 19. in Ezechiel. ſidium: ut enim ait S. Gregorius: *Animus quandam quaſi neceſſitatem patitur, quam parit*; quia venter diſtentus eſt, & adhuc appetitus ſitit, & gula ampliora cupit fercula, hauſtúsque vini delicatioris non ex naturæ indigentiâ, ſed heluationis opulentiâ. Vegetiora, ac laboribus ſubeundis aptiora erant humana corpora, cùm nondum exoticis hiſce ciborum cupedijs aſſue-

Epiſt. 96. ſcerent, ut ſcitè Seneca: *Corpora opere, ac vero labore durabant; & cibus homines excipiebat, qui niſi eſurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna Medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus: ſimplex erat ex ſimplici cauſa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt.*

51. Suſtentandis naturæ viribus, vitæque alendæ, neceſſe non eſt perſcrutari profundum maris, nec ſylvarum intimiores receſſus penetrare, nec ſtrage animalium ventrem onerare, neque delicatiores obſoniorum ſapores ab extremis accerſere terrarum regionibus; fruges, quas nobis eſurientibus exhibet occata tellus, ſufficiunt, non ad famis tantùm expulſionem, ſed ad vires in-

De conſolat. ad Hel. c. 9. gerendas robuſtiores, pulchrè Seneca: *Corporis exigua deſideria ſunt, frigus ſubmovere vult, alimentis famem, ac ſitim extinguere, quidquid ultra concupiſcitur, vitijs, non uſibus inſervit*: & tamen inter homines interdum notantur, qui vivunt ut edant; non comedunt, ut vivant; imò bibunt, ut evomant; & evomunt, ut iterum edant, & bibant renitente naturâ, quæ fœdè deturpatur, nolentes epulas coquere, quas ingenti ſumptu ſibi comparant.

52. Scimus ex hiſtoriarum monumentis Cajum Cæſarem adeò ingenti ſumptu fercula, & exotica obſonia ex pluribus orbis partibus ſibi comparâſſe, ut plurium Provinciarum tributa unâ cœnâ abſumpſerit; & Cleopatram unicum ferculum exhibendum Marco Antonio multis condiviſſe patrimonijs. Gulæ qui delicijs aſſueſcunt, ſedare nunquam poſſunt appetitûs ardorem, & hidropici inſtar, venenum bibunt in alexipharmaco: *Creſcit indulgens ſibi durus hidrops*, ait Horatius: quia quò plus hauſtu frigidæ ſatagit ſitim extinguere, acriùs eam acuit, accendítque lethaliùs: & ferculorum indulgens cupedijs etiam de medicina ægreſcit, quò enim plus aſſueſcit hiſce cupedijs, majores ſemper appetit. Cùm primùm Iſraelitæ campeſtria Jerichontina occupârunt phaſe celebraturi, de telluris

illius frugibus convivium ſibi inſtruxêre? *Comederunt de frugibus terræ*, quia cùm Joſue cap. 5. eſſent tunc ſtrenui duces viliori contenti cibo magis ſtuduerunt neceſſitati ſuccurrere, quàm appetitui indulgere: unde monet D. Gregorius: *diſcamus ſatiari, ne in ſumendis alimentis corporis gula magis, quàm neceſſitati ſerviamus. Plus enim concupiſcentia, quàm neceſſitas petit, & ſæpe dum carnis inopiæ ſatiſfacere curamus, voluptas ſurrepit, quæ modum refectionis excedit.*

Quàm pauci ſunt, quos amor parſimo- 53. niæ intra terminos continet non excedentis refectionis! ſi aliquo ſit quis nobilitatis ſplendore illuſtris, huic jam ſumptuoſior menſa placet, non in neceſſitatem inſtructa, ſed in ambitionem onuſta; deprehendatúrque tota familia ſudare ad unius ventris explendam edacitatem, imò nec uni palato demulcendo par videtur coquorum turba, cum venatorum etiam exercitus ſylvarum intimiores percurrant receſſus: imò & ipſa accerſitur piſcatorum temeritas altiſſimos fluctuantis pelagi perveſtigantium ſinus ad delicatiorem capturam piſcium: & quamvis intemperantia inficiat quotquot cupediarum ſunt deliciis addicti; nobiliores tamen eò fœdiùs deturpat, quò illuſtriùs ſatagunt in conſtructis cœnis præ cæteris eminere: cum hiſce nobilitatis character videatur eſſe menſa, non tam varietate mapparum conſpicua, quàm obſoniorum delicijs onuſta. Hinc Dives ille Evangelicus quia purpura, & byſſo induebatur aliquam daturus nobilitatis notam ſplendidè, & ad omnem lautitiem quotidie epulabatur: *Homo quidam erat Dives,* Luc. 16. *qui induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*: non enim inſtruebatur menſa tantùm ad gulæ pompam, verùm etiam ad oſtentationem parabatur ſuperbiæ; cùm ibi Lazarus Ulceroſus, & mendicus contemptui fuerit; nec viſcera affluentis tum auri divitijs, tum gulæ deliciis flectere ad pietatem valuit, qui non uno duntaxat ore, ſed tot faucibus, quot ulceribus erat ſaucius, micas, deterioréſque menſæ expoſcebat reliquias: & quaſi pannoſa Lazari paupertas umbram injiceret ſplendidæ menſæ, rejectus fuit; & Dives cùm ſe nobilem oſtentare exambiret; in ſuæ nobilitatis argumentum menſam quotidie juſſerat ſplendidam apparari; ut quam negaverat origo claritatem, hanc ſuppeditaret ſplendor menſæ, ut ſcitè ait S. Gregorius inquiens: *Ad inanem gloriam quærit menſæ ſplendorem, ut vi-* Homil. 40. in Evang. *delicet honorabilior cæteris eſſe videatur*: cùm exambiret inanem nobilitatis opinionem non tantùm purpuram induit, & byſſum, ſed veſtium ornatui ſplendorem addidit menſæ, quaſi ſuum à ferculorum fumo nobilitatis expoſceret ſplendorem, pluriſque faceret ejus claritatem, quàm charitatem: menſam quotidie apparatam voluit, quæ patrimonij eſſet exitium, ferculis delicatioribus

referta,

referta, & rarioribus obsoniorum cupedijs onusta, quâ cæteris videretur nobilior, ac si is eò sit nobilior, quò intemperantior; eóque illustrior, quò congestis in stomacho ferculis plenior: *Epulabatur enim quotidie splendidè, ut cæteris videretur honorabilior:* Utinam luxus epularum virtutis potiùs non extingueret splendorem, & flagitij, vitiique accerseret ignobilitatem.

54. Splendidum construxerat Rex Balthasar convivium ad quod tributaria voluptatis omnia accesserant elementa exhibitura quidquid delicatioris, & palato irritando aptioris haberent; non enim soli necessitati vectigal solvitur, sed voluptati tributum exhibetur; & quidem tanto quærentium impendio, tanto discrimine in terrarum penetrandis recessibus, mariúmque trajiciendis finibus, ut videantur convivæ etiam ipsa hominum pericula cœnare. Omnibus cùm afflueret Balthasaris convivium ferculorum delicijs, non tamen solius gulæ delicto fuit contentus Rex; sacrilegij etiam ambivit piaculum, cujus turpitudine convivium fœdavit, epularúmque extinxit splendorem, Daniel 5. *Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo ut biberent in eis Rex, & optimates:* nimirum multo jam vino madidus, ferculisque ingestis gravatus vasa petiit aurea, ut sacrilegio se miserè fœdaret; tametsi vino obrutus, & temulentus, adhuc sitivit, sed ut turpitudinem ebiberet sacrilegi sceleris: venter mero distendebatur, & adhuc bibendi quærebat irritamenta, quæ vel ex ipsis sacris vasis exigebat. Sed si Balthasar jam temulentus vasa exsiccaverat mensæ regiæ, cur quæ templo erant dicata vasa exposcit? cur si adhuc vino madidus sitit, non potiùs vasa jam exsiccata jussit iterum effuso oppleri vino, cum multiplicis autumni valuissent vindemias Balthasari suppeditare? An quia ad scelus semper pronior est gulæ, qui delicijs indulget, & per sceleris turpitudinem ipsum obscurat nobilitatis splendorem, quem temperantia promovet, & temulentia extinguit?

§. VIII.

Adeo mens epulis gravata obtunditur; ejúsque lumen obtenebrescit; ut virtus frugalitatis detur dedecori; & intemperantiæ turpitudo virtutes decori.

55. JOsue, cæterique populi Israelitici Duces pluribus celebres victorijs, generísque gloriâ illustres, nonnisi fructus terræ in obsonium, famisque depulsionem, virium que refectionem admiserunt: *Comederunt de frugibus terræ, & azimos panes;* Jos. cap. 5. cibo enim fuerunt usi, ubique parabili, & nullibi defuturo: hodie verò nobilium, virorúmque illustrium censeretur injuria solus parabilis cibus; adeò enim sunt mores corrupti, adeò mens epulis gravata obtunditur, luménque rationis infuscatur, ut virtus frugalitatis dedecori detur, ac injuriæ; & intemperantiæ turpitudo virtutis decori, ac nobilitatis gloriæ.

Quid? quòd hostis tartareus Christo esurienti in deserto non panem, sed panes offert? & ad diuturni jejunij compensationem, intemperantiam fraudulentus suadet? 56.
Dic ut lapides isti panes fiant: si dubius de Christi excellentia, & virtute, ejus explorare potentiam satagebat, & inde cognoscere, an filius DEI esset; cur non potiùs petijt, ut lapides in homines, vel animalia verteret: si excellentioris virtutis cupit potentiam explorare, cur tam vile abjectúmque gulæ exposcit irritamentum, & non potiùs præstantioris virtutis effectum? quò enim hic est nobilior, eò excellentiorem prodit potentiam, à qua dimanat. Verùm quia callido dœmoni innotuerat, viros in mundo illustriores ventri potiùs indulgere, quàm menti studere, seu præstantiori facultate exerceri; ideo exploraturus Christi nobilitatem, ac virtutem à sola gula argumentum exposcit; cùm enim sciret, edacitatem testimonium esse excellentiæ, ac nobilitatis, ex eo, quòd converteret lapides in panes, & vorax esset, arbitrabatur ex gulæ voracitate, animi posse magnitudinem conjicere, ut acutè notat Chrysologus inquiens: *Quid est, quòd jejunante Christo Deitatis signa tota in sola panis provisione perquirit? Quem DEI filium continua jejunij significatione præsentit, esse DEI filium de provisione panis, de cura ventris desiderat approbare.* Matth. 4. Serm. 13.

57. Tametsi ex signis potuisset hostis tartareus virtutem conjicere, & excellentiam argumentari Christi Domini; ejus tamen jejunium dubitationem ingesserat; eò quia esset contra perversum sæculi usum, jejunium in viris excellentioribus; & quem ex signis factis potuit excellentissimum cognoscere, ex inchoato, & ad plures jam dies deducto jejunio virum ingentis excellentiæ minimè credidit, proinde, ut ait Chrysologus *de provisione panis, de cura ventris desiderat approbare;* quasi non approbetur in mundo nobilitas, quam indulgentia gulæ non confirmat: idque causæ fuit, cur tentator à Christo esuriente petierit, ut lapides panes fierent; quia de cura ventris desiderat approbare excellentiam mentis. Christus tamen; quia sæculi non accensebatur viris, quorum nobilitas ex gulæ voracitate proditur, se DEI filium cibo Angelorum, ac jejunio ostendit.

58. Quia verò nobilitatem ambientes uberiora semper quærunt incrementa honorum: ita cùm notam nobilitatis ex gulæ metiantur voracitate, novas semper expetunt ferculorum cupedias, & licèt corporis necessitati cibi sufficiat exiguitas, gulæ cupiditati explendæ nulla sunt fercula paria. Postquam populus Israel libertate donatus è famulatu exierat Ægypti, & in deserto tentoria explicuisset, cœpit de suo conqueri liberatore, ac Benefactore: *Utinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium.* Sed cur cùm pluries eximiè concupierit populus ille ex duro in Ægypto famulitio liberari, nunc conqueritur libertate gaudens? an infami servitutis jugo assuetus populus gloriam contemnit libertatis? vitium animi procul dubio ingrati ostendit, cùm sui juris factus liberatorem non agnoscit, ut gratias eidem agat, sed de ipso conqueritur: sed non mirum, insatiabilis enim voracitatis fructus fuerunt querelæ: *Dabit Dominus vesperè carnes edere, & mane panes in saturitate*; injuriis lacessitum beneficum Numen profusâ largitione querulis, & calumniatoribus obsonia impertitur: siquidem sub vespere ascendit coturnix adeo multiplex, ut castra obtegeret: manè itidem roscidus imber horis antelucanis, solis prævenìens ortum tentoria, & castra omnia priùs imbuebat, eisque diurnum suppeditabat panem, quàm solis illustrarentur radiis; apparebat siquidem manna minutissimum è cœlo delapsum in diurnum obsonium, ut non liceret plus delapsi è cœlo edulij colligere, quàm natura exigeret die illa, quâ manè colligebatur Exodi 16. *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, Gomor per singula capita.*

Exodi 16.

Exodi 16.

59. Erat Gomor brevis mensura tantum capiens obsonij, quantum natura exigeret die una. Verùm si castra non manna tantùm, seu pane; sed etiam coturnicibus referta erant, cur tantum panis liceret manè duntaxat sumere, quantum sufficeret ad diurnam corporis refectionem: & de coturnicibus posset quisque quantum vellet, sumere? Cur si præscribitur quantitas diurni panis, cohibetùrque intra limites frugalitatis; non carnes coturnicum etiam taxantur? cum præsertim istæ ad lautitiem, & gulæ illicia capiantur, & panis ad necessariam sumatur virium refectionem? Si mannæ, seu pani mensura statuitur, cur & coturnicibus quantitas non præscribitur? nimirum quia manna, seu panis non ad appetitûs votum, non ad gulæ illicium, sed ad deficientis naturæ usum, ad labentium virium refectionem è summo cœlo pluit: secus coturnices non ad naturæ mittuntur indigentiam, sed ad gulæ permittuntur ingluviem, pulchrè Basilius Seleuciensis: *De cœlo manna quondam Israelitis dabatur, necessitati quoque donum serviebat:* corporis enim necessitas modicum exigebat, ideòque naturæ exigentiæ, viriúmque restaurationi, stomachi refectioni mensura præscribitur mannæ, seu panis; quia natura ex se, nisi vitium accesserit gulæ, exiguo est contenta: secus nulla coturnicibus capiendis quantitas decernitur, quia cum coturnices non corporis necessitati inservirent, sed gulæ famularentur voluptati, & quia gulæ appetitui nullæ obsoniorum sufficiunt cupediæ, & cupiditatis ardor ferculis licèt innumeris nunquam saturatur, ideo nullus erat indulgentiæ, ac luxui gulæ terminus præscribendus, qui naturæ statuitur indigentiæ. Orat. 33.

60. Hinc etiam Christus nullum obsoniorum delicijs imposuit terminum: cum enim in deserti secederet solitudinem, turbæque multæ fuissent eum comitatæ, eò quia viderint eum morbos depellentem, dœmones abigentem, febres extinguentem, visum cæcis restituentem, gressum claudis impertientem, mortuos ad vitam revocantem, ac necessitatibus omnium profusâ opitulantem beneficentiâ, nonnisi ægrè à tam munifico beneficiorum largitore sejungi patiebantur: cúmque ad quinque millia virorum excrevisset multitudo Christi pedissequa, ciborúmque premeretur inopiâ; neque essent in eremo solitudinis hospitia, nullæ tabernæ, nec cauponæ; quinque panes multiplicavit, geminósque pisces impertita adeo incrementavit benedictione, ut non solùm reficiendis populis sufficerent, verùm & plures superfuerint reliquiæ; quas postquam turbæ accumbentes in deserto fuerunt exsaturatæ, jussit, colligi, eò quia beneficus Magister obsonia dilargiri, voluit, non perdere: *Collegerunt, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant.* Pulchrè notat Evangelista superstites has reliquias, fragmenta fuisse panum, & non piscium: sed si beneficio impertitæ benedictionis æquè panes, ac pisces incrementa subjêre, cur reliquiæ non superfuerunt ex piscibus, cum ex multiplicatis panibus discipuli duodecim expleverint cophinos? si piscis piscem peperit, perinde ac panis panem incrementavit, cur fragmenta hujus superfunt, & nullæ inveniuntur piscium reliquiæ. Rectè ait Evangelista. *Accepit panes, & distribuit discumbentibus:* cùm postea loquens de piscibus addat, *& ex piscibus, quantum volebant.* An ideò nullæ superfuerunt piscium reliquiæ, quia hujus obsonij cupedijs, accumbentes in deserto turbæ non naturæ consulvêre necessitati, sed gulæ, & appetitûs indulsêre cupiditati? panis enim, quia naturæ inserviebat indigentiæ non pro appetitûs

Joan. 6.

Joan. 6.

tûs arbitrio, sed pro necessitatis modo impertitur, pisces verò, quia luxuriantis gulæ concedebantur cupiditati, & sumebant propterea *ex piscibus quantum volebant*, ideo nullæ piscium superfuêre reliquiæ, quia appetitui explendo, nullæ obsoniorum videntur cupediæ sufficere.

61. Tametsi Numinis omnipotentia non panes duntaxat; sed & pisces incrementâsset; & plura superfuerint multiplicatæ annonæ fragmenta, nullæ tamen aucti piscium obsonij superfuêre reliquiæ, quasi in explendo appetitu Numinis potentia defuisset, quæ in reficienda natura superfluentem voluit superesse panis mensuram; voluit enim Deus panes utpote ad labentium virium restaurationem necessarios, & ad naturæ refectionem requisitos abundè suppeditare; pisces verò quia ad famis expulsionem non solent accersiri, sed ad gulæ explendam cupiditatem, quæ cum nullis unquam plenè expleatur obsoniorum ferculis, ideo de piscium delicijs nullæ superfuêre reliquiæ, cùm de panis necessaria refectione tot superfuerint fragmenta, quæ collecta duodecim valuerint cophinos explere: nimirum Numinis providentia nullibi hominibus deest, & quæ necessaria ad reficiendam naturam sunt, vult etiam in desertis abundare; non ita quæ delicijs duntaxat gulæ famulantur. Naturæ exigentia exiguo contenta est obsonio; cùm explendæ appetitûs ambitioni nullæ sufficiant ciborum deliciæ, nec ferculorum copiæ.

62. Idque causæ, cur conqueratur, dolèatque Clemens Alexandrinus, quòd homines, cum paucis possent naturæ satisfacere exigentiæ, velint congestis obsonijs naturæ vires potiùs opprimere, quam reficere: ait ipse. *Multiplici nescio, quâ vanâ gloriâ frugalem, & moderatum victum abjurent, & transmarinas escas anxiè perquirant, Muranas, & Meandri anguillas, & qui in Melo sunt, hædos, & qui in Scyatho mugiles. Pelori conchas, & Abidena ostrea, nec Mænas, quæ sunt in Lipara prætermittentes.* Et licèt tot exotica obsonia ad unius gulæ coacerventur delicias, naturæ tamen plurimum adferunt nocumenti, & quamvis corporis censeantur inservire nutritioni, corporis adversantur incolumitati; nimijs enim delicijs, gulæque illecebris fartum corpus morbos accersit, quibus expeditiùs sepulchrum petit: satis erat, si vel ipsa ciborum indigentia mortis nobis memoriam refricaret, sed superflua delicatiorum esculentorum ingestione proximiores ad eam accedimus. Olim medicina paucioribus comprehensa præceptis, ideo iliadem excludebat remediorum, quia natura paucis contenta nondum superfluis ciborum delicijs enervata fuerat: satis tunc erat, si simplici morbo simplex occurreret pharmacum, quia nondum tota se se gulæ voluptas effuderat, nec tam immoderata obsoniorum ingestio stomachum gravaverat: nostris verò temporibus valentioria quæruntur pharmaca, quia graviora sunt, quibus premimur, & opprimimur obsonia: fercula nonnisi adultera, & arte corrupta gustanda exhibentur palato: imò & varijs mixta titillamentis inter se se pugnantibus, citiùsque naturam vescentium expugnantibus.

l. 2. Pædag. cap. 1.

63. Cùm primùm cœpit cibus in culinis apparari non ad famis sedandos stimulos, sed ad gulæ irritandum appetitum; variæ accesserunt ægritudines humani corporis tortores: illæ sexcentæ excogitatæ conditurae ad solam voluptatis, palatique proritationem, gulæque illicium, nonnisi incommoda secum trahunt: ferculorum enim copiam capitis gravedo consequitur, mentis pressio, naturæ oppressio, & inde dolores, infirmitates, & mors ipsa præmatura, & accelerata; cùm proximior semper soleat esse ventris mancipijs, ac gulæ indulgentibus. Corpora cum labore, & frugalitate vigeant, humorum exundantiâ torpent; & mens ipsa hebescit, ut notat D. Leo Magnus. *Quotidiano experimento probatur potùs satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita ut delectatio edendi etiam corporum contraria sit saluti.*

Serm. 2. de jejunio.

64. Obsoniorum deliciæ, ferculorúmque cupediæ, quibus indulget gula, ægritudinum sunt fomenta, morborum conceptacula, & arma quibus Libitina nos ante senectam interimit. Decesserat Dives ille evangelicus, qui quotidie epulabatur splendidè; decesserat, & mendicus Lazarus, eo tamen discrimine, ut Evangelista utriusque mortem describens asserat, Lazarum mendicum nonnisi ex speciali decreto, ut præmium enancisceretur pannosæ suæ paupertatis mortalitatem exuisse; cùm Divitem ipsæ ægritudines traxerint ad sepulchrum. *Factum est, ut moreretur mendicus*: nimirum factum est, seu specialiter statutum, ut mendicus non tam urgente morbo, quàm exigente merito moreretur, & præmio donaretur, *factum est, ut moreretur mendicus*, dicitur mors facta, seu specialiter statuta; cum tamen describens Evangelista mortem divitis, dicat simpliciter, *mortuus est autem & Dives*, scilicet non factum, ut moreretur, sed mortuus est; quia opus non fuit mortem accersere Divitis, quia cum delicijs indulsisset gulæ, fuissetque quotidiè epulatus splendidè, præmaturam ipse sibi mortem superfluarum ingestione cupediarum, crudisque humoribus in stomacho, totóque corpore stabulantibus accersivit. Luc. 16.

65. Dives altâ nive consepulto vino calores ferventioris æstatis eludebat; varijs, distinctisque ferculis appetitum proritabat; ad numerum, non sine palæstra veluti in triumpho ab exercitu famulorum ferebantur

fercula, ut non tam cœna videretur instrui, quàm scena construi; quâ sæpe mutatâ locus cedebatur bellarijs, quibus veluti catastrophe gulæ claudebatur spectaculum. Secus quia mendicus nec gulæ indulserat, nec stimulos mordentis famis valuit de micis è mensa Divitis cadentibus coërcere, non morbi violentiâ, sed prœmij exigentiâ è mortalibus eum rapuit. *Factum est, ut moreretur mendicus*, quasi inter extremæ inopiæ angustias, famisque tormenta diu adhuc vixisset, nisi prœmium ad æternam eum vocâsset beatitatem; pulchrè S. Chrysologus. *Serm. 124.* *Dives ructabat epulas, sanie pauper anhelabat. Divitem sic extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, unguenta ad marcorem, sublimitas ad ruinam.*

66. Videbatur mendicus Lazarus fame tabidus, inediâ absumptus, jejuno stomacho pallidus, ut quàm citissimè censeretur viribus deficere, ac emori; cùm è converso Dives delicatioribus fartus ferculis, pretiosiori madidus vino, colore vividus, ac toto corpore vegetus videretur mortem ipsam ridere; cum artificiosa æquè, ac subtilis purpura eum ab æstibus defenderet, & byssus contra hyemis algores fomentis muniret. Sed citius Diviti epulæ morbos accersiverunt, & fercula mortem vocârunt, quàm mendico fames. Putrescebant enim in ventre Divitis epulæ, pugnabant contraria inter se se obsonia, malè digerebantur, quæ in gulæ delicias in stomachum demittebantur; & ex ciborum dissidio noxiæ emergebant ægritudines, ut vel ipsa vitæ fomenta in mortis degenerarent auxilia; potus enim nivium frigiditate delusus stomachi extinguebat calorem, & pilciom, aviúmque discrepantia genera stomachum expugnabant; ventrémque prægravabant, ut gulæ deliciæ plus in Divitis sævierint sanitatem, quàm in mendico stimuli mordentis famis. Rectè igitur Evangelista mortem describens Lazari mendici ait: *Factum est, ut moreretur mendicus*, quia non tam vi morbi, quàm merito prœmij mortalitatem exuit: & de Divitis morte ait: *Mortuus est autem, & Dives*, quia non fame, sed ciborum ingestione, potúsque nimia satietate vitam extinxit; nec opus fuit, ut mors divitis speciali statueretur decreto, sicut mors Lazari, cum Dives ciborum cupedijs ipse sibi mortem intulerit: ut autem vita defungeretur Mendicus, acciri morbus non debuerat, quia inedia ipsa ægritudines arcebat, noxiósque humores absumebat; ideóque ut heluo mortem oppeteret, nullum erat studium speciale adhibendum, cùm edacitas ipsa vitæ venenum fuerit, & ægritudinum causa.

67. Plurimum habet cum morte affinitatis, & cognationis gulæ indulgentia, cùm sit edacitas omnium fermè ægritudinum putidissimus fons, & officina; in qua dolores cuduntur, febres æstuantes accenduntur, morbi omnes accersuntur. Hinc ne primus homo deliciis circumfusus periret, eâ conditione in paradiso constituitur voluptatum, ut si ab arbore abstineat scientiæ boni, & mali incolumis sit servandus, & nunquam à statu dejiciendus felicitatis: fiat autem morti obnoxius, si gulæ indulgeat, fructúque illo vescatur. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* *Genes. 2.* Sed suadente serpente in temperantiam, & alliciente ad gulæ indulgendum, fructum comedit, & cum fructu mortem deglutivit; quam & in posteros transfudit: & sicut temperantia mors est vitiorum, & vita virtutum; ita gulæ indulgentia mors est virtutum, & vita vitiorum, mósque hominis: quid enim est heluatio, ciborum ingestio, ferculorum immodica in stomachum demissa congeries, quàm vitiorum vigor, virtutum languor, luxuriæ nervus, castitatis interitus, corporis ægritudo, mentis hebetudo, membrorum macies, insidiæ vitæ, salutis naufragium, dolorum conceptaculum, matrix ægritudinum, radix morborum omnium, & mortis acceleratio? hinc Deus, quò vitæ Protoparentum consuleret, à cibo monuit, ut abstinerent; sed cacodæmon, quem jamdudum invidia torquebat, ob tantam Protoplastorum felicitatem in terra, longéque majorem olim in cœlo futuram, cujus ipse possessione fuerat deturbatus; serpentem, animal fagax, ingressus, quo à statu illo dejicerentur Protoparentes felicitatis, fieréntque interitui obnoxij, esum ijsdem suasit pomi vetiti; *& cum voluptate eos sauciavit*, ut loquitur S. Basilius Seleuciensis. *Orat. 2.* Nimirum ut essent homines interitui obnoxij noxiam gulæ voluptatem eis Dœmon suasit, & in ipso cibo lethali vulnere eos interemit.

68. Non est igitur studiosè ciborum lautities quærenda, cùm ex ipsa nonnisi malorum congeries in homines derivet: ferculorum cupediæ non vanidæ tantùm sunt; sed & perniciosæ; morbos enim parturiunt, & eò majores, quò plura subeunt ipsæ incrementa; síntque propterea morbi, & omnia corporis incommoda voluptatis, gulæque deliciarum vectigalia. David toto prolixi itineris tempore Hebræos nulla ægritudine laborâsse, sed incolumes perdurâsse in laboribus, quos ex itinere subierant, refert. *Non erat in tribubus eorum infirmus*, *Psal. 104.* seu ut expendit Euthimius, *aliquem eorum ægrotâsse nunquam traditur*, & quamvis salus proficiscentis populi speciali Numinis providentiæ tribuenda sit; si tamen causa naturalis, & secunda hujus incolumitatis pervestigemus, hæc non alia censetur fuisse, quàm in victu frugalitas, in ferculis temperantia, in gulæ deliciis coërcitio, ut videtur, & ipse David, innuere addens: *Pane cæli saturavit eos*: Manna scilicet, populo illi in deserto sapiebat, & solo pane corpora reficiebat, vires ex itineris labore detritas restaurabat, & ægritudinibus obviabat; tametsi cœlum itineranti tunc populo copiosas suppeditaret

ret escas, de ijsdem tamen tantùm duntaxat licebat colligere; quantum naturæ diurnus Ind. 16. usus absumeret, & ideo sola temperantia omnem valuit ægritudinem impedire: hinc etiam D. Paulus ut consuleret Timothei incolumitati, eò quià necessarius esset tunc Ecclesiæ, præ cæteris sobrietatem comendat 1. ad Timot. 4. *Sobrius esto*, quasi ad senectam vitam protrahere non valeat, qui ferculorum est delicijs addictus, & superfluorum ciburum ingestione stomachum implet, & ventrem aggravat: præcipua enim radix, ex qua in corpore humano omnes pullulant ægritudines, ferculorum si dixeris esse indulgentiam, ac gulæ aviditatem, te neque latum unguem à vero errare, non sinet Seneca, qui scribit. Epist. 96. *Miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labentium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentúsque venter, dum malè assuescit plus capere, quàm poterat. Inde suffusio lurida bilis, decolor vultus, tabésque in se putrescentium.*

69. Ferculorum varimodæ conditutæ, stomachi nimia repletio, ventris gravedo, gulæ deliciæ, ægritudines, morbósque lethales humano accersunt in corpore; infaustè conditur, quod nimia comeditur aviditate; dum ingesti ferculi sapor gustum titillat, cibi nimietas stomachum gravat; & quia, quæ avidè suscepit fercula, coquere nequit, fœdè corrumpit; & corruptus cibus ægritudinem gignit, qui probè coctus, vires restaurâsset, & sanitatem attulisset; hinc Clemens Alexandrinus ex Antiphanis sententia: fontem omnium in hominibus ægritudinum, ciborûm ait esse varietatem, & nimietatem: ait Clemens: *Antiphanes Delius Medicus, vel unam hanc dicit esse morborum causam, ciborum varietatem.* Imò non solùm corpus lædunt, sed & mentem, animúmque inficiunt, nobis communes sunt cum brutis ciborum voluptates, quæ si nimiæ fuerint, hominem in brutorum censum referunt: & quo major à ciborum suggestione voluptas sumitur, eò vehementiùs brutales motus in nobis insurgunt.

70. Hinc à statu etiam hominis deijcitur homo, si frœnum non injiciat gulæ voluptatibus: incipit enim non esse suus, qui obsonio non utitur, sed eorum copiâ abutitur: & qui avidiùs calices siccat, propriam videtur rationem, mentémque exsiccare, quia ut scitè S. Laurentius Justinianus: *Ubi est crapula, ratio cæspitat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.* (Epist. 98. De disciplin. Monast. c. 20.) Mentem evertunt fercula, nisi ab illis mens avertatur, proinde non studiosè esse ciborum delicias quærendas, vel ipsa nos voluit natura edocere, cùm nonnisi fœdo fine voluerit delicias omnes gulæ, escásque pretiosas concludi, ut præclarè notat D. Chrysostomus, inquiens: Homil. 1. in Epist. ad Timoth. *Esca ipsa fine tam abjecto clamat, ne simus deliciarum amatores, nam nisi illa hoc fine desineret, neque in perniciem corporis immodicam verteretur, etiam invicem nos ipsos voraremus.* Nil est, quod magis hominem inficiat, ventrem aggravet, mentem retundat, totámque naturam depravet, ac adulteret, quàm ferculorum nimietas; helvationi qui inhiant, non stimulos famis compescere satagunt, sed brutorum instar agunt, & obbrutescentes ventrem implent, & mentem evacuant, haut secus ac prodigus ille evangelicus, qui *cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant.* Luc. 15.

71. Plures ciborum lenocinijs eblandiuntur corpori, quod blanditijs, ac illicijs delinitum magis efferatur; cæteræ feræ blanditijs, cibí exhibitione mitescunt, ac cicurantur; & hominis corpus ciborum illecebris, quavis ferâ fit nocentius, magisque sævit: scitè S. Nilus orat. de gula: *Leonem, si demulceas, eum haud rarò cicurabis; at si ventrem delicias truculentiorem eum reddes.* Feræ obsonij delinitæ delicijs feras exuunt; sed hominis corpus feram induit, sævítque in animam: huc pertinet, quod scribit S. Isidorus Pelusiota. Lib. 5. epist. 237. *Si delicatis epulis, & luxu distendere corpus tuum velis inscius ipsum contra animam armabis, & refractarium reddes.*

72. Ferculorum cupediæ in arma vertuntur, cum in sanguinem convertuntur; ferales belli faces succendunt, quando concupiscentiam incendunt; gladios acuunt cum carnis stimulos excitant; vulnera infligunt, cum prava desideria figunt; & necem inferunt, quando consensum ferunt. Fugiendæ sunt gulæ deliciæ, abjiciendæ ferculorum cupediæ, ne ipsæ nos interimant, ne degluttiendam nobis exhibeant necem; avertamus nos à quovis esculentorũ excessu; ne nos esculenta evertant, ut monet Isidorus Pelusiota, inquiens: Lib. 1 epist. 344. *Si te ad Deum abiturum esse expectas, consilijs magis obtempera, gulaque rabiem extingue, voluptatum igniculos consopiens, quorum immodicus usus homines ad futuras flammas transmittit.*

DIS-

DISSERTATIO XV.

Manuum tactus, jocique mulierum procacium occulto fascino castitatem toxicant. Is sapit, qui hæc luxuriæ fugit lenocinia interitui castitatis præludentia.

§. I.

Adeo delicatus est flos castitatis, ut solo lenocinantis mulieris tactu lethaliter lædatur, arescat, & corrumpatur; ideóque fugienda tactuum, jocorúmque discrimina.

1. Non gulæ tantùm inhiaotis fercolorum cupedijs declinanda sunt pericula; verùm etiam tactuum, jocorúmque lenocinantium sunt discrimina toto nisu fugienda. Delicatissimus est flos castitatis, non halitu tantùm inficitur, visu marcescit, sed etiam tactu interimitur: lilia castitatis pomis in hoc pariantur Gomorræis, quia solo & ipsa cinerefiunt attactu; imò adeò sunt tenella, & delicata, ut nec vepreti spineam patiantur punctionem teste D. Bernardo *serm. 48. in cant.* ubi loquens de lilio ait: *Nec vel levissimam spinæ sustinet ullatenus punctionem floris teneritudo; sed mox ut modicè premitur, perforatur*: & flos castitatis solo lenocinantis mulieris attactu lethaliter vulneratur, arescit, & corrumpitur; imò vel levissimâ compressione nitor infuscatur candoris, & decor constupratur pulchritudinis: & quia nunquam efflorescit securus, ejus incolumitati consuluit natura, cùm sentibus communivit: arcere siquidem spinis manum voluit, ne tactu devenustaretur.

2. Est tactus sensuum omnium infimus ad fæcem turpioris materiæ, colluvionem spurcitiarum proximiùs accedens, remotiúsque ab animi dignitate abscedens. Tres enim sensus D. Dregorius Nyssenus præ cæteris vocat belluinos, ac pecudum proprios, Tactum, Gustum, Odoratum, eò quia impensiùs volvantur in cœno turpiorum voluptatum, à quibus propterea fugere debemus, non secus ac à putri, malíque olente cadavere, pestiferos exhalante halitus, quibus inficit, quos afficit: si enim voluptas tactûs hominem afflaverit, hic incipit æstu libidinis ardere, ac furere, & impudico deperire amore, quo castitas cinerescit. Proinde in hoc coërcendo tactûs sensu summa est cura adhibenda, eò quia obviæ ubíque nobis veniant occasiones contrahendi lethales hos afflatus, & delabendi non sine detrimento, imò & cum interitu castitatis.

3. Censent plerique, nullum inesse homini vehementiorem sensum, nullum ad libidinem tactu proniorem: siquidem est tactus, qui adhibetur inter personas diversi sexus, quasi leno libidinis, imò & scintilla quæ flammam excitat luxuriæ, cujus æstu flos exsiccatur pudicitiæ; & tametsi leve quidpiam initio videatur, emergit tamen, séque voluptas accendit, vegetiórque insurgit contra castitatem, cujus candorem, vel tetro infuscat fumo, vel lethali corrumpit flamma. Perinde, ac præsidiarius in arce miles, si Præfectus legionis liberum ei ingressum in alicujus ædes permittat, illic bellica sua istrumenta, gladios præsertim, sclopum, & alia id genus imponit; & tametsi ad negotia egressus foris videatur per campos divagari, potestate tamen intus est, eò quia armorum acervo ea in domo posito illam fecit sui juris: ita voluptas vitiorum veluti legione munitâ, si per sensus animum ingrediatur, & in oculis lanceam, in auditu galeam, in manibus scutum potis sit defigere; quamvis procul à corpore censeatur abesse flagitium, scelúsque voluptatis; cum tamen libido sua in sensibus illis arma fixerit, veluti in ædium vestibulo non diu aberit, & intus scelus grassabitur.

4. Solent, qui parum suæ solieiti de pudoris custodia, sensuúmque coërcitione, plures prætexere excusationes necessitudinis, consuetudinis; imò & puræ, castæque intentionis: sed latet sub herbæ virore serpentis venenum; inde enim prosiliunt nocituræ laxitates, sensuum liberiores aspe-

ctus,

ctus, incauta colloquia, gestus leviores; & inde sequuntur tactus impuriores, & quædam hilaritudines, quibus exuto pudore tota etiam deponitur verecundia: & qui ruboré suffusus ad solam mulierum consueverat horrere præsentiam; nunc post neglectam modestiam, jam vultu constanti lascivientes oculus in nudatum fœminæ pectus dirigit, blandóque intus operante veneno, glíscente luxuriæ æstu ad tactus etiam delabitur impudicos, & experitur se priùs damna pati, quàm periculum senserit: oculus enim rationis incipit sensim sine sensu caligare, dein obcæcari, pravísque cogitationibus exagitari, & accedente consensu totaliter claudi, quo præceps in scelus ruat anima, quæ licèt cœlo nata, nacta tamen luxuriæ lenocinium immemor Dei, & sui, sinit se flamma concupiscentiæ comburi, & incendio absorberi.

5. Flos castitatis ex contactu, vel arescit, vel corrumpitur, cùm vel solo etiam aspectu contaminetur monente Tertulliano, qui ait: *Omnis publicatio virginis bona stupri passio est:* quia oculi, si virginem adspiciant, eam constuprant, sitque propterea solus aspectus, quædam virginitatis prostitutio: ad aspectus sequuntur incauta colloquia, quorum pedissequi sunt gestus à modestia aberrantes, & plerúmque etiam tactus impudicitiam olentes: nec ampliùs virgo est, cujus aspectus scintillas emittunt luxuriæ, aures impudicitijs conspurcantur; & tactus flammas impuro adjiciunt igni: neque obstat, quòd puella nunquam sola colloquia, soleat cum viris miscere, quia ut rectè D. Ambrosius. *Deperdita est verecundia, si puellæ liberi permittantur aspectus*, & præsertim ut aic S. Cyprianus de Habit. Virgin. *Si liberiùs evagari virgines velint: esse enim tunc virgines desinunt, furtivo dedecore corrupta:* quia spectantium oculi liberiùs evaganti puellæ decus subfurantur castitatis: hinc etiam Christus virgines exclusit, quarum libertas ei innotuerat, quásque domum egressas agnoverat liberiùs divagari reposuitque propterea illis Nescio vos.

[b. de ve. a. virgin. to 3.] [b. 3. de virgin.] [Matth. 25.]

6. Hospitio exceperat Rahab duos exploratores, quorum alterum unum fuisse ex Angelicis choris plures censent Rabinorum, eò quia ubi vulgatus textus habet: *Tollens mulier viros abscondit*, in textu hebraico legitur: *accepit duos viros, & abscondit eum*, & quia unum duntaxat ex duobus receptis exploratoribus mulier absconderat, inferunt alterum utpote Angelum se non exhibuisse spectabilem, ut præsertim Rabbi Salomon apud Abulensem, & apud Lyram: *Phinees erat Angelus in corpore humano, ideóque poterat stare coram hominibus, & non videri ab eis: ideóque non fuit absconditus à muliere:* at si Phinees tametsi Angelus speciem assumpserat humani corporis, & quidem ad omnem confictì elegantiam, quid prohibuit, ne à muliere curioso aspiceretur intuitu, & contactu palparetur liberiori? quia puellis voluit esse documento, quo omninò abstinerent à curiosa oculorum divagatione, & multò magis à consuetudine cum viris, manuúmque contactu: tametsi Phinees Angelus fuerit, quia tamen speciem assumpserat humani corporis, non passus fuit se à muliere tangi, imò & ab ipsa videri renuit: recusavit manibus tangi muliebribus, ut absconderetur: & licèt hæc interpretatio textûs quoddam potiùs videatur sapere Rabinorum delirium: æquè tamen morum adaptatur instructioni.

[.. 27.]

7. Magdalena post Magistri funera audax, & imperterrita, quem jacentem non repererat in sepulchro, quærit per arva, & patentes campos: spiculo amoris faucia, pharmacum quærit; & quem verus amor quæsivit, perseverantia tandem invenit; & quæ dolens madidis lachrymarum imbre oculis lementabatur quærens occisum; victorem de triumphata morte aspicit redivivum, & præ gaudio gestiens, antiquo jure sibi debita vestigia humi prostrata exambit deosculari: quam tamen Christus non ab osculo tantùm, sed à quovis etiam tactu exclusit. *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum*, quasi diceret, tametsi de victa morte triumphos attulerim, quia tamen nondum ascendi ad Patrem meum, quia adhuc terris immoror, inter mortales versor, non sinam me à muliere tangi. [Joan. 20.]

8. Sed si Thomæ incredulitati, ac Discipuli imbecillitati fulciendæ tangendas non negavit vulnerum cicatrices; cur nunc vestigia casto Magdalenæ amori, ac sinceræ denegat devotioni? Discipulo incredulo, vel saltem ancipiti dicit. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum:* & respuens pia Magdalenæ obsequia, omnem illius arcet tactum, *Noli me tangere:* respuit piæ mulieris officia, qui totius manus tactum non prohibuit Discipulo: Nimirum etiam extra Crucis cathedram Magister nobilis suos voluit edocere Discipulos, cum mulieris tactum in corpore suo tametsi glorioso modestè recusaverit: quamdiu inter homines degeret, non permisit, se à muliere quantumvis pia, castóque amore flagrante tangi: huc spectant verba S. Gregorij. *Ostenditur, quòd Maria amplecti voluit ejus vestigia, quem recognovit, sed cur tangi non debeat, ratio quoque additur, cum subjungitur: Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* O quàm utile, ac necessarium documentum! cum ageretur de Discipuli imbecillitate corroboranda, de illius incredulitate corrigenda vulnera offert totius manûs contactu palpanda, & contrectanda, quò suis vulneribus infirmitati mederetur Discipuli: cùm verò agitur de muliere etiam casto flagrante amore, & prona in terram cupiente vesti-

[Joan. 20.] [Homil. 25.]

gia exosculari eam arcet à se, nullúmque ejus permittit tactum, prohibétque mulierem ad se accedere, tactúmque coërcet: *Noli me tangere*, quo inde discerent homines ad lapsum proni, fugienda omninò esse illecebrosa mulierum obsequia; vitandos omninò esse tactus, cùm Magister Christus quamvis in corpore jam glorioso, quia adhuc inter homines versaretur, etiam pia devotæ mulieris declinaverit officia.

9. Thomæ se tangendum exhibuit, ut ejus abigeret incredulitatem; Magdalenam respuit, ut nos doceret castitatem; Thomæ se palpabilem exhibuit, ut illi gratiam impertiret, Magdalenam à se abegit, ut nos instrueret, docerétque fœmineos tactus semper cavere; pulchrè Chrysologus ait: *Illud* Serm. 76. *de figura est, hoc de sexu: illud de divina gratia, hoc de humana natura.* Christi puritas quamvis divinitatis munita fulcimento, resurrectionis insignita immunitate, gloriæ affecta incorruptibilitate, adhuc modestiæ suffragia ad nostram quæsivit eruditionem: & quò altiùs nostræ hæreret memoriæ, mentique imprimeretur, etiam post descensum è crucis cathedra hoc voluit nos documentum edocere ad castitatis munimen, pudoris tutelam, ac puritatis studium. Cúmque nec sua permiserit Christus à muliere vestigia exosculari, cavendum certè est non solùm à tactu corporis, carnisque fœmineæ, verùm etiam à rebus illis, quæ proximè mulieres attingunt, & quibus sunt usui, quia etiam in ipsis fomes est libidinis, & scintilla plerúmque exilit voluptatis. In veste, ornato, chirotheca, strophiolo muliebri igneus delitescit cupido, & ea retigisse adustione non vacat; nec ulla est exsiccata palea, quæ igni injecta citiùs incendatur, quàm ex tali contactu inflammetur libido; cujus æstu arescit flos castitatis; adeò ut vel solùm tetigisse puellæ sudariolum morituræ sit præsagium castitatis. Sunt, qui asserant, tactas aconito carnes eos protinus interimere, qui illas degustârent: sed nullum est aconitum tactu fœmineo lethaliùs, & quo celeriùs virtus corrumpatur.

§. II.

Fugiendus diversi sexus contactus, ex quo lues irrepit venerea, quæ tangentes inficit, ac fœdè interficit.

10. Cultor castitatis omnem debet mulierum familiaritatem effugere, & ab illarum se consortio submovere, quia simplici contactu flos arescit pudicitiæ: & quamvis pura utrinque sit intentio, casta consuetudo, adhuc tamen ex contactu turpitudo oritur, quâ flos inficitur castitatis: tametsi decidentes è cœlo imbres puri sint: & ipsi pulveres nil contraxerint in terra fordidi, nisi quod pulveres sint; adhuc tamen ex solo contactu aquæ puræ, purique pulveris turpitudo oritur luti. Hinc Apostolus ut ab hoc nos arceret luto scripsit. *Bonum est homini mulierem non tangere:* quæ verba 1. ad Corinth. 7. expendens S. Hieronymus, acutè ad rem nostram ea premit *in Apologia ad Pamachium*, Epist. 50. inquiens: *Animadvertenda est Apostoli prudentia; non dixit, bonum est homini uxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere; quasi & in tactu ejus periculum sit, quasi qui illam tetigerit, non evadat.* Quia nimirum perinde est mulierem stimulo concupiscentiæ tangere, ac fœdo lapsu virtutem corrumpere castitatis, & animam turpissimè fœdare.

Noverat id pudicissimus in Ægypto Joseph, qui propterea pallium, quod lasciviens mulier tetigerat, illicò dimisit, ne contagium, pestisque lethalis, quæ ex lenocinantis fœminæ lasciviente manu effluxerat, serperet, & castitas contaminaretur, ut scitè notat Hugo Victorinus de claustro animæ. *Adultera resistit Joseph per munditiam cordis, & corporis, respuit enim adultera tactum, rupit fimbriam, ne serperet contagium.* Quis satis explicet, quanta è mulierum consuetudine, tactu, jocisque damna enascantur, & in quot labantur errores, qui fœminæ se lenociniis credunt? Cecidit ipse Apostolorum vertex Petrus, qui statim, ac cum muliere consortium instituit, sermones miscuit, Magistrum suum negavit. Et quamvis plures ab interpretibus hujus negationis producantur occasiones, illa tamen mulieris postrema non fuit: siquidem Ostiaria Petrum exrepit ingredientem, nec dimisit, donec lapsum videret egredientem: mulier Petrum interrogavit, sed quia Petrus à mulieris consortio se non avertit, eversam in se fidelitatis Magistro debitæ vidit virtutem, & qui intrepidè contra irruentes milites stetit, amputavitque nudato gladio Malchi auriculam, fœdè cecidit, cùm primùm fœminæ consortium admisit: mulieris, qui non fugit consortium; facilè cadit; & qui mulieris admittit consuetudinem, facilè virtutis amittit pulchritudinem; hinc Ambrosius loquens de lapsu Petri ait: *Quomodo non erraret, quem intromisit Ostiaria, interrogavit Ostiaria, & Ostiaria Judæorum:* nimirum suæ matris vestigia presserat hæc mulier Ostiaria, cùm vestigiis inhærens Evæ à serpente seductæ, virum in errorem traxerit: sibi fidere non potest vir, qui mulieri fidit.

11.

Cap. 4.

Matt. 26.

In Luc. lib.

12. Nulla est in viro fortitudo, tametsi inconcussa, quam mulier non labefactet: ex consortio, tactúque muliebri fœminam vir imitatur, & vires omnes exuit viriles, induitque muliebrem mollitiem: idque vel ex eo conjicitur, quia Genes. 2. ubi mulier formata dicitur ex viri costa; dicitur etiam pro costa reposita à Numine caro; saperétque postquam homo consortium fœminæ enactus est mu-

muliebrem mollitiem; cùm antea costæ fortitudine, ac duritie muniretur; mox cùm primùm expertus est homo mulieris contactum, mollitiem sensit carnis. *Et replevit carnem pro ea*: sed cur Deus carnem refondit, si duritiem extraxerat costæ? ut inde disceremus, virilem constantiam in fœmineam facilè commutari mollitiem ex mulierum consortio, pulchrè Isidorus expendens verba illa. *Replevit carnem pro ea*, ait: *Costâ ossea ereptâ carnis mollitiem induit Adam, & ex mulierum consuetudine virilis constantia imminuitur.*

Genes. 2.

Genes. 2.

13. Innumera propemodum possent exempla accersiri in hujus rei testificationem, Præstò pluriès decantati essent Salomon, Samson, David, & alij sexcenti, qui virili exuti fortitudine ex consortio mulierum fœmineam induerunt mollitiem; & cum mollitie viam sibi emollierunt ad fœdissima luxuriæ scelera. Qui lasciviéntem mulierem aquæ licèt immundæ, ac fœdè æstuanti pariavit, & virum spongiæ bibulæ, nec latum unguem à vera deflexit similitudine: luxuriæ siquidem corruptam, fœdéque olentem aquam ebibit, qui à muliebri non se avertit consortio, bibula est spongia, siccitate si laboret, aquam sitit; in quam si labatur, sitim extinguit, quia eam ad satiertatem bibit: nec aquam tangit spongia, quin aliquid ebibat humoris: & vir, si mulierem lenocinantem tangat, vix fieri potest, quin ex tali contactu aliquid contrahat venereæ pestis, quâ flos castitatis corrumpatur; scitè S. Ephræmus Syrus admonens, ut malorum, & præsertim fœminarum consortium declinaremus, spongiæ utitur similitudine *in tractatu de mala conversatione vitanda*, ubi ait: *Sicut spongia humidu admota subjectam humiditatem haurit, participátque: ita quoque carnis infirmitate laborans, si ad carnales accesserit mulieres, aut multum cum ijs sermonem miscuerit, commune cum ijs damnum participabit*: qui igitur humores luxuriæ ebibere non vult spongiæ instar; consuetudinem, tactúsque mulierum lenocinantium declinet, alioquin sentiet se bibisse, tametsi bibiturus non accesserit. Bibula spongia vir est; & aqua licèt corrupta, ac perversè olens, fœmina est; fœmineas cogitationes malè olentes, ac pudicitiæ florem evertentes facilè ebibit, qui fœminis adhæret, qui fœminas liberiùs alloquitur, eisque consuetudine associatur, mentem qui timet muliebrem induere, & pectus exuere virile, longè à consortio se mulierum avertat.

14. Imò non spongiæ tantùm bibulæ assolet vir comparari, & mulier lasciviens aquæ fœdè olenti; verùm etiam aquæ flammas inutrienti, habeátque propterea aqua ista suum ignem, nec suis hæc fluenta flammis careant. Scimus morem olim apud Romanos fuisse, quò puella nubens aquam jo-beretur, & ignem tangere, cujus ritus causas nonnullas adfert Plutarchus, inquiens: *Cur nubentem attingere ignem, & aquam jubent? utrum quòd horum inter elementa, & principia hæc fæmina, ille mas fit: atque ille motûs exordium infundat, hæc subjecti, & materia vim? An quia ignis purgat, & aqua expiat, debeátque munda, & sancta, quæ nupta est, permanere?* sed fortassis aqua, & ignis, consuetudo olim inolevit, quâ præferrentur sponsis, ut vir moneretur amoris igne aquæ frigiditatem temperare, ac tepefacere, & aquæ frigiditate nimium coërcere ignis ardorem? Vel fortassis, ut nobis esset documento, quòd sicut aqua ignem extinguit, si eidem affusa fuerit; ita ex muliebri contactu vigor in viro opprimitur, & virtus deprimitur castitatis? Habet hæc aqua suos fluctus, suósque scopulos, ubi amor impudicus per lasciviéntes attactus in syrtes impellit, & in brevia, & quos tangit, eòsdem infelici obruit naufragio. In hisce aquis blandæ cavendæ sunt sirenolæ, ut non tantùm occludantur earum cantibus aures, ut Ulysses præstitit; sed oculi itidem, ne suos in blandientes has cantatrices intuitus dirigant, quia solo decipiunt, irretiúntque aspectu, & irretitos blando enecant attactu. In scopulos per lasciviéntes tactus adigit, quos cupidineus afficit amor, adeò ut fallantur, qui hisce in aquis se portum posse appellere arbitrantur.

Quæst. seu Roman.

Non aquæ tantùm mulier, & bibulæ spongiæ vir pariatur, sed mulier lasciviens igni haud absimilis dicitur, & paleæ vir: quòd si simul hæc duo associentur, non potest palea non flammas suscipere, & sicut ne palea cinefiat, procul avertenda est ab igne, ita ne flos castitatis corrumpatur, cavendum vel maximè est, ne fœmineo attaminetur contactu; quàm sit noxius tangenti hic contactus, quàm præsens, ac imminens aperiat periculum interimendæ castitatis toti voluit posteritati prodere Ursinus Presbyter jamjam acturos animam. Is referente S. Gregorio Magno tametsi vitam transegisset summa in severitate pœnitentiæ, assiduo virtutum studio, insigni castitatis culturâ, & innocentiam, quam cum lactè suxerat intemeratam servaverit, cùm in ipso virtutum gremio adoleverit, & in ipso pietatis exercitio semper vixerit. Attamen morbo decumbit lethali, febris æstuat in sanguine, vitium contrahunt humores, putrescunt viscera, destituitur ipse viribus, motum omnem, ac calorem exuit, & cum animam jam exhalasse crederetur ad lectum accessit fœmina ejus quondam uxor, cujus tactu, omnique familiaritate per quadraginta anteactos annos abstinuerat, cùm totum illud tempus nonnisi in SS. ecclesiæ ministerijs, rerúmque divinarum exercitatione impenderit: dum verò fœmina explorat, an Ursinus animam jam exhalaverit, & num flatus aliquis adhuc superesset, vestigiúmque animæ nondum abeuntis, tetigit, ut morise 15.

moris est hominis os, atque vultum: & licèt extrema agens, cum morte ipsa luctaretur, cùm primùm mulieris tactum sentijt, toto nisu vires collegit omnes, quæ supererant, & pro monito salutari posterorum menti altiùs imprimendo dixit mulieri: *Recede mulier, recede; adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Nullus igitur sibi fidat, quamvis adolescentiæ annos in cultura impenderit virtutum, & quandam attigerit ætatis maturitatem, imò & senectæ canitiem: sub hisce canitiei nivibus adhuc vivit igniculus, cui si palea associetur, flammam concipit, & nives ipsæ liquescunt in vetitas luxuriæ aquas.

17. Testes possent facilè adduci duo illi corruptissimi senes, qui flammas hauserunt è fonte, in quo Susanna se meridiani sub æstum solis opacas inter arbores lavare consueverat; cum enim probra hæc non tam senectutis; quàm impuræ Veneris turpissima mancipia impudico flagrarent amore, cæcúmque in venis ignem alerent, eúmque mutuò confiteri non erubescerent, statuerant data sibi occasione libidinis suæ prædam in pomario Joachim venari, ac in fonte expiscari, in quo Susanna parabat corpus abluere frondibus arborum, & fructieosis occultata septis, & quamvis plena timoris castitas fœminæ diligenter obserari ostia viridarij procuraverit per duas, quas secum duxerat puellas, per posticum dimissas, olei, & smegmadis afferendi causâ, solam cùm se crederet, suæque tutam innocentiæ; ecce duo exilium lenones ex arborum ramis, velut ex insidijs, duo scilicet viri provectiori ætate jam confecti, qui tamen sub canitiei nivibus ignes alerent, quibus Susannæ castitas etiam in ipso fonte cinesceret: ad scelus enim perinde ac equus, mulúsque adhinnientes integerrimæ matronæ solicitârunt pudicitiam, blanditijs, suasionibus, munerúmque sponsione, licèt mulier reluctans irritos eorum effecerit conatus:

Daniel. 13. *Exclamavit magna voce Susanna: exclamaverunt autem, & senes adversus eam:* sed ò quàm diversus fuit clamor! Susanna clamavit, ut cœlum audiret; sed salacissimi senes exclamârunt, ut vox petulca, ac lasciva personaret: inclamavit illa periclitanti castitati suppetias; conclamârunt isti spem omnem pudicitiæ servandæ: clamavit mulier, ut laboranti virtuti succurreretur; succlamârunt senes, ut velociùs ad scelus currerent, sed prævaluit genius casti turturis contra hircos mutientes: clamor servavit innocentiam, & nequitiam prodidit. Incolumis maneret castitas, si ad vim propulsandam suppetias, & arma à lingua, & voce peteret, sed ideo cadit, quia os clauditur, & oculi aperiuntur, & manus etiam admoventur ad perversè olentes contactus, quibus in scopulum allisa castitas fœdum subit naufragium.

§. III.

Quæ per oculos hauriuntur venenata luxuriæ illicia mentem subeunt, quam lascivientibus implent, fædántque cogitationibus, quæ ad manus per impuros transeunt contactus, omnino fugiendos, ut castitati lethaliter noxios.

Irrepit ad virtutis internecionem luxuriæ virus, & quæ per oculos hauriuntur, venenata luxuriæ illicia, mentem pervadunt, quam lascivientibus implent, fœdántque cogitationibus; mòxque ex mente serpunt ad manus, quæ impuros per contactus florem radicitùs evellunt castitatis. Ne venenum hocce serpat ad manus, corrumpátque virtutem pudicitiæ, cavendum est, ne per oculos in lenocinantis fœminæ vultum figendos hauriatur: hoc nobis documentum dedit S. Joannes Baptista, cum vindex pudicitiæ ab hostibus castitatis fuerit capite damnatus, seu à reis Judex ultimo addictus supplicio: & quidem inter lautiores mensæ delicias, ferculorum cupedias, falernorum odoratos liquores, ferale pronunciatur edictum, & executioni mandatur; collum præciditur, ne vocem illam *non licet tibi*, ampliùs ejaculetur, neque impudicas pulset, feriátque lascivientium aures: ferro amputatur Baptistæ caput, jubetúrq; adferri inter fercula. *Herodes misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco:* nimirum pedes impudicæ saltatricis caput percusserunt vindicis castitatis; de carcere ad convivium quasi ferculum mittitur in disco effrœnis lasciviæ exsaturandæ causâ, & victima castitatis luxuriæ immolatur turpitudini: æquè luxuria vinum sitivit in convivio, & sanguinem, utrumque fudit, non ad sitim extinguendam, sed ad sævitiem accendendam: sed innocens Baptista licèt impavidè properantem expectaret mortem, flecterétque collum, non animum sub gladio; oculos tamen pressit, ne mulierem intueretur impudicam, ut pulchrè D. Ambrosius ait: *Cerne oculos in ipsa morte aversentes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ:* nimirum caput amputatum, cui nec peccandi facultas, nec concupiscendi libertas aderat, oculos tamen claudit, non tam violentiâ ferri, quàm castitatis cultura: *in ipsa nece aversatur conspectum deliciarum*, tametsi neque oculorum illicientes aspectus, nec genarum fucus, nec oris venustas, neque mulieris lascivientis blandimenta exsectum Baptistæ caput valerent ampliùs allicere, nec mentem Baptistæ obsidere, adhuc oculos claudit, non ut imminens propulsaret periculum, sed ut castitatis accerseret decorem, nobísque documento esset, quàm sint pleni periculis oculi, si ejus aspectus in lenocinantes dirigantur fœmi-

Margin notes (right column): 18 [beside "Irrepit ad virtutis internecionem luxuriæ"]; Matth. 14. [beside "put, jubetúrq; adferri inter fercula. Herodes"]; Lib. 3. de virgin. [beside "Ambrosius ait: Cerne oculos in ipsa morte"]

fœminas: *in ipsa morte aversatur conspectum deliciarum*, licèt fuerit Baptista incontaminatæ pudicitiæ honor, virtutis splendor, castitatis gloria, temperantiæ decus, oculos claudit, ne venenum ex aspectu mulieris hauriret: *clauduntur lumina* ait Ambrosius, *non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ.*

15. Non oculis tantùm luxuriæ contrahitur virus, sed validius etiam alloquio, & contactu. Deperibat mulier Ægyptia eximium castitatis cultorem Josephum, pudori perinde ac inconcusso hærentem scopulo; ut autem ejus profligaret castitatem, & in sua adolescentem vota flecteret, non promissis eum solicitavit, non spe illexit, non muneribus emollivit, unà duntaxat mulier expugnandæ pudicitiæ admovit machinam, quam cæteris rebatur validiorem; verbis non auro; vocibus, non gemmis; manuum contactu, non oculorum lenocinio aggressa est detrectantem juvenem suis assentiri fœdis cupiditatibus: cœpit cum illo blandè confabulari, prolixiorésque miscere sermones, & quidem diebus singulis, ut continuato assultu, tandem, quam impugnabat castitatis arcem
Genes. c. 39. in juvene, expugnaret: *Hujuscemodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Non ita hebes erat Ægyptia mulier, tametsi cœco lippiret amore, quin prævideret non cessurum opibus, vel supplicijs juvenem, quem verborum illecebræ non flexissent, & manuum tactus ad sua non induxissent vota: juvenis enim pallium rapuit, quo reluctantem, imò & fugientem sisteret castitatem.

16. Nulla in muliere evertendæ castitati adolescentum aptiora reperiuntur instrumenta illis oris, & manuum, verborum, & contactuum: idque fortassis causæ fuit, cur à Poëtis omni prorsus instrumento tum corporis, tum potentiæ destitutus amor inducetetur: nimirum lippus oculis, nudus corpore, inops vestibus, sævus manu telo munita, sed tamen elinguis nunquam fictus fuit: quia Cupido potest de triumphata castitate victorias legere, quamvis oculis orbatus, opibus destitutus, dummodo una ei supersit lingua, quæ absque dubio in arcu adumbratur, & jaculis: si loqui possit linguâ, & manu tangere, ferire potest, quia verba jacula sunt, quæ manu jaciuntur, quatenus per contactus vulnera infliguntur: hinc cupidineus amor, quamvis oculis lippus, quia tamen una ei superest oris petulantia, manúsque arrogantia, victorias sibi spondet: ideóque Ægyptia mulier Josephum castitatis studiosum emollitura, non auro donavit, quô eum ferrei sæculi Principem salutaret, & simul libidinis famulum renuntiaret: non ei libertatem obtulit, ut suæ libidinis mancipium faceret; non purpura eum vestivit, quò celerius pudorem exueret; non Margaritis ornavit, ut castitatis candorem eidem arriperet; non multiplici gemmula adolescentem illuminavit, quò promptius cæcutiret præstricta castissimæ mentis acies plurimo gemmarum fulgore; sed inter lascivientis concupiscentiæ æstus, inter Cipridis fluctus, in quibus nata dicitur Venus, colloquiorum illecebrâ studuit juvenem flectere, manúsque tactu in scopulum ejus impellere castitatem: etenim Ægyptia siren æstuantis concupiscentiæ exagitata fluctibus vocis illecebrâ Ulysse fortiorem Josephum pugnare, & expugnare sategit. Verùm aures non spinis sepsit, sed flore excultæ pudicitiæ circumsepsit, obstruxítque, ne fœminea voce illaquearetur.

Præmiserat mulier linguam, ut laqueum subderet: inermis enim foret fœminea pulchritudo, si elinguis esset, manibúsque destituta; faces, & tela ex ore eruit, quæ manu jacit ad castitatis internecionem. Samsonem expugnârunt Dalilæ verba, & manus: 17.
Dixítque ad eum Dalila, quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum? cúmque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, defecit anima ejus; quam Dalilæ pulchritudo non valuit Samsonis pugnare fortitudinem, hanc mulieris eloquentia expugnavit; & victoria, quæ genis fuerat denegata, linguæ est data; & captus est Samson muliebris sermonis vinculo, quem nullis vincire funibus nec cives poterant, nec hostes: succubuit Samson, viréisque exuit, cum gremio indormivit mulieris: consopiti viri in caput manus injecit fœmina, & per contactum unà cum capillis viribus etiam privavit: jacet recalvaster Nazareus non tam ferro, quàm verbo, & manu detonsus, sed muliebri ori, ac manui palma debetur, quâ Samson prostratus cecidit viribus destitutus. Judith. 16.

Ea enim est vis labiorum, & manuum, ut ijs vinci possint, etiam qui vinciri nequeunt. Manus lascivientis fœminæ vinculum est luxuriæ, vincit enim, & illaqueat etiam fortissimos, quos viribus destituit: pulchrè S. Basilius: *Quamdiu invalida, atque immatura sunt ad naturalem actum corporis membra, lex quoque peccati feriata est, atque ignorantiam fortasse dixerit quispiam naturalis operis inesse membris. At ubi pubescere cœperint, atque ad id munus, ad quod facta sunt, esse per ætatem idonea; nullum prorsus membrum est, quod cum lege magistrâ nitatur, ignorantiam ejus, ad quod effectum est, peccati, possit obtendere. Verùm & labia norunt ad quid amantibus accommodata sint, ad quem usum instituta; & membra singula, sexúsque alterius membra: non minùs, quàm se ipsa per naturam norunt; nam si naturam illorum ignorarent, nec actum quidem ipsorum, & officium concupiscerent.* Membra quò sunt hebetiora, eò ad luxum cœco naturæ magisterio avidiùs proruunt, arcana quadam concupiscentiæ sympathia, & 18.
De virg.

naturæ ad contactus manuum pronitate, ex hoc enim contactu accenditur concupiscentiæ flamma, quæ in fœdam libidinem perdidissimè propagatur, nisi festinato cautè renutu quantocyus coërceatur, ac refutetur: extinguendæ statim sunt flammæ lasciviæ, quas alterius sexus, vel levior attactus perniciosè flabellat, ac perniciosius auget incendium, quo castitas cinerescit, & reliquæ pereunt virtutes. Pestiferi sunt alterius sexus attactus, ni caveantur pestem communicant, quæ è manu ad brachium, cor, & animum serpens totum inficit hominem, & virtutes in ipso corrumpunt.

19. Idque causæ, cur pudicissima Susanna, quæ siccis oculis injustam valuit sententiam audire, nonnisi madido lachrymarum imbre vultu potuit sentire alterius sexus, vel leviorem attactum. Præerant salaces Judices fraudum, potiùs quàm legum peritissimi: cúmque ad honestatem, ac culturam castitatis, studiúmque pudicitiæ velata adesset Susanna, ne in ejus venustatem intuitus figerent oculorum cæteri, qui aderant: qui sedebant ut Judices surrexère, & quo aliquid saltem luxuriæ blandimenti perciperent, manus capiti venustissimæ mulieris admoverunt: *Consurgentes autem duo Presbyteri posuerunt manus suas super caput ejus. Quæ flens suspexit in cælum.*

Daniel. 1, 3. v. 34.

20. Quid? quòd Susanna venustissima mulier cùm ducitur ad tribunal probrosissimæ mortis sententiam animo intrepido, frontéque serena audit: & cùm primum *Presbyteri posuerunt manus suas super caput ejus.* Præ cordis dolore, pectorisque angustijs, animique afflictione tota liquescit in lachrymas? *quæ flens suspexit in cælum:* noverat casta mulier fœdam Presbyterorum intemperantiam, ideóque festinè flevit, lachrymis purgatura, quas per contactum lascivientes Presbyterorum manus maculas capiti impresserant; & quæ ore hilari mortis iniquam potuit sententiam audire, nonnisi fronte tristissima, & oculis imbre madidis lachrymarum valuit impuros Presbyterorum pati attactus; quò pudicissimè denotavit, insincerum illum Presbyterorum contactum ei graviorem, ac acerbiorem obtigisse, ipsâ injustâ, iniquâ, & crudeli sævæ lapidationis sententiâ. Unicè erat castitatis addicta culturæ, noverat per impudicos alterius sexus attactus pudicitiæ pestem transfundi, ac serpere in perniciem, & interitum pudicitiæ, & ideo quæ non timuit iniquæ sententiæ mortem subire; tota exhorruit, expavítque, cùm primùm præsentijt, se ab alterius sexus manu tangi impudicâ. Nulla est deterior lues, nec virtutum pestis lethalior, quàm quæ per tactus impudicos diffunditur: nonnisi pluviâ purgatur lachrymarum, quæ ex impudico contactu macula imprimitur.

21. Non solùm muliebris contactus venenum spargit, pestémque communicat, quâ castitas interimitur; ac tota virtutum cohors corrumpitur; verùm & ejus manus vincula sunt, quibus miserè vinciuntur, capiuntúrque incauti, ut scitè Sapiens: *Lustravi universa animo meo, ut scirem, considerarem, & quærerem Sapientiam, & ut cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium, & inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet & illam; qui autem peccator est capietur in illa.* Verùm ubi Ecclesiastes vocat manus fœminæ vincula: *Vincula sunt manus illius*, Paraphrastes Chaldæus habet *ligatæque manus ejus sic, ut non faciat opus*, & Aquila ita exponit *vinctæ sunt manus ejus.*

Eccles. cap.

Sin verò quæratur, quomodo mulier vinctis manibus, adhoc dicatur vincula in eisdem habere manibus, quibus liget, ac vinculis irretiat; cùm vinctæ, ac ligatæ mulieris manus inidoneæ sint, quæ alios ligare valeant, ac vincire? Respondetur tantæ esse fœmineæ manus efficaciæ ad viros irretiendos, ut vel vinctæ, ac ligatæ ijsdem capiendis, vinciendisque habeantur peraptæ, quæ solutæ longè expeditiùs illaquearent, promptiúsque irretirent. Appositè Gregorius Thaumaturgus in metaphrasi; *vincula sunt manus mulieris. Cor enim ejus pertranseuntes irretit, at si vel manum tantùm manui connexuerit, non minus strictè retinet, quàm si vinculis constrictos traheret.* 22.

Vincula sunt, & laquei manus mulieris; quia per tactus viros illaqueant, qui per manuales luxuriæ tricas miserè capiuntur, & arctissimis vinculis masculus libidine victus muliebriter vincitur. Quia tactus muliebres laquei sunt venatorum, nec alios dixeris esse hos venatores, quàm cacodæmones, qui meretricio quæstu compendium faciunt. Hinc Chrysostomus non dissimili allegoriâ cellam meretriciam diaboli vocat officinam, in qua tartareus proxeneta hanc venum exponit infamem mercem, & asserit Cacodæmones mulieris meretricis esse lenones, quia sicut lenones meretricibus amatores conciliant; ita tartareus auceps lenonis instar plures libidinosis suggestionibus ad scorta perducit: & quemadmodum lenones cum meretricibus infamem solent quæstum partiri; ita prædo tartareus amatorum fortunas scorti mercedem esse permittit; sibi verò animarum reservat spolia, seu hominis partem nobiliorem, quam ad ignobiliorem detrudat locum æternis adjiciendam cruciatibus. 23.

In Epist. 1. ad Corinth. 6.

Meritò igitur Ecclesiastes mulierem procacem, ac lascivientem morte vocat amariorem, laqueúmque venatorum: *& inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus est venatorum.* Inter cæteras allegorias ea Ecclesiaste magis arrisit, quæ etiam Ethnicis in hoc mercenario quæstu placuit: hinc lena illa apud Plautum in Asinaria aic: *Hinc noster quæstus aucupio simillimus. Auceps quando concinnat aream, effundit cibum,* 24

Eccles. 7.

bum, aves assuescunt, necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum. Sæpe edunt: semel si sint capta rem solvunt aucupi. Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves.

25. Neque alio tendunt retia, quæ fœmina lenocinijs extendit, quàm ad incautos irretiendos viros, neque credas sagenas diaboli alias esse, quàm procaces mulieres, quæ in luxuriæ æstuantibus fluctibus homines perinde ac mutos pisces trahere, & irretire admituntur. Non unâ tamen contenta est mulieris sagena prædâ, omnes enim comprehendere adnititur, & in id unum intenta est, ut obvios quosque expiscetur, rapiátque: Pulchrè Hugo Carensis expendens verba Ecclesiastæ: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus est venatorum* ait: *sagena cor ejus, quia omnes capit magnos, & parvos Ezech. 16. Expesuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres, ideo autem dicit: sagena cor ejus, & non ipsa; quia sicut sagena totum fluvium occupat, ut nullus piscis effugiat; sic cor mulieris totum vicum, vel civitatem, vel Regionem, in qua habitat, occupat, omnésque capit voluntate, & desiderio: & licet multi effugiant ipsam, nullus tamen effugit cor ejus.* En quam laxè, quàm longè, latéque in aliorum perniciem hæc porrigitur sagena; en quàm apta est mulier una pluribus perdendis viris: & quidem experimento satis deprehendimus, innumeros propemodum viros unius duntaxat mulieris captos pulchritudine, prædas cessisse stigiæ paludis piscatoris, in cujus sagenam mutorum instar piscium constat irretitos cecidisse.

26. Est mulier sagena laxè Veneris exporrecta in undis, ubi æstuante concupiscentia mens fluctuat viri sinentis fœmineis se illecebris irretiri; est mulier sagena in hominum capturam laxè exporrecta: nec alium credas piscatorem esse, qui hac utitur sagenâ, quàm cacodæmonem, ut notat Hugo Carensis inquiens: *Sagena etiam Diaboli est cor mulieris, quia voluntate, & desiderio omnes capit.* Idque de corde intelligitur fœminæ impudicæ, ac lenocinantis, cujus etiam vestimenta in retia aptantur viris irretiendis. Loc. cit.

§ IV.

Ornatus procacis mulieris viros devenustat, & ideo fugiendus, quia laqueus est, quo Auceps tartareus viros adnititur capere, suique juris facere.

27. Lib. 1. c. 7. NOn abs re huc accersitur, quod Cæsarius refert; sacerdotem quendam vidisse dœmones super defluentem cujusdam Matronæ fimbriam considentes, & mox saltitantes: quia fœmineis delectantur dœmones vestimentis, ac muliebri ornatu, laciniisque, quibus utuntur ad viros minus cautos illaqueandos. Has etiam sagenas meretricias notavit Heliodorus inquiens: *Inevitabilem adeo, & invictam meretriciæ pellaciæ trahebat oculis:* Neque enim est explicatu facile, quot hâc sagenâ quam mulier in fraudem, & deceptionem jacit virorum, capiantur. Mulier cùm elegantiùs se ornat, retia jacit, insidias tendit, struítque laqueos spectatoribus: huc pertinet, quòd scripsit Isidorus Pelusiota: *Mulier ornandi corporis nimis studiosa, atque ob eam causam in forum se conferens, aut per fenestras prospiciens, ut juvenes irretiat; etiamsi à conatu suo excidat, tamen perinde, ac si eos irretijsset condemnatur, id enim omne quod in ipsius potestate erat, effecit, ut quæ & venenum miscuerit, & retia expanderit, laqueósque omni studio, ac diligentiâ statuerit:* utinam à superfluo hoc ornatu avocarentur, quæ studiosiùs se mulieres ornant, & utiliori virtutum studerent ornatui? ex ornatu vestium nullus carpitur fructus, nisi qui in commodum cedit cacodœmonis; illicia enim sunt tartarei aucupis ornatus, qui mulierem elegantiùs exornant. Lib. 2. Epist. 289.

28. Non tamen omnis semper damnandus est muliebris ornatus, cùm etiam Esther elegantiam formæ sibi arte conciliaverit, & totius Judæorum gentis salutem invexerit: sed is datur ornatus probro, quo procax fœmina utitur viris illaqueandis, minúsque cautis irretiendis: quo pacto fornicaria, ac ferox Jezabel oculos pinxit, vultúmque finxit adscititiâ larvatum elegantiâ: viri enim ad concupiscentiæ illicia proni superfluis hisce mulierum illaqueantur ornamentis: nimirum ornant se procaces mulieres, quò amasios onerent; si tamen ornatus sunt; qui animam devenustant., & corporis membra vel vulnerant, vel premunt, vel illaqueant, ut intorquebat in muliebrem ornatum S. Ambros. lib. 1. de virgin. inquiens: *Certè lacera vulneribus aures, depressa onere misera cervices, non sunt allevamenta pœnarum; sed discrimina metallorum. Hinc quos catena constringit, inde pedem compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur, an ferro:* verus ornatus non ab auri mutuatur fulgore, nec à gemmarum splendore, sed ex virtutum culturâ, ex studio præsertim castitatis: non enim purpura, quæ corporis obtegit membra quidquam animo adjicit ornamenti; neque splendentes gemmæ auro nuptæ quidquam pariunt decoris, quo mens ornatiùs illucescat; Verus animi ornatus is est, qui è virtute nascitur; cervices non auro sunt inclinandæ, sed Christo; non gemmæ frontem, & caput illuminent; sed virtutes in mente splendeant; non purpura corpus tegat, sed charitas animum informet. *Meminerint mulieres* ait S. Paulinus *esse se filias illius filij Regis, cujus gloria omnis ab intus est. Intelligant, cur illas Apostolus prolixiori capitis velamento tegi jusserit. Propter Angelos inquit: illos videlicet ad seductionem paratos, de quibus sancti judicabunt. Hi enim petulantius* Epist. 4. ad Severum.

lantius

lentiùs infirmiora vasa pertentant: ficut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum hunc mulierum ornatum Dœmonum laqueos,quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueant,fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu cæcutientes pœnas eligunt, quas si saperent,potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus torti metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ;premuntur vinculis fœmora; brachia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vinciuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat,quantò magis, si manus adhibuerit, tactúsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactûs venena, quibus totus corrumpitur virtutum apparatus, imò arma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœcunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibíque à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum perimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorosæ libidinis inservit voluptatibus,in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim senserat Ægyptia mulier se allici, cum impudicas manus iniecit in adolescentem castitatis cultorem: *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus,* & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur luctator adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis recenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lasciviens hera suos in adolescentem oculos: hic autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs aptos censeret oculos in suppetias manus accersivit; *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras,*

Genes. 39. (margin)

Genes. 39. v. 12. (margin)

32. Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractaverit libidinis, tactu perficere confidenter adnititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se traheret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine,* & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam:* apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lascivientis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum excultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem extutere infectionis suspicionem.

Orat. 8. (margin)

33. Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse,succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendis marito,* qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, ac in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inferendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit,& adolescens ausugit; an non fuga ipsa renisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quin fugeret; argumento id sanè est nil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga delusit: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: *Illa inquit vestem ostentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! cum pallij, quo manus accusantur, sit gestatrix, lingua accusanti creditur,* an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudicè manu intemperanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem lingua expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuitque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret?

Genes. 39. v. 16. (margin)

Orat. 8. (margin)

34. An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lascivientis fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium con-

traheret

traheret, quo exculeus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba

Genes.c.39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquítque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-

Lib.1.de pœn. cap.13. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautela, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam

Judic.14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam

Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurísque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentíque mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cæpit abigere eum, & à se repellere.* Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur: certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit. 36.

Judic.16. v.19.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior lasciviâ;* tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur, adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudu- 37.

lenta

lantiùs infirmiora vasa pertentant: sicut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum hunc mulierum ornatum Dœmonum laqueos, quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueunt, fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu cæcutientes pœnas eligunt, quas si saperent, potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus torti metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ; premuntur vinculis fœmora; brachia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vineiuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat, quantò magis, si manus adhibuerit, tactùsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactùs venena, quibus totus corrumpitur virtutum appatatus, imò atma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœcunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibique à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum petimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorosæ libidinis inservit voluptatibus, in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim sensetat Ægyptia mulier se allici, cùm impudicas manus iniecit in adolescentem castitatis cultorem: *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus,* & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur Inctator adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis recenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lasciviens hera suos in adolescentem oculos; hic autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs aptos censeret oculos in suppetias manus accersivit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras,*

Genes. 39. v. 6.

Genes. 39. v. 12.

Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractavetit libidinis, tactu perficere confidenter admititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se traheret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine,* & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam:* apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lasciviventis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum exsultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem excutere infectionis suspicionem. 32.

Orat. 8.

Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse, succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito,* qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, ac in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inferendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit, & adolescens aufugit; an non fuga ipsa renisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quin fugeret; argumento id sanè est nil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga delusit: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: *Illa inquit vestem ostentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! cum pallij, quo manus accusantur, fit gestatrix, linguæ accusanti creditur,* an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudicè manu intempetanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem linguæ expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuitque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret? 33.

Genes. 39. v. 16.

Orat. 8.

An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lascivientis fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium con- 34.

traheret

traheret, quo excultus castitatis flos peri-
clitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre,
non pallium reliquisset, sed cum pallio
mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ
fœminæ vox impudenter mendax adnixa est
Josephi detrahere castitati, cùm manus non
valuerint ejus attingere corpus. Sed per-
versa fuit viri credulitas, cùm fidem præ-
stiterit linguæ impudicæ, quam negaverat
pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt
tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo
commendatur Josephi castitas, cùm non
solùm impudicæ fœminæ obscœna verba
Genes. 39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vesti-
menti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm
etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mu-
lieris pallium proprium excussit, reliquít-
que, quia lascivè attactum: quia nimirum
timuit, ne à veste ab impudica mulieris
manu attacta quidquam serperet, quod no-
xium esset castitati, fœminæ enim conta-
ctus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-
Lib. 1. de pœn. cap. 13. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph,
quando eum adulterij cupida mulier allocuta
est: voluit eum capere sermone misit la-
queos labiorum suorum: sed pudicum vi-
rum ligare non potuit. Solvit enim vincu-
la mulieris vox puderis, sermo gravitatis,
habena cautela, fidei custodia, castimonia
disciplina. Capere igitur eum retibus suis
impudica non potuit, misit manum, & ap-
prehendit vestem ejus, ut nodum stringe-
ret. Verba petulantis mulieris cupidita-
tum retia sunt, manus ejus amoris nodus
est. Sed nec retibus capi potuit mens pu-
dica, nec nodo: excussa veste solutus est
nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam
truculentioribus associari, quàm lascivien-
tis fœminæ consortium admittere, verba
adblandientia audire, tactúsque pati casti-
tati exitiales. In Leonem inciderat Sam-
son jubâ horridum, fame exagitatum, imò
& inflammata oculorum torvitate cruentam
Judic. 14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis
sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Sam-
son inopino circumventus discrimine maluit
à rugiente honestè dilaniari fera, quàm tur-
pi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pu-
sillanimi? Leonis ferocientis rugitus ani-
mos excitârunt; Samson enim intrepido ani-
mo, ac pectore fortitudine loricato leoni
obviavit hianti ore mortem minitanti; sed
leonem Samson brachiorum inter amplexus
sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam
Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson,
& dilaceravit leonem, quasi hædum in fru-
sta discerpens, nihil omnino habens in ma-
nu:* scilicet Numinis favor, & vires sup-
peditavit, & animos inspiravit, quibus de
ferociente bellua eò gloriosiores triumphos
deferret, quò inermis eam aggressus gene-
rosè prostravit. Sed qui cumulatus victo-
rijs, laurísque coronatus ex conflictu cum
ferarum ferocissima redux victor acclama-
tur; victus postea ex fœminæ consortio
fœdè prosternitur: cùm Samson amore ad-
urgeretur infidæ mulieris, fraudulentas in-
ter delicias, captiosásque adulationes, illi-
cienti, petentíque mulieri secretum invinci-
bilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reseratio- 36.
nis pœnas dare; urget infida mulier virum,
quem allicit ad caput in suum gremium de-
clinandum; somnúmque capiendum; sed
somno sopitum non veste, sed fortitudine
exuit, rescissis forcipe capillis, & in ho-
stium potestatem devenit vinctus, victus,
decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire* Judic. 16.
eum fecit super genua sua, & in sinu suo re- v. 19.
*clinare caput, vocavítque tonsorem, & ra-
sit septem crines ejus, & cæpit abigere eum,
& à se repellere.* Samson, qui non solùm
rugienti obstitit leoni; verùm etiam de pro-
strata fera gloriosum attulit triumphum; ex
attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus ge-
nua caput reclinaverit; unà cum tactu, ca-
pitísque inclinatione cecidit à pristina forti-
tudine: & inserviens libidini fœmineis se
immiscens jocis oculos perdit, in carcerem
detruditur, ac brutorum labore teritur, mo-
læque in girum agendæ ad ignominiæ in-
crementum adjicitur; certè utilius ei fuit
rugientem incurrisse leonem, quàm lenoci-
nantis fœminæ blandam incidisse in libidi-
nem; per occursum in leonem hiante fauce
rugientem surrexit victor ad gloriosiores tri-
umphos; per blandimenta lascivientis fœ-
minæ cecidit in probrum ignominiæ, ac de-
decus hominum, labores adactus jumenti
subire: Leo tropheis Samsonem coronavit,
quem libido capillis, & viribus denudavit;
leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasci-
viæ blandimenta nonnisi ignominiam ei im-
petrârunt; leo animos, virésque addidit, sed
concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus
capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso
suo cruore purpuram victori honestè colo-
ravit, quam libido infami sua flamma de-
venustavit; leo victrices palmas, & trium-
phales lauros dedit, sed libido ferales cu-
pressus ministravit.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de 37.
Herodiade caput exposcente Baptistæ scri-
psit: *Fallor si sit fera pessima crudelior la-
sciviâ;* tametsi hiante, ac cavernoso ore ru-
giat leo, strages minetur, mortes prænun-
tiet, fulguret ardentibus oculis, accedát-
que ad strages spargendas scelerato gressu,
& horrendis unguibus ad prædam armetur;
adhuc Samson animo intrepido, pectore im-
pavido, corde magnanimo venienti ad se
leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, &
os, quod per repetitos rugitus cladium
minas ingeminabat, in mellis favo delatæ
victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; &
unguibus homini discerpendo aptis trium-
phos procudit, quibus gloriosior de pro-
strata fera Samson fieret: sed fallax mulier,
mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudu-

lantiùs infirmiora vasa pertentant: ficut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum hunc mulierum ornatum Dœmonum laqueos, quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueant, fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu cæcutientes pœnas eligunt, quas si saperent, potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus torti metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ; premuntur vinculis fœmora; brachia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vinciuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat, quantò magis, si manus adhibuerit, tactúsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactûs venena, quibus totus corrumpitur virtutum apparatus, imò arma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœcunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibíque à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum perimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorosæ libidinis inservit voluptatibus, in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim senserat Ægyptia mulier se allici, cum impudicas manus iniecit in adolescentem castitatis cultorem: *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus*, & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur luctator adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis recenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lasciviens hera suos in adolescentem oculos: hic autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs apros censeret oculos in suppetias manus accersivit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras,*

Genes. 39. v. 12.

32. Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractaverit libidinis, tactu perficere confidenter admititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se trahe ret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine*, & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam*: apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lascivientis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum excultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem excutere infectionis suspicionem. Orat. 8.

33. Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse, succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito*, qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, ac in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inferendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit, & adolescens aufugit; an non fuga ipsa renisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quia fugeret; argumento id sanè est nil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga delusit: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: *Illa inquit vestem ostentans fidem fatis. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! cum pallij, quo manus accusantur, fie gestatrix, linguæ accusanti creditur*, an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudica manu intemperanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem lingua expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuitque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret? Genes. 39. v. 16. Orat. 8.

34. An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lascivientis fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium contraheret

traheret, quo excultus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba
Genes.39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquitque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus; pulchrè S. Am-
Lib.1.de pœnit.13. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautela, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam
Judic.14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simulque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam
Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurisque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentique mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere.* Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attolit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur: certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactos jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

36.

Judic.16. v.19.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior Lasciviâ;* tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudu- 37.

lantiùs infirmiora vasa pertentant: ficut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum hunc mulierum ornatum Dœmonum laqueos, quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueunt, fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu exæcutientes pœnas eligunt, quas si saperent, potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus torti metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ; premuntur vinculis fœmora; bracchia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vinciuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat, quantò magis, si manus adhibuerit, tactúsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactûs venena, quibus totus corrumpitur virtutum apparatus, imò arma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœcunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibique à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum perimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorosæ libidinis inservit voluptatibus, in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim senserat Ægyptia mulier se allici, cum impudicas manus iniecit in adolescentem castitatis cultorem: *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus,* [Genes. c. 39.] & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur luctator adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis recenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lascivиens hera suos in adolescentem oculos; hic autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs aptos censeret oculos in suppetias manus accersivit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras,* [Genes. 39. v. 12.]

32. Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractaverit libidinis, tactu perficere confidenter adnititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se traheret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine,* [Orat. 8.] & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam:* apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lasciviantis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum excultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem excutere infectionis suspicionem.

33. Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse, succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito,* [Genes. 39. v. 16.] qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, ac in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inferendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit, & adolescens aufugit; an non fuga ipsa renisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quin fugeret; argumento id sanè est nil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga deluserit: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: *Illa inquit vestem ostentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! cum pallij, quo manus accusatur, sit gestatrix, linguæ accusanti creditur,* [Orat. 8.] an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudica manu intemperanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem lingua expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuítque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret?

34. An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lasciviente fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium contraheret

traheret

traheret, quo excultus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba

Genes.39.

excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquitque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Ambrosius:

Lib.1.de pœ- cap.11.

Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam necem minitantem:

Judic.14.

Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei. An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam adegerit:

Ibidem.

Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu: scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurisque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentique mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

36. Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, decapillatus, oculisque orbatus:

Judic.16. v.19.

Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere. Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur: certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

37. Huc pertinet quod S. Fulgentius de Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior lasciviâ*; tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudu-

traheret, quo excultus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba
Genes. c. 39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquítque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-
Lib. 1. de pat. cap. 11. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimonia disciplina. Capere igitur eum retibus fuit impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam
Judic. c. 14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam
Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurísque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentíque mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, 36.
quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus,
decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire* Judic. 16.
eum fecit super genua sua, & in sinu suo re- v. 19.
clinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere. Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur; certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, viresque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de 37.
Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior lasciviâ;* tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudu-

lantiùs infirmiora vasa pertentant: sicut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum hunc mulierum ornatum Dœmonum laqueos, quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueunt, fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu cæcutientes pœnas eligunt, quas si saperent, potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus torti metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ; premuntur vinculis fœmora; brachia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vinciuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat, quantò magis, si manus adhibuerit, tactúsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactûs venena, quibus totus corrumpitur virtutum apparatus, imò arma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœtunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibíque à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum perimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorosæ libidinis inservit voluptatibus, in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim senserat Ægyptia mulier se allici, cum impudicas manus iniecit in adolescentem castitatis cultorem: Genes. c. 39. *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus*, & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur Luctatur adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis retenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lasciviens hera suos in adolescentem oculos: hit autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs aptus censeret oculos in suppetias manus accersivit: Genes. 39. v. 12. *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras.*

32. Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractaverit libidinis, tactu perficere confidenter adnititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se traheret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: Orat. 8. *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine*, & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam:* apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lascivientis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum excultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem ext utere infectionis suspitionem.

33. Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse, succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: Genes. 39. v. 16. *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito*, qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, at in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inserendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit, & adolescens aufugit; an non fuga ipsa renisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quin fugeret; argumento id sanè est nil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga delusit: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: Orat. 8. *Illa inquit vestem ostentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! eum pallij, quo manus accusantur, sit gestatrix, lingua accusanti creditur*, an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudica manu intemperanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem lingua expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuítque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret?

34. An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lascivientis fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium con-

ttaheret

traheret, quo exculeus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba
Genes.c.39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquitque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-
Lib.1.de par. cap.11. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè fatiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam
Judic.14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam
Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurísque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentique mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, 36.
quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire* Judic.16. v.19.
eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere. Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur; certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de 37.
Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior lasciviâ;* tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, frauduⁿ

lantiùs infirmiora vasa pertentant: sicut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum hunc mulierum ornatum Dœmonum laqueos, quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueant, fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu cæcurientes pœnas eligunt, quas si saperent, potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus torti metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ; premuntur vinculis fœmora; brachia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vinciuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat, quantò magis, si manus adhibuerit, tactúsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactûs venena, quibus totus corrumpitur virtutum apparatus, imò arma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœcunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibíque à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum perimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorosæ libidinis inservit voluptatibus, in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim senserat Ægyptia mulier se allici, cum impudicas manus iniecit in (Genes. 39.) adolescentem castitatis cultorem: *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus*, & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur luctator adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis recenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lasciviens hera suos in adolescentem oculos: hic autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs aptos censeret oculos in sup- (Genes. 39. v. 12.) petias manus accersivit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras,*

32. Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractaverit libidinis, tactu perficere confidenter adnititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se traheret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: (Orat. 8.) *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine*, & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam:* apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lascivientis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum excultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem excutere infectionis suspicionem.

33. Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse, succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: (Genes. 39. v. 16.) *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito*, qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, ac in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inferendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit, & adolescens aufugit; an non fuga ipsa tenisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quin fugeret; argumento id sanè est nil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga delusit: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: (Orat. 8.) *Illa inquit vestem ostentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! cum pallij, quo manus accusantur, sit gestatrix, lingua accusanti creditur*, an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudica manu intemperanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem lingua expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuítque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret?

34. An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lascivientis fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium con-

traheret

traheret, quo exculcus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba

Genes. 39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum*: verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquitque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-

Lib. 1. de pœnit. cap. 11. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautela, fidei custodia, castimonia disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam

Judic. 14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam

Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu*: scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurísque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentíque mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reseratio- 36.
nis pœnas dare; urget infida mulier virum, quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire* Judic. 16. v. 19.
eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere. Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur; certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de 37.
Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior Lasciviâ*; tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, frauda-

lantiùs infirmiora vasa pertentant: sicut coluber Evam aggressus est.

29. Esse superfluum huoc molierum ornatum Dœmonum laqueos, quibus non tantùm viros irretiunt, verùm etiam se ipsas illaqueunt, fiúntque vel nolentes præda tartarei aucupis ex eo conjicitur; quia vel in ipso ornatu cæcutientes pœnas eligunt, quas si saperent, potiùs fugerent; Cervix enim premitur, oneratur potiùs quàm ornetur caput multo auri pondere; gravatur pectus tortis metalli pœnis; impeditur incessus, calceorum pressurâ; premuntur vinculis fœmora; brachia aureis catenulis multiplici gemma ad vanitatis famulitium splendentibus vinciuntur, & singula corporis membra propriâ se damnant sententiâ.

30. Quòd si vel adscititiâ vestium elegantiâ mulier procax viros illaqueat, quantò magis, si manus adhibuerit, tactúsque exhibuerit impudicos, sunt enim hujusmodi effrœnatæ luxuriæ tactus venena, quibus totus corrumpitur virtutum apparatus, imò arma sunt tartarei hostis, quibus in humanum genus desævit: quemadmodum continentia, ac pudicitia in ipso mundi exordio fœcunda fuit radix, ex qua germinavit tota felicitas è cœlo in terras derivata; ita cùm primùm tetigit Eva exhibitum sibi à colubro pomum, sibíque à Numine inhibitum, contactus fœminæ initium fuit deperditæ felicitatis, & morti viam adaperuit. Quòd si contactus procacis mulieris in virum extendatur eum perimit, cùm premit; quia humana natura cum obscœnis dedecorolæ libidinis inservit voluptatibus, in se ipsam insanit, sævitque; & perinde ac pisces, & aves fallaci capiuntur oblectatione, ita homines tactu alterius sexus simul oblectantur, & pestem contrahunt, quâ castitas perimitur.

31. Allicit ad hos tactus præsertim venustas faciei ab hac enim senserat Ægyptia mulier se allici, cum impudicas manus injecit in

Genes. 39. adolescentem castitatis cultorem: *Erat autem Joseph pulchra facie, & venustus,* & apprehensa lacinia vestimenti ejus intra domum remotis arbitris Josephum aggreditur lasciviens hera, & in castitatis palæstra inducitur luctator adolescens ea conditione, ætate, ac forma, quæ temperantiam prodit, & violentiâ facilè capitur voluptatis. Quis recenseat, in hoc conflictu provocatrices lenocinantis mulieris artes, fucos verborum, pellaciam oculorum, manuum, orisque motus, quibus illa speciosi adolescentis temperantiam prædari, & castitatem corrumpere speraret? injecit priùs lasciviens hera suos in adolescentem oculos; hic autem blandum oculorum ictum constanter severo refutavit renutu. Sed cùm expugnandæ adolescentis castitati minùs aptos censeret oculos in suppetias manus accersivit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras,*

Genes. 39. v. 12.

32. Procax mulier, cum blando oculorum aspectu, ac lenocinante verborum fuco frustra negotium pertractaverit libidinis, tactu perficere confidenter adnititur existimans fœmineas manus vincula esse, quibus constrictum adolescentem non solùm ad se traheret, sed & in sua flecteret vota: scitè Basilius Seleuciensis: *Apprehensâ laciniâ mulier manus in adolescentem injecit armatas libidine,* & nonnullis interjectis subdit: *Joseph tenacibus manibus retentam permittens vestem libidinis effugit ansam:* apprehendi veste potuit, sed animo comprehendi non potuit, imò ne venenum è manibus lascivientis fœminæ in vestes delapsum per contactum fusiùs dilataretur, ne contagium ulteriùs serperet, relicto in manu adulteræ pallio volucre citiùs aufugit, timuit enim ne si diutiùs moraretur per manus adulteræ libidinis incentiva transirent ad florem inficiendum excultæ castitatis, ideóque maluit vestem exuere, & omnem extutere infectionis suspicionem. Orat. 8.

33. Verùm cùm vidisset mulier adolescentis pallium solius deceptionis, & contemptus spolium esse, succlamans, familiam evocat, & attentatum à Josepho turpi suadela stuprum mentitur: *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito,* qui nimiâ ductus credulitate promeritam ab adultera iram in castitatis cultorem Josephum totam accendit: quâ super re miratur Basilius Seleuciensis, nec satis admiratur, quòd cùm adultera pallium impudicè contactum ostenderet, ac in manu sua retentum, argumentum fecerit suæ inferendæ pudicitiæ, cùm potiùs se tactionis pestifero contagio intemperantem demonstraret? si enim mulier violenta manu pallium rapuit, vestémque detinuit, & adolescens aufugit; an non fuga ipsa renisum probat adolescentis, si ipsum manu detinere non potuit, quin fugeret; argumento id sanè est oil, quod castitati noxium esset, à fœmina petiisse, quam fuga declinasset: scitè Basilius Seleuciensis Philosophatur: *Illa inquit vestem ostentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! cum pallij, quo manus accusantur, sit gestatrix, linguæ accusanti creditur,* an non fatuitas potiùs arguitur viri, quàm impuritas redarguatur fugientis adolescentis? An non insania fuit fidem linguæ potiùs procacis mulieris, quàm pallio impudicè manu intemperanter, ac violenter arrepto, retentóque adhibere? An non malè libidinem lingua expiat, quam manus accusat? Quomodo pudica ea mulier, quæ impudicè fugientis adolescentis pallium arripuit, detinuitque, ut unà cum veste prædam suæ cupiditatis etiam Josephum efficeret? Genes. 39. v. 16. Orat. 8.

34. An non pudicus, ac egregius castitatis cultor censendus erat Joseph, qui vel ipsum pallium reliquit, quia intemperanter tactum à lascivientis fœminæ impudica manu? ne scilicet ex tali contactu contagium contraheret

eraheret, quo excultus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba

Genes. 39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquitque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-

Lib. 1. de Ioseph. cap. 1. brosius: *Vidit hunc fœmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox puderis, sermo gravitatis, habena cautela, fidei custodia, castimonia disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam

Judic. 14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam

Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de ferociente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurísque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur: cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentíque mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, resciffis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, 36.
decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere.* Judic. 16. v. 19. Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum artulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur: certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animus, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior lasciviâ*; tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & ungnibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudu- 37.

traheret, quo excultus castitatis flos periclitaretur. Si vim voluisset mulieri inferre, non pallium reliquisset; sed cum pallio mansisset. Verùm delusæ, ac contemptæ fœminæ vox impudenter mendax adnixa est Josephi detrahere castitati, cùm manus non valuerint ejus attingere corpus. Sed perversa fuit viri credulitas, cùm fidem præstiterit linguæ impudicæ, quam negaverat pallio castitatem adolescentis loquenti, licèt tacitè, ac attestanti. Profectò vel ex eo commendatur Josephi castitas, cùm non solùm impudicæ fœminæ obscœna verba
Genes. 39. excusserit: *Et illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum:* verùm etiam cùm verbis obscœnis lascivientis mulieris pallium proprium excussit, reliquitque, quia lascivè attactum: quia nimirum timuit, ne à veste ab impudica mulieris manu attacta quidquam serperet, quod noxium esset castitati, fœminæ enim contactus libidinis est laqueus: pulchrè S. Am-
Lib. 1. de pœnit. cap. 11. brosius: *Vidit hunc fæmina ignem Joseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone misit laqueos labiorum suorum: sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautela, fidei custodia, castimonia disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa veste solutus est nodus.*

35. Tutiùs, ac longè satiùs est, feris etiam truculentioribus associari, quàm lascivientis fœminæ consortium admittere, verba adblandientia audire, tactúsque pati castitati exitiales. In Leonem inciderat Samson jubâ horridum, fame exagitatum, imò & inflammata oculorum torvitate cruentam
Judic. 14. necem minitantem: *Apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei.* An Samson inopino circumventus discrimine maluit à rugiente honestè dilaniari fera, quàm turpi se fugæ dare, simúlque notâ inuri pusillanimi? Leonis ferocientis rugitus animos excitârunt; Samson enim intrepido animo, ac pectore fortitudine loricato leoni obviavit hianti ore mortem minitanti; sed leonem Samson brachiorum inter amplexus sic validè strinxit, ut ad vitam efflandam
Ibidem. adegerit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* scilicet Numinis favor, & vires suppeditavit, & animos inspiravit, quibus de feruciente bellua eò gloriosiores triumphos deferret, quò inermis eam aggressus generosè prostravit. Sed qui cumulatus victorijs, laurísque coronatus ex conflictu cum ferarum ferocissima redux victor acclamatur; victus postea ex fœminæ consortio fœdè prosternitur; cùm Samson amore adurgeretur infidæ mulieris, fraudulentas inter delicias, captiosásque adulationes, illicienti, petentíque mulieri secretum invincibilis suæ adaperuit fortitudinis.

Sed statim adigitur incautæ reserationis pœnas dare; urget infida mulier virum, 36.
quem allicit ad caput in suum gremium declinandum; somnúmque capiendum; sed somno sopitum non veste, sed fortitudine exuit, rescissis forcipe capillis, & in hostium potestatem devenit vinctus, victus, decapillatus, oculísque orbatus: *Dormire* Judic. 16, v. 19.
eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere. Samson, qui non solùm rugienti obstitit leoni; verùm etiam de prostrata fera gloriosum attulit triumphum; ex attactu fœminæ ex eo, quòd super ejus genua caput reclinaverit; unà cum tactu, capitísque inclinatione cecidit à pristina fortitudine: & inserviens libidini fœmineis se immiscens jocis oculos perdit, in carcerem detruditur, ac brutorum labore teritur, molæque in girum agendæ ad ignominiæ incrementum adjicitur: certè utilius ei fuit rugientem incurrisse leonem, quàm lenocinantis fœminæ blandam incidisse in libidinem; per occursum in leonem hiante fauce rugientem surrexit victor ad gloriosiores triumphos; per blandimenta lascivientis fœminæ cecidit in probrum ignominiæ, ac dedecus hominum, labores adactus jumenti subire: Leo tropheis Samsonem coronavit, quem libido capillis, & viribus denudavit; leo dulces ei favos suppeditavit; sed lasciviæ blandimenta nonnisi ignominiam ei impetrârunt; leo animos, virésque addidit, sed concupiscentiæ salacitas, fœminæ contactus capillos avulsit, & oculos eruit; leo effuso suo cruore purpuram victori honestè coloravit, quam libido infami sua flamma devenustavit; leo victrices palmas, & triumphales lauros dedit, sed libido ferales cupressus ministravit.

Huc pertinet quod S. Fulgentius de 37.
Herodiade caput exposcente Baptistæ scripsit: *Fallor si sit fera pessima crudelior Lasciviâ;* tametsi hiante, ac cavernoso ore rugiat leo, strages minetur, mortes prænuntiet, fulguret ardentibus oculis, accedátque ad strages spargendas accelerato gressu, & horrendis unguibus ad prædam armetur; adhuc Samson animo intrepido, pectore impavido, corde magnanimo venienti ad se leoni obviat, à cujus sævitia non læditur, & os, quod per repetitos rugitus cladium minas ingeminabat, in mellis favo delatæ victoriæ dulcedinem gustandam exhibuit; & unguibus homini discerpendo aptis triumphos procudit, quibus gloriosior de prostrata fera Samson fieret: sed fallax mulier, mellita lascivientis fœminæ fraus, fraudo-

lenta inter blandimenta adulatio, adulatrix illecebra, manûs, genûque contactus Samſonem animo, & viribus ſpoliârunt, & inglorium in probroſam detruſerunt ignominiam: *Dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput*, ut unà cum capitis inclinatione vires caderent dormientis viri; & miſer inter jumenta viliora adſciſceretur, qui feras truculentiores glorioſè proſtraverat.

§. V.

Fugiendi ſunt fœminei tactus, quia delicias, carnisque voluptates cum ſpondent, in ipſum corpus armantur, cujus vires infringunt, robúrque dejiciunt; & necem accerſitis morbis accelerant.

i. 19. QUàm perverſè agunt quotquot adblandienti fidunt fœminæ. Si enim loquitur, fallax eſt ſiren, quæ cantu allicit, ut enecet; ſi manu tangat adeò feralem impulſum imprimit, quo in ſcopulos alliſa caſtitas fœdè naufragetur: voluptas vera non eſt, quæ ad veram trahit amaritudinem; deliciæ omnes, quæ ex lenocinijs hauriuntur adblandientis fœminæ, flumina imitantur; quæ poſt perbrevem fluxum in amarorem vertuntur: perinde ac flumina ſe ſe in mare exonerant; carnis mellitæ deliciæ, in felleum pœnitudinis deſinunt amarorem: imò ſicut fluminis fluctus margines exedunt riparum; ita & corporis deliciæ, quæ ex contactu alterius ſexus hauriuntur, non vires tantùm corporis abſumunt, ut in Samſone; verùm, & valetudinem corrumpunt, ut

Homil. 55. ſcitè ſcribit S. Chryſoſtomus, *ad populum Antiochenum* inquiens: *Non tam vehementer fluvialium aquarum curſus ripas corrodere, & ſubmittere ſolet; ſicut deliciæ, & luxus omnia valetudinis noſtra firmamenta facilè ſubruere.* Quis dicat, veram eſſe voluptatem, quæ nil adfert commodi, ſed potiùs corporis oppugnat vires, & valetudinem expugnat? fœminei tactus, laſcivientia blandimenta valetudinem quantumvis firmam corrodunt, corrumpúntque, perinde ac vires fluvialium fluctuum ripas exedunt: non ſunt veræ corporis deliciæ, nec veræ carnis voluptates, quas impudici alterius ſexus ſpondent tactus, cùm in ipſum corpus armentur, ejúsque firmitudinem, robúrque dejiciant.

40. Hinc vel ipſi Ethnici Vulcanum finxerunt, dixerúntque claudum, eò quia Veneris fuerit maritus, & Cupidinis pater; innuentes, Veneris, amorisque cupidinei delicias, tactúsque alterius ſexus corporis vires quatere, ac proſternere. Quapropter

Lib. 2. Palladius Vulcanum alloquens ait: *Filium habes amorem, conjugem Venerem. Non immeritò ô Ferrarie claudus es pede*, quia uſu Veneris, tactúque alterius ſexus viribus deſtituitur corpus, & mens etiam ipſa claudicat, dicatúrque propterea fœmineis addictus voluptatibus non tam pede, quàm capite claudicare: impuræ enim quæ ex contactu alterius ſexus hauriuntur deliciæ, tantùm abeſt, quòd caput reficiant, ut potiùs mentem crucient, animum affligant, cor torqueant, verámque in homine jucunditatem inficiant, gaudiúmque extinguant. Et quamvis aliquid videatur dulcedinis exhibere carnalis voluptas, mel quidem eſſe dixerim, ſed felleum; dulcéque venenum, quod cùm bibitur, mors deglutitur: quia amor cupidineus harum faber deliciarum, quæ ex contactu alterius ſexûs percipiuntur, ut ſcitè loquitur Idiota: *Eſt laqueus animæ, diſcrimen* Lib. 1. de amore divin. *vitæ, mors ſuavis, blanda percuſſio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum ſpontaneum, ſapida jugulatio, & ſumma calamitas.*

Quis adeò à ſana mente alienus, qui 41. propinatum ſibi à procace muliere mel felleum velit ebibere, fucatam guſtare dulcedinem, & mortem minimè fucatam deglutire? Quis tam emotæ mentis, ut in tactu alterius ſexûs venenum bibere velit, quod falſa, larvatáque dulcedine ingentis amaritudinis redundante flumine corpus obruit, mentémque ſubmergit? Quis non dicat veneno infectam eam dulcedinem, quæ nonniſi amaroris torrentem effundit? allicitur caro ad impudicos tactus, ad libidinoſos complexus, prurientium ſenſuum irritata vaporibus; & cùm ejus ſenſum quædam mendacia blandimenta emulceant, concupiſcentiæ igni flamma adjicitur, quâ caſtitas cineteſcit, & virtus abſumitur: etiam ſcorpius, quamvis facie videatur lenocinari, ac vario motu eblandiri, venenum tamen de corporis poſtico eiaculatur, ac ultimâ ſui parte, vulnerat, qui primâ allexerat; perinde venerea, quæ ex contactu alterius ſexus percipitur voluptas ſcorpium imitatur, tametſi extima in ſuperficie blanda videatur, plurimúmque præſeferre illicij, ac dulcedinis, venenum tamen effundit, quo nonniſi in mortem deſinit.

Propinat venerea voluptas fucatam ju- 42. cunditatem, quæ æternum ſecum trahit mœrorem: mellis dulcedinem ſuis oſtendit blandimentis, & fellis porrigit amaritudinem; elegans, auróque illitum porrigit calicem, ſed ut venenum bibatur; quia de corporis voluptate loquens S. Chryſoſtomus in ſermone contra luxum, & crapulam, ſcitè ad rem noſtram ait: *Fera eſt voluptas, fera gravis: neque ſcorpio, neque ſerpens in viſceribus noſtris ſedens ita graſſatur; ſicut deliciarum concupiſcentia omnia ſubvertit, perditque, & fera illa tantùm corpori inſidiantur, hæc autem cum inſederit unà cum corpore, ſimul, & animam perdit.* Blanda eſt, ac læta hujus feræ facies, ſed lethalis ejus contactus, vultu allicit, ut caudâ veneno inficiat, quos tangit; eblanditur vultu, ut vulneret poſtera parte,

Non

43\. Non absimilem dixeris alterius sexus impodicum tactum scorpio, cum vultu, & osculo eblandiatur, & simul in posterioribus aculeum circumferat, quo venenum spargat, vulnera infligat, ac perimat. An non ita contigit mors Amasæ, quem Joab gladio peremit, præmisso osculo, mentique contactu; quò blandientis specie fraudem tegeret interimentis, hostiliúsque sub amici specie in hominem sæviret? historia narrátur. (Lib.2 Reg. cap.20.) Erat Amasa filius Abigailis sororis Davidis, quem Absolon in suas partes abduxerat, ac ducem rebellantium copiarum effecerat, ac militibus præfecerat; eò quia validissimam omnium tribum Judæ Davidi reconciliaverit exauthorato Joabo pluribus nominibus de Regno Davidis bene merito, qui propterea atrocem interpretatus injuriam in omnem intendit occasionem interficiendi Amasam, idque tutiùs executurus, per speciem amicitiæ hominem aggreditur, quem perhumaniter salutat venientem sibi obviam, dúmque osculum amicitiæ tesseram figere simulat, alterâ manu mentum apprehendit Amasæ, & alterâ dolosum pugionem in ilia lethaliter immergit. An non etiam procax fœmina sub specie amicitiæ hominem aggreditur cum eidem varijs eblanditur lenocinijs? delicias spondet, voluptates promittit, verùm cùm osculum figit, & manu blandè tangit, vulnus infligit, quo lethaliter (2.Reg.c.20.) saucia castitas fœdè interimitur: *Dixitque Joab ad Amasam: Salve mi frater; & tenuit manu dextrâ mentum Amasa quasi osculans eum:* osculum ori fixit, & pugionem lateri infixit; amicitiam auribus ingessit, & ferrum in intima viscerum gessit: læta promisit, & nonnisi lethalia inflixit. Quàm fallax, quàm fucata est lingua! fratrem vocavit, quem ut inimicum jugulare moliebatur.

44\. Sic Judas proditor Magistrum suum osculo perfidissimo prodidit, & nefarijs tradidit siccarijs necandum. An non cæcutiebat Discipulus, cùm solem quæreret in nocte, & quidem com facibus, & laternis? sed quia tribus Erebi bacchantibus furijs se quartam addiderat, habuit & ipse tœdas suas, non tamen ut splendores mundo adjiceret, sed ut mundi extingueret lucem. Quòd si Eliseus os ad os applicans vitam restituit deperditam: proditor Discipulus ut vitam perderet, vitæ ori osculum fixit, ausúsque fuit tam fœdo contactu divinissimum profanare guttur; & hostilem animum ijs ausus fuit tegere, quibus solent homines benevolum detegere: sic venerea voluptas demulcet sub specie amicitiæ, ut truculentiùs sæviat; læta occurrit, ut ad lethum ducat; dulcedinem ostendit, & amaritudinem propinat; dulcedinem quidem fluxam, & amarorem æternùm hærentem; quia momentaneæ sunt dulcedines, quæ ad æternas amaritudines nos ducunt, ut scitè S. Bernardus in sent. ubi loquens de iis, qui divitijs affluunt, & vitijs indulgent, ait: *Qui in delicijs, & voluptatibus enutrientes corpora, & corda sua post dulcedines momentaneas, & horarias suavitates, ad æternas amaritudines deferuntur.* Quàm alieni sunt à vera mente amantes has voluptates, per quas trahuntur ad æternam amaritudinem! si nemo tam fatuus est, qui æternam velit lubens pœnam subire, ut momentanea fruatur voluptate, nemo à sana se sinat dejici mente lascivientis fœminæ adhærescens fucatis voluptatibus; nemo se sinat larvata allici dulcedine, quæ nonnisi pedissequam habet amaritudinem.

45\. Duplici aspergitur carnalis voluptas amaritudine præsenti, & futura, peritura, & perennatura: Salomon enim ita loquentem, & decipientem indocit procacem mulierem Proverb. 7. *Aspersi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cynnamomo.* Fatetur & ipsa plus amaritudinis hauriri ex meretricijs illecebris, ex impuro alterius sexus contactu, quàm voluptatis, ut scitè expendit Hugo Carensis inquiens: *Tres species aromaticas nominat, duas amaras, & unam dulcem, in quo notatur, quod in carnali opere plus est amaritudinis, quàm delectationis, una amaritudo pertinet ad præsens sæculum, altera ad futurum;* & tamen pro fluxa, ac modica delectatione, quæ inanis est, & larvata, plures sunt, qui æterna velint amaritudine obrui; resipiscant, qui hoc errore corripiontur, saniúsque ebibant consilium: meritò inclamat S. Ambrosius, *in exhortatione ad virginem lapsam cap. 70.* inquiens: *O quàm acerbus fructus luxuria, amarior felle, crudelior gladio!* cui adhærens S. Hieronymus *Epistola ad matrem, & filiam*, acriùs etiam invehit in fallaces, fucatásque voluptatis dulcedines, quæ sub larva deliciarum gehennalia obtegunt tormenta exclamat ipse: *O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus combustio tactus impudici, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.*

46\. Quibus gehennalia tormenta sunt horrori, ijsdem fucatæ luxuriæ voluptates sint terrori: sapiant, qoibus gehenna displicet, tactus impudicos alterius sexus declinent, qui nolunt in gehennam inclinari: imminet enim gehennæ pœna luxuriæ voluptati; & gehennalia supplicia impuræ voluptatis trahuntur illecebris: fluxæ voluptatis æternùm permanentia pedissequa sunt tormenta. Nec abs re Christus Damnatos in die (Matth.25.) judicij ad sinistram locat, eósque hædos nominat; sed cur hædis pariantur, qui æternis adjiciuntur ignibus? An quia fœdè hædus oleat, sensuique odoratûs debeat tortori esse? Rectè æternis torquendi flammis hœdorum nomine donantur; quia hœdus lascivum est animal, & ot nos doteret à nullo magis timendum DEI judicium, æternúmque supplicium, quàm ab eo, qoi impudico alterius sexûs fœdatur tactu, &

luxuriæ vitio perversè olet, non secus ac hœdus.

47. Scio hœdis pariari impios etiam ob sterilescentem naturam, laborat enim hoc fœdum animal sterilitate; & impij venereis indulgentes voluptatibus adeo sterilescunt, ut quovis careant bonorum operum fœtu, & flammas nutriant, quibus æternùm discrucientur, ut enim ait S. Laurentius Justinianus.

Cap. 4. de continen. *Ipsa voluptates animæ salutem impediunt, oblivionem DEI inducunt, à Sapientia mentem retrahunt, sterilitatem bonorum operum inferunt, spiritualibus deliciis cor privant.* Propinat procax mulier lascivientibus oculis, allicientibus verbis, blandientibus amplexibus fluxas carnis voluptates, sed eas qui bibit, lethæas aquas ebibit flammis gehennalibus non exsiccandas, sed incrementandas: lethæas qui bibit has undas mente fluctuat, & æstu concupiscentiæ exagitatus ad æternum impellitur naufragium. Brutalem luxuriæ voluptatem in æternum desinere amarorem, æternásque sibi accendere flammas, quibus torqueat, quos libidinosis linivit tactibus, subindicat illud supplicium, quod infames lascivientes civitates absumpsit, sulfureo siquidem imbre è summo cœlo delapso fœdè, & obscurè etiam inter flammas periêre cives, quorum mores nonnisi hœdinam olebant luxuriam Genes. 19. v. 24. *Super Sodomam sulfur decidit*, quia gehennale incendium libidinum fœtore incrementum subit: huc spectant verba S. Gregorii, qui ait:

Lib. 14. c. 10. *Sulfur sic ignem nutrit, ut fœtorem gravissimum exhalet: quid igitur in Sulfure nisi peccatum carnis accipimus, quod dum perversis cogitationibus quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat.*

48. Sicut fomes sulfureus flammis accendendis cæteris est aptior; ita brutalis voluptas, quæ ex impuro percipitur tactu promptiùs ignes excitat gehennales; quia sicut flamma si tangatur lædit, ita concupiscentia tactu libidinoso non solùm lædit, verùm & castitatem interimit, & reliquas virtutes absumit. Sed cur sulfureo igne libidinosi contactûs punitur noxa? ut ex pœnæ putore putidissimum ejus conjiciamus fœtorem; crimini enim pœna respondet. Ab hisce sulfureis flammis, qui everti non vult, ab impuro quovis alterius sexûs se contactu avertat; concupiscentiam coërceat, libidinem compescat, cui sulfureus gehennæ ignis est terrori. Utinam seria, ac matura discussione finem libidinis perpenderent, ejúsque pedissequas aspicerent pœnas? non sinerent certè se decipi à fucatis concupiscentiæ illecebris.

49. Samson combusturus alienigenarum flavescentes segetes caudas adhibuit vulpium, quibus flammantes illigavit titiones.

Judic. 15. v. 4. Non usus fuit vulpium capitibus, sed caudis, quia supplicium libidinis non se prodit statim sub initium; sed caudam, seu finem attingit, eique adnectitur; sed cur vulpes eadem solertia non adurunt Satanæ segetes, seu mundi, carnisque illecebras, & impuras quas depravata concupiscentia immittit cogitationes? an quia caudas non adhibent, finem seriò non perpendunt? Quotquot ad impuros tactus, ad venereas voluptates illiciuntur à procaci muliere, vulpium utantur caudis, seu finem considerent blandæ voluptatis, tormenta æternùm duratura, supplicia nunquam finienda, sulfureos ignes nunquam extinguendos seriò perpendant; & caudis rectè utentur ad Satanæ segetes comburendas, ad procacium mulierum messem evertendam: rectè in Asceticis ad rem nostram soccinit S. Nilus: *Qui pugnat, non ciborum oblectamenta, nec libidinis suavitatem consideret, sed fines ipsos, nempe dolorem, atque molestiam; atque ita caudam cum cauda liget, & rectâ judicij face segetes alienigenarum comburat:* non adolescerent, nec incrementa subirent libidinis segetes, neque maturescerent tactibus impudicis, si alligatus caudæ venerearum voluptatum ignis maturè perpenderetur.

§. VI.

Suos habet Luxuriæ pelagus fluctus, sua brevia, suósque scopulos, nec illi desunt infames naufragijs Scyllæ, nec voraces Charybdes. Hæc qui sapit, discrimina fugit: nec æstuantis concupiscentiæ fluctus trajicit, ne ijsdem naufragus absorbeatur.

Caveat castitatis Cultor à procacis mulieris consuetudine, abstineat à quovis ejusdem tactu: ignis enim concupiscentiæ, si tangatur lædit; & tutius est feræ, quàm procacis mulieris consortium. 50. Fugiebat Jonas contestam Numinis veniam sub comminationis specie; utque procul fugeret, navim conscendit: sed invenit imprudens machinam valentiorem; vix navis è portu solverat, ac fluxa maris itinera trajicere inceperat; ecce opacatæ nubes per aëris tractus ventorum impetu delatæ solem abripiunt, & quidquid lucis ejus radij intermittebant, effusâ statim caligine extinguitur; incipiunt repetito tonitru mugire nubes, micare fulgura, ruere fulmina, aëris continuus est fragor, ventorum flatus marinos excitant fluctus decumanis tumidiores; montes devolvuntur aquarum, & navis non secus ac arietibus muri olim quatiebantur arcium, & oppidorum, fluctibus diverberatur, ac terribili cum sonitu ejus feriuntur latera; inde subcudibus revulsis, laxatisque compagibus per hiantes rimulas naufragio via aperitur, præsertim cùm ingravescens tempestas navim contrarijs quassatam ventis, huc, illúcque

exagi-

exagitaret, nec prora ampliùs viam inveniret, neque clavus regendæ, ac dirigendæ navi ampliùs esset aptus; cúmque quasi prædam nacti pugnarent inter se se venti, luctarentúrque navem expugnatori, fluctúsque altiùs semper ad sidera intumescerent, & cum ijsdem navis dehiscente unda ad Manes usque depressa videretur; móxque in altum provecta in cœlum surgere, cúmque nulla ampliùs apparerent littora, sed undique pontus, cœlúmque undique videretur in perniciem navis furere, cùm aër atriùs semper nigrescens, fœdísque nubibus non solis tantùm, verùm & diei ipsius aspectum adimeret, ac tonitrua, mugitúsque ingentes ex concursu, conflictúque nubium ingeminaret, ventíque inflata carbasa disrumperent, & navis imminens jamjam subiret naufragium. Verum ne tota navis aquis sepeliretur, Jonas, quem solum tempestas illa quærebat, spontaneũ non timet periculum adire; sorte ductus naufragus deprehenditur, projicitúrque mergendus marinis fluctibus, sed ex ligneo ad vitale transfertur navigium marinæ belluæ, ferinæ voraginis, à qua dejectus in mare Jonas recipitur hospitio: & cùm vivus censeretur in ventre ceti sepultus, naufragium declinavit, portúsque malaciam in procella invenit, incolumis à pisce littori restitutus.

31. Sed si Jonas, vel in ipso naufragio portum nactus est, & malaciam in procella acriùs sæviente, nilque damni ex marinæ belluæ contraxit consortio; nec ulli fuit Jonas timori ferinæ voraginis hiatus, neque carcer ejusdem ventris. Non ita à timore immunis fuit Elias Propheta ad primum mulieris aspectum, cùm totus statim tremuerit, & Jezabelem declinaturus insanientem per invia deserti ad longè prolixos tractus diffugit. *Timuit Elias, & surgens abijt, quocunque eum ferebat voluntas.* Quid? quod Jonas impavidus immanis piscis contemnit rictus, orísque ridet hiatum, in quo vivus mox erat sepeliendus. *Tollite me, & mittite in mare*, Elias verò aliàs vir intrepidus, fortitudine loricatus, mulieris iram adeò expavet, timétque, ut per invios desertorum errores erret ipse; & quidem quocunque eum ferret voluntas? debuisset potiùs inverso ordine Jonas rictus timere marinæ belluæ; & Elias audere, ac inconcussa pectoris firmitate mulieri se opponere irascenti. Quid? quod Jonas intrepidâ constantiâ armatur, & Elias timore concutitur contremiscente? cur ille marinam belluam ridet, hic mulierem expavescit? quia tutior est, cum belluis etiam ferocientibus consuetudo, quàm cum fœminis societas: in Jezabele carnis delineatur appetitus, qui propterea quavis fera est truculentior; idque causæ, cur audere potuit Jonas rationabiliter, ut & fugere Elias timore perculsus: appositè D. Ambrosius. *Asperiores tentationes has cognovimus, quæ sunt per mulieres*, cui adhærens Glossa Moralis ait: *Per hoc, quòd Elias fugit à facie Jezabel significatur, quòd bonus Discipulus fugere debeat concupiscentiam carnis, quæ significatur per Jezabel, eò quòd interpretatur fluxus sanguinis, ex cujus abundantia excitatur carnis concupiscentia.*

3. Reg. cap. 19.

Jonnæ 1. v. 12.

Dist. 33.

An non in vitam etiam temporalem armatur libido? cum Jezabel typus concupiscentiæ effrænis mortem minetur Prophetæ? prudenter fugit Elias hanc æstuantis concupiscentiæ insaniam, animæ, æquè, ac corporis consulturus incolumitati, timuit necem ex fœmina; è cujus facie propterea fugit Elias; non timuit Jonas post naufragium feræ marinæ viscera, in quibus incolumis servatur, rursúsque, & luci, & littori restituitur: Elias ni beneficio celeris fugæ à facie se avertisset fœminæ periculum incurrisset, quia carnalis concupiscentia, nec ipsis parcit Prophetis, quos piscis reveretur, ac incolumes servat, liberátque à naufragio: est concupiscentia longè truculentior ferâ, sævius animal, grassantior pestis, cùm ex solo contactu lues diffundatur, ad castitatis necem, ad virtutum corruptionem: naufragus Jonas periculum omne declinat, cùm piscis viscera ingreditur; & Elias tunc incipit discrimina incurrere, cùm fœminam videt: apparat enim hæc naufragia, quæ Jonas evasit beneficio piscis. Sua habent luxuriæ fluctus brevia, suósque scopulos, suas voragines, scyllas itidem, & charybdes, quæ trajicientes æstuantis concupiscentiæ fluctus absorbent, interimúntque. 32.

Cavenda est hæc charybdis, quæ non corporis duntaxat sorbet tabulatum, sed navem etiam perdit animæ: nec ei fidendum, si rideat, blandiatúrque, eò enim magis sævit, quô blandiùs illicit, & eò truculentiùs dilacerat, quò suaviùs demulcet; neque ab hac voratrice charybdi scylla abjungitur, ut observat D. Hieronymus ad Heliodorum inquiens; *In illo astu charybdis luxuriæ salutem vorat scylla, seu renidens libido blanditur.* Quis castitatis cultor has cum Elia non fugiat voragines, non declinet scopulos? ab hisce non discedat scyllæ scopulis, hos non evitet charybdis hiatus, seu muliérculæ adblandientis consuetudinem? Moris est, ut vel ipsi Nautæ æquora trajicientes pro malo habeant omine, si in navi hoc nominetur scyllæ periculum: cautiùs id proculdubio præstandum in ijs, quæ luxuriam olent, ne scilicet impura vocabula os nostrum coinquinent, linguam conspurcent, aurésque lædant, scitè de hac infami voragine Richardus à S. Laurentio ait: *Scylla quoddam periculum est inter Siciliam, & Barbariam, scilicet quidam scopulus magnus in illo mari, parum super se aqua habens, scilicet quasi cubitos duos, vel cubitum, & dimidium, quo naves rumpuntur non habentes aquam profundam. Hoc periculum Græci Scyllam, Saraceni, & quidam nautæ no-* 33.

Epist. 1.

Lib. de laudib. virgin.

minant Kelp, quod utrumque sonat tanis latinè, quia ibi lacerantur naves quibusdam petris acutis, quasi dentibus caninis, & hoc periculum signat luxuriam, qua blandam faciem protendit desuper, & de subtus lacerat appropinquantes. Prov. 5. 3. Favus distillans labia meretricis, novissima ejus amara, quasi absynthium &c. Et sicut hoc periculum cavetur fugiendo, sic & luxuria. 1. Cor. 6. Fugite fornicationem. Unde sequitur Prov. 5. longè fac ab ea viam tuam, &c. Irascuntur etiam Nautæ, si hoc periculum nominetur in navi, & hoc est, quod dicitur Ephes. 5. Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis.

54. Procax, & lasciviens fœmina vorax, infamisque est charybdis, quæ non auri tantùm, argentique, rerùmque familiarium substantiam absorbet; verùm & quod deterius est, animam quoque ad interitum trahit. Hinc libidinis vitium serpenti paraverat S. Nilus *orat. de fornicat.* inquiens: *Par est serpentis, & libidinis indulgentia: nam ut occasionem invenerint, mortem statim adferunt:* blandus videtur hic serpens, sed quovis alio longè sævior, & nocentior: reliqui siquidem serpentes, nisi momorderint, veneno non inficiunt; sed procax mulier solo tactu etiam cùm blanditur, cum manu demolcet, venenum spargit, quo tangentes interimit.

55. Imò non charybdi dumtaxat, & serpenti comparatur procax mulier; verùm & ipsi Orco, & Acheronti similis dicitur, quia etiam Venus ex aquis nata, & impudicos ignes nacta Orco pariatur, & Acheronti; quia sicut quidquid Orci ingreditur januam, nunquam egreditur, ita ubi quis procacis, ac lascivientis mulieris domellicos fuerit patietes ingressus, eique adhæserit, difficulter ad salutis viam revertitur: quia propriæ obliviscuntur salutis, & æstu exagitati concupiscentiæ, fluctuantes lethæi fluminis undas ebibunt; & sui obliti fœdæ inserviunt libidini, nec resipiscere curant: hinc Oseæ 5. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum*, sed cur ita obliviosi, ac immemores propriæ salutis? cur detrectant resipiscere, & ad Deum miserentem, & benefactorem reverti? *quia spiritus fornicationis in medio eorum*, ideò conclamata videtur eorum salus, quia fœdis se libidinibus prostituerunt.

56. *Lib. 3.* Hinc Anaxiles apud Athenæum monstris tetrioribus procacem lascivientem, & eblandientem mulierem æquiparat, & ait neque draconem, neque chimeram flammivomam, neque charybdim, neque tricipitem Scyllam, ponticum canem, neque sphingem, hydram lernæam, viperam, neque volucres harpiarum genus, neque ullam demum bestiam diritate sua conferri posse cum fœmina. Neque putârim errâsse, quia quavis ferociente bellua sævior est eblandiens fœmina: belluæ siquidem quantumvis aggrestes, ac sylvis innutritæ, & natura sæviores si blanditijs demulceantur, manu, tactùque leniter illicientur, sævitiem exuunt, & cicures tangenti non sunt nocumento: sic verò procax mulier tactu demulceatur, si blanditijs alliciatur, venenum solo tactu spargit, & tangentes inficit, sitque propterea perinde lascivientem tangere mulierem, ac in scopolum impingere, impellente concupiscentiæ æstu, ubi collisa castitas naufraga perit.

Idque nos edocet simulacrum illud Nabuchodonosoris, cujus caput, cum rutilaret auro, pectus splenderet argento, fœmora micarent limato ære, tibiæ relucerent polito ferro, adhæsit tamen pedibus terra, quæ sui mollitie ita metallorum fortitudinem eviravit, ut vel ad lapilli tactum è proximi montis fastigio delapsi, totum corrueris simulacrum, disparuerit metallorum decor, evanuerit auri, argentique splendor, & confusè mixta collapsa metalla, periode, ac favillæ flabris volaverint dissipata. *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & redacta quasi in favillam æstiva areæ, quæ rapta sunt vento:* vix delapsus è monte lapis fictiles simulacri pedes tetigit, & ex contactu immensæ dissipantur divitiæ, corruit simulacrum; & quod sæculis videbatur de soliditate insultare, cecidit ad delabentis lapilli tactum, & quod multiplici ditescebat metallo destituitur auro, depauperatur argento, & in nihil redigitur, quod antea totum splendere videbatur. 57.

Daniel. 2. v. 34.

Sed quæ hujus causa lapsus? certè non alia nisi lotum, nisi fictiles pedes, quibus totum nitebatur simulacrum, seu luxui, ac libidini cùm indulgeret, pedibus innixum fictilibus fœdè cecidit, cùm splendidè staret: testa siquidem carnem, ejùsque delicias exprimit, & quod divitijs affluebat simulacrum auro, argentóque ambitiosissimè coaflatum, permanere non potuit, testæ, seu carnis delicijs addictum, libidinis indulsit carnis tactum per delapsum lapillum, cùm primùm suscipit, fœdè corruit, & ferri evaporata est constantia, auri avolavit splendor, & argenti decor evanuit. In fictilibus pedibus carnis adumbrari illecebras testatur Richardus Victorinus *parte 1. lib. 1. de erudit. inferior homin. cap 25.* inquiens: *Planta testa designat voluptuosam superfluitatem: pes autem ex parte ferreus, ex parte testeus describitur, quia delicata mens nunc in totum odium obduratur, per quos fortè à suis desiderijs restringitur: nunc verò, cùm concupita suppetunt in eorum luxu, resolvitur:* perijt simulacrum divitijs affluens, quia carnis delicijs diffluit; cecidit, quod metallorum nobilitate suffultum stabat simulacrum, quia ubi caro suis delectabatur illecebris, tactum admisit delabentis, & exosculentis lapilli. Proh quàm imbecillis est 58.

caro

caro suis delinita delicijs ! cùm vel ad unum corruat contactum eblandientis lapilli ! perijt splendidum simulacrum, ubi carnis illecebris innitebatur; fulgebat auro, splendebat argento, solidabatur ferro, donec sordidis adhæsit carnis voluptatibus: ubi enim carni indulsit fictilibus innixum pedibus fortitudinis constantiâ caruit, & auro destitutum, argento viduatum, firmitate æris, soliditate ferri denudatum fœdè corruit, cum splendidè antea staret.

§. VII.

Minus adferunt hominibus nocumenti irruentes è Numidia sylvis Panthera, & exilientes ex Africa specubus rugientes leones, quàm procaces mulierculæ, quæ toti humanæ speciei obsunt, cum fera nonnisi individuis noceant.

59. NOn individuis duntaxat luxuria effrænis noxia est, sed & toti speciei perniciem adfert, & naturam ipsam inficit, quæ probro laborat sterilitatis. Fœcundum humanæ propagationis fontem fuisse semper continentiam, & pudicitiam, vel ab ipso mundi exordio deprehenditur; idque causæ fuit, cur rerum Conditor Deus unicam duntaxat fœminam uni viro totius humani generis capiti associaverit; ut nos erudiret, continentiam hominum, fontem esse propagationis humani generis, ut pulchrè notat Basilius Seleuciensis, inquiens: *Uni viro unicam adsocians uxorem continentiæ subindicat legem.* Sed cur unicam tantùm Evam humani generis capiti adsociavit Numen, si mundus indiguit incolis, & habitatoribus? certè conducibiliùs videbatur ad hominum propagationem non unicam, sed plures effinxisse fœminas, eásque viro associâsse; tametsi plures viri uni duntaxat adhærentes fœminæ fœcunditatem impediant, si tamen vir unus pluribus adhæserit mulieribus, earum promovet fœcunditatem; cur igitur, si homines propagari Numen voluit, non plures Adæ adsociavit uxores? verùm Sapientissimus mundi Conditor, vel ab ipso exordio sui opificij voluit continentiam introducere, cujus beneficio humanum genus faciliùs, ac feliciùs propagaretur: quod si virtus flaccescat continentiæ, eique æstuans succedat libido; jam homines ultore ferro sauciantur, & per inflicta vulnera sanguinem evomunt, non quo ignem extinguant libidinis, sed vitam fœdè perdant.

Oratio 2.

60. In spectaculis olim cum feris decertabant homines brutorum crudelitati objecti, cùm morti jam essent addicti: sed nullum spectaculum humano generi adeò adversum sicut salacitatis studium, ut notat Tertullianus, inquiens: *In omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quàm ille ipse virorum, & mulierum accuratior cultus; ipsa confessio, ipsa in favoribus, aut conspiratio, aut dissensio, inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Minus adferunt hominibus nocumenti irruentes è Numidiæ sylvis Pantheræ, & exilientes ex Africæ specubus rugientes leones, quàm una adblandiens libido, quia ut rectè D. Ambrosius *Sævus criminum stimulus libido est, quæ numquam manere quietum patitur affectum: nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, de negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsus inclinat.*

lib. de spectacul. c. 25.

Lib. 2. de Cain & Abel.

61. Sed quod deterius est probrosa libido humanum genus extinguit, si enim plures viri uni adhæreant fœminæ, quæ meretricio vivat quæstu, fons in ipsa exarescit fœcunditatis, & probro incipit sterilitatis laborare. Sed si mundum hominibus probro sterilitatis meretrix evacuat, infernum tamen lascivientibus, ac lenocinantibus implet; imò est & ipsa meretrix infernus, cum S. Chrysostomus vocet *cellam meretriciam, Diaboli officinam:* siquidem tartareus hostis in procaci muliere suæ artis cudit instrumenta, quibus homines decipiat, deceptósque ad tartara trahat. Hinc etiam S. Petrus Damianus meretrices cubilia vocat dæmonum, ait enim alloquens procaces mulieres: *Audite me scorta, prostibula, cubicula spirituum immundorum:* quia libentiùs avernales spiritus ad lascivientes advolant mulierculas, velut ad propriam domum; cœnum siquidem, ut sues, amantes voluptatum quærunt in carnis illecebris, ac spurcissimis concupiscentiæ delicijs, ut innuit S. Chrysostomus, inquiens: *Quemadmodum ubi est cœnum, eò porci concurrunt: ita ubi sunt meretrices, & meretricia carmina illic congregantur dæmones.* Satanicos ante hos porcos suas projiciunt margaritas, qui suas ipsorum animas pro fluxa, vilissima, ac impurissima delectatione dæmonibus proculcandas, & spurcitiæ luto immergendas meretricijs in lupanaribus exhibent: idque causæ, cur adeò frequens dæmonum copia lupanaria adeat, quia mulier impudica in lupanari prostituta, quasi sedens pro tribunali causam agit, ac tuetur cacodæmonis, & id attigit S. Ephremus Syrus *in tractatu adversus improbas mulieres;* ubi interrogans: *Quid est meretrix?* respondet *causa diaboli, cacodæmonis consolatio, arma tartarei hostis, triumphus tenebrarum, dux delictorum:* dicitur procax mulier, lascivijs addicta, Diaboli causa, quia per ipsam cacodæmones jus acquirunt in animas, quas ad suum trahunt famulitium æternùm torquendas.

Homil. 2. in Matth.

Epist. 31.

In Psal. 48.

62. Hanc dixerim causã esse, cur meretrices, dicantur infernum fulcire, quia hominum catervas ad tartara pertrahunt, unde Salomon *Prov. 5.* loquens de procaci, & lasciviente muliere, ait: *pedes ejus descendunt in mor-*

mortem, & ad inferos gressus illius penetrant: ubi textos hebraicus habet, *Et infernum gressus ejus sustentabunt*, seu ut expendit Cajetanus, *infernum fulcient*, quasi nutaret, ruerétque infernus, nisi lascivientes mulieres hominum turbas ad illum traherent, & à quibus infernus sustentaretur. Dicitur etiam lasciviens muliercula quæstum exigens meretricium, cacodæmonis consolatio, quatenus si capaces essent dœmones solatij, & consolationis hanc procul dubio in lupanaribus inter meretrices & quærerent, & enanciscerentur, cùm per ipsas, homines, quorum summo ardet desiderio, larvatis illecebris, fucatisque voluptatibus in inferno demergat, sepeliátque: sintque propterea etiam dœmones mulieris lenones, cùm circumeant vicos, & plateas, fora, & domos homines invitaturi ad Venereas voluptates. Dicuntur etiam meretrices esse arma diaboli, quia hisce utuntur cacodœmones, ut sua tela in homines jaculentur, & celsissimas etiam turres evertendas. Immo vocantur etiam triumphus tenebrarum, quatenus in lupanaribus favente libidinis igne triumphos sibi dœmones cudunt. Hac de causa Ephremus Syrus *loco cit.* vocat improbam mulierem *inferni sceptrum.*

63. Quòd si motis fuit apud Persas, ut sceptrum in clementiæ, ac pietatis tesseram consueverint Reges extendere, ut liqvet ex libro Esther: non hic tartareos Assuerus moliebre extendit sceptrum in signum clementiæ, sed in notam crudelitatis; non uc eos erigat, qui animo ceciderant, quod in Estherem Assuerus præstitit, sed ut animas ad sua detrudat Regna æternis adjiciendas cruciatibus. Et revera, si vitium est aliquod, per quod tartareus hostis sceptrum teneat, imperiúmque super homines exerceat; non aliud hoc est, quàm fœda libido, quâ suo famulitio subjicit tot hominum turbas. Sed utinam ab hac infami se subducerent servitute, & castitatis culturâ de luxuriæ triumpharent fœditate? inferni hi dicuntur januam pulsare, qui per tactos impudicos procaci adhærescunt mulieri, sinúntque meretricio osculo os suum, mentémque fœdari, ut scitè notat Salonius, qui ab impudicæ mulieris verbis, & osculo homines avocat, inquiens: *Qui verba meretricis libenter audit, & oscula ejus delectabiliter suscipit, quasi januam pulsat inferni:* & revera infernum non solùm pulsat, verùm & sibi Orcum aperit, qui os adaperit ut osculum labijs figat meretricis, & nisi statim pedem retrahat, mentémque avocet præceps ruit. Est impudici osculi contactus, diaboli morsus, ut innuit Eusebius Emissenus homil. de symbol. ubi ait. *Impudici contactus osculi quid aliud est, quàm morsus Diaboli.*

In Expositione mystica Prov.

64. Nemo sit à sana mente ita alienus, ut velit sinere se hisce tangi osculis; quæ diaboli sunt morsus, quibus infelix anima tamdiù dilaniatur, donec ad æternum deducatur interitum, carceri mancipata gehennali. Est lascivi osculi contactus imputi fomes amoris, luxuriantis concupiscentiæ igniculus; sed simul gehennæ accendit incendia nunqoam extinguenda, sed æternùm duratura; hinc Emissenus nos monet, quatenus ab hisce secedamus osculorum contactibus, inquiens: *Cavenda sunt juvenum impura oscula, & lasciva colloquia. Impudici verò contactus osculi, quid aliud est, quàm morsus diaboli & arrha peccati? Osculum pars adulterij est, per hoc enim crimen ostium, & mortis initium fit; etiam si in opere nondum cosumetur iniquitas, profectò jam est in corde captivitas.* Lascivum osculum signaculum est libidinis, præluditque flammis gehennalibus, quæ perpetuos ingerunt cruciatus.

Homil. 1. de init. quadrag.

65. Castitatis addictus culturæ secedat, abstineátque à quovis alterius præsertim sexûs contactu quamvis leviculo, & nonnisi ex joco depromptus: quia inde multo flagrantior concupiscentiæ lascivientis æstus excitatur exitialis, quàm ex contuitu, quem tamen Spiritus Sanctus monet esse vitandum. Sunt contactus præsertim alterius sexûs ex levitate, nullâ urgente necessitate perniciosæ prolusiones ad aliquid putidum, ac fœdum. Improbat Deus hos tactus, quamvìs tenues, levésque citra pravam adhibitos intentionem; & divinum suffragium nobis suppeditant Acta S. Mariæ Oegniacensis à Cardinale de Vitriaco congesta. Assuevetat puella hæc castitatis eximia cultrix duo inter crucis ligna suum adeò corpus extensum instar tympani exsiccare, ut Virgo tympanistria per annos plures, nec primos æstuantis concupiscentiæ fuerit motus experta, quâ ex re tantam inter homines fiduciam concepit, ut præ eximia innocentia, & pura simplicitate, omnes sui similes censeret. Cúmque familiaris quidam ejus amicus quodam spiritualis propensionis excesso sua manu manum Virginis leviter comprimeret; nil turpe animo cogitans; sensit ex illo contactu primos motus concupiscentiæ, sed cum ignoraret, quid esset, quòd in se sentiebat, quandam de cœlo delapsam vocem audivit, *noli me tangere*, quia verò nescivit, quid verba hæc significarent, pro eorundem explicatione amicum rogavit, qui cum & ipse cultor esset castitatis, veluti sibi dicta cavit imposterum ab omni hujusmodi contactu: observat S. Epiphanius apposite ad rem nostram, quòd tametsi de mente Christi præfata verba proferentis ad Magdalenam coërcendam, variæ sint Interpretum sententiæ; ea tamen refert ad exemplum eximiæ puritatis datum à Christo refugiente tactum mulieris.

Lib. 1. cap. 5.

Hæres. 16.

66. D. Basilius causam reddens, cur secedendum sit à minimis, levioribúsque etiam contactibus ait: Gravem ac vehementem flagrantis concupiscentiæ vim insitam esse masculinis corporibus in fœminas: asseric-

Lib. de vera virginit.

que

que tantæ esse efficaciæ, ut omnia judicia mentis evertat, omnémque rationem sub jugum mittat, & sua sponte (ut ita dixerim) concupiscentiæ flammas accendat, quibus castitas exarescit, ac miserè cinesit. Quamvis fœminæ fœminas tangentes, vel etiam mares masculina corpora has non sentiant flammas, quasi nihil ex tali contactu videatur concupiscentia incitari: non ita tamen si contactus quamvis levis adhibeatur circa corpora diversi sexus; quia fœmineum corpus masculum attingens, vel etiam masculum fœmineum ad congressum latenter incitantur, urgente concupiscentiâ, perinde ac stupa, si ignem fuerit odorata statim inflammata succenditur, nec opus sit ullo adminiculo, nec ullo folle insufflante, ut stupa igni admota flammam concipiat; cùm primum enim ignem attingit, in apertas erumpit flammas: pari pacto fœmina marem quatumvis leviter si tangat, non multo est opus labore, ut inflammetur intus concupiscentia; cum mas & fœmina naturali ad se invicem rapiantur ardore: hinc non mirum, si cùm simul se contingunt, statim ardeat in utróque concupiscentia; & scintillam intrinsecus fumantem, luménque rationis infuscantem sentiant; non enim fieri naturaliter potest, quin tangens carbones accensos calorem sentiat, nec potest quis ignitas super prunas ambulare, quin ejus ardeant pedes: ita fieri nequit, quin vir lædatur, si mulierem tetigerit; est enim tactus alterius sexus semper castitati noxius.

67. Hinc S. Hieronymus *lib. 1. in Jovinianum* expendens verba Apostoli 1. ad Corinth. 7. *bonum est homini mulierem non tangere*, ait apposité ad rem nostram, esse observandam Apostoli prudentiam, cùm non dixerit, *bonum est uxorem non habere*, sed *bonum est uxorem non tangere*, eò quia non in possessione uxoris, sed in tactu mulieris periculum perdendæ castitatis imminet; neque periculum evadit, læsionémque declinat, qui mulierem quamvis leviter tetigerit: non enim potest quis in sinu ignem alligare, & non aduri; candens ferrum manibus contrectare, & non comburi; Viri, & fœminæ contactus suam statim sentit naturam, sexúsque intelligit diversitatem. *Quæ mulier ejusmodi amatorio tactu innixa fuerit, nunquam à sordida inquinatione munda reperitur*, ait Basilius. *Sicut enim cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus, impossibiléque est, eum, qui ignem tetigerit manu, illæsam illam ab ejus incentiva operatione servare; cæterum aut bullæ repentè tactum consecuta turgescunt, & dolorosa per fervorem, & inflammationem ulcera mox rumpenda minantur; aut jam coquefacta in manu acria visuntur ulcera: ita possibile non est, eum quem ignis ardor attigerit, ejusmodi tactum innocuum, in-* Lib. de ve. virgin.

violatúmque proferre: sed aut simili ratione bulla per tactum manus cordi clam subrepunt, atque intumescunt; dirásque amoris perturbationes ferventibus, & exæstuantibus, incontinentissimísque agitationibus pariunt, ac peccati ulcera continuò rumpenda minuuntur, aut animum totum in intimis jam graviter exulceratum indicant: cùm in membris omnibus ignis ardeat concupiscentia.

Castitatis cultor, si corpus ab hac ignis adustione liberum servare nititur, cautè membrorum omnium est contactus declinandus: si enim solus puellæ aspectus concupiscentiam excitat, dolorem infert: quanto majorem non infert læsionem contactus? ex quo, cùm sit voluptas multò crassior, quàm ex solo aspectu, ita & major, ac nocentior est, quâ intus ignis accenditur, quâ castitas cinerescit: eò enim majus subit flamma incrementum, quò uberior eidem fomes suppeditatur; & nulli dubium, quin crassiora per contactus lascivienti concupiscentiæ ministrentur fomenta, quibus & dolores nostri magis intenduntur, & excidium castitatis promptiùs accersitur. 68.

§. VIII.

Tuendæ castitati, qui student, necesse est, ab alterius sexûs quovis abstineant contactu, qui in perniciem, & exitium castitatis flammas insolescentis concupiscentiæ flabellat.

Quotquot tuendæ castitati studuerunt ab hisce abstinnerunt alterius sexus contactibus, ut pientissimus ille Monachus, de quo in vitis Patrum legitur, qui cùm iter cum matre sua jam senio confecta, ætate delabente, viribúsque quasi destituta ageret, venissétque ad quemdam fluvium, quem vetula trajicere haud poterat: tulit tunc ejus filius Monachus pallium suum, quò manus proprias involvit, ne quovis modo corpus contingerent senescentis matris, quam deferens transposuit fluvium: cúmque filio dixisset Mater, & cur sic manus tuas pallio operuisti fili, ut me trans fluvium portares? Respondit: quia corpus mulieris licèt vinculo sanguinis junctæ ignis est, ex cujus contactu flos castitatis plurimum patitur detrimenti. Lib. 4. num. 48.

Hinc S. Ephremus ait: *Si charitatis officio perfungens, oleo ægrotantem inungis, fac oculos, manus, linguámque custodias, ne in ullo temperantiæ, & modestiæ fines transgrediaris; hoc enim deposcit pietas. Membris alterius reverenter, & cum timore manus admoveto, quasi rem aliquam sanctam attingeres: etenim verè sanctum est templum Domini, & admirabile in justitia secundùm illud scripturæ: Nescitis quia Templum Dei estis, Spiritus Dei habitat in vobis? si quis* 69. Lib. de vita spirituali num. 8.

autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: Hac igitur scientes, omni custodia cor nostrum custodiamus.

71. Quòd si ex S. Ephremi monito cavendum est, ne contactus corporis masculini per sacrum hominem ad officia charitatis exercenda, cujusmodi sunt sacræ inunctiones, quibus malè valentes corpore unguntur nocumentum adferat castitati: quanto solicitiùs cavendum erit à quovis contactu minus necessario, & alterius sexûs, cujus multò major est illecebrositas, fortiórque ad impuras concupiscentiæ flammas excitandas efficacitas? Imò non solùm abstinendum est à nudæ carnis contactu, verùm etiam in id debet enixim incumbere studij castitatis cultor, & custos, ne partem ullam fœminei corporis quamvis velatam tangat; quidquid enim fœminam olet, id castitati noxium est: quapropter D. Hieronymus inter describeodum abusus fœminarum quarundam, quas viduas necessitas fecerat, non voluntas,
Epist. 22. ait, *Clerici, quos & magisterio esse oportuerat, pariter & timori, osculantur capita Matronarum, & extenta manu, ut benedicere eas putes, pretia accipiunt salutandi. Illa interim, si sacerdotes suo viderint indigere præsidio, eriguntur in superbiam.* Et improbat D. Hieronymus hunc in Clericis morem capita exosculandi Matronarum, quia quamvis hujusmodi capitum oscula non videantur fixa nudatis capitibus; attamen quia operimentis figebantur capitum, meritò improbantur; eò quia contactus muliebris corporis etiam in partibus veste opertis sua non vacat illecebrositate, ut Glossa ad illam insignem Florilegij Rabinici sententiam: *Malum magnum est mulierem contueri: sed majus cum ea colloqui, & pessimum omnium est eam tangere:* quia ut ait Asceta quispiam apud Moscum in limonario.
Cap. 217. *Sal ex aqua est, & si appropinquaverit aqua continuo solvitur, ac deficit, & Monachus similiter ex muliere est, ex qua & genitus, & in lucem editus fuit; itáque si appropinquat mulieri, solvitur, & ipse, & in id desinit, ut jam Monachus ampliùs non sit.*

72. Quanto magis vitanda sunt ipsa mulieris oscula, quæ nudis figuntur labijs, cum Salomon profundæ foveæ os procacis mulieris pat dicat. *Fovea profunda os aliena,*
Prover. 22. *cui iratus est Dominus, incidet in illam:* nimirum fovea est, & quidem laxo patens hiatu os lenocinantis mulieris, quia quos verbis irretit, & infixis osculis capit, in profundum demergit malorum, ut opportunè notat Rabanus Maurus *lib. 2. in proverb. 2. cap. 22.* inquiens. *Fovea profunda os aliena, cui iratus est Dominus, incidet in illam. Qui verba, & oscula meretricis libenter amplectitur, quasi januam gehennalis abyssi pulsat: citóque mergetur, si pedem cautus non retrahit, si non membra cætera à vicinia cohibet foveæ pænalis, in quam nullus omninò nisi filius iræ illabitur.* Quis valeat eos omnes recensere, quos mulieres per infixa oscula fœdè exulceravit, & exulceratos interemit, tepelivítque in Orcum? Quàm noxia, quàm lethalia hæc procacis mulieris oscula, quæ cùm figuntur, vulnera infligunt; cum blandiuntur, venena effundunt; cùm mulcent, interimunt.

Fateor tamen consuetudinem in plerísque Regionibus inolevisse, quâ passim etiam 73.
à sacris clericis, & hominibus exosculantur mulieres non concupiscentiæ causâ, sed urbanitatis gratiâ, præsertim si abeant, redeántque peregrè, vel aliqua se det gratulationis occasio. Non me fugit, primum usum osculorum fœminis figendorum apud Romanos ab ipso fuisse morum censore Catone invectum referente Plinio, ut ni- Lib. 14. cap. 13.
mirum explorarent consanguinei, an mulier temetum, seu haustom vinum oleret, quod apud ipsos enormi dabatur in fœminis crimini, ut ibidem subjectis exemplis probat Plinius, cui suffragantur Gellius *lib. 10. cap. 23.* Plutarchus *in problem Roman. cap. 6.* Tertullianus *in apologet. cap. 6.* ubi ait: *Idcirco, & oscula propinquis offerre etiam necessitas erat, ut spiritus indicarentur:* Lex autem ista de mulierum à vino abstinentia exolevit, & usus osculorum ad urbanitatem, aliósque fines propositus invaluit, irrepsit, ac inolevit facilè per alias regiones, ut notat Justus Lipsius. Meminit etiam hujus Romanorum 8. Eccles. 6.
moris fœminas deosculandi Arnobius, inquiens: *Nunquid cum in matrimonio convenitis, togâ sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis? nubentium crinem cælibali hastâ mulcetis? puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem? Matresfamilias vestra in atrijs operantur domorum, industrias testificantes suas? potionibus abstinent vini, affinibus, & propinquis osculari eas jus est, ut sobrias comprobent, atque abstemias se esse:* subdit morem hunc exolevisse, quem alij referente Plutarcho referunt ad tempus, quo mulieres Trojanæ pertæsæ divagationis per exteros terrarum tractus, mariúmque sinus, naves combusserunt absentibus maritis; ad quos in patriam reduces, mulieres arte lenocinatoria, ac blandiente pellacia occurrerunt osculabundæ, ut eos delinirent: néve in cinere navium combustarum ignem foverent, quo iram, & indignationem accenderent contra uxores. Sed ut ut est, id unum censetur verum, oscula apud Romanos mulieribus fixa cognatis fuisse duntaxat permissa ad explorandum temetum, tametsi postea ad excolendam urbanitatem cœperint oscula figi, & mulieres in amicitiæ, comitatisque tesseram deosculari; qui usus ad alios etiam manavit. Imò viri probi, & graves ex eodem

usu

usu varijs in locis impunè, & citra probrum, quasi cum urbanitatis decore consuevetunt, & ipsi oscula mulieribus figere.

74. Neque desunt, quæ nobis statim obvient exempla, quæ mireris Sanctorum oscula fœminis innoxiè infigentium. Præ cæteris illustre est exemplum S. Simeonis Sali relatum à Leontio in ejus actis, ubi ait: Ducebant in vico chorum puellæ; & quotquot per eum vicum transibant, referebantur in cathalogum, quo continebantur, qui lusuri erant certo ludo. Id cùm licentiùs erga Simeonem præstitissent, præmissa oratione, omnes reddidit strabas. Quæ subitario illo incommodo perpulsæ supra modum ejulantes ratæ Simeonem magica opera hoc eis malum intulisse, poscebant ut maleficium dissolveret, respondit Simeon, se eas sanaturum, quarum oculo læso impressisset osculum. Detrectârunt nonnullæ sinere se à viro exosculari; sed quæ admittere Simeonis osculum renuerunt, strabæ permanserunt; reliquæ quarum oculo Simeon osculum fixerat sanitati donatis. Et quamvis quæ primùm abnuerant imprimi sibi à Simeone osculum, postea desiderio curationis S. virum Simeonem urgerent, ut ipsas quoque oscularetur, renuit Simeon eas osculari, & curare, testans, quòd nisi Deus eas strabas fecisset, facilè petulantiâ, & impudicitiâ omnes superâssent Syriæ mulieres: sed ob morbum pleraque ab eis mala esse ablata. Hactenus Leontius, ex quo conjicitur tantùm abesse, quòd osculum à Simeone puellis illis fixum Deo displicuerit, ut potiùs per illud fuerit operatus miraculum curationis, & oculi oblæsi pristinæ fuerint sanitati restituti, imò & quæ osculum renuerunt admittere, ijsdem sanatio defuit, quia ipsis non profuit osculum.

75. Hinc liquet, posse osculum indifferenter, imò etiam ad probum finem figi, si ex pia

Orat. 1. de Nativit. prodeat intentione. Quapropter Damascenus appositè ad rem nostram ait: *O beata labia, quibus puris tuis osculis frui concessum est! sola inquam labia eorum, qui te genuerunt: ut vel sic in omnibus, & semper virginitatem observares:* alloquitur Damascenus Virginem Matrem hujus lucis usuræ à beata Anna editam, quam etiam vocat Adami filiam, & Dei Matrem, beatósque lumbos, & ventrem, ex qoibus prodijt, beatas ulnas, quæ ipsam infantem gestaverunt; & felicia labia, quibus puris osculis concessum fuit, ea nondum trimula frui: ait tamen Damascenus à nullo unquam nisi à sanctissimis parentibus sanctissimæ infanti fuisse osculum fixum; ne quid vel imaginatione exquisitissimæ virginitati videri posset detractum. Ex quo videtur Damascenus supponere, osculum, quamvis indifferenter oblatum infantulæ nondum trimulæ summum posse virgineæ puritatis infuscare nitorem: id quod nobis est documento, ut omni studio satagamus oscula, tactúsque alterius sexus declinare. Hinc viri ascetæ studijs addicti pietatis maluerunt violatæ urbanitatis sordere notâ, quàm cum suspicione læsæ castitatis oscula fœminis figere. Idque in Gallijs factum esse à Clericis, nullâ inustis notâ refert Posthumianus apud Boerium, ubi ait: *Cum ageretur de admisso per Sanctum Martinum obsequio conjugis Maximi; idque exemplum aliqui Clerici mulieribus adstricti ad causæ suæ patrocinium traherent, dixit, frustra adduxi hoc exemplum S. Martini subdens: si S. Martini sequeremur vias, nunquam causas de osculo diceremus, & universi sævæ opinionis opprobrijs careremus.* Dialog. 2.

Quapropter Everardus Ecclesiæ Coloniensis ad S. Jacobum Plebanus vir asceta, castitatis cultor, ac probatæ sanctimoniæ, tantùm abfuit, quòd voluerit fœminas osculo dignari, ut ne viris quidem sustineret extra sacrum oscula impertiri; & ut ait Cæsarius *lib. 4. cap. 98.* etiam in ipso sacro quoties osculum pacis alicui porrigebat Clericorum, os consueverat in aliam ducere faciei partem; ne scilicet ex contactu labiorum scintillæ excitarentur concupiscentiæ. Hinc Patres unanimes oscula insectantur, quæ à viris fœminæ imprimuntur: & Tertullianus, quanta sit osculi fœminæ impressi efficacia ad florem devenustandum pudicitiæ ex eo comprobat, quia fœmina, ex quo libata osculo erat à viro, jam habebatur pro nupta, ideóque velamine, quod conjugatis insigne erat, obnuberetur: pulchrè Tertullianus *lib. de velan. virgin.* *Etiam apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur. Ad desponsationem velantur: quia & corpore, & spiritu masculo mixtæ sunt, per osculum & dexteras, per quæ primum resignârunt pudorem spiritu, per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem.* Clemens Alexandrinus tametsi non prorsus respuat osculum, quod olim imprimebatur subcommunionem; extra tamen talem occasionem vult omnino excisum, ac abolitum osculandi usum, præsertim quoad marium mulieribus oscula impressa, inquiens. *In Regnum Dei vocati sumus, dignè regno ambulemus, Deum diligentes, & proximum. Dilectio autem non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo, quàm ecclesias conturbant, cum ipsam non habeant intus amicitiam: etenim hoc utique turpem movet suspicionem, & maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum. Id Sanctum vocavit Apostolus. Regno cœlesti dignè agamus, ore modesto, & clauso benevolentiam animi ostendamus, per quod maximè se exerit mansuetudo morum.* Est aliud quoque osculum ingestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quòd etiam Phalangia si ore tantùm tangant, graves dolores hominibus afferunt? oscula autem impudicitiæ sæpe virus immittunt. Manifestum itáque nobis evasit, osculum non esse dilectionem; dilectio enim est Dei. Hæc est autem dilectio

76. (margin, beside "Quapropter Everardus")

Cap. 11. (margin, beside "lib. de velan. virgin.")

Lib. 3. Pædagog. c. 11. (margin, beside "Clemens Alexandrinus")

Dei (ait Joannes) ut mandata servemus, non ut nos invicem ore demulceamus.

77. Improbat etiam hujusmodi oscula, præsertim quæ mulieribus figuntur Eucherius *Homil. de initio quadragesimæ in fin.* inquiens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo:* & nonnullis interjectis: *Ecce venio congregare opera, & cogitationes eorum, nimirum impura oscula, lasciva colloquia, quæ pravis fœdantur cogitationibus. Impudici verò contactus osculi quid aliud est quàm morsus diaboli? barra peccati? siquidem Tullius Magister Gentilis ita condemnavit hoc vitium, dicens: Osculum pars adulterij est; per hoc enim criminis ostium, & mortis initium fit. Etiamsi nondum in opere consummetur iniquitas, perfecta est jam in corde captivitas.*

78. Quomodo verò osculum dicatur esse harra peccati, non incommodè explicat Isidorus Pelusiota *lib. 5. epist. 109.* ubi scribens ad Fidelem Diaconum ait. Quoniam per litteras quæsivisti, quam ob causam postquam scriptum fuerat: *qui ingreditur ad mulierem nuptam non innocens erit*; additum ulterius sit: *Neque omnis tangens eam.* Respondeo ingrediendi quidem verbum usurpâsse Salomonem de coitu: secundùm id, quod dictum est à Sara ad Abraham: *Ingredere ad ancillam meam, & liberos ex ea procrea.* verbo autem *tangendi* fuisse usum usurpando tactum pro osculo: tametsi oscula si cum coitu conferantur peccata esse non videantur: veritate tamen ipsâ suffragante meritò lapsus quidam censenda sunt etiam oscula. Nam si curiosa contemplatio adulterium esse judicata est à Christo; contrectatio certè multò magis pro adulterio judicabitur. Quemadmodum enim in imaginibus depictis color magis afficit spectatores, quàm nuda lineamenta; sic etiam in corporibus comparatum est, ut tactus, quàm visus majorem movendi vim habeat. Si igitur aspectus quamvis subtilior sensus sit, ac purior, condemnatus est tamen: non immeritò tactus, qui cùm sit crassior, ac impurior sensus prohibitus est. Hactenus Pelusiota.

79. Cæterum quàm lubrica sit via per osculum ad fornicationem insinuat Salomon in Proverb. ubi loquens de muliere garrula, & procace ait, *Apprehensum juvenem osculatur.* Quia concupiscentia per osculum commovetur, & luxuria incitatur, est enim osculantibus quædam partium covenientia, qua & animales spiritus unà conjunguntur, & ad corporum incitant commixtionem; hinc Aristoteles ait: equos ante coitum conspirare anhelitu, & per hoc ad luxuriam provocari. Hinc ingens ex osculis fœditatum enormitas scaturit. Neque obstat, plerumque ex osculis nullam libidinis hauriri voluptatem: quia tametsi una, vel altera vice non moveatur quis libidine per infixa oscula: non tamen est, cur debeat sibi fidere; cum securum eum non faciat mens Virginis, nec vas fragilissimum, quin corpus in osculis per æstus excitatæ concupiscentiæ lubricetur. Unde arcenda omnino ab osculis sunt labia, ne os, vel genas, aut caput tangant alterius sexûs, neque debet, quis à sana mente ita alienus esse, ut per oscula discrimini velit se committere lethalis noxæ: hinc asceta ille id dedit Virgini cuipiam consilium, quòd si ad sanctum osculum invitaretur, sputum pro osculo redderet, & pugnum ingereret contrectanti. Non enim servus est Christi, sed satanæ famulus, qui à Virgine castitatis cultrice osculum exposcit; neque amator est dicendus, sed corruptor; non pudicitiæ zelator, sed libidinis excitator: hinc non paucis commendatur puella illa formosa, quæ impuro Clerico per oscula procedenti ad nequiora, adeò validè manum illisit, ut multum cruoris è naribus effluxerit, & ab incusso ipsi timore de necessitate Romanæ profectionis pro obtinendo absolutionis beneficio liberata fuit, eò quia ab impuro attactu se defenderit.

Non tamen derogandum est antiquo usui deosculandi Antistitum, ac sanctorum virorum manus, cum etiam milites consueverint victorum Imperatorum manus exosculari, ut de Catone digrediente è Provincia notavit Plutarchus; ut etiã de dexteræ manûs religionis cæremoniâ osculo servato meminit Plinius *lib. 11. cap. 45.* Imò etiam de sancto Ambrosio asserit Paulinus, qui cum adolevisset, essétque in urbe Roma constitutus cum Matre vidua, & sorore, quæ virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine, cujus virginis soror candida, & ipsa, ejusdem professionis, quæ cum Carthagine degeret, dixerit se vidisse, sacerdotibus à domesticis sorore, vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dextram dicens: & sibi id ab eis fieri oportere; siquidem Episcopum se futurum esse crederet. Siquidem loquebatur in illo Spiritus S. qui Ambrosium ad sacerdotium erudiebat. Cúmque post annos aliquot à sua ad sacerdotium ordinatione Romam venisset, ibíque sanctam puellam, cui manum exhibere consueverat, in domo propria cum Germana sicut reliquerat, invenit, jam matre defuncta. Cúmque illa dextram illius ex pristina consuetudine oscularetur, subridens Ambrosius dixit: Ecce ut tibi jam dixeram sacerdotis manum oscularis. 80.

Quamobrem consuetudinem olim inolevisse, quâ etiam puellæ manus consueverint sacerdotum exosculari, & maximè Antistitum nulli est dubium: unde osculo religionis, & pietatis symbolo etiam per mulieres manibus sacrorum hominum impresso derogatum non est, neque multò minus per homines inter se: cautè tamen censerem procedendum; ne mulier cum manum osculatur sacerdotis, non pietatis tesseram exprimat, sed virus imprimat libidinis: faciliùs à viris absque libidinis ingerendæ suspicione possunt manibus sacerdotum in signum religionis figi oscula, cum & ipse S. Justinus 81.

æquè

æquè Sapienter Philosophus; ac fortiter In Apolog. 2. Martyr dicat: *A precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus:* unde vel ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio moris fuit, ut Christiani se invicem oscularentur; & hujus moris rationem adfert S. Chrysostomus *Homil. de Proditore Juda*, inquiens: *Sanctum osculum teneamus quod animos sociat, & unum corpus ostendit.*

82. Cùm enim Ecclesia cœtus sit fidelium in unum mysticum corpus coalescentium; ad indicandum omnes fideles unum sub Christo capite esse membra ejusdem corporis, mutuis se fideles osculis prosequebantur, quia unum corpus omnes sortiuntur sub eodem capite, ideòque se miscebant in uno corpore, non corporum commistione, sed animorum charitate devincti: ideòque post fusas ad Deum preces, in quibus cum os aperirent, spiritum attrahebant, pacis osculo se tempestivè miscebant Christiani; ut gratiam, quam orando hauserant, mutuò communicarent, acceptùmque in corde spiritum, oris spiraculo piè reciprocarent: hujus moris meminit Tertullianus, & conqueritur, quòd in publicis jejuniorum diebus, tunc Christiani contenti tantùm oratione, consuetis se minimè osculis salutarent, & sine dato ad invicem osculo discederent, De Orat. cap. 14. ait enim: *Alia jam consuetudo invaluit, habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participent, quam auderent de sua pace fratri transigere?* Sub ipsis igitur Ecclesiæ candidis initijs, innocenti illi ævo, nota Religionis, tessera orationis, signaculum pietatis osculum habebatur; cujus beneficio cujúsque bona operatio in alios, osculo, pia transactione infundebatur reciproco oris spiritu, mutua oris commistione signato. Nostris verò temporibus, quia charitas frigescit, & malitia augescit & incrementum subit, mos iste non ampliùs viget; ne osculum, quo amoris ponitur symbolum, in luxuriosæ voluptatis degeneret incitamentum; & quod habebatur nobile pietatis incrementum, vile evadat libidinis excrementum; cum enim malitia increverit, facilè nunc occasio fieret obscœnitatis, quod olim nota erat charitatis; præsertim si à fœminis, puellisque venustis oscula Clericis exhiberentur, cùm sint hujusmodi oscula invitatoria libidinum, follésque depravatæ concupiscentiæ ignibus excitandis accommodati.

❋ (o) ❋
❋

§. IX.

Fugienda sunt mulierum oscula, quæ dum labijs figuntur, vulnera castitati infliguntur, quibus saucia fœdè perit.

SI noxius est viro muliebris occursus, eò quia ejus forma virum plerumque devenustet, & oculi puellæ etiam castæ non castè feriant; multò magis ejus oscula vulnera infligunt, quibus si corpus non cruentatur, interimitur tamen castitas. 83. Fœminæ enim præsertim procacis frons, oculi, labia, genæ, vultus, verba, & manus innata quadam teneritudine virilem emolliunt fortitudinem, pectúsque hominis emedullant. Quòd si procax mulier luxuriante ornatu viro obviet lascivo, aco per crispatam comam luxuriante, lenocinante oculorum jactatione, velo non integente pudorem, sed decorem duntaxat menticnte, eò quia omnium obtutibus ubera prostituantur; tunc vel ipsa glaciata virorum pectora, mentisque frigora flammantes vertuntur in fornaces, & si oscula accesserint, cinerescit pudicitia: non enim aliud sunt fœminei corporis laciniosæ pomparum, ac deliciarum ineptiæ, quàm tartarei aucupis insidiosi laquei, quibus ad luxuriam alliciuntur, & per fixa oscula fœdè capiuntur. Hinc Salomon for- Proverb. 7. mosam, leviculam, ac procacem innuit mulierem, quæ formæ elegantiâ, comptiori ornatu, blando verborum philtro suos medullitùs per oscula fœdè inflammat amasios; & de hac muliere garrula, & vana ait: *Ap-* Prov. 7. v. 13. *prehensum deosculatur juvenem & procaci vultu blanditur:* adeo ut mulier quia mollior fucatæ pulchritudinis dolosis insidijs studeat virorum capturæ, quos per oscula veneno inficit luxuriæ; idque eleganter edisserit exemplo phalangij, quod est genus Araneorum; ea enim est phalangij indoles, ut solo attactu veneno affricet, ut edisserit Clemens Alexandrinus inquiens: *Phalan-* Lib. 3. pædag. cap. 11. *gia, ubi homines ore comprehenderint, doloribus eos conficere, & à sensu mentis abstrahere: ita etiam à pulchris osculantibus, osculo aliquid, quod non videtur, venis immitti.* Spectata enim procacis mulieris fucata pulchritudo, ludentes frequenti nictu oculi, blandæ vocis lenocinium fomenta sunt libidinis: verùm cùm oscula figit, vulnera, castitati lethalia infligit, quia luxuriæ venenum per labia in præcordia immittitur; est enim lascivum osculum fomes libidinis, signaculum impuritatis, ac pyxis luxuriæ, quâ venenum effunditur blanditiarum lenocinijs dulcoratum. Hocce qui timet veneno infici lasciva non admittat oscula, fugiat hæc labiorum blandimenta, secedat ab hoc mortifero urbanitatis signo, quod castitati nonnisi interitum apparat.

84. Osculum nonnisi sanctum, & ab omni luxuriæ suspicione defœcatum in sinceræ charitatis, auctæque pietatis tesseram permitti debet, & de hoc osculo locutus fuerat D. Petrus *in prima sua Epist. cap. 5. v. 14.* cùm dixit: *salutate invicem in osculo sancto, gratia vobis omnibus, qui estis in Christo JESU.* Quamvis Apostolus omnes se invicem osculo salutare jubeat in pacis notam, charitatis signum, & Christianæ communionis tesseram; cautè tamen addit *in osculo sancto*, ne scilicet traosennt in fomenta libidinis, quæ argumenta habentur pietatis; & quæ signa sunt charitatis, incentiva fiant perversitatis: facilè enim ex labiorum contactu in altero sexu flamma accenditur, quâ fœdè decor devenustatur virtutis, & candor dissipatur pudicitiæ. Hinc post osculum sanctum Petrus uberiorem Christi gratiam illis apprecatur, ad quos suam direxerat Epistolam lubdens: *Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo JESU.*

85. Quòd si in sincero illo, & candido orientis Ecclesiæ ævo, adhuc recente Christi sanguine calente eò processit Apostolus cautela, ut ne quod charitati impendit Christianæ, virtuti deroget pudicitiæ, nonnisi *in osculo sancto* vult fideles invicem salutari: quantò magis cavendum est nostris temporibus, in quibus mores sunt corrupti, virtutum cultura neglecta, studium charitatis abjectum, fomes libidinis paratior, stimulus concupiscentiæ ad impuras excitandas flammas pronior, ut non immeritò dixerit Emissenus: *Osculum partem esse adulterij, per hoc enim criminis ostium, & mortis initium fit, & quamvis nondum in opere consumetur iniquitas, perfecta est jam in corde captivitas.* Plura congerit, pluresque conglobat eleganter sententias, quibus clarè ostendit impurum osculum morsum esse Diaboli, & harram peccati, ac propterea suadet, ut caveamus, ne hujusmodi hæc impura admittamus oscula, nec exhibeamus; osculorum enim obscœnitas satis se prodit, & contactus qui per labia fiunt, plena sunt periculis, & qui osculis obscœnè deliciatur venenum ebibit, quò castitas corrumpitur, ac cæteræ inficiuntur virtutes: est enim osculum ait Emissenus pars adulterij, ostium criminis, mortis initium, ac perfecta in corde captivitas.

Homil. 1. de init. Quadrages.

86. Hinc quoties Apostoli suis in Epistolis injunxerunt, ut fideles eorum nomine salutarentur, non alterius osculi meminerunt, quàm *sancti*, unde etiam Apostolus Paulus *1. ad Corinth. 16.* ait: *Salutate invicem in osculo sancto:* habebatur autem osculum tunc sanctum ait Gentianus Hervetus, quando deerat omnis libidinosa suspicio, & id erat, quod osculo sancto ionuebatur: nimirum sancta benevolentia, & amicitia: quod enim significabatur per osculum sanctum, erat mysterium, seu amicitia, & benevolentia, cujus osculum symbolum erat; à re enim quæ significabatur non solùm sanctum dicebatur, sed etiam mysticum, eò qoia sub signo illo sensibili arcanum lateret mysticum, quod sub sensus minimè caderet exteriores; & per hoc differt osculum sanctum ab incesto, seu impudico, ac polluto, quia illud signum esset Christianæ perfectionis; hoc nota libidinosæ infectionis.

Lib. 3. Pædag. capit. ult.

87. *Est autem aliud quoque osculum incestum* ait præfatus Heruetus, nimirum *veneno plenum. Id autem est osculum, quod venenum immittit impudicitia, non secus ac phalangia, quæ ore tantùm tangentia, & virus immittunt, & lethales dolores hominibus inferunt:* in osculo igitur incesto sub benevolentiæ specie lethalis odij stabulatur virus; sub larva amoris impudicitiæ latet venenum, quod instar phalangij oris affrictu viruleotiùs diffunditur. Osculum igitur, quo sub candido illo nascentis Ecclesiæ ævo fideles mutuam inter se se prodebant benevolentiam, vacuum semper fuit à quavis impuritatis suspicione; qua ratione olim ante communionem, & post fusas Deo communes preces moris erat, quò hujusmodi mutuæ charitatis, ac benevolentiæ ponerentur tesseræ, ita tamen ait Tertullianus agens *de oratione*, uc viri viros, & fœminæ fœminas oscularentur: *clamabat enim Diaconus*, ut ait Cyrillus Hierosolymitanus *complectimini, & osculamini vos invicem, atque tunc nos mutuo osculo salutamus. Non hoc ita accipias quasi osculum illud sit ejusmodi, quale in foro inter communes amicos esse consuevit; neque enim tale est. Hoc enim osculum animas mutuò conciliat, & omnem malorum oblivionem illis spondet. Est signum reconciliationis animorum, universeque injuriarum memoria deleta, & ideo sanctum fuit, quia sancta erat reconciliatio.*

Ex Catech. 5. Mystag.

Quamobrem ad testandam mutuam charitatem, & amicitiam viri viros, & fœminæ fœminas osculabantur, & fuit hujusmodi osculum pignus charitatis, ac sinceri amoris, quo tamen abusus Judas in signum vertit proditionis. Cæterum usus postea invaluit, ut virgo etiam velaretur, ne assidua inter oscula ad luxum concalesceret, ut nocat Tertullianus ubi inter reliquas hujus velaminis utilitates has eleganter posuit inquiens: *Ipsa concupiscentia non latendi, non est pudica: patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi utique & viris. Quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis, dum digitis demonstrant um titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter jam placere desiderare:* Meminit Tertullianus antiquæ consuetudinis, quâ primi fideles se amplexu, & osculo salutabant, quod erat benevolentiæ sacramentum: sed cœpit puritas deturpari, & sub osculo alioquin sancto ex perversa hominum salacitate libidi- 88.

Lib. de velan. Virg.

libidinis latere mysterium: adempto enim velamine ait Tertullianus dom virgo percutitur oculis incertis, & multis, sic ejus frons duratur; dum digitis demonstrantium titillatur, sic pudor teritur; dum nimium amatur, sic solvitur reciproco amore; dum inter amplexus, & oscula assidua concalescit, sic dicitur aliter jam placere desiderare: & quod sinceræ charitatis, purique amoris symbolum erat, fit lasciviientis concupiscentiæ receptaculum.

89. Hinc mulieres etiam respectu hominis sacri eas debent pudicas arbores imitari, quarum meminit Apollodorus Democratis Discipulus, hæ siquidem admotas virorum manus contractione refugiebant foliorum: Mulier ut pudica sit, ac cultrix castitatis manus refugiat, tactúsque virorum, si non contractione foliorum, saltem negatione cujusvis attactus: & viri omnem itidem fœminæ attactum, manum retrahendo præveniant, eúmque sui subtractione ante occupent, & præsertim eos alterius sexus contactus, qui per oscula crassiùs sentiuntur; plus enim in ijsdem semper est periculi, ut notat Scaliger, qui observat *Basium* græca voce

Exercit. 330. c. 1. ex eo derivari, quia quæ duo sunt, & unum esse queunt, unum evadere appetunt, ideóque dicuntur spiritus exire, & corpora hærere, ac conferri; perinde ac duo spiritus, quantum licet nexu osculorum in unum transeunt. Quod etiam subindicavit S. Ambrosius inquiens;

Lib. de Isaac. cap. 3. *Osculum est, quo invicem amantes sibi adhærent, ac veluti gratia interioris suavitate potiuntur: per quod sibi transfunditur spiritus osculantis. Sicut etiam ij qui se osculantur non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere*

90. Homil. 30. in 2. ad Corinth. Hinc est, quòd etiam S. Chrysost. asserat per osculum animas inter se colligari, & observat, redeuntes ex diuturna peregrinatione mutuis consuevisse osculis excipi, convenientibus scilicet animabus. Satis etiam vulgatum est Platonicum carmen in Agatonem apud Gellium de animæ in alterius corpus transfusione per osculum, quod etiam firmat Encolpius Petronianus inquiens: *Et transfundimus hinc, & hinc labellis errantes animas.* Verùm cum hæc veluti animarum transfusio in osculi impressione per labia non contingat sine ingenti corporis concitatione per commotos spiritus; non immeritò S. Basilius ait, osculi formoso corpori impressi flammam non secus cavendam homini castitatis studioso, quàm animalium venenatorum morsus, eò quia pejora sint oscula scorpionibus, phalangiisque venenum infundentibus. Lib. 19. c. 11. Lib. de vera virginit.

91. Plura quæ sub osculis procacis fœminæ latent mala detegit S. Petrus Damianus, fucatis osculorum lenociniis larvam detrahens calamo, alloquens enim procaces mulierculas, quæ oscula figunt, ut minus cautos decipiant viros, ait, *Interea vos alloquor, quæ estis pulpamenta Diaboli, projectio paradisi, virus mentium, gladius animarum, aconita bibentium, toxica convivarum, occasio pereundi. Vos inquam alloquor quæ estis gynecea hostis antiqui, Upupa, Ulula, Noctua, Lupa, sanguisuca; quæ oscula figitis, & sanguinem exigitis.* Imò non solum sanguinem sugunt, sed & vitam ipsam exsugunt fœdè interimentes, quos lenociniis demulcent, osculis deliniunt, ut innuit S. Chrysostomus: *ad Populum Antiochenum* inquiens. *Quemadmodum venatores retibus extensis sylvestria animalia immittere aggrediuntur, ut ipsa jugulent; ita & meretrices postquam lasciviæ retia undique extenderint per oculos, verba, oscula, suos capiunt amatores, quorum sanguinem ebibunt, & ipsos enecant.* Nemo sit ita delirus, & à sana mente alienos, ut velit per oscula propinatum sibi venenum ebibere, sibique esse exitio. Epist. 51. Homil. 14.

DISSERTATIO XVI.

Nullum tuendæ castitati asylum fugâ tutius.

§. I.

Sicut qui periculum timet naufragij, procellosum non trajicit pelagum; ita castitatis cultor à quovis se subtrahat periculo, ne in scopulum impingat, & naufraga castitas pereat.

1. SUnt, qui non abs re id asserunt, esse in homine rebellantem, ac insolescentem concupiscentiam, ac in mundo mare exæstuans, fluctibusque decumanis agitatum; sicut suis est æquor procellis obnoxium, quibus naves ejus trajicientes sinum ad naufragium pertrahuntur, cùm suborta tempestate audiuntur flatus horrisoni; suspiciuntur in aëre nigrescere, & condensari nubes; adimi solis lumen & cæca caligine exhorrescere omnia, cœlum repetito tonitru ingentes dare mugitus; concursu, conflictúque nubium ingeminare fulgetra, emittere fulgura, ejaculari fulmina; & mare decumanis fluctibus sursum, deorsum vehi, & omnia confundere, navésque vel sorbere in imum, vel iterum evomere in sublime ejectas, donec in scopulum allisæ ineluctabile patiantur naufragium: perinde habet concupiscentia procellas suas, habet & suos fluctus, quibus naufraga castitas obruitur: non enim desunt hoc in concupiscentiæ pelago brevia, nec scopuli, nec voragines: nec desunt Scyllæ, neque charybdes, cùm sit ipsa concupiscentia charybdis, quæ sectatores suos absorbet, & interimit. Quemadmodum igitur periculum qui timet naufragij procellosum non trajicit pelagum, ita castitatis cultor à quovis se subtrahit periculo, ne in scopulum impingat; & ne naufraga castitas pereat, fugit hanc charybdim, quæ non corporis tantùm naviginm sorbet, sed etiam mentis ac animæ navem obruit: est autem hæc charybdis absorbens animas luxuria ait Alredus, ubi de quodam adolescente, qui pericula neglexit labefactandæ castitatis fugere ait: *Quem luxuria charybdis absorbuit.* Fugienda est hæc charybdis, nec ipsi fidendum, quia cùm blanditur suos describit vortices, quibus cum ridet, absorbet; & eò magis sævit, quò suaviùs eblanditur; neque ab ipsa abjungitur scylla; ut cùm scyllam inter & charybdim fluctuans concupiscentiæ æstus, naufraga pereat castitas, vel charybdis absorpta vorticibus, vel scyllæ collisa in scopulum; quia ut scitè scrib bit peritus Nauclerus S. Hieronymus: *In illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat scylla, seu renidens libido blanditur.* Quis ita delirus ut ab hisce non se subtrahat periculis? Quis à sana mente ita alienus, ut & discrimina æstuantis concupiscentiæ non coërceat, vel ab ijsdem non se subtrahat?

In spec. charyb. lib. 1. cap. 14.

Epist. 1. ad Heliod.

2. Castitatis studiosus, suæque salutis amator exitiales hos scyllæ scopulos, infames has charyddis voragines statim declinat, & aliò fugit, ut à periculo se subtrahat imminentis naufragij. Libido enim haud absimilis est scyllæ, in quam impingentes misere pereunt. Fugiendus igitur est hic scyllæ scopulus, declinanda luxuria; quinimò sic cautum est in navibus, ut nautæ vel solùm scyllæ nomen, omen credant perniciosum, abstineántque propterea ab hoc nomine quasi ab omine imminentis naufragij: cautiùs id præstandum est in ijs, quæ luxuriam redolent, lascivientémque sapiunt concupiscentiam; ut nimirum nec ipsa immunditiæ vocabula os consspurcent illius, qui castitatem excolit. Pressiùs verò ut loquar, procax quævis mulier suis ad turpia alliciens lenocinijs infamis est hæc charybdis; scortis enim meretriciis perinde ac circumactis vorticibus fœdè absorbet, quos ad se trahit.

3. Idque causæ, cur Anaxiles apud Athenæum *lib. 3.* impudicam mulierem non solùm monstris, ferisque sylvestribus, verùm & charybdi, scyllæque, ac monstris marinis contulerit, dicens, neque draconem, neque chimæram flammivomam, neque charybdim, neque tricipitem scyllam, ponticum canem, neque sphingem, hydram, leonem, viperam, neque volucres harpiarum genus,

genus, neque ullam demum bestiam diritate sua conferri posse eum fœmina; cui haud dissentiens S. Petrus Damianus alloquens Opusc.18. Dissert.2. cap.2. procaces has mulieres ait: *Vos harpiæ quæ sacrificium Domini circumvolantes arripitis, eósque qui Deo oblati fuerant, crudeliter devoratis. Nam & leænas vos non incongruè dixerim, quæ belluarum more jubas attollitis, & incautos homines ad suæ perditionis interitum cruentibus amplexibus harpaxatis. Vos sirenæ atque charybdes, quæ dum suavem deceptionis editis cantum, inevitabile struitis salo vorante naufragium.*

4. Vocat procaces, ac lenocinantes fœminas blandas sirenulas, quia æstuantis concupiscentiæ pelagus hisce non caret sirenularum illicijs; voluptates enim, quibus concupiscentia inhiat, & sinit homo se allici, ac illaqueari, sirenes sunt illæ blandulæ, quæ suis illecebris minus cautos fallunt homines, quos & miserè interimunt, appositè, Synesius ait: Epist. ad Herculan. *Audivi doctum virum, qui fabulam allegoricè exponeret, sirenas enim denotare voluptates, quæ delinitos, & suavitate ea captos paulò post interimunt*, cui suffragatur Ælianus Sophista inquiens: *Poëtis namque sirenas. ut puto, comminiscitur, esse fædas voluptates.*

5. Qui sapit has eblandientes sirenulas vel euro citius fugit, vel cum Ulysse nonnisi surdis auribus pertransit, ne blanda deceptus voce interitui obviet, ubi blanditijs se putat deliniri. Sunt autem hujusmodi adblandientes sirenulæ, blandulæ illæ meretriculæ, quæ ob cantûs, verborúmque allicientem suavitatem exteros, ita illiciunt, ut oblivionem quandam patriæ, rerúmque suarum concilient. Fugiendæ pro viribus sunt harum impudicarum illecebrarum sirenulæ, quæ oblectantes decipiunt, decepósque interimunt, & quæ fœmineâ facie videbantur eblandiri, perinde sæviunt, ac Isaiæ. 13.22. Dracones juxta illud Isaiæ: *Et respondebunt ibi ululæ in ædibus, & sirenes in delubris voluptatis*, seu ut textus Chaldæus habet; *Et Dracones in domo habitationis deliciarum eorum:* nimirum quæ in extima cute blandæ sirenæ esse videntur, intus exitiales sunt dracones interimendis hominibus semper parati: alliciunt larvâ cujusdam voluptatis, sed lacerant cruento Draconis ungue: si enim venereæ voluptati larvam detraxeris, intus nonnisi opparata venena, cædes, necésque minitantia deprehenduntur.

6. Quàm delirus igitur, qui fallacibus hisce voluptatum sirenulis se credit! quàm à sana mente alienus, qui has statim non fugit voluptatum illecebras, nec ab imminentibus se periculis subtrahit. Quævis enim carnalis voluptas non veram exhibet jucunditatem, sed tantùm quandam extimæ lætitiæ larvam, quam ei si detrahas, nonnisi mera tristitia intuenti objicitur; & afflictio, quâ mens torquetur, & cor premitur, ac opprimitur. Huc spectat illud Prophetæ Regij: *Humiliasti nos in loco* Psalm.43. *afflictionis*, ubi interpres Aquila apud S. Ambrosium expendit: *Quoniam humiliâsti nos in loco sirenum*, quia terrenarum voluptatum sirenulæ tametsi eblandiri videantur, ac delicias exhibere, nonnisi afflictiones offerunt: videntur lactis dulcedinem spondere, cum nonnisi fellis amarorem propinent; quia ut scitè Ambrosius: *Seculi* Ibidem. *voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat*, quia scilicet illecebras offert, & mortem affert; lætitiam ostendit, & luctum inducit; malaciam promittit, & naufragium molitur.

Fugiat qui sapit, aurésque claudat, 7. ne sinat se blando hujus sirenulæ cantu illici, ac illaqueari; obseret, si delirus non est, aures cerâ, ut ab hisce se periculis eripiat; fugiat surdus hos allicientium voluptatum cantus; declinet hæc meretricia blandimenta; *castitatis cultor*, ait Sidonius Lib.9. epist.8. Apollinaris, *fugit contra vitia surdus.* Quòd si cerâ sit destitutus, quâ aures obseret; fide, quæ ex auditu est, utatur, ut non sinat hisce se allici, simúlque decipi blanditiis. Quòd si Ulysses sirenarum declinaturus illecebras, illigari voluit arbori navis; est fidelibus hæc arbor virga de radice Jesse, cujus ope, quæ fiunt obvia evitamus discrimina, ut scitè scribit S. Paulinus inquiens: *Arbor illis* Epist 4. ad Sever. *est virga de radice Jesse, quæ totam corporis nostri quadriremem regit, & cui si juxta illam Poëticam fabulam in prophetica veritate nectamur, voluntarijs adstricti nexibus, & obstructi non cerâ, sed fide, neque corporis, sed cordis auribus contra hujus mundi varias ad capiendum, pares ad nocendum illecebras, tuti, & innocui, scopulos voluptatum quasi saxa sirenum prætervehemur.*

Nullum imminet discrimen, à quo 8. beneficio fugæ non possit quis, si velit, se subtrahere: sicut nullum est malum, cui benefica natura suum non apparaverit pharmacum: hæc enim herbas excernit, quarum subsidio, quæ in corpore contrahuntur ægritudines repelli solent: perinde ac natura corporis consuluit indemnitati; ita gratia, & Numinis favor animi morbis, quibus curandis Medicus accersivit, quos inter, cæteris peritior Tarsensis est Apostolus, qui efficax contra luxuriæ venena exhibiturus pharmacum, illud scripsit inquiens: *Fugite fornicationem*, tametsi edoctus fue- 1. ad Corinth. 6. rit in schola Magistri Christi, imò & raptus in tertium cœlum, ibíque intuitus fuerit arcana, quibus explicandis impar est lingua; adhuc ægritudini concupiscentiæ curandæ magis idoneum ipsâ fugâ non invenit pharmacum: *Fugite fornicationem*: quia nimirum nullum tuendæ castitati asylum fugâ est tutius.

9. In castris ubi homines contra alios homines præliantur, fuga datur militi probro; sed in pugna contra concupiscentiæ vitium victoriam spondet, estque fugienti laudi; in castris Bellonæ fuga insequenti inimico palmas offert; sed in pugna castitatis cupressus dat hosti; & victoriâ fuga condecoratur; in castris exercitûs Præfectus militum frontes contra hostes obarmat, animos excitat, fugam inhibet, laqueo etiam proposito collo, & capiti, si pedes fugientes imitentur lepores; sed in certamine castitatis solo fugæ beneficio prosternitur hostis victoriæ lauro insignitur fugitivus, & triumpho celebris acclamatur. Tametsi in aliis vitiis oppugnandis, & expugnandis non fugiendum sic, sed inconcussa pectoris firmitate iisdem debeat Christi pugil obviare, ac insistere, ut monet Apostolus *ad Ephes. 6.* inquiens: *Accipite armaturam Dei, ut possitis stare in die malo, & in omnibus perfecti* Cap. 4. *stare*, & etiam D. Jacobus, qui nobis suadet, ut apertâ fronte hosti resistamus, ut fugæ se det; non verò ut nos ipsum fugiamus: Jacob. 4. v. 7. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis:* nihilominus castitatis cultores certamen iniituri contra vitium luxuriæ non sibi victoriam spondent nisi beneficio fugæ, & est 1. ad Corinth. 6. quod inculcat Apostolus: *Fugite fornicationem*, est enim hoc vitium vorax illa charybdis in æstuante concupiscentiæ freto, quæ castitatis studiosos fœdè absorbet, omnésque virtutes deglutit, neque unquam expletur, quin plura semper appetat, imò bona omnia abligurit.

10. Idque experitur, qui meretricem domi alit, non sanguinem tantùm exsugit, sed & bona omnia absorbet, omnémque substantiam, opes universas absumit, adeò ut non illepidè manus meretricis auri, argentive magnetes dicantur; quia sicut magnes occulta quadam vi sibi insita ferrum ad se trahit, ita meretrix ad se homines allicit, eorúmque opes, aurum, & argentum ad se attrahit: hoc tamen discrimine, quod magnes ferro copulatur, ac ipsum servet; & meretrix homines ad se trahit, quos perdat. Quàm noxius meretricius magnes, quo non iter rectum in sublime dirigitur, sed in æternum obliquatur naufragium, quod festivè innuit Dicæarchus apud Stobeum; cuidam enim parianti mulierem magneti respondit, minimè magnes procax mulier, quia magnes ferrum, meretrix verò aurum, imò & hominem ad se trahit, quem perdat.

§. II.

Procax mulier charybdis est; tunc vortices suos describit, cum suis eblanditur lenociniis, quibus insidiatur castitati, quæ ne naufraga pereat, beneficio fugæ declinanda est infamis hujus charybdis vorago.

David cùm primùm à fœmina illectus se in adulterium fœdè lapsum novit, 11. vidénsque propriam fœditatem, omnémque virtutis jacturam dixit: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Psalm. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me:* loquitur Psaltes de procella æstuantis concupiscentiæ, in qua mens adeo fluctuavit, donec virtus continentiæ naufraga periret: fuit enim hæc tempestas, quæ Jessæum vatem demersit, infamis illa luxuriæ charybdis, quæ suis verticibus rotam ejus substantiam, seu virtutem absorbuit. Sed cur limum profundi vocat luxuriæ crimen? *infixus sum in limo profundi*, cur non potiùs, si se à procella demersum dicit, infixum in imo profundi edicit? quia nimirum sicut limus tangentem se fœdè maculat, deturpat; conspurcátque; ita luxuria, quos afficit, lethaliter inficit, idque expertus David, cùm primum Bethsabæam novit, rectè se infixum dixit in limo profundi, imò & se spoliatum substantiâ, quia decore castitatis, ornamento virtutis nudatum se vidit.

Experimur, canoras aviculas visco allisas, pennis, alisque implicari, & aucupis in 12. prædam cedere; quia visco adhæserunt, si fugissent liberè per aëra citra periculum avolâssent: perinde ac fugæ beneficio, visci aves declinant discrimina; ita castitatis cultor nonnisi per fugam, viscum luxuriæ declinat, & periculum evadit interimendæ castitatis; qui veneno appropinquat, faciliùs ejus inficitur halitu: picem qui tetigerit, maculam contrahit, & manûs candorem picis commaculat nigredine; & cùm hujusmodi pericula non aliter declinentur, quàm per fugam à veneno infectos spirante halitus, & à pice, vel solo tactu coinquinante; ita ad omne evitandum discrimen perimendæ castitatis nullum consilium sanius, quàm ocyus Euro omnes effugere luxuriæ occasiones, & fuit consilium ab Apostolo Corinthiis inculcatum: *Fugite fornicationem:* hæc enim est, quæ Regium Vatem in altitudinem maris deduxit ab æstu marino à fluctuante procella obruendum: *Veni in altitudinem maris, & procella demersit me*, habet enim Psalm. 68. luxuriæ mare charybdes suas, habet, & scyllas, & æstuantes procellas. Quis ita à sana mente dejectus, qui has procellas scyllas inter & charybdes fluctuantes non fugiat? cum vel ipsum Jessæum Vatem obsorbuerint: quis tam fatuus, qui luctari cum tempestata valit, cum

eum charybdis vorticibus ludere, cum scyllæ scopulis pugnare, cùm ondarum æstu certamen inire, & qui cum fluctibus decumanis turgidioribus obluctari tentet?

13. Non me fugit, plerósque adeò disipuisse, ut arma sumere ausi fuerint, contra, vel fluminum fluxus, vel pelagi fluctus, & ad certamen vel ipsum aquæ elementum provocâsse. Celtæ siquidem hâc laborâsse insaniâ, ac propterea hellebero indiguisse refert Nicolaus *de morsibus Gentium* apud Stobæum inquiens: *Celtæ Oceano vicini turpe existimant parietem, aut domum corruentem fugere; inundatione verò externi maris adventante armati occurrentes sustinent, donec undis obruantur, ne videantur fugiendo mortem pertimescere:* non poterat certè latiùs terminos suos exporrigere insana hominum temeritas, cùm ne videantur accedentem pertimescere mortem, malint marinis obrui fluctibus, aquísque extingui; quàm beneficio fugæ periculum declinare, ac vitæ consulere incolumitati. An non insaniæ daretur nautæ illi, qui in scyllæ vortices vellet se injicere, ea tantùm de causa, ne videatur ejus pertimescere voraginem? Hinc Aristoteles scribit: *Erit aut quispiam insanis, ac doloris sensu vacans, si nihil metuat, neque terræ concussiones, neque fluctus quemadmodum aliqui prædicant.* Sed si dementiæ datur Celtis, qui ne videantur marinos extimescere fluctus, malunt ijsdem obrui, quam per fugam vitam tueri; non fuit certè Sapientia illa Xerxis, qui referente Herodoto Jussit Ponto, seu mari, trecenta infligi verbera, & per repetitos colaphos percuti; cum debuisset potius ipse ad curandam dementiam verberibus excipi acrioribus.

Serm. 5.

Li. Moral. ad Nicomachum.

Lib. 7.

14. Nullus adeo desipiat, ut contra æstuantis concupiscentiæ, fluctuantis libidinis procellam pugnare audeat, & hisce undis bellum indicere, quia si Venus hisce fertur è fluctibus nata, in ijsdem denata pluries fuit castitas; non ut Celtæ æstuantis libidinis occurramus fluctibus, sed saniorem induentes mentem volucre ocyùs aucupis fugiamus laqueos. Non nobis datur dedecori hæc fuga, sed summa est laude digna, quoties libidinis fluctus in nos irruont; fugiendum enim tunc nobis est, ut vincamus; obruimur & vincimur, si jisdem adventantibus occurrimus, & id voluit Apostolus, cum dixit: *Fugite fornicationem* non monuit Corinthios, ut pugnas cum luxuria inirent, non suasit jisdem, ut operta fronte, armatóque pectore, eidem inconcussa animi firmitate occurrerent, sed ut omni disruptâ morâ statim fugerent, *Fugite fornicationem:* quia non ab ipso conflictu, sed à sola fuga speranda est victoria: cadunt qui hac in pugna stare satagunt; stant verò, qui ne cadant, fugiunt: eleganter S. Chrysostomus, *fugite fornicationem, non dixit abstinete à fornicatione, sed fugite, hoc est studium ponite, ut à malo liberemini*, quia à malo non liberatur, qui fugæ beneficio luxuriæ non declinat periculum.

1. Corinth. 6.

Homil. 18. in 1. ad Corinth.

15. Ad hanc fugam nos etiam invitant SS. PP. castitatis cultores, qui expendentes verba Apostoli *Fugite fornicationem*, omnes unanimes docent, in hac cum libidine pugna totum victoriæ momentum nonnisi à sola fuga sperandum esse; & totam spem triumphi à solo fugæ beneficio nobis promitti: D. Ambrosius ait: *cùm alijs vitijs potest conflictus expectari, non ita cum luxuria: hanc fugito, & ne approximetis, quia non potest aliter melius vinci.* D. Ambrosio adhærens S. Augustinus ait: *Cùm cætera vitia pugnando vinci soleant, sola libido est, quæ fugiendo potiùs, quàm pugnando superatur,* quod etiam pluries repetit, & præsertim ad populum inquiens: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundia sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* Assentitur etiam Augustino D. Hieronymus ubi de se ipso non erubescit asserere: *Fateor imbecillitatem meam nolo spe pugnare victoriæ, ut perdam aliquando victoriam. Tu qui pugnas superare potes, & vincere si non fugias. Ego cùm fugero, non vincar in eo quòd fugero; & ideo fugio, ne vincar.* Adjicit etiam victricis hujus fugæ causam, quam duplici eruit similitudine serpentis unâ, aut viperæ, & lupi alterâ: hæc enim animalia non tutius homo vincit, quàm fugâ, serpentem, qui manu stringit, facilè ejus ad se venenum trahit. *Nulla securitas* subdit Hieronymus *est cum vicino serpente dormire; potest fieri, ut me non mordeat; tamen potest fieri, ut me aliquando mordeat.* Quod de serpente pronuntiat D. Hieronymus, hoc cuilibet castitatis congruit hosti, quem propterea fugisse, vicisse est: & quamvis alijs in certaminibus probro, ac ignominiæ fuga detur; in castris tamen castitatis tota victoria in sola fuga sita est; datúrque decori, ac gloriæ fuga, quæ alijs in pugnis est dedecori; possitque propterea id de hac fuga repeti, quod Plinius de Cannensi pugna edixit: *Fugisse virtutis summum opus fuit, & stetisse vitij, & dedecoris*, quia si stetissent victi cecidissent, & quia non steterunt, minimè ceciderunt.

Lib. de Virg.

De honest. mulier. c. 8.

Serm. 250. de temp.

Lib. contra Vigilantium.

Lib. 2. c. 20.

16. Propriam in hoc certamine fateri imbecillitatem, ac de propriis diffiteri viribus, perinde est ac egregium, invictúmque se militem prodere: ipsa pusillanimitas est, quæ generosos excitat animos; & fugere semper est vincere, ac se in libertatem asserere: nunquam enim à laqueis meretricijs, pedicisque luxuriæ se liberat castitatis cultor, nisi pugnet fugiendo: hinc S. Ambrosius expendens verba Apostoli 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem*; ita premit Pauli verba: *Fugiamus tanquam sequentem, qua non post, sed in nobis sequitur, nosmet ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum*

Lib. 1. de pœnit. cap. 14.

eam portemus. Quia plures sunt, qui censentes fornicationem fugere, eam secum trahunt, quia incauti & nimia sui fiducia se periculis exponunt, discrimina non evitant, & ideo in libidinis laqueos se se incautè injiciunt. Compedes enim satagit luxuria castitatis studiosis injecere.

17. Hinc Ægyptia mulier intra domum remotis arbitris castum aggreditur Josephum *apprehensâ laciniâ vestimenti ejus.* Et quidem intra domum remotis arbitris, ut promptiùs sine obice, absque testibus eum irretiret, & in turpia sua traheret vota; licèt in cassum, eò quia castitatis cultor Joseph, vel primos concupiscentiæ motus fugâ otij coërcuerit: *Accidit autem quadam die ut intraret Joseph domum, & operis quid piam absque arbitris faceret: & illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus, diceret, dormi mecum.* Tametsi imperio toti præficeretur Joseph domui, non tamen visus est in domo otiari, cum otium, non imperio tantùm abigeret, sed operationibus, ac exercicijs, à se longiùs excuteret, omnémque propullaret insurgentis concupiscentiæ insolentiam. Cùm enim post negotia in urbe peracta domum reverteretur, non otio visus est indulsisse; sed absque arbitris, seu non ad pompam, & perfunctoriè laborabat ad captandam sibi cæterorum laudem; sed solus absque arbitris labores subivit, quibus otium abigeret, & vel ipsos primos concupiscentiæ stimulos compesceret; adeò otium aversabatur, ut licèt præfectus domûs à laboribus exemptus corporis, lassus, ac defatigatus ex peractis negotiis; adhuc laboribus, ac exercitiis desudaret: sunt enim sudores, quos labor elicit beneficus imber, quo æstus omnes extinguntur flammantis concupiscentiæ, & lilium castitatis rigatur uberiùs: usus Joseph otij fugâ Partorum more fugiendo triumphavit; exemplo ut reliquæ præiret familiæ, domum redux operabatur.

Genes. c.39.

Genes. 39.

18. Sed si mulier lasciviens diebus singulis nitebatur castitatis cultorem allicere ad turpia: *Hujuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum*, cur adeò frequenter sollicitatus ad scelus à fœmina, non potiùs jejunavit, lachrymas sudit, procul in solitudinem non secessit, vel saltem è domo illa aliò non fugit; sed suo duntaxat intentus muneri, eo id temporis defunctus diligentiùs, unam tantùm sibi otij fugam accersivit, ut infensissimam coërceret libidinem, salacem reprimeret fœminam, & de lenocinante concupiscentia triumphos ferret? an quia extinguendæ concupiscentiæ, coërcendis luxuriæ stimulis duo sunt accommodatissima, nimirum præclarè id exequi, quod à Numine nobis est iniunctum, ac demandato nobis officio attentè fungi, & per susceptos labores otium procul abigere? utrumque præclarè egit Joseph, & demandatum sibi à Deo munus executus est; ac visus per exercitia, ac labores, otium odisse; ideóque hîc munitus fugâ concupiscentiæ etiam primævos motus egregiè compescuit, salacem fœminam delusit, quæ si artes pudoris didicisset nunquam Josephum provocâsset in scelus, cùm fuga otii eum à lapsu rueretur.

Genes. 39.

§. III.

Ægritudini æstuantis concupiscentiæ curandæ nullum alexipharmacum aptius fugâ otij, quod luxuriam fovet, cui etiam favet.

Fovet otium concupiscentiæ scintillas, quibus plerumqueita etiam favet, ut in flammas excrescant, quibus castitas cinerescit. Spatiabatur David cùm segnis surrexisset ex pomeridiano sopore; sed quia otio indulsit Bethsabeam deperiit, & in ejus amore periit virtus. Otio indulserant Amnon jacens in stragulis, & Holophernes sedens in conopæo; sed uterque libidine captus, hic Juditha, ille Thamaris captivus cecidit. Constuprata à Sichemo fuit Dina puella speciosa, adæquè corpore, ac anima, sed quia vaga, quia à consuetis laboribus, & exercitiis distracta, propriæ tantùm cupiebat curiositati satisfacere; se subtraxit à consuetis obeundis muneribus, & otio indulgens pudicitiæ fœdavit candorem. Hæc indoles est innocentiæ, omnem compescere curiositatem, ne exterorum etiam apertissimas plagas intueatur; sed quia Dina exteras voluit puellas aspicere, florem illum perdidit, qui semel amissus, nullo fit ampliùs pretio venalis: otio, ac curiositati, quæ indulgent puellæ, malè propriæ consulunt pudicitiæ, cum otii fuga sit clypeus ille, quo stimuli retunduntur libidinis. 19.

Etiam Penelope quia lanificio intenta, ut fertur, otii fugâ procacis Amasii delusit assultus; comprobavitque vel in lana frigere Venerem, quæ fervere etiam in nive plerumque didicit; idque causæ, cur viri ascetæ castitatis cultores in id vel maximè incubuerint studij; ut texendi curæ post fusas ad DEUM preces reliquum impenderent tempus; desperâssent enim de stimulantis concupiscentiæ victoriâ, nisi otii fugâ, omnes ejus coërcuissent motus; séque sudore, ac labore armâssent ad luctam; non enim castitatis lilia efflorescerent, nisi riguo sudoris, quem labor elicit maderent: hoc enim humore, si rigentur, etiam in rupibus lætiùs florent, ac suaviùs olent. Quòd si Eremi Incolis, Monachis jejunis, pannosis, seminudis, abstemiis nonnisi otii fugâ licuit concupiscentiæ stimulos coërcere? & nonnisi jugi labore lilium excolere castitatis, & sudorum imbre irrigare, & quidem in secretioribus eremi secessi- 20.

secessibus in remotioribus sylvarum spelæis? quis sibi fidat, & speret otio indulgens fore, ut in viridarijs sit pudicus, & in foro castitatis cultor? ea est concupiscetiæ natura, ut vel in ipsis eremi spelæis insolescat, & in ipsa nuditate æstuet libido, nisi sudoribus, quos labor depromit, cogatur madere, & algere: etiam in nive exardescit, si ibi sedens otietur.

11. Tarsensis Apostolus suis laborabat manibus operando, idque præsertim, ut fugâ otij carnis stimolos compesceret, sibique laborando triumphos cuderet de fugata libidine; tametsi ter naufragus, fuerit, die, noctuque in profundo maris demersus, adhuc ita uritur, ut scripserit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* (2. ad Corinth. 12.) Quis sibi spondeat hisce à stimolis immunitatem, quos Apostolus itineribus defatigatus, laboribus fractus, sudoribus madidus, viribus pœnè destitutus in se experitur acriores? nisi fugâ otii eludantur insorgentes concupiscentiæ stimuli, vix lilium castitatis excolitur innoxium: timeant tonitrua impudicitiæ, qui otiantur in hortis; tunc concupiscentia acriùs insurgit, cùm jacet quis otiosus in lecto; tunc personat, ac sua ejaculatur tela ad castitatis internecionem, cùm corporis membra consopiuntur, à quovis labore immunia.
Matth. 20. Hinc Christus eos acriter redarguit, quos in foro otiosos invenerat. *Quid hîc statis tota die otiosi?* hoc tonitru eos excitavit, quò ad vineæ culturam pertraheret, ac labore florem servarent pudicitiæ incorruptum, quem in foro otium corrupisset.

12. Sed quódnam opus fuit, cujus benefi-
Genes. 39. cio Joseph, & otium fugavit, & salacem mulierem coërcuit, ac de libidine triumphavit. *Accidit ut operis quidpiam absque arbitris faceret:* seu ut habet textus hebraicus. *Ingressus est domum, ut faceret opus suum:* cumque speciatim non explicetur, qualénam fuerit hoc opus, curiositas animum pulsat quærendi, qualénam potuerit esse, quo tam gloriosè posset de libidine triumphare: id certum, lyram tunc non pulsâsse domi, neque fritillum versâsse, neque penicillo, ac coloribus telas pinxisse, neque ullam sculpsisse statuam. An fercula parabat in culina? sed id coquorum est officium. An myrrhina disponebat ad prandium? sed ad Structorē id muneris spectat? An Crateres, pocula, calicésque ad vini haustum explorabat? sed hoc officium est Pocillatoris: an lusum aliquem consueverat tunc instituere ad levamen, solatiúmque peractis jam negotijs? sed lusus otium potiùs sapit, quàm opus indicet. An ad prædam erudiebat accipitres? sed id officij aucupi demandatur, non Oeconomo: quid ergo tunc ageret Joseph, cùm operis quidpiam absque arbitris faceret? textus Chaldæus quid tunc ageret castitatis cultor, cùm palmam de æstuantis concupiscentiæ retulit, repetitis assultibus depromit, inquiens: *Ingressus est in domum, ut investigaret scripturas rationis suæ, & nullus vir de hominibus domus erat ibi in domo:* nimirum injunctum sibi exequebatur officium non alienis occupatus exercitijs, quæ animum à proprio distraherent: ea attentiùs adimplebat, quæ Oeconomo injungebantur: cùmque proprio functus officio otium fugeret, stimulos compressit concupiscentiæ, omnésque coërcuit insolescentes ejus motus: tametsi procax mulier per singulos dies molesta esset adolescenti, hic tamen recusabat stuprum. Sed cur dicitur recusâsse stuprum, cum mulier, quæ adolescentem deperibat, minimè virgo esset; si uxor erat Butipharis non stuprum Joseph, sed adulterium recusavit: quia scilicet adolescens eximius castitatis cultor, sibi omninò pares in castitatis studio cæteros existimaverat, crederétque propterea etiam virginem eam, quam uxorem Domini sui vocaverat, simulque lenam, scortúmque patiebatur importunissimum: lilium erat Joseph, etiam urticas, vepresque innocentes credidit violas.

Castitatem, qui olet, cæteros pudicitiæ putat cultores, secus malè qui olet, 259
fœtorem etiam in rosa redarguit: idque causæ, cur Magdalena malè fragravit Pharisæo, & Judæ, cum Nardum pedibus affunderet Magistri Christi: cur reliqui discipuli quinqueviram non adulteram; sed fœminam crediderint. Joan. 4. *Mirabantur, quia cum muliere loquebatur:* Nullus discipulorum fuit, qui de meretricio quæstu in fœmina illa fuisset suspicatus, tametsi vero fuisset simile tot virorum fœminam adulterij se fœdâsse cœno. Quia verò à quavis semper abhorruerunt Christi Discipuli libidinis suspicione, unicè culturæ castitatis addicti, perperam etiam de fœmina quinquevira suspicari nescierunt, mirati duntaxat, quòd Magister Christus cum muliere loqueretur: nimirum à turturibus etiam inter cygnos recensentur accipitres; à castitatis studiosis etiam vepres lilia putantur, quia nescit probitas perperam de alijs sentire, & qui benè in se olet, cæteros credit similem affundere odorem; qui in se lilia florere gaudet, ea & in alijs crescere judicat.

Idque causæ, cur accersita ab Amnone 244
Thamar, nil fuerit de præconcepto incestu à fratre suspicata, quem coluerat ipsa pudoris florem, censuit eundem in fratre succrevisse Amnone. Id cuilibet à natura insitum, ut similem sibi quisque alium arbitretur; neque scelus veretur ex alio nasciturum, nisi qui illud pluriès peperit. Hinc Joseph cum studiosiùs florem excoluisset castitatis, & lilium pudicitiæ in ipso floruisset, eodem ornatam flore salacem crediderat mulierem, proinde cùm mulier molesta ei esset, *ille recusabat stuprum.* Quia proprio functus Oeconomi officio, seu otij

fugâ præmunitus, omnes retundebat concupiscentiæ stimulos.

25. Plurimum interest ad castitatis culturam io id attentiùs incumbere, quod ex officio ei congruit, Hinc Salomon Deum alloquens commendat divinam misericordiam in Patrem suum, eò quia ambulaverit in veritate, & justitia inquiens: *Tu fecisti cum servo tuo David Patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, & justitia, & recto corde tecum.* sed quid? quòd Salomon non recenseat præclaras alias virtutes, iu quarum cultura egregiè se ejus Pater David exercuit? quid? quòd insignis non meminerit pœnitentiæ, quâ cinerem tanquam panem tomedit, & lachrymas, ut merum bibit; cilicij, quod induit; orationis, quâ dœmonem expulit; devotionis, quâ Psalmos & cecinit, & scripsit; regiæ munificentiæ, quâ templum designavit; pietatis, quâ in fundendis precibus pernoctavit, lusitque coram Arca; & fiduciæ, quâ lapides pertulit? Quid, quòd Salomon insignes has non commemoraverit patris sui David virtutes? nimirum quia tunc cum Deo loquebatur de patre suo, ut Rege. Idque causæ cur veritatis duntaxat, & justitiæ meminerit; cilicia enim, & cineres insignia sunt virtutis; sed quæ magis civem inter domesticos parietes, vel Religiosum in asceterio decent, quàm Principem in throno sedentem: ea sunt in Rege commendanda, quæ & Regem decent, & Regnum juvant, & subditis prosunt. Sunt autem hæc præ cæteris veritas, quæ perinde, ac prævia fax debet Regi iter, viámque ostendere, quâ eundum sit, ut in veritate ambulet, & nunquam deflectat ad nequitiam: hæc enim est illa virtus, quam præ cœteris debent Reges diligere, ut rectè dirigere suos possint subditos: veritati autem justitia associatur; sine qua Principes non haberent subditi, sed Tyrannos: quia igitur eas David attentiùs virtutes excoluerat, quæ Principem decent, & Regem exornant, & earundem cultura rectè fuerat functus officio; ideò Salomon ejus filius cæteris omissis virtutibus solius meminit veritatis, & justitiæ, quibus Regio satisfecerat officio.

3. Reg. cap. 3.

26. Idque causæ cur Isaias nuntiaturus Ezechiæ funus, non eum ad luctus, ad lachrymas fuit cohortatus, sed ad Codicillos inscribendos, & congerendos, quibus domui suæ, & regno benè prospiceret. *Hæc dicit Dominus Deus præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives:* sed si mox erat moriturus, cur non potiùs ei suasit lachrymas, quibus contractas delictorum lavaret sordes, & propriam purgaret conscientiam? cur non ei præcepit veri doloris excitationem, ut quidquid iniquitatis superrerat, deleretur? cur non eum excitavit ad flammas veri amoris accendendas, quibus pravum quodque superstes absumeretur? quia nimirum majoris est momenti, si Rex mox moriturus res suæ domus, ac Regni ritè disponat, quàm ut lachrymas effundat. Ideóque ab acturo animam maluit Deus Regni sui, ac domus dispositionem exigere, quàm ad luctum, cinerémque eum adigere: quia rectè disponendo de propria domo, & regno regio fungitur officio, propriæque satisfacit obligationi, quod procul dubio præferendum erat lachrymis, cineri, & cilicio.

4. Reg. cap. 20.

Fungatur quisque proprio officio, suo non desit muneri, & Numen ope sua ei præstò erit, ne deficiat in reliquis: quia enim Joseph fugâ otij proprium exequebatur officium, Deus tantam ei fuit gratiam impertitus, virésque elargitus, ut potuerit libidinem prosternere, & gloriosum triumphum de falace referre muliere; respondit enim allicienti ad turpia fœminæ, *quomodo possum hoc malum facere.* Vox illa *quomodo* non audentis, sed abnuentis est castitatis cultoris; vox est nolentis, non indignantis. Non fremuit, quòd salax fœmina id ab ipso exigeret, sed tantùm stimulum voluit retundere, inquiens: *Quomodo possum hoc malum facere*, cùm à Deo inhibeatur; imò quamvis possem, adhuc mœchari nollem, quia mori mallem, quàm Domino meo injuriam hanc inferre; sed quia libido flos non est, qui flante aura inclementiore languescat, virésque deperdat semel compressus; sed est veluti annosa quercus, quæ vix securi exciditur, imò & pullulat succisa: siquidem in nemoribus, sylvarúmque secessibus passim fiunt nobis excavatæ arbores obviæ, ac semiustæ, quas vitere, & vivere simul videmus, ac posse hiatus illos semiustos cum sæculis de vita certare; ita & libido furere, ac ferueree etiam in cinerario didicit, ideóque oon destitit salax mulier repulsam passa, adolescentem demulcere verbis, quibus ad turpe pertraheret facinus. *Hujuscemodi verbis per singulos dies mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Quia libido si semel altiùs radices egerit, nisi radicitùs evellatur, funditùsque ab omni spe excindatur feracior æquè, ac ferotior semper repullulat. 27.

Genes. 39.

Genes. 39.

Sed cùm salax mulier oil verbis profecisset suppetias, è manibus poposcit, ac laciniam apprehendit vestium, ne corpore diffugeret, qui semper abnuerat. *Apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret dormi mecum*, cùm enim frustra sæpius verbis velitata esset procax mulier, machinas maluit graviores adhibere, quàm spe cadere, ideóque & ore simul, & manu reluctantem aggreditur; sed pugnante fœminâ duplici obarmata belli machina, non tamen expugnatur castitatis cultor, qui non tantùm vicit, quia fœminam repulit, sed & eò gloriosior triumphavit, quò victor de duplici machina evasit. Tametsi Ægyptia mulier non se prosti- 28.

Genes. 39.

prostitueret, non amplexu teneret adolescentem contenta fuit oram comprehendisse ejus chlamæ, seu chlamydis: & ita salax mulier Josephum vnlnit contingere, ut Hemoroissa JESUM attingere: utraque mulier contenta fuit sola fimbria; sed hæc ut convalesceret; illa ut periret. Grandem sibi Joseph pudicitiæ culturâ reverentiam conciliaverat, hinc mulier licèt peccatura, eum duntaxat attigit, perinde ac Hemoroissa Deum tetigit adoratura. Nemo ampliùs, se excuset, si pellectus à fœmina, in cœnum delabitur libidinis, qoia si ejus fulsisset pudor, nonnisi levissimè mulier eum vellicâsset. Cavendum tamen etiam à levi tactu, quia sicut scintillæ, quæ flatu diventilatæ vehementiori extinguuntur; & leni afflatu foventur, nutriuntúrque, donec flammas concipiant, & incendium excitent: ita libidinis flagitia plerumque fortiùs modestiâ, quàm pervicaciâ succenduntur. Aconita tametsi amputata adhuc exradicibus, quas altius fixerunt uberiori dicuntur feracitate repullulare; & ferro excisa Lernææ Hydræ exuberant capita: ita libidinis cristæ amputatæ succrescunt, nisi & pedes, & radices excindantur, pœnitùsque evellantur; alioquin difficulter è domo impudica castus evadit.

§. IV.

Fugienda sunt lenocinantis muliercula blandimenta: laquei sunt, ac compedes, quibus diffugere nequeunt ab Orco, quotquot ijsdem illaqueantur.

39. AUdierat Rex Jerichontiuus Exploratores Hebræos domum Rahab meretricis fuisse ingressos. *Misítque Rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te.* (Josue c. 2. num. 3.) Quid? quòd Rex ipse accelerato gressu non accessit festinus ad domum illam armorum vi viros ab ea expulsurus? cur potiùs milites ad ostium, & per domûs angulos vigiles non divisit excubitores, ne fortè diffugerent? an quia nec suspicio Regis pulsare animom valuit, potuisse juvenes irretitos in domo meretricia, pedicisqoe illaqueatos concupiscentiæ diffugere, ac suas manus evadere? adeò difficulter à luxuriæ laqoeis se juvenes eximunt, si semel siverint se à procacis mulieris demulceri lenocinijs. Idque causæ, cur meretrix dixit: *Intexui funibus lectum meum*, (Proverb. 7.) quia nimirum meretricis lectus plenus est laqueis, à quibus nec Samson scivit se extricare. Væ ijs, qui hosce incidunt in laqueos! quàm difficulter interitum evadunt; quia mulieris aspectus animam inflammat, cor incendit, viscera stimulat, mentem obcæcat, affectus depravat, libertatem minuit, lumen gratiæ extinguit, totúmque deturpat, delétque virtutis ornatum; habeatúrque propterea pro miraculo, si luxuriæ inter æstus valeat, quis salutem consequi.

40. Idque causæ, cur D. Remigius vim exaggerans libidinis asseruerit; demtis parvulis, & adultis paucos salutem consequi, quia si turpi hoc ardeant libidinis igne juvenes facilè pereunt, nisi ope divina resipuerint, & quas contraxerunt fœditates, lachrymis eluant: opus nimirum est Altissimi è libidinis flammis evadere; hinc ad Hebræos. *Fide Rahab meretrix, non perijt cum incredulis*, libidinis igne æstuaverat Rahab, flammis adusta luxuriæ in fœdum rebellantis concupiscentiæ instrumentum cudebatur, & tamen adhuc salutem consecuta est animæ, & non perijt cum incredulis, sed id nonnisi auxilio supernaturali, & ope divina; & grande fidei prodigium reputari debet, quòd non perierit: *Fide Rahab meretrix non perijt*: (Cap. 11. num. 3.) fides ad saniorem retraxit frugem, quam luxuria cœnosum dejecerat perditionis in baratrum; & fides salvavit, quam libido fide destitutam perdiderat: ut enim ait D. Ambrosius. *Ubi inceperit quis luxurari, incipit deficere à fide vera*, (Lib. 4. epist. 1.) & de resipiscente Magdalena ait Christus Matth. 26. *Ubicunque prædicatum fuerit evangelium, hoc in toto mundo dicetur, quòd hæc fecit*, cùm enim mulier æstuâ assueta libidinis resipuerit, ac didicerit frigere concupiscentijs, ut sanctiore arderet flammâ, idque veluti prodigium habetur, dignum propterea quod in toto orbe prædicetur.

41. Compedes luxuria injicit non fugientibus, sed hærentibus, ac audentibus juvenibus, qui si semel hos laqueos incurrant, nonnisi ope divina possunt ijsdem extricari, & quòd resipiscant, sanctiore ardeant charitatis igne, castitatem excolant, pietati studeant, par prodigio habetur. Æstuare qui assuescit impuro libidinis igne, febri laborat malignante, quâ totus inficitur homo, inducitúrque ad interitum; mortuúmque proinde jam censeas, quem libidinis infecit turpitudo: non sinit libidinis fœditas, quos inficit, vivere: hinc de domo illa, quam ingressus fuerat impudicus, ait Salomon. (Proverb. 9.) *Ignoravit, quòd ibi essent Gigantes*, ubi alij legunt: *ignorat, quòd ibi sint cadavera*, quia in domo meretricis adeò præpotentes sunt impudicitiæ, ut Gigantum instar prosternant quotquot meretriciam ingrediuntur domum: vulnerant enim oculi meretricis, sauciant dulcia verba, interimunt fœdi amplexus, & tot sunt ibi cadavera, quot libidinum inficiuntur fœditatibus, & rectè cadaveribus pariantur, qui meretricibus adhærent: quæ enim frigescente notantur in cadavere, hæc in lasciviente deprehenduntur: cadaver nec cœlom suspicit, nec terræ pericula videt, nec proba audit consilia, quia oculos æquè, ac aures

clausit:

clausit: non loquitur, quia lingua spiritu destituta moveri nequit; non ambulat, quia pedes motui inepti sunt: quódque deterius fœdis æstuans libidinibus, ac lascivijs assuetus oculos non ampliùs cœlo aperit, ut resipiscat; neque terræ pericula videt, quæ fugiat; neque proba consilia audit, quæ exequatur: manus non movet ad opera lancta, & nonnisi fœtidissimè olet; perinde ac cadaver putrescens: hæcque causa, cur Magdalena domum ingressura, in qua Salvator assideret alabastrum secum tulit; non tam ut fœtorem extingueret præcedentium libidinum; verùm, & ut gratum adstantibus odorem spargeret vitâ sequentis resipiscentiæ. *Et domus impleta est ex odore unguenti*, cùm fuisset impudica, perinde ac cadaver putruerat, non quatriduanum tantùm, sed pluribus jam dilapsis annis fœtidum; providè igitur gratos secum odores tulit, quos munifica diffunderet largitate, ut antiquæ turpitudinis fœtor prorsus abscederet. *Joan. 12. num. 4.*

32. Fugiant, quotquot fœtida hæc horrent cadavera: procax mulier solo toxicat aspectu, Basilisco deterior; & si tactum adjiciat, fœdè interimit; caditque exanime cadaver, qui studio castitatis, & beneficio fugæ steriisset: adeò pauci sunt, qui mortem hanc evaserint, ut summis prosequantur encomijs, qui inter concupiscentiæ æstus laqueis lasciviæ irretiti, puriores exierint: hinc benedictiones in filios Jacob dispertiens Moyses, sermonémque ad Josephum dirigens, dixit: *Benedictio illius, qui apparuit in Rubo, veniat super caput Joseph.* *Deuter. 33. num. 4.* Sed cur fit de Rubo mentio, cùm Joseph benedictione condecoratur? quia Rubus ille, quem Moyses vidit, urebatur quidem, sed non comburebatur; nimirum flammis circumdatus illæsus servabatur, id quod Moysi prodigio fuit, accesseritque statim propiùs flammeum visurus spectaculum. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur Rubus:* *Exod. 3.* Joseph ardente Ægyptia muliere concupiscentiæ flammis, non incenditur, non comburitur; flammas ejaculatur lenocinans mulier, ignes spargit illiciens fœmina, incendia excitat procax adultera; adest Joseph, igne non læditur, flammâ non aduritur, incendio non cinefit; grande sanè prodigium Rubo suppar, qui flammis circumdatus, nil contraxit læsionis: quàm pulchrè igitur Moyses Rubi meminit, cùm impertitam Josepho describit benedictionem! An non suppar Rubo fuit Joseph, cùm flammis non succenderetur concupiscentiæ; nec faces libidinis, quas ejaculatur lasciva hera, quidquam lilio castitatis damni intulerint? prodigium id sanè singulare quod vel ipsius Moysis traxit curiositatem. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.*

33. Sed quid causæ, quòd cum flamma Rubo insedisset, nil ei damni, nil læsionis intulerit; & in uberem insiliens olivam huic non pepercerit, sed insita sibi voracitate absumpserit? *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Exarsit ignis in ea, & combusta sunt fructeta ejus*, *Jerem. 11.* cinefit olea ignis complexu, mortis umbras nacta cum splenderet igne: florescit verò Rubus in rosas, cum splendet flammis; ardet ad splendidiorem coronam, cum cingitur igne; uritur ad clariora decora, sed non comburitur ad detrimenta virgulti. *Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* *Exod. 3.* Triumphat in flamma Rubus; & oliva pulchra, ferax, fructifera, speciosa, perit in igne; quid causæ, quod non læditur rubus; & interimitur olea? quia nimirum rubus nativa sterilitate, fructuúmque inopiâ, ac nuditate incendium elusit; quod oliva sua pinguedine, ac humorum copia enutrivit. Ut triumpharet Joseph de libidinis flamma non Oleam, sed Rubum imitatus nudari voluit pallio, & abjicere superflua. *Qui relicto in manu ejus pallio fugit:* *Genes. 39.* nudari voluit integumento corporis, ne decore spoliaretur pudoris; reliquit pallium, ut teneret castitatem; vestium superflua abjecit, ne ut oliva igni pabulum suppeditaret: superflua sunt, quæ libidinem fovent.

34. In convivio Balthasaris delata fuerunt vasa aurea, & argentea *Daniel. 5.* Verùm ubi adfuit Gazarum copia, non defuit libidinis fomentum; sederunt siquidem mensæ fœminæ plures, & concubinæ innumeræ; vix abesse patitur à Plutone divitiarum Numine Venus libidinum fomes. Nulla ex Reginis opulentior Cleopatra fuit, sed nulla eâ incestior. Divitijs affluxit Salomon, sed delicijs etiam carnis diffluxit, & appetens fuit concubinarum, qui cupidus erat divitiarum. Nec putârim delirâsse Poëtas, cùm à Plutone raptam finxêre Proserpinam, fœdóque violatam stupro. Numen fingitur Pluto divitiarum, ideò malè tuta Virginitas Plutoni associatur, quia inter opes vix securitas pudicitiæ promittitur; arescit in puellis flos castitatis, si semel auri admiserit splendores; ídque etiam Ethnicis innotuit Poëtis, cum Danaën aureo effinxerint corruptam imbre: divitias, si subtraxeris, & pallii superflua cum Josepho abieceris, castitatem fortiori cingis propugnaculo.

35. Quamdiu superflua vestium non admiserunt in terrestri deliciarum paradiso Protoparentes Adam, & Eva, tamdiu intemeratum servârunt pudorem; quem cum nudi non violâssent, cùm primùm vestes admiserunt, eum amiserunt. Exivit Joseph spoliatus vestium superfluitate ex allicientis mulieris conclavi, sed indutus castitate. Egressus fuit sine pallio, quia ingressus cum lilio castitatis, florem hunc custodivit fugâ: & fortassis pallium dimisit, ut nos erudiret nil pudicitiæ tam consentaneum esse, quàm inopiam, quia sicut succenditur, alitúrque

sibi-

libido divitiarum copiis, ita rerum abdicatione pudor vegetior succrescit: & hæc fortassis causa, cur Lucas octo Christi Beatitudines ad quatuor duntaxat contraxerit cæteris omissis, quas inter, eam etiam omisit, quæ de pudore est, cordisque munditie; his tantùm recensitis, quæ ad corporis inopiam, & afflictionem pertinent. Luc. 6. *Beati pauperes: Beati, qui fletis: Beati, qui esuritis: Beati, cùm vos oderint*, & tamen Matthæus silentio noluit eam præterire, quæ cæterarum Beatitudinum est splendor, ac veluti sol suos delegans nitores, quibus reliquæ splendeant. Matth. 5. *Beati mundo corde*: si puritas mentis, & mundities cordis cæteras condecorat Beatitudines, cur Lucas hanc reticuit? quia cùm recensuisset paupertatem, satis existimavit explicuisse cordis munditiem, quia ubi esuries, ibi castitas; ubi inopia, ibi mentis puritas; ubi egestas, ibi cordis mundities, & castitas: est enim hæc flos, qui nonnisi sterilescente amat in solo crescere, ac vernari, est sidus, quod fulget in noctis squalore, vix idem mendicus erit, & mœchus: cùm igitur recensuisset Lucas paupertatem, & alias Beatitudines afflictiones corporis invehentes; satis pudicitiam insinuavit, cùm hæc nullibi vegetior efflorescat, quàm in sterilescente tellure, imbre duntaxat lachrymarum irrigua.

36. Hæc sponsæ causa fortassis fuit, cur Sponsum suum lilio pariaverit in imo vallium florescenti, Cant. 2. *Et lilium convallium*, imò descripsit sponsum non tantum candore lilii exornatum, sed dumetis etiam coronatum: *Sicut lilium inter spinas*. An non asperitate dumorum, valliúmque declivitate vividè status exprimitur ærumnosus, & imago exhibetur inopiæ. Valles tamen humiles, licèt frugum sint egenæ, liliorum tamen sunt feracissimæ; nullibi lætius florent lilia castitatis, quam ubi tellus frugum laborat inopia, & spinarum, seu ærumnarum abundat acuminibus. Isaiæ 35. *Lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium*. Quam pulchrè innuit, pudorem inter rupes sterilescentes efflorescere vegetiorem. Est castitas flos, qui nutritur jejunio, rigatur lachrymis, gliscit siccitate, colitur neglectu, & fovetur inopiâ.

37. Nullus è floribus, qui minorem prodat foliorum pompam, sicut lilium, licèt celsitate, & candore cæteris præcellat; nulli certè florum excelsitas major, cùm plures interdum cubitos æquet, licèt languido semper collo, & impare capitis oneri ob caulis inopiam, & tenuitatem: ejus tamen candor eximius est, quem exhibent folia foris striata, & ab angustijs in latitudine gradatim se se laxantia in effigiem calathi resupinis per ambitum labris, tenuique filio, & semine stantibus in medio croci. Gaudet igitur inopiâ lilium castitatis, cùm ejus candor collo innitatur, impare capitis oneri. Eximius hujus floris cultor fuit Elias profugus per deserta loca, & invia, sed ideò castus, quia inopiâ laborans, vestitur melote, potatur aqua, tenuissimè nutritur à vidua, subtus Juniperum sedet, lachrymas fundit, jejunia protrahit.

Pudicissima fœminarum fuit Rebecca, 38. sed cum hydriâ exiret aquatum; castissima Rachel, sed cum greges ad fontem duceret; imò etiã in Ethnicismo hac virtute splenduit Romæ Lucretia, sed cum lanificio vacans, noctes duceret insomnes: cæterum ubi serica, & bombycina velleribus successerunt; etiam vestes pretiosæ, ac ornamentorum luxus libidinem foverunt; tunc Juliæ, Agrippinæ, Popææ, & aliæ fœminæ fœdis se libidinibus coinquinârunt, quia divitijs, & delicijs affluxerunt: quia sicut inopia pudicitiam tuetur, ita copia rerum pudorem prosternit; hinc ipsa sponsa quamdiu in domo cupressina tignis suffulta Cedrinis mansit, titulo non fuit insignita columbæ; sed tantùm cum saxa cœpit frequentare, & in rupibus degere: *Columba mea* Cant. 2. *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*: tunc candorem induit columbæ, cùm pompam exuit ornatûs, tectísque digressa auratis, antra petit, rupiúmque concava, ac saxorum hiatus, ubi frugum inopia lautiùs castitatem alit: adeo agnata candori est egestas, ut sponsa cùm primùm in foraminibus petræ, in caverna maceriæ incipit inopiam experiri, ex muliere transmigrat in columbam. *Columba mea in foraminibus petræ*; Cant. 2. quàm tutè efflorescit lilium castitatis, ubi petræ suos laxant hiatus, vacuitate, & inopiâ tantùm ditescentes.

Ubi divitiæ, ibi castitas prostituitur; 39. & vitia triumphant, ídque expertus fuit prodigus adolescens, qui non alia de causa pudicitiam procul à patre prodegit, nisi quia non eguit; divitijs enim affluens, vitijs indulsit; substantia sua opulentus è patria, & domo excesserat. *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*: Luc. 15. nimirum petijt auri nitorem, quo in squalore sordesceret vitiorum; nobiliores exegit vestes, ut candorem exueret pudicitiæ; plura petijt nummorum pondera, quibus puritas premeretur, ac succumberet, & ipse adolescens in cœnum prolaberetur vitiorum porcis associandus: & tunc tantùm resurgere è cœno cœpit, cùm famis, paupertatisque suffragio incepit indigere; tunc ipsum puduit suarum libidinum, tunc seriò cogitavit de paterna domo repetenda. Desipuit Dives, & resipuit pauper. *Et ipse cœpit egere*: Luc. 15. nimirum paratum in glande resipiscentiæ portum invenit, qui in aurum allisus, fluctibus exagitatus, æstuantis concupiscentiæ naufragium passus fuerat.

Hinc Joseph Patriacha castitatis in- 40. demnitati prospecturus etiam pallio se expoliavit: ea enim est indoles castitatis, ut si tunicâ nudetur, fortiori muniatur integumento. Proinde *relicto in manu ejus pal-*

Genes. c 39. *lio fugit, & egressus est foras.* Cum Joseph se ab alliciente muliere obsideri sensisset, non verbis ejus coërcuit assultus, sed silentio petulantiam compescuit; cùmque mulier iteratis precibus, turpia non potuisset in sua vota flectere adolescentem, non amplius voce, sed fortiori usa machinamento manibus castitatis cultorem aggreditur, qui tamen suppetijs, & ipse, à pedum fugâ petitis suo egregiè consuluit pudori, & mulieris lasciviam pallij jactu, orisque silentio delusit: pugnavit manibus mulier profligatura castitatem, sed Joseph pedibus libidinem expugnavit: est hæc aspis, quæ si non tangatur, proteritur, ideóque in hac pugna à sola fuga petenda sunt arma.

§. V.

In castris Veneris is fortiùs pugnat, qui celeriùs fugit, gloriosiùs triumphat, si quavis disruptâ morâ terga vertat hosti. Libido hostem non timet, nisi fugientem; & Dei præsentiâ, & timore munitum.

41. EA est libidinis natura, quæ si blandicijs demulceatur, sævit crudelior; si manibus apprehensa teneatur, liberior insolescit: nec alium timet hostem nisi fugientem: non enim luxuria gloriosiùs superatur, qoàm beneficio fugæ: pugnandum cum ipsa est more Parthorum, qui in pugnis fugientes, & tela jacientes insequentes hostes didicerunt prosternere, de quibus Virgilius: *valentémque fugâ Parthum.* (8. Aeneid.) Si castitatis cultor pugnam ineat contra procacem mulierem, æstuantémque libidinem fugiat statim, ut ad triumphum properet; si enim armatus ei occurrat, prosternitur. Hinc invictus ille Athleta S. Hieronymus *lib. adversus Vigilant.* ait: *Fateor imbecillitatem meam, nolo spe victoria pugnare, ne perdam aliquando victoriam.* Non tamen imbecillitatem dixeris, quam cautionem esse, ac veræ fortitudinis characterem noveris.

42. Ad hanc victricem fugam indicandam noluit Deus in Sodomis Lothum remanere, quem facilè potuisset incolumen inter flammas servare, cùm & pueros illæsos in camino ignis conservaverit: sed noluit ipsum remanere, sed discessum eidem injunxit, fugámque præcepit. Quia cùm in Sodomis libido suas enutriret flammas; ne castitas ibi cinerescceret; non manu pugnandum, sed pedibus declinandum erat, quod imminebat periculum: voluit Deus nos edocere, libidinis discrimina tutiùs non declinari, quam beneficio celerrimæ fugæ: hæcque causa, cur uxorem Lothi nec momento quidem subsistere voluerit Sodomis, sique etiam inhibuerit retrò aspicere; & (Genes. 19.) quia id neglexit, salis in statuam hæsit conversa, ut propriæ, & alienæ insipientiæ exhiberet condimentum, quo homines meliùs saperent: fuga enim, quoties de luxuria agitur, ita arripienda est, ut quavis disruptâ morâ statim solicitato pede aliò castitatis cultor se transferat: est enim libido de stirpe Anthæi, si manibus apprehendatur, prematúrque, fortior pugnat, & si cadat, vegetior surgit; imò tunc triumphat, cúm prosternitur; stat valentior, cùm cadit. Quàm monstrosum prælium, ubi palmas colligit libido, si manibus capta teneatur; ad victoriam surgat, si prostrata ruat: ideò Joseph non manu pugnare voluit, sed pede fugæ beneficio ad victoriam fugiendo currere. Imò non satis sibi consultum censuit, si tantisper à fœmina abscederet in remotiùs se se conclave domûs recipiens; sed ipsa excessit domo, ne quam solicitato cursu fugeret, videre, & audire posset, ratus tamdiu fœminam ab incepto non destituram, quamdiu, quem deperibat, domi odoraretur.

43. Procul igitur à libidine abscedat castitatis cultor, & vestes potiùs, totámque supellectilem deperdat, quam castitatem exuat. Exivit non solùm è procacis mulieris conclavi Joseph, sed è domo tota. *Et egressus est foras*, (Genes. 39.) & quidem sine pallio, sed non sine lilio: sed cur fugiens contra procacem mulierem non clamavit; cur pudor tam tenax fuit silentij, ut ad repudium flagitij, ne quidem ausus fuerit loqui, & digressus è castris libidinis, nec unum quidem contra aggredientem fœminam verbum protulerit? An quia sciret tunc mori non posse pudicitiam, cùm à quovis abstinet verbo? & ideo insignis cultrix castitatis Judith extitit, quia secreti tenacissima, in silentio suis cum ancillis commorata fuit seclusa à quovis strepitu famulorum. A deò procaces odit pudor mulieres, adeò libidinem aversatur, ut nec ullum proferre audeat verbum, quod lasciviam oleat

44. Quòd si Joseph de fœmina libidinis flammas ejaculante, sibíque molestissima non fuit oblocutus; unde in nobis tam laxa obloquendi licentia, ut nec lilijs ipsis linguâ parcamus? Neque excusantur, qui amore pudicitiæ se in profanos amores oblatrare asserunt; quis enim attentiùs lilium excoluit castitatis, quàm Joseph? & tamen, nec carpere mulierem adulteram voluit, nec verbum ullum depromere, quòd fœminam sobindicaret. Verus castitatis cultor ab impudica hera celeri pede recedit, non impudicam verbis carpit: qui castitatis est lilium, alios non pungit, sed odorem infundit, quo cæteri ad culturam hujus floris alliciantur. Non lilium est, qui alios libidinem olentes lacerat, sed rubus dumosus vulneribus infligendis, quàm floribus depromendis aptior. Olores quia pudicitia insigniuntur

can-

candore, unguibus carent, quibus accipitres grassantur. Ex herbis, quæ Basilica audit, odorem diffundit, quo manum perfundit, si tangatur; sed urtica est, quæ solo contactu vulnerat, & ideo non benè olet, quia malè vulnerat tangentem

45. Sunt, qui gladio linguæ proximi honorem vulnerant, si aliquam duntaxat sentiant libidinis suspicionem; & hos ijs haud suppares dixeris vaporibus, qui è fimeto subsilientes in sublime quidem avolant, sed, ut nubes candore pellucidas, vel infuscent, vel discindant, arméntque, vel fulmine, vel grandine in terræ incolas. Fidendum non est hisce vaporibus, ex quibus fulgura cuduntur; tametsi in cœlo sint, è cœno tamen prodijère; & quia in cœno nati, & in cœno armati, & obmurmurant in cœlo; ubi diu stare nequeunt, quin iterum nativum repetant cœnum. Caveat castitatis cultor, ne in sublime elatus obmurmuret, incusétque fœtido scelere, quos noverit suspicione non carere libidinis: Josephum intueatur, ejúsque imitetur exemplum, sequatur vestigia; qui, lilium ne perderet, pallium maluit amittere, quo mulieris obtegeret libidinem, occultaret scelus, palliaret adulterium; nullum contra procacem fœminam verbum protulit, ne quam fugeret pede, linguâ læderet; non clamavit fugiens, sed fugit, *& egressus est foras.* Castitas ritè exculta turturibus associatur, qui alis muniuntur ad volatum, & fugam; non unguibus obarmantur ad vulnera, & lacerationes: avolant turtures, non lacerant: fugiunt, qui castitatis culturæ sunt addicti solicitato pede, non lædunt armatâ linguâ, non verberant mordacibus verbis.

46. Præcipuus castitatis decor in tergo, non fronte splendet; in dorsi posterioribus floret, non in uberibus pectoris, ideóque Jssæus Vates in sola fuga totum pudicitiæ admiratur ornatum. *Penna columbæ deargentata, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*, quia tunc aurea, ac pretiosa est pudicitia, si humeros, tergúmque vertat lenocinantibus fœminis; si ab illis Euro ocyus recedat, non ad eas aurâ adblandiente accedat: non pectus pugnaturæ procaci mulieri objicit, in castris, qui militat castitatis, sed posteriora dorsi, & quidem in pallore auri, seu in timore sancto ostendit duntaxat in fugæ volatu: tunc columba est pennis vestita deargentatis, quando alas duntaxat explicat ad fugam, dorsúmque objicit ad victoriam, non rostrū aperit ad clamorem; neque ungues acuit ad vulnus; tunc castitati triumphus portenditur, si abscedens taceat. Psal. 67.

47. Sed cur Joseph cum fratres apud patrem Jacobum de crimine pessimo incusaverit; procacem mulierem intentati non accusavit adulterij? quia nimirum fratres illi erant; hæc Hera; num voluit nos docere summam in imperantes reverentiam, cùm nec garrire in fœminam voluit, nec verbo ejus redarguere impudentiam? quin & pallium ultro reliquit, quo fœditatem obtegeret suæ libidinis? Castitatis studiosi, si socios viderint prævaricantes eos redarguant, ut resipiscant; sed simul pallio eos obtegant, ne cæteris sint probro. Maluit Joseph mulieris latere ignem, quàm propriæ virtutis prodi splendorem; non designavit in muliere cicutam, ne efflorescens ipse appareret lilium. Viro casto sufficit, si fugæ, ac volatûs beneficio phœnicis instar è rogo avolet mœchaturæ; nec infamiam quærit peccantis, dummodo è manibus exiliat fœminę petulantis, quis superbiam timet, ac lasciviam veretur: lasciviæ enim, nisi quis Epicuri de grege porcus sit, tandem refragatur: superbiæ autem tametsi Angelus quis esset, adhuc succumberet: & quia Joseph mulierem Ægyptiam ream non convicisset adulterij, nisi se dixisset intemperantiæ victorem; voluit fugâ, & silentio abscedere, ut mulier careret supplicio, & ne ipse de victoria beneficio fugæ delata superbiret: imò tacuit castitatis cultor, quia mulier libidinum excitatrix, non tacuit; & calumniâ lacessitus fugitivus Joseph, noluit convictantem accusare, quia castitatis cultor loqui nescit de obloquente, ut sciat per fugam de lenocinante fœmina gloriosiùs triumphare.

48. Satis illuxit Josephi victoria in fuga illa, cum invitatus ab Hera lenocinante, prehensúsque lascivientibus manibus non pallium solùm exuit, ne castitate spoliaretur, sed è domo tota, conspectúque fœminæ citus aufugit: nec minori laude de flammis triumphavit ille libidinis, quàm tres pueri de igne ardente in fornace Babylonis: illæsus evasit beneficio fugæ Joseph è flammis libidinis, quas procax mulier fornacis instar accensæ concupiscentiæ ejaculabatur: illæsi quóque exilierunt è babylonicæ fornacis igne pueri: pulchrè S. Chrysostomus. *Profectò non tam admirabile in fornace Babylonis mihi videtur, quòd tres pueri illæsi ibi permanserint; quàm admirabile hoc & rarum, quod tantum certamen justus Joseph sustinuerit:* verùm sicut castitatis candorem in delicijs habuit Joseph, ita turpitudinis sordes exhorruit: & sicut nonnisi lilijs fuit delectatus; ita libidinis fœtorem toto animo fuit aversatus: ut florem pudoris, quem excoluit, intemeratum servaret, impollutum custodiret, duo observamus remedia adhibuisse, quorum primum fuit sibi præsentem proponere Deum; propterea dixerat Heræ ad turpia allicienti: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Secundum fuit occasionis technas fugere, ne fortè implicaretur. *Relicto in manu ejus pallio fugit:* quia ut scitè D. Cyprianus: *Nemo diu tutus est periculo proximus; nec evadere diabolum servus Dei poterit, qui diaboli laqueis implicatur.* Homil. 62. in Genes. Genes. 39. Genes. 39.

49. Quod verò ad primum attinet remedium, illud certè vitijs omnibus devitandis, omnibúsque animi ægritudinibus curandis præsentissimum est alexipharmacum, si ritè adhi-

adhibeatur, nemo enim ita est delirus, qui ante oculos potentissimi Judicis velit sancitas suas infringere leges: quotquot autem delinquunt, hi procul dubio coram supremo Judice Deo divinas transgrediuntur leges, cùm sit Deus ubique præsens, non per præsentiam, & essentiam tantùm, verùm & per potentiam, quâ potest statim delinquentes, si velit, punire, ut promeritas dent ilicò pœnas: hinc impossibile censuit David, posse aliquem peccare, si Deum Judicem, simúlque præsentem sciat, ideóque censuit fieri non posse, quotquot delinquunt immemores non esse Dei, quapropter loquens de (Psalm. 13.) transgressoribus divinæ legis ait. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, & Psal. 9. de peccatore vitijs coinquinato dixerat. *Non est Deus in conspectu ejus*, quòd cùm præmisisset, ut causam delicti postea subdit: *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

50. Dei præsentia fax est illa prælucens, quæ rectas ostendit semitas, quâ propterea qui non utuntur, vias obambulant iniquas, quarum lubricitate in foveam delabuntur gehennæ: ideóque de insanientibus illis senibus, qui sub canitiei nivibus ignes impudicos fovebant ethneis truculentiores, quíque vel è fontis frigidis laticibus flammas hauserant, quibus castitatem adurerent, & absumerent, dixit Daniel, (Cap. 13.) *declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum:* quia Numinis neglexerant observare præsentiam, & ab ejus se aspectu subtraxerant, oblivionémque illius ebiberant, quasi lethæis epoti undis memoriam, & Numinis, & virtutis extinxerant; & licèt senes; adeò tamen tocpè insenuerunt, ac insanierunt, ut vel ipsam canitiei nivem fomitem exhiberent lascivientis in præcordijs flammæ.

51. Si præsentis Numinis Majestas in mentem recurreret, certè timor Dei pravos omnes statim coërceret affectus, nec sineret hominem peccare; idque causæ, cur David enixim Numini supplicaverit, ut timore hoc sancto singula ejus configerentur membra, ne latum unguem à divina abscederet (Psalm. 118.) lege *Confige timore tuo carnes meas à judicijs enim tuis timui.* Sed si timet David à judicijs Dei, jam Deum ipsum timet, cur igitur timorem exposcit? *Confige timore tuo carnes meas:* nimirum hunc eundem timorem, quem de Deo in se præsentem rat, enixim petit, ut intimiùs in ejus anima, ac corpore infigatur, ut nunquam inde recedat: noverat enim eum peccare non posse, cujus carnes Dei timor configit; Judicem, qui timet, ejus expavescit judicium: unde David hunc timorem voluit suos edocere, ne dediscerent studia virtu(Psalm. 33.)tum. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, quia si solus timor Dei mentem occupet, omnia excutit peccandi desideria, compescit pravas cogitationes; quapropter D. Basilius inter saluberrima monita illud inter præcipua commendatum voluit: *Cùm te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Christi tribunal, in quo Judex præsidet*, quia si timoc Dei, & timor gehennæ altiùs hæreret animo, in eóque suas firmiùs radices ageret, non perturrerent pedes lascivientes vias iniquitatis, quia ut rectè monet Zeno Veronensis, *non habet concupiscentia locum ubi mors, & gehenna timetur.* Extinguit ignis gehennalis ignem cupidineum, ut scitè monet D. Isidorus de summo bono, inquiens: *Recordatio ardoris gehennæ ardorem extinguit luxuriæ*, (Lib. 2. cap. 39.) nil enim efficaciùs impuras æstuantis concupiscentiæ flammas coërcet, ac sedat, quàm timor gehennæ, ignisque æterni, qui urit semper, extinguiruc nnnquam.

52. Etiam D. Thomas eximius castitatis cultor adhuc adolescens cum à prava muliercula ad turpia invitaretur accenso voluit titione armari, cujus flammas, cùm primùm in procacem, ac lascivientem vibrâsset fœminam, hoc igne impuros extinxit libidinis ignes. Quis concupiscentiæ licèt exardeat æstu, non frigeat, cùm primum æternus gehennæ ignis ejus memoriam retricat. Ethna si quis sit, impuris ignibus fœtus, ad solam æterni ignis memoriam, si sensus habet, Caucasus fit perpetuo rigescens gelu: hic est timor ille ad victorias excitatus, non ad pusillanimitatem inditus; qui alas addit, quibus volucre ocyùs, custos, & cultor castitatis omnem effugit labendi periculum: nemo quamdiu luteum hujus corporis vas secum defert, éstque in hac vita mortali, securitatem potest sibi de ruina spondere; idque causæ cur Apostolus scripserit. 1. Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat:* quia ut expendens Apostoli verba D. Leo ait. *Nemo est tantâ firmitate suffultus, ut stabilitate sua debeat esse securus.* (Serm. 5 in quadrag.)

53. Timeat igitur, qui se stare credit, ne cùm stet, cadat: in castris autem libidinis ille cadit, qui stat; quia sola fuga victoriam spondet, & hanc qui negligit, & stare vult, minimè stat, quin verè cadat: stare timeant, qui cadere nolunt, ille non cadit, qui non stat, sed statim fugit; neque de stabilitate sua ullam sibi spondet securitatem, & ideo fugit, quia stare amat; & stat, quia timet cadere fœda prostratus libidine: scitè S. Petrus Chrysologus. *Longo studio seges seritur, sole, atque imbre diutino nascitur; sed tamen unâ ac subitâ scintillâ consumitur, & paulùper ædificia ad alta consurgunt, sed repentinis casibus terram petunt.* (Serm. [illegible])

54. Neque desunt exempla virorum sanctitate insignium, virtutum cultura illustrium, qui fœdè tandem corruerunt: neque debet quis proprijs fidere viribus; quia etiam Samson tametsi fortissimus miserè

miserè cecidit in sinu fœminæ exutus crine, & fortitudine: neque ob excultam virtutem ac pietatem, debet quis securitatem sibi promittere, quia etiam David fuit insignis virtutum cultor, quarum studio enixim incubuit; & tamen visâ lavante se in undis fœmina in summo palatij fastigio turpissimè cecidit, impurósque ignes è fonte illo frigido hausit, quibus castitatem adusit, totúmque virtutis denigravit decorem: neque propriæ fidat quis Sapientiæ, quia etiam Salomon licèt virorum Sapientissimus, cùm primùm mulieribus adhæsit, cœpit delipere, ac virtutes, quas excoluerat, prosternere, ac Sapientiæ nitores infuscare: imò neque Religiosus debet securitatem sibi spondere, quia tametsi niveum, vel lapideum se credat, etiam nives igni admotæ liquescunt, & solutæ flammas nonnunquam concipiunt, hinc S. Ambrosius sermone in festo D. Michaëlis ait: *Sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castitatem cooperta sunt universa.* De se ipso diffidat religiosus, à periculis singulis caveat, mulierum consortia fugiat, ut securus vivat; neque à præteritis victoriis argumentum debet de futuris inferre: plures steterunt in levibus qui postea in gravioribus ceciderunt, quia non timuerunt, non fugerunt; vir prudens pericula quæque & timet, & fugit, da Sapienti occasionem
Prov. 9. ait Salomon: *Et addetur ei Sapientia*, nimirum ea, quæ in occasionibus occurrentibus addiscitur; quia ut ait D. Cyprianus: *Gubernator in tempestate dignoscitur, & miles in acie probatur*, prudens Nauclerus charybdis fugit voragines, & scylleos declinat scopulos.

55. Ad secundum remedium quod attinet, quo castus Joseph impudentis mulieris delusit libidinem, beneficium fuit fugæ, Genes. 39. *Relicto in manu ejus pallio fugit*, quia ut scitè monet S. Cyprianus: *Nemo diu tutus est periculo proximus, nec evadere Diabolum servus Dei poterit, qui Diaboli laqueis implicatur:* quisquis lilio delectatur castitatis à fœminarum colloquijs se subducat, mulierum consortijs non se immisceat; flos castitatis cæteris est delicatior, facilè arescit, neque concupiscentiæ patitur æstus, ideóque solerti cautela excolendus, & custodiendus est, etenim ut pulchrè idem Cyprianus *de mortalitate* ait: *Pretiosa quæque vestis timidiùs custoditur, majori solicitudine possidetur; grandi cura, magna quæ sunt, servanda.* Hinc summus puritatis, & castitatis cultor Christus, pudicitiæ studium nobis persuasu-
Luc. 12. rus ait: *Sint lumbi vestri præcincti*, Lombos enim præcingere castitatis habetur symbo-
Homil. 13. in Evang. lum, quia ut explicat S. Gregorius Magnus: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam, per continentiam coarctamus.*

56. Sed cur in pudicitiæ tesseram, & castitatis symbolum lumbos præcingi jubet? quia nimirum lumbos qui suos præcinxit expeditior est ad fugam, velocior ad cursum, solicitius ad pericula interimendæ castitatis fugienda; & quia nullum tuendæ castitatis asylum fugâ tutius, ideo vult in nobis lumbos præcinctos, ut expeditiores ad fugam simus; & ne vestibus pedes implicentur in fuga: quàm probè cohæret lumborum præcinctio cum castitatis cultura, & custodia; ut intelligeremus, fugam nobis necessariam esse ad indemnitatem castitatis; & eum lilium prostituere pudoris, qui negligens lumbos præcingere ad celerem fugam non satagit, ut scitè monet S. Fulgentius in præcitatum textum
inquiens: *Omnis Christianus præcinctos habet lumbos, ut fugat libidinem:* is autem libidinem fugat, qui libidinem fugit; is florem castitatis secum ducit, qui à fœminarum colloquijs se subducit; is naufragia vitat, qui procacis mulieris charybdin devitat; quia ex sola fœminarum proximitate, arescit flos castitatis, & quasi pestem quandam contrahens emoritur; quod etiam nobis succinit S. Cy- Lib. de singularit.
prianus, qui fusè referens mala, quæ procacium mulierum invehit proximitas ait: *Perspicite, quanta mala feminarum propinquitas acquirat; ruinas ædificat, ripas eripit, præcipitia instruit, in periculis navigat, naufragijs velificat, interitum fovet.* Clericor.

§. VI.

Procaces mulieres, qui non fugit in evidens ruit discrimen, ubi castitas naufraga perit; & qui eas sequitur, nonnisi æternum exitium assequitur.

SUum exitium consequitur, qui procaces 57.
mulieres sequitur: in evidens corruit discrimen, in quo castitas ruit, qui fœminas non fugit. Est enim mulier præ nequitiæ, & malignitatis ubertate dæmoni haud absimilis, & Hugo Carensis Angelum Satanæ, à quo Apostolus Paulus se colaphizatum prodidit, mulierem fuisse autumat. Innumera propemodum sunt, quæ tam apud Ethnicos, quàm Christianos, imò etiam apud scripturas Canonicas afflante Deo exaratas congeruntur probra è fœminei sexus emersa nequitia: & Tiraquel. studiosè ostendit, cùm Ad leg. 9.
ex alijs, tum nominatim ex Ethnicis, septem connubij n. 5.
capitalia peccata in mulieribus præsertim præcellere. Congessit autem conclamationes, dirásque in sexum fœmineum præ cæteris Stobæus *Serm. 73. alias 71.* & nuper pleniùs, ac distinctiùs Lucas Holstenius: sed sufficit hic adjicere, quod huc spectat ex Antonii Monachi Mantissa *Serm. 122.* ubi ait: Secundus ille sapiens interrogatus, quid esset mulier, respondit: mulier est viri naufragium, domûs tempestas, tranquillitatis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua contubernalis, solicitudo assidens, leæna complectens, vorax charybdis, exornata scylla, siren venefica, animal malitiosum, malum necessarium.

adhibeatur, nemo enim ita est delirus, qui ante oculos potentissimi Judicis velit sancitas suas infringere leges: quotquot autem delinquunt, hi procul dubio coram supremo Judice Deo divinas transgrediuntur leges, cùm sit Deus ubique præsens, non per præsentiam, & essentiam tantùm, verùm & per potentiam, quâ potest statim delinquentes, si velit, punire, ut promeritas dent illicò pœnas: hinc impossibile censuit David, posse aliquem peccare, si Deum Judicem, simúlque præsentem sciat, ideóque censuit fieri non posse, quotquot delinquunt immemores non esse Dei, quapropter loquens de transgressoribus divinæ legis ait. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, & Psal. 9. de peccatore vitijs coinquinato dixerat, *Non est Deus in conspectu ejus*, quòd cùm præmisisset, ut causam delicti postea subdit: *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Psalm. 53.

50. Dei præsentia fax est illa prælucens, quæ rectas ostendit semitas, quâ propterea qui non utuntur, vias obambulant iniquas, quarum lubricitate in foveam delabuntur gehennæ: ideóque de insanientibus illis senibus, qui sub canitiei nivibus ignes impuditos fovebant ethneis truculentiores, quique vel è fontis frigidis laticibus flammas hauserant, quibus castitatem adurerent, & absumerent, dixit Daniel, *declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum:* quia Numinis neglexerant observare præsentiam, & ab ejus se aspectu subtraxerant, oblivionémque illius ebiberant, quasi lethæis epoti ondis memoriam, & Numinis, & virtutis extinxerunt; & licèt senes; adeò tamen turpè insenuerunt, ac insanierunt, ut vel ipsam canitiei nivem fomitem exhiberint lascivientis in præcordijs flammæ. Cap. 13.

51. Si præsentis Numinis Majestas in mentem recurreret, certè timor Dei pravos omnes statim coërceret affectus, nec fineret hominem peccare; idque causæ, cur David enixim Numini supplicaverit, ut timore hoc sancto singula ejus configeretur membra, ne latum onguem à divina absccederet lege *Confige timore tuo carnes meas à judicijs enim tuis timui.* Sed si timet David à judicijs Dei, jam Deum ipsum timet, cor igitur timorem exposcit? *Confige timore tuo carnes meas:* nimirum hunc eundem timorem, quem de Deo in se præsenserat, enixim petit, ut intimiùs in ejus anima, ac corpore infigatur, ut nunquam inde recedat: noverat enim eum peccare non posse, cujus carnes Dei timor configit; Judicem, qui timet, ejus expavescit judicium: unde David hunc timorem voluit suos edocere, ne desisterent studia virtutum. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, quia si solus timor Dei mentem occupet, omnia excutit peccandi desideria, compescit pravas cogitationes; Psalm. 118. Psalm. 33.

quapropter D. Basilius inter saluberrima monita illud inter præcipuâ commendatum voluit: *Cùm te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Christi tribunal, in quo Judex præsidet*, quia si timor Dei, & timor gehennæ altiùs hæreret animo, in eóque suas firmiùs radices ageret, non percurrerent pedes lascivientes vias iniquitatis, quia ut rectè monet Zeno Veronensis, *non habet concupiscentia locum ubi mors, & gehenna timetur.* Extinguit ignis gehennalis ignem cupidineum, ut scitè monet D. Isidorus de summo bono, inquiens: *Recordatio ardoris gehennæ ardorem extinguit luxuriæ*, nil enim efficaciùs impuras æstuantis concupiscentiæ flammas coërcet, ac sedat, quàm timor gehennæ, ignisque æterni, qui urit semper, extinguitur nunquam. Lib. 2. cap. 39.

Etiam D. Thomas eximios castitatis cultor adhuc adolescens tum à prava muliercula ad turpia invitaretur accenso voluit titione armari, cujus flammas, cùm primùm in procacem, ac lascivientem vibrâsset fœminam, hoc igne impuros extinxit libidinis ignes. Quis concupiscentiæ licèt exardeat æstu, non frigeat, tùm primum æternus gehennæ ignis ejus memoriam refricat. Ethna si quis sit, impuris ignibus fœtus, ad solam æterni ignis memoriam, si sensus habet, Caucasus fit perpetuo rigescens gelu: hic est timor ille ad victorias excitatus, non ad pusillanimitatem inditus; qui alas addit, quibus volucre ocyùs, custos, & cultor castitatis omnem effugit labendi periculum: nemo quamdiu luteum hujus corporis vas secum defert, estque in hac vita mortali, securitatem potest sibi de ruina spondere; idque causæ cur Apostolus scripserit. 1. Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat:* quia ut expendens Apostoli verba D. Leo ait. *Nemo est tantâ firmitate suffultus, ut stabilitate sua debeat esse securus.* 52. Serm. 5 in quadrag.

53. Timeat igitur, qui se stare credit, ne cùm stet, cadat: in castris autem libidinis ille cadit, qui stat; quia sola fuga victoriam spondet, & hanc qui negligit, & stare vult, minimè stat, quin verè cadat: stare timeant, qui cadere nolunt, ille non cadit, qui non stat, sed statim fugit; neque de stabilitate sua ullam sibi spondet securitatem, & ideo fugit, quia stare amat; & stat, quia timet cadere fœda prostratus libidine: scitè S. Petrus Chrysolugus. *Longo studio seges seritur, sole, atque imbre diutino nascitur; sed tamen unâ ac subitâ scintillâ consumitur, & pauliper adificia ad alta consurgunt, sed repentinis casibus terram petunt.* Serm. 12.

54. Neque desunt exempla virorum sanctitate insignium, virtutum cultura illustrium, qui fœdè tandem corruerunt: neque debet quis proprijs fidere viribus; quia etiam Samson tametsi fortissimus

miserè

miserè cecidit in sinu fœminæ exutus crine, & fortitudine: neque ob excultam virtutem ac pietatem, debet quis securitatem sibi promittere, quia etiam David fuit insignis virtutum cultor, quarum studio enixim incubuit; & tamen visâ lavante se in undis fœmina in sommo palatij fastigio turpissimè cecidit, impurósque ignes è fonte illo frigido hausit, quibus castitatem adusit, totúmque virtutis denigravit decorem: neque propriæ fidat quis Sapientiæ, quia etiam Salomon licèt virorum Sapientissimus, cùm primùm mulieribus adhæsit, cœpit desipere, ac virtutes, quas excoluerat, prosternere, ac Sapientiæ nitores infuscare: imò neque Religiosus debet securitatem sibi spondere, quia tametsi niveum, vel lapideum se credat, etiam nives igni admotæ liquefiunt, & solutæ flammas nonnunquam concipiunt, hinc S. Ambrosius sermone in festo D. Michaëlis ait: *Sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castitatem cooperta sunt universa.* De se ipso diffidat religiosus, à periculis singulis caveat, mulierum consortia fugiat, ut securus vivat; neque à præteritis victorijs argumentum debet de futuris inferre: plures steterunt in levibus qui postea in gravioribus ceciderunt, quia non timuerunt, non fugerunt; vir prudens pericula quæque & timet, & fugit, da Sapienti occasionem
Prov. 9. ait Salomon: *Et addetur ei Sapientia*, nimirum ea, quæ in occasionibus occurrentibus addiscitur; quia ut ait D. Cyprianus: *Gubernator in tempestate dignoscitur, & miles in acie probatur*, prudens Nauclerus charybdis fugit voragines, & scylleos declinat scopulos.

55. Ad secundum remedium quod attinet, quo castus Joseph impudentis mulieris delusit libidinem, beneficium fuit fugæ, Genes. 39. *Relicto in manu ejus pallio fugit*, quia ut scitè monet S. Cyprianus: *Nemo diu tutus est periculo proximus, nec evadere Diabolum servus Dei poterit, qui Diaboli laqueis implicatur:* quisquis filio delectatur castitatis à fœminarum colloquijs se subducat, mulierum consortijs non se immisceat; flos castitatis cæteris est delicatior, facilè arescit, neque concupiscentiæ patitur æstus, ideóque solerti cautela excolendus, & custodiendus est, etenim ut pulchrè idem Cyprianus *de mortalitate* ait: *Pretiosa quoque vestis timidiùs custoditur, majori solicitudine possidetur; grandis cura, magna quæ sunt servanda.* Hinc summus puritatis, & castitatis cultor Christus, pudicitiæ studium nobis persuasu-
Luc. 12. rus ait: *Sint lumbi vestri præcincti*, Lumbos enim præcingere castitatis habetur symbo-
Homil. 13. in Evang. lum, quia ut explicat S. Gregorius Magnus: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam, per continentiam coarctamus.*

56. Sed cur in pudicitiæ tesseram, & castitatis symbolum lumbos præcingi jubet? quia nimirum lumbos qui suos præcinxit expeditior est ad fugam, velocior ad cursum, solicitior ad pericula interimendæ castitatis fugienda; & quia nullum tuendæ castitatis asylum fugâ tutius, ideo vult in nobis lombos præcinctos, ut expeditiores ad fugam simus; & ne vestibus pedes implicentur in fuga: quàm probè cohæret lumborum præcinctio cum castitatis cultura, & custodia; ut intelligeremus, fugam nobis necessariam esse ad indemnitatem castitatis; & eum filium prostituere pudoris, qui negligens lumbos præcingere ad celerem fugam non satagit, ut scitè monet S. Fulgentius in præcitatum textum inquiens: *Omnis Christianus præcinctos habet lumbos, ut fuget libidinem:* is autem libidinem fugat, qui libidinem fugit; is florem castitatis secum ducit, qui à fœminarum colloquijs se subducit; is naufragia vitat, qui procacis mulieris charybdin devitat; quia ex sola fœminarum proximitate, arescit flos castitatis, & quasi pestem quandam contrahens emoritur; quod etiam nobis succinit S. Cyprianus, qui fusè referens mala, quæ procacium mulierum invehit proximitas ait: *Perspicite, quanta mala fœminarum propinquitas acquirat; ruinas adsitat, ripas eripit, præcipitia instruit, in periculis navigat, naufragijs velificat, interitum fovet.*

Luc. 12. — Lib. de singularit. Cleric.

§. VI.

Procaces mulieres, qui non fugit in evidens ruit discrimen, ubi castitas naufraga perit; & qui eas sequitur, nonnisi æternum exitium assequitur.

57. SUum exitium consequitur, qui procaces mulieres sequitur: in evidens corruit discrimen, in quo castitas ruit, qui fœminas non fugit. Est enim mulier præ nequitiæ, & malignitatis ubertate dæmoni haud absimilis, & Hugo Carensis Angelum Satanæ, à quo Apostolus Paulus se colaphizatum prodidit, mulierem fuisse autumat. Innumera propemodum sunt, quæ tam apud Ethnicos, quàm Christianos, imò etiam apud scripturas Canonicas afflante Deo exaratas congeruntur probra è fœminei sexus emersa nequitia: & Tiraquel. studiosè ostendit, cùm ex alijs, tum nominatim ex Ethnicis, septem capitalia peccata in mulieribus præsertim præcellere. Congessit autem conclamationes, dirásque in sexum fœmineum præ cæteris Stobæus *Serm 73. alias 71.* & nuper pleniùs, ac distinctiùs Lucas Holstenius: sed sufficit hic adjicere, quod huc spectat ex Antonii Monachi Mantissa *Serm. 122.* ubi ait: Secundus ille sapiens interrogatus, quid esset mulier, respondit: mulier est viri naufragium, domûs tempestas, tranquillitatis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua contubernalis, solicitudo assidens, leæna complectens, vorax charybdis, exornata scylla, siren venefica, animal malitiosum, malum necessarium.

Ad leg. 9. connubij n. 5.

58. Homil. 5. Hinc D. Chrysostomus de patientia Jobi: *Mulierem vocat antiquum Diaboli organum*, & observat, quòd cùm mulieris nequitia Satanæ innotuerit, omnia Jobo subduxisse, ac evertisse, cùm in ejus incumberet ruinam; & solam ei uxorem reliquisse; & id expressum etiam esse illis Jobi verbis, quæ in fimeto protulit, *derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*; quia plus fidit tartareus hostis uni mulieri, plusque confidit fœmineæ nequitiæ, quàm pleno virorum hostium exercitui: cùm sola mulier fuerit, quæ Adamum profligavit, & cum ipso totum humanum genus prostravit; hinc Origenes ait: *Mulier caput est peccati, arma Diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquæ.* Ex innumeris Patribus, qui in muliebrem nequitiam nostræ ruinæ originem calamum acuerunt, placet Tertullianum accersere, qui *lib. de habitu mulier. c. 1.* asserit: Mulierem, si conditionis suæ meminerit, exitiique per mulierem mundo invecti non sit oblita, in perpetuis acturam sordibus, & squalorem potiùs affectaturam; quò pleniùs ignominiam, quâ maritum in primo delicto affecit, & invidiam perditionis humanæ omni satisfactionis habitu expiet. Postea alloquens fœminam à dæmone seductam ait: *Evam te esse nescis? vivit sententia Dei super sexum istum in hoc sæculo; vivat & reatus necesse est. Tu es diaboli janua; tu es arboris illius resignatrix; tu divinæ legis prima desertrix; tu quæ eum suasisti, quem Diabolus aggredi non valuit; tu quæ imaginem Dei, hominem tam facilè elisisti.*

Homil. 3. in divers.

59. Hinc S. Ephrem *Tom. 1. tract. adversus improbas mulieres* ait: Nullam esse feram fœminæ parem, & vult Leones & dracones, colubros, & aspides venenata superare malignitate: unde Damascenus exclamat contra mulierem. *O malum Diabolicum, ò telum acutissimum, ò vulnus exitiale! quoniam per mulierem à principio Satan Adamum in paradiso pervertit. Per mulierem castissimum Josephum in carcerem detrusit. Per mulierem Davidem ad Uriam Hethæum dolo occidendum concitavit, Sapientissimum Salomonem ad prævaricandum induxit, Eliam fugavit, Samsonem oculorum lumine privavit, & Præcursorem Christi decollatum voluit. Per mulierem cunctos oppugnat, omnes dedecorat, singulos occidit: siquidem mulier impudens nemini parcit: non sacerdotem veretur, non Prophetam veneratur, non honorat canitiem. O malum malorum pessimum mala mulier!* & nonnullis interjectis quærens quid sit mulier subdit: Mulier laqueus est comptus, homines in voluptatem illiciens, quæ splendida quidem facie, & excelso collo oculis annuit, & genis arridet: lingua verò dulciter canens, voce alios decipit, sermone pellicit, vestes trahens, pedibus ludens, forma placens, & corpore fornicationem exercens, factisque occidens. Multos enim vulneratos (ait Parœmiastes) dejecit, & innumerabiles occidit,

Lib. 1 Paral. cap. 76.

ait enim: *propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hac concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Quid est mulier? naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, cloaca malitiæ, mortifera conversatio, lethalis confabulatio, oculorum perniciés, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni, & concupiscentia præceps? Quid est mulier? causa diaboli, requies serpentis, dæmonis consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus; eorum qui salvantur, offensio, vulnus incurabile, diurna confabulatio, hospitium lascivorum, & officina dœmonum. Quid est mulier? Amor flagitiosus, bestia impudens, incontentissimus impetus, effrœnatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia; nequitiæ & æterni supplicii conciliatrix. Quid est mulier? prudentia terrena, viri socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domûs, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expedita rabies, exornata mors. Hactenus Damascenus.

Cum igitur malorum omnium sit mulier fons putidissimus, neutiquam bibendæ sunt cœnosæ aquæ, quas ipsa propinat; veneno siquidem inficiuntur; pellucidæ ac dulcoratæ exhibentur, ut inextinguibilem inducant amarorem; & sicut febris ardore correptus cùm frigidam ebibit, ardorē non minuit, sed auget; ita qui concupiscentiæ, æstu laborat, omni solicitato nisu debet muliebres hasce aquas fugere, & prorsus respuere, ut monet B. Umpertus de remediis contra luxuriam inquiens: *Sciendum, quòd est in nobis contra vitia alia pugnandum, sed incontinentia malum potissimè fugiendum. Quoniam sicut infirmus per potum frigida aqua ardorem febrium non minuit, sed accendit; sic remedia concupiscentiæ quærens in his miseriis desiderium nec satiat, nec extinguit:* fallitur enim qui propinatas sibi libidinis aquas ebibens luxuriæ sitim extinguere, concupiscentiæ æstus temperare se putat. Generatim ab hisce aquis, fontibusque putidissimis celeri cursu fugiendum est, etiam utroque velo sublato, ut loquitur Plutarchus in Symposiacis inquiens: *Sublato utroque velo voluptatem fugiamus*, scilicet ingenti studio, magna contentione. 60.

Cap. 35.

61. In castris pudicitiæ is cadit, qui propriis viribus fidens stare satagit; & prosternitur, qui pugnat; vincit verò, & palmas colligit, qui non manus movet, sed pedes ad fugam solicitat; quapropter Joseph cùm à procace muliere ad turpia illiceretur non manus, sed pedes movit, victoriam lecturus Genes. 39. *Relicto pallio in manu ejus fugit:* corona igitur victoriæ non dimicatio fuit manuum, sed pedum fuga, quâ & in adolescente indemnis conservata est castitas, & puritatis liliom lætius

[*Lib. de Joseph, cap. 5.*] lætiùs floruit: pulchrè Ambrosius: *Cùm adolescens ab uxore Domini conveniretur, teneri potuit veste, sed animo capi non potuit, ac ne ipsa quidem verba diu passus est: contagium enim judicavit, si diutiùs moraretur, ne per manus adultera libidinis incentiva transirent:* ideo Joseph decertans pro tuenda castitate contra fœminam propugnantem libidinem eam expugnavit, quia fugit; est enim hæc fuga, ait Ambrosius: [*Loc. cit. cap. 4.*] *Trames innocentiæ, pietatis assumptio, via virtutis:* est enim hæc fuga stratagema fortiorum in castris pudicitiæ pugnantium, quos Dei spiritus ad victoriam instruit, & ad triumphos erudit, quibus congruit illud S. Chrysologi [*Serm. 150.*] Apophtegma, ubi ait: *Bellicosus quòd in bello fugit, artis est, non timoris;* quia qui in castris pudicitiæ ita assuescit fugere ad victorias instruitur; fugit enim ut Parthorum more acriùs fugâ prælietur, & tutiùs palmis coronetur: hinc Demosthenes objicienti sibi fugam è prælio Cannensi respondit: *Vir, qui fugit rursum præliabitur.* Demostheni enim, imò & Reipublicæ utilius fuit fugâ saluti suæ consuluisse, & aureum pectus consiliorum capax, gemmeam eloquentiam ad dubia Reipublicæ tempora reservâsse: unde fugisse non fuit hostibus cessisse, sed Reipublicæ utiliùs prospexisse, cujus utilitatem retro sitam maluit prosequi, quàm eâ neglectâ frontem hosti objicere, ut de se olim Antigonus dixerat.

62. Qui cum insultante libidine pugnat, non motu manuum vincit, sed pedum fugâ palmas rapit; neque terga ingloriè vertit insultanti adversario, cùm eum fugiendo prosternat, & non stando debellet. Neque aliter pugnax libido vincitur, quàm celeri fugâ. Fœtida immunditiarum cloaca est libido, ex qua teter evaporat luxuriantis voluptatis anhelitus: quo qui non vult infici, resisti ab alio nequit, quàm à fugæ beneficio: malè olentis cloacæ corruptas evaporationes non declinant, qui stant, sed qui fugiunt; auram ebibunt corrupto infectam anhelitu, qui immobiles spirant, qui stantes respirant; cum saniore, ac defæcatiore aurâ reficiantur, qui nares illicò obdurantes non pedes figunt, sed ad celerem fugam solvunt: parem perversè olenti cloacæ dixeris luxuriam, ejúsque fucatas voluptates, quas Tertullianus de Habi- [*cap. 2.*] tu mulierum vocat *libidinum evaporata momenta.* Vincunt igitur, & ad triumphos currunt, qui in hoc libidinoso certamine fugiunt: cadunt verò tametsi fortes sint, qui stare præsumunt. S. Martinianus quia Zoëm impuram mulierem post longam tergiversationem in cellam tandem admisit, ferè in ruinam agitur: & postquam divino beneficio, acrémque corporis per ignem cruciationem ereptus est discrimini, serio statuit, omnia imposterum fœminea declinare consortia; eóque consilio in scopulum è medio mari emersum statim confugit certus, eò non accessuras mulieres: Sed Satanici hostis dolosa arte eò pervenit puella naufraga eximiæ speciei, ætate florida, eloquentiâ potens, & sola superstes tempestati: quomodo verò vir Dei sibi in eo discrimine caverit opitulante Numinis auxilio narrat Metaphrastes die 13. Februarij, ubi in ejus vita adstruit, Martinianum è periculo submersionis puellam quidem extraxisse, quæ apprehensâ tabulâ ex naufragio illuc appulerat: sed cùm eidem totum obsonium pro sustentanda vita, quod illi superera ultro dedisset, ut propriæ beneficio fugæ prospiceret castitati, statim ex eminenti illo scopulo in subjectum mare se dejecit, quem tamen duo Delphines statim eum exceperunt, & divino obtemperantes nutui ad proximum littus detulêre.

63. Quòd si fortassis non detur effugij locus, nec alia declinandi discriminis ratio; ita se gerat hisce pressus angustijs castitatis cultor, ut D. Bernardum imitetur: cùm enim vir pientissimus de quodam itinere in diversorio esset, & nihil istic mali vereretur: Ecce instigante satanico hoste, nocte intempesta, gradu furtivo in cubiculum abrepit impudica mulier, quæ propior ejus lectulo facta, etiam ad impuros solicitat amplexus. Quid aget vir pientissimus solus præsertim, cùm nec pedes illi ad fugam expediti, nec manus liberæ essent: cùm sola illi superesset lingua libera excitatis spiritibus hanc illicò toto nisu ad clamores impulit; & succlamando *Latrones, Latrones, Latrones hic accurrite quot adestis;* si non pede, saltem lingua procacem mulierem fugavit. Paradisi flos est castitas suavissimè olens, sed adeo delicatus, ut solo contactu fœmineo arescat, & exsiccetur: castitatis cultores lilia sunt, inter quæ Sponsus Christus depascitur, & sicut sponsus rosis coronatur, quæ nunquam marcescunt, vult hæc lilia prorsus intacta, ac intemerata, quæ si etiam dumetis obarmentur tutius florent: imò castitatis studiosos nitentibus cœli sideribus pariaverim: cùm enim stellæ noctu vigilias agant, sintque vigiles cœli oculi, nos edocent, quòd si neque in ipso firmamento securitatem sibi spondent, sine nocturna vigilantia, solisque diurna præsentia; quantò magis, qui studio sunt castitatis addicti, debent vigilare, ac divini solis exposcere lumen, quo omnia possint discrimina cavere, ne inter cæcutientis concupiscentiæ offusas tenebras fœdè impingant, cadántque miseri. Hinc dicuntur virgines stellæ lucentes in perpetuas æternitates, & quibus solus Deus nomen indidit, & numerum addidit: *Qui numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas.* Quàm felix virginitas, cujus nomen in Dei memoria viget.

64. Imò Margaritam si dixeris virginitatem pretium omne superexcedentem, ad quam sibi comparandam de cœlo venit divinus mercator, tibi adstipulabitur S. Gregorius Nissenus, qui loquens de virtute pudicitiæ ait: *Quæ Dei Verbum advenisse demonstrâsset, sola castitas idonea fuit;* [*De virgi. cap. 2.*] utque hanc

sibi

sibi compararet, thesauros æterni Patris secom detulit, quos solvit, cùm proprium effudit cruorem: omnia enim contulit in pretiom castitatis, ut secum in patriam tot reduceret margaritas candore pretiosas, quot virgines innocentiâ insignes. En quomodo Joannes in Pathmos choros viderit virginum agnum comitantes per cœli vireta Apocal. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno:* & aliquibus interjectis subdit: *Sine macula enim sunt ante thronum Dei:* & de iis loquitur, de quibus antea dixerat, *hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Quam pretiosa est castitas gemma, quàm Numini chara, cùm cœli Negotiator eam emptorus proprij sanguinis pretium solveret terrenas deveniens in nundinas. Sed vigili indiget custodia, quæ enim pretiosiora sunt, ea & rapinis magis obnoxia.

Cap. 14.

65. Quòd si laudes velimus castitatis recensere, hæc phœnix videtur esse virtutum, cum nec senescens, nec deoata, nunquam putrescat, sed expansis divini amoris alis ignem excutiat, & è flammis repuetascens formosior exiliat, quia ut scitè occinit S. Nazianzenus *sola vita, qua puritatem colit firma, & sempiterna est:* nimirum immortalitatis fruitur privilegio ea virtus, quæ Angelicam in terris excolit puritatem; pulchrè Chrysologus: *In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cælestis; & si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere. Esse Angelum felicitatis est, virginem esse, virtutis.* Quàm benè sibi consolunt, qui sedulo studio cultoræ castitatis incumbunt; naturam in terris induunt Angelorum, quia ut ait D. Chrysostomus Homil. 8. in Genes. *In terra ambulantes, & corpore circumdati vitam imitantur Angelicam,* ea est dos castitatis, ea pudicitiæ excellentia, ut sui cultores à corporum crassitie liberet, & quodammodo in puros, defœcatósque transmutet spiritus. Non tamen absque speciali Numinis ope potest quis hac virtute perfectè insigniri teste Salomone, obi ait: *Scivi, quia non aliter possum esse continens nisi Deus det:* & hoc ipsum erat Sapientia, scire, cujus esset hoc donum. Cæterum adeo Deus hominis delectatur castitate, ut speciali titulo dici velit Deus amantium castitatem: etenim ad exploratores Hebræos Rahab meretrix dixit: *Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum,* sed cur Rahab in meliorem frugem jam recepta; & pro salute Israelitici popoli assistens, Hebræorum Deum, suum etiam non vocat? si Deus erat Hebræorum, & mulier Hebræa Rahab erat, cur Numen Hebræorum, proprium etiam oon fatetur esse Deom? quia nimirum Rahab meretrix erat, cúmque se animadvertisset castitate destitutam, Deum ipsum vocare suum non audet; apposite Cyrillus Alexandrinus: *suum dicere non audebat, quia impu-*

Serm. 143.

Sapient. 8. n. 21.

Josue 2.

eam se sentiebat. Castitatis cultoribus Deus se dicat, ut hoic virtuti se homines dedicent; & quidquid fœdam olet libidinem totis fugiant viribus; ut monet Apostolus scribens ad Corinthios: *Fugite fornicationem.*

66. Causa verò cur fugienda sit fornicatio ex illecebrositate ducitur objectorum moventium prælia cootra castitatem; ad hanc arietandam prosternendam, ac evertendam virtutem: huic autem illecebrositati, quæ seosum titillans inflammat fomitem concupiscentiæ nobis consertum, nequit consultiùs, tutiùsque obsisti, quàm subductione objecti incendium inferentis, quo castitas etiam diu à nobis exculta momentò cineresçit, & perit: neque putes quid aliud esse hanc objecti subductionem, quam ipsum recessum, fugámque, ab omni eo objecto, quod experimur movere in nobis concupiscentiam, turpésque commovere libidinis motus: ubi compedes impedimentorum defuerint, & aspectûs irritamenta cessaruet, tutiùs contra libidinem castitas congreditur; & ubi objecti præsentis illicia dimicantem non vellicant; neque voloptatum lenocinia concupiscentiam movent, tutiùs de prostrata libidine profuga castitas triumphat: nunquam laudabilis cum carne luctatio, quâ Athleta à carnis oon se subtrahit contactibus; carnis enim complexus fœdas exhalat nebulas, quæ animum vel inebriant, vel infuscant, neque à libidinum morsu à carnis contactu quispiam evasit illæsus; pestilens est ejus flatus, etiam longe positos inficit, eósque magis proximos interficit: certamen, quod castitatis studiosus contra luxoriam init, fugam exposcit, non assultum requirit; pedes ad fugam expeditos exigit, non manus complexibus impeditas; ille vincit, qui non stans fugit; & is prosternitur, qui stans sibi fidit.

§. VII.

In certamine, quod pro tuenda, & propugnanda pudicitia initur. Castitatis pugil cadit, si stet; vincit si fugiat. Non a robore brachiorum, sed à pedum velocitate speranda est victoria.

INeundam esse fugam contra luxuriam edocent unanimes SS. PP. quos inter Origenes ubi expendens illud Christi: *Orate ut non fiat fuga vestra in hyeme,* cùm præmisisset fugam in hoc certamine dandam esse laudi, imò & esse ex præcepto necessariam; explicat, quomodo Christi pugil debeat se subducere à quovis objecto flammas excitante concupiscentiæ; inquiens: *Fugit fornicationem, qui omnem occasionem irritantem, & provocantem ad fornicandum evitat; & neque juvenibus in fabulis juvenilibus commiscetur, ne fortè consummatur per eos; neque descendit ad consuetudines eorum talium, sed avertit se omnino ab hujusmodi hominum conversationibus. Qui vult fugere fornicationem* 76.

Homil. 30. in Matth.

tionem, audias & illud, quod dicitur: Cùm Saltatrice noli assiduus esse, ne fortè consummaris in desiderijs ejus. *Fugit autem fornicationem abundantius, qui accedentes, & excitatrices seminis escas evitat.* Et expendens lusum Ismaelis, quem Apostolus persecotionem vocat, præmittit Saram Isaaci matrem virtutem spiritualiter subindicare excultæ castitatis, ac virtutis, à qua fuga indicitur illecebris, ac voluptatibus carnis: postea ait: *Si ergo caro, cujus personam gerit Ismael, qui secundùm carnem nascitur spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, & delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, hujuscemodi ludus carnis cum spiritu Saram, seu virtutem, vel maximè offendit.* *…7. in*

68. Hic autem lusus est, quem Apostolus vocat persecurionem: & revera illecebrosa carnis blandimenta, fucatæ voluptatis illicia, carnis delectationes, nil aliud sunt, quàm acerbissima persecutio, quâ caro spiritum ad internecionem insequitur, sauciat, lethaliter vulnerat, ac fœdè interimit: & sicut sub primis Ecclesiæ exordijs in persecutionibus atrocibus Christianorum, qui sibi propriæ imbecillitatis conscij erant, prudenter subducebant se se tormentis, ne in discrimen abnegandæ fidei se injicerent per metum incussum à paratis cormentorum mille generibus: ita à castitatis studioso, in hac carnis persecutione, quâ Tyrannus tartareus illecebrosis blanditijs nititur spiritum prosternere, ac intermere, à fuga præsertim suppetiæ petendæ sunt cum D. Hieronymo, qui in Vigilantij impugnatione sibi timens, ac mulierum, puellarúmque aspectus devitans inducit adversarium, à quo ipse interrogetur: *cur pergis ad eremum?* Respondet Hieronymus, *ne me capiat oculus meretricis; ne fortè pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.* Subjungit ille: *Hoc non est pugnare, sed fugere: sta in acie adversarijs armatus obsiste; ut postquam viceris, coroneris.* Sed iterum respondet Hieronymus: *Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi, si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? aut scuto, aut pedibus mors vitanda est: tu qui pugnas, & superari potes, & vincere; ego cùm fugero, non vinco in eo, quòd fugio, sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est cum vicino serpente dormire. Potest fieri ut me non mordeat: tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat. Matres vocamus, sorores, & filias, & non erubescimus vitijs nostris nomina pietatis obtendere. Quid facit Monachus in cellulis fœminarum? quid sibi volunt sola, & privata colloquia, & oculi fugientes arbitros?*

69. Tenera est pudicitiæ valetudo, febricitantes concupiscentiæ æstus, si sentiat, succumbit, & flos castiratis illicò deflorescit, & arescit: ideóque castitas si vera sit, ac sincera etiam se ipsam timet, nec oculos patitur puellarum, ut scitè notat Tertullianus inquiens: *Sed enim vera, & tota, & pura virginitas nil magis timet, quàm semet ipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet;* si igitur castitas vera sit, non fucata; & non specie tenus; si non corrupta, nec diminuta; sed integra, & sincera nil magis timet, quàm semetipsam, propriámque imbecillitatem; proinde pavet, horrétque cum libidine congredi, & euro citiùs fugit, ne flammantis libidinis calorem sentiat; fugit, quia scit nullum contra ipsam sæviùs armari hostem, quàm concupiscentiam, & libidinem, quæ dira hostilitate nunc aperto marte, nunc clancularijs insidijs eam dehonestare, prosternere, ac interimere satagit. *Lib. de vel. Virgin. cap. 15.*

70. Integram qui castitatem excoluerunt, nonquam proprijs voluerunt viribus fidere, sed beneficio fugæ à quovis se periculo subduxere; sicque Elias per fugam à muliere ad Rhamnum pervenit: Sanctus Methodius Rhamnum interpretatur castitatem; ad quam Elias fugiens à muliere feliciter pervenit, ait ipse: In Phocij excerptis, *Rhamnus virginitatem denotat, est enim arbor casta, & fortasse ex simili quadam cum virgine natura; ex omni enim parte puritatem videtur præseferre. Unde Eliam ferunt à facie Jezabelis mulieris fugientem, ad Rhamnum primùm venisse, atque exauditum fuisse, cibúmque accepisse; quia fugientibus stimulum carnis, & fœminam, & voluptatem, perfugium, & tegumentum castitatis lignum germinavit, quod ab adventu Principis virginum Christi, Regnum in homines obtinuit.* Eatenus fuga Eliam ad Rhamnum duxit, quia à Jezabele fœmina studium pudicitiæ eum subduxit; ut enim monet Cassianus, contra spiritum fornicationis necessaria est secessio ab objectis pellicientibus; perinde ac in morbis quibusdam necessaria est cœli mutatio. *Col. 2371* *Lib. 6. Instit. cap. 3.*

71. Unanimes improbant Patres eorum dementiam, qui vultu obverso stare eligunt contra luxuriam, & non potiùs pedibus negotium evadendi periculum committunt: neque sit quispiam adeo audax, ut sibi fidens dicat, habere volo, quòd vincam; intrepidus stabo, non sinam me fœmineis illici, nec irretiri lenocinijs; quia id perinde est, ac dicere; stabo sub ruina; periculum declinabo, si in discrimen me injecero; vincam si cadam: quis à sana mente tam alienus, qui arctari velit ad laborem, cui offertur in sola fuga triumphus? pulchrè Augustinus: *Quid est dicere, volo habere, quod vincam, nisi vivere desidero sub ruina? sed ego* subdit, (*quem audacia ad periculum trahit*) *libidinis impetum tanquam adversarium meum volo captivum jugiter retinere. Vide ne contra te incipiat ipsa captivitas prævalere, & ubi te putabas obtinere triumphum, inde in æternum curras opprobrium.* *Serm. 250. de temp. cap. 2.*

72. Non est, cur nostræ fidamus virtuti, homines sumus; humani nihil (ut aiebat Philosophus ille) à nobis alienum putemus; fragi-

litatem nostram carne deferimus; accipimus quidem opem divinam, per qoam infirmitas nostra convalescit, fragilitas corroboratur, & vires incrementum subeunt. Verùm ita nobis hoc virium impertitur incrementum, ut nos providos, & non præcipites faciat; ut nos muniat, si occasionibus renunciaverimus delictorum, si à periculis nos subduxerimus; custos nobis concessus est Angelus, sed ut discrimina declinantibus assistendo subveniat; non verò ut amantibus pericula faveat; nec ut nos voluntarios, & pronos in occasiones peccandi confortet, sed ut ab iisdem nitentes sejungi corroboret; nemo sit, qui de sua virtute præsumens, fugam hocce dedignetur in certamine; si sapit pericula caveat, séque ab objectis subducat illecebrosis: & præsertim à præsentia illicientis mulieris, à familiaritate procacis fœminæ; recessus à sexu altero pernecessarius est castitatis cultori, & peropportunus ad luxuriæ coërcitionem, parandámque victoriam in prælio castitatis. Quotquot in hoc conflictu indemnes se cupiunt, non manu, non fronte; sed pede, & tergo pugnent, sensúsque omnes ab objecto subducant illecebroso: id enim etiam scriptura frequenter ingeminat, ut quisque à muliere non sua avertatur; ne in pedicis speciei illius capiatur.

73. *Serm. contra concub.* Job ipse quamvis fortissimus, & à S. Joanne Chrysostomo vocetur *adamantinus* ob inconcussam firmitatem, ac pellucidam, quam excolnit puritatem, ac de ipso dicat inter reprehendendum eos, qoi mulieribus associantur, & alterius sexus implicantur familiaritatibus, *Ne Job quidem ille beatus ausus fuit tantam virtutem, & Sapientiam sibi adscribere, & de se ita testari. Sed qui omnem transcenderet virtutem, ex omnibus Diaboli retibus extractus, & primus, & solus tantam fortitudinem demonstravit, & omne ferrum, & adamantem suâ continentiâ prætergressus subnervavit Diaboli potestatem: sic veritus erat pugnam, & putavit, impossibile esse cohabitare virgini sine damno, & purum; adeò ut non solùm à cohabitatione tali procul, & longè se ipsum, sed & ab aspectu prorsus, & occursu subduxerit, legémque posuerit oculis suis, omnino in virginem se ne respicere quidem: sciebat enim manifestè, quòd non solùm cohabitantem, sed & videntem curiosè in faciem virginis, impossibile sit effugere damnum, quod inde oritur. Propter quod & dicebat: nec cogitem quidem de virgine: at si parvus videtur nobis ad hoc certamen Job, quamvis revera nec stercore illius simus digni; quantò magis sumus & nos imbecilles.*

74. Ceciderunt viri fortissimi, & quos virtus ad victorias pluries munierat, ut David, qui leonem in campo profligavit, Goliathum in valle prostravit. Cum enim somno indulsisset pomeridiano, fuissétque intuitus mulierem lavantem se in frigidis fontis laticibus, flammantia hausit ex fonte illo incendia, quibus ejus virtus in cineres soluta fœde fuit: *Accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem,* (2. Reg. 11.) erant tunc dies æstuosiores, & cùm surrexisset è prandio procubuit in lecto, & post somnum aura fruiturus liberiore, ac mitiore in domus regiæ solarium ascendit ambulatum; & Bethsabeam, cùm primùm vidit in fonte contra solis ardorem se abluentem in horto domestico, eam deperijt: *Viditque mulierem se lavantem ex adverso, & missis nuntijs tulit eam.* 2. Reg. 11.

75. Quàm facilis à cibo, & somno ad libidinem transitus! quàm lubrica est via à Baccho vino madente ad Venerem flammas ejaculantem! indulserat post cibum & potum David somno, cúmque ab hoc otio surrexisset, cùm primùm vidit mulierem, eam cœpit deperire, quia ex Diogene negotium otiosorum est amor, & cupiditas; & quot scintillas ejaculatur concupiscentiæ fornax, tot mala desideria suscitat, quibus mens fœdè æstuat. Pulvillo Davidis dormientis Cupido incubuit, & mollities suam ex molli culcitra initium traxit, somnúsque diurnus fuit Davidi dœmon ille meridianus, cujus meminit. Psalm. 90. Et hostis tartareus cum timuisset Davidem vigilantem, eum prostravit somno semisopitum: *sagitta volabat in die*, & mortiferum inflixit vulnus. Quam insidiosum speculum muliebris pulchritudo, cùm etiam procul aspicientem Davidem fœdè usserit, ejúsque virtutem fœdiùs combusserit! blandè illexit, & lethaliùs læsit, pulchrè Augustinus: *De longe vidit David illam, in qua captus est. Mulier longè fuit, libido propè adfuit: alibi erat, quod videret, sed in ipso unde caderet.* In Psal. 50. Nimirum aspectus, quem David è domûs Regiæ solario in Bethsabeam lavantem se direxit, scintilla fuit, quæ vel in ipsis laticibus fontis incendiũ excitavit, cùmque palea ipse esset flammam statim concepit, & difflagrans, virtus castitatis soluta in cineres perijt: intueri non licet, quod concupiscere non libet.

76. Horruit fœdum scelus David, quia cum antea esset sanctitate felix, mox adulterio falax, naufragum in pellucida fontis malacia, & lasciviæ undâ se novit; & maculam induisse in fonte, ubi viderat Betsabeam sordes exuisse, sed licèt contractam fœditatem amaro lachrymarum imbre lavisset, ac delevisset; adeo fuit postea ipsi horrori patratum scelus, ut vel ipsas reliquias expavesceret, & se ab ijsdem toto nisu subduceret: vulnus lethale sensit à Cupidine sibi inflictum; & quamvis lachrymarum opobalsamo, opísque divinæ alexipharmaco illud feliciter curaverit, cum putidum libidinis ulcus salutari pœnitentiæ pharmaco obduxit; adhuc querulus vulneris superstitem cicatricem luget: *putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Psalm. 37.

77. Quid? quòd David scortationis cum Bethsabea scelus non lugeat; sed contracti vulneris illachrymetur cicatricibus? quid? quòd non dicat putruisse, & corruptum fuisse ulcus à se contractum, sed sanati jam ulceris superstites cicatrices? *putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ*, cur vulnus corruptâ sanie scatens non memorat, sed cicatricis tantùm meminerit? nimirum quia cicatrix græcè, & hebraicè vomicam, vibicem.

aem, & ex plagæ incussione cutem significat sigillatam, seu inflicti vulneris superstes in cute vestigium.

78. Sed cur post sanatum salutari pœnitentiæ alexipharmaco, purgatúmque lachrymarum nimbo luxuriæ vulnus; non vulnus ipsum, sed vulneris dixerit cicatrices putruisse? Non me fugit, vulneris cicatrices patrati flagitij vestigia, ea à plerisque peccata dici jam semel dimissa, sed quæ iterum commissa fœdiùs putrescunt, & lividiùs corrumpuntur; dicantúrque propterea cicatrices peccati, putrescere, & in novum vulnus excrescere, eò quia scelus sceleri viam emollire consueverit. Cicatrix igitur lascivi ulceris in novum dicitur vulnus computrescere, quia exosum prillinæ obscœnitatis vestigium, arcana libidinis pellacia in novum sauciandæ pudicitiæ vulnus recrudescit; cùm nova in mente fœda excitatur cogitatio, quâ novo præluditur sceleri, & putrescit, cùm opere completur: scitè Hugo Victorinus expendens verba queruli, ac illachrymantis Davidis: *Putruerunt, & corrumpta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, ait, *appositè priùs dicitur putruerunt, ac deinde adjungitur, corrupta sunt cicatrices meæ: priùs enim prava desideria ad mentem redeunt, & sic quadammodo cicatrices obductæ interiùs computrescunt. Deinde verò cùm voluntas mala usque ad operationem ire permittitur, jam ipsa cicatrices, ex superabundanti saniæ corrumpantur*, scilicet vel ipsa jam diu sanatæ luxuriæ cicatrix, & peractæ, ac detestatæ obscœnitatis vestigium, quod de putida fœditate horrorem potiùs debuerat incussisse, ad aliud simile scelus provocat, viámque emollit, cùm mentis oculis per pravas cogitationes suam prodit fœditatem, quâ tantùm abest, quòd à luxuriæ avertat obscœnitate, ut ad luxum iterum alliciat; ut dum prava desideria patrati jam pridem sceleris, seu epoti lasciviarum dulcis veneni ad mentem redeunt; cicatrices obductæ antiqui vulneris interiùs computrescant; corrumpantúrque. Psalm. 37.

79. Adeo tenella, ac delicatula est pudicitiæ valetudo, ut vel ipsum sanitatis indicium languorem adferat, & dum salutem, ostendit morbum invehat; & signum sanati vulneris in novum recrudescat ulcus; ideóque David querulus, & gemebundus, cum vel ipsam patrati sceleris horreret memoriam, ipsam superstitum cicatricum putredinem ne contraheret, lachrymis, seu pharmaco ulcus prævenit, quod declinaret, quia nunquam supervacanea in libidinis fuga est cautela, cum vel ipsa patrati sceleris recordatio, & suscepti vulneris cicatrix in novum facilè recrudescat ulcus.

80. Coërcenda est omnis, quæ libidinem olet cogitatio, & præsertim anteacti sceleris; quia vel ipsa sanati vulneris cicatrix superstes recrudescit in ulcus. Quòd si omnis abigenda est statim cogitatio patrati sceleris cum fœmina: certè declinandum potiori jure omne cum ipsa colloquium, omnémque aspectum, qui peccato semper præludit: hæc enim libidinis indoles est, periculo præcurrere amori, ac sua antevertere vota: à voluptate solet per concupiscentiæ lenocinia, & libidinis titillationes consensus præveniri, & ea est hujus fœdæ voluptatis vis, ut ad quodvis, quod imminet periculum blandè ac liberè adigat. Idque exemplo fortiùs, quàm verbo nos voluit Magister Christus edocere, cùm in se ipso lapsum præcavit, ad quem ob divinitatem, nec alliti, nec adigi potuit; sed voluit in se ipso pericula nostra cavere, ut exemplo suo instrueremur ad fugam, & doceremur ad declinandas occasiones singulas, quamvis levissimas, si inde pericula fœdæ libidinis immineant.

81. Scimus ex Joan. 8. adductam à Pharisæis ad Christum mulierem recentis adulterij ream, ut ipse sententiam diceret, ut Judex; quid ni? non sedet Christus pro tribunali, non permittit coram se sisti mulierem, in cujus fronte patratum scelus legat; sed ipse semel & iterum in humum curvus, oculisque in terra defixis, digito scribit in pulvere, ne fœminam prostituti pudoris intueatur: & quia scriptura in pulvere exarata humanam indicabat fragilitatem, Pharisæis innocentibus permittebat lapides in fœminam jacere; sed renuunt Pharisæi propriæ conscientiæ Rei, non tantùm mulierem lapidibus obruere; sed nec saxa ipsa manibus tangere, & unus post alium omnes absque ullo murmure abierunt; adeò ut remanserit solus JESUS cum muliere, cui etiam dixit, *Nemo te condemnavit? nec ego te condemnabo. Vade & jam ampliùs noli peccare*: sed si Christum non latuit fœminæ adulterium, cur ipsam impunitam dimittit? vel si innocens fuit; cùm omniscius esset, eum non potuit fœminæ innocentia fugere, cur eam non prodit, ut pristino restituatur honori? Vel si eam non dimisit innocentem, cur non punivit nocentem? An non impunita sinere delicta abire, perinde est ac sceleribus favere, & delicta fovere? appositè Augustinus: *Nemo te condemnavit. Quid est Domine faves ergo peccatis? non ita: attende quod sequitur, vade & jam ampliùs noli peccare.* Tract. 33. in Joan.

82. Christus unicus omnium est Judex, cum ipsi data sit omnis potestas in cœlo, & in terra, justitiam exercet; nec delictum ex justitia impunitum dimittit, sed ex misericordia interdum remittit. Non favit Christus scelestis, nec fovit flagitia, licèt mulierem impunitam dimiserit, cum ipsi dixerit, *vade & jam ampliùs noli peccare*. Remansit JESUS solus cum fœmina lasciva postquam Pharisæi omnes abierunt; & quia solus; ideo eam non detinuit, nec diu fuit moratus, ut causam discuteret, ream interrogaret, adulterij circumstantias investigaret, ac sententiam diceret; sed statim quavis disrupta mora eam dimisit, & non solùm sermones recusavit cum ea miscere, sed nec eam aspicere voluit, cum

statim se in humum curvaverit scripturus in pulvere humanam fragilitatem, quia Christus solus fuit cum fœmina, ne cùm ipsa se detineret, iujudicatam dimisit: solitudinem cum fœmina recusavit, quem à quovis periculo divinitas excusavit, ut nos doceret, colloquia, aspectus, & conversationem quamlibet cum fœminis præcavere: non timuit Christus sibi discrimen, sed nobis obtulit cautelam nostri periculi: hæc fuit Christi cautela, quâ non sibi, sed nobis cavere voluit; non fœminam statim dimisit, quasi periculum inde aliquod timeret; sed ut nos suo documento, à quovis eriperet nocumento: scite S. Chrysologus: [Serm. 115.] *Cùm in Evangelio à Scribis, & Doctoribus legis apud Dominum ista accusaretur adultera: avertit faciem suam Dominus & declinavit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret; & maluit in pulvere scribere veniam, quàm dare in carne sententiam.*

83. Nemo igitur de sua fortitudine, ac virtute præsumens fugam in hoc castitatis contra libidinem prælio dedignetur; sciat se arentem esse stipulam, fœnúmque nullius roboris, & procaces fœminas aspectu, voce, manu, gestu, flammas ejaculari; injecta flammis arescens palea illicò cinesit: neque pharmacũ ullum præveniendo morbo aptius fugâ. Qui indemnes hac in parte esse cupiunt, periculosas cum fœminis familiaritates fugiant, sensúsque omnes ab objectis ad indebitè commovendum corpus paratis subducant. Multiplices sont lenocinantis fœminæ artes, quas per fucum, verba, vestes, oculorum pellaciam prodit, minus cautos, ut illiciat, turpique libidine inficiat. Neque in hoc certamine, quod eò est difficilius, quò blandius, à manu petenda salus est, sed à pedum fuga exemplo Josephi, de quo eleganter Basilius [Orat. 8.] Seleuciensis ait: *Præstò aderat mulierculæ illicium, ac Diabolus, qui & adulterij muneratot erat, & lascivia Nymphagogus. Ignorabat procax fœmina, se adversus temperatissimum Athletam luctam suscepisse. Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansas, fugâ usus pro armis (& hoc fortitudinis) tradit vestem, ut temperantiam teneat, strenuúsque miles virtutis stadium nudus decurrit: denique nudatur pallio, ne spolietur castitate.*

Non igitur Joseph sibi fidit, nec propriæ virtuti confidit; imò nec præsumpsit de gratia Dei, quamvis hæc præsto sit adnitentibus peccata declinare, opem latura, & cultores castitatis adjutura: sed impiger aufugit, salutem à pedum velocitate petijt; & à præsentia procacis mulieris veluti veneno præsentissimo refertæ se subduxit beneficio fugæ, dimisso in manibus polluto per fœmineum contactum pallio; ratus beneficio solius fugæ posse procacem illudi mulierem, à cujus consortio propterea debet castitatis cultor se subducere, ut nos docuit Christus, qui stipatus in vasta eremo multâ hominum turbâ, tam modestè se gessit, ut notaverit Evangelista Joannes, aliquando è terra oculos levâsse *cum sublevâsset oculos JESUS*, quæ verba expendens Beda dixit: *Cùm sublevasset oculos* [Joan. 6.] *JESUS, ut disceremus, quia oculos non erigebat huc, atque illuc, sed pudicè sedebat attentus cùm Discipulis:* tam modestè se Christus gerebat, & tam severus pudicitiæ cultor fuit, ut cùm semel in eremo oculos sublevâsset, id Evangelista notaverit, ut rem ipsi insuetam; quod Beda studio tribuit castitatis, & id ad nostram fecit eruditionem, non ad suam necessitatem; adeo diligens fuit in Christo oculorum demissio, ut nec permittere voluerit, visum in fœminas excorrere; quas & nos non oculis tantùm, sed & pedibus fugeremus. Neque est quòd nobis in hac persuasione deceptoria eblandiamur, quia spirituales simus; siquidem carnis illecebræ etiam viros in asceterijs cultores castitatis pulsant, & plerunque eò acriùs, quò ijsdem arctiùs vetantur; & hostis tartareus ijs potiùs illiciendis, ac decipiendis gaudet operam navare, quorum lapsus, ratione status sublimioris, est enormior, & culpa tetrior. *Gravem castitas fortita est inimicum* (ait Augustinus) *qui quotidie vincitur, & timetur.* [Serm. 250 de tempore.] *Nemo se falsa securitate decipiat; nemo de suis viribus periculosè præsumat, sed audiat Apostolum dicentem: fugite fornicationem.*

DIS.

DISSERTATIO XVII.

Fugienda ebrietatis vertiginosa charybdis, in qua mens fluctuat, & virtus naufraga mergitur.

§. I.

Castitatis studiosus caveat, ne immodico madeat vino, quod est Veneris lac, venenum pudoris, fax concupiscentiæ, fex Spiritus, mentis fluctuans caligo, & pudicitiæ sepulchrum.

QUam finxit ludens Poësis natã in aqua impuri ignis excitatricem Venerem; satiùs, veriùsque in vino dixisset genitam, & è vino emersam, in quo solet etiam adolescere, cum Apostolus Ephesios 5. moneat, *ut fugiant vinum, in quo est luxuria.* Assueta Venus, vel in ipsis cunis fluctuare aquarum æstu; vino delectatur, quò mentes immodicè bibentium fœdè fluctuant, non tamen emersoræ, ut Venus è fluctibus, sed iisdem submergendæ. An non Loti pudicitia in vino naufraga periit? An non Noëmi honestas, quæ incolumis fluctuantis cataclysmi evaserat discrimina, in vino scopulis illisa turpe fuit naufragium passa? Licèt nubes una in cœlo coiverint, aër & reliqua turbarentur elementa; venti, ac procellæ fremerent, micarent fulgura, ruerent è cœlo fulmina, & quidquid venarum humentium, ac fontium scatutientium, aquarúmque, cœcis voraginibus collectarum lateret, apertis simul, proruptisque omnibus cœli catarrhactis, flumina, gurgitésque ingenti cum fragore deorsum ruerent ad delendos mortales, nil fuerit in aquis detrimenti passa Noëmi honestas: in vino postea mersa naofragium non evasit. Ubi enim cessârunt è cœlo dilabi aquarum exitialia animantibus terræ fluenta; mundíque lampas sol suis radiis caligines excussisset, quas aterrimæ invexerant simul coëuntes nubes, novúsque nitor cæterorum syderum affulsisset; Noëmus cum suis è diluvio superstitibus ad terræ culturam se convertit; aratra compegit, equos, bovésque jugo injunxit, vomere terram proscidit, curámque adjecit ad vineam conserendam; cumque postea ex uvis, racemísque vindemiam spumantibus vinum expressisset; cui vis tum inexperta; cum ovæ tantùm ad esum fuerint usque ad id temporis ministratæ, liquore novo liberiùs se proluit; & vini indulgentiæ pedissequa est ebrietas sequuta, ex qua somnus, & e somno nuditas inhonesta; sopitus enim, suíque impos, præ infusi cum vino caloris æstu vestes disjecit, quibus pudor velabatur. Vidit id Chanaam, qui Chami erat filius, & licèt adhuc puer, quia malæ stirpis pejor erat soboles; licèt pietas, ac reverentia in avum exegisset, ut vel oculos averteret, vel injecto velamine avi sopiti obtegeret pudenda, ausus fuit risu procaci senis sopiti inhonestæ illudere nuditati, passúque accellerato ad patrem currere, & quid viderit irreverente risu renunciare; cúmque debuisset pater inverecundum os filii compescere, relata approbavit; imò ut proprii parentis dedecus pluribus ionotesceret, vocavit Semum, & Japhetum ad spectaculum videndum naturæ horrendum; qui tamen memores paternæ reverentiæ, suo, patrísque pudore instinsti, pallio probrosam patris contexerunt nuditatem. *Cœpítque Noë vir agricula exercere terram, & plantavit vineam, Bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo, quod cum vidisset Cham filius Chanaam, verenda scilicet patris sui esse nudata nuntiavit duobus fratribus suis foras. At Sem, & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui.* Genes. 9. Quàm fœde honestas suum exuit decorem, cum primùm primus Vinitor cœpit vino madere!

Est vinum Veneris lac, venenum pudoris, rationis cæcitas, mentis fluctuans naufragium, sensuum mors, eloquentiæ vinculum, fœda linguæ titubatio, fax concupiscentiæ, fex spiritus, oculorum caligo, cordis sepulchrum, procella castitatis, cupidinum Ætna, pudoris Charybdis, vir-

tutum Scylla, vitiorum fomes, illex mortis, calamitatum illecebra; carnifex animæ, ac janua dedecoris; qoia ut ait Apostolus, *in vino est luxuria*, nimirum est vinum impuri monstri splendidum domicilium, dulce venenum, blanda mors; quia unus, at idem liquor cor lætificat, & eidem cordi virus invehit; uno è calice, lætitia simul, & tristitia, risus, & lachrymæ hauriuntur; ono, eódemque liquore vitæ, ac neci præluditur. Vitem spectâsti? planta est collium appetens sublimitatis, quia propria caret; lacera, languida, putida, distorta, vix terræ hærens, vix sibi cohærens; & nihilominus adhuc vinum germinat, in quo est luxuria; quid ni etiam in humili triumphat luxuria, quæ neque rudem in vite fastidit originem; & quamvis robeat vinom, in quo delitescit loxuria, non tamen hæc erubescit adolescere in sene, & consenescere in adolescente. Rursus sicut vitis vinum imbre fœta partorit; ita luxuria ludit in luctu, præliatur in pace, nuditate armatur, sævit in osculis, blanditijs ferit; & jugulat, quem exuscitat; coosopit, qnem excitat; debilitat, quem corroborat; exanimat, qnem animat; enecat, quem fovet; toxicat, quem nutrit. Est luxuria, quæ stabulatur, ac fovetur in vino, melleum fel, dulce venenum, blandum vulnus; ferit enim, cum blanditur, amarorem fundit, cum dulcescit; & virus exhibet, cum lacteam videtur dulcedinem propinare.

3. Luxoria suam à luxu trahit nomenclationem, quasi perinde sit, ac luxus orens: & generatim excessum subindicat non tantùm in re venerea; sed etiam in epulis, vestibus, cæterísque delicijs, qnibus solent voluptatibus addicti disfluere; hinc Virgilius. *Lib 1. Aeneid.*

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur.

4. *Annal. Lib. 20.* Et Tacitus. *Effusi in luxum, & epulas, & nocturnos cœtus.* Propriè tamen versatur luxuria primariò circa voluptates Venereas, & duntaxat secundariò dicit excessum in alijs; hinc Augustinus ait: *Luxuria non est vitium corporum pulchrorum, vel suavium; sed animæ perversè amantis corporeas voluptates, neglectâ temperantiâ, quâ aptamur spiritualibus.* *De Civit. Lib. 12.* Hinc luxuriari in vestibus quis dicitur cum ultra status rationem vestes superbè, ac pretiosè ornat; in comessationibus, & epulis, cum quod necessitati natura dilposoit humana, iotemperantia invecta ferculorum superfluitate, convertit in luxum, & dat superfluitati, Deuter 21. *In convivijs suis luxuriantes vobiscum.* Ebrietas etiam ipsa luxum sapit, & luxuriam provocat, ac fovet, unde Salomon. *Prover. 20.* *Luxuriosa res est vinum:* & Apostolus *ad Ephes 5. nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Immodico, qui vino madent, Bacchi sunt satellites, qui dum faucium spongias mero rigant, luxurianti concupiscentiæ fomitem suppeditant; & vini affusione flammas accendunt, quibus splendor virtutis denigratur, & decor castitatis deflorescit, pudor arescit, totúsque homo devenustatur: quia sicut sobrius vini haustus vires reficit, cor recreat; ita immodicus vires opprimit, & hominem deprimit infra hominem; cum non ampliùs soi compos usu destituatur rationis. Vide immodico madidum vino cespitantem pedibus, fœda vertigine vacillantem capite, fronte sordidatũ, vultu luridum, ore hesternam adhuc temulentiam redolentem. Vide, quomodo ejos lingua præpediatur, labra solvantur, oculi detorqueantur, visus præ nimia humiditate veluti in piscina natitet; ménsque mentiri coacta, putet omnia in orbem ferri. Sunt, qui finxerint Bacchum vino miscuisse sanguinem quatuor animalium, puta simiæ, leonis, porci, & agni, eò qoia ex temulentia gesticulantur plerique cum simijs; pugnant alij ut leones; fœdantur alij, volutantúrque in cœno ut porci; mitescunt alij agnorum instar: vide quàm dispares monstrosi fœtus ex pari gignantur temulentia. 5.

6. Anacharsis Philosophus ex penu visus est deprompsisse sapientiæ, effatum illud, qno dixit, vitem tres ferre botros, unum voluptatis, secundum ebrietatis, & tertium insaniæ, seu furoris, violentiæ, ac molestiæ, sentieos, modicum vini haustum lætitiam excitare, sitímque limphatum sedare; largiorem verò gignere temulentiam; & largissimum parere rixas, spargere cædes, fundere sanguinem. Vide hominem temulentum, & honc habebis somnolentum, & ad Dei obsequia omnino lentum; proinde minùs aptom regno cœlorum rapiendo, cum hoc soli rapiant violenti, non vinolenti; hinc Apostolus ait. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt:* *1. Corinth. 6.* nimirum ait Apostolus, Deus severissimè prohibuit temulentiam, seu ebrietatem sub pœna incurrendæ exclusionis à regno cœlorum; seu sub pœna æterni supplicij. Quàm noxia est ebrietas! quàm enorme scelus! cum jacturâ cœli puniatur, & temulenti æternis ablegentur cruciatibus: idcirco Christus sollicitè nos monuit; ne sineremus stomachum nostrum gravari crapula, & ebrietate, ait, *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate,* *Luc. 21.* quasi diceret; lex sobrietatis sancita est; attendite ne illam transgrediamini, qoia hujus legis transgressores ex eo quòd immodico maduerint vino ad ignes ablegantur nunquam extinguendos: sicut abstinentia in esculentis dicitur, ita sobrietas in poculentis; unde nobis non interdicitur totalis vini usus, sed immodicus, qui temulentiam invehit, & quo non necessitati consulitur, sed volup-

tati

Ser. 17. tati indulgetur; quia plerúmque ut ait Chrysologus. *Vinum cum mensura emitur*, & *sine mensurâ bibitur*, & tunc lex violatur sobrietatis, sine qua mens nequit vigere, nec animi facultates sua expeditè munia obire.

7. Hinc Fridericus Imperator sobrietatis in primis studiosus, cum audivisset Leonoram uxorem (quæ paterna in domo nunquam vinum gustaverat) filios haud facilè genituram, si in Germania tam frigida regione, vinum non biberet; respondit, malle se uxorem habere sterilem, quàm vinosam, ac temulentiam olentem. Non fœminas tantùm, sed & viros militiæ addictos vini haustum dedecere plerique censuerunt, rati, assuetos vini haustui minus aptos esse armis tractandis; hinc Piscenius militibus vinum ab eo exposcentibus, admirabundus respondit; quidni, Nilum habetis, & vinum petitis? suos mirum voluit milites edocere; vinolentiam, ut quovis veneno noxiorem, esse fugiendam; quia quorum ratio mero pervertitur, negotijs peragendis sunt minus idonei; idcirco cum Romani milites detrectarent pugnam contra Saracenos inire, eò quia haustus vini eis non suppeditaretur, retorsit militiæ Præfectus: An non erubescitis? hostes qui ad pugnam vos provocant, & vos etiam vincunt, à vino abstinent, & solâ frigidâ sitim extinguunt; & Romani milites nonnisi mero madidi pugnare volunt? palmis irrigandis sola aqua est apta; vinum triumphali lauro semper fuit noxium; nec victoria vitibus gaudet, sed victis, & prostratis; & rubere sanguine inter neces, non madere vino inter vites.

8. Refert Livius, Galliæ Cisalpinæ incolas, cum audivissent, Italos vineta plantâsse, expeditionem Italicam illicò suscepisse; quòd si nulla tunc Italia vineta habuisset, nec regio, quæ sedes est amœnitatis, deliciumque Floræ, Cereris, Pomonæ, & Neptuni fuisset ab extero milite eversa, & expilata. Ideò prisci Romani, cum essent in rebus omnibus providi, vinúmque sibi exitio esse animadvertissent, senatus consulto, vites toto imperio eradicari jussêre; vino enim qui madent inidonei sunt negotijs, rebúsque serijs peragendis; idque causæ cur Ferdinandus Imperator Caroli V. germanus frater referente Majolo. *Colloquio de Aula, & Caula.* Legatos Electorum, & aliorum Principum Germaniæ in comitijs graviter abjurgaverit, eò quia suo neglecto munere calicibus exsiccandis indulgerent. Mementote, dixit Imperator, vos huc destinatos, non ut poculis, aut ebrietati vos dederitis, sed ut sobrij saniora consilia in medium consulendo conferretis.

9. Potationibus præ cæteris sunt magis obnoxij, qui tractus incolunt septentrionales. Goagninus in descriptione Moscoviæ *c. 1.* narrat, adeò compotationibus obnoxios esse Moscos, ut certis duntaxat diebus permissa sit ipsis liberior, pleniórque potatio, ne singulis fermè anni diebus inebrientur; nimirum in festis duotaxat Pentecostes, & solemnioribus Divorum præsertim S. Nicolai, B. Mariæ Virginis, Petri, & Joannis Apostolorum; hisce diebus veluti è carceribus solutæ bestiæ, sacris licèt nondum peractis, non solùm mero, vinóque cremato, & cerevisia, verùm etiam plurimo alio potûs genere ad ebrietatem fœdè madent; & vociferantes, séque mutuò cædentes, ac contumelijs afficientes per forum, ac plateas vagantur. Moscis videntur, plerísque in locis associari Germani, quibus, teste Tacito, diem, noctémque continuare potum nulli fuit probrum, & cum Græcis de gloria (veriùs tamen dixerim de dedecore) vinolentiæ decertare visi sunt: quanta fuerit Græcorum bibacitas, satis fatentur Veterum historiæ, adeò ut parœmialiter *græcari* perinde sit, ac more Græcorum intemperanter bibere, & immodico vini haustu usum extinguere rationis: imò aden haustui assueverunt Germani, ut Carolus V. Imperator monitus in castris, ut Germano militi legem daret ebrietatis fugiendæ; reposuerit, si Germano ebrietatem prohiberem, perinde foret, ac si Hispanis furta, aut rapinas inhiberem, ut refert Corozetus *de gestis Caroli V.*

Imò adeò invaluit hæc fœda consuetudo vinum, cervisiámque ad ebrietatem ebibendi, ut quidam Germanus Heroldus nomine cum ad Augustana comitia accessisset, & in aula Cæsaris Baccho libentiùs, quàm Minervæ studeret, Ephemerides sibi confecit, in quas juxta dierum series omnia sua sive dicta, sive facta retulit, & præ cæteris studiosiùs adnotavit, quo die, cum quibus Principibus, Comitibus, vel Nobilibus cœnâsset, & quàm benignè fuisset exceptus; quam tamen benignitatem ex sola metiebatur ebrietate: & licèt sub comitiorum initio singulis diebus non pranderet invitatus ab alijs; cùm primùm tamen innotuit, ab omnibus certatim cœpit invitari: cúmque dies totos, noctésque integras ad plures menses debacchatus fuisset, non ampliùs in suarum ephemeridum albo dies singulos singulis adnotavit scyphis: sed totum mensem uno grandiori cyatho ab initio ad basim paginæ perducto calamo delineavit, addito lemmate *nulla dies sine linea.* 10.

Non solùm privatos homines, sed & viros Principes, ac imperantes legimus fuisse vitio obnoxios ebrietatis. De Bonoso Romano Imperatore Filio Ludimagistri refert Aventinus, adeò vini haustui assuevisse, ut nullum in liberalioribus exsiccandis calicibus parem habuerit; cúmque fuerit Filius Ludimagistri, quasi per lusum plenas meri mensuras in stomachum demittebat, de quo propterea Aurelianus Imperator sæpe dixerit: *Eum natum esse, non ut viveret, sed ut biberet;* & tametsi cæteros soleret inebria- 11. *Lib. 2. annal. Bojor.*

re, & maneret ipse semper sui compos; semélque bibax quidam ad eum accessisset, à quo fuit Bonosus in bibendo superatus; ex animi dolore se suspendit. Fuit tamen, qui laqueo apposuit epiphonema: *Hic pendet amphora, non Homo.* De Tiberio Cæsare testatur Suetonius, adeò in castris frequentiori vini haustui assuevisse, ut sæpe biduum totũ bibendo insumeret, nec propterea Tiberius, sed Biberius vocaretur; & ob eandem bibendi consuetudinem Nero, Mero appellatus est. De Firmo Imperatore narrat Vopiscus, fuisse vini capacissimum, ac patientissimum citra tamen ebrietatem: imò fertur, provocatum à quodam bibone duas vini situlas hausisse, & postea toto convivio sobrium fuisse. De Philippo Patre Alexandri

Lib. 2. refert Theopompus, adeò fuisse ad potum proclivem, ut bibaces quosdam Aristonicum Citharedum, Durionem Tibicinem, aliósque nonnullos sympotas, seu combibones consueverit secum circumducere, à quibus ad bibendum provocaretur. De Alexandro ipso Macedone narrat Ælianus *lib. 3. histor. cap. 5.* quóvis die mensis perpotâsse apud Æumæum, & sexto crapulam obdormivisse; septimo deinde die epulatum apud Perdiccam se iterum vino ingurgitâsse, & octavo obdormivisse. Decimo quinto die ejusdem mensis iterum indulsisse vino, & sequenti die crapulam somno decoxisse. Vigesimo quatto die cœnâsse apud Bagoam, & triduum dormivisse: & licet bellicam Alexandri Magni gloriam plura dehonestaverint vitia, vini tamen aviditas videtur eam extinxisse; cùm etiam in castris ex vinolentia biduum totum sæpe integrum obdormierit.

12. De Alexandro Duce Moraviæ hæc habet Æneas Sylvius *lib. 1. commentarior. de rebus gestis Alphonsi.* Alexander Dux Moraviæ egregius potator cùm mortem obiisset, Viennæ, diémque illi (ut vocant) trigesimum in templo D. Stephani, cui præfuerat, Canonici, multíque viri nobiles celebrarent, sacerdos quidam, qui sitibundus cellam vinariam Præpositura ingressus fuerat, asseruit vidisse se Alexandrum inter dolia deambulantem: & ad ecclesiam reversus, eum orantes adhuc Presbyteros invenisset: quid Alexandro inferias agitis? ille in suo templo lætus agit, bibitque; vos autem hic siti arescitis? De quodam insigni potatore narrat Majolus *tract. de Aula, & Caula*, eum spatio unjus diei integram cervisiæ urnam, seu 72. mensuras exhausisse. Sed hunc tandem & sitire, & bibere desiisse, postquam ei laqueo fracta est gula jussu cujusdam Principis Germaniæ asserentis, indignum vitâ eum hominem, qui una die tantum exhauriret cervisiæ, quantum alij triginta, ac potuisse propterea pocolentorum penuriam cum incommodo Reipublicæ induxisse. Camerarius horis subcisivis *p. 1. c. 44.* refert fuisse alicubi nuptias celebratas, ac proposita præmia ei, qui plus vini exhausisset: & repertum fuisse unum, qui octodecim germanicas mensuras exhauserit. Sunt etiam nostris temporibus, qui potentes volunt videri ad bibendum, quærentes, vel in ipso vini haustu gloriam aucupari, cùm tamen dedecore dehonestentur; de aliorum provocatione, ac solicitatione ad plures haustus, quàm necessitas ferat, benevoli audiri affectant, cùm tamen eò fiut nequiores, quò sub poculis invictiores.

§. II.

Fœda, quæ in aliquibus regionibus inolevit consuetudo se provocandi ad plures siccandos cyathos, virtutum flores exsiccavit, & gramma fovit vitiorum.

Deploravit hanc fœdam bibendi consuetudinem, ac improbavit D. Augustinus *serm. 4. de verb. Apostoli*, ubi vocat hanc benevolentiam, qua bibones se provocant ad plures exsiccandos calices *inimicam amicitiam*, & *serm. 231.* eam acriùs redarguit, & sub finem notat, hanc infelicem consuetudinem, per quam grandi mensura sine mensura plures bibunt, majora providentes pocula, ac certa bibendi lege contendunt, ut qui poterit vincere, laudem mereatur ex crimine, de Paganorum remansisse observatione. Idque repetit *serm. 232.* ubi ethnicam illam consuetudinem, cujus apud Plinium plura assignantur vestigia, ex Christianorum quorundam non jam superstitione, sed nequitiâ oriri, refert, inquiens. *Illud verò quale est, quod jam transacto convivio, expletâ siti, cùm ampliùs bibere non possint, nec debeant, tunc quasi novelli, quasi & qui ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, & non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum sanctorum: existimantes, quod maximum illis honorem impendant, si in illorum nominibus se nimia ebrietate insepeliant, ignorantes, quod nullus tam gravem injuriam SS. Angelis, vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suas animas probantur occidere.* Asserit Augustinus, fœdum illud bibendi certamen ex ritu Ethnicorum ad Christianos transfusum, etiam apud ipsos vigere, cùm non solùm SS. Patres, hunc inter Christianos bibendi morem improbaverint, verùm etiam inter ipsos Ethnicos Seneca certamen illud scyphorum acriter redarguerit *epist. 83.* ubi ait. *Quæ gloria est capere multum? cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno, ac vomitantes recusaverint, cùm superstes toti convivio fueris, cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio.*

13.

Lib. 14. c. 22.

lio. Senecæ assentitur Philo, ejusdem ævi scriptor inquiens: *Nunc usque ad animi, corporisque languorem potant, absque respiratione bibentes, & ultro pincernas surgentes, indignantésque illis cessantibus, dum calidam, quam vocant frigefaciunt.*

Ph. lib. de plantatione Noë in fine.

14. Juvat obiter advertere, haustum calidum olim apud Ethnicos fuisse in delicijs, adeò ut in festis, sicut habetur ex S. Ignatij Martyris epistola ad Magnesianos ad cæteras lautitias haustus adderetur tepidus, & Gretserus *in mantissa ad opus de cruce* hoc bibendi certamen vocat Homericum deliramentum, & in eo certantes egregiè conflictari, & auriculas, nares, manuum extremos digitos, aliásque quascunque partes corporis sibi invicem prorodere. Et subdit: *hac esse hujus nova, qua nunc introducta viget, hilaritatis præmia:* licèt non rectè novàm vocet hilaritatem; cùm jam pridem alicubi viguerit hæc certandi corruptela de siccandis calicibus: scimus enim, Alexandrum Macedonem talentum in præmium ei statuisse, qui largiùs potâsset. Inque instituto certamine quadraginta victores combibones, effusis visceribus propemodum spectante Rege sordidè crepuisse, ac fœdè perjisse. An non indignissima sunt hæc compotorum certamina? quidquid prætexatur; cùm adigant, unà cum epoto vino etiam animam evomere? An non detestabiles sunt combibonum provocationes ad potandum, cùm inde mens fluctuet, lumen infuscetur rationis, & ejus usus naufragium patiatur in ebrietate? sitque propterea immodico madidus vino mortuo haud dissimilis, & porco prorsus similis, ut nervosè inculcat S. Chrysostomus. Gravissimum quidem est ebrietas, delictum, & quod potest excæcare sensus, & submergere mentem, & hominem rationale animal, qui super omnia dominium suscepit, injectis vinculis insolubilibus quasi mortuum, & operatione carentem jacere facit, imò deteriùs se habentem, quàm mortuum. Nam mortuus neque bona, neque mala operari potest; ebrius autem nihil boni valet operari; ad malum tamen faciendum non omninò impotens est, jacétque ibi ridiculus omnibus, & uxori, & pueris, & famulis, Amici enim suam ignominiam cogitantes, se se abscondunt, & confunduntur. Inimici autem oblectantur, & irrident, & execrantur, quasi hæc dicentes verba. Hunccine oportebat vivere? Et hunccine oportebat spirare aërem? ô pecus! ô porcum! & adhuc graviora loquuntur. Qui ex prælijs redeunt, cæde coinquinatis manibus, & prædam ducunt, non tam atroci aspectu sunt, ut illi. Sunt enim fortâssis, qui illos laudibus extollunt, propter trophæa, propter victorias, propter vulnera, & cædes: ebrios autem miseros proclamant, ærumnosos vocant, & innumera eis mala imprecantur, Quid eo miserius fuerit, qui ebrietati quotidiè deditus est, & vinum profundit, & mentis suæ judicium corrumpit? hactenus Chrysostomus, & expendens illud Apostoli. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria,* eloquenter, & insigniter disserit, inquiens: Mirabili quadam ratione paucis verbis omnem ebrietatis accusationem complexus est. Quid est, nolite inebriari vino, in quo est luxuria? Luxuriosos inter juvenes eos vocamus, qui cùm paternam obtinuerint hæreditatem, cuncta confestim dilapidant, nec perpendunt, quid dandum sit, & quando sit dandum: sed nullo delectu, & vestes, & aurum, & argentum, omnésque paternas opes, in meretrices, & impudicas distribuunt. Tale quiddam est ebrietas, tanquam juvenem luxuriosum invadens mentem ebriorum, ratione servituti mancipata nostras omnes animi, ac sensuum opes inconsideratè, ac sine ulla animi attentione, cogit effundere. Qui ebrius est, nescit, quid dicendum sit, quid tacendum, sed perpertò patens, nulláque obstructam januâ est os ejus: non vectis appositus est labris, non janua. Qui ebrius est, disponere sermones suos in judicio nescit, mentis divitias administrare nescit, non novit hæc quidem recondere, illa verò expendere, sed omnia illa ad impensas, & effusiones traducuntur. Spontaneus est furor, ebrietas, proditio cogitationum. Ebrietas, ridicula calamitas, morbus sanis expositus, voluntarius Dæmon, & ipsa molestior insania. Et tu disce, quo pacto dæmoniaco ebrius sit deterior? miseremur ejus, qui à dæmonio vexatur, at hunc odisse solemus. Illi condolemus, & compatimur, huic autem irascimur, & indignamur. Quid ita? Illius enim morbus injuria, hujus verò negligentia est appellandus. In illo insidiæ inimicorum; in hoc insidiæ consiliorum. Nec aliter affectus ebrius, ac dæmoniacus: pariter circumagitur; pariter de statu mentis dejectus est; pariter concidit; pariter oculorum pupillas contorquet; pariter jacens in terra pedes jactat, spumam ex ore projicit, & ita fœtentem salivam effundit, atque os ejus intolerabili fœtore repletum est. Injucundus amicis est vir ejusmodi, inimicis contemptibilis, famulis, uxori ingratus, omnibus odiosus, ipsis bestijs molestior; bestiæ eò usque bibunt, quousque fert sitis, & cupiditatem sistunt necessitate. Hic intemperantiâ cupiditatē transilit, & ratione carentibus à ratione alienior apparet. Verùm illud multò intolerabilius est, quòd morbus tot malis redundans, tótque secum invehens calamitates, ne crimen quidem censetur: sed in divitum mensis hujus turpitudinis gratiâ pugna oritur, atque certamen, atque inter se majori studio contendunt, quis se ipsum magis infamet, quis majorem subsannandi occasionem præbeat, quis nervos ampliùs infringat, quis vires ampliùs debilitet, quis communem Dominum gravius irritet, ac videre est stadium, certaménque diabolicum. Ebrius mortuo mi-

Homil. 29. in Genes.

Serm. 11. de resurrect. Tom. 3.

miserior est. Siquidem ille sensu destitutus jacet, neque bona ulla, vel mala potest operari: hic verò ad mala exequenda promptus est, & anima in corpore tanquam in monumento defossa, mortuum corpus circumfert. Vides, ut miserior sit dæmoniaco, ut magis quàm mortuus sensu destitutus? Hactenus Chrysostomus.

15. Nihil est, quod magis lædat studium sapientiæ, quàm ebrietas, quia nil est, quod sit tam contrarium sapientiæ, quàm dementia: ebrietas autem quædam est voluntaria dementia, neque aliter à phrenesi distinguitur, quàm temporis brevitate: hinc Plutarchus ebrietatem dixit insaniæ contubernalem, quia ubi stabulatur ebrietas, ibi mens fluctuat, ratio exulat, ejus lumen extinguitur, intellectus obtunditur, memoria obruitur, consilia deviant, judicia subvertuntur, & oppressò partis nobilioris, seu mentis vigore, totus homo alieni juris efficitur. Quamobrem è veritate deflexit Machrobius. Cùm ebrietatem igniṫabulum ingenij, ac virtutis dixit, & si mens, & corpus hominis vino flagret, aptum hominem fieri virtutibus acquirendis: etenim immodicus vini haustus, iter ad vitia, & præsertim ad luxuriam, viam emollit; & vino madidi lubriciores sunt ad concupiscentiæ æstus, sitque propterea inter Philologos disceptatio, num ebriosior Anacreon fuerit, an libidinosior. Neque exsiccandis calicibus, qui frequentiùs assuescunt lumina valent sapientiæ enancisci, cùm fumidi halitus ubertim è natante stomacho veluti è vaporario sursum ad caput exilientes cerebrum fœdis repleant evaporationibus, mentem cæcutiente caligine infuscent, usum rationis abripiant, lumen extinguant, intellectum obtundant: unde Salomon. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam, donec viderem, quid esset utile filijs hominum.* Cùm enim Ecclesiasticus virtutis, & sapientiæ appetens obices ad ejus assecutionem sibi proponeret declinare, id unum fategit, ut à vino abstineret: *Cogitavi abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam.* Idque non solùm uni sibi proposuit, sed & omnibus suasit, qui studio veræ sapientiæ, ac solidæ virtutis accenduntur; imò non solùm vult ab immodico vini haustu coërcendum esse appetitum; verùm & etiam pœnitùs repudiandum quidquid ad delicias pertinet, ac voluptates. Hinc de Secessu in primis cogitans ait Seneca. *Non Canopum eliget Sapiens (quamvis neminem Canopus vetet esse frugi) sed ne Bajas quidem, quia diversorium vitiorum esse cæperunt. Non corpori tantùm, sed moribus etiam salubrem locum eligere debemus. Quid? quòd Plato ut moribus salubrem eligeret, corporibus elegit aërem insalubrem, dum in horrido, atque obscuro Academi luco academiam instituit, ut locus ipse non minimam Philosophia partem, seu mortis meditationem oculis objiceret.*

Lib. de garrulit.

Lib. 2. Saturnal. cap. 8.

Eccles. cap. 2.

Epist. 51.

Hæcque etiam ratio, cur D. Bernardus pleráque suorum asceteria Monachorum in imis vàlliom, locisque pallustribus fundaverit. Quod etiam præstitit Carthusianorum Institutor D. Bruno, qui ut jaceret prima sui instituti fundamenta horridam, incultámque Carthusiæ solitudinem Episcopo Gratianopolitano diviniùs ostensam delegit. Id enim agere debemus, ut irritamenta voluptatum, quàm longissimè fugiamus. Una Hannibalem hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus, atque alpibus virum enervârunt fomenta Campaniæ. Armis licèt plures disruperit, vicerítque exercitus; si non ab hominibus, à vitijs tandem victus occubuit. Qui militiæ est Christi addictus arma movere in voluptatum phalanges, eásque debellare totis viribus debet; cum in sæva quoque ingenia consueverint tyrannidem exercere: & quia vitijs vinum viam emollit, ab immodico ejus haustu, in quo latet fucata luxuriæ voluptas, abstineat. Hæcque fortassis ratio, cur Deus sitienti in solitudine Israëlis populo non generosum vinum, merúmque dulce scaturire jusserit è petra, cùm hæc æqua facilitate ad nutum Conditoris vinum fudisset, ac frigidos latices; imò & præstantissimum nectar suppeditâsset siti extinguendæ, si Deus annuisset: sed quia non ebrium, sed sobrium populum voluit sibi addictum, & ad studia virtutum pronum, non ad vitiorum indulgentiam proclivem; ideò providè jussit Deus percussum saxum in aquam liquescere, non vinum ab ipso scaturire: si enim petra vinum dedisset, ingurgitâsset se se populus, saltitâsset, ac in omne genus degenerâsset nequitiarum, nec potuisset in officio contineri, & fortassis ad dimensum diem, super thoros accubuisset, cœnásque cum prandijs copulâsset; mero è saxo exilienti liberaliùs indulgens ventrem disrupisset, sensúsque omnes depravâsset: est siquidem ebrietas libidini fovendæ aptior illex: nil est concupiscentiæ excitandæ, luxuriæ incitandæ fomentum ebrietate magis aptum: qui enim immodico madent vino hujus calore inflammati, ac igniculis propriæ concupiscentiæ excitati cohibere se nequeunt, quin proruant in bestiales libidines, nec ullum sibi tempus præscribunt, quo tantùm debeant fœdis luxuriæ voluptatibus indulgere: ideóque extinguendæ populi Israëlis siti jussit Deus Saxum non in vinum, sed frigidam colliquescere in aquam; quia ut notat S. Basilius homil. in ebriet. *Ebrietas est mater malitia, virtutis inimica: hac justitiam ignorat, prudentiam extinguit.* 17.

Imò

17. Imò quod in nobiliore sui parte habet homo præstantissimum, & optimum, usum nimirum rationis adimit; sensus murat, formámque humanam; fiúntque propterea ebrij ex hominibus equi adhinnientes, quia propria naturali concupiscentia æstuantes, & præter naturam epoti vini calore flammantes in fœdas quasque irrumpunt libidines, imò belluis ipsis sunt deteriores: siquidem pecudes, si semel sitim in fluvio extinxerint, ultra sitim potum fastidiunt, ad quem à nemine se cogi ferunt: cùm è converso homo pecude longè deterior licèt jam satur, adhuc ebrius bibat, séque ut bibat, fœdissimè cogat, donec mens fluctuet, & in calicibus usus naufragetur rationis; & tunc immodico vino madidi vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, dentibus fremunt, furore ardescunt, sensu excidunt, incertique sint ipsi oculorum intuitus, vanæ mentis imaginationes, instabilis pedum gressus, umbras persæpe transilientes, ac foveas; nutat ipsis unà eum capite terra, fluctuat unà cum mente solum, in quo veluti in maris procella huc, illúcque exagitati erigi, & inclinari videntur, timentes in faciem ruunt, terrámque manibus apprehendunt, perinde ac in pelago naufragi tabulam, quâ propriæ consulant securitati. Murmur experiuntur in auribus, perinde ac maris decumanis fluctibus procellosi fragorem, ac resonantia fluctuum repercussu littora. Canes si viderint, leones arbitrantur, quos cùm fugiunt in terram delabentes ridiculum simul, ac fœdum exhibent ebrietatis spectaculum.

§. III.

Cultura addictus castitatis temulentiam venenato angue deteriorem fugit, & ab immodico se vini haustu abstinet, ne flos pudicitia hâc undâ obruatur.

18. CUlturæ addicti virtutum, & præsertim castitatis studio, ebrietatem angue deteriorem oderunt; ab hoc libidinis illice abstinuerunt: quapropter Anna Samuelis Mater vinum nunquam bibit; ut etiam plures aliæ insignes fœminæ virtutum honestamentis cæteris clariores. Una duntaxat potest mihi Juditha objici, quæ præter naturalem corporis venustatem totum ad se virtutum ornatum, quo animus splenderet, accersivit; quæ tamen à vino haud abstinuit. *Imposuit itaque Abra sua ascoperam vini, & vas olei.* Olim in vulgatis biblijs antiqui legerunt *ascopam*, & in biblijs Gothicis *ascopiam*: quid verò hæc vox significet, certum est, olim fuisse in usu, cum apud Suetonium in Nerone *Ascopa* reperiatur; quamvis Turnebus posuerit *ascomam*; & alij *Ascopam*. Igitur *Asco-*

Iudith. cap. 10. v. 5.
Cap. 45.
lib. 25. cap 12.

pera saccum significat utricularem, seu coriaceum, in quo moris est plerisque in locis, ut vinum asservandum, & asportandum infundatur: hinc Interpretes per Ascoperam vini utriculum intelligunt vino plenum. Sed cur Juditha Holophernem accessura vinum secum detulit? An ut Holophernes eo epoto faciliùs somno sopiretur? at militiæ præfecto vinum non defuit generosum, quo ad ebrietatem etiam maderet? si Juditha naturali propriæ venustati addidit, à vestibus, à fuco, omnique lenociniorum suppetijs petitam, cur ascoperam vini secum detulit, quæ ornatam potius mulierem dedeceret? præsertim cum Dominus ei splendorem contulisset; & licèt Judithæ facies, sicut illa Moysis ex consortio Dei non splenderet; plurimum tamen addidit pulchritudinis sibi supernaturaliter insitæ, ut notant Carthusianus, Salianus, & alij, qui per hunc splendorem augmentum intelligunt pulchritudinis: vel ut placet alijs, contulit Deus Judithæ hunc splendorem, qui non tantùm corporis augeret pulchritudinem, verùm & extraordinariam vultûs dignitatem, quæ divinum quid, & humano aspectu augustius intuentium ingereret oculis. Hanc splendoris dignitatem, vultúsque majestatem afflavit Deus Judithæ, ne cum esset exercitum pertransitura Asyriorum, nullus ex militibus indignius quid, vel petulantius in eam auderet.

Sed cur Juditha adeò venusta, ac splendida, ut naturæ, & artis ingenio, ac ornamentorum omnium lenocinio placere Holopherno studuerit, Ascoperam vini, saccum scilicet utricularem, & coriaceum, qui vestium ornatum potiùs devenustavit, secum detulit? cur sic vino se assuetam ostenderit, ut nec ad paucos dies apud Asyrios transigendos eius voluerit usu destitui, jusseritque propterea ascoperam vini asportari? Quomodo commendanda Judithæ frugalitas, si nec ullum apud Asyrios vult diem fluere, quin madeat ipsa vino? si abstinentiæ fuit studiosa, cur modò se bibacissimam profitetur, præsertim cùm usus vini fœminas dedeceat? etenim Tertullianus de Romanis fœminis ait: *Cùm mulieres usque adeò vino abstinerent, ut matronam ob resignatos cella vinaria loculos sui inedia necarent. Sub Romulo verò, qua vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata est.* Quinimò immodicus vini haustus, & Matronas dedecet honestatis studiosas, & meretrices prodit, libidinibus infames: celebris est Romuli lex vetans mulieribus vini usum; *si vinum biberit domi ut adulteram puniunto:* quia eo ipso, quòd mulier vino assuescit, honestati desuescit, séque libidinibus prostituit, quia in vino latent fomenta luxuriæ. Si igitur vini usus tam malè audit in fœmina, quam honestate destitutam prodit, cur Juditha honesta- 19.

Apolleg. c. 6.

ti arctissimè addicta summarum cultrix virtutum, & præsertim castitatis studiosa tam impensè ascoperam vini apparavit siti extingnendæ? An oon hæc tam sollicita cura vini apparaodi castæ Matronæ videtur decori derogare.

20. Non me fugit, plures viodicaturi Juditham ab hac dedecoris nota, asserere, Juditham secum detulisse quidem ascoperam, seu saccum utricularem, ac coriaceum ex communi usu destinatum quidem ad vinum excipiendum, & servandum, sed à Juditha fuisse aqua impletum: nil enim videtur posse objici, quin casta fœmina potuerit utrem vinarium aquâ implere siti extinguendæ: & ita videntur sentire D. Hieronymus, & alij. Censent tamen plerique Ascoperam fuisse quidem à Juditha vino oppletam in proprium usum, non tamen id probro dari, quia tametsi apnd Europæas fœminas malè oleat vioi usus, nec suspicione vacet: non ita Asiaticis Matronis insolens erat vini haustus: siquidem de Didone, qoæ ab urbe Tyro Judææ contermina, propterea Asiatica originem traxit, ait

Aeneid. Virgilius, vinum consuevisse bibere

Primáque libato summo tenus attigit ore.

21. Hoc est vina libavit Regina Dido etiam tum in convivio Regias Æneæ ambiret nuptias. Hinc etiam in sacris epitalamijs sponsa à vinn mioimè abhorret, Cant. cap. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam:* & cum passim mentio fiat vini, rectè conjicimus noo fastidivisse vinum, cum in ejus ore vioi gustus frequenter inveniretur; neque potuit oauseam creare, vel stomachum movere vini usus, cùm avidè concupjêrit in tellam introduci vinariam.

22. Cùm igitur Asiaticis mulieribus insolens non fuerit vini usus, neque probro erat Judithæ dandum, si ascoperam vini secum detulerit, cùm etiam ad vini haustum invitata fuerit à Vagao Holophernis lenone.

Judith. cap. 12. *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut benerificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate:* potuit igitur fœmina Syra citra dedecoris notam cum Holopherne Assyriorum Præfecto, ac exercitus Duce vinum libare: si enim Syram fœminam vini usus dedecuisset, Holophernes Judithæ vini haustum noo propinâsset; cum tamen eam

Judith. 12. ad bibendum invitaverit. *Bibe nunc, & accumbe in jucunditate.* Non igitur mirum, si Juditha culturæ virtutum præserrim temperantiæ, & castitatis studiosa ascoperam vini secum detulerit, sitíque extinguendæ apparaverit, tum vini haustus dedecori non daretur Asiaticis mulieribus, & usus communis tunc fuerit. Præterea pateous Juditha ex obsessa Bethulia esculenta, & vioum secum detulit, quia Hebræis noo licuit tunc gentilium mensis assidere, cum pollutæ haberentur, eò quòd idololatrico ritu esculenta, & poculenta Numinibus consueverint à Gentilibus consecrari, & eum defecisset aqua in Bethula. *Defecerunt cisterna, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam*, & cum Ju- Judith. cap. 7. v. 11.
ditha noluerit Gentilium cibo, & poto pollui, & aqua non suppeteret in Bethulia ob exsiccatas cisternas; ideò parum vini, quod domi suæ supererat, meritò mulier frugalis, ac virtutum studiosa, cultrixque castitatis secum tulit, & alcoperam vini secum detulit siti extinguendæ, ne adigeretur potu gentilium pollui. Non enim modici vini usus datur vitio frugalibos fœminis: cùm modico uti vino iofirmæ naturæ sit auxilium, & adhiberi soleat instar medelæ, & locò pharmaci.

Non igitur modici vini usus improbatur, sed ejus abusus reprobatur, nec omne vinarium poculum manibus est excutiendum, sed ot iotemperantia caveatur; si enim largiùs bibatur, pudori iosidias vinum extruit, ac modestiæ regulas obruit; cùmque in omnibus id verum sit, in fœmina turpius est, ac indecentius; hæcque ratio, cur Anna ebrietatis notam anxiè depulerit. *Nequaquam Domine mi, nam mulier infelix nimis ego* Lib. 1. Reg. cap. 1.
sum, vinúmque, & omne quod inebriare potest, non bibi: ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: Belial interpretatur jugi impatiens, legémque contemnens: sed eur Anna vino dum existimatur indulgere, inter jugi impatientes accenseri conqueritur? nimirum quia censuit, perinde esse fœminam vioo indulgere, ac podoris leges violare; hanc expulsura à se suspicionem violati pudoris, temeratæ castitatis; notam ebrietatis delere enixim studuit. Decet mulieres hanc jugi impatientiam, ac ebrietatem pœnitiùs excutere, & tantùm congruit honestæ mulieri jugum subire mariti; nulla enim ei major gloria, quàm detens viro subjectio, ac debita veneratio. Evam abjicere hoc jugum serpeus edotuit, proinde ejus felicitati lethales teteodit insidias. Dignitatis fœmineæ custos obsequium est in maritom, ooo pervicacia. Pulchrè Tertullianus Evam alloquens ait: *Evam te esse noscis? vivit sententia Dei super sexum istum, vivat reatus necesse est. Et quis reatus? sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Hinc Anoa voluit de censu filiarum Belial se eximere: De Habitu Muli. c. 1.
Ne reputes ancillam quasi unam de filiabus Belial. Ne scilicet dum honestæ subjectionis expers haberetur, indulgens vitijs crederetur, Belial ait Glossa interlioearis, i- 1. Reg. 1. 9
dem est, *absque juge.* Ebrij autem filij vocantur Belial, eò quia jugum excutiune legis ebrietatem vetantis, & temulentiam damnaotis.

Quàm

24. Quàm noxius immodicus vini usus, quàm perniciosus ejus abusus, cùm omne excutiat jugum honestatis, & ad turpissima quæque vitia viam emolliat lubricissimam! Hinc Lacedæmonij filios ut suos averterent ab imodico vini haustu, servos consueverant vino obruere, ac flagellis cædere præsentibus filijs, ut hi indecoros motus ab ebrijs editos videntes, gellúsque ridiculos, ac gressus titubantes ab omni facilius ebrietate exterriti, ab immodico vini abstinerent usu: præsertim cùm famuli domesticos inter parietes vino madidi, ejusque crassiori halitu obcæcati lucem constanter intueri non possent, imò neque se ipsos erigere: & certè non potuerunt Lacedæmonum filij nisi odium concipere in ebrietatem, quâ famuli vulsis maxillis, fœdo aspectu, oculos haberent madentes, cilia turgentia, spumantia labia, vocem absonam, manus tremulas, frequentes ructus, ut porcis similiores, quàm hominibus viderentur, potu non tincti, sed immersi, & non solùm ad insaniam, & stultitiam, verùm & ad diabolicum furorem ebrij. Exploratum erat Lacedemonijs ebrietatem flagitiorum omnium feracem esse matrem, putidam criminum radicem, fœculentam vitiorum originem, tempestatem linguæ, procellam corporis, exitium virtutis, naufragium castitatis, insaniam voluptariam, languorem ignominiosum, morum corruptelam, honestatis turpitudinem, vitæ dedecus, honoris caliginem, intellectus cæcitatem, mentis depravationem, voluntariam rabiem, pudoris injuriam, & totius hominis dedecus; ideóque ut filios ab hac malorum congerie averterent, qualis sit ebriorum extima facies, iisdem ostendere in famulis vino madidis voluerunt, ut ex eorundem insania sobrietatem discerent, quâ honestè viverent, dejicit enim ebrietas hominem in brutorum gregem, cùm enim usu eos destituat rationis, brutis omnino similes efficit: Epist. 83. hinc Seneca: *Quàm turpe inquit plus sibi ingerere, quàm capiat, & stomachi sui non nosse mensuram! quàm multa ebrij faciunt, de quibus sobrij erubescunt. Nil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania. Extende in plures dies illum ebrij habitum, nunquid de furore dubitabis? Nunc quoque non est minor, sed brevior. Alexander Macedo Clitum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore, mori voluit, certè meruit.*

25. Sapit ebriosis vinum, sed simul incipiunt ipsi desipere, cùm illo madent, est enim ebrietas blandus dœmon, dulce venenum, suave peccatum, serpens adblandiens, dedecus vitæ, honestatis infamia, & insania voluntaria. Nullum est vitium, quod in mores ebrietas non inducat: sit homo viribus valens, ebrietas infirmum reddit; temperantiæ studeat, ac castitatem excolat, lascivum statim facit: prudentia, & consilijs commendetur; si immodico madeat vino, ebrietas fatuum relinquit: vigeat mente, acutus sit ingenio, perspicax cogitatione, ebrietas omne obtundit acumen, infuscat perspicaciam, mentem obcæcat; sit æquitati addictus, justitiam propugnet, ac virtuti faveat; si immodico madeat vino, fit iniquus justitiæ corruptor, æquitatis eversor, virtutis inimicus, quia ebrietas modestiam nescit, justitiam ignorat, castitatem extinguit, & hominem vino madidum ad iras, & querelas celerem constituit; ad strepitus, ac tumultus facilem; & ad omnem impuritatum nequitiam pronum, dixeritque propterea D. Hieronymus: *Nunquam ego castum ebrium putabo*; in hac enim ebrietatis lutosa fovea fœdissimis luxuriæ sordibus, se ebrij deturpant, & in eadem modestia obruitur, pudor suffocatur, & castitas naufraga perit.

Non est ebrietas amabilis, sed abominabilis insania: ejus turpitudine commendabilis pudor, in lasciviam commutatur; virilis robur in mollitiem convertitur; masculа virtus in luxuriæ deficit languorem. Plures persæpe sunt morum honestate commendabiles, modesti, verecundi, pudici, qui ubi cœperunt immodico madere vino, impudentes, dissoluti, ac luxuriosi habiti fuerunt. Plures natura mites, studio continentes, assuetudine sunt pacatissimi, qui tamen ubi per fauces ebrietati januas aperuerunt, feroces facti sunt, effrœnes, crudeles, qui ad impudicitiam æquè, & crudelitatem oculos cœperunt inflectere; linguam obscœnis verbis inhonestare, manus cruentis armis instruere, animum turpissimis replere cogitationibus, & dum nimio potu diffluunt, omnis ab iisdem foras effluit virtutis honestas. 26.

§ IV.

Temulentia non animum tantùm suis destituit ornamentis virtutum; verùm & corpus viribus, imò & hominem homine, quem in gregem dejicit pecudum.

Non animum tantùm suis destituit ebrietas ornamentis, sed etiam corpus viribus, crumenam pecunijs, & famam suo privat decore. Quantum inferat ebrietas crumenæ damnum testatur Salomon inquiens: *Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur*: hinc homo bibulus vulgò pecunias suas perforato dicitur sacculo commendare; quod etiam Aggæus Vates dixit: *qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Utinam non reperirentur, qui uxore, & liberis domi esurientibus, ipsi in cauponis, ac tabernis potitantes res omnes domesticas profunda gula obligurirent! utinam non essent, quibus cum totus proventus ex labore manuum obtingat, totius heb- 27. Prov. c. 20. Cap. 1.

 domadæ

domadæ lucellum unâ die voraci gulâ absumerent? Quid hoc aliud est, quàm nummos in sacculum mittere pertusum? sudores, quos labor plurium dierum extorsit, paucis horis temulentia abstergit, ne gutta supersit.

18. Plures non labores tantùm, sed & ipsam prodigunt valetudinem: fructus enim ebrietatis sunt phrenesis periculosa, calculi intus torquentes renes, & viscera; cruditas exicialis, intestinorum inflammatio intolerabilis, ex qua sursum avolant concreti, tenacésque vapores cerebrum obsidentes; partium in corpore vitalium obstructiones, lippitudo oculorum, coriza narium, fœtidus halitus, capitis distillationes, fœdi screatus, tusses excruciantes, morbi articulares, & apoplexia exitialis; imò & oculorum caligo, capitis vertigo, tenebrarum suffusio: est enim ebrietas, quæ vires adimit, robur infringit, & virtutem omnem naturalem enervat, humores corrumpit, sanguinem inficit, morbos generat, ac tandem præmaturam inducit mortem, cum verè dixerit Siracides *propter crapulam multi abierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Quot millia hominum singulis hebdomadibus gula occidit, & immodicus vini haustus enecat! ut verum sit, quod parœmialiter dicitur: *plures gula occidit, quàm gladius:* quot tumulo merguntur, eò quia mersi pluries vino fuerint? hinc Plinius huic ebrietatis vitio infensissimus, loquens de immodico vino madidis, ait: *Solem orientem non vident, ac minus diu vivunt, hinc pallor, & genæ pendula, oculorum ulcera, tremula manus effundentes plena vasa (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, præmiúmque summum ebrietatis libido portentosa, ac jucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœdi, ac ferè rerum omnium oblivio, morsque memoria. Rapere se ita vitam prædicant, cum priorem diem semper perdant, imò verò & venientem. Nulla in parte mundi cessat ebrietas. Nam & hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. Quanto plus biberint, tantò plus sitiunt.* An non Alexandrum Macedonem, quem tot itinera, tot imminentia pericula, tot pugnæ, tot hyemes, per quas victâ temporum, locorúmque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tot procellæ tutum, ac incolumen dimiserunt; una bibendi intemperantia perdidit? Teste enim Athenæo bis exhausit Herculaneum fatalem scyphum, & concidit, aliquot dies decubuit, & obijt, seu animam vino obrutam, mero naufragam fœdè evomuit: hinc Augustinus excandescens in ebrietatem exclamat: *O ebrietas! nunquid non cuncta membra debilitas! nunquid non mortem acceleras?* quia vires adimit, valetudinem labefactat, humores corrumpit, & vitam capit ebrietas.

Eccles. cap. 32. v. 14.

Lib. 4 natur. histor. c. 22.

Serm. 31. ad fratres in eremo. tom. 10.

19. Imò non solùm in corpus, & membra hominis sævit; sed nec ejus famæ parcit, quam inficit; nec ejus honorem servat, quem extinguit. Nemo est, qui se contemni patitur, & tamen homine temulento nemo est contemptibilior; propugnatur effusione sanguinis, qui censetur honor læsus; & vini infusione inficitur, deturpatur. Plures sunt, qui sobrij sagaces sunt ingenio, prudentiâ commendabiles, mente perspicaces, qui tamen si immodico madeant vino insaniunt, sordescunt, ac veluti mente capti, huc, illúcque incerto gressu discurrunt; pereácque propterea omnis laus in vino mersa: est enim ebrietas, quæ in milite bellicam fortitudinem infringit; in viro equestri sanguinis splendorem denigrat; in homine eruditionum ac scientiarum encyclopedia ornato laudem corrumpit; in clerico virtutum insigna obnubilat; quamvis sit homo omni virtutum decore insignitus, si bibulus sit, laudem omnem corrumpit. Sit sedulus, comis, urbanus, doctus, si tamen bibulus fuerit omne in vino mergitur elogium; à nemine magni fit, à nullo tanquam homo minimæ frugi diligitur, quia ebrietas totum corrumpit, ac inficit hominem, cui ad vitia viam emollit.

Hinc Christus ait: *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superveniat in vos repentina illa dies.* Cùm Magister Christus luctuosam explicâsset scenam, & desolandæ per Romanos Jerosolymæ, & arsuri in judicio mundi: hos tamen inter terrores tum sævientis fulminis, tum ruentium è cœlo siderum, statuit contra crapulæ, & ebrietatis delicias continentiæ excubias. Proh dolor! etiam ipsum cœnaculum, ubi agnus immolatur contra ingluviem, contra ebrietatem muniendum erat, ne everteretur. Non me fugit, & lombos Apostolorum baltheo castitatis adstrictos, & pudoris charactere insignitos, cum ageretur de nuptijs; verùm cùm sermo occurrat de terrarum orbis excidio aggeres opponuntur, quibus vini fluxus, ebrietas exorbitans coërceatur: *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Etiam in columnis Calvariæ, in crucis candidatis, necessarij sunt obices, quibus ebrietas compescatur: ait Magister Christus *Attendite autem vobis*, quia nimirum timuit, ne ipsa quoque extrema judicij dies tot cumulata portentis, stipata signis, referta terroribus, repentina irruat in epulantes & calices exsiccantes. *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superveniat in vos repentina illa dies.* 20.

Luc. 21.

Itane obsurdescit ingluvies, ut cùm fulmina è cœlo ruunt, in ebrietatem irruat? 21.
itane obsurdescit, ut ruentis fragorem mundi non audiat, & inopina illam invadat dies, quam antecedent, & terræ tremor, & maris fremitus, & cœli fragor, & siderum lapsus, & luminum cæcitas? Et quomodo

modo imparatos non opprimet, symposiis addictos, calicibus siccandis assuetos, ac ebrietati indulgentes; si suprema naturæ laniena, mundi ferale excidium, terrarum tetrum funus, tanto elementorum complorantium ejulatu calices inter & pateras, ipsus quoque Evangelij præcones latet, ut timeant, & caveant: & quis à crapula, & ebrietate immunem se censeat, si perstrepente judicij situo, cavere debent Apostoli à nimio vini haustu? meritò Apostolus Paulus fugatis jam tenebrarum larvis, dissipatâ errorum caligine, eos, quos lux Evangelij illuminavit, & divini luminis splendor illustravit, ac Christo vestivit, uni gulæ monstro monuit Ad Rom.13. excobare: *Nox præcessit*, & paucis interjectis: *sicut die honestè ambulemus. Induimini Dominum JESUM, & carnis curam ne feceritis in desiderijs*, sed quid aliud est, Christum indui, quàm toto corpore dilaniari, membratim concidi, ac cruentari, pendere in patibulo, manibus, & pedibus vulnerari. Hos inter cruciatus, an aliquid adhuc superest Christo indutis pertimescendum? adhuc unum, quod timeant monstrum superest, sed qualénam horrendum hoc monstrum erit? an superbia, quæ sicut Angelum è summo cœlo in imum tartari detrusit, ita valeat in crucem actum corrumpere? an livor, qui sicut erupit ex holocausto, & fraternum sanguinem vel in ipso mundi exordio fudit, potis erit Christo indutos denudare, & interficere? an luxuries, quæ etiam Jobo illudere potuisset in fimeto, nisi ejus renes Deus accinxisset, solvere poterit Christi vincula, & discinctos milites in barathrum trahere?

22. Verùm non timet crux fastum turgidum, nec livorem corrodentem, nec libidinem æstuantem; sed solam expavescit gulam, timétque ne naufraga in ebrietate pereat, & ideo monet Christus eos, qui Christo jam fuerunt induti, qui cruci erant addicti, ut sibi attenderent, ne fortè eorum corda gravarentur in crapula, & ebrietate: à vini illecebris, neque crux ipsa est tuta; quia Apostoli, tametsi induti essent Christum, adhuc ebrietatem debuerunt reformidare, est enim adeò horridum, & immansuetum monstrum ebrietas, ut nec Christi imaginem revereatur.

23. Quis dolores ardentiùs Eliâ sitivit? quis ipso austerior? & tamen cùm audivisset à 3.Reg.17. Deo: *Vade in Sarepitha, præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te*, non propterea sui curam abjecit, & qui Numinis in se providentiam expertus fuerat; per suppeditatam diu sibi per corvos annonam, ultrò ab anu ad victum, viriúmque refectionem necessaria efflagitavit. Vocavit eam, dixitque ei: *Da mihi paululum aquæ*, cúmque illa pergeret, ut afferret frigidam, clamavit post tergum ejus dicens: affer mihi obsecro, & buccellam panis, cúmque mulier annonæ caritatem, reique frumentariæ incusâsset inopiam, vir Dei preces iteravit, *Fac sicut dixisti: verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea*, sed quid? quòd cùm Elias in Sidoniorum urbem divino inflammatus zelo appulisset, cúmque debuisset statim de legis observantia, Numinis cultu, morum honestate sermones depromere, ac oracula fundere statim de offis primùm instituit sermonem? Quid? quòd Elias statim loquatur de placentis, imò & tota ejus vox, hæc fuerit in Sarepta; quid? quòd cùm pane, carnibúsque opiparè dapifero alite saginatus, ab anu cum filio jam animam agente vidua, & porum exposcit, & buccellam rogat, & efflagitat sibi priùs consuli ab afflicta vetula, quàm tabescenti filio exoptat refectionem? *mihi primùm fac, tibi autem, & filio tuo facies postea.*

24. Quid hoc? quòd neglecto charitatis exercitio in expirantis filij curatione, & in afflictissimæ matris solatio, sibi priùs prospici curat, quam alienam procuret salutem? nimirum in Elia voluit Deus nostras gulæ illecebras pingere. Oracula fuerunt Prophetæ, quæ nobis gulæ videntur deliciæ. Elias in Sarepta & cetus in mare os diduxêre, hic ut Jonam hauriret, ille ut viduam exhauriret: & licèt uterque profuerit cibo suo; marina tamen bellua rictum aperuit escam deglutivit, sed ut abstineret, & deglutitum Jnnam incolumen littori restitueret: Elias verò os aperuit, non ut jejunaret, sed comederet, & biberet. Scio Noëmum multum sitivisse, sed post aquarum pluvias; sed quòd Elias immemor propheriæ, cupiens potionis, haustum petat, id mirum videretur; nisi voluisset Deus nos edocere, quàm sint à nobis re ipsa cavenda faucium tentamenta, potùs lenocinia, quando ad speciem, & quasi acta in scena te, tantum Prophetam gulæ illecebræ concusserunt.

25. Gulæ qui indulget sui oblitus vitijs famulatur. Hinc præ cæteris dedecet ebrietas virum Principem, qui dominari gaudet, & famulari dedignatur: est enim vinum fomes iræ, quam faciliùs accendit, & auget, ut etiam in furorem transeat, in insaniam, & sævitiem; ut nec immeritò Chrysostomus vinum dixerit esse dulce venenum, dæmonem blandum, & rabiem voluntariam. Hæcque fortassis ratio, cur Corinthij, cùm suum creârent Regem, ac primùm in solium sisterent, alias inter cæremonias, cyathum frigidâ plenum ei propinaverint; quo documento instructum voluerunt, vini usum saltem immodicum Principem dedecere, ac debere ab omni prorsus ebrietate abstinere, quia perinde ira incrementum à vino subit, ac flamma oleo fota; si enim Princeps vino indulgeat, iras nutrit, furorem alit, fitque intolerabilis: secus si abstemius fuerit clementiâ, & mansuetudine fit commendabilis, ut Federicus III. Imperator, qui licèt

germa-

germanus, nunquam tamen vinum gustavit, ideóque semper pacatissimus, & iracundiæ nescius, fronte semper serena vultúque hilari, suis & placuit, & arrisit subditis. Non ita Zeno Imperator, qui cùm vino ingurgitari semper consueverit, furore sæpe correptus, familiaribus, & domesticis fuit intolerabilis, nec ejus uxor Ariadna Zenonis consortium potuerit ampliùs tolerare, præceperítque propterea vivum in sepulchro condi, cum vino priùs sepultum deprehendisset.

26. Vino qui sine mensura indulget, duplici laborat ebrietate, vini, & iracundiæ: ira enim commune est delictum, & irascentis mentem obscurat, cùmque usum adimat rationis, quandam & ipsa ebrietatem inducit, cui si immodicus addatur vini haustus, nova superaccedit ebrietas, quâ vino madidus, & irâ inflammatus obbrutescit; qui sicut homo
7 Stromat. sobrietatis studiosus verè homo dicitur, ut pulchrè notat Clemens Alexandrinus inquiens: *Novi ipsum jejunij ænigma*, quia jejunium ænigma est, quo homo significatur: sítque homo sobrius verè homo: è contra verò immodico vino madidus propiùs ad brutum accedit: cùm enim homo sobrius ænigmaticè propriè dicatur homo: homo ebrius à natura abscedens hominis in brutum videtur degenerare, ut scitè notat Nazianzenus, *Orat. pro S. Basilio* inquiens: *Ebrietate, ac vino obruti ad brutorum naturam propiùs accedunt, quorum in terram prona est vita:* quia sicut bruta nullo ducuntur rationis lumine, sed impetu potiùs aguntur naturæ; ita cùm vinum usum extinguat rationis, ebrietati deditus sensim deficit in belluinam naturam, in cujus etiam efferatos mores pertransit; siquidem dementatur fumidis, crassísque halitibus vini, qui ubertim è natante stomacho, quasi de vaporario exiliunt, sursúmque avolant, caput oppleturi, usúmque rationis obruturi: nimietate siquidem fumidarum exhalationum ab epoto vino exilientium dementatur mero madidus, & planè obbrutescit, insanítque ebrius, quia ut appositè Clemens lib. 2. pædag. cap. *Ebrietas est insania circa guttur*, quia immodicus vini haustus lumen obruit rationis, & insaniam invehit, sítque propterea ebrietas dementatio, quâ homo pecuino more stultescens, ac obbrutescens deficit ab hominis natura, desinítque esse homo, cùm more brutorum nulla prælucente rationis face incerto gressu feratur.

27. Imò sicut jejunium ænigma est, quo exprimitur virtutum cultura, quia ut ait S.
Serm. 2. Chrysologus: *Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, castitatis signum, sanctitatis trophæum*; ita gula, & præsertim potùs intemperantia ænigmaticè hominem prodit, quem perdit turpissimis vitiis deformem. Appositè Clemens Alexandrinus:
7. Stromat. *His qui ad luxum mensarum, ac poculentorum propensi sunt, præest dæmon, belluo maximus, quem ego non vereor appellare ventridæmonem*, quia immodico vino ingurgitatus non solùm obbrutescit, verùm & intrinsecùs ventridæmonem fovet, alítque, quo miserè obsessus flagitiosissimè exagitatur. Imò non immodici vini haustus tantùm, verùm & ciborum ingurgitatio ventridæmonem secum advehit, sítque propterea comessatio, & ebrietas non solùm quædam dementatio, quâ homo pecuino more brutescit; verùm etiam dæmonis habitatio, síntque comessatores dæmoniaci, quia ventrem perinde ac Numen colunt: pulchrè Tertullianus *lib. de jejun. advers. Psyc. cap. 16.* explicans illud ad Philippens. 3. *Quorum Deus venter est* sic fatur de comessationis idololatria: alloquitur comessatorem, & ait: *Deus tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & S. Spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia. Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis callet, spes in ferculis jacet.* Graphicè totam comessatoris, ac potatoris Religionem paucis descripsit verbis. Hinc minimè mirandum si Tertullianus loquens de comessatoribus, & Cap. 1.
ebriosis dicat: *Hi Paracleto controversiam faciunt:* quia immodicus vini haustus, & comessatio inimica est Spiritui sancto, cui gratiæ renuntiat immodico ingurgitatus vino, quo per ebrietatem se à Deo avertit; ab epulis, & potationibus lubrica est ad vitia quæque via.

Hinc Job 1. cùm ejus filij crebra con- 28.
vivia instituerent, fercula, & pocula exiccanda apparerent, invitaréntque ad epulas reliquos fratres, & sorores, ut vini haustu mutuam benevolentiam, ac fraternam charitatem religiosè foverent; enixim Deum rogabat, sacrificia instituebat, victimas offerebat pro singulis, ut si peccaverint potationibus indulgentes, holocaustis filiorum purgaret delicta: *Cúmque in orbem transissent* Job. 1.
dies convivij, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis: sed cur adeò solicitus fuit Jobus in precibus Deo fundendis, sacrificijs instituendis, holocaustis offerendis, cùm ejus filii fovendæ mutuæ benevolentiæ causâ, conviviis indolgerent? si nutriendæ fraternæ charitati apta censebantur convivia, cur ita solicitè angitur? cur ita pavidus timet? nimirum ne fortè inquit *Deo benedixerint in cordibus suis.*

Sed cur veretur Jobus, si filii conviviis 29.
indulgentes Numini benedicunt? An non creaturæ singulæ suo, vel sine voce benedicunt Conditori. Si Daniel invitat creatu- Cap. 3.
ras singulas, Angelos etiam, cœlorum amplitudines, aquarum, quæ super cœlos sunt, effusiones, solis diurnos splendores, lunæque nocturnam lampadem, stellarum vigiles cœli oculos, imbrium fœcundos delapsus,

roris

toris beneficos affluxus, imò etiam ignis ardores, æstuum calores, gelu, glacierumque concretiones, nivium candida vellera, noctium cæcutientes tenebras, dierum arridentes nitores, terræ ornatus floridos, montium, colliúmque feraces eminentias, vallium humiles depressiones, fontium perennes scaturigines, fluminum perpetuos defluxus, maris squammigerum genus, sylvarum ferocientes belluas, & aëris garrulos volucrum choros; ut Deo benedicant, ac debitas proprio Conditori rependant gratias; cur Jobus timet, angitúrque, ne forte ejus filij, Deo benedixerint in cordibus suis? si Daniel Ananiam, Azariam, & Misaëlem in camino ignis ardentis, flammas inter, ac ignis crepitus, invitavit ad benedicendum eò illustriùs Numini, quò flammarum splendores uberiora subibant incrementa; cur Jobus veretur, ne in conviviis ejus filij DEO benedicerent? Non me fugit, plurimum desudâsse Interpretes, ut sano sensu hunc Jobi timorem donarent explicatu. Sed Martinus de Roa apposite ad rem nostram ait: *Lib. 1. locor. singul. cap. 9.* Verbum benedicere dupliciter interpretari, pro Divinis laudibus depromendis; & pro valedicere, seu discedere, in quo sensu, cum *Gen. 47.* Jacob Patriarcha ingressus fuisset, ut Pharaonem salutaret, *benedicto Rege egressus est foras*: nimirum cùm valedixisset Regi, discessit ab ejus præsentia. Timuit igitur Jobus, ne ejus filij vino indulgentes, & epulis ingurgitati DEO benedixerint in cordibus suis, seu valedixerint Numini, séque per peccata ab ipso averterint, ideóque: *Offerebat holocausta pro singulis, ne forte peccaverint, & benedixerint DEO in cordibus suis.* Timuit pius Pater, ne ejus filij, dum lautiùs convivantur, ac liberaliùs indulgent poculentis DEO benedicerent, seu valedicerent, quia immodicus vini haustus hominem à Deo avertit, & qui lautè in conviviis vino utitur, facilè eodem abutitur, ac valedicit DEO.

§. V.

Immodicus vini haustus viam non solùm ad luxuriam emollit, verùm etiam lubricitatem invehit ad reliqua vitia, quibus vino madidus hominem exuit; & naturam induit brutorum.

30. QUàm noxius hominibus immodicus vini haustus! quo valedicunt summo bono, à quo se avertunt, & à natura discedentes hominis, in eam transeunt *Daniel cap. 4. v. 12.* pecudum, obbrutescentes: sic Nabuchodonosor, ut habetur in textu græco, quia otio marcescens in Ninive: *Epulis vacavit centum viginti diebus*: ita obbrutuit; ut suorum abjurans Religionem Majorum valedixerit DEO. Ultrix enim Nemesis, ne hominem quidem eum esse passa fuit: cœpit super terram quadrupes repere, qui bipedum neminem sibi parem sustinuit; didicit in obvios quosque furere, qui post epulas, viníque haustum, nec ipsi pepercerat DEO; ferreis se compedibus constrictum vidit, qui superbo imperio gentes omnes compescere crediderat. Nabuchodonosor ante comessationem, & convivia, ac ebrietatem, cùm hominibus præesset; mox immodico vino madidus instar bestiæ pronus in pastum abjicitur, fugit tecta, sylvestribus adscitus feris invia sylvarum petit, toróque septennio saltus, & avia manibus, pedibúsque perreptat, clamores ferarum more depromens inconditos, stridorésque brutales, capillis, unguibúsque in morem squalarum excrescentibus, totúmque corpus horrificantibus. Ita est immodico indulgentes vino facilè à Deo se avertunt, & in vitia quæque proruentes hominem exuunt, & pecudum induunt naturam.

31. Id enim præstat vitium, ad quod ex immodico vini haustu lubricum est iter, hominem vitio vacantem, & à Deo aversum fœda metamorphosi in bestiam commutat: quia ut ait David: *Non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: *Psalm. 49.* hinc Siracides *Cap. 4.* iracundum leoni æquiparat, D. Petrus depravatos vitijs inolitis, & à bene cœptis resilientes cani assimilat ad vomitum revertenti: *Epist. 2. cap. 2.* Christus versipellem Herodem parem vulpi dicit, *Luc. 13.* & *Matth. 25.* Impios quosque hœdos dicit ab ovibus separandos. Et Zacharias loquens in persona DEI ait: *Cap. 10.* *Super hircos* (nimirum impuris libidinibus fœtentes) *visitabo*: hinc David enixim nos rogat, *Psalm. 31.* ut per indulgentiam vitiorum nolimus in bruta degeneres transmutari: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, hoc est nolite iracundiæ calcibus alios impetere; nolite per indomitam lasciviam mulierum formis inhiare, & adhinnire; nolite per effrœnem rabiem, ut canes aliorum honorem, famámque mordere: quia nullum est animal homine deteriùs si à DEO aversus, ac deserta ratione ab humana desciscat indole; ut enim docet Aristoteles: *Sicut perfectione suscepta optimum cunctorum animalium est homo: ita si alienus fiat à lege pessimum est omnium animalium, ideoque impiissimum atque immanissimum animal est sine virtute, & ad libidinem, cibationémque deterrimum.* *Lib. 1. de Politic. c. 2.*

32. Quòd verò sit ebrietas putida vitiorum radix edisserit S. Augustinus ad fratres in eremo, ubi ait: *Ebrietas malorum est mater, omnis luxuriæ soror.* *Serm. 33.* Imò vini indulgentia, vitium, & culpa, comites sunt contubernales, ut etiam esculentorum aviditas: adeò ut æquè proni ad vitia sint, qui escu-

esculentis ac poculentis inhianc. Hinc inter aulicos Regis Pharaonis illi duo observantur peccâsse, qui cibis, potibúsque lautè patandis, ac oppiparè condiendis incubuêre: *Accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis, & pistor.* (Genes. c. 40.) Pincerna poculentis præecat, pistor esculentis; & inde conjicimus insepacabiles comites esse, gulam, & culpam, cùm uterque deliquerit. Qui enim ventri ingestis cibis implendo dant opecam, adeo proni sunt ad vitia, ut vel ipsa esculentorum pondera, quibus gravantor, ad torpia præsertim fœdæ libidinis eos urgeant; ac perdifficile sit, eos ad divinorum obsecvantiam pcæceptorum reducere: Scimus Moysem post suum è montis cacumine descensum ambas tabulas, in quibus lex divina exarata fuit digito DEI vivi unico jactu coofregisse. *Projecit de manu tabulas, & confregit eas* (Exodi 32.); sed cur tabulas tam præcellenti charactere notatas, Numinis scripturâ insignitas, digito DEI sanctificatas, & exaratas, integcas non servavit; integcitatem morum illâ tabularum suasurus populo? si præcepta divina fuerunt in ijsdem exacata, & digito DEI scripta, euc illæsas non secvavit tabulas, ut inde disceret populus divina præcepta non violare? nimirum projecit Moyses ambas tabulas, quæ per plures dissiluecunt partes, quia ad montis cadices populo obviavit Iscaelis gulæ incumbenti delicijs. *Sedit populus comedere, & bibere.* Ratus superfluas esse tabulas, eò quòd populus potui indulgeret, & esui, eas confregit, quia legis observantia nequeat cum indulgentia gulæ cohærere, pulchcè S. Hieronymus contca Jovinianum (Lib. 2.): *Tot dierum labor unius hora saturitate perit: sciebat enim DEI sermonem non posse audire temulentos.*

33. Ubi vinum immodicè effunditur, lex tota perversè confunditur; ubi liberaliùs calices exiccantur, divina præcepta dilacerantuc; ubi sedentes epoto madent vino, fœdantut, ac merguntur, quæ ad bonos mores pertinent. Pincerna, & Pistor Pharaonis vitiis simul ioquinabantur, & depressi animi laborabant mœrore. Sed, si tam acriter afflictio animum distorquebat, cur etiam morbis non discruciantur corporis? præsertim cùm ebrietas plures invehat secum morbos, quibus corpus miserè vel tocqoetuc, vel languet? Pcodeunt enim ab ebrietate concreti, tenacésque vapores cecebrum obsidentes, caput crudeliter affligentes, dolores excitantes; an non phrenesis peciculosissima, cruditas exitialis, calculi excruciantes, inflammationes absumentes, distillationes affligentes, apoplexiæ interficientes & aliæ ægritudines fœtus in humano corpore sunt ebrietatis? cuc igitur Pincerna, & Pistoc animi tantùm receosentur motbis laborare, & non cotpocis?

34. Ingrediamur piscinam Evangelicam, observemus jacentem ibi multitudinem languentium, aridorum, cæcocum, claudorum, omnique infirmitatum, morbocúmque genece laborantium, cùm enim cucandis ægritudinibus nullus in toto orbe locus esset adeo aptus, ad hanc piscinam confluere consueverant, quotquot aliquo corporis morbo inficiebantut & affligebantur, ut pristinæ, ejus beneficio, restituerentuc iocolumitati. Piscina hæc teste D. Joanne, *vocatur Bethseida*, seu *domus panis.* (Cap. 5.) Imò ut ceoset Salmecon Bethseida idem sonat ac *ac domus venationis, domus piscationis, domus pecudum.* Ecce ibi omnes confluunt infirmitates, ubi obsoniocum repecituc varietas, esculentorum, ac poculentorum copia; ubi multitudo esculentocum, ibi languentium tucba, infirmitatum secies, ægritudinum multiplex numerus; & ibi ægrotantium nosocomium, ubi ingens, variúsque esculeotorum, ac poculentocum apparatus, qui & sanitatem corcumpit corporis, & salutem destruit animæ. Dicuntuc peccâsse Phacaoois Pincerna, & Pistoc, quia ad gulæ præseotiam virtus desinit, & gratia evanescit, & ubi venter cibo repletur, & potu, virtutibus evacoator animus, & vitijs coinquinatur, qoia ut scitè Petrus Damianus: *Edacitas quadam est sanguisuga, cui dua sunt filia luxuria, & ebrietas.* Sicut igitur proprium est sanguisugæ corpocis haurire sanguinem: ita edacitatis cordis exhaurire pucitatem, quæ vigoc, & sanguis dicitur animæ. Si quis immodico vini haustui incipiat indulgere universam destruit victorum aciem: *Totum murum per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldaorum, qui erat cum Principe militia.* (Jerem. 52. num. 14.) Ubi septuaginta Intecpretes legunt: *Omnem murum Jerusalem destruxit exercitus Chaldaorum cum Principe coquorum*, ubi Gregorius Nazianzenus expendens textum appositè ad cem nostram ait: *Coquorum Princeps jure venter asseritur, cui nimium à coquis laborioso opere servitur*: exercitus igitur Coquorum est, qui totum murum solo æquat, sen virtutes dissipat animæ: quia ubi venter cibo, & potu suffarcinatuc, tametsi anima tot affulserit virtutum nitoribus, quot cœlum sideribus, statim totum cocruit spirituale ædificium.

35. Nec mirum si cibi, potúsque ministecium pincernam, & pistocem infecerit, cùm & toti orbi una gula ruinam ioduxeric, scitè S. Ambrosius ait: *Adam per escam paradisum perdidit. Esau per lentem honorem primatûs amisit. Judas per buccellam Apostolatûs sublime deposuit: ex quo enim buccellam sumpsit non jam Apostolus capit esse, sed proditor.* (In feria 6. post 1. dominicam quadrag.) Momordit gula primi paceatis pomum in paradiso ei interdictum, sed morsus fuit,

per

per quem mors ingressa est humanum genus, & eadem gula, cui Adam indulsit, in omnes miserias orbem totum præcipitem egit. Fuit gula pyxis illa Pandoræ, e qua innumerorum scelerum, tum morborum portenta, supplicia, fames, bella, pestes, calamitates, ærumnæ omnes proruperunt. Morsus fuit, qui nos paradiso exclusit, & in vallem detrusit lachrymarum, in mare æquè procellosum, ac amarum ejecit, ubi & luctantes venti, & æstuantes fluctus, & quotidiana audiuntur naufragia. Est gula vomica illa, in qua pravarum cupiditatum, fœdarúmque cogitationum purulentia ebullit: ex hoc enim camino fœdè ejectantur libidinis scintillæ: & quam meruit Adam pœnam, eò quia gulæ indulserit, eandem in omnes diffudit posteros: nimirum luit in authore posteritas, & quod unus deliravit, plectuntur singuli.

36. Quis eat inficias, esse gulam vitiorum fœtidissimum fontem, exitij hominum originem, omnisque supplicij initium: hine (Cap. 37.) Ecclesiasticus monet: *Noli avidus esse in omni epulatione, & ne effundas te super omnem escam* non arcet nos a cibo, & potu, sed ab immodico utriusque usu, seu potius abusu, est enim cibus necessarius, ut vires reficiantur, natura languescens instauretur: est potus necessarius, ut sitis ardores extinguantur, cibi in stomachum devehantur: sed immodicus vini haustus, ac inordinatus ad fercula appetitus damnatur; (Lib. 30. Moral.) scitè D. Gregorius: *Non cibus, sed appetitus in vitio est, unde & lautiores cibos sine culpa plerumque sumimus; & abjectiores non sine reatu conscientia degustamus.* Plures sunt, qui Esau imitantes primatûs dignitatem lenticulâ, seu abjecto divendunt cibo, seu divinam amittunt gratiam, non sine reatu conscientiæ; pultem ea conditione Jacobus Esau fratri concessit, ut sibi prærogativam cederet natalem, & hic gulæ indulgens unà cum vili lenticula decoxit Principatum familiæ, dignitatem Sacerdotij, opimiorem paternæ hæreditatis portionem, & quidquid bonorum cum fausta patris precatione nectebatur. Quam noxia semper fuit hominibus gulæ indulgentia! cum & totum humanum genus præceps in ruinam egerit, & totum virtutum nitorem extinxerit, opúsque Dei in homine destruxerit, unde scribit Apostolus (Ad Rom. 14.) *Noli propter escam destruere opus Dei*, ubi Augustinus subdit: *Non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invexit: & Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.*

37. Tunc post siccum Erythræi maris transitum in plures Israelis populus seditiones pervicax surrexit, immemor beneficiorum, quæ munifica largitate à Deo susceperat, cùm primum cœpit gulæ delicijs inhiare: *Quando sedebamus super ollas carnium.* O voracissimam crassioris plebis ingluviem! (Exod. 16.) quæ ut pecora montium viretis, cacabis incumbebat carne ebullientibus. O fœdam voracitatem! quæ ut porci luto, foveisque cœnosis, in cacabis volutabatur; verè Hieronymus ait: (In Matth.) *Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucro, avarus in auro.* Excors populus tot prodigiorum, beneficiorúmque Numinis oblitus retrospexit Ægyptum, neque flagella curavit, nec vincula timuit, dummodo super ollas sederet carnium, ac gulæ indulgeret delicijs: & ut Hugo ait: *DEO* (In Claust.) *ventre templum eadem erat coquina: altare mensa: ministri coqui: immolata pecudes, cocta carnes: fumus incensorum, nidor culina: fragrantia thuris, odor ferculorum.*

Fastidivit populus manna cœlo delapsum, cœpitque esurire carnes in ollis Ægyptijs ebullientes, pisces, & allia Memphitica concupiscere: neque absque seditione hæc populus petijt esculenta, quibus consueverat in Ægypto gulæ, & ventri indulgere. Sed irritatus Deus ministerio venti vehementiùs flantis immensam coturnicum copiam latè per castra effudit, quæ volatu defatigatæ, viribus fractæ, nullo negotio converrebantur magis, quàm in cumulum colligerentur. Nimirum è vestigio gulam secuta est pœna promerita; cùm enim ingluvies saginatur pennatâ prædâ; mors unà cum cibo deglutitur; pluribus hominum millibus per id, quo vitam gulosiùs conservatam vellent è vita exturbatis: ubi enim epulum quæsierunt, ibi tumulum invenerunt, quem ne posteri ignorarent studiò sacer historicus epitaphium hoc inscripsit: *Sepulchra hac sunt, concupiscentia: ossa hic jacent eorum, qui stare sobrij nescierunt.* Quam gravia infert gula hominibus damna! quàm promptè justas Dei excitat iras! quàm efficaciter divina accersit flagella! *adhuc carnes erant in dentibus eorum:* & ecce Dominus percussit populum plagâ magnâ nimis: Quot propter crapulam etiamnum fœdè (Num. 11.) pereunt. Suum sibi sepulchrum gula semper fuit; hinc minatur gulosis Corinthijs Paulus 1. ad Corinth. 6. *Esca ventri, & venter escis: DEUS autem & hunc, & has destruet:* nam utrumque vertetur in sordes, & Chrysostomus ait: *Ventrem accepisti ut nutrias, non ut distentas: ut illi dominaris, non ut Dominum habeas: ut tibi inserviat ad cateras partes alendas, non ut tu illi servias, ut fines transilias. Non tot malorum causa est mare suos supergressum terminos, quot venter corpori, & anima nostra.* (Homil. 10. ad Philipp.)

39. Non vini, epulique abusus corpori tantùm est noxius, sed & animæ exitialis, *sedit* (Exodi 32.) *populus, manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, nimirum haustui vini pedissequa est voluptas, quia amica Veneri semper

gula fuit, & sicut sine Cerere, & Baccho Venus friget, ita saturitas eam fovet; quia cum corpus in refectionis delectatione resolvitur, concupiscentia libidinis ejaculatur fomenta: & qui ferculorum voluptatem coërcere nesciunt, nonnisi luctuosum expectant exitium. *Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos:* (Psalm. 77.) unde S. Gregorius l. 5. moral. c. 10. *majoris,* ait, *iracundiæ causa est, cùm & hoc tribuitur, quod malè desideratur: quia & hoc quoque obtinuit, quod DEO nolente concupivit.* Dum decumani spumant lebetes, immanes ebulliunt cacabi, ferculorum luxo gravatæ ingemiscunt mensæ. Dum generis omnis dapibus gulæ sacrificatur, vitijs, & præsertim concupiscentiæ inservitur: ubi enim gula triumphat, ibi universa vitia tripudiant.

§. VI.

Inhiantes gulæ deliciis, vitiis promptiùs consociantur; quia libido pascitur convivijs, incenditur vino, & inflammatur ebrietate.

40. Servo domus suæ regimen concrediderat herus Evangelicus aliò abiturus, verùm absente Domino *servus cœpit conservos percutere, & ancillas, & comedere, & bibere, & inebriari,* (Luc. 12.) sed undénam tanta fiducia in absentem Herum, cujus non timeret iram; & sævities in percussos conservos, diverberatas ancillas? quia gulæ indulsit: *cœpit comedere, bibere, & inebriari,* in sævitiem statim, ac reliqua scelera erupit. Quamdiu Deus orbem condidit facultatem comedendi non dedit: ubi verò ad vescendum potestatem præbuit à suis cessavit ipse operibus, quasi ad cibi præsentiam, & potûs languescat virtus, cessent bona opera, & ad vitia via emolliatur; pulchrè Cyrillus Alexandrinus: *Nolite conqueri de infirmitatibus carnis, tu das stimulos carni tuæ, tu ipsam adversus spiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, & ad illecebras nutris:* nimirum gula vitia nutrit, concupiscentiam fovet; quia pascitur libido conviviis, incenditur vino, inflammatur ebrietate; gulæ delicijs qui diffluunt, vitijs promptiùs consociantur; prosternendæ, vel prorsus abigendæ sunt hæ fœdæ voluptates, quæ licèt unà cum vini haustu fluant in stomachum; tyrannidem tamen exercent, sæviúntque in caput. Si quis sciat, quàm sit ardua virtutis palæstra, apprehendet nil molle, delicatum nihil ibi admitti. Terrenæ qui sunt militiæ adsciti, ut faciliùs ad victoriam instruantur laboribus priùs, fundendísque sudoribus, quàm sanguini effudendo assuescunt; sciunt, corpus delicatâ indutum tunicâ onus non sustinere loricæ; caput subtili opertum serico, galeam recusare calibeam; mollem ex diuturno otio manum capulo exasperari; & membra voluptatibus assueta labores respuere castrorum.

Hoc idem etiam Christianæ militiæ pugiles sibi proposuerunt, & licèt asperioris vitæ instituto ad pugnas contra mundi voluptates se accinxerint, adhuc earumdem præsensêre fomenta; talis fuit S. Hieronymus, qui summas virtutes, ut excoleret, in vastam secessit solitudinem, & abdicatis à se omnium voluptatum illecebris, gulæque lenociniis solâ frigidâ sitis extinxit ardores, jugique jejunio spiritum enutrivit vegetiorem. Quamvis ab hominum frequentiis sejunctus, & Eremi solitarius incola, adhuc sibi visus est illecebrarum, vitiorúmque discrimina non declinâsse, ajebat enim. O quoties in illa vasta eremi solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præbet habitaculum putabam Romanis interesse deliciis! sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie luctus, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix hærentia membra collidebam. Ille igitur ego scorpionum tantùm socius, ac ferarum; sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat. In frigido corpore, & ante hominem suum in carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni humano auxilio destitutus ad JESU jacebam pedes, rigabam lacrimis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediis subjugabam. Memini, me clamantem diem crebrò junxisse cum nocte; nec priùs à pectoris cessâsse verberibus, quàm rediret domino imperante tranquillitas. Ita scribit S. Hieronymus *ad Eustochium.* (De Virginit. servan.)

42. Quòd si tam rigidus eremi cultor, tam emaciatus jejunijs, ustus, afflatúsque Æthiopici solis urente æstu; ardente siti exsiccatus, cilicino sacco horridus, cutis squalore deformis, pane amaritudinis languidus, imbre lacrymarum madidus, hic solitudinis incola, tantam fuit luctam passus: quomodo lenocinantis concupiscentiæ, carnisque illecebras is erit declinaturus, qui comessationibus, symposiis, ac ebrietatibus adjicit fomenta, & eò validiora, quò vini lubricitate ad vitia omnia viam emolliunt? præsertim ad libidinum fœditates, quia ut ait S. Ambrosius: *Pascitur libido convivijs, nutritur delicijs, vino incenditur, ebrietate flammatur.* (Lib. 1. de poenit.) Sicut Venus sua ab aquis fingitur natalia traxisse, credas à vino impuras quas excitat flammas elicere: abundè vinum vitiorum fomenta suppeditat; & id causæ cur Ecclesia-

clesiastes animum à vino, cæterisque deliciis abducendum censuit, ut sapientiæ studio vacare quis possit. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam.*

Eccles. 2, v. 3.

43. Non me latet, moris apud Persas fuisse de rebus in republica maximi ponderis in conviviis inter pocula consultâsse; verùm non dandum ipsis culpæ erat, cum severissimis legibus consueverint in ebrietatem animadvertere; proinde satis tunc cautum erat, ne quis immodico maderet vino, & à ratione exorbitaret. Cæterum consiliis de rebus magni momenti capiendis ineptam esse temulentiam prudenter apud Plutarchum edocuit Latychides; interrogatus enim cur Spartiatæ tam parcè vino uterentur, respondisse fertur: *ne pro nobis alii consultent, sed nos potiùs pro aliis:* censuit enim ineptam temulentiam consiliis de republica instituendis.

In Apophteg.

44. Rempublicam, qui administrant, inidonei sunt negotiis vino dediti ritè instituẽdis; solet freto ventis plerumque concito Respublica pariari: an non ineptus foret nauclerus, qui vino crebriùs, quàm fluctibus obrutus, sæviente in mare procella, ad navis clavum sederet? appositè Clemens Alexandrinus vini temulentiam oceani furiis similem dixit; corpus enim decumanis vini fluctibus obrutum instar navis demersæ imum subit dedecoris: nauclerus in humani corporis navi mens est, quæ si turgido temulentiæ fluctu circumagatur, tamdiu in cæcis illis nubibus, ac fœdis, fumidísque halitibus ex natante falernis stomacho, veluti è vaporario sursum in caput exilientibus cæcutit, usúque clavi, seu rationis destituta, euróque urgente lenocinantis concupiscentiæ in libidinum scopulos facilè impingit ad castitatis naufragium. Ideo duo Eunuchi Regis Pharaonis Pincerna, & Pistor *Genes. c. 40.* dicuntur peccâsse; quia cum præsiderent conviviis, vitiis promptiùs indulsêre; à libidine vix poterant abstinere, cum ferculorum vacarent opulentiæ: *pascitur libido conviviis, incenditur vino, flammatur ebrietate*, ait D. Ambrosius.

Lib. 2, Pæd. 49.

Lib. 1, de pœnit.

45. Non sola virtus naufraga in vino perit, sed plerúmque ipsa vita. Simonem fratrem Judæ Machabæi ad convivium invitaverat Rex Ptolomæus; sed ut cum vino sanguinem funderet. *Cum inebriatus esset Simon, & filii ejus, surrexit Ptolomæus cum suis, & sumpserunt arma, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus.* Indulsit vino, sed in exsiccatis calicibus vitalis humor aruit; merum hausit, sed vitam exhausit, ut scias vino insidias parari æquè menti, ac ventri, cum totus homo immodico haustu fluctuans naufragetur, ac pereat. Menti insidias apparat, quia vitia accersit, quæ fovet; libidinem accendit, quam alit; mentis cæcitatem offundit, quam invehit; voluntatis lubricitatem inducit, quam ad omnia vitia solicitat. Hinc Christus interrogans infessum à malo dæmone, *quod sibi est nomen?* promptè interroganti satisfecit cacodæmon, inquiens: *Legio mihi est nomen, quia multi sumus.* Huc idem responderet interrogata ebrietas: mihi nomen est *Legio*, quia innumeros mecum comites traho, omnis vitiorum exercitus me comitatur, mihique paret, pedissequæ me omnes turpitudines sequuntur. Obtundebat cacodæmon importunissimis illecebris hominem quempiam aliàs studio addictum virtutis, cui crebrò suggerere per frequentes agitatæ mentis cogitationes consueverat; aut vicini conjugem in tuos amores pertrahe; aut ejus occide maritum; vel vino ad jucundam ebrietatem te submerge: non enim à me pacem impetrabis ullam, donec unum ex tribus, ad quæ datur optio, elegeris: diu reluctatus restitit perniciosis hisce suggestionibus; tandem in vota deflectens cacodæmonis vino maduit, cui dulcem usque ad ebrietatem fœdè succubuit; verùm quia una ebrietas reliqua solet flagitia accersere, vicini etiam corrupit uxorem, & fœminæ etiam maritum sustulit.

Machab. c. 16. num. 16.

Marci 5.

Sed horror aures pulsat, simúlque animum à vini absterret omni indulgentia, si recenseam, quid Hippone obtigerit, cum D. Augustinus illius ecclesiæ infulas moderaretur; ad quod audiendum Hipponis populum in concionem acciri voluit. Ait Augustinus. *Cyrillus civis vester filium habebat, ut nostis, unicum, quem perdità diligebat, & ideò à vitiis minimè coërcebat. Filius hac Patris indulgentia pessimè usus, ruebat in omne genus scelerum. Jam nota vobis recito; sed non refert, recentissimè facta publicè narrare non erubesco, ut sit in omnem vitam, quod vos à vitiis, ac ebrietate absterreat. Ille ipse Cyrilli filius hac ipsa die de vino ebrius matrem gravidam nequiter oppressit, patrem occidit, unam sororum vitiare voluit, duas mortiferè vulneravit.* Quot horrenda scelera, quot nefanda flagitia una pertraxit ad se ebrietas! omnia vitia una excitat ebrietas, & præsertim luxuriam, rixas, altercationes, dissidia, pugnas, cædes: & non solùm aliis, sed & sibi indulgenti est noxia: etenim vel in suum authorem sævire incepit, cùm primùm expressum ex racemis vinum hausit: primus, qui vineam plantavit, ovásque expressit, vinúmque elicuit, fuit Noë, qui omnium primus cœpit vinum bibere, cùm antea uvæ esui potiùs deservirent, quàm potui; & primus omnium vini recèns expressi illectus dulcedine in ebrietatem incidit, & post tot centurias annorum ebrius, ac nudatus à suomet filio irrisus est. Lothus Deo amicitià devinctus, à Sodomæ illecebris invictus, ad geminum incestum ab ebrietate impulsus fuit; & quem non vicerunt voluptates Sodomæ, una prostravit temulentia, & vinum, cujus fluxibilitas 46.

Serm. 33 ad fratres in eremo tom. 10.

 lub.

lubricam ad vitia omnia viam emollit. Samson licèt gloriosam de victis, fugatísque Philisthæis victoriam detulerit, leonem ferocientem dilaniaverit, ac fortitudine præteris antecelleret hominibus; vino vincitur, & mero madidus à Dalila hostibus extraditur, à quibus vincitur.

47. Holophernes licèt terrori esset Judæis, metendísque palmis, ac in bello victorijs assuevisset, temulentus non victoriam tantùm, & exercitum, sed & caput suum perdidit, & tunc vitam extinxit, cùm vino indulsit. Jobi filij, dum poculis, & convivijs vacant corruentis domûs sepeliuntur ruinis. Herodes, tunc cæcutijt, damnavit innocentem, cùm vino madens jussit caput Joannis Baptistæ amputari. Balthasar ultimus Babyloniorum Rex, dum convivatur, meróque se onerat, liberaliúsque vino indulget, manum videt mortis sententiam ad parietem scribentem, & proxima nocte Regnum perdidit, vitam amisit. Quin purpuratus in evangelio heluo quotidianis saginatus epulis, quia immodico pluties maduit vino; arsit postea sepultus apud inferos gehennalibus flammis, ubi neque aquæ guttulam à Lazaro impetrat. Ecce quot malorum est fœcunda mater ebrietas, cùm honestamenta virtutum fœdè deturpet, vitia accersat, libidinem accendat, & vitam ipsam adimat? quamvis mala alia aliquid semper adferant detrimenti, una ebrietas omnia secum damna pertrahit, ut scitè notat Ambrosius, inquiens: *Diversa singulis peccatoribus mala eveniunt, temulentis omnia.*

Lib. 1. de Isaac & anima cap. 5.

48. Id semper exploratum fuit, eum qui assuescit Bacho favere, Venerem etiam fovere: víxque posset recenseri unus in orbe, qui temulentiæ obnoxius fœdis non fuerit libidinibus temeratus: temulentia siquidem, & luxuria comites sunt contubernales, se mutuò fovent, pari incedunt passu, ut vix dissocientur. Hinc Sapiens Proverb. cap. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens*, multò minùs castus: siquidem temulentus simul, & castus niger est Cygnus, corvus candidus; Æthiops albus; nix nigra, musca alba: hinc Apostolus monens Ephesios ait. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, quia nimirum temulentia concupiscentiam excitat; concupiscentia libidinem movet; libido luxuriam accendit; & luxuria flammas eructat, quibus virtutes omnes cinerescunt: appositè Hieronymus ait; *Ubicunque saturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur. Nunquam ego ebrium putabo castum, qui etsi vino consopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Venter mero æstuans despumat in libidinem. Dicat quisque, quod volet, ego loquor conscientiam meam: scio mihi abstinentiam, & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.* Sola sobrietas à vitijs adeo est immunis, ut quem abesciis, potúque abstinentem videris, innocentem animo probes. Cœlestis aliger Angelus parentibus Samsonis nuntiat futurum ipsis filium. Ob faustissimum Nuntium lætitiâ cumolati, gaudio perfusi, cœlestem Nuntium, tesseram daturi gratitudinis, ad prandium gratiosè invitant. *Faciamus tibi hædum de capreis, cui respondit Angelus: si me cogis, non comedam*, sed si Angelus personam juvenis induit, cur non comedit perinde, ac tres illi in Abrahæ domo? Respondet Abulensis, expendens prætactum textum, *quia si non comederet, cognosceretur esse Angelus.* Voluit itáque agnosci, ac ut Angelus reputari, & nullo alio evidentiore signo angelicam potuit indolem exprimere, quàm per abstinentiam à sibi oblatis ferculis.

Cap. 5. v. 18.

In cap. 1. ad Tit. & epist. 83 ad Oceanum.

Judic. 13. v. 15.

Quæst. 12.

Moribus igitur quotquot student Angelicis, convivia fugiant, edacitatem exhorreant, vinúmque fastidiant, tunc mores quis induit Angelicos, cùm abstinentiæ amans, leges observat sobrietatis, ab omni cavet temulentia, quæ vitium est præ cæteris periculosissimum, cùm huic uni vitio proprium sit in periculum certum, ac ineluctabile æternæ mortis conjicere: siquidem in usu reliquorum vitiorum, cùm mors adest, ingemiscimus, & de noxis dolemus, nósque pœnitet patrati flagitij: sed homo temulentus vino mersus, ebrietate obrutus, nec pœnitentiæ est capax, neque sacramentis recipiendis est aptus: nihil doloris de patratis concipit peccatis; cœlum non videt, Deum non recolit, se ipsum non agnoscit, sed veluti brutum animal rationis expers, ventri tantùm addictus, menti nil adjicit, quo resipiscat, & pluribus fit etiam corporis incommodis obnoxius: siquidem ab una temulentia oriuntur gravedines capitis, distillationes molestæ, apoplexiæ lethales, nervorum siderationes, mentis, & oculorum vertigines, frequentes lapsus, repentina vulnera, infirmitates præproperæ, & tandem mors ipsa præmatura: & cùm sui, & mentis sit temulentus impos, neque ad Deum se convertit, nec ad cœlum oculos elevat, nec de noxis dolet, nec veniam poscit, & perinde ac saxum omni destitutum sensu, absque ullo rationis usu deorsum ad tartara delabitur: est enim ebrietas lethalis noxa, quæ hominem morti condemnat, tenebris insordescit, ac æternis destinat ignibus torquendum. 49.

Vitiorum igitur perniciosissimum est ebrietas, quæ lumen extinguit rationis, ejús usum adimit, & porcorum gregibus homines adjicit temulentiâ obrutos, quos omnium fœditate coinquinat vitiorum. Pudeat hominem immodicè madere vino, ac temulentiâ mergi, cùm è numero excludatur hominum, & brutis adsciscatur. Imò sunt etiam ebrij cæteris ludibrio hominibus, & præsertim Turcis, quorum unus Bassa cum temulentiam Christianorum Con- 50.

stan-

ſtantinopoli ludibrio, ac riſui vellet exhibere, quem propterea à potu vini absterreret, germanos quosdam, quos captivos è bello Hungarico ſecum duxerat, ita ad ſui Sultani conſpectum introduxit vino madidos, & ebrietate merſos, ut publicè per plateas in omnium oculis cachinnis, ac ludibrijs ſpumantia vitra manibus geſtarent, greſsúque perinde fluctuarent in urbe illa, ac navis in mari ſæviente procella. Pudeat Chriſtianos immodico indulgere vino, cùm & ipſis Turcis ſint temulenti ludibrio: deſinant mutuis propinationibus ad ſpumantes vino calices exiccandos ſe provocare.

51. Sunt, qui non in nomine tantùm hominum bibunt, verùm & quod mireris, etiam Angelorum, ac Sanctorum, quaſi numerus in terris hominum non illis ſufficiat ad paria haurienda pocula, cùm è cœlo ipſos etiam Sanctos accerſitos velint, quorum numero plures poſſint calices exſiccare, ac indulgentiùs bibere: idque etiam transacto jam convivio, abſoluto jam prandio, & ut hac ratione ſe magìs per accerſitos cœlites acuant ad bibendum, & palliato Religionis nomine ebrietati litent. Damnat inſanum hunc

Serm. 232. de temp. morem, D. Auguſtinus inquiens: *Illud quale eſt, quod jam transacto convivio, expleta ſiti, cùm ampliùs bibere non poſſint, nec debeant, tunc quaſi novelli, quaſi & qui ipſa hora ſupervenerint, diverſis nominibus incipiunt bibere, non ſolùm virorum hominum, ſed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum Sanctorum, ignorantes, quòd nullus tam gravem injuriam Sanctis Angelis vel ſanctis hominibus agnoſcitur irrogare, quàm illi qui in illorum nominibus bibendo per ebrietatem ſuas animas probantur occidere.*

52. Sed immodico qui mero, hoc modo madent, & calorem ſentiunt epoti vini, & flammas excitatæ concupiſcentiæ; ſiquidem ebrietatem eſſe matrem luxuriæ indicavit Apoſtolus ſcribens ad Romanos.

Cap. 13. *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs:* quàm pulcher, quàm rectus eſt ordo, quem ſervat Apoſtolus; neque myſterio eſt vacuum, ſi poſt recenſitam ebrietatem, impudicitiæ meminerit: quia ex illa impudicitia naſcitur; eſt hæc temulentiæ pediſſequa; ebrietas ſi præceſſerit, luxuriantis concupiſcentiæ expectetur libido, quia ut ſcitè Primaſius expendens textum Apoſtoli: *Sequitur ebrietatem impudicitia, quia ebrietas materia eſt libidinum.* Scio Poëſin Venerem è mari ortam finxiſſe, Satiùs tamen dixiſſet, è vino natam: veriùs enim orta meri, non orta mari Venus dicitur.

53. Cavendum eſt ab immodico hocce vini hauſtu, in quo latet Venus aſſueta fluctibus, naufragiisque inducendis; ſiquidem non tam periculosè fluctibus jactata navis undis abſorbetur, vel illiſa ſcopulo extremum ſubit naufragium; quàm corporis noſtri cymba ebrietate, veluti ingentibus fluctibus, undiſque decumanis demergitur, ac in profundum rapitur, ut pulchrè innuit S. Petrus Chryſologus, qui intemperata damnat convivia, & pericula ob oculos exhibet ebrietatis inquiens: *Sicut terra nubes caligant cœlum, ſic obſcurant animas intemperata convivia: ſicut ventorum turbines elementa confundunt; ſic fercula congeſta ſtomachum conturbant: ut navem fluctus, ſic ebrietas corpus demergit:* quis in temulentia ſtylæum non paveſcat naufragium? Quis in ebrietate charybdis non timeat voraginem? cùm plures vinum, quàm mare abſorbeat: mero mens, perinde ac navis procellis expoſita, fœdè fluctuat; rationis uſus abſorbetur, membra ipſa corporis ita ſuis deſtituuntur viribus, ut propria nequeant ſua obire munera, ſuiſque fungi officijs. Quod etiam adſignificat S. Chryſoſtomus *homilia quod nemo læditur niſi à ſe ipſo*, ubi ait: *Naufragij ejuſdem fluctibus obruta anima necatur, ubi neque oculus, neque lingua, neque pes proprijs deſervit officijs, ſed omnia membra corporis vini vinculis jacent vincta graviùs, quàm catenis*, cùm exorta in mare procella omni ex parte navis fluctibus quatitur decumanis, imminens ſubit diſcrimen, naufragio fit obnoxia; præſertim ſi Nauclerus non clavo aſſideat, ſed ſomno ſopitus jaceat: idque cùm noviſſent Apoſtoli, Chriſtum dormientem ſoliciti excitârunt ne navicula, quæ fluctibus operiebatur, naufraga periret. *Domine ſalva nos, perimus.* Imminet naufragium, cùm mens ebrietatis fœdis obruta evaporationibus, perinde fluctuat, ac navis undis quaſſata procelloſis, quia tunc ſenſus omnes veluti Nautæ ſomno ſopiti dormiunt: & ratio veluti ſupremus Nauclerus non ampliùs clavo aſſidet proprio deſtituta uſu: An non timendum tunc eſt imminens naufragium, ubi ſine regimine, abſque clavo, incertis itineribus, ventis impellentibus agitur navis?

Serm. 41. de de jejunio, & eleemoſ.

Matth. 8.

Quot vini hauſtui indulgentes Jonam referunt, quia ut ille in tempeſtate profundè indormivit, ita iſti in hiſce ebrietatis fluctibus alto ſopiti ſomno jacent, ac ſtertunt, ut ſæpius exitium priùs experiantur, quàm imminens timerent naufragium; temulentiâ enim ſubvertuntur ſenſus, evertitur ratio, & ſubmergitur caſtitas naufragium in poculis exſiccatis paſſa. Hinc non abs re priſci in Græcia homines laxiores quosdam ſcyphos Thetides vocârunt ſumpta nomenclatione à Thetide, ſeu mare, teſte Athenæo, appoſitè ſiquidem Græci illi laxiora hæc pocula pleno ſpumantia mero mare dixerunt, quia plura in ijsdem, & quidem noxiora naufragia, quàm in mari contingere aſſolent: mare qui trajicit, fluctuat tum undis, quatitur aquarum vorticibus, & ventorum impulſu plerumque in ſcopulos illiſus fluctibus abſorbetur: ſed qui laxiora hæc liberiùs 54

haurit

haurit pocula vinò spumantia, procellam in
se excitat; nubes halituum sursum congerit
in capite, ubi solem, seu mentem obnubi-
lant, diem, seu usum rationis adimunt, flu-
ctus excitant; & insurgente, simúlque ur-
gente excitatæ concupiscentiæ vento fœdè
castitas mergitur naufraga.

§. VII.

Sobrietas sicco vestigio fluxa mari-
ni sinûs itinera tutè trajicit; cum temu-
lentia naufragijs etiam terra inharens ob-
viet. Fugienda est ebrietas: fons
est, à quo vitia omnia veluti
putidissimi rivuli sca-
turiunt.

55. SCimus, populum Israëliticum mare Ery-
treum sicco trajecisse vestigio, quia
nimirum jejunio munitus erat, ac sob-
rietate fultus: nec poterant vereri naufra-
gium, qui vino fluctuare non didicerant;
sed qui naufragium non timuerunt in ma-
ris fundo sobrij: naufragio in terra obruun-
tur temulenti, cum primùm fluctibus cœ-
perunt ebrietatis absorberi, ut notat S.
Chrysostomus homil. 23. ad popul Antioch.
inquiens: *Novi quomodo populus illius tem-*
poris, qui cum jejunio mare transgressus est,
ebrietate percussus, per continentem terram
naufragium fecit. O quot homines dietim
obruit fluctuans hocce ebrietatis mare! quot
temulentiæ fluctibus periclitantes à portu
aberrant salutis, & in scopulos illisi vitio-
rum æternum subeunt naufragium! quia gu-
bernator, seu mens humana supetem:neutis
ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari
versans caligat, & ob exortæ procellæ ag-
glomeratas nubes, offusas tenebras, a portu
veritatis aberrat, ac in saxa mari latentia
irruens vino madidus se ipsum impactum
perdit in concupiscentiæ lenocinia. Quot
in calicibus pleno spumantibus vino latent
syrtes, & scopuli, quibus mens temulenti
illiditur, & rationis navis quatitur, elidi-
tur, & fœdum patitur naufragium? etenim
rationem fluctibus temulentiæ mergi ad-
struit S. Joannes Chrysostomus, qui appo-
Homil. 10. in Genes. sitè Hominem navi fluctibus quassatæ de-
cumanis æquiparat, inquiens: *sicut navis,*
qua aquis ita impletur, ut exhauriri nes
queat, statim submergitur: ita & homo,
quando crapula, & ebrietati se ipsum expo-
nit, in praceps vadit, & rationem suam
submergit. Jacet quasi vivum cadaver ad
mala quidem operanda sape potens, ad bo-
num nihil. Chrysostomo non dissentit Au-
Serm. 40. thor ille apud Antonium in Melissa, ubi o-
stendens, rationem fluctibus mergi temulen-
tiæ, definit ebrietatem esse rectæ rationis
alienationem, delirium, & secundùm ani-
mam sanitatis perditionem, ut proinde in-
saniæ titulo non abs re insigniatur: cui etiam
adhæret Chrysippus apud Stobæum *serm. 18.*
ubi definit ebrietatem parvam esse insaniam:
nimirum si duntaxat tempus spectemus,
quod est breve; non ita si damna, quæ inve-
hit: hinc non parvam dixeris insaniam esse
temulentiam, sed maximam, cum exiguo
tempore tot mala parturiat, tot damna in-
ferat. Cæterum tunc immodico madidus
vino insanire incipit, cum mente fluctuat,
quòd si plerumque urgente procellâ, qui
navi vehuntur imminens declinaturi naufra-
gium, merces etiam pretiosiores projiciunt,
ut onera allevent, mortémque fugiant. In
idem se discrimen spontè mjicit, idémque
subit voluntarium periculum, qui vino sub-
ditur: virtutum pretiosissimas merces in
mare æterni amaroris cogit temulentia proji-
cere, castitatem naufragam finere, tempe-
rantiam, & sobrietatem fluctibus obrui
ebrietatis, prudentiam vino mersam perire:
sicut enim urgente maris procellâ mercium
fit jacturâ; ita fluctuante temulentiæ tem-
pestate fluctibus obruuntur honestamenta
virtutum, perit modestia, corruit pudor,
mergitur prudentia, obruitur fluctibus man-
suetudo, & reliquæ virtutes imum subeunt
iniquitatis; quia sæviens ebrietatis tempe-
stas pretiosas virtutum merces ex animæ navi
ad se trahit, ac perdit.

Sed parum esset, hanc mercium in mare 56.
projicere pretiosissimam supellectilem, nisi
mors ipsa etiam ipsum absorberet temulen-
tum. Quòd si immodico madidum vino
mortuo pariaveris animato, neque latum
unguem à vero abscedes, D. Chrysostomus
siquidem ad populum Antioch. loquens de te- *Homil 1.*
mulento, quem nititur ab ebrietate avocare,
ait. *Quid ebrietate miserabilius? mortuus est*
animatus ebrius, & homil. 10. in Genes.
vocat ebrium *Vivum cadaver*, cui adhæsit
S. Augustinus, asserens, nil aliud esse eb-
rietatem, quàm vivi hominis sepulturam:
hoc enim fœdissimo sepulchro nobilior ho-
minis pars conditur, dum ebrietate obrui-
tur, sepelitur hîc ratio, & tumulatur homo,
cum temulentiâ mergitur. Fuerunt, qui
ventri, & ebrietati famulantes insipienter
effutire ausi sunt apud Isaiam. *Comedamus,* *Cap. 22.*
& bibamus, cras enim moriemur. Sed quid
in crastinum mortem protrahunt, cum se
mortuos faterentur, cum hæc dicerent? non
enim longiùs ab istis mors visa est distare,
quàm proxima ebrietas; proinde eorum insa-
niam, mentísque allucinationem perstrin-
gens S. Chrysostomus ait: *Ebrietatis sunt* *Homil in c. 3 epist. ad Colos.*
hac verba, deliciarum libidinosa intempe-
rantia, comedamus, & bibamus, cras enim
moriemur: non cras, sed quando hac dici-
tis, jam estis mortui: hinc D. Basilius *ho-*
milia de ebrietate, & luxuria non aliud ad-
struit ebrietatem esse, quàm brevis tempo-
ris mortem inquiens: *Ebrietas est rationis*
pernicies, roboris corruptio, senectus im-
matura, brevis temporis mors: & æquipa-
rat ebrios idolis gentium, oculos quidem
ha-

habentibus, sed visu destitutis; aures possidentibus, sed quæ minimè audirent; quia temulenti ob nimium, quo madent, vinum, licèt & oculos aperiant, & aures habeant, idolis tamen gentium associantur, cum oculos habentes non videant, & auribus instructi non audiant.

87. Quòd si temulentiam monstrum dixeris mortuum simul, & animatum, non aptius alteri æquiparaveris, quàm lernææ hydræ, de qua fabulantur Poëtæ, quòd uno amputato capite, plura renascerentur, quod in parœmiam abiit, quâ utitur Plutarchus *in comment. de fortuna Alexand.* ubi ait: *Hydram secans semper aliquibus bellis repullulantem.* Loquitur enim de Alexandro, qui uno confecto bello initium alteri dabat; esséque propterea finis unius exordium alterius subsequentis, videretúrque propterea bellum à bello nasci, & ipse Alexander prælia ipsa serere, cum sanguinem in initiis certaminibus effunderet. Non dissimile monstrum censeas ebrietatem: hydram refert, quia à temulentia tot oriuntur capita, quot vitia, & sicut in fabuloso illo monstro sectio unius capitis germen erat alterius; ita unâ ebrietate vix concoctâ alia oritur, quia ebriosus sine temulentia vix arbitratur posse vivere; ut una propterea aliam vocet, sitque extinctio unius, accensio alterius, ut pulchrè S. Chrysosto-
Homil. 57. mus *homil. 57. ad populum Antioch.* observavit, inquiens: *sicut in scylla fabulis decantata, & hydra itidem, & in ebrietate multa possumus capita reperiri.* Imò tot repullulant ex una ebrietate vitiorum capita, ut hisce secandis, nec Herculis fortitudinem parem dixeris, siquidem ab hac una ebrietatis hydra, hinc emergit fornicatio petulans, illinc ira cæcutiens, mox mollities turpis, nunc amor nefarius, dissidium periculosum, cædes cruenta, & alia hisce affinia vitia, omnia mala capita ultimum illatura exitium, nisi sobrietatis igne exsiccentur, ut penitùs arescant; alioquin se prodit ebrietas risu indecoro, & omnia perturbat voce horrenda, irâ præcipiti, libidine effrænatâ, œstro, & furore, ut loquitur S.
Orat. de ebrietat. & luxu. Basilius. Oh quot horrenda, ac timenda exiliunt ex hac temulentiæ hydra monstrosa capita! est enim ebrietas, ut ait S. Pe-
Serm. 26. trus Chrysologus de fideli Dispensatore: *Cadis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ Magistra. hanc qui habet, se non habet; hanc qui tenet, homo non est.*

88. Quòd si hydra lernæa fertur in palude stagnante stabulata, temulentia etiam puteo ad æternum immergitur supplicium. Refert Athenæus *lib. 10.* Moris apud priscos fuisse, ut pocula laxiora putei dicerentur argentei, putârim quia in ijsdem mero spumantibus ebrietas hauriretur; sed tu hanc, si puteum dixeris gehennalem D. Augustino suffragaberis, qui *sermone 231. de tempore* ait: *Ebrietas quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit pœnitentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vendicat, ut eosdem illos de inferni tenebroso puteo ad charitatis, vel sobrietatis lucem redire sine pœnitentia non permittat.* Væ illis temulentis, super quos clauserit puteus iste os suum! sive argenteus fuerit, sive vitreus: hic puteus declinandus est omni nisu, hanc inferni foveam expavescamus, ne baratrum subeamus gehennæ.

Nimio mero, qui corpus irrigat, vile 89.
fit Sathanæ mancipium, cum non multum ebrietas ab inferno dæmonum specu abesse censeatur, imò sit ebrietas ipsa dæmon, qui blandè torquet, suaviter vulnerat, ut enim ait S. Petrus Chrysologus, *de fideli dispen-* Serm. 26.
satore. *Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria.* Si dixeris, esse corporis vires deperditas, per cibi, & potûs ingestionem in stomachum reficiendas, ac instaurandas, propterea esse alimenta necessariò suppeditanda, ut singulæ in in humano corpore facultates vegetæ sua valeant munia obire. Id ultrò concesserim, nec diffiteor insitam nobis corporis charitatem: verùm fateor etiam latere hic anguem in herba, & sub larva charitatis fallaciam latere, imò & hostem, qui in ipso charitatis excessu nos jugulat, hinc Seneca mo- Epist. 14.
net. *Sic gerere nos debemus, ut non tanquam propter corpus vivamus, sed tanquam vivere non possimus sine corpore.* Varijs est hominis vita discriminibus obnoxia, curis implicatur, laboribus frangitur, morbis corrumpitur, necessitatibus adurgetur, fame, & siti aduritur; tenemur hisce naturæ subvenire indigentijs: sed cautè curandum est, ne vitium subrepat necessitatis fuco larvatum; quia ut piscis hamo, ita homo sæpe capitur desiderio indigenti corpori subveniendi: & ij pedicas promptiùs tartarei aucupis incurrunt, quibus est corpus charius, eique magis adblandiuntur: siquidem cupedijs illecti exhibitas sibi faciliùs deglutiunt escas, pereúntque incauti: sunt enim qui adeò solicitè curam corporis agunt, ut rectæ rationis non semel statutam transilientes metam, ad extremum deflectant vitiorum: & perinde ac miles si longiùs à castris abscedat, non semel hostium fit præda; ita quotquot plus æquo corporis indulgent commodis, dum à sobrietatis discedunt castris, non semel manus incurrunt tartarei hostis, qui circuit quærens, quem devoret: declinanda sunt hæc corporis commoda, quæ nobis sunt incommodo: per ea siquidem, quibus nostris satagimus indigentijs consulere, negotium adversarij etiam præter opinionem agimus, ac discrimina nobis adsciscimus.

Idque fortassis causæ, cur Deus præ- 90.
ceperit militiæ Præfecto Gedeoni milites seligere, eósque ad fluvij aquas experiri,

ea observatione; ut qui flexis poplitibus se quodammodo ad hauriendas aquas effunderent, militari honore manumitterentur privati, & qui fluentes aquas linguâ lamberent militiæ adsciscerentur sacramento. *Judic. cap. 7.* *Fuit numerus eorum, qui manu ad os projiciente lambuerunt aquas trecenti viri; omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madiam. Omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* Sed cum hic, vel alter bibendi modus parum videatur ad militum delectum conducere, quærunt Interpretes, cur Deus eos tantùm trecentos selegerit, qui fluvium lambuerunt; an non profundum videtur mysterium latere hocce in modo bibendi? *Quæst. 15. in judic.* arbitratur Theodoretus eos, qui manu cava aquam libârunt, ut ignavos, vel suæ utilitati non studuisse, & ob id in cœlestis auxilij commendationem fuisse adlectos: & quidem in ijs curandis, quæ ad commoda spectant corporis, non semel laudabilior est ignavia, quàm diligentia. *Cum plures* ait Theodoretus, *celeriter se demittentes genu flexo biberent; trecenti verò per ignaviam hoc non agentes, manu aquam ori admoverunt, hos solos, ut ignavos, & socordes jussit in hostes irruere:* nimirum socordes in procurandis corporis commodis ad explendam sitim cunctabundos selegit, ut arma caperent, & in hostes ad victoriam irruerent. Hi namque quantò ignaviores ad corporis promovenda commoda, tantò aptiores ad prælia ineunda inventi fuêre, & ideò præ cæteris militiæ adsciti sacramento: secus qui pleniori haustui indulgentes se profuderunt in fluvium armis tractandis deprehenduntur minùs idonei. Visi sunt trecenti illi ad militiam selecti genua non flexisse; sed carptim duntaxat niliaci canis instar aquas manibus attigisse, quibus exsiccata labra reficerent, sitimque parùm extinguerent, ut erectis cervicibus animi proderent firmitatem, & ad pugnam se expeditiores exhiberent. De Ægyptiacis canibus id notatu dignum proditum est, quòd aquas Nili ebibentes, crocodilos fluctibus latitantes vereantur, ideóque nonnisi carptim, ac celeriter latices illos fluentes lambere, ut perfunctorio illo bibendi modo, & latens declinent periculum, & propriæ siti necessarium adferant solatium, satiùs existimantes sustinere paulò diutiùs urentis sitis ardorem, quàm ob fluxam voluptatem prædam fieri latentis crocodili.

61. Proprij corporis, qui studet commodis, sibi ipsi est noxius, quia dum deliciarum, commoditatúmque illicijs corpori eblanditur; se ipsum lenociniorum vinculis irretitum detinet. Quòd si virtutis splendentes non penitus delet characteres; quandam saltem invehit ignaviam, quâ virtutum sitor minuitur; & earum vigor deflorescit. Ferunt Remoram digitalem pisciculum navem plenis velis, ventorúmque pulsu actam, æquoris fluctus trajicientem sistere veluti immobilem, si eidem adhærescat: sed veriùs id dixerim de indulgentia, quâ quis proprijs inhiat commodis; est enim Remora, quæ remoratur gressum ad virtutis assecutionem, quatenus jucundo fascino properantem illigat, ne ulterius pergat. Etiam Zara licèt festinaret per pia opera ad virtutis exercitia, retardatur de coccino splendescente, & de obstetrice acclamante. *Illo verò retrahente manum egressus est & alter:* nimirum qui sine coccino, statim prodijt; qui verò ornatus coccino lentiùs exivit. *Genes. 38.* Etiam sirenulæ cantûs lenocinio aures demulcent, mentibúsque navigationem fastidientibus sunt solatio; sed itineris cursum impediunt, si Nautæ sinant ijsdem se demulceri; pulchrè Cassiodorus. *Sirenas in miraculum cantâsse curiosa prodit antiquitas, & quamvis navigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suaviter decepti scopulos incurrere, ut tantam paterentur dulcedinem præterire.* *2. variar. 40.* Adulandientis cantûs nautæ remorabantur illicijs, tametsi secondis adurgerentur Favonijs. Ithacus tamen cæteris sagacior aures industriâ obsepuit, ut ad portum appelleret; noverat siquidem sibi adversari, cantûs illicio perlectari, & ad portum solicitato cursu enitebatur. Delicata fercula virtutes non innutriunt, sed viribus destituunt; & cultus corporis dolus est castitatis, fraus pudicitiæ, & vitiorum omnium proxeneta. In vino autem, quo sibi indulgens immodicè madet, mergitur pudicitia, & naufraga perit castitas, hinc Archidamus referente Plutarcho. *In Apophthegm.* Pollicenti suave vinum, *quo inquit? siquidem & exhaurietur largiùs, & animos strenuos labefactabit:* corpus, blandimentis delinitum, dulcíque madidum vino insolescit, & delicijs diffluens obbrutescit.

62. Scimus Lycurgum aurum à Republica exterminâsse, quo injustitiam depelleret, & ad studia virtutum impelleret: quasi aurum innato suo pondere, cursum retineret ad virtutis exercitium, pedésque retardaret ad justitiæ administrationem. Auro qui exundant, divitijs qui affluunt tardiores cæteris deprehenduntur ad exercitia virtutum, ac cæteris morosiores in via æternæ salutis, quia terrenis detinentur voluptatibus. Josuë probo inflammatus zelo aliquas Tribus gravi objurgatione redarguit: eò quia neque in itinere gressum solicitarent, neque contra hostes ad pugnas instruerentur Josuë. 18. *Usquequo marcetis ignavia, & non intratis ad possidendum terram, quam Dominus Deus Patrum vestrorum dedit vobis:* sed quænam fuit hujus causa ignaviæ? si populus ex Ægyptiaco famulitio libertate donatus, delicijs in-

inhiavit terræ sibi promissæ; cur non pedes potiùs solicitavit, quo citiùs illac perveniret, ubi felicitas telluris, cœlique clementia eum illexerat? Remora hujus itineris indulgentia fuit, quâ commodis cœperat corporis vacare: cum enim ab armis tractandis jamjam diu abstinuisset populus, delicijs cœperat studiosiùs inhiare, & commodis eblandiri corpori: hæc igitur corporis commoda vincula fuerunt, quibus veluti compediti Israëlitæ retardabantur, ne ulteriùs progrederentur.

63. Noxiæ semper fuerunt virtuti corporis deliciæ, quæ in sæva quoque ingenia tyrannidem exercent; neque Annibalis inconcussam fortitudinem, quâ indomitas nivibus alpes superavit, quid aliud enervavit, quàm fomenta Campaniæ: stetit victor armis, sed cecidit victus delicijs: mollem otio manum durus exasperat capulus, & pectus assuetum ferculorum delicijs, vinique illici dulcedine, loricæ onus non sustinet: otio emarcuerat populus, delicijs studiosè inhiaverat, ideo non mirum, si ignavia iter retardavit, & segnities compedes injecit, quibus detineretur in itinere. Hæc fuit socordiæ causa pluribus diffluere delicijs, exundare commodis, frui voluptatibus; tametsi populus terræ sibi promissæ inhiaret; progrediendi tamen studium inter delicias elanguit: & otio molliores cum fierent pedes; laboribus itineris subeundis minùs apti fuerunt. Voluptatibus fractus, delicijs emollitus, adeò elanguit populus, ut gradum promovere non ampliùs valuerit, nec voluerit delicijs irretitus, ac voluptatibus compeditus, pulchrè Seneca. *Epist. 51.* *Quemadmodum aliqua vestis sapienti, ac probo viro magis convenit, quàm alia, nec ullum colorem ille odit; sed aliquem putat parum aptum esse frugalitatem professo; sic regio quoque est, quam sapiens vir, aut ad sapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus.* Postea subdit: *Videre ebrios per littora errantes, & comessationes navigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, & alia, quæ velut soluta legibus luxuria, non tantùm peccat; sed publicat, quid necesse est? Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quàm longissimè profugiamus: indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus., una Annibalem Hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campania.*

64. Immodico qui haustui inhiant, & delicijs, corporisque student blandimentis; sibi interitum apparant. Sisara cum frustra in pugna turbatam aciem restituere conatus esset, expertúsque propterea fuisset surdas etiam in bello aures pavori inesse, fugæ consilium etiam ipse cœpit, & ne hostibus innotesceret, aureo desilijt curru, abjectísque insignibus supremi militiæ Præfecti pedestrem, & incomitatam arripuit fugam. Verùm in hac fugiendi festinatione defertur ad Tentorium *Habèri* natione *Cinai*, cujus uxor *Jahel*; cumque ejus maritus cum servis abesset, Sisara eò lubentiùs Tentorium ingreditur, quò ob itineris defatigationem, conceptú... calorem siti adurgeretur ardentissima, a.. quam sedandam poposcit à fœmina pauxillum duntaxat aquæ. *Da mihi obsecro paullulum aquæ, quia sitio valdè.* *Judic. cap. 4. v. 19.* Sed si sitis æstu ingenti torquetur, cur pauxillum tantùm petjit aquæ? si ardentissima siti exæstuabat, cur modicum tantùm frigidæ poposcit? quid id aliud fuisset, quàm grandi incendio parum injicere aquæ ad flammarum potiùs incrementum, quàm incendij decrementum? paucæ, quæ flammis injiciuntur guttæ frigidæ, ignem non extinguunt, sed augent: aquæ exigebat Sisara uberiorem copiam ad sitim extinguendam ardentiorem; pauxillum, quod petjit frigidæ, sitim potuit irritare, non extinguere. Sed cum satageret Sisara, quò periculum declinaret, prudenter se continuit, ne plenè satisfaceret siti, neque corpori, licèt ex itinere defatigato, & ex concepto calore siti exæstuanti: ideo noluit blandimento copiosioris haustûs indulgere; quia nil saluti magis noxium, quàm totam corporis explere exigentiam, ejúsque studere commodis. Idque cum fortassis Jahelem haud lateret, ut pleno haustu Sisara siti, quâ exæstuabat, satisfaceret. *Aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum:* *Judic. 4.* sed perinde fuit uberiores haustûs cupedias ei exhibuisse, ac insidias bibenti parâsse lethales: cùm lacti os aperit deglutiendo, oculos claudit, & mortem accersit: cum enim sitim laxioribus extingueret lactis lautitijs, cum dulcedine haustûs faucibus eblandiretur, & corporis necessitati absque moderamine inserviret, somnum accivit, & perforantem tempora clavum tulit, partim enim lactis suavitate demulsus, & Jahelis invitatu illectus pleno lactis haustu stomachum implevit. Sed inde sopore altissimo captus, ut lateret tutiùs in abstrusiore tabernaculi loco operitur stragulo, & interim Jahel sumptis animis ultura communem Hebrææ gentis hostem clavum ferreum prælongum, quô Tentorij funes solò depanguntur, tollit humo: & altera manu arrepto fabrili malleo, suspensóque molliter incessu, per summum tum oris, tum pedum silentium accessit ad consopitum Sisaræ caput, vulnerísque designans locum clavo, per tempora validissimo mallei ictu clavum percutit, & caput dormientis Sisaræ terræ affigit; & qui armatam hebræorum militiam fugerat, qui hostium manus evaserat, illigatur delicijs, perit lactis illecebris: petjerat ipse paullulum duntaxat aquæ, sed Jahel aquam petenti lac dedit, indulgentior enim fœmina, quàm petitum fuerat, ex utre coriaceo lac recentèr expressum in ampliori exhibet phiala. *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum:* *Judic. 5. v. 25.* lactis nimitum florem, & pinguedinem propinavit.

Quàm imprudenter fidunt homines improbis mulieribus! securiùs Sisaram morti tradiderunt Jahelis blandimenta, quàm irruentis hostis furor, & gladius: mann lac, & mollitiem butyri porrexit Jahel, sed arma contexit, quibus lactis dulcedine lethale vulnus infligeret: hinc de procace muliere ait David.
Psal. 54. *Molliti sunt sermones ejus ficus oleum, & ipsi sunt jacula.*

65. Si pauxillum tantùm hausisset frigidæ, sicut pejerat, sitim placâsset, & acerbam mortem devitâsset: sed dum pleno haustu lactis dulcedinem avidiùs hausit, dulce mortis venenum lactea larvatum dulcedine deglutivit: sibi obsunt, qui commodis prodesse corpori student. Neque Tartareus hostis truculentiùs in Jobi familiam sævijt, quàm cum ejus filij convivio, viníque haustu læti corpori indulgere sategerunt: sævijt furens dæmonis tyrannis, elementa commovit, Sabæos invitavit ad rapinam, in greges ardentes flammas adduxit; ulcerosis plagis ejus corpus attrivit: non tamen in ejus familiam adhuc furore fuerat debacchatus; sed tunc tantùm fuit ex omni parte ventorum flatibus impetitus Jobus, cum ejus filij se epulis, & vino lautiori ingurgitantes in convivio, largiori vini haustu cœperunt madere; tunc ventorum impetu eversi ædificij sepeliuntur ruinis.
Job. 1. *Ecce alius intravit, & dixit filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Quamdiu filij Job non maduerunt in convivijs mero, nullis fuit eorum domus labefactata ruinis, nec ipsi repentinæ, ac prærnaturæ morti obnoxij: prælia ventorum coërcuit domus, cum sobrietate fulciretur; sed ubi filij lautâ fruuntur mensâ, incipiunt tunc imminere ruinæ; & quos tartareus hostis invenerat ferculorum lautitijs addictos, delicijs deditos, ruentis domûs sepelivit ruinis: & licèt filij Job metas in convivio illo non excederent sobrietatis, legésque fraternæ charitatis repetito firmarent convivio, adhuc tamen excidium non evasêre; ut inde conjiciamus, quàm proximè sint interitui obnoxij, qui studiosiùs commoda curant corporis, & conviviorum sunt delicijs dediti, ac liberaliori vini indulgent haustui: ibi enim incurrerunt excidium, ubi ad saporata curreunt fercula; huc accersitur Origenes apud Glossam, ubi ait: *Sancti memores, quòd meridiano tempore hora prandij ruina occupati sunt filij Job, oraverunt Dominum, conservari à dæmonio in tenebris ambulante, à ruina, & à dæmonio meridiano,* ubi Lyra ad rem nostram subdit: *Vescentibus, & bibentibus vinum, id est occupatis in potationibus, & ineptis lætitijs meridianus dæmon insidiatur.*

66. Qui sapiunt, non vinum sitiunt Lyæum, sed eucharisticum, quo sana mente cupiunt inebriari; censet Cœlius Rhodiginus. Vinum lyæum dici non solùm, quia membra solvat, sed ulteriùs, quia ex intemperanti potu cooritur sæpè discordia, solvitúrque hominum unanimitas: secus vinum eucharisticum amicitiæ promovendæ, unitati fovendæ, charitati stabiliendæ aptissimum est: hinc in amoris cantico invitantur amici ad haustum hujus vini usque ad ebrietatem: *bibite amici, & inebriamini Charissimi.* Vinum lyæum lumen extinguit rationis; modestiam solvit, prudentiam delet, castitatem obruit, concupiscentiam excitat, libidines fovet, vitijs favet, flagitia promovet, dissidia, & rixas spargit, & præsertim fœdissimas accendit libidines, quapropter ait Apostolus. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sed lyæi vini si damnat ebrietatem; eucharistici poculi exaggeratiùs commendat excellentiam. Abstinentes nos vult tantùm à lyæo vino, in quo stabulatur luxuria, latent dissidia; & reliqua vitia, perinde, ac in putida palude serpentes, nutriuntur; est enim vinum hoc luxuriosum, venenum rationis, pestis pudicitiæ, castitatis naufragium, & mors cujusvis virtutis: at defœcatissimum Eucharistiæ vinum, ejúsque panis electos roborat, pudicitiam firmat, castitatem stabilit, & reliquas promovet virtutes: Zachariæ 9. *Quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Lib. 7. 15. lect. antiq. Ad Ephes. 5.

67. In alijs mundi convivijs, ubi tumultuantium ferculorum vanitas copiæ superfluitatem ostendit, & numeros extendit enectarum ferarum, sobrietas exulat, modestia solvitur, pudicitia corrumpitur, secreta produntur, & dum annosi ardore vini viscera incalescunt ferventiùs; robur virtutis languet infeliciùs. Exsiccantur calices, ut flos arescat castitatis: vigent ibi persæpe ad pravas cupiditates sensus, ut liberaliori irrigati potu, vitia inde succrescant, & scelera germinent innutrita: armatur enim ebrietas velusi Megæra ex Erebo emersa duplici face, libidinis, & furoris, ut ardentiùs contra bonos mores debacchetur: id proprium est ebrietatis non solùm flammas accendere luxuriantis concupiscentiæ, sed etiam flammas excitare furoris, ac iræ, ut scitè notat Seneca, inquiens: *Vinum incendit iram, quia calorem auget pro cujusque natura:* hinc immodico vini haustu ferventiùs furit insania, truculentiùs insolescit sævitia, quia ut notat Plutarchus libro de Iside: *Temulentia dementes, & insanos efficit, qui primogenitorum sanguinem ingurgitent,* quam morum, ac virtutum non impedit honestatem temulentia? cum audaciam foveat, rixas moveat, dissidia promoveat, linguam solvat, luxuriam irritet, furorem accendat, sævitiem obarmet? quin imò lumen quasi extinguit rationis, ut mentis oculos honestas effugiat, & sensus ad omnia exacuat scelera. De ira c. 19.

Manna

68. Manna cùm plueret è summo cœlo eò eidem avidiùs Israelitæ inhiàrunt, quò impensiùs gulæ indulgerent, mentem hebetavit, sensúsque ad cupiditatem exacuit: nomen enim ipsum edentium prodit inscitiam, quam vocabuli dubietas procudit: Cùm Manna gustarent, inquiebant, *quid est hoc?* nimirum ignorabant, quidnam esset, quod tam exquisitè pallato saperet, gulæ satisfaceret appetitui, & stomacho explendo tam bene, se accommodaret: verùm non fuit Manna è cœlo delapsum, quod mentem Israelitarum hebetaret, sed depravati appetitus cupiditas, quâ Ægyptijs inhiabant carnibus; allia, cæpas cucumeres & pepones ambiebant. Ità Manna defecit. ut agnus immolatus Israelitas pasceret: *Fecerunt phase, defecitque Manna*, sed immolatus agnus inscitiæ abegit caligines, mentem pristino suo restituit lumini, & excitatas cupiditates ad Ægyptias carnes coërcuit, quia panis Eucharisticus virtutibus ionutriendis peraptus vitia non patitur, nec prava desideria, imò etiam à morte comedentes liberat, dicente Christo: *Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in æternum:* nimirum Manna in deserto contagium pravæ cupiditatis corrigere non valuit, cùm adhuc Israelitæ Ægyptijs inhiarent carnibus, ideóque neque necis dispulit supplicium: secus agnus Eucharisticus, vinúmque divinitate attemperatum mentis acuit aciem, divini amoris accendit flammam; carnis appetitum, vel penitus extinguit, vel efficaciter sopit.

Ibid. 16. v. 14.

Josue cap. 5.

69. Duos sacer textus nobis exhibet calices hominibus propinatos; unum, quem vidit Joannes in manu Babylonicæ mulieris: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, & mulier erat circumdata purpura habens poculum aureum in manu sua* Quæ verò fuerit hæc bestia, qua insidens mulier calicem imbriaotem, hominibus propinaret, declaravit Angelus inquiens: *Reges septem sunt*: nimirum Reges, & potentes in terris Babylonico calice ebrij ita ab hominum natura desciverunt, ut fœda scelerum metamorphosi fuerint in bestias transmutati; quia acti extra rationem, corruptis suis famulabantur cupiditatibus, sensibus inserviebant, quibus etiam abutentes omnem rationis usum abegerunt: & istos non alios dixeris, nisi quos vinum obruit, & ebrietas opprimit: Angelus enim bestias vocat ebrios temsto Babylonico: & quidem aptè, quia sicut belluæ ratione carent, & sensibus vigent, ita Babylonico vino, seu terrenis voluptatibus ingurgitati, vigent sensibus, quibus parati semper sunt ad vitia accerseoda; sed usu destituuntur prudentiæ, & rationis, ac honestamento virtutum.

Apocal. 17.

70. Verùm si hoc Babylonico vino temulenti usu destituuntur rationis, eodem mentis obtundunt aciem, extinguunt lumen, exterminant virtutem, dispellunt pudorem, & bestiarum instar sensibus duntaxat vigent, quibus ventri indulgeant, sensuque inservìant concupiscentijs. Eucharistico qui sunt vino ebrij, à sensibus quodammodo alienantur, proptis destituuntur cupiditatibus, æstus extinguunt concupiscentiæ, & solùm rationi vivunt, cujus duntaxat legibus inserviunt: & hic est secundus calix poculo oppositus Babylonicæ mulieris, & de quo ait Regius Psaltes *Psal 22. Impinguâsti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus est.* Nimirum Eucharisticus calix præclarè inebriat, dum sopitis sensibus, pravisque extinctis concupiscentijs; prudentiæ, ac cæterarum virtutum faces accendit, & ad cœlestia contemplanda mentis exacuit perspicaciam. Hoc calice, qui inebriatur, non vilescit despectus, sed honoratur ad regiam promotus dignitatem; inungitur enim instar Regum oleo: *impinguâsti in oleo caput meum.* Quàm dispares calices! babylonico siquidem potu, qui madent, in bruta fœdâ metamorphosi transmutantur, uso destituuntur rationis, prudentiæ privantur dictaminibus, virtutum spoliantur honestamentis, quia pravis inservientes concupiscentijs, vitijs associantur, quorum fœditate deturpati cœlo sunt exosi, & terræ dedisui: at Eucharistico haustu qui inebriantur, face splendent divini amoris, virtutibus ornantur, lilio florent castitatis, rosis olent charitatis, vigent ratione, ac prudentiâ, & divina mentis acie mysteria penetrant; quia ot scitè Incognitus expendens præcitatum textum: *Ebrietas corporalis obscurat intellectum, ebrietas autem gratiæ magis illuminat: quàm præclarus est calix? id est multum clarus:* quia nimirum divinos perfundens intus radios intellectum clarificat, mentem acuit, & sensus corporis obtundit. Christus igitur in ara suum propinat fidelibus vinum, ut suo calice potati honestè inebrientur, seu extra sensus acti soli vivant rationi, floreant virtutibus. Ad hunc propinati vini haustum allusit Salomon, cùm dixit: *Relinquite infantiam, & bibite, & ambulate per vias prudentiæ*, non enim invitat Sapiens ad haustum Babylonici calicis: vinum enim, quod hæc mulier propinat, mentis non acuit ingenium, sed ejus obtundit aciem; Sapientiam non nutrit, sed minuit; vias prudentiæ non edocet, sed lubricas iniquitatis aperit: hoc qui vino madent, ijsdem nutant pedes, titubat lingua, vertigine circumagitur caput: cum igitur haustum nobis vini suadeat, ut ambulemus per vias prudentiæ, de vino loquitur Eucharistico, quod dum largiùs, frequentiùsque nobis propinatur, mens defæcatior serenatur, Sapientiam docet, prudentiam accersit. Eucharisticum námque vinum sola duntaxat vini accidentia, quibus eblandiatur, retinet; lucem enim divinitatis, quâ mentis

Psalm. 22.

Proverb. 9.

mentis nobila discutit, abscondit: humanum vinum venena sapore illinit, ut rationis vires validiùs enervet; unde scitè Salomon, ne à vijs deflectamus prudentiæ, ne ab exercitijs exorbitemus virtutum, vini Eucharistici haustum, in quo fons latet lucis, oobis suadet: *Ambulate per vias prudentiæ*: Nimirum per semitas mandatorum Dei, ac consiliorum: Eucharistico enim qui madent vino, non lubricas percurrunt vias iniquitatum, neque ad præcipitium proclivia obambulant vitiorum itioera; sed per firmas incedunt prudentiæ vias exercitijs occupati virtutum. Propinat Christus nobis suum sanguinem, quo inebriemur, simúlque divinis erudiamur: hæc enim sola ebrietas saluberrima nobis est.

DISSERTATIO XVIII.

Ambitio, quò altiùs evehitur, eò proximior est ruinæ; ejus tumor honorum fugâ eludendus.

§. I.

Quos Affectus Ambitionis pascit, eò diriùs torquet, quò tumidiùs inflat: ventum iisdem exhibet, quo dum in sublime feruntur, noxiora secum præcipitia trahunt.

1. Quàm lubricus est inconsultæ ambitionis affectus! in sublime nititur, & in imum dejicitur; quia dum altiora dignitatum fastigia anhelo jugiter desiderio attingere, ac captare affectat, ingloriè caligat; & ibi præceps ruit, ubi celsiora tenere arbitrabatur: graves enim hiatus patitur levis hujus affectus credolitas; præcipitia secum dum in sublime nititur, & ad majora se evehit, secum trahit: qui enim cæcam nesciunt ambitionis coërcere audaciam, experientiâ edocentur, plena præcipitijs esse dignitatum fastigia: dum enim ambitio in consummationem concupitæ dignitatis per mille irrepit indignitates, diu laboràsse, ut lapsu rueret graviore, pernoscit; quia persæpe sibi nocitura expetit ambitio, quæ plerumque experitur, diu sudàsse, ut laboribus diuturnis, quos subivit, merum enancisceretur sepulchri titulum.

Quot gloriæ splendorem quærentes, non ejus scintillas inveniunt, sed ignominiæ fuliginem enancisceuntur? Testis statim accersitur Aman in aula Regis Assueri honoris, & opum censu inclytus, regiæ familiaritatis gratiâ insignitus. Hic apud Assuerum cùm omnia posset, vecors ambitionis libido adeò hominem cœpit, ut à quocunque mortalium flexo non coleretur genu, eum non suum tantùm, sed Regis etiam, & centom viginti septem Provinciarum Persicæ ditionis hostem credi vellet, ac perduellem; & propterea diris supplicijs omnibus persequendum: cumque Mardocheus geno non flecteret religionis, & patriæ tuendæ causâ, eò quia censeret, cultum illum latriæ esse, soli que Numini debitum; hanc piam Mardochei iourbanitatem ulcisci cupit, dirâ & ipsius suæ gentis cruenta clade; molitur animo ferro Mardocheum tollere cum universa stirpe Judaica per omnes Persici juris terras; imò & coosenso Regio impiam executurus sententiam, innocentum fudisset sanguinem, nisi mulieris unius seu Estheris Reginæ lachrymæ intercessissent; decretum ab Amano extortum delevissent; his enim emollitus Artaxerxes crudele, ac cruentum Amani edictum abolevit. Cùm enim Rex noctem cœli permissu duxisset insomnem, & priorum temporum conscriptos annales sibi afferri legendos jussisset, ad eum devenit locum, ubi sancta Mardochei fides, insidas Eunocorum iosidias contra Regem prodidisse narrabatur, & quidem immunerato servitio: vix candores suos è contermino emisphærio cœperat aorora propagare, simúlque nocturoas fugare caligines, excutere ombras, cum Rex excubantes famulos interrogavit, quisnam esset in atrio: & cùm audivisset adesse diluculò, ac solito maturiùs Amanum; siqui-

siquidem pervigil semper ambitio est, exsomnis, sedola, nec ignavè stertit, nec otiosè, tanter in plumeo lecto pandiculatur; sicut Regem curæ excitaverant hominis sibi fidi congruis cumulandi beneficijs; ita Amanum odia non siverant quiescere desiderio captum Judæi sibi invisi è medio submovendi: cogitaverat Rex de Mardocheo ad honores promovendo; laboraverat Amanus de eo prorsus deprimendo, quamvis eventu nimium à cogitatis abludente. Vocavit Assuerus ad se Amanum, quem interrogavit majora fastigio humano sperantem; quo donandus esset honoris genere, quem Rex percuperet insigniter condecoratum.

5. Cúmque hanc rogationem minimè dubitaret Aman ad suæ incrementa dignitatis pertinere (siquidem ea est ambitionis indoles, ut semper ad sublimiora nitatur, & quidem instar fumi, tamdiu cupit ascendere, donec prorsus evanescat) consilium suggerit, quod suum proderet dedecus, & Mardochei gloriam promoveret, respondítque Regi: *Si vis ô Rex hominem præclarè* de te, tuóque Regno optimè meritum honore, tuóque favore præ cæteris insignitum; impera, ut Regio vestitus ornatu vehatur equo, qui te insessorem deceat, pérque urbem circomducatur tenente frœnos satraparum Principe, instárque Præconis præclamante: *sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare* Esth. 6. v. 9.

Arrisit Assuero Amani consilium, jussítque statim Mardocheum in morem Regis indutum, diademate, aureóque torque fulgentem equo insidere generosissimo; Amano, quo nemo inter Proceres potentior erat, præeunte, ac præconem agente, per singula urbis amplissimæ fora, omnésque plateas circumvehi. Hæsit hisce audiris saxum inter & cultrum, ut parœmialiter dicitur, Amani ambitio; cujus fastus detumuit, hinc excludente renitentem tergiversationem mandato Regio; inde ambientem animum, tumidósque spiritus sæviùs torquente servili obsequio, & quidem conferendo in hostem capitalem, inimicum invisum. Quàm sibimet malè ambitio cohæret? Amanus turgido ambitu arroganter inflatus arbitrabatur se primatum tenere, inter Persici Regni Principes proceres, putans, quòd nullum alium Rex, nisi se vellet tali afficere honore, ideóque id Regi dedit consilij, ut primus è Regis Principibus eum deduceret, quem gloriosiùs vellet Rex honorare. An non amens est amans honoris, voluit Aman sic honorati, & simul petijt, ut ipsemet, qui primus in Principibus erat, ejus teneret equum: an non sibi pugnantia ambivit, nam utrumque ex altero validè redargui potest; nimirum aut nolle se sic honorari, tametsi palam ejusmodi enixim videretur honorem exoptare: vel si id revera exoptavit, non se ipsum reputare è Principibus primum poterat, cum alium priorem experteret, quem Rex vellet honorare: nimirum suo non caret ambitio fumo, quò quia fœdè caligat, non pugnantia tantùm affectat, sed deteriorem, ac probrosiorem sibi conditionem exposcit.

Ecce instituitur invidiosa pompa; fuitque Amanus à pedibus Mardochei, quem jam cùm tota hebraica sua gente laqueo suspensum, & pede protritum arbitrabatur. 5. Quot oculi per fora, plateásque spectantium, totidem fuêre Amano ludibria, totidem tela, quibus fastus confixus detumesceret, & ambitio depressa humi reperet, quæ nonnisi super celsiora dignitatum fastigia assueverat præeminere: uterque fora, & plateas circumit, neuter propriam capiens fortunam, Mardocheus adblandientem, Amanus sibi noverçantem; ille equo insidens Regio regali rubebat purpurâ; erubescebat iste proprio pudore. Quantum fortunæ pristinæ decreverit magnitudo singulos recensuit ad passus, frœnos equi manu tenens adhuc frœnare proprium tumorem non didicerat; nec ferocientis animi coërcere impetus: nimirum imbecillior erat stomachus, quàm ut concoquere posset propriam ad tam abjectum ministerium depressionem. Ultionis mox desiderio inflammatus, simúlque odio contabescens, velut canis in jactum lapidem, non in manum jacientis sæviens, proripit illicò se domum, operto capite, demissis oculis, frontéque exasperata, erubescens non tantum obvios quosque, sed & solem ipsum, quem quovis voluisset tunc splendore destitutum; cúmque ab amicis exquireret, quâ meliori spongiâ tanti nota dedecoris abstergi posset; dum consilia ineuntur; en fores domûs pulsant Eunuchi regij celeri passu supervenientes, qui Amanum ad epulas ab Esthere Regina apparatas evocant, imò & compellunt cunctantem, urgéntque deteriora præsagientem: sed vel invitus comparuit Aman: sub finem autem convivij cùm Rex paulò liberaliùs calicibus exsiccandis indulsisset, meróque propterea ad lætitiam citra tamen ebrietatem incaluisset, Esther Regina composita ad omnem modestiam, ac sollicitudinem oratione efficaciter institit, & pro capite tam suo, quàm gentis suæ universæ fusis madida lachrymis deprecata est.

6. Quid ni? inexpectata supplicatio prece, & lachrymis mixta miros in Regis animo potis fuit motus excitare: siquidem Regium cor intimiùs tangebat Reginæ sibi lectissimæ, simúlque dilectissimæ, & innocentis commiseratio, populique judaici per omnes Regni Provincias longè latéque diffusi cruenta clades: cœpit itaque non ampliùs vino incalescere, sed irâ excandescere in tanta crudelitatis molitionem; voluitque ejus authorem sibi innotescere: cúmque intellexisset concepti facinoris atrocitatem ab uno adinventam Amano; surrexit Rex indignabundus de convivio, & in hortum tricliniio proximum concessit, vel ut furoris æstum liberiori temperaret aurâ; vel fortassis ut spa-

ſpatium quæreret de modo ſupplicij ſtatuendi, cúmque jam imminentia fata Amanum premerent unicum id cogitavit aſylum ſupereſſe, Eſtheris clementiam: cui propterea ut erat ſuper lectum tricliniarem reclinata, ſéque ſupplex adſternit, eniximque rogat, ut gratiam vitæ velit ſibi à Rege intercedere: ecce quomodo detumet ambitionis faſtus, qui tot Hebræarum millibus paraverat internecionem, ſupplex & humilis unam Hebræarum fœminarum gemebundus rogat pro vita obtinenda.

7. Interea cum furoris æſtus, iræque vehementia nullo Regem pateretur loco quieſcere, revertitur hic minarum, cædiúmque ſpirans in cœnaculum; ubi Amanum reperit, Reginæ Eſtheris affuſum lectulo, & meditati flagitij ſuſpicione correptus, jubet ſtatim crudelem ſceleris artificem in eandem, quam Mardocheo crucem erexerat, ſuccidaneam agi victimam. Regis juſſui ſtatim Perſarum more executio reſpondit; quin & decem Amani filij, triſte ſpectaculum! in crucibus pependêre, bonis omnibus, fortuniſque damnatorum fiſco addictis Reginæ. Adeo fœdè cæcutit ambitio, ut dum ſublimitatis editiora faſtigia tenet, opprobrioſæ contumeliæ ſibi modum ignoranter præſcribat: ſcitè Lyranus. *Cogitans* In 6. Eſther. *in corde ſuo Aman, quòd nullum alium Rex niſi ſe vellet honorare, quia modus ſuperbi eſt exiſtimare, quòd nullus niſi ipſe debeat honorari. Dixit ei Rex: feſtina, & ſumptâ ſtolâ, & equo fac, ut locutus es Mardocheo, quia tu es primus inter Principes Regni mei, & ſic patet exaltatio Mardochei, & confutatio Amani.* Quàm palpabilis eſt ambitionis cæcitas! dum ſublimiora honoris ambit faſtigia, ſurſúmque fauſtu tumido nititur, ſibimet vel latenter inſidiatur; aucupatur honoris ſplendores, & caligines enanciſcitur ignominiæ; ſibi præcelſa, & æmulo depreſſionem molitur, ſed hujus promovet exaltationem, ſéque in imum deprimit dedecoris: non ſe amat, qui ambitionis faſtu effertur, ſe interficit, cum ſibi eblanditur.

8. Cavendum ſanè ab hocce eblandiente cæcæ ambitionis lenocinio; ſibi invidet, qui ambitione tumet: eſt enim ambitio Megæra honoris fucata nitore, allicit ſplendore, ut in imum detrudat caliginis: ſedula ambitio nonniſi operoſum dedecus inconſultè aucupatur; & nonniſi plerumque contumeliam negotiatur fuſi ſudoris fluxo coëmptam argento. Quàm noxiæ tumidæ ambitionis nundinæ! ubi faſtus ſuperbientes moleſtis gloriæ ſpebus ſolam mercantur ignominiam. In aula Aſſueri, qui proximior erat regio ſolio, quia ambitione tumidus, ſtrator fit equi, ac inter compedes, fora, plateáſque perambulat civitatis, & ex fulminaſtro obvios quoſque territante, Præco fit ridiculus, ab omnibus irriſus, qui cæteros faſto ridebat: nimirum Aman, quem Aſſuerus patrem conſueverat appellare, perduellis proclamatur, læſæ Majeſtatis Reus proditur, & qui truncibus oculis lethales minas in omnes vibrabat, irati Regis vultum non ſuſtinet; qui purpurâ rubere conſueverat, pudore didicit erubeſcere; qui ferrum in jugulum totius Hebrææ gentis fusè, latéque per ſingulas Perſicæ ditionis Provincias propagatæ molitus fuerat; adigitur ipſe jugulum laqueo dare, & ludibrium ventorum pendere in patibulo.

An non folli ſimilem ambitionem dixerim? ventum attrahit, ut reddat; inflatur, 9.
ut detumeſcat; aurâ paſcitur, ut citiùs evaneſcat. Imò parem lampadi fecerim, quæ tunc extinguitur, cùm exuberantiam olei felicitas affundit. Imò bulla eſt ambitio, quæ citò inflatur, ut citiùs diſrumpatur. Fax eſt ad modicum ſplendens, quæ cum perit, fætet: imò ignis eſt fatuus per aëra circumactus prælucet in avia, micat in tenebris, ſed vix ſplendens extinguitur, & quos delegat nitores ſtatim abſcondit. Satiùs tamen ambitionem pariaverim fumo, qui quò altiùs aſcendit, eò citiùs abſumitur, & evaneſcit. Timeant quotquot arridentis fortunæ ſecundis flatibus intumeſcunt; malaciæ pediſſequa eſt procella naufragium apparans. Fallax eſt favor, contrahenda ſunt vela, ſi nimium impleantur; cutis ſi plus æquò infletur, diſrumpitur. Icarus quò ſublimiùs evolavit, eò profundiùs delapſus Libitinæ tenebras vel in ipſo meridiano ſole enactus eſt. Non fidant aulici Principum favori: annoſæ quercus quamvis diu creverint, una hora extirpantur: ex intimiori amicitiâ arctiùs Alexandro Magno devinctis Lyſimachus leoni objectus fuit, Clitus haſtâ trajectus, & Calliphenes mori juſſus eſt, Philothas miſerè cæditur, Parmenio per ſpeciem amicitiæ occiditur; Seianus Tiberij per Gemonias ſcalas unco trahitur; Ablavius Conſtantij in fruſta dilaniatur; Eutropius Thedoſii ſecuri percutitur; Ruffinus ejuſdem Theodoſii cædem etiam cum ludibrio conjunctam ſubit: neque mitiùs actum ſuit cum Stilicone Honorij; cum Belizario Juſtiniani, qui oculis orbatus mendicus in ponte ſtetit. Hos omnes, quos ambitio inflaverat, opprobrium oppreſſit dedecoris.

§. II.

Ambitio faſtum affectat, qui plus ſecum trahit caliginis, quàm prodat nitoris. Quæ ampla ſunt coarctat, & quæ ſublimia deprimit, quia ejus deſiderio haut paria.

FLuida ſunt, ac evanida, quæ ambitio in aulis Principum officia expetit; falla- 10.
ces ſunt dignitates, quas faſtus affectat, pluſque ſecum trahunt caliginis, quàm prodant nitoris, & tantùm ſi generosè conculcentur, deſpicienti gloriam adferunt. Unum tantùm eſt bonum ſine faſtu appetendum,

hone-

honeſtum ſcilicet; virtutum, qui ſitiunt decora, hoc unicè bonum ambiunt: qui alia bona ſtudioſiùs anhelat, nonniſi ærumnas ſibi accerſit: hinc nobis paſſim obviant patresfamilias amiſſis liberis mœrore confecti, auro inhiantes deperdito lucro anxij; concupiſcentiæ æſtu ferventes, alienæ uxoris amore excruciati; in aula Principis fermè omnes proceres honoris, ac dignitatis ambitione diſtorti. Nimirum res quævis humana plures ſemper ſecum trahit appetitores, habétque rivales: bona qui fluxa poſſident, perinde ac verſantes in regione hoſtili huc, illúcque neceſſe eſt, diu, noctúque aſpiciant, cervicéſque, vel ad inanem quemlibet ſtrepitum circumagant, & quidem palpitantibus ſemper præcordijs, pulchrè Seneca: *hanc* Ep. 75. *imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, divitias, gratiam excutere, quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt, alia infida ſocietate diviſa ſunt, alia magno detrimento eorum, in quos devenerant prebenſa, ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam quia nimis captabantur amiſſa, & dum avida rapiuntur, expulſa ſunt.* Nimirum ludos inſtituit fortuna, ludicris, evanidisque illectos ſemper fefellit, munuſcula mittit, quæ veluti inflatæ bullæ per aëra volitantes dum manu puerili prehenduntur, diſruptæ evaneſcunt; & totus tumor orbem referens in aëre ſplendidum, vel unius tactu digiti diſparet.

11. Promittit Deus Joſue terram cultu feracem, fructibus fœcundam, aëris ſalubritate arridentem, longè, latéque diffuſam: Joſue cap. 13. *Terra latiſſima derelicta eſt, quæ nec cum ſorte diviſa eſt*, fuit hæc terra Chanaan, quæ in quinque Philiſthiin partitur regulos, nimirum Gazeos, Azoſios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas. Verùm ſi latiſſima dicitur terra, longè ſcilicet, latéque per varios tractus extenſa, cur ejus poſſeſſores non potiùs Reges dicuntur, quàm reguli nuncupentur? ait enim ſacer textus: *in quinque regulos dividitur*, nomen enim reguli ditionem potius indicat anguſtam: ſi amplam poſſiderent ditionem Regis donarentur nomenclatura, & quælibet ditio ſua amplitudine plures complecteretur Provincias: ſicut civitas plura ſub ſe habet oppida; & provincia plures civitates enumerat, ita & Regnum plures provincias comprehendit; ſi igitur terra eſt latiſſima, & plura comprehendit regna, neceſſe eſt, ut qui hæc poſſident regna, non Reguli, ſed reges dicantur: ſi igitur Reguli vocantur, qui terram derelictam adeunt, jam non latiſſimam, ſed exiguam eſſe inde conjicimus. Sed terram latiſſimam ad noſtram eruditionem dicuntur Reguli occupare, ut inde diſcamus, terram ſuis dimenſionibus ſatis latam quidem eſſe, ſed ob numerum ambientium anguſtijs coarctari; quo enim plures ejus exambiunt portionem aliquam, anguſtior cuilibet neceſſe eſt hæreditas obtingat: in latiſſima igitur terra non Reges, ſed Reguli dicuntur dominari, quia tametſi in ſe longè, latéque diffuſa; pluribus tamen eam ambientibus anguſta erat, In cap. 13. Joſue quaeſt. 4. ut notat Abulenſis: *dicitur dividi in quinque Regulos, quia à quinque civitatibus terra illius principalibus denominantur quinque Reges, & quia parvi ſunt, cùm ſit terra anguſta, vocantur Reguli*: nimirum ſi unus duntaxat cunctis imperâſſet civitatibus, Rex & quidem potentiſſimus eſſet: verùm dum in plures terra illa partes dividitur, cujusvis portio coarctatur, & dignitas anguſtatur, ideóque Reguli, non Regis donantur nomenclatione.

12. Non ita mater filiorum Zebedei has terrenæ ditionis anguſtias ſuis ambivit filijs; cùm enim Chriſtus ſuorum ſtipatus collegio diſcipulorum, & Jacobus, ac Joannes honoris ſublimitate, ſe ipſos viderent uno excepto Petro reliquis antiſtare Diſcipulis; ideo in promiſſis olim thronis primatum ambiunt, ac negotioſis precibus matris ſuæ ambitos nituntur honores enanciſci: acceſſit ſiquidem ad JESUM mulier cum filijs ſuis adorans, eniximque aliquid ab eo petens: Matth. 20. *Dic ut ſedeant hi duo filij mei unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo*, quam tumida, & ambitioſa ſunt hujus vota mulieris, cùm utrumq; ſatagat geminato filiorum ſolio novi Regis latus præoccupare. Adeo fumo mulier correpta ambitionis caligat, ut de victoria priùs cogitet, quàm de pugna ineunda ſermonem miſceat; & priusquam dilecta proles ad caſtra deſcendat, certamen ineat, victorijs condecorat, triumphis ſupra cæteros acclamat: & quia vana ſunt epinicia, quæ nulla præivit pugna; nonniſi vanidæ gloriæ ſomniata trophæa ambientibus filijs erexit faſtu ambitionis cæcutiens mater, cùm dixit: *dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram tuam.* Quis expoſtulantis mulieris non videat cæcitatem? petit enim in Chriſti regno ſiniſtram, & quidem inconſiderato elationis faſtu: editiora honoris culmina expoſcit, & ſimul licèt inſcia, quia cæcutiens, utpote ambitionis fumo correpta, reprobationem negotiatur: ſcitè Author operis imperfecti apud Chryſoſtomum expendens ſeveram Chriſti Homil. 35. ſententiam, quâ arroganti petitioni conſultè reſpondit, ait: *Neſcitis quid petatis, quaſi dicat: ego vos vocavi ad partem dexteram de ſiniſtra, & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram: ideo forſitan & per mulierem res agebatur.* O palpabilem ambitionis cæcitatem! cum votivos expoſcit thronos, æterni dedecoris negotiatur abjectionem; geminati honoris ſumma expetit culmina, & ſimul lapſum appetit in imum ærumnarum; gloriæ inhiat ſplendoribus, & æterni dedecoris caligines exoptat, principes beatorum cupit pro filijs thronos, & ſimul reproborum ſedem cæcè deſiderat: ita eſt, quotquot ſinuntur fumo corripi ambitionis; in ambito honore ignominiæ enanciſcuntur dedecus:

certè nescit, quid expetat, qui sinistram Christi appetit, cum reproborum sedem petat. Verum ad somniatos in sinistra thronos vera currit ambitio, & in reprobationis contumelia præelectionis mentitur honores. Quàm clanculariæ sunt cæcæ ambitionis fraudes! cùm electorum dignitatem reproborum metiatur dedecore: vocat Magister Christus suos ad thronos dextræ discipulos, & ipsi ad ignominiam sinistræ, contumeliam reprobationis nituntur currere. Quis non videat manibus palpandam ambitionis cæcitatem? sedem, ad quam vocatur honoris respuit, barathrum ingressura sinistræ, seu æternæ ignominiæ.

13. Non est solus Cacodæmon, qui zizaniis triticum corrumpat; idem & ipsa præstat ambitio. Ubi famulorum sedulitas zizania repererat tritico superseminata, Herus *Matth. 3.* interrogatus de iniquo Zizaniorum satore, ait illis: *Inimicus homo hoc fecit:* non me fugit plurimum desudare interpretes disquirentes, qualisnam sit hic inimicus homo, D. Hieronymus censet esse dæmonem, ea de causa, *quia Diabolus propterea inimicus homo appellatur, qui Deus esse desiit:* nimirum dæmonis fastus divinitatem insolenter ambivit, & dum se supra se esse cæca affectavit ambitione, ac si naturam exueret angelicam, & Angelum desuesceret, homo nuncupatur. Imò & homo ipse divinitatis superbè candidatus perhibetur falsitatis, vanæque spei lenocinio illectus & ab astuto serpente inde ironicè Deus factus: proinde non sine sarcasmo seu, joco amarulento Deum audit tumidum, vanúmque *Genes. 3.* redarguentem ambitionis fastum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, sed quid fuit homo enactus ambitu divinitatis, hominem diffitendo? Deus esse desiit, & hominem esse immodicè superbiendo negat, sed quid ergo est post divinitatis ambitum? certè sicut Angelus Apostata in ambitionis officina nomenclatione homo excuditur: pari pacto arcana veluti metamorphosi homo ambitionis præstigijs in dæmonem transformatur; & fortassis ad hanc ambientis hominis in eacodæmonem depressionem allusit Clemens *In adhort. ad gent.* Alexandrinus, cum dæmones esse dixit honorum ambientes: *Dæmones indigenæ, qui honores captant:* vocat ambitiosos homines immodium captantes honorem dæmones terræ indigenas, quasi per hoc à cæteris orci incolis dissocientur, quia isti apud homines in hoc aspectabili mundo dicantur tantùm peregrinari; cum ambitione tumidi negotiationis ingenio concupitos aucupantes honores, ut dæmones indigenæ audiant.

14. Dejecit ambitio è summo empyrei vertice in imum tartari myriades spirituum, qui inibi coruscabant præstantissimi; seu Luciferum, sibique totam adhærentium cohortem, qui e Angelis lucis æternum detrusi in ignem in fumidos Averni titiones degeneres flammis torquentur nunquam extinguendis: *Luc. 10.* *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Quis non timeat ambitionem, quæ paulatim ascendit, & altiùs semper nititur, quò lapso præcipitet graviore? Casus Luciferi fulguri æquiparatur, tum propter velocitatem descensûs, cùm momento ruat; tum propter brevitatem lucis, quæ in ortu suo extinguitur, & unà cum casu desinit in tenebras, umbrásque ferales. Id enim ambitionis proprium, novas semper cum Protheo formas induere, licèt in singulis semper informis, ac turpis sit; hinc Apostolus omnem à vera chari- *1. Corinth.* tate umbram arcet ambitionis: *Charitas non est ambitiosa*; quia ut scitè expendit Basilius ab habitu, vel forma sua non recedit, ac si idem sonet, ambitionis vitio turgere, ac à proprio recedere habitu; & reverà suo ambitio splendore spoliavit Angelos, quos ipsa in cœlis inflaverat; dejecit inter terrestria paradisi amœna primos homines à propria dignitate, ac decore; cúmque essent nudi omni probro, eos ignominia induit, cùm inflavit, inspiravitque Numinis thronum *eritis sicut* *Genes. 2.* *Dij, scientes bonum, & malum*, cùm enim primus homo terrestres inter, ac cœlestes incederet delicias, mente purus, moribus innocens, animo serenus, & cum beatis spiritibus Angelus ipse corporeus versaretur, ut frater, cum non exæstuaret calore, non algeret frigore, non frangeretur labore, non defatigaretur motu, non sudaret cursu, licèt colonus paradisi jussus esset, nimirum ad animi magis remissionem, quàm per laboriosæ manus occupationem: cùm primum tamen cœpit ambitione tumescere, Numinísque inhiare similitudini, quia à vera defecit charitate, quæ ambitiosa non est, ab habitu, formáque sua statim recessit: siquidem irrequieta legis membrorum rebellione corpus cœpit contra spiritum supercilia attollere, cervices erigere; ac pedibus ita recalcitrare, ut rectaratio nonnisi difficulter seditiosos possit rebellantis corporis motus coërcere. Ambitione primos homines tumidos furor erubescendæ libidinis aggressus est, cujus turbulento sensu cùm cœperint exagitari præ vultuum confusione in arbusta ambo concessêre densiora, verecundiæ suæ lucem, imò & luci ipsi suam subducturi verecundiam, sibique consuturi frondea de connexis ficuum folijs subligaria.

An non de Prothei fabula videtur ambitio triumphare, & ab habitu, & forma sua 15. semper recedere. Id datur rerum humanarum vicissitudini, ut novo semper inhiet statui, gaudeátque alternis vicibus formam semper variare, & habitum, seu à pristino recedere statu: sitque id rebus cunctis sensus ferientibus exteriores insitum à se ipsis desciscere, dixerítque propterea apposité Tertullianus: *Denique diversitatis discordiam vices fœderant: ita mutando erit* *Lib. de pallio* *mundus omnis, qui & diversitatibus corporatus, & vicibus temperatus.* *cap. 2.* Nulla enim res est, quæ materiei immersa crassitie se ipsam non fugiat, & à se anhelis passibus non recedat: sol stitionibus annuis

juve-

juvenescit; luna menstruis variat modulationibus, sed cùm cunctos enacta nitores pleno orbe splendescit, tunc à se ipsa recedens per decrementa lucis proprio nudatur decore, modò æqua portione divisa, modò in cornua curvata, & modò quæ pleno orbe splendebat immensa omni ferè destituitur luce: harmonica efflorescentium stellarum confusio interdum suspicitur splendoribus cumulari, & mox tenebris, vel in ipsa meridiana luce suffundi: oriuntur sole occiduo sidera veluti vigiles nocte intempesta cœlorum oculi; sed extinguuntur cùm primùm sol suo apud antipodas peracto cursu iterum ad nostrum revartitur emisphærium: aër ipse, quamvis hodie serenatus, arridentibus rutilet splendoribus; cras nubibus fœdus sordescit obscurus; & qui antea didicerat cum sole ridere, & arridere; mox lachrymarum deciduis pluviis propriæ videtur tetricitati illachrymari; jugibus semper vicissitudinibus obnoxius.

16. Mari quis fidat, invitat nunc placita serenitate tranquillum per fluxa itinera ad ejus trajectionem; sed mox Euri, Nothique agitantibus flabris turbatum, nonnisi per murmura, quæ fluctus edunt littora diverberantes, neces, & fœda naufragia minatur: tellus ipsa redeunte vere venusta pubescentium herbarum viriditate spem plenioris messis spondet, & jocantes discolores inter flores multiplici ornata colore, simul ridet, ac arridet: sed mox decembris rigiditate invenusta omnem exuit ornatum, fitque lurida, squalida, aspera, deformis, & squalent prata, quæ antea ridebant; lugent horti, qui multiplicis floris ornatu animos serenabant, concrescunt glacie flumina, quæ pellucidos suos exhibebant sitientibus latices: arbores suo spoliatæ ornatu jacent in squalore, quæ antea virentem foliorum comam nutrierant; nivibus obruuntur montes, sylvæ, tellusque tota, quæ pecudum gregibus herbarum tenella pascua præbuerat: & ubi aër serenitate, & mare sua malacia animi simul invehebant tranquillitatem; mox venti, tempestatésque grassantur, & cœli facies semper turgida, irata, & minax.

17. Nihil itaque hodie sui simile, nec cras erit æquale perseveraturum. Quamvis non inficiar, has vicissitudines rebus omnibus insitas, præcipuè tamen ijs, quos ambitio inflat, urgétque ad suprema: quia ut proceræ arbores, quercúsque annosæ, quæ in montium sublimioribus cacuminibus luxuriant vegetiores, altiúsque inibi suas egère radices, acrioribus ventorum flatibus concutiuntur; & quæ humilibus in vallibus frondescunt mitiori impetu urgentur ventorum: ita quos ambitio ad sublimiora ursit, hos novercantis fortunæ procella in imum solet opprobrijs detrudere. Arcades quia ambitione tumidi, séque cæteris hominibus jactantes feliciores, se fortunæ expositos, vel ipsis fortunæ symbolis expressère, cùm calceos pedibus non concederent, nisi lunulis ornatos, quò vetustissimam mentirentur nobilitatem, jugémque fortunæ agitationem pedum mobilitate proderent. Rogat Plutarchus, cur qui splendidis fulgerent natalibus, lunulas in calceamentis gestare consueverint, & respondet, *an, ut author est Castor, nota sit habitationis, quæ esse in luna narratur? Hi Arcades erant ex Evandri posteritate, séque ante lunam fuisse contenderant. An sicut alia multa etiam hoc elatis, & inflatis rerum humanarum ultrò, citróque conversionem subjicit capientibus ex luna exemplum?* *In quæst. conv. Roman.* Sua est luna defectibus obnoxia, & ideo sydus terris familiarissimum, cujus vicissitudines æmulatur, & quamvis in tenebrarum remedium, noctis solatium, veluti accensa lampas ad nocturnas excutiendas caligines splendescat, sua tamen varietate incrementa semper subit, & decrementa nitoris: licèt modò pleno, ac immenso propemodum orbe splendeat, repentè tamen fit nulla; & tunc tantùm minus varia, cùm minùs lucida: semel enim quòd ad luminis sui pervenit culmina, luminis statim detrimentum patitur; symbolum sanè ambitionis, quæ cum clariores appetat dignitates, honorésque sublimiores, hos, si assequitur, non firmam tamen eorundem consequitur stationem; quia vel Principis favor cessat, vel mors præmatura feralibus Libitinæ umbris totum extinguit nitorem.

18. Nilus etiam fluviorum maximus, qui propterea ab Ægyptijs perinde ac Deus coleretur, interpretatur, dicitúrque *turbidus* Josuë cap. 13. *A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum:* quia alvei amplitudine, aquarum copiâ cæteris antecellit fluminibus, primámq; occupat inter ipsa sedem; sed mox despicitur sordibus inquinatus, simúlque ab Ægyptijs falsa colitur religione; ut inde discamus & nos in hac alternantis fortunæ alea, viros ambitione tumidos ad summum plerumque urgeri honoris, sed ex dignitatis apice ad ignominiosum delabi probrum. Quærit Abulensis, cur Nilus vocetur turbidus, & respondet *quæst. 4.* id oriri ex augmento, & decremento, quia enim incrementum subit, & decrementum maculas contrahit, sordiúmque patitur ignominias: ait Abulensis: *Nilus ex multitudine aquarum est turbidus, vel magis ex augmento, & diminutione ejus:* nimirum qui proprio contentus alveo pellucidis fluebat laticibus è fonte scaturientibus; jam plures terrarum tractus inundans ipso suo incremento decrescit ab insita sibi puritate, & maculis sordidatos turbulentiores degenerat in fluctus.

19. An non symbolum ambitionis graphicè expressum nobis Nilus fluvius exhibet? pluribus enim, quæ ambitiosè quærebantur honorum augmenta, & ad dignitatis gloriam incrementa, nonnisi infamiam pe-

perêre. Quot sunt in Aulis Principum Proceres ambitione tumidi, qui de incremento sordent turbidi, licèt exiguo antea contenti alueo splenderent illustres? Nilus aquatum accessione quò fit tumidior, eò à sua deficit tranquillitate; quò crescit aquarum proflu-vijs, eò à suo decrescit nitore, & jugibus suis obnoxius incrementis, & decrementis, audit turbidus, qui adoratur sacratus. Spondet ambitio honoris cultum, dignitatis nitorem, ut quos inflat, & ad sublimiora urget, blandiùs illiciat, ac vana spe nutriat. Plena fiduciæ succrescit hæc spes, gressúsque dirigit ad gradus sublimiores, ad quos ambitio fore sperat, ut sit promotura, nec unquam excidit animo, quia spiritu semper turgescit; est enim ambitio passionum tenacissima, quæ si semel radices in corde fixerit hominis, vix divelli inde ampliùs possit, tam ei cordi est, sui fugam nemini suggerere, ut apud hominem non hospitium tantùm quærat, sed & contubernium moliatur, donec homo ipse moriatur: hinc Ecclesiastes nos
Eccles. 7. detomescere edocet inquiens: *Noli quærere à Domino* (seu à Principe) *ducatum, neque à Rege cathedram honoris.*

§. III.

Nil boni secum ambitio defert, cum solitudinem quæris: dignitatum splendoribus inhians, non nisi cæcas dedecoris enauciscitur caligines.

20. Nihil secum boni ambitio adfert, cum hominem in sublime defert. Bonum siquidem vel utile est, vel honestum, aut delectabile, sunt enim hæc tria, quæ in hominis corde omnes occupant affectus: ambitio verò, tantùm abest, quod delectet, ut mentibus potiùs insultet, membra dilaniet ambientium: nullam exhibet honestatem, cùm potiùs honori labem adspergat, speciem devenustet hominis, & vitium sit, ipsa spe honoris, vel dignitatis larvatum: neque ullam adfert utilitatem, cùm pretiosissimum surripiat virtutum censum, & mentem non sine dolore inflet; quapropter sui potiùs debet incutere horrorem, & ad sui fugam hortari. Nil habet ambitiosus boni; quia ea est boni natura, & indoles, ut sui sit munificum diffusivum, séque alijs communicet; sed ambitione, qui tumet nulli bonum appetit, quia neminem patitur parem; quia humana ambitio dum arrogantiæ ingenio ultra suum fastum turget, summa quæque præsumit alijs inaccessa. Idque discriminis, propterea notatur inter ambitione tumidum, & alijs vitijs inquinatum; quia omnis fere alicui deditus vitio, diligit sibi similem, non ita ambitione turgidus; sed tur solus ambitiosus, ac superbo fastu turgens odio sibi parem prosequitur? quia nimirum solitudinem in magnitudine exambit, æmulum in dignitate excludit, parem in honore non patitur: exinde refutat aliena incrementa, quibus non modicè proprium lædi arbitratur, quasi pariari cum alijs ambitæ solitudini contumeliosè insidietur.

Propterea in magnitudinis fastigio, in honoris culmine, in ambita dignitate solitudinem affectat, quia parem respuit. Sed unde tam turgidus fastus, ut licèt cæteris ordine ambitiosus antistet, adhuc eum pudeat, alijs adnumerari? Quid aliud homo est, quàm pulvis, & cinis, cui vita mortis sententia, corpus carcer, mundus exilium? Mors enim aut instat, aut minatur instantiam; & tamen adhuc in sterco-rario corporis carcere tabescens homo, in morte sit insolenter tumet, sic arroganter attollitur, sic fœdè obbrutescit, ut de singularitate sibi ambitiosè aduletur? Non me fugit ex Historiarum monumentis Franciscum I. Galliarum Regem cum Carolo V. Imperatore pacem sanxisse, sed parùm diuturnam, ille siquidem aiebat non superiorem patiar; hic verò non parem feram: sed cum uterque solitudinem ambiret, neuter incolumitati studuit subditorum, cum continuato bello eorum sanguinem fuderit. Licèt uterque dominium in amplas Provincias, longè, latéque diffusa Regna imperium exerceret, neuter tamen sua sorte contentus, alteri nixus est supereminere. 21.

22. Quid ni? uni elephanto exigua sylva sufficit pro pastu, & habitatione; bovi uni campus non grandis sufficiens exhibet pabulum, quo exsaturetur; & uni ambitioso homini, nec mundus totus sufficit, nec aptus est turgidis ejus desiderijs plenè explendis; quia cùm solitudinem ambitione tumidus exambiat, cæteros vellet à pari exclusos dignitate; sed crassissimè errat in ambitu affectatæ solitudinis, ut in ambitiosos retorqueri facilè possit, quod de impijs panxit Regius Vates: *Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam civitatis in habitaculo non invenerunt.* Psalm. 106. Quid sacri interpretes intelligant per solitudinem inaquosam, & inviam plures in varias diserepant sententias; sunt enim, qui moraliter per solitudinem inaquosam, & inviam mundum intelligant universalem; alij verò nuncupatim mundanorum ambitionem, solitudini inhiantem in honorum fastigijs, dignitatúmque culminibus; neque latum unguem ab eorum placito videtur D. Augustinus discrepare *in Psalm. 6a.* ubi errare in solitudine, & in inaquoso eos dicit, quos tumor ambitionis ad culmina urget honorum, & æquiparat hujusmodi itinera labyrinto, in hujus vitæ deserto ad pedicas injiciendas, confusionésque inducendas instructo; scitè Augustinus. *Utinam vel viam haberet, utinam illuc homo incurrens, vel nosset, quâ inde exiret. Non videt hominem ad solatium: non videt viam, quâ caret*

caret, desertam: ergo ubi divertit, ut que vel esset aqua, unde reficeretur, qui inde non potest exire: nimirum in solitudine obambulat, quem ambitio inflat, quia solitudinem in fastigio anhelat: sed errat in solitudine, cum homines non videat, quos socios in dignitate fugit: solitudinem pervagatur, ubi arescunt omnia, fontium rivulis caret, quibus sitim restinguat ambitionis; viam ignorat; quia labyrintheæ ambitionis invia est via. D. Augustino suffragatur mellifluus Bernardus de fallacia præsentis vitæ inquiens: *Erraverunt*, ait Propheta, *in solitudine in inaquoso viam civitatis habitaculi non invenerunt. Solitudo hæc superborum est, quia solos se se reputant, solósque appetunt reputari. Litteratus est, socium odit. Fortis est, aut formosus, da ei parem, & contabescit. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine sua, non enim solus habitare poterit super terram.*

23. Hi sunt ambitiosi fastus, labyrinthei errores; viæ inviæ, semitæ fallaces in arroganti solitudinis ambitu. Eo ipso quòd ambitione tumidus parem respuit, quem non patitur sibi in dignitate, vel honore æqualem, suam abundè solitudinem prodit; sed

Eccles. 4. Salomon eidem adversatur, inquiens: *Melius est duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli* (seu ut legitur in textu hebraico) *væ illi, qui unus tantùm, & solus est.* O quàm infelix, quàm misera hæc tumidæ solitudinis inanis gloria, & quæ mortalium pectora, hominúmque mentes magnis, sed vacuis implet cogitationibus! Appositè Cyrillus Alexan-

Lib. 2. Apophthegm. moral. cap. 7. drinus libro, cui titulus *contra appetitum singularitatis*; hunc scitè inducit dialogum. Interrogat ambitioso fastu superbientem, ac supra cæteros eminentiæ inhiantem, ut pares excludat, æquales omnes respuat, inquiens: *Ut quid amaram diligis solitudinem? respondet nimirum minimè placet multitudinis fluctuare procellâ, vel unus esse de turba. Nonne inter sidera sol est unus, & super omnia unus est Deus? quo audito, cùm subtiliter procedens singularitatis ejus superbiam notâsset, in hac causa taliter arguendo processit argumentosa:* sed expendenda sunt attentiùs verba, quæ respondendo objectis subtiliter adnectit, inquiens, *quamvis essentialiter, & in natura sit Deus, comparis tamen Trinitatis hypostatica indivisibili societate gaudet. Sol etiam ne solus sit lunam stellarum infimam mutuata luce sibi sociam splendoris efficere in granditate conatur. Cum ab exordio mundi Deus hominem creâsset unum, mox statim dixisse fertur, non est bonum hominem esse solum.* Et nonnullis interiectis subdit: *Væ ergo soli, qui cum instabili pede superbia ventilatus ceciderit, societate privatus, sublevans adjutorium non habebit: sed ambitione turgidus respondet, ita est, singularitatem affecto, solitudini inhio, ne unus deprehendar de turba, vel sapientum, vel fortium, vel nobilium; solitudinem quæro; ut fiam de singularitate famosus? sed cur potiùs non infamiam dicatur incurrere in hac singularitate, quam Deus ipse excludit Hypostatica Trinitatis indivisibili societate? quam sol respuit Lunam sibi associans in granditate splendoris, quamvis stellarum infimam? Quàm fœdè igitur errat in solitudine, quàm crassè in inaquoso, qui ambitiosa tumens fastu parem non patitur, æqualem omnem respuit. Solis exemplo vapulet humana ambitio affectata solitudinis.*

24. De hac solitudine in ambitu affectata gloriabatur Artaxerxes cum Assyriæ, Chaldææ, & Persidi tumido fastu præesset, ac imperaret: hic enim non tantùm se tanquam Deum adorari ambivit, verùm & divinitatis solitudinem arroganti stoliditate sibi tribuere præsumpsit: cum enim successisset Nabuchodonosori, qui sub Daniele ob tumidum fastum in bestiam fuit translatus, hæreditariam nactus superbiam, Deum se esse ambitiosè præsumpsit: siquidem scribens ad universas Provincias de infida Amani perduellione ait. *hoc cogitans, ut insidia- Esther 16. v. 14.
retur nostræ solitudini:* cuinam stomachum non moveat arrogantia hominis vesanè ambitiosi? solitudinem in natura affectat, in dignitatis throno asserit, & in honoris fastigio præsumit: solitarium se jactat, & humano fastigio majorem; sed dum solitudinem in ambitu affectat, à natura desciscit hominis, & eam induit stolidi pecoris; quia in ambitu affectatæ solitudinis, qui tumet nullius indigus, cùm Deus non sit, nonnisi bestiæ naturam induit; siquidem solitudo nullius indiga, uni duntaxat Numini competit; quia Deus tantùm natura est unus, & solus, sibi ipsi abundè sufficiens, nullius indigus, & hanc, qui præsumit ex creaturis solitudinem cum Nabuchodonosore hominem dediscens, in bestiam recuditur, non tamen in alia officina, quàm in illa stolidæ ambitionis. Quàm perniciosa est ambitio! quæ quos inflat, fœda metamorphosi stolidam cogit bruti naturam assumere.

Idque fortassis causæ, cur cum ma- 25.
tutinum diluculum cœperit à vespertino se- Genes. 1.
jungi, totum illud temporis spatium interjectum, dicatur dies unus: *factum est vespere, & mane dies unus,* sed cur non potiùs dicatur dies primus, cum eum nullus alius præcesserit, & pedissequus illis successerit secundus? hebraicus textus difficultatem extricat, cur potiùs unus dicatur, non primus; quia unus non solitudinem indicat, neque ullam supereminentiam, sed æqualitatem, quæ parem non respuit; sed admittit; unus enim dies in numerum venit

cum cæteris, qui subsequuntur, vel etiam antecesserint. Ut omnis igitur affectatæ solitudinis excluderetur ambitio, non dicitur factus dies primus, licèt cæteros præcesserit, sed dies unus: ut vel prima, quæ illuxit in mundo dies erroris ambientis solitudinem excuteret caligines, lucémque inveheret, cujus beneficio in illum tantùm dirigeremus intuitus, qui verè lucem habitat inaccessibilem, ut scitè monet Augustinus, inquiens: *Noli velle gaudere in istis, sed gaude in illa luce, quæ non habet occasum: gaude in illa luce, quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur crastinus.* Est autem hæc dies, quam sol justitiæ circumfundit splendore, & quâ beata empyreæ gloriæ æternitas designator de singularitate famosa, & de humanitate singularissima. Quoties humana ambitio quærit extra hunc diem splendores, quibus singulariter eniteat, à vera luce recedit, & dum luminis singularem claritatem se credit enactam, in imum caliginis se novit delapsam; quia humana sublimitas decrementis obnoxia, tunc lapsui est proximior, cum fastigium se putat attigisse humani decoris.

26. Ezechias gravi correptus infirmitate à mortis limine brevi distabat intervallo. *In*
4. Reg. 20. *diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem* scilicet eo tempore, quo Senacheribus apud Ægyptios, & Æthiopas sus déque omnia everteret: fuit autem lethalis Ezechiæ morbus ex ulcere intestino, letiferóque pure collecto, cui ars nulla humana prodesse potuit, non per homines tantùm medicæ artis peritos; sed neque per oraculum ipsum divinum, cum Isaias declaravérit ulcus immedicabile ab arte, & natura: cui morbo causam suppeditâsse creditur turbatus ab Assyriorum armis status Judææ vastatione direptus: & ægritudinem non modicè etiam promoverunt contumeliæ divino Numini per Barbaros illatæ, quibus accessit occultior cœlestis providentiæ ratio clientis sui virtutem clariùs in infirmitate illa illustrantis. Verùm D. Hieronymus putat, immissum Ezechiæ à Deo morbum, ne de victoria adversus Assyrios post triennium obtinenda insolesceret; sed utut hæc se habeant, lethalis certè invaletudo Ezechiam ad extremos vitæ dies perduxerat: decumbentem Regem invisit Isaias, cui Dei jussu præmaturam indicat mortem, ad cujus funestum nuntium largioribus cœpit decumbens Princeps madere lachrymis, preces efficaciores fundere, obtestationes exprimere; ingemiscebat, quia intelligeret, telam sibi vitæ in ipso ætatis adhuc flore præcidi, cum trigesimum quintum duntaxat vitæ annum ageret, & præsertim, quia mori deberet sine liberis, sine successore, absque hærede (cum Manasses nondum natus fuisset) qui in promisso Davidis solio sederet, quíque genus ad venturum Messiam extenderet.

Sua tamen habuerunt Ezechiæ lachrymæ pondera, quæ Deum in sua vota flecterent. Revertitur enim jussu Numinis Vates, pollicetúrque non tantùm ab hostibus vindicationem, sed & pristinæ valetudini integram restitutionem intra triduanum spatium, & adjecta etiam fuit prodigij, ceu pignoris sponsio. Placuit artis Astronomicæ disciplinæ perito signum è cœlo petere: ut quot in Achacis horologio gradibus, umbra radij ferrei regrederetur, totidem etiam diei partibus in cœlo sol retrocederet; cúmque per decem lineas umbra sub ipsum meridiem retroageretur in solario, seu horologio sciatherico, & sole pari se intervallo suis cum orbibus cœlestibus regyrante, accesserunt ad consuetas diei horas quinæ, quæ fidem ægroto fecêre recuperandæ valetudinis, quam etiam mox reduxit cataplasma ficuum ulceri superimpositum salute accumulata per quindecim subsequentes annos; quamvis plus divinæ virtutis in illa medicina, quàm naturalis efficaciæ fuerit. *Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit* 4. Reg. 20.
umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz decem gradibus.

Solem hic sentimus retroactum, 28.
sed non audimus Dominum voci hominis obedivisse, nec votis obsecundâsse Prophetæ: & tamen cum Josuë solares stitit radios, lunæque, ac aliarum siderum pernicissimæ rapiditati fræno injecto præcipitem cursum coërcuit, Numinis deprædicatur obedientia, totáque prodigij gloria brachio tribuitur omnipotentis: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis.* Sed si utrum- Josue 10. v. 14.
que prodigium Numinis debetur omnipotentiæ, quæ ægrotante Ezechia in horologio Achazi solis umbram retro egit; & ut vinceret Josuë, hostésque profligaret, cum in occasum vergeret dies, solem constituit stationarium, ac victoriæ spectatorem? cur alterius duntaxat prodigij laudem sibi arrogat omnipotentia? quia nimirum, licèt in utróque prodigio jussui Numinis fuerit sol obsecutus, voluit tamen de sola statione sideris debitam sibi gloriam arrogare, ut nos stationarios faceret in eo statu, gradúque honoris, in quo vult nos constitutos, & dignitatum culmina non ambire, neque supremis inhiare honorum fastigijs.

§. VI.

§. IV.

Ambitio nonnisi fumos spargit, quibus & lachrymas elicit, & mens humana tam fœdè cæcutit, ut quid appetat, ampliùs nesciat, nec videat.

29. CUm Christus Jerosolymam ascenderet, & crucem appeteret, duo fratres ambitione inflammati accedunt importuni, & mulier crucem audiens thro- Math. 20. num rogat. *Dic, ut sedeant hi duo filij mei unus ad dextram, & unus ad sinistram in regno tuo.* Arguit tamen fratres Discipulos Magister Christus, à quibus oriebatur supplicatio, ac stultitiæ eis notam inurit, *nescitis, quid petatis*, nimirum quia ambitio, nonnisi fumos spargit, quibus mens humana cæcutit: incubant pertinaciùs famæ homines, quam dum maturare laborant, fatuitatem incurrunt. Quid enim fama nisi fumus? Quid fumus? certè nihil: aucupantes igitur famam, nonnisi fumum nanciscuntur, ideóque ambitiosus, ideò stultus, quia fumo cæcutiens usu destituitur rectæ rationis? Verùm si Christus ambos rejecit fratres, quia nescirent, quid peterent, quænam fuit tam crassa ignorantia, quæ totum extinxit scientiæ censum? D. Chrysostomus censet, Discipulos fratres Regnum ambivisse temporale. *Hoc dicit ostendens, quod nihil spirituale peterent*, cui suffragatur Origenes, expendens præcitatum textum Math. 20. inquiens: *Si in Regno mundiali in honore esse videntur, qui sedent cum Rege; non fuit mirum, si mulier muliebri simplicitate, vel imperitia talia se debere petere existimavit, & ipsi fratres adhuc imperfecti, & nihil altiùs cogitantes de regno Christi talia arbitrati sunt.*

30. Fratrum vota votis adversantur ambientium. Regnum ambiunt in terris, & inconcussâ firmitate fixum putant thronum, cum tamen nil possit firmiter in terris stabiliri, ubi singula sunt fluxa, interitui obnoxia, & evanida: an non terra ipsa continuis elocatur succussionibus, & perpetuis semper concutitur variationibus? rectè igitur ambientes in terris regnum fixum, & vera potiri felicitate à se Christus abegit, eò quòd nescirent, quid peterent, quia nimirum caducum ambirent, simúlque fixum, cúmque jugiter stabilem thronum. Quàm pulchrè dignitatis fastigium ad quod fuerat Môyses assumptus aquæ nomine designatur: cum enim Pharao dolosis, ac nequissimis artibus vellet invidiâ lividus gentem delere hebræorum, quæ numero multum excreverat, perniciosum etiam naturæ decretum Exod. 1. edidit. *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite*, extinguere satagit mares omnes flumine obrutos, ne quæ superessent fœminæ ex viris Judæis, ampliùs conciperent, ac delerentur hoc uno perniciosissimo edicto cum maribus etiam fœmellæ, totúmque hebraicæ gentis genus. Obstupuit natura, & non hominem jam in Pharaone se produxisse mirata est, sed truculentissimam in homine feram, cum impium tyranni edictum naturæ radicibus securim adjiceret, ne ultra germinaret in stipite arbor hebraicæ gentis; nec successores generaret aucti populi timores incutientis Pharaoni; qui propterea perinfensus fuit hebræis, quos pecunijs primùm spoliavit, deinde mutuum sumere adegit, & cum solvendo pares non essent, per creditores in durum sub nervo famulitium traxit. Per operum itidem locatores mercede justa eos defraudantes ad subeundos acerbos labores coëgit, & detrectantes parêre per Exactores ad opera duriora adegit; ut luto subigendo, lateribus coquendis, saxis cædendis, calci miscendæ, convectando sabulo, corradendis arenis, egerendo limo, glebísque effodiendis destinarentur; imò quidquid in quavis Ægyptiacæ ditionis parte sordidi negotij, vel despecti ministerij reperiretur, manibus id Israëlitarum tractandum tradebatur, & ni jussui statim parêrent, virgis è tergo luerent.

31. Cùmque igitur inaudita retroactis sæculis barbarie obstetricibus præcepisset, ut hebræos masculos omnes, simul ac editi à suis essent genitricibus, statim elisis faucibus suffocarent; imò ut ad summum etiam perveniret crudelitatis; cùm obstetrices pijs fraudibus elusissent, ne in innocentes parvulos sævirent, præcepto injunxit ipsismet parentibus, ut parvulos suos mares statim, ac nascerentur, Nilo demergerent, ut cùm primùm splendere inciperet parvulorum vita aquis fluminis extingueretur, reservatis fœmellis Ægyptiorum famulitio, & qui secus fecissent, statim capite luerent. Ubique igitur erant curiosissimi genituræ speculatores, & Nilus fluvius innocentium carnifex fuerat constitutus: impia lex ubique servabatur, & natura ferax in quovis loco mulctabatur: & satellites Ægyptij tertio quoque mense singulas hebræorum scrutabantur domos, ne mares servarentur incolumes. In hoc igitur rerum deplorando statu nascitur Moyses, quem parentes ob oris venustatem sagaci servârunt custodia, ne rumor nati, ne vagitus flentis ad aures perveniret ullius; verùm cúmque jam diu celare puerum non possent maluêre eum incertæ morti committere, quàm illum, & totam familiam tyrannico objicere furori: Mater igitur Moysis filiolum in fiscella ex scirpis contexta clausum, rimísque diligenter bitumine, ac pice oblitis demittit in undas Nili fluvij: cúmque Moysis exigua navicula fluxu raperetur aquarum cœleste consilium tulit, ut eodem illo die, quo puer expositus fuerat aquis Thermutis Armenophtæ regis filia juxta flumen descenderet temperatura lavacro meridianum calorem, cúmque prope

ripam

ripam in hærentem fiscellam incidisset, eàm que aperuisset, vagientem in ea puerum formâ conspicuum invenit, quem cum ex lectâ pellicula novisset filium esse alicujus Hebræi partim stimulante misericordiâ; quam infantis speciosi lachrymulæ exposcebant; & partim, quia liberis ipsa divitijs, opibúsque affluens careret; & saltem per adoptionem quæreret sterilitatis probrum delere, tolli parvulum jussit, ac nutriri in aula, cui aquæ nomen imposuit. *Illa adoptavit in locum filij, vocavítque nomen ejus Moyses dicens: quia de aqua tuli eum.* Exodi 1.

32. Sed cur aquæ nomen voluit ei imponere, quem filium adoptaverat, seu principatûs constituerat hæredem? quid aquâ labilius? quæ si non dilabitur, vitia contrahit, & corrumpitur? quid aquâ mobilius cum solo vigeat fluxu in flumine, fluctuet in mare ventis exposita, Innæque aspectus sentiens fluxibus concitetur, & refluxibus, & Euris commota scopulos, ac littora diverberet, sítque propterea mobilitatis symbolum? sed non caret mysterio, nomen aquæ fluentis inditum Moysi; hic enim ad Ægypti regales fascias promovebatur, potiturus vasto imperio; quàm apposité igitur nomen imponitur, quod mobilitatem, & inconstantiam indicat: ut vel à proprio suo nomine disceret Moyses nil adeò firmum esse in orbe, quod casus non subeat mobilitatis, rerúmque non sit vicissitudinibus obnoxium, appositè Rabanus in catena Lippomani: *Aquam Mos Ægypti vocant: Is salvatus: componentes itáque ex ambobus Mosi ei nomen imposuerunt.* Subdit Lippomanus. *Sic itáque nomina infantibus imponuntur non importunè ab eventibus, & externis rebus aliquid præfiguratur à Numinis providentia.*

33. Voluit siquidem Deus, ut Moyses futurus Ægypti Princeps, vel à suo ediscerer nomine rumorem omnem deponere, ambitionem exuere, cum magnâ imperij potentiâ fultus aquæ non potuerit lapsus vitare. Detumescant, qui editiora dignitatum occupant fastigia; omnem abigant ambitionis tumorem, qui dignitatibus inhiant, nil est firmum, fluxa sunt omnia: & editiora montium cacumina fulminibus sunt magis obnoxia: fallitur, qui in hac rerum humanarom alea, ubi alternantur perpetuò vices, firma censet imperia, solida regna, diuturnas dignitates: hæ siquidem noctilucas æmulantes vix splendent, & statim extinguuntur; nutant Regnorum fundamenta, quia fluxis innixa: dilabuntur & imperia, quia rerum vicibus obnoxia. Moyses fortunatissimus è naufragio ereptus, è fiscella aquis innatante ad regalem evehitur purpuram, sed ipso aquæ nomine abundè eruditur, quàm fluxa sint, & labilia mundi regna, ut inde omnem discat tumorem abigere ambitionis.

34. Lubrica sunt excelsa, caduca, quæ eminent, & quæ cæteris sunt altiora, persæpe deprehenduntur abrupta; & pugnantium inter se fe nubium, ac collidentium obnoxia fulminibus; qui dignitatis fastigio eminent, in se invidiæ solent oculos avocare: competitores habent, quia dura ambitio omnium distorquet viscera, & immodicus labor, quem subeunt, qui dignitatibus inhiant, omnes acriter divexat; apud Senecam. *Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat: hoc quotidie meditare, ut possis æquo animo vitam relinquere: quam multi sic complectuntur, & tenent, quomodo qui à torrente rapiuntur in spinas, & aspera.* Exlex est ambitionis lex, jugúmque grave; immensa suggerit dignitatum, ac dominiorum vota, sed tunc non in libertatem asserit; sed servituti mancipat: jubet ærumnarum, ac sodorum trajicei pelagus, nec unquam ad veræ malaciæ ortum dirigit, cum tumida ambitio semper fluctuet; mentémque, quam inflat, exagitet. Toti obest una ambitio homini, quem victimam offert ærumnis, oneribus opprimit, & cum prolixiùs labori vacaverit, plerumque cribro deprehendit se aquam hausisse, & solum aërem manu strinxisse. Epist. 4.

Quantis non agitur solicitudinibus, quot non premitur curarum torcularibus, quot non lauciatur ærumnarum aculeis; qui ambitione inflatus honoribus inhiat, ac dignitatibus insigniri? noctes ducit insomnes, tumidis torquetur cogitationibus, ambitiosis uritur desiderijs: raró illi serena illucescit dies; mœrore tabescit, si Principis vultus ei serenus non arrideat. Ambitio, vel nunquam enititur, vel si parturit, abortum edit immaturum, cujus nisus semper intempestivus. Allicit purpurâ dignitatis, splendore honoris ambitio; sed est anguis in herba, venenum melle illitum, rosa sed sentibus stipata; apis sed aculeis obarmata, typus absque structura, portus naufragus, mare procellosum, cum ab insidiosis non ablodat sirenibus, quæ alliciunt, ut perdant; aures demulcent, ut totum caput permanat. 34.

Non tam caro pretio dantur verum Mercatoris pretiosiores merces, quàm quæ ambitio exhibet, ac spondet honorum culmina: pluris hæc æstimat propria vitra, quàm alienos adamantes; quos flocci facit, si ad ipsam non pertineant, cui in pretio duntaxat sunt sua; & quæ aliorum, eidem sordescunt. Sed oh quàm infelices, qui sinunt se ambitione duci! hi enim vana spe illecti è fabulis redivivi Sisyphi jugi rotatu per aspera, mollia, planáque præcipitia volvuntur infelices. Omni destituti solatio per aspera saxeum circumvolvunt onus, spe innutriti ad honorum nitentur culmen conscendere, sed post diuturnos exantlatos labores, toleratas curas, superatas solicitudines, saxeum onus è manibus elapsum deorsum delabitur, novíque laboris plerumque præ- 35.

præcedente durioris exordium inchoandum est: vixque novum molientibus vestigium spes, quâ aluntur, succedit ex voto. Plures sunt, quibus ambitio eadem premenda vestigia exhibet, cui tamen post exantlatos labores, nec frigidam hauriunt, quâ sitis ardoribus aliquid adferant solatij.

37. Delineatur ambitio in ea Apocalipsis muliere, quæ bestiæ insidens coccineæ in eremi squalore, ac intra solitudinis inhospita Joanni fuit spectabilis, (*Apocal. 17.*) quamvis unum manu gestaret poculum, innumerum tamen explendæ sitis causâ multitudinis numerum alliciens haustu secom trahebat; cúmque ex millibus unus os calici admoveret, adhuc spe se sentiebat arescere inter mentita blandimenta, & vera supplicia. Nec desunt, qui per plura lustra duræ, ac onerosæ servituti terga incurvent, spe vanida lactati, posse tandem, quam enixim ambiunt, dignitatem enancisci, & de hisce, ait Seneca: (*De brevit. cap. 19.*) *ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterunt:* cui suffragatur Tertullianus *lib. de de pænit. cap. ult.* inquiens: *Idque totum propter unjus anni volaticum gaudium*, & eos perstringit, qui suo tempore consulatum exambiebant; plures enim erant, qui per impensos labores ad hujus conabantur dignitatis apicem pervenire, qui tamen exantlatis frustrabantur laboribus: vel etiam desudantes in speciosum tumuli titulum, vix fuêre dignitatem enacti, & simul denati acquisitos splendores Manium umbris adigebantur extinguere. Consultiùs ambitionem fefellit Berzellaius, cui cum amplissima fuisset dignitas oblata, eidem constanti animo, vultúque hilari ultrè renuntiavit, inquiens: *Octogenarius sum hodie, non indigeo hac vicissitudine:* cogitavit se inter vitæ, & mortis confinia constitutum, perpendit exhibitæ dignitatis vanidum splendorem, momentaneum fulguris nitorem; ideóque maluit dignitatem excludere, omnémque ambitionis tumorem abigere, quàm mentem suam destituere tranquillitate. Ad vitæ vergenti occasum parum prodest in trino benefici Jovis sol oriens.

38. Non tamen eandem ebibit mentem Turanius supremus Caligulæ Præfectus; hic nonagenarius à Cæsare tanquam emeritus ut otio, animíque quiete tranquilliùs vacaret, immunis à quavis officij cura, ac labore fuit proclamatus. Verùm quia ambitio adhuc suos sub nivibus canitiei fovebat igniculos; senex capularis, quasi à favore, & gratia excidisset Imperatoris, beneficium immunis vacationis in argumentum infortunij inflectens à lachrymis nequivit se temperare, jussit propterea à famulis in lectum deferri, perinde ac in feretrum, ubi oculis fletu corruptis, ore impallescente, fronte squalida, totóque vultu ad summam composito tristitiam, voluit, ut tota familia ei perinde, ac mortuo parentaret. Mox justis absolutis, & parentato mortem mentienti, adstante tota familia prorupit senex jacens in lachrymosa suspiria, ac crebra pugnorum verberatione ægrum mœrore pectus tundens, sic fari cœpit: nullius me novi reum flagitij, & tamen adigor pænas dare, quas non promerui: licèt nihil æris alieni cumulaverim, quia in id unicè incubui studij, ut fidelitate cæteris Imperatoris ministris præcellerem, adhuc tamen, ac si consiliarij polluissem religionem, fidelitati labem aspersissem, justitiam corrupissem, compellor pœnas luere criminis à me nunquam patrati: hæc sunt, quæ meum cumulant dolorem, animum torquent, viscêra lacerant, & cor opprimunt: ò me afflictum! ò me deploratum! Adeò fumo cecutjerat ambitionis, ut Principis favorem crimen putaverit atrocissimum; & Imperatoris beneficium, propriæ calamitatis, ac lapsus ab Imperatoris gratiâ censeret argumentum, Seneca de Brevitate vitæ. *Turanius fuit exactæ* (*Cap. ult.*) *diligentiæ senex, qui post annum nonagesimum cum vacationem procurationis à C. Cæsare ultro accepisset; componi se in lecto, & veluti exanimen à circumstante familia plangi jussit: lugebat domus otium Domini senis, nec finivit ante tristitia, quàm labor illi suus restitutus est;* cùm enim afflictissimi senis lamenta, & querelæ lachrymis madidæ ad aures pervenissent Imperatoris, permisit pristino Procurationis exercitio restitui Turanium, qui maluit inter curarum laniatus vitam claudere, quàm domi quiete donatus domestica frui tranquillitate. Quàm crudelis est ambitionis tyrannis, quæ neque senibus parcit nonagenarijs, quorum mentem adhuc torquet, & viscera lancinat! quàm appositè exclamavit D. Bernardus. (*De consider. Lib. 3.*) *O ambitio ambientium crux!* quos enim inflat, crudeliter excruciat, ac mentem funestat, etiam ipsum æmulorum gradum propriam interpretatur depressionem.

§. V.

Ambitionem, qui fovent, ac dignitatibus inhiant, plerùmque Tantalica fame laborant; & quam sequuntur fugientem dignitatem, nunquam assequuntur.

VMbraticis potissimum illudere prodmissis gaudet ambitio: hanc qui fovent, Tantalica fame dignitatibus inhiantes laborant, quas tamen nunquam assequuntur, & dum Rachelem prehendere satagunt, Liam duntaxat amplectuntur: pu- 39.

tant in apice illius dignitatis sereno frui cœlo; cùm tamen mens ambitionis jugibus agitetur turbinibus, omnémque excutiat tranquillitatem, continuò commoveatur æstu, ut nullus Euripus sit isto turbulentior: ambitio libertatem eripit, ut
2. de offic. monet Cicero. *Cavenda est gloria cupiditas, eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio:* quódque lachrymas elicit, est, quia plerumque pro siliqua venalis exhibetur libertas; an non est mancipium, qui juxta alienum genium sua adigitur animi sensa componere? séque ad alienum nutum flectere, & tot cum Protheo formas induere, quot voluntatibus, & arbitrijs obsequitur? cui succenseus Seneca de tran-
Cap. 11. quillitate animi ait; *Satiùs est simplicitate contemni, quàm perpetua simulatione torqueri.*

40. Mens fumo cæcutiens ambitionis per ambages rotata propriam sublimitatem etiam ad ima demittit, & ad vilissima se inclinat, descenditque per probrosas contumeliarum scalas, si speret inde fore, ut ad ambitam possit dignitatem ascendere; callum obducit repulsis, iteràtque preces, ac fundit lachrymas, quibus negantis duritiem emolliat; arrogantium fastum æquo fert animo, superbas fores antelucanus adit, & obsidet ambitiosus, & tumentium vestigijs insistit, licèt contumelijs pulsatus;
Lib. 1. epist. 2. aptè S. Cyprianus. *Quibus hoc sordibus emit? quos arrogantia fastus priùs pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumentium contumeliosa vestigia ante precessit?* Uno, alteróve verbo Isaias, ambitione tumentem describit *cap. 18.* & ait pertinere *ad gentem expectantem, & conculcatam*, quia cæcutiens ambitio per toleratas ærumnas, honorésque conculcatos sublimiùs eniti gestit, semper in humilitate subsistens: imò adeò est cæca, ut quos pulsat, præcipiti perdat impetu; papilionibus haud dissimiles, qui ardentis lucernæ splendore capti ejus tamdiu splendentem flammam circumvolant, donec adustis alis tandem pereant: hujus cæcitatis haud obscurum obsignavit posteris documentum Adonias filiorum Davidis natu quartus: is fatalem patris necessitatem senio, & ægritudine decumbentis pro ansa ejus sceptrum possidendi arripiens, ambitionis fumo cæcutiens, simúlque intumescens ausus est paternum sibi thronum polliceri, licèt parens testamento eum à throno excluserit, cùm hæredem regni Salomonem destinâsset.

41. Viderat is fratrem Absolonem, ambitione tumidum, & audaciâ stimulatum mortem incurrisse violentam; sed non ideo timidius in discrimine coronæ simul, & capitis se dedit: pertinax enim spes est, quam gloriæ cupiditas solet concipere, & alere; viginti tunc erat Adonias annorum, nimirum primâ juventâ florescens, & non tam privilegio nascendi, quàm formæ speciositate, ac splendida munificentiâ in vulgus commendatus. Ratus regnum ad se pertinere; currus sibi, equites, militésque pedestres, ac familiam aulicam numero copiosam adscivit. Cúmque Davidem bellicus hic apparatus non lateret, non tamen Adoniam reprehendere curavit, quin & sciscitari, ad quem finem armatus miles adscisceretur, neglexit; sed Adonias larvâ religionis, suam ut ambitionem obduceret, sacrificium instituit extra urbem Solymæam, simúlque regium convivium, ad quod uno excepto Salomone reliqui fuerunt fratres invitati, imò ad epulum etiam belli duces accesfêre, inter quos Joabus exercitûs Davidici Princeps; & Abiathar summus sacerdos, ac præcipua constructæ conjurationis fulcra. Cúmque liberaliùs fuissent pluries pleno haustu calices exsiccati, eò convivij hilaritas processit, ut Adonias iunctus à Pontifice, Rex à cæteris salutaretur.

Non tamen potuit hæc inauguratio ita delitescere, quin eorum penetraret aures, qui Salomoni fidelitate, & famulitio addicti erant, præsertim Nathanis Prophetæ, quem Salomon fidissimum habuit educatorem, ac fidelem institutorem: is novam factionem detulit ad Bethsabeam, & hæc ad Davidem, qui ne quid periculi per moram accerseretur, statim injunxit Sadocho sacerdoti, vatique Nathani, Ducíque militiæ Banajæ Salomonis filij inaugurationem: convocatur potior exercitûs nervus; Salomon equo insidens regio in arcem ducitur Githonem, non procul Rogele fonte distantem: ubi cum sibi addictis Adonias in horto regio splendidè epulabatur. Ungitur ibi Salomon, inauguratur Rex, & resonantibus ubique festis acclamationibus revehitur Jerosolymam, ubi paterno in solio gratulantibus Aulæ Proceribus collocatur; Davide lectulo suo decumbente ex senio, & ægritudine debitas Deo grates ob successorem exoptatum agente. Terruit hæc Salomonis in Regem inauguratio præ cæteris ambitiosum Adoniam, qui se videns à suis etiam desertum, in tabernaculum fœderis, quod Gabaone summa colebatur religione se recepit, & asylum, quod apud aram quæsierat, invenit. Non tamen permisit cæca ambitio, Adoniam quiescere in asylo, quod fuerat enactum, sed in cæcutiente juvenis mente alios excitavit fluctus: siquidem 42.

ani-

animum Adoniæ non tam ambitio inflabat, quàm seditionis Principes Joabus, & Abiathar urgebant: conquerebatur ille ob supremam militiæ præfecturam sibi abreptam, & Amasæ collatam; hic verò indignè ferebat Pontificatum à se in Sadochum translatum esse; & Adonias præferri sibi in regno Salomonem pati non poterat.

43. Ad novam igitur conspirationem stimulos, animósque simul addebat Davidis è vivis excessus, & Salomonis inexperientia. Cúmque timerent in aperto Marte rem agere, per cuniculos consultiùs duxêre novos ordiri assultus. Abisag relicta Davidis uxor, mulier sicut omnium formosissima, ita morum comitate nulli secunda, & præsertim quia viro intacta, dudum Adoniæ oculos rapuerat: hanc igitur Adonias expetit in conjugem, ratus pro dote regium diadema illaturam, quo suæ satisfaceret ambitioni. Nuptiarum conciliatrix Bethsabea exposcitur, quæ ignara quid conjurati molirentur, eò libentiùs negotium tractandum suscipit, quò cupidior erat, pristinas inter fratres offensiones prorsus delendi: accessit Bethsabea ad Salomonem, cui Adoniæ aperit desiderium. Sed Salomon, utpote judicio sagax, illicò gliscentem sub doloso cinere subodoravit scintillam, quæ ne in ferales erumperet flammas sparsuras incendium exitiale toti regno; consultiùs duxit, Adoniam Anthorem novæ seditionis manu Banajæ tribuni prætoriæ cohortis è vivis exscindere, & Abjatherem, cui arcis cura fuerat à Davide concredita, supplicio exemptum ab urbe excludere Solymæ, & rus amandare: cúmque interfectus fuisset Adonias ejus effusione sanguinis tota seditio extincta fuit, & seditionum fluctus cessârunt.

44. Nimirum ambitio; quæ Adoniæ paternum regni sceptrum pollicita fuit, cúmque iterato conatu ursit ad solij culmen, violenta nece in imum tandem detrusit summæ calamitatis, cruentíque excidij: hinc cum cœpisset Salomon in ipso statim Regni sui exordio experiri, quot secum trahat solicitudines, curas, ac discrimina regale sceptrum, jussit thronum sibi construi, cujus ascensus elevarètur per gradus, & sedis latera, duo leones prolixâ jubâ, vultúque horrido fulcirent; duodecim alij leunculi, reliquos gradus veluti in excubijs servarent. *Fecit Rex*
3. Reg. 10. *Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriore, & duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant juxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde.* Alijs gradibus leunculos statuit, cum in summo leones constituerit prolixâ jubâ minantes, & vultu horrido ferocientes. Cur Salomon non potiùs leunculos sibi adblandientes in supremo, sibíque sedenti proximiore gradu statuerit? quia nimirum celsiora, quæ solent ambiri, majori semper indigent solicitudine custodiri; inferiores, qui gradus ambiunt, cum leunculis conflictum instituunt: exambienti autem supremum gradum, non jam cum leunculis ad pugnam nondum edoctis, sed cum leonibus ferocientibus, & ad cruentas clades instructis est pugna ineunda: excrescit cum dignitatis celsitudine etiam incrementum custodiæ, & cum celsitudine gradus, altitudinis etiam tutela: altiora enim ambientem majora expectant discrimina, & duriora minantur certamina: hinc non omnes leunculi æqua per gradus staturâ erant in throno Salomonis conflati, sed pro graduum discrimine inæquali gradatim constabant mole, ut quò gradus magis elevarentur, eò leunculorum moles excresceret; adeò ut primum gradum leunculus cæteris exignor custodiret; secundum alius paulò crassior servaret, ut pro ascensus discrimine leunculorum etiam cresceret statura, & quidem gradatim; donec ad validissimos, eósque ferocientes perveniretur leones vigiles Regium fulcientes sedile: siquidem indiget excelsa dignitas torvis obarmari leonibus, ferísque custodiri audacioribus, quia nunquam minus tuta dignitas, quàm cum omnium supremam occupat sedem. Lubrica sunt excelsa, imò & quo eminentiora, eò & præcipitio proximiora: mediocris verò fortuna, quia ambitionis non fovet tot igniculos, pacatior sedet: præ alijs, qui eminet, scopus fit, in quem spicula collimant invidiæ, quia ut scitè Cassiodorus. *Nihil securum nihil poterit stabile reperiri, si semper invidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias.* Lib. 10. variar. c. 28.

Satis splendoris, ac majestatis habuisse videtur Regina Persarum Esther tot Provinciarum impendio ditescens, tot ornata gemmis, divitiísque diffluens; siquidem ab ipso Reginæ culto nomenclaturam sortiebatur, sed quamvis satis 45.
splendoris, plurimúmque
sit habuisse; attamen quis
sub tam splendido diadem
ræ regium caput torqueren
auro, torquebatur in c
bat foris in gemmis, lace
more. Quanti fecerit Re
dema ostendit, alloquens 4.
Domine, inquit, *qui l*
scientiam, nôsti, quòd abo
superbia, & gloria mea,

caput meum; in diebus oſtentationis meæ; & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ.

46. Parem fortunam nactus Antigonus aniculæ felicitatem ejus deprædicanti, eique gratulanti, quia tam ſplendido fulgeret diademate, reſpondit. O ſi nôſſes mater, quot malis hic panniculus involvatur, neque de ſterquilinio dignareris jacentem auferre. Ex mille nec unus tibi obviabit, qui illicitos invidentium vitare poſſit inſidias, ſi fortunæ poſſederit opes, vel ambitio ad culmen evexerit dignitatis: officijs celſioribus annexa ſemper ſunt competitorum certamina: umbratilis eſt, & ſolo extimo ſplendore fucata ea dignitas, cui ab æmolis parantur inſidiæ, idque cum minimè Agamemnonem fugeret, nil aliud eſſe diadema cenſuit, quàm vano fulgore tinctum nomen, & *falſam comam vinculo nitentem*, ut ait Seneca in Troad. nimirum quod vulgus capitis vocat ornamentum, & diadema, veriùs verticis eſt vinculum, quo non modicè arctantur Reges, qui ea, quâ cæteri inferiores libertate gaudent, deſtituuntur; nimirum ambitio urget, ſtimulátque ad hæc capitis ornamenta, ut pedibus compedes injiciat, libertatem adimat, fœdámque adigat in ſervitutem: quid enim aliud eſt eminens dignitas, quàm magna ſervitus?

47. Idque certè innotuit Monimæ Mileſiæ Mithridatis uxori, mulieri apud Græcos, cui vix alia ſuppar: hæc ut ſe in libertatem aſſereret, ſe ipſam proprio diademate ſuſpendit, ſed eo diſrupto cum in terram corruiſſet, detractum collo diadema, utróque pede indignabunda conculcavit, dicens: quàm mihi execrabilis es faſcia, quæ nec in vita ſuave quidquam contuliſti, nec in tam triſti obſequio mihi vales opitulari; eôque pronuntiato pectus mucrone Bachidi eunucho regio præbuit transfodiendum. Quis igitur tumidam à ſe non excutiat ambitionem? quis ambire velit, quod nonniſi curarum eſt ferax, diſcriminibus circumſeptum, & inſidijs utrinque ſtipatum? Quis tam demens, ut omnium velit obſequijs revera ſubſterni, ut in ſpeciem duntaxat dominari videatur? Quis hanc ſplendidam cupiat ſervitutem, ad quam ſuos ambitio detrudit, quos inflat.

§. VI.

Ambitio, quos altiùs evebit, præcipitio conſtituit proximiores, & eò in imum detrudit ærumnarum, quò ad eminentiora urſerat dignitatum faſtigia.

SUpparem haud dixeris, regiam felicitatem ei, quæ Damocli obtigit menſæ Dionyſij Siracuſarum Regis ſedenti ſub enſe diſtricto nudis imminente cervicibus. Cùm enim Damocles unus ex Dionyſij Aſſentatoribus aſſereret, nil in mundo beatius Rege eſſe, nilque ſplendidius regia majeſtate, repoſuit Dionyſius, viſne ò Damocle fortunam experiri meam? cúmque ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in ſella ſua regia, tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere, eóſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Fumabant utrinque ſuaviſſimi odores; menſæ conquiſitiſſimis extruebantur epulis: fortunatus ſibi Damocles videbatur: ſed in medio hoc apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti juſſit, ut cervicibus impenderet beati hujus Damoclis, qui turbatus mente, impalleſcens ore, vultu ſqualens, oculiſque directis in imminens pendentis gladij diſcrimen, nec manu auſus eſt ampliùs in menſam porrigere, nec propinatum ſibi vini hauſtum deguſtare, infeliciſſimam potiùs ſuam deplorans ſortem, enixímque Dionyſium rogavit, ut abire liceret, & quòd nollet, ampliùs beatus eſſe, cui Dionyſius: intelligis jam Damocles, nullum præſertim è Regibus eſſe ita beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat? hinc pulchrè Seneca 48.

Quiſquámne regno gaudet? O fallax bonum!
Quantum malorum, quàm fronte blanda tegis.
Neceſſe eſt, ut multos timeat, quem multi timent,
Venenum auro bibitur: expertus loquor.

Hanc eandem vocem olim Mecenas in ipſo dignitatis eculeo edidit: hunc cum ambitio altiùs urſiſſet, eidem in eminentiore culmine profundius aperuit præcipitium; altioribus ſiquidem montium culminibus proximiora ſemper adjacent præcipitia. Idque abundè omni ſæculo ſemper edocuit exemplo fortiùs, quàm verbo infelix ambientium exitus, quos in exemplum ipſamet ambitio tanquam nauſeantis ſtomachi vomitum poſuiſſe videtur, adeò ut neque apud priſcos Romanos Mario 49.

Capi-

Capitolij defensio; nec Seiano Imperatorius sanguis; nec Pompeio multiplici victoria illustri; nec Cæsari tot triumphis celebri, quidquam profuerit dignitas: ambitio omnes in sublime urserat, ut lapsu graviore in imum detruderet calamitatum mucronibus interemptos; neque mitiùs se gessit ambitio extra Romanum imperium cum viris, quos ipsa inflaverat. Mithridates tot Regnorum Princeps, pluribus bellis fractus, ne fortunæ suæ superstes viveret, violenta manu vitam sibi abrupit. Annibal è Carthagine Martis in Italia fulmen, ne vivus ludibrio esset hostibus, districto gladio se ipsum interemit. Crœsus rogum suum congessit, quo extingueretur. Venenum Phocion sibi propinavit; Bajazetes caveam, Mamfredus securim, Agis laqueum sibi apparârunt. Quis adeò à sana mente alienus, ut alta hæc exambiat fastigia gravioribus semper ruinis obnoxia? Quis sinat se dignitatis splendore rapi, ut non secus ac incautos papilio ferales tumuli umbras incurrat? pyrsustam vides flammæ pulchritudine delectari, lucernæ circumvolantem splendorem, sed dum credit flammæ splendorem osculari, ferales mortis umbras amplectitur, lusus, jocósque in exequias vertens: non credas meliori eos donari sorte, quos dignitatis splendor delectat; umbris circumsepiuntur concepti intus timoris; dum foras auro nitent; & in culmine sedentes dignitatis ad imum detruduntur ærumnarum.

49. Deponantur igitur ambitiosæ cogitationes, quibus mens inflata eò actiùs torquetur, quò sublimiùs enititur: nec aliud spectat impotens ambitionis dominatus, quàm sibi addictos torquere; idque causæ cur à D. Bernardo Ambitio definiatur subtile malum, secretum virus, pestis occulta, mater hypocrisis, artifex doli, parens livoris, putidus fons vitiorum, origo malorum, radix calamitatum, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, cæcitas mentis: siquidem hæc est illa ambitio, quæ veluti una ex Megæris, Furiisque ab erebo emersa, ac gemina armata face in omnes debacchatur, ac temerè æquè divina, ac humana proculcat jura. Hæc illa, quæ Salomoni suggessit per stupra paterni thori ad Regnum, sceptrúmque Israelis viam sibi aperire; hæc quæ Athaliam edocuit ad paternum Regnum per seditionis tumultus sibi gradum sternere; hæc quæ septuaginta Gedeonis fratres in uno saxo victimas suæ cupiditatis immolavit; hæc quæ Tulliam ursit, ut supra cruentum patris cadaver vecta carpento, consternatos equos urgeret, Tarquinium salutatura Regem. Nulla famè in homine tyrannis sævior ipsa ambitione, quæ hominem ab homine eripit, quem fœdame tamorphosi in belluam transmutat; idque satis expertus fuit Nabuchodonosor cum exterminatis gentium Numinibus solus ipse Deus haberi voluit: nisi ambitio ursisset, nunquam aras, & sacrificulos Tiberius affectâsset: nec Caligula olympici Jovis simulacro capitis sui imposuisset effigiem: neque Heliogabalus Bacchum induisset, & Cybelem habitu expressisset. Insaniunt si ad optatos honores, ac dignitates devenerint ambitiosi, in superbiam extolluntur, & in jactantiam effrœnatam insolescunt, non curant prodesse, sed gloriantur præesse; præsumunt se meliores, quia non vident se superiores; divinitatem ipsam affectant, quâ humanitatem deturpant. Sed discrimen subit ambitio, si caput extra propriam conditionem porrigat: haud secus ac testudo, ubi caput extra concham exerit, discrimini se se objicit. Quod effingit Poësis, Ixionem apud Manes pati, id sanè ambitiosus experitur.

Volvitur Ixion, se se sequitúrque, fugitque

in sublime urgetur, sed vix fastigium, cui inhiabat, attigit, deorsum eum rebus cæteris humanis agitur: etiam gloriam expetit, quæ soli Numini est propria; sed à pace hominibus impertita deturbatur.

Christo recèns in Bethleemitica nato caula, ex aula Empyrei chori multiplices delapsi Angelorum, cœlesti in terris melodiâ plausêre, pastorúmque adstantium attonitas aures modularè demulserunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quasi dicerent: Gloria sit in altissimis Deo; seu laudes, & gloriam dent omnes cælites Deo in cœlis; benedicant, & glorificent eum cœlum, & terræ jubilent illi cunctæ creaturæ, quia natus est hodie in terris mundi collapsi Reparator; hominis è famulitio dœmonis Redemptor; totius humani generis Princeps, & caduceator, Angelorum gloria, & hominum pax. Fuerunt hæ voces ab Angelis editæ partim laudantibus, & partim gratulantibus Deo, & hominibus, & partim optantibus gloriam hanc, & pacem in Christi nativitate inchoatam in ejus vita, & nece consummari, ac perfici. Quamobrem in hac Bethleemitica hymnodia cœlestium spirituum gloria tota uni tribuitur Deo: *Gloria in altissimis Deo*, & pax hominibus optatur; quia cum mutuis odijs inter se se consueverint homines diffidere, bella indicere, arma armis conserere, sanguinem fundere, & cruentis cladibus terrarum tractus funestare, ideo pacem fuere tunc Angeli hominibus apprecati, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis* nimirum totam gloriam soli Deo tribuerunt, quia illi soli debetur, quâ per naturam est summè gloriosus: pax verò hominibus exoptatur, quâ dediscerent diffidere, atque bella in terris gerere: *sed Pax displicet mortalibus*, ait D. Bernardus, *& angelica partitio; quia pax hominibus sine gloria nuntiatur, & tota gloria soli tribuitur Deo: & dum usurpant gloriam, turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabi-*

50. (margin, beside "Christo recèns…")

in Psalm. 90. (margin, beside "cur à D. Bernardo")
Luc. 2. (margin, beside "Gloria in altissimis")
Epist. 126. (margin, beside "sed Pax displicet")

mirabilia magna solus: sicut Apostolus ait: Soli Deo honor, & gloria; porrò cum nostro genere bene agitur si frui licet pace Dei, pace cum Deo, & quid feliciter, & misericorditer. Quónam ergo modo stabit pax hominum coram Deo, & cum Deo; si Deo non potest esse apud homines tuta gloria sua? O stulti filij Adam! qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, pacem simul, & gloriam perdunt.

51. Homines instinctu ambitionis à prævaricatore parente Adamo haud degeneres hæreditario censu ambitione tumidi, honoribus, ac gloriæ adeo impensè inhiant, ut pacis neglectu, tranquillitatis contemptu in dignitatum fastigijs eam appetentiùs gloriam exambiant, quæ uni Deo, & soli debetur; hancque, ut sibi usurpent, pacis fœdera disrumpunt, bella indicunt, arma apparant, milites congerunt, pugnas utrinque instituunt, vulnera infligunt, sanguinem fundunt, & saucijs, enectisque cadaveribus terram fœnestant, ut gloriam sibi usurpent, quæ soli debetur Deo. Quàm infidi, & protervi sunt, quos ambitio pulsat, & inflat, cum apud ipsos neque ipsa Numinis gloria, quæ tota eidem debetur tuta sit! quàm arroganter est audax, quàm audacter est temeraria, quàm temerè est furax ambitio, quæ summi Dei gloriæ insidias nectit, ut etiam in suæ divinitatis asylo intota sit à rapaci hominum ambitu? Quid ambitio non audet, si ipsam Numinis gloriam adoritur, ut rapiat? At oh quàm infelix præda, quâ gloria simul, & pax amittitur; & dimittitur homo ambiens in sordidam ignominiæ humum! displicet ambitione tumidis Angelica partitio, quâ soli Deo tota tribuitur gloria, & pax sola nuntiatur hominibus bonæ voluntatis: non pacem cupit ambitio, sed gloriam sitit, quam Deo surripiat. Sed quàm impiè sunt temerarij humanæ ambitionis ausus! quibus homo non solùm in terra telsioribus appetit in culminibus eminere, verùm etiam cœlum conscendens Numinis gloriæ insidiatur, quam sibi usurpet: adhuc acerbum Adami pomum ejus posteri ambitiosè eructant, sed si Adam cum malè carpto malo malorum omnium iliadem ad se accersivit, ac Pandoræ pyxidem aperuit, è qua cuncta scelerum portenta, supplicia, pestis funera, bellorum clades, famis absumptio, calamitatum catervæ, ærumnarum exercitus, morborum agmina, dolorum tortores, & tandem mors ipsa exiliere; ita una ambitio radix est malorum omnium; maximorum enim scelerum ministra, & mater est ambitio, quæ humana æquè, ac divina confundens sanguinis necessitudinem obliviscitur, amicitiæ vincula disrumpit, leges naturæ conculcat: hæc quos pulsat in sublime urget, sed ut lapsu ruant graviore: hæc spirituum conditorum supremum inflavit, sed felicitate privavit Angelica, & è summo cœlo, in imum dejecit tartari: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: Luc. 10.
pariatur fulguri casus Luciferi quà ob descensûs velocitatem, quà ob lucis brevitatem, quæ vix nata extinguitur denata, & unà cum lapsu tenebras contrahit: ambitio primos etiam homines in profundum detrusit ærumnarum; ambitio eos inflaverat, ut Numinis appeterent similitudinem, sed gloria spoliavit immortalitatis: non Evam cibus illexit, non injuncti præcepti oblivio distraxit; sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit: & hoc ipso perniciosior est ambitio, quia blanda est conciliatricula dignitatum, & sæpe, quos voluptas nulla delectat, quos nulla potuit movere luxuria, nulla inflectere libido, nulla evertere avaritia; hos una inficit ambitio, quos & criminosos constituit, & omni honore destituit.

52. Est propterea ambitio subtile malum, dulce venenum, pestis occulta, doli artifex, secretum virus, quod dulcedinem propinat, & venenum exhibet; dignitatum spondet nitores, honoris promittit gloriam, ut inglorios reddat, quos ad sublimiora dignitatum urserat culmina. O quàm stulti filij Adam, qui unà cum Protoparente gloriam appetunt, quam perdant. Mirum sanè quòd ita appetentiùs exambiant homines laudem, & gloriam, quæ uni, & soli debetur Numini, ut innuit Regius Vates: *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.* Psalm. 47. Maximæ laudi Deo datur, quòd ipse suo nomini plenè respondeat, suam gloriam proprio ostendat nomini implantatam, & quidem non dubijs inscriptam characteribus, qui deleri possint, sed insitam, ut sejungi nequeat, ideóque ait David; *secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ*, nomen enim Dei, ubique terrarum fulget, & divina laus resonat in fines terræ, quatenus omnes creaturæ clamant; *ipse fecit nos, non ipsa nos*, & notitiam ingerunt conditoris, quâ etiam non cognoscentes litteraturam introeant in potentias Dei, laudésque ei debitas concinant; ex mundi siquidem majoris, totiúsque creaturæ sensum ferientis exteriorem consideratione ad opificis Dei existentiam, ac veluti sensibiliter exhibendam, & ad Numinis Sapientiam dignoscendam scandimus, ut inde debitas concinamus DEO landes. Hinc maxima etiam censetur laus hominis, si verè sit vir sui nominis, si quod nomine præfert, te ferat. Secus datur probro homini, si quod nomine ostentat, re destituatur, Inanissimum enim est, ac futile, si res in se vacua de nomine duntaxat sibi adulantiùs eblandiatur, & ambitioso vocabuli ludibrio futilis rei vatuitas obtegatur.

53. Vilissimus est reatus illustrioris nominis, dum sub clarioris vocabuli gloria actionum ignobilium ignominiosæ caligines conteguntur. Apposité Chrysostomus,

mus, suggillans ambitionis inanitatem ait: *Dignitates temporales haudquaquam quis dignitates dixit, sed dignitatum nomina duntaxat:* nimirum sunt dignitates illustria nomina, quæ inflatie buccie eduntur quidem, & proferuntur, sed re vacua sunt, & nonnisi inanitate tument. Inflata exambiunt homines vocabula te prorsus vacua, ac inanissimè exucca. Quid aliud dixerit dignitates, quibus impensè inhiant ambitiosi, quàm nogacissima nominum ludibria? spondet ambitio orbes integros, sed inanitate oppletos, bullis haud absimiles, quas si affectaris, & manu capias, disparent: sitim movet ambitio, & dignitatum præclara nomina propinat, sed re, quâ sitis extinguatur prorsus destituta.

54. Præfecturam exambivit vir, quem ambitio inflaverat, is plures exantlavit labores, fudit sudores, & præstitit obsequiis imò & soluta pecunia Præfecti nomen sibi tandem coëmit; sed quid inde? prolixam malorum congeriem ad se traxit, curas, insomnes noctes, anxias solicitudines, detrahentium linguas exasperatas, invidorum lividos oculos; imò & vitæ periculum, ut plories intra se loquens dixerit, si scivissem, tanti procul dubio non emissem pœnitere. Non sæculares tantùm, sed etiam Ecclesiasticæ dignitates hisce sunt ærumnis plenæ, & re dignitatum vacuæ; hinc rectè exclamat Bernardus: *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places! nil acriùs cruciat, nil molestiùs inquietat, & tamen nil apud miseros mortales celebrius ejus negotijs.* Solum nomen Dei est re plenum, & laue el respondet in fines terræ, reliqua extra Deum vacuitate sunt plena, & interitui obnoxia: sunt dignitates, quas impensiùs homines ambiunt perinde ac flores, qui vix ridentes in pratis messoris falce succiduntur: hinc Psalmographus ambitiosam hominum solertiam in conquirendis honoribus, ac dignitatibus acquirendis carpit inquiens: *Vanum est vobis ante lucem surgere:* quæ verba expendens D. Bernardus *sermone 1. de S. Victore* ait: *Non erecti planè, sed perversi est animi ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certaverit. Vanum est, vobis ante lucem surgere. Ita est frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius splendore non enitens virtutu:* & tamen ambitio tametsi nullis innixa virtutibus gradus sibi ad celsissima quæque parat solo inflata tumore: nimirum ventosa sursum nititur, sed procellas excitat, quibus naufraga pereat: est enim ambitio spiritus procellæ, cujus fluctus, ut modulatè cecinit David: *Ascendunt usque ad calos, & descendunt usque ad abyssos:* tumida ac ventosa ambitione mare humani cordis tumescit, cujus fluctus ad cœlos usque exaltantur, sed mox usque ad abyssum descendunt: sed mitior foret simplex descensus, nisi mens ambientis ibi naufraga omnium ærumnarum obrueretur fluctibus; *descendunt usque ad abyssos, & anima eorum in malis tabescebat.*

Lib. 3. de consider. — *Psal. 126.* — *Psal. 106.*

Tumidis, & ambitiosis culminibus, contermina semper sunt præcipitia, & sociæ ruinæ, quia ut apposite ait Hugo Victorinus: *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos. Omnis ambitiosus tantò in imo est, quantò in altum se erigit: tantò profundius labitur, quantò excelsius elevatur, ut statera.* 55.

Cap. 2. in regul. D. Aug.

Quot mortalium in sublime ursit ambitio, quot è dignitatum fastigijs in imum detrusit ignominiæ? Cùmque ultra hominis fastigium se crederent eminere, quasi siderum concives, & de cœli gloriarentur proximitate, illicò in imum depressi sunt ignominiæ, quia *ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos, & anima eorum in malis tabescebat:* An non tabescit statim ambitio, quæ cùm cœlos tangeret manu, protinus abyssum ore lambit? Fabulam dixeris scenicam ambitionem, quos enim in theatro exhibet, vel senatoriè togatos, vel fascibus præeuntibus imperiosè auctoratos; vel splendidè purpuratos, vel sceptro, & chlamyde ornatos: illicò detractis vestibus, & cothurnis, quales reveræ sint, mors superaccedens ostendit: theatrum enim nonnisi ad momentum ambitio scenicè adornat, suámque fingit fabulam: quas verò hac in fabula exhibet personas, nonnisi mendacia sunt sicophantarum, obnoxia dicterijs, ac nebulonum exposita risui, ac lurconum derisui, adeo ut miserrimus semper sit qui ob enactam dignitatem in publico semper positus omnium jugiter oculos patitur. 56.

§. VII.

Scenam mundus exhibet spectandam, in quam suos ambitio introducit Actores, quibus si larvam detrahas, qui præesse finguntur, subesse deprehenduntur, ac fœdè famulari, qui illustriùs dominantur.

Sicut pauci in mundo sunt, quos ambitio non inflet, ita rarissimi, qui cùm Regio Vate verè dicere queant Psal. 108: *Tuus sum ego salvum me fac*, quia potior hominum pars ambitione pulsatur, & ei se dignitati mancipat, quam enixiùe exambit: ecquis Regum, Ducum, aut Principum, imò & inferiorum Magistratuum potest cum veritate Deum alloquens dicere *Tuus sum ego*, quia ut apposite philosophatur D. Ambrosius: *Rarus sanè qui cum Davide dicere possit tuus sum ego. Non potest dicere secularis tuus sum ego, quia, plures habet Dominos, quibus turpissimè inservit. Venit libido, & dicit meus es; quia quæ sunt corporis concupiscis. Venit avaritia, & dicit* 57.

meus

meus es, quia argentum, & aurum quod habes servitutis tua est pretium. Venit ambitio dicit planè meus es, nescis quod ideo imperare alijs te feci, ut mihi ipsi inservires? nescis quòd ideo potestatem in te contuli, ut mea te subjicerem potestati?

58. In hoc igitur theatro, quod ambitio ornat, & dignitatibus actores exornat, plena sunt omnia mendacijs, larvata sunt omnia; eminentiores dignitates, quæ authoritate, & imperio videntur cæteris antecellere, servili compede uni famulantur ambitioni, cui ad nutum obsequuntur, & quotquot præesse finguntur, subesse deprehenduntur, vel libidini, quâ fœdè æstuant; vel avaritiæ, cui parent; vel superbiæ, cui inserviunt; vel concupiscentiæ, cui obsequuntur; vel divitijs, quibus famulantur. Ambitio enim furatæ dignitatis pretio, bonorúmque commercio, quos inflat, mercatur, inque suam miserè redigit servitutem, & homo libertate donatus ob vile lucellum, ob inanem umbram larvatæ dignitatis, fucati honoris in famulum se ipsum vendit, séque vanæ gloriæ vile constituit mancipium.

59. Si enim introspiciamus quid ambitæ subsit dignitati, nonnisi compedes, quibus ingenua deperditur libertas, nobis occurrunt, quot enim curæ, quot solicitudines, quot animi angores, cordis tormenta una obtegit purpura, quæ eminet? Qui sapit non ex extimo ambitæ dignitatis splendido colore censuram librat; sed intimiùs eam scrutaturus penetrat, medullam introspicit: mundus enim nonnisi fucos vendit, quos ambitio mercari nititur, cujus propterea felicitas bracteata nonnisi vanissimæ gloriæ est ludibrium. O quàm fatuè sibi illudit, qui fucatæ dignitatis empturus gloriolam, suam nundinatur libertatem, séque ipsum in famulû vendit! Venit ambitio, & dicit planè meus es, nescis quia ideo imperare alijs te feci, ut mihi ipsi servires? nescis quòd ideo potestatem in te contuli, ut meæ te potestati subjicerem? Non credas gloriam assecutos, quos ambitio sursum erexit ad culmina dignitatum, quia ut ait Regius Vates: *A gloria eorum deturbati sunt*, neque timorem ullum debet nobis homo incutere cùm dives factus fuerit, & cum multiplicata fuerit gloria domûs ejus: *Quoniam cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Scenicæ sunt dignitates, quas ambitio nundinatur, plenæ mendacijs, & fucis; assequi quidem possunt, non consequi, quia vix assequuntur, & mors detractâ larvâ quid sint veriùs ostendit, quia ut appositè Seneca: *Quicquid circa te jacet rerum tanquam hospitalis loci sarcinas specta. Transeundum est. Excutis redeuntem natura, sicut intrantem. Non licèt plus efferre, quàm intuleris.*

Psalm. 118. Psalm. 48. Epist. 102.

60. Divitijs in hujus vitæ theatrali scena affluentes, voluptatibus diffluentes, viribus potentes, dignitatum gloria sublimes, cum interierint dignitatibus exuti, quid fuerint Manium umbræ clariùs edocent; & cinis sepulchri luculentiùs ostendit: neque cum eo, qui interierit descendet gloria ejus, quia ut scitè notat Petrus Blesensis: *multorum dominatio est eorum damnatio: & quot paupertas ad cælum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet*, neque Magistratuum potentia, Principum nitor, Regúmque mundana gloria cum illis in infernum descendit, ne scilicet quid, vel specie tenus gloriosum illi subsit, sed ex ambitis dignitatibus nonnisi angores, solicitudines, ærumnas, conglobatas molestias secum trahunt, ne quidquam supplicij videatur ex ijsdem ipsis deesse; neque satis pœnarum foret ijs, qui in scenico hujus vitæ theatro personas egerunt in sublimioribus constitutas dignitatibus, nisi earundem ærumnis superstitibus torquerentur. Epist. 231.

Neque putes, paucos esse, quos cum suis dignitatibus infernus absorbet, cùm pauperibus parientur, quos nuditas ad cœlum promovet: siquidem mendax ambitio obtentu ambitæ dignitatis, non felicitatem emancipatur, sed miserrimum cœli exilium sibi comparat: quò sublimiùs ambitio enititur, eò obscuriùs in imum detruditur. Nabuchodonosoris, seu potiùs ambitionis vox fuit illa Danielis 4. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? cúmque sermo adhuc esset in ore Regis vox de cælo ruit: tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua.* Regum potentissimus, Heroum maximus, egregia sua aspexit facinora, delectatus fuit in gloria, quâ cæteros mortalium sibi videbatur antecessisse. Verùm dum supra humanum fastigium gloriam sibi arroganter attribuit, detrusus ab hominum cœtu, hominem exuere jussus est, & brutum induere; scitè D. Bernardus: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: quod quidem ad causam magis, quàm ad tempus arbitror referendum, ut sic intelligatur dictum: cùm in honore esset non intellexit, ac si diceretur honor absorbuit intellectum.* 61. Epist. 31.

Quòd si ambitio honoris intellectum absorbuit, lumen extinxit rationis, quò differt homo à brutis, jam hominem dejicit bruta inter animalia; & suffragatur Richardus Victorinus *lib. 2. de erudit. homin. cap. 5.* ubi alloquens Nabuchodonosorem vanam supra homines gloriam ambientem, sic fatur: *Quantum te supra homines extulisti per arrogantiam, tantum infra homines dejicieris per culpam, & cum feris, & bestijs erit habitatio tua. Ab hominibus ejectus ad feras, & bestias descendes.* En ambitio, quò altiùs ascendit, eò profundiùs dejicitur, quò sublimiùs vehitur, eò vicinior est ruinæ, quantum se nititur erigere, tantum 62.

tùm dignè deprimitur lapsu infimissimo; ut gnoscat qui fastigia honoris ambit, & gloriæ, ruinam inde sibi profundiorem oundinari: metitur enim descensum, qui vano ambitu ascensum sibi molitur: Ecce Nabuchodonosor se supra hominem arroganti ambitu evehere oititur, sed illicò infra hominem deturbatur cum brotis, turbine dementatus ambitionis. Adeò fœdè obbrutescit ambitio, ot in homine, quem intus pulsat, intellectum absorbeat, usum perimat rationis; & è cœto hominum in gregem deturbet brutorum hominem intellectu viduatum.

63. Sunt qui in scenicis theatris varias exterarum nationum agentes personas, eos etiam Æthiopes repræsentant, qui sicut quasdam corporis partes, ita & caput solis plumis contegunt, quibus discolores plumæ vestes sunt, & pilei; quid autem ambitio nisi fucata plumarum connexio? Quid honores ad quos urget, quos pulsat; quid dignitates, ad quas stimolat, quos inflat, nisi plumulæ per aërem volantes? & oihilominus has ardentissimis studijs sequuntur ambitiosi: tumor autem iste ambitiosis adeo est audax, ut etiam in Christi cœnaculum sibi aditum adaperverit, imò & ipsos cœlos penetraverit; sed nonoisi ruinas, & præcipitia adiovenit. Talis etiam fuit ambitio Corebi, Abiroois, & Dathani: cùm enim Deus Aaronem supremum a sacris Pontificem, & Moysem tum civilium causarum Judicem, tum divinæ quoque voluntatis internuntium declarâsset, pupugit Corebi id tumorem; vir is erat Leviticæ propaginis, qui ut Aaronem simul, & Moysem exauthoraret, Dathanem sibi, & Abironem adjunxit viros æquè potentes, & factiosos, per quos potiores populi partes ad suam traxit, adeo ut conjuratorum convenirent duoenti quinquaginta Patritij generis omnes, publicique consilij Senatores Venerabiles, quorum omnium eò ferebatur conjuratio, ut Moyses, & Aaron Magistratu depellerentur; ut huic Corebus, ac illi quicunque alius, pro ut consultiùs visum fuerit è suo corpore subrogaretor; & cæteri sortibus inter se jactis ad mioora promoverentur sacerdotia quotquot Leviticæ essent stirpis; & aliarum stirpium tribules populi Præturas, præfecturas, tribunatúsque sibi partirentur. Hos omnes una ad concupitas dignitates trahebat ambitio; cúmque quisque sacris obeundis inhiaret, intra tentoria sibi clanculum acerras, ac thuribula præparanda curavit, ut cùm primùm tempus exigeret, parati omnes essent ad adolendum.

64. Rebus ita compositis crescenta ambitiosorum colluvie convenerunt Coritæ pro tabernaculi foribus singuli cum suis thuribulis æneis: aderant & Aaron thuribulo Pontificis aureo, & Moyses virgâ Judicis instructus: cúmque vocati à Moyse essent, responderunt: *Non venimus, nunquid parum est tibi, quòd eduxisti nos de terra,* Numeri 16. *quæ lacte, & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?* O quàm cootumax est ambitio! detrectârunt obsequi, ac parere Moysi justè præcipienti; cúmque jam starent coram maxima populi frequentia, Core, Dathan & Abiron sacra thuribulis munia obituri, & Moyses Judicis virgâ instructus coram omoibus obtestaretur nil à se factum, nisi jussu divini oraculi, & non ullius ambitionis commento, ac propterea dehiscentis terræ sepulchrum, ignémque inferorum supplicia fuisset Rebellibus interminatus, rogâsset propterea, enixèmque obsecrâsset, quatenus à oefarijs cœptis desisterent; sed illi adhuc contra frendentes, & explodentes, at persistentes in seditiosa obstinatiooe, ambitione dementati sua perseverarent in amentia: dictu formidandum! postquam jussu DEI, & Moysis pars populi proximè tendeotis ab impiorum tabernaculis recessisset, tunc illic ubi Dathan, & Abiron; tum alibi, ubi Core cum sibi addictis constiterant, disrupto terræ gremio, diductáque latè voragine, laxóque hiatu, præcipites uno, eodémque temporis momento egit ambitio omnes, qui cum ijsdem constiterant; hausta itidem fuêre tentoria, rebellium, uxores, liberi, familiæ, pecora, totáque domestica supellex, adeò ot subsederint omnia horribili devorata baratro immani cum fragore, ruentiúmque confuso personante clamore: *Disrupta est terra sub pedibus* Num. 16. *eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderúntque vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis, sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.*

Exterruit sanè repentinus hic interitus reliquos omnes quotquot cum Moyse steterant: qui disruptæ terræ tumultibus, & intereuntium miserabili coospectu, vocibúsque consternati terga Euro citiùs fugæ dederunt. 65. Neque hic stetit clades; siquidem è populo, qui ejusdem fuêre seditionis complices suas itidem pœnas dedêre; exortus enim repeotions ignis vastare cœpit ab ipso tabernaculi divini vestibulo, quidquid castrorum, ac multitudinis supererat, ot oonnisi luctus, & ejulatus aërem opplerent, & in uno, eodémque natarent æstuario terra, homines, mulieres, jumenta, tabernacula, & supellex omnis: ascendebat quidem in cœlum clamor morientium, sed descendebat ad inferos protervia ambientiom; & castra omnia ne gliscens incendium absumeret; Aaron arrepto thuribulo, accensisque carbonibus thus sacrum celeriter

adolevit, & residuam castrorum partem immunem servavit ab ignis voracitate : Num. 16. *Percussi sunt quatuordecim millia hominum septingenti absque his, qui perierunt in seditione Core.* Ecce quàm grande, ac ferale incendium una excitavit ambitio ; non enim aliæ fuerunt scintillæ, quæ initia flammis dedêre, quàm ambitio, & invidia : utinam etiamnum in mundo non circumagerentur fetales hæ scintillæ, quæ & cœtus Religiosorum, & palatia Principum, & domus privatorum, imò etiam urbes, respublicas, provincias, ac Regna non inflammarent, everterent, & in favillas redigerent. Corem omnium primum ambitio stimulavit Pontificatûs : hujus pedissequæ ambitionis fuerunt cogitationes turbidæ, acquirendi principatûs, nefaria consilia, clandestina quæsita conciliabula, tumultuantes socij, & non dispatis pravitatis pares homines iniqui ad flagitia quæque paratissimi.

66. Quot pravitates ab uno eruperunt ambitionis disrupto tumore ? hæ fuerunt scintillæ, quibus incrementum subijt ferale incendium, quod tot hominum millia absumpsit, ac in favillas redegit. Superaccessit fax etiam calumniatricis linguæ, quæ pestifera licentia huc, illucque discurrens odiorum ignes accendebat : & demum concors tot millium, & hostilis, & contra Moysem, & Aaronem legitimos Principes, detestanda conjuratio, donec in summam etiam DEI Majestatem cœperit obliquus incedere contemptus ; nimirum tota iniquitatum universitas ab una erupit ambitione, quæ enutrivit odium, fovit conjurationem, fomenta addidit flammis, incendium dilatavit, terræ gremium disrupit, & plura hominum millia, quà terræ absorptos hiatu, quà ignis absumptos voracitate perdidit : tanti sunt impendij plumatiles ambitiosorum cogitatinoes, quæ morti deglutienda plura statim hominum millia objiciunt.

67. Non sacrum duntaxat ingreditur ambitio Tabernaculum omnia sus deque eversura, sed tantæ est audaciæ, ut Christum ipsum ausa fuerit adoriri : Matth. 4. *Si filius DEI es mitte te deorsum*, quasi diceret, omnes enim te noverint DEI filium, si te viderint per aëra, vel ambulantem, perinde ac in solo, vel volantem avium instar. Nimirum nitebatur impudens tentator volatilem ambitionis pileum per excitatas vanas cogitationes ipsi humani generis Salvatori imponere. Sacrum etiam ingressa ambitio collegium Apostolorum dissidia, & æmulationes in discipulis excitavit, quos licèt alia vitia non inficerent, una tamen ambitio tetigit, quæ præeminentiam, Paridis veluti pomum in medio injecit eorum, ut quisque ejus possessiom inhiaret ; Luc. 22. *Facta est & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major :* itane Discipuli à Magistro Christo, edocti mundi contemptum, divitiarum neglectum, honorum fugam, nituntur etiam excitatis contentionibus cæteris præcellere loco, & titulo, & quidem tempore importunissimo, & eo loco, ubi eorum Magister exemplo fortiùs, quàm verbo summæ humilitatis specimina voluit eorum subjicere oculis, ut omnem dediscerent ambitionis tumorem, & humilitati enixim studerent ? etenim Magister Christus DEI filius, humi prostratus Discipulorum pedes abluit, móxque ad Olivetum, ubi exordium dolorosissimæ passionis erat inchoandum, cum ibi ad vigilias protrahendas, preces fundendas hortaretur, & ipse sudore sanguineo madidus ex imminentis mortis formidine, & cras esset medius inter latrones cruci affixos ab omni populo spectandos ; adhuc Discipuli intempestiva altercatione de præeminentia loci, primatu honoris contendunt, *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* ; quia nimirum ambitio subtile est malum, quod dolosè rimulas penetrat, quo in viros etiam se insinuet, quos nec vitia delectant, nec luxuria movet, nec avaritia subruit : appositè S. Ambrosius : Tom. 5. lib. 4. in cap. 4. Luc. *Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum, & sæpe quos vitia non delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, criminosos facit ambitio :* non inhibuit Magister Christus, ne ejus Discipuli fundamentum jacerent honoris, sed ne ipsum ambirent honorem : voluit eos digna honore jugiter exequi, sed ut ipsum postea fugerent honorem : exercitia virtutum fundamenta sunt honoris, & laudis, illa ponenda sunt, sed honor fugiendus : hinc Siracides : Eccles. 7. *Noli quærere cathedram honoris.*

68. In exercitio virtutis duo se exhibent digna observatu, suntque honor, qui virtutem sequitur ; & meritum, quod virtus gignit. Illud proprium est hominis actus exercentis virtutum ; honor verò ad solum DEUM pertinet : voluit igitur Magister Christus, Discipulos suos meritum ambire, non honorem inquirere ; quia meritum ad ipsos pertineret, honor verò ad Deum, qui enim Deo honorem rapit, huic Deus meritum aufert : hinc Christus ambientes honorem, & non meritum ex virtutum studio redarguens ait : Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi* : quia Pharisæi honorem enixim quærebant, cùm tamen honor ipsos non quæreret. Plures sunt etiam in asceterijs, quos ambitio pulsat, & propterea tumidi primas appetunt cathedras, primásque ambiunt dignitates, quos tamen dignitas respuit.

spuit. Plures in aulis Principum sunt Proceres, quos ambitio ad primas post Principem urget dignitates, qui tamen plerumque repentino lapsu in imum detruduntur infortunij, destituti favore, & gratia Principis, qui si procul fuissent à Jove, procul etiam à fulmine extitissent. Satis notæ sunt fabellæ Icari, & Phaëtontis; quorum quanto altior fuit ascensus, tantò & casus gravior. Coërcendus est tumor ambitionis hominem inflat, quem disrumpat & perdat; sursum evehit, quò profundiùs deprimat, quia ut ait Christus: *Quod altum*
Luc. 16. *est hominibus, abominatio est apud Deum:* extollit ambitio, quos pulsat, & inflat, sed simul deprimit, quam propterea non abs re vento Boreæ parem feceris: hic enim in tranquillum delatus mare, non solùm ejus abigit malaciam, sed totum ab imo subruit, fluctus sursus deorsum volvit, & quas invenit æquora trajicientes naves suo impetu urget, ut in scopulos collisæ naufragio pereant: ita ambitio si semel mentem subeat, hominis tranquillitatem expellit, fluctus cogitationum tumidarum excitat, mentis excæcat intuitum, & totum hominem ita fluctuantem exagitat, ut si sursum enitatur tumidus, mox deorsum deprimatur dejectus à pristino honore, & utinam non obrutus æterna amaritudine, cùm nullum sit flagitium, quod ambitio non suggerat, & ad illud non urgeat.

§. VIII.

Ambitio throno insidens, perinde ac magistra in cathedra pseudopoliticam edocet in perniciem justitiæ, & exitium innocentiæ: stare admititur alienis innixa ruinis. Sed proprijs sepelitur.

69. QUàm detestabilis, quàm perniciosa non fuit Jeroboami ambitio? quæ omnem populum ad sacra traduxit abominanda. Alias inter Salomonis noxas hæc etiam recensetur, quia minùs cautus in seligendis sibi familiaribus, ac hominibus discernendis fuerit. Familiaritate sibi conjunxerat Jeroboamum juvenem præclaris naturæ dotibus instructum, frontis, & vultûs specie commendabilem, animo industrium, & nunquam à novo aliquo molimine cessantem, cui propterea Salomon suum crediderat fiscum. Is tamen quia vafritie cæteris in aula antecelluit proceribus, ex continua Regis familiaritate ejus scivit arcana expiscari: cúmque observasset in Rege animi jam delapsi imbecillitatem, & quandam socordiam; simúlque deprehenderet Salomonis filium Roboamum delicijs à puero assuetum Regnis gubernandis imparem fore; cœpit ipse aditum audaci aperire ambitioni, ac tumidis implere mentem cogitationibus diu, noctúque consilia agitare regnandi; quæ revera postquam Salomon naturæ concessit, & è vivis decessit in apertum erupêre. Erat Jeroboamus quæsturæ Præfectus, cùm rem Salomonis strenuè ageret; sed in suo obeundo munere ita rem egit Regis, ut suam tamen non neglexerit fortunam; ejus siquidem studia eò præsertim collimabant, ut populi sibi benevolentiam conciliaret, omnésque largè impertitis beneficijs re, & amore sibi devinciret: & quia viri vafrities aptissimum fuit instrumentum ambitionis; divinis jam dignus suffragijs, ut & imperio ab omnibus habebatur; sed tametsi ambitio ad culmen eum ursisset honoris opitulante vafritie; cùm primùm tamen accessit & arrogantia, eadem ambitio hominem in impietatem primum, postea in ruinam impulit.

Fuerat ei ingenium sagax, expeditum, 70.
multiplex, & tortuosum, præsertim in flectendis in sua vota hominum animis: ærarium regium, sic curabat, ut crederetur id unum duntaxat spectare, quomodo Principis divitias augeret; tametsi tributa ita exigeret à subditis, ut potiùs eorundem fortunas videretur promovere; idque causæ, cur potior pars popoli Salomonis successorem in animo Jeroboamum haberet, etiam excluso Roboamo Salomonis filio, & cui propterea jure successionis sceptrum Solymæum debebatur: cùm Jeroboamus esset Ephraimita Patre Nabathe viro inter suos nobili, sed matre Sarira longè imparis conditionis genitus. Per occultos igitur cuniculos urgente ambitione iter ad solium regium sibi adornabat, donec animus ambitione magis distentus in apertius, majúsque nefas mox prorumperet. Cum enim instituisset Roboamus, ut gratias populus Deo solveret, ob liberationem obsidionis, Jeroboamos observans frequentes suorum peregrinationes esse Jerosolimam, templo non minus majestate, quàm religione populos alliciente ad cultum, & obsequium Deo præstandum; verebatur ne sub specie pietatis, capti popularium animi paulatim ad Roboami deflecterent partem, à quo nuper impeto præcipiti desciverant; præsertim cum plures ex ordine Sacerdotum, ac Levitarum defecerint, & recèns adhuc esset exemplum, quo via à Jeroboamo ad Roboamum adhuc sine ullo obvio pateret obices ac facilior ad domum Davidis reditus speraretur, & quidquid turbatum esset, adhuc spe veniæ leniri posset; imò & sponsionibus plenè sedari, ac componi, præsertim cum mentibus Israelitarum altiùs insculpta hærerent Numinis oracula de sceptro Davidico; neque deesset authoritas virorum gravium, ac Principum, quorum hortatu faciliùs possent Regni desertores judaici in veterem reconciliari subjectionem; consideraret insuper instabilem esse vulgi voluntatem, & propen-

sionem mutabilem, quæ propterea levibus momentis ad eas faciliùs partes flectitur, quas paulò ante fastidierat; maximè si Religionis percellatur reverentiâ: ideo consultiùs Jeroboamus duxit, utilius ei fore ne Regno pelleretor, si Religionem avitam rebus suis obstantem penitus everteret.

71. Cúmque instarent paschalia, quo tempore ex insolita consuetudine maximo concursu populi ex singulis Judæi partibus Jerosolymam confluerent: ad id impediendum ad consuetas suas vafer confugit Jeroboamus vulpes, astutiásque, speciosísque rationibus, & edictis plebem circumvenit, suasitque populis Solymæam illam profectionem, quam illi arbitrabantur Religionis causâ suscipiendam, bono officere publico, ac privatæ obesse utilitati: non enim fieri potest, ut citra enorme discrimen in urbe hostili cultus ille Numini exhibendus instituatur; maximè quia ob desertionem multorum, se mutuis odijs, ac periculis cives involverent; neque prolixa itinera tuta esse, neque profectionem obiri posse absque rei domesticæ dispendio. Ut autem promptiùs in sua flecteret Jeroboamus vota populos propensos ad Solymæam profectionem, spopondit effecturum, ut pro uno templo geminum excitaretur, quo commodiùs possent populi sacris fungi muneribus, ac sua persolvere vota; addens Deum nullo circumscribi loco, nullo posse spatio limitari, nec ullis coarctari angustijs, quin sit ubivis præsens, ut æquè ei obsequia præstentur Solymæ, ac in quovis alio Judæo loco, dummodo cultores Numinis à recta non desciscant mente.

72. Hæc omnia excitata efficacia populo proposuit, non ut devotionis causâ eum flecteret ad Numinis obsequia; sed quò subtiliori vafritiei calliditate, prætextu cultûs Deo exhibendi suum firmaret regnum. Fidentior itaque factus ambitioni adhærens, quâ ad regnum se sentiebat urgeri majorum suorum religionem radicitùs duxit extirpandam; nimirum ut staret ipse in Regio solio, voluit, ut caderet ex ara veræ Religionis cultus: & ne sceptrum recèns acquisitum nutaret, cultum veri Numinis funditùs evertit; incredibili enim celeritate duo jussit delubra construi in præcipuis urbibus Regni sui limitaneis; quarum uni nomen erat *Dani*, sita ad Aquilonem; & alteri urbi nomen erat *Betheli* ad prospectum austri, & utraque urbs eminenti colle surgebat inædificata. In ijs igitur vitulorum simulacra ex auro conflata collocavit qualia Ægyptij sub nomine Apis, & Serapidis colerent, suasitque populo hæc eadem esse Numina, quæ eorum Majores quondam à servitute Ægyptiaca liberaverant, cultúque publico Aarone auspice, ac sacerdotio fungente affecta fuerant; & eam venerationem ad posteros fuisse dimanaturam, nisi Moyses metum populo incussisset suppliciorum; ac prodigiorum quorundam ostentatione obstitisset. Et sicut Hebrææ gentis protervia semper in alieni Numinis cultum prona fuerat, difficile non fuit Jeroboamo populum à cultu veri Numinis avertere, & ad obsequia idolis præstanda pertrahere; præsertim cum obsequentes Principis gratiâ, & beneficijs illiceret, & detrectantes parêre, minis, pœnisque futuris absterreret.

73. Itaque ne perfidis ullum ad veri Dei, ac Davidis imperium pateret iter; primus omnium erectis recèns idolis assumpta Pontificis persona, nefanda, ac impurissima exhibet sacra, aliósque pro suo arbitratu Sacerdotes constituit non ex tribu Levithica, sed ex fæce populi, nimirum ut extructis aris responderent Sacerdotes, & qualia erant sacrificia, tales & ministri; idque ea vafritie Jeroboamus instituit, quò faciliùs mutuæ plenis sibi reconciliaret benevolentiam. Regis igitur ad exemplum gliscente dietim superstitione cœperunt luci, & nemora vitulorum oppleri simulacris, ad quæ Religionis causâ videbantur populi confluere. Ad hæc igitur scelera Jeroboamum impulit ambitio, quâ nitebatur sibi, suisque Regnum stabilire: hæc causa fuit, ut edicto caveret, ne quisquam ex Israelis populo Jerosolymam proficisceretur oblaturus in templo sacrificia.

74. Verebatur námque Jeroboamus, ne populi favor à se in Roboamum Judææ Regem deflecteret, si passim permitteretur populus Solymæum templum sacrificijs frequentare; ideóque geminum vitulinum caput aureum duobus locis in edito collocavit, & simul promulgari jussit: *Ecce Dij tui* 3. Reg. 12. *Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Proh quàm perniciosus est, sceleribusque fœtus ambitionis tumor! quo mens humana cæcutiens, non ampliùs veri Numinis cultum videt, ut præceps ruat in nefanda quæque flagitia. Hic est ille tumor, ex quo innumeræ semper prosiliêre lachrymæ, & omnes eruperunt calamitates, dissidia, clades, inimicitiæ: ambitio Principum præclara comitia disturbat, quia unus alteri cedere detrectat, & singuli præeminentiæ inhiant; hæc propterea dissidia spargit, bella excitat, quæ alternantibus victorijs utramque partem miserè atterunt, sanguinem sugunt. An non occasiones rei optimè gerendæ sola persæpe turbavit ambitio, quolibet virorum primas ambiente sedes?

75. Imò necem etiam molitur innocentium eâ duntaxat causâ, ut quamlibet abigat umbram suspicionis; hinc Ægyptius Tyrannus Pharao, ne Hebræi ullum regali solio metum injicerent, omnes eorum infantes masculos mergi jussit in flumine. Herodes Magnus Ascalonita has ut à se prorsus umbras excuteret quatuordecim millia puerorum ferro secuit, ne quis infantulus Hebræus in spem Regni succresceret: voluitque omnes in herba demetere,

ne

ne aliquis fortâssis eorum efflorefceret in Regem. Abimelechus ut sibi uni regnum, quod enixim ambierat, firmiùs stabiliret, fratres suos omnes septuaginta numero super unum lapidem jugulari jussit. Rex Saul quia sibi, suóque regno à Davide metuebat, hunc licèt fidelissimum locis omnibus capitalibus est insidijs insecutus, & octoginta quinque sacerdotes non ob aliud crimen, nisi quia religiosè Davidi favissent, victimas mactavit, eorum sanguinem fudit, quò accensam in Davidem rabiem non extingueret, sed feralius augeret, nocentiùs foveret; cum enim occupâsset armorum vi Nobem sacerdotum urbem, in ea nemini parcens ferro, & igne omnes interfecit. An non etiam Absolon hoc ambitionis tumore turgidus, velut cristatus Phsëron, ut sede regni parentem optimum non solùm excluderet, sed etiam impia violentia ejiceret, arma bellica rebellis filius in pium genitorem movere ausus est?

76. Imò quod timorem simul, & terrorem incutit, est, quia referente Curopalata Constantinus VIII. cum annis quadraginta novem clavum rexisset imperij, à suo proprio filio Romano venenum accepit, non alia de causa propinatum, nisi quia nimium diu imperâsset, & nimium diu filius imperium ambiret. Hæc sunt impia illa scelera, ad quæ tot Reges, & Principes una compulit ambitio, quæ quò altiùs ascendit, eò fit magis periculis obnoxia, ac præcipitijs vicinior.

77. Usque ad proximiora nostris hisce temporibus gradum faciam, quantum secum adferat detrimenti ambitio, satis suo expertus est damno Carolus Audax postremus Burgundiæ Dux. Is ætate, gloria bellica, Provincijs subditis florentissimus, nullum expertus fuit hostem sæviorem propria ambitione, animum semper ad sublimiora stimulante. Cùm Galliam sæpius incendisset, vellétque Helvetios suo etiam jugo submittere, ac Lotharingiam quasi aggerem suis interpositum ditionibus amoliri; primò duobus prælijs ab Helvetijs deprecantibus priùs pacem, postea coactis ad pugnam in fugam actus; deinde in Lotharingia spes magnas volvens à tumida ambitione consuetum finem, seu violentam necem impetravit: ad Nancæium siquidem à Renato Lotharingo in acie cæsus, miserè cecidit, & unà cum propria vita totam extinxit Burgundicæ familiæ stirpem, quæ in Carolo tota cecidit, cum ambitione inflatus in sublimiora adniteretur, hinc appositè S. Bernardus ait:
m. 1. *Ambitio subtile malum, secretum virus,*
rm. 6. *pestis occulta, doli artifex, mater hypo-*
Psal. 90. *crisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem. Quantos hoc negotium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores Veste spolians nuptiali, & virtutum exercitio, fructu pietatis evacuans? Quantos ergo pestis hæc nequiter supplantatos, turpiter dejecit, ut cæteri quóque, quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam? Ambitionis via, adoratio Diaboli, ambitionis usus brevis finis ignotus. O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, & tamen omnibus places? nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales crebrius ejus negotijs.*

Ita est, quo quis altiora exambit, eò difficiliora necesse est, sustineat prælia, fiátque pluribus obnoxius discriminibus; competitores semper habent, qui cæteris satagunt præeminere; & quia omnes dura distorquet ambitio, omnes etiam vexat labor immodicus in acquirenda, ac tutanda dignitate; urgétque dolor, quos ambitio pulsat, ad sublimiora, quæ cum lubrica sint, ac præcipitijs contermina, ad ipsum etiam impellit graviorem; quia quò montium cacumina excelsiora sunt, eò persæpe magis abrupta deprehenduntur: secus mitior si fuerit fortuna, & in mediocritate sua sorte contenta, quia ambitionis igniculos non fovet, pacatior semper est, ac tutior: rebus enim excellentioribus, ac cæteris celsioribus annexa semper sunt competitorum certamina, & quò quis plus pollet, eò plus timeat, necesse est. 78.

Hinc qui pluribus imperat, plures etiam formidat: quia is plures timet, quem 79.
plures timent, præsertim si pessimis ambitionis consilijs durissima accingatur in prælia; idque causæ, cur Calebus Dux Hebræorum *Josuë 14.* tametsi munitissimas, Hebronique in vertice sitas urbes ad bellandum petijsset; animi robur ostenderit, & quidem prudenter, cum ipsum minimè fugeret, magnas urbes gigantum armis defendi, murisque muniri saxeis. *Hodie octoginta* Josuë 14.
quinque annorum sum sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum: da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & urbes magnæ, atque munitæ, si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos. utrumque Calebus conjunxit Enacinos scilicet, seu Gigantes urbes illas saxas inhabitare, & specimina bellicæ fortitudinis exhibere, eò quia ad bellandum infractum sibi robur inesset. Sed quis non videat, quàm difficillima Calebus ambiret prælia, cùm nonnisi celsissimas in montium fastigijs sitas exposceret urbes, arcésque, fossis vallatas, murísque munitas saxeis? sed & infractum propterea sibi robur ad bellandum inesse, innuit, eò quia montis apicem defenderent

gigantes: ita est humiliora, & radices montis homines propugnant mediocris staturæ, sed celsiora montium fastigia à gigantibus defenduntur; ut discant, qui celsiora exambiunt, debere, & ipsos graviora sustinere prælia, ac fortioribus pugnare cum competitoribus. Nunquam ad sublimia, quos pulsat ambitio, urget, quin pluribus semper periculis, ac prælijs gravioribus constituat obnoxios; quia Calebus excelsa ambivit; prælia etiam debuit gigantum sustinere, & ideo proprias ostentavit vires, quia magnas novit difficultates, cum montium culmina agmina defenderent gigantum, neque potuisset Calebus excelsas illas exambire urbes in montium sitas fastigijs, nisi proprias priùs ad prælia vires exercuisset; quia magna, qui ambit, necesse est graviora, sustineat prælia.

80. Excelsum est, ac magnum putatur in aula Principis gratia, Regis favor, sed huic, qui inhiant, gravissima, opus est, prælia sustineant, competitores superent, ac multis fiant discriminibus obnoxij. Cùm Rex David strictis sub papilionibus degeret, & in campis sæpius armatus noctes duceret insomnes, ac vigil pernoctaret in castris, palustrem, quam præ manibus habebat argenteo in cyatho aquam fastidiens, & Bethlehemitici laticis frigidam dulcedinem cupiens, qua sitim extingueret, viscerúmque ardorem refrigeraret, vix ea protulit verba. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam*, ecce statim, quavis disrupta mora tres militum fortissimi per coacervatos hostium mucrones irruperunt, & aquam Principi tulerunt optatam: inhiabant militum fortissimi regio favori, ad sublimia eos ambitio urserat; ideóque opus fuit, ut gravissima sustinerent pericula, per hostium mucrones irrumperent, viámque per arma hostilia sibi pararent, hostilibus se mucronibus non sine nota temeritatis objicerent, ut haurientes è puteo aquam; gratiam Principis aucuparentur in castris: concupitos latices non sine vitæ periculis asportârunt per hostium castra, sed ambitio eos ad celsiora trahebat; aquam obtulerunt regijs adulaturi cuppedijs, sed ut fierent ipsi excellentiores, & ut fluxo illius liquoris argento regium sibi coëmerent favorem: alij fontes, qui forsan proximiores scaturiebant, quia non tanta dulcedine saporati, neque aquæ perspicuitate, nec subtilitate conspicui, nec frigiditate amabiles erant, ambitores ad tam arduam non adigebant pugnam: aqua verò juxta Bethlehemiticam portam, quia defœcatior, magis perspicua, & excellentior armorum pericula opponebat eam sitienti; quæ enim cæteris sunt excellentiora, acquisitu itidem sunt difficiliora, & quia suis munita obicibus, ambientes arcent. Rosa florum nobilissima purpuream suam venustatem aculeorum armata custodit spiculis; & cum audet manus, suas rapere divitias, pompámque foliorum, plerumque dumetis sauciata proprio priùs erubescit sanguine, quàm rubescat in manu rosa. Duo exambierunt tres illi militum fortissimi excelsa, ac propterea difficilia, Regis sitientis aquam illam, favorem, quem aucupari nitebantur, etiam per adversariorum castra per hostilia arma; & defœcatæ illius aquæ excellentiam, quâ regijs adularentur cuppedijs, & ideo opus fuit, ut gravissimis fierent periculis obnoxij.

1. Reg.

81. Summam etiam Lucifer exambire ausus fuit celsitudinem in cœlo: sed quia prælia, & certamina sustinere non credidit, ideò quem ambitio ad summam urserat celsitudinem, in imum etiam detrusit inferorum. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis:* quia de solo sessionis otio cogitaverat, & non de certamine sustinendo, nec de prælio ineundo, sapientiâ spoliatur, omníque ornamento, quo in cœlis fulgebat, & victus ipse in prælio, quod non præviderat, cecidit infelix, non ampliùs cœli Lucifer, sed Erebi fumidus titio. *Factum est prælium magnum in cœlo: Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone.*

Isaiæ 14.

Apoca. 12, v. 7.

82. In hostiles acies pugnis ineundis instructas, & ad prælia edoctas incidit, & qui sedere in culmine altitudinis ambivit, stare non potuit quin caderet: dementiâ tunc laboravit Lucifer, cum altitudinis studiosus ad prælium non processerit armatus: in armatorum agmina opus fuit incidere, cùm primùm ambitione tumidus scandere sibi proposuit summum altitudinis verticem, ideóque Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone: armatas invenit manus dum mentem turgidis implevit cogitationibus; scitè Rupertus apud Glossam. *Factum est prælium: ubi? in cœlo: per quod significabatur ecclesia, terrâ longè altior, terrenis hominibus, & terra sapientibus longè superior:* sed opportuniùs Haymo, *factum est prælium, quando in initio temporis Lucifer per ambitionem ejectus est è summo cœlo.* Dum Lucifer affectavit stultè solium, vel invitus acre debuit prælium subire, quo victus cecidit in tartara detrusus.

§. IX.

§. IX.

Quò altiùs ambitio nititur, eò acriora, necessè est, ineat certamina; pluresque superet difficultates, quæ ascendenti obviant dignitatum fastigia.

83. EXcelsa, qui ambiunt, arduum coguntur adversantium sustinere prælium. Terrestris paradisi custodiæ Cherubim adsciscitur, sed igneo armatus gladio, ne vitæ fructus manûs rapacis surriperetur ambitu; & digitorum sordesceret contactu, quos ambitio infecerat. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, sed cur unus duntaxat armatus miles paradiso invigilat præsidiarius? cum apud Isaiam plures coacerventur, qui Dei Thronum custodiant, ac defendant? Isaiæ 6. *Seraphim stabant super illud*, nimirum plures fuerunt Seraphini accersiti in Numinis throni tutelam: scitè D. Bernardus *de verbis Isaiæ* ait: *quid enim æstimare vetat dejecto Lucifero ad pervigiles excubias Seraphim constitutos, sicut ejecto homine, teste scriptura Cherubim ad custodiam posuit Deus.* Paradisi in terris felicitati custodiendæ unus Cherubim igneo armatus gladio, eóque versatili præficitur; custodiendo autem Dei throno, quia longè augustiori plures accersuntur Seraphini; *Seraphim stabant super illud:* nimirum armati invigilant ad excubias, ut hostilem arceant audaciam, ausúsque coërceant temerarios; non potuit Lucifer ad sedentis Numinis thronum pervenire, quin phalangas armatorum militum sustineret; quia quò celsior ambienti objicitur thronus; eò uberioris militum numeri est pugna acrior sustinenda; ac difficilior obex superandus; altiora enim majori curâ servantur, pluribúsque difficultatibus obtinentur.

Genes. 3.

Serm. 2.

84. Paradisi in terris delicijs obtinendis unus obstat Cherubim superandus; cum celsiori Numinis throno exambienti plures obsistant Seraphini; quo enim excelsior est ambientis scopus, eò accuratior est armatorum custodia, ac solicitior tutela; imò & quò eminentior, eò & periculis magis obnoxia, ac ruinis proximior: hæcque ni fallor etiam ratio, cur Seraphini Numinis objecti throno celsissimo senis instruerentur alis, quarum duæ libratæ per liquidum aërem volatu agitarentur pernici; & quatuor veluti innixæ hærerent Numini motu quovis destitutæ. Isaiæ 6. *Duabus velabunt faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, ac duabus volabant.*

85. Sed cur sex alas non explicuerint advolatum, ad celsiora pernicissimum directuri gressum? vel cur saltem quatuor non fuerint alis usi pernicius ad apicem ascensuri felicitatis? nimirum ut nos docerent, quàm sint culmina ruinis contermina, & excelsa præcipitio proxima, ac periculis obnoxia; eo disponunt alas studio, ut quatuor totidem veluti vinculis Numini alligentur, quò tutè duarum volatu in sublime enitantur; priùs quàm ad volatum binas explicent alas, totidem caput ambiunt, pedésque complectuntur; ne scilicet si humilitatis fulcrum deesset in pedibus, caput præceps rueret, cum volatu sursum veheretur. Tametsi Seraphinis nullum subesset periculum, nobis tamen voluerunt documentum exhibere, cum quatuor priùs molirentur anchoris præmuniri, quàm felicitatis pelagus trajicientes bina alarum expanderent vela. Nisi suis firmentur fulcris, nutant, quæ in sublime nituntur, ideóque natura ipsa edocet, volatus levitatem suis esse ponderibus castigandam, scitè Cassidorus. *Grues pelagus transitura parvos lapillos uncis pedibus amplectuntur, ut nec earum levitas nimio vento rapiatur, nec nativa celeritas iniquis ponderibus ingravetur. Hoc imitari nequeunt, qui se ad publicas necessitates electos esse cognoscunt.* Seraphini quasi gruum instar volantes suis muniuntur fulcris, ne nimijs ventorum flatibus abducantur dissiti.

4. var. 47.

Qui non ambitione tumidi, sed sanctitate insignes à Seraphinis volatum didicêre, ad sublimia non enituntur, quin priùs fulcro innitantur veræ humilitatis; arborem gaudent æmulari mali punici; non coronantur purpura mala punica, nisi priùs sorduerint in stercore: ita priùs Planta lætatur in pædore, ut non putore videatur conspurcata, sed rigata balsamo; adeò recreatur illuvie, ut nullibi suis ornetur elegantiùs pytopis nisi in aggere fimi; calathum tunc dilatat in purpuram foliorum, florúmque purpurascentium pompam nundinatur, pinnásque suis frugibus, vel ad munimen arcis, vel ad ornatum coronæ, vel ad fastum imponit majestatis. Quis non arbitraretur fore, ut arbor fimo inquinata, putore conspurcata, aggere vallata stercoris non deflorescerct à suo delapsa ornatu? & tamen pomis tunc se fœtam prodit coronatis, fitque vegetior planta, & opulentior in delicijs, cum sordescit uberius in fimo; & eò est locupletior frugum architecta, quò demissiùs, quasi dixerim, de se sentit; & quia radices egit in fimo; comam florum pyropis, & frugum exornat in corona. Arbor pœdore innutrita coronatur in fruge, ditescit in flore; suas propterea sponsa ancillas excitat horis antelucanis, quò solicitiùs vineas adeant has arbores inspecturæ florum purpurascente ornatas pompâ; quasi miraculo notatas textrinæ in vineis florulentæ. *Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruerunt mala punica.* 86

Cant. 7. v. 12.

An non prodigio etiam in aulis principum dantur plantæ, quæ putore conspurcatæ in radice, coronas parturiunt in fructu? 87

&

& fimi-cophino exfaturatæ, trabeas produnt, ac purpuras exhibent? *Usquedum fodiam circa illam, & mittam ftercora.* (Lu. 13.) Non ambitio aulicos urgeat ad honorum culmina; fed animi remiffio eos jubeat apricari in villis; ad arbores eos ducat mali punici, ut à vacuo abducat dignitatum tumore; ibi detumefcent, ubi lycæum in planta nacti difcent, purpuras ex illuvie emerfas elegantiùs nitere in flore, & coronas è pædore exilientes nobiliùs eminere in fructu. Arbor fcientiæ primam fœminarum illexit, quia in ambitum erexit divinitatis, pomum manu carpfit, dente momordit, guftatum demifit in ftomachum; fed ex hoc uno malè carpto malo, malorum prodiit ilias, & unius vetiti pomi morfus orbem totum, homines omnes in afylum ærumnarum egit præcipites.

88. Hæc autem Arbor mali punici detumefcere edocet, vefcitur plerúmque princeps pomo hocce coronato, licèt diu caruerit ipfe coronâ; quam, vel è Maiorum umbris fuftulit fui prædeceftoris, aut in hoftili fanguine fuit expifcatus. Cunas pomum habuit coronatas, & adolevit in purpura, licèt planta delicias, & opulentiam enacta fuerit in ftercore regibus datura fructum, cui corona adnafcitur, quæ neque fepulchrum olet, neque ullam redolet ambitionis vacuitatem, cum fub frugis cortice fuis ditefcat pyropis, nec uberiores, quibus diffluat, divitias exambiat. Utinam à malo punico non malè promoti ad dignitatum culmina difcerent effe fua forte contenti, & dedifcerent tumefcere. Eft plerúmque in aula, qui ut fcribit Apoftolus. *Ex naturali excifus oleaftro, & contra naturam infertus in bonam olivam.* (Ad Roman. 11.) Lignum nimirum erat, quod fructuum divitijs vacuum, & probro notatum fterilitatis, vel flammarum fuiffet in pabulum, efcámque deftinatum; vel exafciandum in longurium, quo emiffarij fejunguntur in equili; aut in phalangam, quâ lixæ evehendis faccis, doliisve ferendis connituntur: & tamen favore, vel beneficio principis, fi non in curulem, in fellam faltem dedolatur, in quam ille è confiftorio redux incumbat, feu ad principis familiaritatem admiffus, adhuc celfiora exambit, ac fi fuæ ipfum fortis puderet, licèt de ftiva in partem adfcitus fit arcanorum principis; fed pudeat potiùs ipfum arrogantiæ, qui natus extimulandis jumentis, nactus favorem principis, pubefcit in aula, qui in caula famularetur.

89. An non charybdim aulicum dixeris ventorum flatibus in fluctus inflatam decumanos? tumet jugiter in aula favore principis promotus, fimúlque celfioribus femper inhiat honoribus: nam ficut hiatus freti ficuli verticofus nunquam expletur, ita plerumque rapax eft, quamvis in laxiorem nunquam folito voraginem fatifcat. Aula verò non folum in hiatum foramen aperit, verùm & in voraginem dilatat; quem enim antea fervum fortunæ claviculo obftruxiffet; mox hiantem vix immenfis honorum acceffionibus explet; & quamvis meritorum fortâffis fuffragio dignitatis infcenderit faftigium; adhuc in honoris culmine impulfu fuperbiæ, tumoréque ambitionis ad excelfiora nitens, ibi plerumque charybdis voraginem fe inveniffe deprehendit, ubi putaverat apicem attigiffe felicitatis: quæ enim videntur excelfa, fic poffidentibus perfæpe funt prærupta, ut præcipitium aperiant, ubi culmen fplenduerat honoris.

Facilè dignitatis lenocinio, fuperbiæ faftu, adulatorum certamine, copia deliciarum ab æquitate deviat afpectus, & mens tumidis inflata cogitationibus faciliùs in fcelus difrumpitur: contermina funt ruinis præcelfa dignitatum culmina, quia dum quis ftultiùs affentitur adulationis mendacijs lubricam ad præcipitium fibi viam fternit. Hinc plures, qui vel fortunæ ludo, vel favoris beneficio, vel etiam propriæ induftriæ ftudio culmen attigerunt alicujus dignitatis, non femel pofteris deflendæ calamitatis exemplum, quo inftruerentur, ac tumefcere dedifcerent, reliquerunt. Unde qui virtutum fuffragio ad faftigium evehitur dignitatis, necefsè eft, confiliatrices fibi adfcifcat prudentiam in rebus gerendis, temperantiam in proprio luxu, & comitatem, qua cæterorum fibi benevolentiam conciliet; aliter nunquam tutus in faftigio erit. Hinc Tertullianus de Imperatore ait: *Hominem fe effe etiam triumphans in illo fublimiffimo curru admonetur: fuggeritur enim ei à tergo. Refpice poft te, hominem memento te. Et utique hoc magis gaudet tanta fe gloria corufcare, ut illi admonitio conditionis fuæ fit neceffaria. Minor erat, fi tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur. Major eft, qui revocatur, ne fe Deum exiftimet.* (In Apologet. cap. 33.) Plerumque ac fi è culmine dignitatis lethei fluminis featurirent rivuli; videntur, qui illuc infcenderunt, non tam culmen illud, quàm letheam aquam fitiviffe; adeò priftinæ immemores conditionis, ac fi dignitas acquifita naturæ penitùs memoriam deleviffet, ut propterea neceffe fit à tergo memoriam refricare præteritorum: *major eft, qui revocatur, ne fe Deum exiftimet.* 90.

Inflata defert fortuna ventis carbafa, 91. & quos furfum ad culmina evehit honorum, tumidis, etiam inflat cogitationibus, quibus divinitati fe intrufiffe ambitiosè contendant; etenim de Pio Metello refert Valerius Maximus, paffum fuiffe fuo in Hifpania (Lib. 3) adventu fuis ab hofpitibus aris excipi, & thure foli debito Numini. Et Tacitus narrat, Domitianum fe ipfum veluti Principum Numen facrâffe, inquiens: *Mox imperium adeptus, Jovi cuftodi templum ingens, féque in finu Dei facravit.* (Lib. 3. hiftor.) Hinc fcitè ajebat Seneca. Quos fortuna furfum erexit,

facil-

facillimè, se tam magnos credere, ut Numinis æmulatores, pares respuant, & insolentissimè superbiant; sed eorum tumor plerumque non ventos tantùm complectitur, sed etiam calamitatum ad se iliadem attrahit, scitè Seneca. *Vires suas ignoraverunt, & dum se tam magnos, quàm audiunt, credunt, attraxêre supervacua, & in discrimen rerum omnium per ventura bella utilem, & necessariam rupêre concordiam, secuti iram, quam nemo revocabat, multorum sanguinem hauserunt fusuri novissimè suum.*

Lib. de benef. cap. 30.

92. Plures sunt, qui antequam dignitatem enacti fuissent, oris modestia, morum comitate, vocis affabilitate in delicijs cæteris extitêre, qui cum primùm culmen attigerunt dignitatis vanissimè turgidi virtutes extinguunt, per quarum exercitia veluti per totidem gradus inscendere meruerunt. Isti tamen honesto alienæ utilitatis colore propriam tegunt vestitam ambitionem; Aliorum incolunt amicitiam, non ut amico assideant, sed sibi ut commodiùs consulant; & in ipsa amicitiæ virtute propriam ingerentes utilitatem obsequiorum videntur semina spargere, ut in optatos fructus succrescant proprij commodi: sicut enim arbores insitæ proprium desuescunt, & alienum adiguntur fructum producere; ita plures, quæ foventur amicitiæ eò collimant, quò temporalia duntaxat pariant commoda; cùm honesta debuissent obsequia tulisse: & Epicurus in ipsa amicitiæ honestate propriam consueverat utilitatem inserere gemino fructu insitam excolens arborem, ex qua simul decerperet fructum utilitatis, & plausum virtutis.

93. Plures etiamnum Epicuri Discipuli hanc in aula Principum veluti in Lycæo lectionem addiscunt. Toto nisu laborat ille, ut amicus ambitæ dignitatis culmen teneat; sed non tam amici gratiâ, quàm proprij commodi causâ, sperans fore, ut debeat, & ipse ad celsiora promoveri, cum amicus munus suæ dignitatis objerit: & proximiùs se ipsum spectat, quàm amici ascensum, cui dum fastigia procurat, sibi exambit ardenter commoda: fulget extrinsecùs splendor amicitiæ, sed latet intrinsecùs fumus ambitionis, quæ dum suspirat alteri honorem, aspirat ipsa ad pinguiorem fortunam: larvata est hæc amicitia, quæ cum zelo alienæ promotionis proprij commodi tegit ambitionem. Utinam etiam in asceterijs hæc zeli facies hanc non assumeret larvam: siquidem dum hunc præ alio studet veluti digniorem eligi, sibimet exambit opportuniorem ad munus dignitatis ascensum, & tunc sub virtutis larva fœdi vitij tegitur tinea.

94. Pluribus commendaverat laudibus aliquos Attalericus Rex, eò quia candido animo electum Episcopum recepissent, quem noverant muneri obeundo aptum, regióque electum suffragio, inquiens apud Cassiodorum. *Recepistis virum, & divina gratia probabiliter institutum, & regali examinatione laudatum: nullus adhuc pristina contentione teneatur, pudorem non habet victi, cujus votum contingit à Principe superari: ille quinimo suum efficit, quia eum sub puritate dilexit: nam quæ sit causa doloris, quando hoc, & in isto reperis, quod alteri in partem ductus optavit. Civica sunt ista certamina, pugna sine ferro, rixa sine odio: clamoribus, non doloribus res ista peragitur: nam & si persona submota sit, nihil tamen à fidelibus amittitur, cum optatum sacerdotium possidetur.* Nimirum, qui tantùm ut dignior eligatur, satagit, eo electo, mente quiescit pacata; & pura se intentione alteri fuisse suffragatum apertè indicat. Sin verò indignatione exasperatus irascitur, si flammis inceditur iracundiæ; si lurido vultûs pallore livorem, quem intus fovet, prodit; ambitiosum etiam satis apertè indicat desiderium; quia quæ puro justitiæ zelo geruntur, facilè digna electione quiescunt, præsertim si non tam personæ, quàm dignitati benè consultum esse speretur; omnibus enim, quos justitia movet, non ambitio urget, gratum obtingit, si dignitati constet esse provisum.

8. variar. 15.

95. Rachaël cum probro laboraret sterilitatis, partes promovet, ac defendit ancillæ, & anxiè satagit, ut Jacob ad Balam ingrediatur, ut tali honore labores compenset servitutis. *Habeo famulam Balam ingredere ad illam, ut pariat super genua mea:* non suasit Jacobo ingressum ad seipsam, sed accessum ad ancillam suam: verùm sub hoc charitatis, & zeli cortice amarus latebat invidiæ fructus, ac insolens arrogantiæ ambitus, ait enim: *ut pariat super genua mea, & habeam ex illa filios*, cùm se novisset à gloria suscipiendæ prolis exclusam, marito domesticam exhibet ancillam, ut sibi nascituri fœtus, aliqualem etiam captaret gloriolam: licèt videretur ferri alieni commodi desiderio; movebatur tamen propriæ utilitatis studio; scitè Lippmanus *quæsivit Rachël, vel mediocre solatium per zelotypiæ errorem contra sororem ex ancilla sua prolem ambiendo, cum juxta sanguinis propinquitatem sororis filios magis adamâsse debuerit, quàm ancillæ.* Si Rachaël propriæ non inhiâsset gloriolæ, non marito suasisset ad ancillam accessum, sed ad sororem ingressum: quia tamen arbitrabatur utiliorem sibi fore famulæ partum; ideò proprio studens commodo, ancillam sorori prætulit: & honorem famulæ solicita procuravit, non charitatis suffragio, sed propriæ utilitatis desiderio. Etenim ex charitate Balæ visa fuerat causam suscepisse, cum revera nonnisi sibi consuleret: adeò subtilis est ambitio morbus, ut intimos cordis re-

Genes. 30.

in Genes. 30.

recessus pervadat, proprium commodum etiam in alieno honore quæsitura.

96. Ambitio mentiri assueta se ipsam semper studet sub alieni obsequij specie obtegere. Plures subit ad id labores, nec parcit impensis, neque solicitudinibus, dummodo diuturnis incommodis fugitivum mereatur honorem; sed jacet plerumque in medio magnarum cogitationum, & futiles, vanósque deprehendit, quos impendit labores, concupito frustrata honore. In spatiosis probaticæ piscinæ porticibus triginta supra octo annos ex paralisi languidus jacuerat expectans aquæ motum, ut in solicitioris diligentiæ præmium pristinæ restitueretur sanitati motæ piscinæ beneficio; jacebat & in illis quinque porticibus ingens languentium multitudo, cæcorum itidem, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, à quibus præventus, qui diuturna paralisi languebat, spe sua semper frustratus fuit, quamdiu sanitatem ambivit pertinaci desiderio. *Hunc cùm vidisset JESUS jacentem, & cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: vis sanus fieri, respondit ei languidus, domine hominem non habeo.* Tametsi plures cum paralitico tunc jacerent in quinque piscinæ porticibus claudi, cæci, aridi, unum duntaxat Christus paraliticum alloquitur, quem etiam sanitati eligit restituere. Joan. 5.

97. Sed si Christus paraliticum sanare jam destinârat, cur ab ipso petit, an velit pristinæ restitui sanitati? *Vis sanus fieri?* frustranea visa est interrogatio, cùm paralitici desiderium medicum interrogantem minimè lateret, nec fugeret: quis diuturno languidus ægritudine salutem non expetat? quis toto ardore, & vires, quibus destituitur imbecillis, & sanitatem, quâ caret, non exoptet? Id omnibus votis animus exposcit, quod & sibi, & corpori prodesse noverit; quod si ad piscinæ porticus recuperandæ sanitatis causâ deferri consueverant, qui morbis varijs languebant infecti, satis Servatori exploratum debuit esse ex paralisi languidi exardens votum, cur igitur interrogationem præmittit sanitati mox impertiendæ? Appositè ad rem nostram Theophylatus ait: *stupenda paralitici constantia annos habebat viginti octo, & quot annis liberari à morbo expectans assidebat, & impediebatur à potentioribus praeventus, nec tamen destitit, neque desperavit: ideo & Dominus interrogat eum, vis sanus fieri?* Mira sanè fuit hujus paralitici constantia in salute quærenda humaniter desperata, cum singulis annis piscinæ quidem assideret, non tamen fuerit unquam sanitati restitutus, eò quia à potentioribus præventus nunquam potuerit eam assequi; sed non minorem videtur admirationem ingerere, quòd Christus ex diuturna paralisi languidum interrogaret, an vellet sanus fieri? an exambiret pristinæ restitui saluti? Sed benè Christus interrogavit, *vis sanus fieri?* hoc est non propriâ industriâ, non proprijs confisus viribus? cum viribus destitutus non posset ita sibi sanitatem procurare, quin ab alijs præveniretur: unde respondit: *Domine hominem non habeo:* seu ut expendit Hugo Cardinalis, *ministrum non habeo.* In hunc. 5.

98. Plures in aula Principis obnixè promoveri ambiunt ad illustriorem fortunam, quâ tamen homine, seu ministro destituti, à quo promoveantur, ab alijs semper præveniuntur; unde rectè interrogari possunt, an ad id promoveri velint, quod impensiùs ambiunt? quia opitulanta favore ministri carent, seu accedente homine, qui apud Principem rem agat, & quod obnixè expetunt sedulitate, ac procerum favore assequantur. Ex paralisi languidus totos triginta octo annos impenderat in solicita non minùs, ac obstinata optatæ salutis negotiatione; & quot annis cum probaticæ assideret piscinæ, quia homine, seu ministro destitutus, qui ei opportunè opitularetur, meritò eum Christus interrogavit, an vellet sanus fieri, eò quia sine ministro, qui ei patrocinaretur, quasi non videretur expetere, quod alij totis viribus nituntur assequi.

99. Verùm si languidus totos triginta octo annos impenderat in obstinata optatæ salutis negotiatione; non minorem plerumque apud Principum ministros laborem impendunt, qui clariore ambiunt dignitate illucescere: non enim solicitudinibus, impensis, laboribus, demissionibus, obsequijs parcit ambitio, donec fugitivum assequatur honorem. Assident promoveri ambientes tota die uni affixi loco, quo pertranseunti ministro sua exhibeant capitis submissione obsequia, & ideo diu stant, ut aliquando promoveantur: nimirum ambitio, quas in aula Principis nundinatur dignitates, chariori semper emit pretio, & plerumque cum surrexisse arbitratur, se præcipitem agi experitur; quia quæ hianter nobis optamus, execrationes persæpe sunt inimicorum.

§ X.

Bracteata sunt honoris culmina; quibus ambitio inhiat; umbratiles dignitatum splendores, quos spondet. Is sapit, qui non sinit se hisce allici fucis, nec decipi larvis.

100. Qui sapit fucatos honores, perinde ac vacuas despicit umbras: bracteata sunt, quæ ambitio spondet honoris culmina, quæ quò altiùs construuntur, eò profundiùs præcipites agunt, quos ambitio illuc ursit: vel si videantur stare, non tamen sine curis, mœrore, solicitudinibus, ideóque sola est inexperta ambitio fastigia quærans, quæ Sapiens expertus ambitiosus fuit.

fastidit; charò venduntur culmina dignitatum cum impensos exigant labores, fusósque diuturnos sudores, sed & chariùs etiam conservantur. Ille veriùs felix, qui suam intra terminos moderationis profectionem includit; & ille miser, qui nimium splendere exambit; quia tunc gravius necessè est, periculum subeat; non est naturæ inditum, sed adscititiæ ambitionis vitium, celsiora quærere culmina; natura siquidem paucis contenta vitam expetit à quovis alienam periculo: ambitio sola est, quæ fallacibus inhiat, additque animos cupiditati, cui indulgere initium est omnium malorum, ideóque qui ambitioni traduntur, voluptatibus mancipantur: & hinc jurgia, dissidia oriuntur inter mortales, non extinguenda plerumque, nisi enormi humani sanguinis
Epist. 110. effusione, unde Seneca appositè scribit: *Hoc ipsi mihi dico, quoties tale aliquid perstringit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus. Quid miraris? quid stupes? pompa est, ostenduntur ista res, non possidentur, & dum placent, transeunt. Ad veras potiùs te converte divitias, disce parvo esse contentus, & illam vocem magnus, atque animosus exclama: habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus:* sicut enim Jupiter extra aleam censebatur periculorum, extra discriminum controversiam, extra turbulentioris fortunæ tumidas tempestates; ita qui paucis vivit contentus, nilque ex ijs, quæ ab alijs impensiùs quæruntur in divitijs, honoribus, officijs, dignitatibus ambit, verè extra omnem vivit controversiam.

101. Fucati sunt honores, larvatæ dignitates, fugaces fasces, fallaces divitiæ; cadit potentia in castris, deflorescit in magistratu purpura, & licentia in principatu voluptatum adblandientium est virus occultum; & licèt in extima cute arridentis nequitiæ lætam faciem videatur præferre, est tamen abstrusæ calamitatis illecebrosa fallacia, lethales succos calliditate fallendi grata illinit dulcedine; & ubi quis epotaverit, sentit statim haustam grassari in se perniciem. Quem vides amictu elatiori fulgere conspicuum in purpura; hoc idem, quo fulget, sordibus coëmit, quos enim arrogantium fastus priùs debuit perferre? quas superbas fores matutinus salutator obsidere? quot tumentium contumeliosa vestigia in clientum turmis priùs præcedere? *ut ipsum etiam salutatum subsequens pompa succederet*, ut loquitur S. Cyprianus.

102. Hæc est ambitionis indoles, non animum uno oppugnare assultu, sed flectere, ducere, & cum voluptate quadam in perniciem trahere: ideóque malè sibi consulunt, qui se sinunt ambitione duci ad congestas divitias, ad fortunam pinguiorem, ad honoris nitores, ac dignitatum culmina, in quibus non nisi curas, solicitudines, lites, laqueos inveniunt; non naturæ insidiatur latro, sed congesto auro; non hominem odit ambitiosus, sed in homine dignitatem, quam exambit, & enancisci sperat, si decedat: alternantis bona fortunæ sitim quidem movent, sed non sedant; accendunt, non extingunt; imò & aliorum inflammant cupiditatem, manus prurritant invidentium.

Hydrope haud abs re dixeris laborare, 103.
quos ambitio inflat; hi siquidem rerum fluxarum quamvis plenos videantur haustus ebibere, non propterea sitim, quâ torquentur, extinguunt. Tametsi Saul Davidem impenso prosequeretur amore, quamdiu puellarum cantus ejus non pulsârunt auditum. Cum primùm tamen audivit majori Davidem plausu celebrari, cœpit amor in Saule desciscere in odium; cœpitque David libertatis assertor, ut proditor oculis notari, ut compelleretur per invia montium ascendere, & antris latitare, humanisque se aspectibus subducere; neque sola videbatur ad salutem fuga sufficere; coacto siquidem exercitu Saul cœpit acriori animo eum persequi, neque ab ejus internecione ullis videbatur posse incommodis coërceri, laboribus detineri. Dormiebat nihilominus in tentorio, hastámque terra fixerat, & quidem nonnisi stultè; quia si olim erat Regibus pro sceptro, non debuisset indulgente Principe somno terræ infigi, sed vigili manu tutè custodiri. Ingreditur David tentorium, defixam, quam vidit, hastam abstulit, non ut revera auferret, sed esset redditurus: siquidem dilapso jam temporis intervallo Saulem excitat dormientem, periculum declarat, & hastam restituit. *Ecce hasta Regis* 1. Reg. 26
transeat unus de pueris Regis, & tollat eam, & ait Saul ad David: benedictus tu fili mi David, & quidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem David in viam suam, & Saul reversus est in locum suum, sed si Saul totis viribus, omnique conatu Davidem ad necem quæsierat: cur modò expergefactus è somno, cui indulserat, ab inceptis desistit, domúmque repetit? & quomodo laudatur David Benedictus, si paulò ante sugillatus mortis damnabatur filius? quia nimirum hasta habebatur tunc regni insigne; perinde ac nunc sceptrum in tesseram assumitur Regni, & quia crediderat Saul Davidem enixim hastam concupiscere, & Regnum desiderare, eum fuit ad internecionem insecutus: verùm cum primùm agnovit in sibi restituta hasta Davidem eidem non inhiare, nec Regnum ambire: statim exuit odium, iras reposuit, pristinúmque accersivit amorem: non insequebatur Saul personam Davidis, sed in Davide ambitum Regnum: & cum primum novit Davidem ambitione vacuum, omnem abegit malevolentiam, & tunc David omni se periculo exemit, cùm hastæ renunciavit: omnem excussit à se ambitionem, quâ Saul

possset suspicari, Davidem Regno inhiare. Rabbanus censet, in Aquæ scypho legis gratiam adumbrari, ut & in hasta Regni potentiam: *scyphum aquæ*, (ait ipse) *legis gratiam abstulit, & sceptrum Regni:* ideóque cum primùm ex restitutione hastæ, certiorem Saulem fecit, à se minimè Regnum ambiri, Saulis gratiæ fuit plenè restitutus; quia Saul non odio persequebatur personam Davidis, sed in ejus persona ambitum regnum: ecce quot pericula ad se ambitio accersit, quot hostes sibi insidiantes excitat, quot discrimina sibi adornat: nil ambitione turbulentius, animum erectum si semel invaserit, omnia labefactat, omnia pervertit; omni machina, & quovis tormento fortiùs, singula expugnat, omnia sus déque vertit, & evertit.

104. Quid aliud mundum totum evertit, primos homines subvertit, & totum humanum genus in imum detrusit omnium ærumnarum, nisi una in primis parentibus ambitio? cum enim fallacis serpentis sibilo inflammati metas festinarent suæ conditionis transilire, principatum exambientes Divinitatis *Genes. 3. Eritis sicut Dii;* statim de paradisi felicitate exturbantur, damnantúrque ad culturam agri pelliceis tunicis sordidati, tellurémque proprio rigandam sudore, quo pane vescerentur laboris, & afflictionis: ecce cum honore fulgerent regum, in vilem dejiciuntur servitutem, quia quo ambitio altiùs enititur, eò profundiùs conterminum sibi apparat præcipitium: pulchrè Tertullianus. *Dum de originis loco exterminat pellitus orbi, ut metallo datur:* contendit quidem ambitio altiora tangere, sed ruinas sibi solicitat: ambierunt protoparentes Numini pariari, *eritis sicut Dii*, sed è regno deturbati, ac servientium numero adsciti, non secus ac mancipia metallo data ignominiæ notis inuruntur: *pellitus orbi ut metallo datur*, non amplius sceptrum manu tenet, quo nutu imperet, sed ligonem tractat, quò telluris glebas, fulcósque terræ agat; non ampliùs regali fulget throno, sed pulvere sordidatus laborat in agro; non ampliùs delicijs affluens quiescit in umbra, sed sudore madidus lassatur in sole; & quem ambitio ad Numinis thronum afferat, ærumnosum detrusit in famulitium. Quid? quòd ubi ambitiosis cogitationibus caput tumet, ex cutis dilatatione nonnisi dolores sperari possunt, & angores; ut enim ajebat David, *Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Lib de pallio cap. 3.

P sal. 47.

Quemadmodum parturientes spe illectæ futuræ prolis dolores sustinent, angoribus torquentur; ita ambitiosi dum evanidas spes fovent, & concupita anhelant munia, perinde ac parturientes acribus adurunturdoloribus; & dum altiùs exambiunt tumidioribus velis æquora trajicere, instar navium Tharsis varijs impetiti procellosis flatibus naufragi pereunt. Sciтè Ambrosius, Inc. 4. Lu. *Hoc ipso perniciosior est ambitio, quòd blanda quadam est conciliatricula dignitatum, & dum vult esse sublimior, fit remissior*, & nonnullis interjectis subdit: *dices fortasse aliquis, quia solus, qui malum fecerit, timet; tamen qui mare navigat, plus timet? è contra in immobili terrarum statione consistens non solet timere naufragium: at si mobile conscendas elementum, frequentioribus obnoxius fit periculis: fuge ergò saculi mare, & naufragium non timebis: & si frequenter arborum vertices spirantium verberent flabra ventorum, soliditatis tamen radicibus nullus occasus est: at in mari furentibus ventis, quamvis non omnium semper naufragium; omnium tamen semper periculum. Ita etiam adversus flatibus nequitia spiritalis nullus in arena, vel in salo tutus est: cùm & naves Tharsis vehementi sæpe spiritu conterantur.*

Probaturus Ambrosius, ambitionem tunc lapsum, ac remissionem moliri, cùm altiora contendit, naves Tharsis fluctibus æquoris decumanis exagitatas producit, quas ventorum impulsus dissipant: extolluntur unà cum tumore fluctuum veluti ad sidera naves, sed mox cum ijsdem deprimuntur quasi sepultæ sub aquis; has procellas ciere contendit ambitio, ventorum emittit flabra, quibus hominum cogitationes perinde ac navium carbasa tumescunt; fluctus excitat decumanis inflatiores; urget mox sursum, ut deprimat deorsum: sic homines hærèdes delirij primi parentis, ambitione ita semper pulsantur, ut procellis contriti sursum, & deorsum jugi rapiantur vicissitudine; quòd si æquora trajicientes, præsertim excitatis procellis fluctuantia, capitis assolent vertigine laborare; ambitio ipsa rationis est vertigo; quæ sicut omnia ad speciem circumvolvit, suísque elocata sedibus nutare facit; ita, qui hac laborant phrenesi ambitiosæ appetentiæ, continua nutant vertigine, & frequenti lapsu, dum nituntur irrequietis votis ascendere, in imum deprimuntur: quia ambitio, quò altiùs enititur, eò semper profundiùs deprimitur, & eò est semper ruinæ vicinior, quò culminibus excelsioribus est proximior. 105.

DIS-

DISSERTATIO XIX.

Solerti fuga declinanda est adulatio, quæ cum amico obsequitur vultu; animo persæpe insidiatur hostili.

§. I.

Assentatio larvata est amicitia equo insidens Troiano hostibus fœto, propterea fugienda ut inimica; non audienda ut amica.

1. NUlla præsertim in aulis principum inter procerum, aliorúmque illustrium virorum cœtus grassatur pestis deterior assentatione, quæ ore ridente, fronte serena, vultúque hilari se insinuat verbis placitura mellitis; cui si larvam detraxeris, obtutu basilisci non nisi neces molitur; verbis Ambrosiam exhibet, lethale datura aconitum; serenitatem extima fronte simulat, fulmen mox vibratura; laudum flores studiosè concinnatos porrigit amicâ manu; sed rosarum veluti dumetis famam laceratura, honori multiplex vulnus inflictura; detrectátque dissutas dissidijs necessitudines amico resuere fœdere, quo alieno scissu triumphet, scitè aiebat Plutarchus: *implicant inimicitijs amicitiæ nos, lib. cui titulus. Qua ratione ex inimicis emolumentum capias.* Sunt enim larvatæ amicitiæ, quæ non alio delectantur equo vehi, quàm Troiano inimicis, odiisque fœto; nec alios assolet exhibere codicillos, quàm Bellerephontis, seu damna sub specie beneficij.

2. Sunt enim adulantium amicitiæ, quæ sub beneficentiæ larva odij causas agunt, & inimicitiæ fovent igniculos, quibus minùs cautos illudunt: nemo est, qui ab inimico palam accedente non abstineat, caveátque, ne cordis arcana ei innotescant: verùm si amicitiâ larvatus accesserit, statim pectoris intimioris secreta uti fideli Achati concreduntur; & tunc graviùs lædit, cùm sub larvâ amicitiæ toxica apparet evomenda à tergo: externa facie amicitiam simulat, cùm internè adversarium agat, & captiosas insidias larvâ contegat eblandientis amicitiæ. Sunt qui virulentissimâ corroduntur invidiâ, quos etiam odium ad insaniam armat; & tamen ut tutiùs, commodiúsque proximitate noceant; specie præstiti obsequij adhærent; animo tamen innubilandi; mellea effundunt verba, cùm moliuntur toxica spargere; lambunt linguâ, ut dentibus mordeant, oscula labijs figunt, vulnera ut infligant; laudibus mulcent, ut convicijs lædant: hinc Augustinus ait: *Plus persequitur lingua adu-* In Psalm. 69. *latoris, quàm manus interfectoris.* Et cuinam placebunt lenocinantis adulatoris blandimenta, si vulnera sunt interficientis.

Hæc adulantis vaferrima indoles est, 3. lenocinijs verborum, mellito laudum compositis artificio, insinuare se in præpotentum gratiam, corúmque aucupari benevolentiam: congerit laudes supra omnem fidem, & tunc aureum jacit hamum, quo tutiùs alliciat, & incautum piscem in fluctuante aulæ pelago expiscetur. In id vel maximè incumbit studij, ut parata semper habeat præconia; præstò eidem sint laudum lenocinia, præconiorum blandimenta, quibus tum corporis, tum animi dotes demulceat. Si quem noverit, vel Principis favore affectum, vel sublimiori insignitum honore, studet ornatissimâ laudum phalange obsidere, quò eum sibi devinciat; móxque omnia pollitæ suæ dictionis inflata explicat carbasa, & afflante aurâ impudentiæ in altum evehit, præsertim si noverit, eum avidissimas aures crepantibus adulationum buccis præbere: nititur hac arte ejus sibi benevolentiam captare, & intimiorem inire cum ipso amicitiam, qua valeat, quæ mente cogitat, & corde abscondita servat, scire, quo tutiùs obesse eidem possit, quia ut scitè Chrysostomus: *Sicut finis oratoris est dictione per-* In polit. lib. *suasisse, & Medici medicinâ curâsse: ita ad-* 3. *ulatoris est finis suaviloquio decepisse*; quia adulator in obsequio amicitiam ostendit, cùm in animo odium foveat; comptus est in verbo, sed turpis in facto.

Hanc veritatem comprobavit Samson, 4. cui ut eximia, ac inconcussa prædito forti-

tudine se plures adjunxere, amicitiam mentiti, cum versutijs odij pleni essent: *cùm cives loci illius vidissent eum, dederunt sodales triginta, ut essent cum eo*, nimirum erant cum eo ad speciem, ut obsequerentur veluti amici, cùm tamen re ipsa obsiderent, ut adversarij; affectata in vultu lætitia amititiam spondebat, cum internum odium nonnisi excidium cogitaret: scitè Hugo Cardinalis: *Dederunt ei robustos juvenes, qui voce tenùs socij ejus dicebantur; sed re custodes ejus erant, ut scilicet tenerent eum.* Gradiebatur Samson quasi ad honorem multiplici stipatus famulo, sed revera copioso cinctus satellitio: adhæsère plures ut amici, qui sub larvâ lætitiæ lethale tegebant odium.

Judic. c. 14. v. 11.

In cap. 14. Judic.

5. Etiamnum plures ad eum accedunt mentito obsequio, quem favor Principis ad pinguiorem evehit fortunam, cum tamen nonnisi odia contra ipsum foveant, eò quia quam ipsi speraverant dignitatem, fuerit ille enactus: sunt etiam qui limina terunt, ad nutum parent, adstant, ut obsequantur, & nulla prætermittunt adulationis officia; quorum tamen animus non est inservire, sed potiùs sævire; mens non est implorare beneficium, sed arcana explorare, quò possint validiùs nocere; & hi amicitiâ larvati, fuco adulationis, quod intus fovent odium obtegentes, inimicorum agunt partes; & quæ adversarius nullo posset studio consequi, dolosa assentatione amicus assequitur fraudulentus.

6. Plerique etiam verborum utuntur lenocinijs ad captandam gratiam, animos titillandos, non ut ijsdem prosint, sed potiùs obsint, quos acriter perstringit D. Bernardus inquiens: *Docuerunt linguam suam grandia loqui, cùm operentur exigua, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores; blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores; simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores.* En in quot se discrimina injiciunt, qui hujusmodi parasitorum, ac sitophantarum ambiunt consortium, expetunt contubernium? Quid enim expectandum ab hujus furfuris hominibus, qui in id tantùm studij incumbunt, ut omnibus annuant, improba probent, fumos vendant, dummodo spes illis affulgeat vel lautæ mensæ, vel alterius commodi? Quis hisce fidat adulantibus, qui alienos affectus studio induunt, non amicitiæ gratiâ, sed vel proprij commodi causâ, vel ut inde occasionem venentur aliquid aucupandi. Ridet aliquis præpotens? & risum imitatur, qui eidem adhæret adulator: mœret ille ob præmaturam parentis, vel uxoris necem? in lachrymarum imbres videtur & assentator liquescere: morbo tentatur, vel dolore discruciatur in intimis visceribus? morbum & iste simulat, dolorésque, quibus asserit se in præcordijs acriùs torqueri: fastidit ille frequentes ad se miserorum accessus? & iste pauperum improbat turbas, quas à se arcere nititur: stomachatur ille ex indignatione? exardet iste: impudico ille æstuat amore? nititur iste assentationis oleum huic injicere fornaci: otio delectatur ille? totus est iste in multiplici laude, quiete corporis, animíque tranquillitate commendanda: sævit ille? fomenta ille suppeditat: damna inferre alicui meditatur ille? & statim iste ad id hortatur, suámque exhibet opem.

Lib. 4. de consid.

Induit assentator mores præpotentis; 7.
non ut ei prosit eblandiens, sed ut obsit, ac in discrimina eum trahat, cui adulatur: acriùs enim sævit assentator crepantibus adulationum buccis, laudibúsque fucatis, quàm districto gladio apertus hostis, unde Augustinus ait: *Lenius debet putari, quod gladio minante, quàm quod lingua adulante committitur.* Fuit semper genus adulantium infidum præpotentibus, & sperantibus fallax. Et Tertullianus, cum Ethnici Christi fideles criminarentur, eò quia Imperatoribus nec plauderent, nec assisterent, respondet, eósque simul carpit, inquiens: *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam, septem collium plebem convenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua romana? Testis est Tiberis, testes schola bestiarum*, ac si diceret: plures novimus ob proditionem, vel fraudes in Cæsarem commissas, & ejus latera stipantes, vel fluentis suffocatos, vel bestiarum morsu discerptos. Plures nituntur Principum assidere lateribus; non ut eos suis fulciant humeris, sed ut linceis oculis intimiora penetrent, ut pectoris arcana eruant, quæ parata pecunia hostibus divendant: & hi dicuntur adstare sub larva famulantium, cùm reverà odientium se numero adscribant. Scimus Cassios, Nigros, & Albinos pro Imperatorum salute sumptuosam obtulisse hostiam Numini; sed scimus etiam eosdem armatos irruisse in curiam, hinc Septimius: *Omnes illi sub ipsa usque impietatis eruptione, & sacrificabant pro salute Imperatoris, & genium ejus dejerabant, alij foris, alij intus.* Alios scimus palæstricam exercuisse, sed ut strictâ gulâ vitam eriperent, alios pocula misisse venenata, sed ut sub larva præstiti obsequij necem inferrent.

Lib. de Baptis. contra Donat.

In Apologet. cap. 35.

Quin etiam cacodæmon, qui miserum 8.
invaserat, sepulchrísque incluserat adventanti Christo obviam statim processit, ac altioribus clamoribus ejus cœpit altiùs deprædicare magnitudinem, & humi procumbens mira, quæ jam patraverat recensere, cúmque eum timeret, enixim rogat, ne velit eum torquere: *Videns JESUM à longè cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magna dixit: quid mihi, & tibi JESU fili Dei altissimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas?* Quis non putâsset accessisse cacodæmonem studio obsequendi, mirisque ab ipso gestis plaudendi causâ, ac laudandi officioso desiderio? Quis non credidisset Christi majestatem

Marc. 5. v. 6.

statem ipsis adorationibus non contestari prætendisse? Et tamen ea erat serpentina dœmonis versutia, ut ipsammet adorationem, magnitudinis proclamationem, plausûmque emissum contra Christum armaverit, quem deprimere tunc satagebat, cùm extollere oiteretur: scitè S. Petrus Chrysologus: *Timet tergiversator, & simulat, fatetur filium; sed ne Deus intelligatur solita arte contendit: adjurat Deum per Deum, ut alterum videri ipsum faciat, ut adstantium decipiat, fallatque auditum:* (Serm. 17.) nisi enim magoitudioi plausisset Christi, nisi demisso in humum vultu pronus adorâsset, nisi obsequia præstiturus supplex accessisset, adversarius apparuisset adstantibus; ideóque tecturus, quam animo fovebat inimicitiam larvam induit assentatoris; ejus extollit potentiam, laudes recenset, quibus & dolum tegeret, & adstantes deciperet, falleréique auditum; cum enim appareret amicus, hostis non credebatur: *fatetur filium, sed ne Deus intelligatur solita arte contendit*, non respondet os assentatoris cordi laudatoris, aliud os depromit, & aliud cor cootegit; verba sunt mellea, sed viscera fellea; obsequium vultus exhibet, sed præcordia odium fovent. Pocula videtur nectarea propinare, sed ot toxica misceat, venenis inficiat.

9. Id enim adulantis proprium fallacibus blanditijs, mentitis osculis, larvatis amplexibus odia velare, inimicitiam tegere, & parata damna obducere: mentiri siquidem assueto oil magis volope, quàm adulatoria humilitate decipere, mente fingere; & aliud velle corde, aliúdque ore polliceri scitque laudum oleo ita demolcere, ot pro luce tenebras, pro die noctem, pro sole caliginem injiciat: qoem enim laudat præseotem, damnat absentem: An oon hostem agit assentator, cùm demulceat, & feriat; blandiatur, & laceret; oscula figat, & vulnera infligat? hæc enim hostilia sunt, coram linire, & dicta, ac facta probare, & ubi mox laudatus abest, eum convicijs impetere, honori detrahere, famam dilacerare: quid aliud hoc est, quàm dexterâ mano sudores detergere, & sinistrâ vulnus infligere? demulcere altera manu, & altera cutem eol. tro disrumpere, viscera discerpere? Quis assentatoribus fidat? si laudes laudibus ingerant, sirenularum credas voces, adblandientes quidem, sed simul enecantes; fugiat has noxias sirenulas qnisqois imperat, aliísque præest, fugiat assentatores, hostes sunt amico tecti velamine: linguas fugiat mendaces, venena apparant, dum dulcia edunt verba: fugiat hanc oris varietatem, quæ formam mentitur, & sub ovila pelle lupum tegit fame rabidum; sub amica, mollíque spongia novaculam obtegit perimentem.

10. Ad Absolonem desertorem, ac à patré deficientem præmatura ambitione Regno inhiantem confugerat Chusai, specie quidem famoli obsequentis, sed animo hostis insidiantis: *Cùm venisset Chusai Arachites amicus David ad Absolon locutus est ad eum. Salve Rex, salve Rex. Ad quem Absolon hæc est inquit gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo? respondítque Chusai ad Absolon: nequaquam quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis populus hic, & universus Israel, & cum eo manebo.* (2. Reg. c. 16.) Mirum sanè, quòd desertor Absolon Chusaium carpat, eò quia amicum deserverit, cum Absolon non solùm à patre defecerit, sed patrem etiam Tyrannide invaserit. An non etiam scelesti, ac enormioribus ootati delictis sibi affectata cæcitate adulantur, cùm cæterorum defectiones damnabili intueantur perspicaciâ? quia animitùs Absolon à patre defecerat, censuit Chusaium simili defectione sibi adhærere, eúmque inter primores admisit proceres. Neque alia hujus ptomotionis causa extitit; nisi quia Chusaius faustis, ac repetitis acclamationibos electionem approbavit Absolonis ad throoom, cum tamen ipse de alio Rege cogitaret; oon gaudebat de Absolonis acclamatione; sed de votis proprijs, quibus in animo erat alteri ioservire Regi; applaudebat quidem Chusaius ore Absoloni, sed intimo corde Davidi serviebat; voce Absoloni gratulabatur, qui desiderio Davidem hærentem throno salutaverat; primum inter Proceres honorem Absolon Chusaio dederat, sed hic cùm piam texeret fraudem excidium suspiraverat filij; quò patrem ab insidijs vindicaret: cùm dixit, *illius ero, quem elegit Dominus*, Absoloni videbatur quidem voce adhærere, sed corde Davidem amplectabatur. Personam adulatoris induerat Chusaius, ideóque aliud verbis promebat, cùm aliud corde sentiret; ut inde discamus non esse credendum adulantibus, sed laudatores perinde ac hostes esse declinandos, isti enim manu, & gladio feriunt, illi lingua, & convicijs vulnerant; isti corpus lædunt, sed illi honorem periemunt, famámque dilacerant: scitè Tertullianos de adulatoribus ait: *Quinunc scelestarum partium socij, aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, quam elatissimis, & clarissimis lucernis vestibula enubilabant, quam cultissimis, & superbissimis thoris forum sibi dividebant, non ut gaudia publica celebrarent, sed & vota propria jam ediscerent, & in aliena solemnitate exemplum, atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen Principis in corde mutantes.* (In Apologet. cap. 35.)

❋ (o) ❋
❋

§. II.

§. II.

Adulatio humanos confundens affectus amoris symbolo abutitur, odij effusura lethale venenum: amorem prodit odium executura.

11. Quamvis Pharisæi, alijque inimici Redemptoris captiosos ei obtenderent laqueos, nil tamen profecerunt, donec adulatio Discipuli osculum ori figeret Præceptoris, & vulnus infligeret proditionis, fieretque caput Magistri Redemptoris pretium Discipuli proditoris: Judas mensæ particeps, contubernij socius, consiliorum persæpe gnarus, novit locum, & tempus tradi. tioni opportunum, ac propterea detestabile inivit commercium, & Magister secum habuit Discipulum adulatorem, & proditorem; imò quia adulator proditor fuit: *quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum*, fictis subdolæ salutationis officiis, & osculo in vitæ Authoris perniciem temperato sub amoris larva ulcus disrupit odij, & quem habuerat Magistrum, manibus tradidit hostilibus Matth. 26. *Ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fustibus missi à Principibus Sacerdotum & senioribus populi*, nimirum ut expendit Tertullianus lib. de patient. cap. 3. *Proditorem suum secum habuit*, quatenus ex ipsis, quos edocuerat, miraculis honoraverat, cæterisque prætulerat, proditorem tulit non ignorans; ut inde disceremus, quàm noxia sit adulatio, quæ etiam beneficijs cumulata symbolo abutitur amoris, quod in perfidiæ convertit tesseram: osculum enim amoris notam accersivit, prodromum necis Magistri ad proditionis exordium; siquidem ad proditoris osculum veluti ad ferale classicum tota se vesana cohors effudit in furias, manùsque sacrilegas injecit in capturam Christi Domini, & Judas osculo amoris internuntio abusus odio voluit famulari, amicitiæ tamen larvatus obsequiis, quasi eum puduisset Discipulum se prodere odij, cùm in schola amoris edoctus, nonnisi proximi didicisset amorem; sed adulatio amoris lectionem, odij maluit interpretari vafritiem; & cùm osculum amoris symbolum ori impressit, odij expressit venenum; nimirum fecialis omnium fœderum ruptor amica inter oscula, amoris inter anhelitus, odij despumans venena, initium positurus proditionis, ac cruentæ internecionis, crudelissimam indixit urbanitatem; non enim ictu hastæ, vel jactu lapidis, sed unius osculi affixione adulantis discipuli assentatio Magistrum transfixit.

Matth. 26.

12. O quàm noxia est adulatio! quæ per oscula, & vitæ spiracula mortem inspirat! cùm enim osculum fixit mortis spiraculum in faciem vitæ inspiravit, & cùm Discipulus esset antea sanctitatis cultor, cum primùm adulari didicit in osculo, jam charitatis transfuga pecuniam exacturus vesanæ cohorti Deum tradidit Magistrum, & vita mundi mortis corruit in amplexum; quia illi volupe erat pro omnibus emori, mortem osculo recipit, licèt ex ore prodeunte Avernali. Quàm callida, & sagax est adulatio! Judas è Discipulo desertor salutare non erubuit, quem salvum esse noluerat, cùm primùm Magistro obviavit, salutem dixit, *Ave Rabbi*, sed geminæ fuerunt hæ voces plenæ veneno, quas vel ipse aër excipere detrectasset, nisi priùs deterrimi proditoris contagio infectus fuisset; neque tamen eidem fuit in aures impurissimum inhalasse spiritum, nisi etiam in os illud, quo divinitas loquitur, & respirat humanitas, mortem ipsam inspirasset, quo & Magistrum proderet, & se ipsum perderet; meritò enim salutem perdidit, dum Salvatorem prodidit.

Adulatio sagax est, & vafra, sciverat, oscula amoris retia esse, hisce usa est in capturam sponsi: neque enim sponsis alia sunt retia opportuniora, tutiùs capturam designaturus sponsi Judas, retia expandit in osculo; hinc Salomon: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Id Plutarchus esse discriminis asserit inter monita amicorum, & plausus assentatorum, quod inter unguenta, & pharmaca, quia sicut unguenta nonnisi ad oblectationem, luxúmque fuêre comparata; & pharmaca salutem promovent, & incolumitatem tuentur: ita adulatores auribus duntaxat lenocinantur; veri autem amici id unum agunt, ait Juvenalis: *Ut sit mens sana in corpore sano.* Quis verò utilia dulcibus, plena vacuis, seria ludicris, medullam cortici, solida adumbratis, & vera fucatis non præferat? Quis igitur non fugiat adulationem, quam pernicies sequitur? quis gaudeat oblectatione, quæ lachrymas elicit? quis ea lætetur assentatione, cujus pedissequæ sunt ærumnæ? & quis eam repudiet acerbitatem, quâ salus animi, vigor spiritus instauratur? 13.

Prov. 27.

Satyr. 10.

14. Refert D. Basilius, Vespas oleo immersas illicò emori, & easdem mox aceto dilutas reviviscere: ita dixeris de acribus plerumque ingenijs, quæ blanditijs, & adulationibus depravantur, quæ tamen si paulò severius tractentur, vigent jucundiùs, & proficiunt uberiùs. Non adulatio alteri prodesse nititur, sed sibi duntaxat studet commodo esse, non hæc hominem laudat, sed in homine potentiam, vel dignitatem, à qua sperat, fore, ut aliquid accipiat emolumenti; ideò plausus non homini pendit, sed muneri impendit, quamdiu munus viget, homo floret; qui si munere sit functus, cultus aufugit, & plausus evanescit.

In Hexam. Homil. 1.

Scimus statuam Nabuchodonosoris proceritate superbam, aurò micantem instar Numinis à cuncto populo adoratam; sed cùm primùm dilapsa è montis fastigio lapide

lapide eversa fuit, & in favillam quasi æstivæ areæ redacta; nullus ampliùs fuit, qui exhibito cultu eam veneraretur: vento enim ad ludibrium circumlata ab omnibus derelicta statim fuit, & contemptui habita: fueritque propterea alia cùm cecidit, & alia cùm stetit, & qui eam agnoverunt stantem, ignoravêre labentem. *Quemadmodum aves*, ait Seneca, *etiam inanis funda sonus territat, ita & nos non ad ictum tantùm exagitamur, sed ad crepitum.* Hæc avicularum est indoles, ut proceras, virentésque arbores congesto agmine celeri involent motu, ibique tamdiu per otium degant illectæ virore foliorum, vel etiam fructibus innutritæ, quamdiu fundæ strepitus eas non deterret; aut arbor ventis lacessita non ruit. Non disparem dixeris hominum conditionem, sunt enim qui quamdiu fortuna ridet, florent, & alijs arrident; sin verò sint in sublimioribus constituti dignitatibus, ad ipsos veluti ad proceras arbores virentibus foliorum comis luxuriantes cæteri turmatim advolant, eísque tamdiu hærent, quamdiu stare videntur; & si avicularum non plaudunt modulatione, vana tamen sustollunt adulatione. Sin verò fortuna nutet, vel ex repentino aliquo turbine à procera illa cadant celsitate, cuncti qui priùs eisdem adhæserant celeri cursu aliò feruntur, & qui stanti serena fronte, vultúque hilari eblandiebantur, mox terga vertentes contemptui habent, quia lapsus prodesse ampliùs nequit.

16. Plures sunt, ut notat Cyrillus Jerosolymitanus, qui solem consueverint rutilis duntaxat luminibus refulgentem adorare, ut & lunam, sed argenteo itidem jubare nocturnas excutientem umbras, & oculos prolectantem intuentium; cum verò primùm menstruis decrementis suis spoliaretur luna nitoribus, & Sol ad occasum vergens non ampliùs suos delegaret in tale hemisphærium splendores, singulis ambo exaugurati Planetæ neglectui erant, ait Cyrillus. *Quidam solem DEUM fecêre, ut occidente sole nocturno tempore, sine DEO permanerent; alij Lunam ut de die DEUM non haberent:* hi igitur solem coluêre diurnum, & sprevêre nocturnam Lunam; è contra alij Lunam pleno orbe micantem adorârunt, quam illunem, & diurnam contempsêre: nimirum homines illos utrumque adorâsse quidem Planetam, sed lumine exundantem, & contempsisse splendoribus destitutum. Amanum Assuerus extulerat, quem summis etiam adornaverat honoribus: huic velut minori luminari in aula regia omnes cultum pendebant, imò & irreligiosè genu flexo religiosum protestabantur obsequium: *Cuncti servi Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.*

Catech. 4.

17. Quamdiu fortuna arrisit intumuit elatus, & insano ardore efferbuit contra Mardocheum, cunctúmque Israelem: cúmque Regiam incurrisset indignationem, detumescere didicit, vultúmque lurido pallore operire, nec ullus ampliùs fuit, qui genu eidem flecteret: ex immutati vultûs colore conjicientes è Regis gratia delapsum: quin imò cœpit potiùs haberi contemptui: *Cum reversus esset de horto nemoribus consito Rex, & intrâsset convivij locum, reperit Aman super lectum corruisse, in quo jacebat Esther, & ait etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo mea*, sed quàm diversè apparent actiones ijs, qui varijs immutantur affectionibus! licèt Amanus supplex rogaturus pro sua salute ad Reginam accessisset, & humilis procubuisset in preces; Assuerus jam sinistrè affectus audaciam impudentissimam Amani interpretatur humilem demissionem: *necdum verbum de ore Regis exierat, & statim, operuerunt faciem ejus.*

Esth. 7.

Ibidem.

Mirum tamen quòd ex tot adoratoribus nec unus fuerit, qui Regis indignationem sopiret; allegarétque Amanum supplicem, & exanimem corruisse, non ut Reginam opprimeret, sed eidem humiliter supplicaret, sibique consoleter? quinimo, cùm primùm qui aderant, noverunt Amanum à Regis gratia, & officij munere cecidisse, ejus statim vultum velârunt, nec unum ex tot aulæ Proceribus, & famulis, pro se habuit defensorem in casu; licèt omnes fuerint adoratores, cùm regio floreret favore, & excelsa emineret insignitus dignitate: cùm fortuna personam etiam visus est mutâsse, cùm alium populus jam crederet in caso, quem ut alium adoraverat in culmine: cùm genua ante flexissent omnes cultum Amano exhibituri; manus nunc afferunt, ut pœnæ inserviant inferendæ, & ruentem profundiùs præcipitent; cúmque sinistra interpretatione Amani deprecatio eidem delicto daretur, ait Lyra: *statim operuerunt faciem ejus tanquam condemnati ad mortem.* Quàm facilè facies mutatur adulantis! obsequia exhibuerat adulatio Amano, cùm in fastigio emineret dignitatis; sed mox ab illa deturbatus celsitudine ab omnibus deseritur, & quos habuit adoratores, mox experitur tortores quàm aliter se homines gerunt in eum, quem favor Principis ad pinguiorem evexit fortunam, & eum qui à gratia cecidit ejusdem. Arbona unus ex Eunuchis, qui Amano consueverant genua flectere, ac obsequia præstare demisissima, Regem instigat; cui etiam declarat patibulum Mardocheo paratum opportunum esse Amani temerariæ audaciæ puniendæ: *Dixit Arbona unus de Eunuchis, qui stabant in ministerio regis. En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman habens altitudinem quinquaginta*

18.

In cap. 7. Esth.

Esth. 7.

ginta cubitos. Observat Lyra, Arbonam unum ex ijs fuisse, qui festinato pede, vultúque hilari cucurrerant ad Amanum jussu regio, ut ad convivium veniret Reginæ; quia assentator fuerat Amano gratulatus felicitatem; nunc detractâ larvâ, quod foverat odium prodit; & non auditum mortis reum ostendit Regi, cujus etiam iræ flammas addit, quibus acriùs sæviret in Amanum. *Duo sunt genera persecutorum* (ait Augustinus: *scilicet vituperantium, & adulantium: sed plus, persequitur lingua adulatoris, quàm manus persequentis.*

super Psalm. 59.

19. Sed si Arbona regio obsequuturus jussui disruptâ quavis morâ solicitato cursu accessit ad Amanum jucunda nunciaturus, sedem scilicet in Reginæ convivio ei paratam, cur aliquod postea salubre non ei suggessit saltem consilium, quo necem jam sibi imminentem declinaret? quia ea est Adulantium indoles, jucunda semper nunciare, & nunquam salutaria suppeditare; obesse student, & prodesse nunquam satagunt; grata nituntur adulatione placere, & ingrata detrectant veritate corrigere; vulnera libentiùs regunt, ut putrescant; quàm ostendant, ut curentur: estque hæc veritas adeo obvia, ut per se ipsam oculis dietim ingeratur; si quid deprehendatur discrimini obnoxium, quia id aures non demulcet principis; vel nunquam, vel non nisi tardè ad ipsum defertur; sin verò gratum noverint posse eidem obtingere, ac auribus eblandiri, ocyssimis volatibus denuntiaturi currunt: idque in adulatoribus Xerxis contigit inquit Seneca. *Cum bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitúmque, quàm caducis confideret, nemo non impulit: alius aiebat, non laturos nuntios belli, & ad primam adventûs famam terga versuros: alius nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solùm Græcia; sed obrui posset.*

Lib. 6 de Benefic. c. 31.

20. Prævenerat adulantium certamen conflictum pugnantium; palmarum ubertimam jam segetem messuerat adulatio, antequam falces, & gladios bellica virtus evibraret; epinitium ocrinuit ante partam victoriam: nullus fuit ex proceribus, qui vires referret hostium, qui discrimina referret imminentia, cum semper anceps sit Martis alea; quia hæc aures non demulsissent Xerxis, nec grata fuissent, cum ocrupandæ armis Græciæ inhiaret. O quàm raro aulas principum veritas ingreditur! quàm raro intimos penetrat recessus, & ad aures se Principum insinuat! lenocinantium, eblandientium, ac laudantium lenimentis oppleta semper sunt imperantium palatia; quæ tamen veracium jugiter laborant inopiâ: & quo quis est dignitate præstantior, eò homine deprehenditur indigentior, qui vera sincerè aperiat, & utilia d lrib s, feria ludicris, fucatis solida præferat.

Idque causæ, cur cum noverint se posse assentationibus placere, ac principis aurupari favorem; in id unicè videantur incumbere studij, ut non nisi grata, quibus possint principi eblandiri deferant jucundi, & referant gaudio gestientes, quò suaviùs aures demulceant audientis; & quæ noverint grata non fore, denuntiare detrectant, quamvis Principi utilia; quia sibi minimè commoda: & licèt non deessent viri cordati, qui vera candidè aperirent; hisce tamen non patet ad Principem accessus: quo fit, ut ob augustam Principum dignitatem, & magis ob insitam summis potestatibus superbiam, pauci sint, qui ad regias admittantur aures; & quia plures inveniuntur in aula proceres, quibus ea sors vel fato, vel dolo obtigit, qui principis ærarium impensiùs venerantur, quàm personam; singula magis ad proprium dirigunt commodum, quàm ad imperantis referant utilitatem: quódque deterius lucris inhiantes, dummodo sibi prosint, alijs non curant obesse: hinc nulla pestis adulatione pravior; nulla venena adulatore nocentiora; adurit enim æstu suo adulatio herbam, flores, fructus, imò & ipsas etiam virtutum radices, quia ut ait D. Hieronymus: *Nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum, sicut adulatio: plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris:* hic palam gladium nudat, quem retundere possimus; ille ut clanculò sauciet, ferrum obtegit, quò sævius cruentet; Scorpium diceres assentatorem, blanditur vultu, & caudâ vulnerat; laudat præsentem, quem damnat absentem; cominus favos mellis, eminus calices fellis propinat, eò nocentiores, quò ocrultiores omnem abigunt suspicionem. Id assentatoribus proprium honesta æquè, & inhonesta, proba & improba indiscriminatim laudare, & fallacibus blanditijs, simulatis osculis, mentitis amplexibus odia velare, venena propinanda gemmeo occultare ciatho.

In Psal. 11.

§. III.

Ea est assentationis indoles, ut non nisi jucundis, gratisque verbis, ac rebus aures principis demulceat; & illa reticeat, quæ eidem minus grata esse noverit, etiam in perniciem justitiæ, in principis detrimentum.

NUllum ex sexcentis in Gymnasio edo- 21.
ctis assentationis invenies, qui non satagat aures jucundis, gratisque rebus mulcere principis; & non reticeat, quæ noverit displicitura. Idque ut perspicuum fiat; conferamus Jonæ ad Ninivem appulsum cum Abrahami ingressu in Ægyptum: fame adactus è patrio solo egreditur Abraham peregrinaturus in Ægyptum; secum conjugem ducit Saram fœminam lectissimam, quæ morum comitate, oris venustate, vultus ele-

elegantiâ, ac totius corporis pulchritudine cæteras sui ævi antecelleret mulieres; hanc cum Ægyptiorum principes curiosiùs adspexissent, perniciſſimè advolârunt nunciaturi Pharaoni Saræ fœminarum pulcherrimæ in suas ditiones adventum: *Genes. 12. v. 14. Viderunt Ægyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis, & nunciaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum*; quia formosa erat Sara, rati principes fœminam speciosam Pharaoni placituram; illicò eucurrerunt non viri ex plebe, sed proceres ex aula, & principes, aliquid gratum, quodque placeret Pharaoni jucundo vultu, oréque hilari nunciaturi: est venusta mulier honestatis Scylla, pudicitiæ Charybdis, Syrenum scopulus naufragio infamis, Circæum stabulum, dulce venenum, melleum fel, grata pestis: fuerunt autem viri proceres, ac principes, qui Pharaoni denunciârunt Saræ in Ægyptum adventum aulæ assentatores; ideóque aures grato demulcent nuncio, simúlque nocent, cum scirent, Pharaonem illicito Saræ amore irretitum iri: quos enim non vicit muliebris venustas heroes, virósque principes bellica licèt virtute invictos? quantos non edomuit ferocientes leones fœminea infirmitas; loquuntur Poëtarum commenta Herculeas flammas tartareis ignominiosiores, quas apud Omphalem, & Iolem passus Hercules, cecidit victus in sinu imbellis fœminæ; qui victor steterat contra Lernææ Hydræ repullulantia capita, ac ferocientis leonis sævientes assultus. Veriùs autem, id nos edocet sacer codex: Samson cum inconcussa pectoris firmitate rugientem suffocâsset leonem, captus Dalilæ venustate fivit se fœminæ irretiri blanditijs, qui vincula hostium gloriosè disruperat: messes cum incendisset alienas; unius ipse mulieris accensus igne messem totam cinefecit propriæ virtutis. Davidi nil timoris incusserat, nilque detrimenti attulerat moles illa carnea gigantis Philisthæi; cujus tamen vir[illegible]em antea invictam, vel unica mulier e[illegible]us adspecta enervavit: cum igitur non lateret proceres assentatores Saræ venustatem Pharaoni placituram, festinârunt aliquid grati eidem nunciatori.

21. Sed Lustremus Jonæ ad Ninive adventum; ingressus Jona civitatem minis terribilibus, vocibúsque minacibus Ninivitas percelluit; quos vidisses, contrita pectora pugnis, saxisque tundere; suspiria emittere, ejulatus edere, lacrimas fundere, totámque urbem lamentis opplere, ac luctibus; cúmque urbs tota cinere inspersa in luctu jaceret, & squalore, salubri madida planctu, civium luctus, & lamenta ad notitiam pervenerunt Regis; forsan quia è palatij fenestra in subjectas plateas cives lugentes, totóque mœrore confectos fuisset intuitus: *Pervenit verbum ad Regem Niniue*; nullios fit mentio nuncij, qui civitatis planctum ad Regem detulerit, quia civitatis mœror gratus Regi non obtigisset; si non planctus, sed cantus fuisset, non defuissent assentatores, qui placituri Domino læta nunciâssent: sed si Niniue lacrymis obruta, mœrore oppressa, dolore compressa visa fuit periclitari; cur urbis discrimen Regi aulæ principes, ac proceres non statim, & rem totam fecerunt exploratam, antequam fieret urbs deplorata? Si Principes Pharaonis Saræ venustatem illicò denuntiârunt; cur non etiam Principes Ninivitæ urbis luctum Regi detulêre? An non conducibilius erat ad urbis salutem de lucto totius civitatis Regem commonere; quàm de fucata unios exteræ mulieris pulchritudine? Imò consultiùs fuisset, mulieris venustatem silentio obtegere, ne concupiscentiæ irritâret insaniam, libidinisque accenderet æstus: & nihilominus principes Pharaonis gloriantur, se denuntiationis authores fateri: cum ex Ninivitis nullus adfuerit, qui lugentis urbis nuncium vellet Regi deferre. Quid igitur causæ? quia assentatores non nisi læta, eáque Principi grata nunciare student; tametsi principi plus postea adferant nocumenti, quàm ab initio attulerint oblectamenti.

Jon. 3.

24. Dum igitur in Ægypto exteræ mulieris venustas exaggerabatur peregrina, ejúsque pulchritudo commendabatur ad singularem raritatem; non nisi grata arbitrabantur proceres Ægyptij se nunciaturos Pharaoni: & quia Niniue agebatur de luctu, mœrore, lacrymis, ac dolore civium; & non id gratum obtigisset Regis auribus, nullus fuit ex aulæ proceribus, qui Regem vellet de lugentis urbis mœroribus commonere; quia Principibus student proceres adulari, deluescunt ijsdem referre utilia, si suspicentur non fore grata; & eorum potiùs aures ad fastidium pulsare, quàm demulcere ad solatium: noxia lubentiùs nuntiant, si jucunda obtingant: pulchrè S. Chrysostomus de proceribus Pharaonis: *Ecce quomodo lenonis egêre officium in Regis gratiam.* Rati Ægyptiorum magnates se Regis gratiam posse promereri, vilissimo lenonis officio fungi non erubuerunt; ut ea nuntiarent, quæ Regi placitura scirent. Secus Ninivitæ quia mœstis, ac luctuosis animum verebantur regis exasperare, ejúsque propterea timuerunt indignationem, non fuerunt ausi utilia referre; quia assentatio mulcere vult aures, vultum delinire; & tantùm terga, humerósque clanculò convicijs, ac detractionibus diverberare: hine conjice, assentationem in ignavum duntaxat pectus, inque timidam, ingloriámque mentem cadere: mens si mascula sit, & generosa fallere nescit, & mentiri erubescit: adulatoris est nescire alienæ virtuti incumbere, nisi proprio studeat commodo; in id enixim incumbit studij in aula præsertim, ut principis aucupetur gratiam, suúmque sibi favorem promereatur; nilque magis veretur, quàm vel

vel unum proferre verbum; quod minus gratum auribus obtingat Principis.

25. Indixerat Rex Saul à summo mane ad solis occasum totum diurnum jejunium tam diu duraturum, quamdiu Sol super emisphærium illucesceret; & licèt Jonatas ejus filius palam fuisset præceptum patris transgressus; non tamen jejunij violatio ab ullo ex proceribus, famulísque delata fuit Regi, quem propterea ita latuit, ut sortibus opus fuerit eam indagare: *Captus est Jonatas.* 1. Reg. c. 14. Non tamen vero videtur simile fracti à Jonata jejunij conscium nullum fuisse: siquidem miles aspexit, quamvis serò memoriam paterni edicti refricuerit; & tamen cùm probabile sit, pluribus violatum à Jonata patris præceptum, innotuisse; nullus tamen fuit, qui Regem moneret. Non ita contigit Davidi, quem cùm Ziphæi latitantem notâssent, Regem statim monuêre: *Morabatur David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph in monte opaco.* 1. Reg. c. 23. Tametsi solitudo deserti, disruptum montium iter, opacitas nemorum, densitas foliorum viderentur exulem tegere, ac tueri Davidem; quia tamen Ziphæis innotuit latebra, statim ad Regem Saulem festinato gressu accessêre, Davidem prodituri 1. Reg. cap. 23. *Ascenderunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes nonne David latitat apud nos in locis tutissimis sylvæ?*

26. Sed si Ziphæi Davidem latitantem in remotissimis Sylvarum speluncis Regi indicârunt: cur non etiam miles, cui innotuerat à Jonata violatum Regis præceptum Saulem non monuit? prodiderunt Ziphæi Davidem clanculò latitantem; & miles Jonatam non indicavit apertè peccantem: hic os silentio obsignavit, ne præcepti transgressio aures pulsâret regias: Ziphæi verò non solùm os aperuerunt, sed & pedes sollicitarunt, ut quàm citissimè Regem adirent, Davidem proditori latitantem. Quid hujus discriminis causæ fuit? quia nimirum æquè miles, ac Ziphæi assentationi studuerant, quâ aures Regis demulcerent lætis Nuntijs, quibus gratum obtingeret ab ijsdem delatum, & hac arte Regiam sibi conciliârent benevolentiam, imò & gratiam aucuparentur; non verò assueverant ingratis nænijs Saulis pulsare aures, ejúsque animum exasperare.

27. Est enim adulantium mos, lenocinijs verborum subtili compositis artificio insinuare se in præpotentium gratiam, eorúmque aucupari benevolentiam: congerúntque propterea, quæ noverint ei grata esse, ut aureo hoc hamo eorum expiscentur favorem: hinc quia Ziphæi noverant, se aliquid gratum laturos Regi, si locum ei indicarent, ubi David lateret, statim cucurrerunt Regis gratiam aucupaturi: miles verò, ne aliquid referret, quod Sauli displiceret, non sine magno populi discrimine silentium proprio ori indixit. Ziphæi Davidem nuntiârunt latitantem, ait Joseph; *Quia nullum periculum ex silentio imminere, per adulationem, & avaritiam virum pium, & præter jus ad mortem quæsitum Regi se tradituros erant polliciti:* Lib. 6. antiq. c. 14. tametsi ex militis silentio detrimentum emergeret populo, & impunita maneret culpa in perniciem Reipublicæ, & ex Ziphæorum taciturnitate nullum immineret periculum, nec populo damnum: nihilominus adulatio linguam solvit Ziphæorum, & os occlusit militis silentio; ne scilicet in milite aliquid referret, quod animum Regis exasperaret; & in Ziphæis, ut gratum aliquid nuntiaret, ora aperuit: tacuit adulatio in milite etiam cum totius populi detrimento, ne quidquam minus gratum Regi referret; fuit tamen locuta in Ziphæis tametsi cùm damno latentis Davidis, ut aures demulceret Regis, ejúsque sibi gratiam conciliaret: proprium est assentationis in aula Principis ea duntaxat denuntiare, quæ posse eidem grata esse noscuntur; & ea studiosiùs reticere, quæ eidem possent displicere. Non curat adulatio alienum damnum, dummodo proprio possit commodo inhiare. Sauli igitur ocyssimis volatibus denuntiat Ziphæus Davidis latibula, ratus aliquid grati allaturus, quo Regis gratiam aucupaturus: & miles violatum à filio alto silentio reticet præceptum, ne quidquam deferret, quod Regis posset animum exasperare, & sibi nocere.

Adulationis tamen delictum plerumque suam ab ipsis principibus originem trahit: non enim deessent, qui vera dicerent, si libentiùs audire vera, quàm grata Principes vellent: plures essent amici, qui tantùm habentur adulatores, ut enim aiebat Cajus Ubius Tribunianus: *Nemo amicus idem, & adulator:* Est veræ amicitiæ tessera sincerè loqui, & quæ vera sunt, amico non reticere: assentatoris verò gratis duntaxat, & lætis aures demulcere, & ideo est tantùm amicus in obsequio, & hostis in animo; comptus in verbo, turpis in factis; lætus ad prospera, mutus ad adversa; facilis ad blanda, fragilis ad honesta; semper blandiens, semper mendax, & ideo adulatores sunt deceptores, nec quid aliud dixeris esse adulantis laudem, quàm decipientis fraudem: est siquidem adulatio hamus escâ obductus dulci, quo minus cauti facilè capiuntur. Idque causæ, cur Serenissimus Elector Maximilianus Primus Bavariæ Dux Filio suo Electorali Principi Ferdinando Mariæ odium assentationis, ac assentatorum altiùs voluerit ingerere in monitis, quæ ipsemet ad probam filij sui adhuc trimuli institutionem scripsit, jussitque filio cùm primùm adolescere inciperet explicari: aie Principum sui ævi Sapientissimus, ac redivivus, ut audiebat, Germaniæ Salomon numero 28. *Cavere te velim ab assentatorum, ac mentiorum aula servulorum.* 28.

rum consultationibus. Talibus enim ad nutum Principis quæstûs causâ, sive is honesta gesserit, sive indecora deprædicare mos est, & consilium. Sordidè, ac simulatè quidvis insusurrant, facilè mentiuntur, calumniantur, invident, obtrunt, assentantur. Quòd si ex ejusmodi assentationibus nil lucri reportent, ut rem aliundè faciant, & vanum nomen, quasi in Principis arcana admissi, aucupentur; res, dicta, facta, consilia, sensa Principis vulgant, produnt, vendunt, traducunt, nundinantur.

29\. Nisi sibi Principes caveant, promptiùs ab assentatoribus decipiuntur; & officia, quæ digni consequi nequeunt, enanciscuntur adulatores. Solet enim adulator suæ oblocutionis, & corruptelæ præmium accipere, & admitti ad familiaritatem, & amicitiæ intimiores recessus; pulchrè Plutarchus ait: *Ut Cossi potissimum in teneris lignis, & dulcibus nascuntur, sic ingenia generosa, & proba, & lenia adulatorem admittunt, aluntque adhærentem.* Proceræ arbores Principes cæteris præcellentes indicant, & sicut arbores corrodentibus Cossis, ita & Principes sibi adhærentibus assentatoribus, alimentum suppeditant, & plerumque ob viles facetias præmia adulatores obtinuêre, quæ consequi non valuerunt, quos congesta merita commendârunt.

Lib. Quemadmodum adulatorem &c.

30\. Moyses delétis Ægyptijs terram ad tractum Jordanis duabus, & semis tribubus justa distributione largitus est, ut populi felicitas uberior floreret, & cumulatior cresceret. Balaamus improbus ille maledicus, iniquúsque adulator in Madianitarum terra refertur interemptus, cùm tamen alibi fuerit exortus. *Percussit Moyses Sehon cum Principibus Madian, Hephaum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe Duces Sehon habitatores terræ, & Balaam filium Beor Ariolum occiderunt filij Israël gladio cum cæteris interfectis.* Dignum sanè maledica venenosa, ac serpentina lingua supplicium? quàm felix populus, qui & maledicum excludit occisum, & regnum honestè possidet. Quærit Abulensis. Quomodo potuerit inter Madianitas Balaamus occidi, quem constat habitâsse super flumen terræ filiorum Ammon, eò quia à Balaac fuerit ad maledicendum vocatus, donisque amplioribus allectus, ait Abulensis: *non erat Balaam de terra Madian, nec habitabat in ea, cùm vocatus est, à Rege Balaac; sed habitabat super flumen terræ filiorum Ammon.* Respondet motæ à se difficultati, Balaamum à Madianitis præeminenti dignitate decoratum fuisse, & inter ipsos habitâsse, simúlque in bello cum ipsis occubuisse: *Madianitæ medij erant inter Regem Moabitarum, & Balaam, ideò satis vero simile est, quòd fecerint eum habitare in terra sua, dantes ei aliquam excellentiam, ut sibi maneret, ideóque potuerunt Israëlitæ eum cum reliquis occidere Madianitis.* Ecce assentator, & oblocutor, ac Ariolus maledicus illustri fuerat à Madianitis prærogativâ donatus, ut cum ipsis degeret; hoc est assentatoris, ac maledici oblocutoris privilegium, cæteris præeminere, & promptiùs dignitatis attingere culmen, cùm plerúmque dignus armis oppugnetur, ac improbè expugnetur. Madianitæ Principum induentes indolem, hebræum merentem excluserunt à dignitate, quâ Ariolum, & assentatorem obloquentem voluerunt donatum. *Vero simile est*, ait Abulensis, *quod fecerint eum habitare in terra sua dantes ei aliquam excellentiam*, sed quia assentatorem sibi adsciscere voluerunt pœnas dedêre, quas promeruerunt, stultorum enim est adulatione decipi; & duplici quidem plectuntur pœnâ, judicij cæcitate, seu dementia; & morum corruptela.

Num. 31.

Quæst. 9 in Josue cap. 13.

Num. 22.

Quod verò ad dementiam, seu animi attinet cæcitatem, scitè dixit Antisthenes; minus perniciosum esse escam fieri corvorum, quàm adulatorum pulsari lenocinantibus verbis; quia assentatores viventibus, cum corvi nonnisi mortuis oculos eruant. In id enim adulatores vel maximè incumbunt studij, ut habeant in promptu exquisita præconia ad exornandas corporis, animique dotes: si quem virum observent insigni dignitate præfulgentem, & hunc laudis cupidum, omnia tunc eblandientis dictionis carbasa explicant, & aurâ afflante impudentiæ gloriosè, quantum possunt, nituntur extollere: & cùm avidissimè crepantes audit buccas assentationum venenum haurit, quo honestas interim corrumpitur virtutis: cum nimium quisque sibi placeat, facilè est adulatoribus fucos addere, fumos vendere, ut aliquod inde sibi commodum coëmant. Neque quid aliud Xerxem Persarum Regem dementavit, ac in exitium impulit, cùm bellum Græcis indiceret, nisi stulta suorum Procerum assentatio: omnes victorias dederunt; palmas demessuerunt, priusquam falces agitarent, triumphos jam erigebant, epinicia priùs canebant: sed quàm vana dederint adulatores gaudia, effusos sanguis, quo extinctus totus propemodum exercitus Persarum jacuit in Græcia, satis exploratum posteris reliquit: *sicut sonitus spinarum ardentium sub olla*, ait Sapiens; *Sic risus stulti:* quia perinde assentatio veris ingerendis gaudijs impar est, sicut coquendis carnibus inefficax ignis è levi spinarum stipula lebeti subjectus. 31.

Verùm non assentatio cæcitatis duntaxat offundit caligines, quibus mens cæcutit, verùm etiam venenum spargit, quo morum corrumpitur honestas: inficit enim assentatio, quod in humana vita honestissimum est, nimirum corrumpit veram laudem, excludit virtutis præmium; & supposito quasi dixerim auricalco auream, sincerámque meriti monetam adulterat, vitia pro virtute facilè obtrudens, ludicra pro 32.

serijs, fucata pro solidis, & cum libenter quisque sibi indulgeat, quidquid adulatio sine pudore coagerit, id etiam ut debitum sibi usurpat.

§. VI.

Viro improbo indebitis, qui laudibus adulatur, viam sternit, per quam libentiùs in deteriora ruit.

33. PLures sunt, qui laudes, quas noverint, sibi indebitas, adhuc libenter admittunt, ut inde aliquid hauriant lenimenti, quod à virtute, quam nunquam coluerunt, obtinere minimè valent. Hinc si quis promptum aliquid habeat ex rerum natura de elementis, mixtis, animalium varietate, fluxu, refluxu maris, fontium origine, aëre, grandine, nubibus, fulguribus; statim, si quis adsit assentator, eum tali imbutum doctrina deprædicat, à quo Plato, Aristoteles, Socrates, Pytagoras, ac reliqui Philosophiæ Principes plura discere, ac veriora facilè potuissent. Si quis publicè, & in cœtu virorum nobilium aliquid pronunciaverit; assentator eum redivivum dicit Nestorem, cujus ab ore melle dulcior fluebat oratio. Imò quod deterius assentatores vitium ipsum virtutis honestamento satagunt exornare: dicántque mitissimum, qui supplicijs delectatur sævire; liberalissimum, qui nonnisi rapinis inhiat; & temperantiæ studiosum, qui nonnisi ebrietatibus, ac libidinibus indulget. Quis ambigat, quin vitia virtutum nominibus palliata latiùs propagentur, & lætiùs sub verborum floribus serpant, ac feliciùs multiplicentur? Viro improbo indebitis, qui laudibus adulatur, viam sternit, per quam libentiùs in deteriora ruit; fomitem exhibet, quo faciliùs improbitatibus indulgeat; adurit assentatio æstu suo virescentis spei herbam, ac virtutis suo ardore cinerescunt radices: quia improbitas fucatæ laudis lenocinio commendata fiduciam delinquendi animo ingenerat; proniores siquidem sumus in fide ijs præstanda, quæ cùm displicuisse vereamur, congestis laudibus audimus approbata; & tunc laudata delicta delinquendi licentiam laxiùs impertiuntur, & approbatum vitium animos addit libentiùs eidem indulgendi, cùm & laudatio audentiorem laudatum faciat, & ad deteriora viam emolliat.

34. Si procul sceleri adigerentur laudatores, plura impedirentur delicta, quæ ideo impunè grassantur, quia laudibus foventur adulantiū: rarus qui verè gratuitò probus, aut malus sit, sed perinde ac ignis palea, lignisque ingestis alitur; ita indebitis crescit improbitas laudibus: fons est assentatio putidus, è quo rivuli scaturiunt vitiorum: hunc si fontem tollas, arescunt illicò improbitatis rivuli; huc pertinet D. Cyprianus, inquiens citatus à Scribanio. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem administrat; nec delicta comprimit, sed nutrit.* Hinc Plutarchus apud eundem funestum Cæsarius exitum nonnisi adulatoribus adscribit, ait ipse. *Adulatores Cæsaris in causa fuerunt necis ipsius; qui cum honores ei invidiosos inquirebant, tum etiam statuis ejus noctè imposuerunt diadema, quo multitudinem impellerent ad salutandum eum pro dictatore Regem:* Hoc idem de Commodo refert Herodianus, inquiens: *Mensarij quidam adulatores, qui ventre atque obscænis voluptatibus felicitatem metiebantur. Commodum juvenem Imperatorem perdiderunt.*

In polit. Christ., cap. 28.

35. Impudens igitur viri improbi assentator, cum laudat, fomitem exhibet peccandi, & nutrimentum perniciosè supeditat, succrescentibus vitijs. Idque causæ, cur Apostolus acriter invehat in priscos Philosophos, quos quasi traditos in reprobum sensum repletos omni pravitate, plenos invidiâ, corruptos avaritiâ, infectos nequitiâ, deturpatos libidinibus, homicidio, contentione, dolo, malignitate vocet Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, susurrones, detractores, malorum inventores, vitiorum fautores, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere; sed unde tanta scelerum colluvies priscos infestavit Philosophos? & homines aliàs scientijs addictos corrupit? virósque supra cæteros de plebe clariores attaminavit? causam addit Apostolus. Quia cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte: *& non solùm, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus*, quia nimirum sapientes contemplationibus assueti rerum divinarum cum præter alia, quæ de Deo didicerant, etiam justitiam Dei cognovissent, secundùm quam digni sunt morte, qui perperam agunt, súntque alijs detrimento, gravíque damno; quia non solùm ipsi faciunt, quod in pluribus poterat ignorantiæ imputari, vel tribui infirmitati; sed quod deterius, consentiunt etiam alijs perversè facientibus, quatenus patrata ab alijs scelera fucato eloquio commendant; & quæ improbanda essent, multiplici approbant laude, & suo consensu ea fovent, quæ radicitùs evellenda forent: & id plus procul dubio malitiæ olebat, quàm si ipsi duntaxat vitijs illis indulsissent; quia lenocinanti concupiscentiæ per patratam libidinem, qui adhæret, semel tantùm delinquit; sed qui peccantem laudat, & authoritate sua consentit in crimen, quod laude fovet, pluries peccat in se scilicet, & alijs, scelera sceleribus agglutinando, quia ut pulchrè Chrysostomus: *collaudare delinquentes ad supplicij pertinet æstimationem, & longè plus est, quàm, delinquere:* & argutam addens rationem, nervose hanc assentatorum protervitatem, quâ

Ad Rom. 1.

Ad Rom. 1.

In homil. de Davide, & Saule.

patrata commendant vitia in præpotentibus exaggerat, inquiens: *Idque jure optimo propterea quod hoc suffragium proficiscatur ab animo plenè corrupto, morbóque insanabili laborante: siquidem is dum peccat, condemnat interim peccatum suum, & poterit aliquando temporis progressu ad se redire, caterum qui laudat malitiam, is se ipsum privavit curatione, quam adfert pœnitentia:* Quàm prava igitur, ac detestabilis est eorum malitia, qui quæ virtuti debentur, laudes vitio tribuunt, delicta commendant, malitiam ut honestate fulgentem extollunt: conclamatum est de protervia horum assentatorum; actum est de eorundem salute, quia se ipsos curatione privant, cùm malitiam laudant, & eorum ulcus fit insanabile; quia vitij laus medicinam avertit pœnitentiæ, & omnem abigit curationem; quandòque in scelere proterviam adiecta laudatione firmiùs implantat; ideóque difficillimæ dixeris remissionis assentatorum delictum.

16. Marci 3. Scio Christum in spem remissionis noxarū adulteros, blasphemos, fures, homicidas, aliósque inquinatos sceleribus erexisse, eò quia pœnitentiæ lachrymis, quæ ex ijsdem maculæ contrahuntur, deleri possint: unum tamen excipi peccatum, cujus malitia spem adurit veniæ, & suo æstu omnem arefacit remissionis radicem, ait Christus. Marci 3. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Non me fugit, multum desudâsse SS. Interpretes in disquirendo, quódnam sit peccatum hocce, quod non habet remissionem in æternum: si enim remittuntur filijs hominum peccata singula; cur non etiam istud, quod nunc excipitur? si enim est peccatum, quod spem omnem suo æstu adurit remissionis, certè infinitam Numinis non commendat misericordiam, quam ad aliam duntaxat coarctat peccatorum remissionem; imò & humanæ imbecillitati ad delinquendū lubricæ, ad vitia pronæ, apta parum videtur hæc peccati irremissibilitas, quæ præmaturè negotium æternæ damnationis concludit. Si igitur adeò enorme est, & atrox peccatum, ut omnem spei adurat virorem, omnémque remissionem excludat, quódnam erit hocce peccatum comitem secum, trahens impœnitentiam?

17. Sed ut omittam quidnam propriè, & speciatim intelligatur per peccatum in Spiritum sanctum, in quo disquirendo, ac pervestigando plurimum laboris impenderunt interpretes, multúmque sudoris fuderunt Theologi; hoc unum me minimè latet, vitiorum laudem, malorum commendationem, seu peccantes commendare, laudibus excipere, & eorum vitia fovere, ac iisdem favere peccatum esse, quod comitem secum trahit impœnitentiam, ut ait Chrysostomus *in præfata homilia de Davide, & Saule.* *Cæterum, qui lauda malitiam, is se ipsum privavit curatione, quam adfert pœnitentia*; cui suffragatur etiam S. Maximus, qui subtiliter, & appositè ad rem nostram ait: Serm. 41. *Qui improbitatem laudat, eam pœnitentiæ remedio fraudat*, nimirum, qui congestis laudibus in præpotente vitium commendat, à vitio turpitudinem abigit, illúdque specie honestatis laudationis penicillo colorat: & quia, quod iniquitatem exuit, & honestatem induit, remedio non indiget pœnitentiæ; subtiliter D. Maximus ait, *qui improbitatem laudat, eam pœnitentiæ remedio fraudat:* est enim pœnitentia improbitatis detestatio, & qui iniquitatem laudat, honestatem accersit in vitio, quia sola honestas digna est, quæ laudetur, & cum ex laudum accessione extinguatur iniquitas, meritò hæc dicitur pœnitentiæ fraudari remedio, cum honestatis censeatur digna encomio: ex eo autem, quòd remedio pœnitentiæ improbitatem fraudat; sequitur, hanc non habitura remissionem in æternum: est enim pœnitentia improbitatis detestatio, quâ pœnitens remissionem sceleris, lachrymarum solutione, verísque doloris ope negotiatur: qui igitur improbitatem laudat, eam pœnitentiæ remedio fraudat, & remissionem in æternum aufert. Non igitur socios laudare peccantes noxa censeatur levis, cum remedium pœnitentiæ excludat, & ipsam improbitatem remissione fraudet.

18. Adulationis blandimenta Principum semper fuêre nocumenta; nunquam deprehendimus assentationem profuisse, sed semper Principibus obfuisse. Nocuit adulatio Neroni, qui fortassis nunquam in tale naturæ monstrum evasisset, nisi ejus lateri stipâssent plures Parasiti ejus vitijs applaudentes: cùm enim vix hominum numero censeri potuisset Tiridatem Armeniæ Regem, invenit referente Tacito, qui Neronem suum Lib. 15. Numen assereret, quia nimirum è Corbulone in Regnum restitutus fuerat, & vicies centena aureorum millia acceperat, ut Cæsarem hoc fuco ornaret adulationis. Nocuit assentatio Caligulæ, quem ex bono cive in Principum convertit monstrum; voluit enim censeri à populo Deus, cum vix mereretur hominibus accenseri. Nocuit Tigrani Regi Ponti, qui vanis quorundam assentationibus illectus ea egit, ob quæ odium universæ Græciæ contra se irritavit. Nocuit Julio Cæsari, cui Lucius Costa, Cornelius Balbus, aliíque assentatores suaserunt, ut se divinis honoribus in templo ad id constructo colià populo pateretur. Eidem etiam authores fuêre; ut diadema, sceptrúmque sumeret, séque Numem salutari præciperet; quod facturus visus fuisset, nisi mors inopina virum, arrogantem sibi Divinitatem prævenisset. Verùm inexpiabilem invidiam hinc vel maximè sibi Cæsar conflavit, quòd accedentes ad se cum honorificentissimis decretis patres omnes conscri-

ptos

Quòd si hominum avaritia toto nisu, totóque studio, beneficio philosophici lapidis studuit convertendis in aurum sequioribus metallis, tametsi nonnisi ventos rete occluserit, vel cribro aquam hauserit; non ita argutissima adulatio sua jacit in littore maris semina; adeò est sagax, ut fructus sciat, vel in solo sterilitatis probro laborante colligere; adeò est mercatrix callida, ut fumos vendat pretium acceptura splendidum; umbras serit, nitores ut demetat; fucos spargit collectura officia, vel dignitates; lenocinia verborum subtili artificio composita, perinde ac retia expandit aucupatura præpotentis gratiam.

44. Hinc dixeris, assentatores polypo haud dispares: piscis siquidem est, qui à scopulo, cui adhæret, colorem trahit: quidni etiam assentator studet præpotenti adhærere, à quo suum hauriat nitorem: imò & marinis similes fluctibus faceres, cum isti littora, per quæ effunduntur, ita blandè osculentur, ut in ijsdem novum videantur colorem induere, illum scilicet quo littora ipsa splendent arenosa: sunt assentatores veluti Prothei, qui facilè alienas induunt formas, séque in species omnes transmutant: imò & speculum videntur æmulari, cum adulatores se se accommodent moribus, & affectionibus illius præpotentis, cui adulantur: sicut speculum quidquid ei objicitur, exprimit; perinde & adulator omnem induit affectum illius præpotentis, cui adulatur. Si ridet iste; risum imitatur assentator; si mœret ille, lachrymas fundit iste; si morbo tentatur capitis, gravedinem affectat adulator; si Princeps interno torquetur dolore, simulat assentator viscerum lancinationes; si furit præpotens, irâ succenditur, cui adhæret assentator: si amat, oleum non cessat huic injicere fornaci, & ignes ignibus addere; si otio delectatur, nil esse dulcius quiete statim asserit adulator: si bella meditatur; hæc adulator eidem suadet, additque magnorum Principum esse ardua semper meditari, nec pacem nisi districto gladio dare. Tandem instar flexilis, mobilisque aëris in omnibus ei se accommodat, cui adulari studet; & veluti psytacus, id pronuntiat, quod præpotenti adlubescit.

45. Præ cæteris verò animantibus chamæleontem videtur, proximiùs assentator imitari, cunctos siquidem colores, unum si excipias veritatis candorem, induit & exhibet; adulator enim se in omnibus alteri accommodat, omnésque facilè ejus induit affectiones, morèsque nititur exprimere, & omnia studet exhibere præter veritatem, quia sicut munus est Oratoris persuadere, Medici sanare, ita officium est assentatoris blandis verborum lenocinijs aures demulcere, & animum fallere, scitè Seneca. *Falsi amici pro consilio adulationem afferunt, & una est eorum contentio, qui blandissimè fallant:* (Epist. 9.) nullus est Mercatorum adeo vafer, qui merces suas sic laudet, pretium ut extorqueat; sicut subtile est assentatoris artificium in suo divendendo fumo vanissimæ adulationis, simulatis encomijs studet sibi corda devincire, arbitrium oppignorare, lenocinijs alterius benevolentiam aucupari, imò & infidelitate fidem sibi adstruere, & occulto odio amorem propalam conciliare. An non geminam adulatio invehit perniciem, morum scilicet corruptelam, & judicij cæcitatem? quæ enim cæcitas eâ caliginosior, quæ rapi se sinit adulationis vento, fumum splendente auri pretio emit, & illusionem beneficium credit; nimirum pro adamante vitrum emere; pro siliqua gemmam dare, pro vanissima aura aurum elargiri? corrupta laudum semina spargit assentator, sed tribulos duntaxat paritura; veluti adblandiens canis accedit, cum intus nonnisi lupi naturam foveat; siáque propterea assentator monstrosa chimera ex natura coalescens canis adblandientis, ac lupi devorantis, quem canis gregem tutatur, hic à lupo devoratur.

In assentatione ajebat Diogenes apud Stobæum perinde ac in sepulchro, vel statua nonnisi purum amicitiæ nomen est inscriptum: sunt siquidem assentatorum amicitiæ sepulchra dealbata, quæ blandimentum candoris extima vultûs superficie exhibent, cum intus nonnisi ferales Manium umbras, vermes corrodentes, ossa arida, fœtores nauseam creantes includant; dixeris, assentatores ea plerísque in locis erecta mausolæa, quæ Parijs incrustata marmoribus, imò & auro etiam illita, nonnisi nomen exhibent denati, ac ibi tumulati; cum præter arescentium ossium congeriem nonnisi umbris sint intus referta: adulatores ementitæ sub larvâ amicitiæ bullatis solent colloquijs turgere, verâ, ac sinceriorâ destituti amicitiâ, & ideo faciles sunt pro geniorum temperamento in laudes scindi varias, perinde ac arbores illæ, quæ dulces quidem dicuntur, eò quia sit ejus lignum absque nervo, & ideò vel maximè fissile. Pharmacopolis si assentatores pariaveris, neque latum unguem te aberrâsse noveris, illi siquidem amara pocula, solent vel auro illinire, vel vario ornatu circumponere, quo faciliùs ad haustum alliciantur, qui ægritudine laborant: sed veriùs apibus similes dixeris, quæ suaviter susurrantes mellifluo quidem blandiuntur ore, sed aculeis inflictura vulnera. Imò Actæonis redivivos videntur canes referre 46.

proprium Herum quoad honorem, & facultatem dilacerantes, quia ut scitè D. Maximus. (Serm. 1. de Adventu.) Quemadmodum Actæon à canibus, quos alebat, interfectus est, ita Reges ab adulatoribus, quos nutriunt, devorantur: Magorum etiam videntur cœtui accersiri assentatores, siquidem præstigijs, lenocinijs, laudúmque fascinationibus falsum vero subrogant; quis est, quem lateat proprium stemma, natale solum, vitæ tenor, corporis constitutio? & tamen si accesserint buccinantes assentatores ab ipsis deformitas corporis venustas dicitur membrorum; natalium humilitas nobilitatis emittit splendores; vitij turpitudo honestamenta fovet virtutum; & Spartam, quam nacti sunt ad unguem ornantes, laudum suavi blandimento, morbidis veluti plumis oculos soporant cognitionis, ut bracteatam felicitatem veram credant, & Circe crudeliores graviora student damna inferre, quia illa suis poculis exteriora duntaxat hominis fertur in bestias transformâsse; cùm assentatores etiam interiora suis corrumpant lenocinijs.

47. D. Gregorius adulatorem similem Scorpio dicit, qui palpando delectat, sed caudâ lædit; imò & serpenti callidissimo, qui Evam decepit; inani siquidem spe lactat, cui eblanditur, quò tutiùs eum supplantet: vel vix supparem Parto dixerim ab extima cute gratissimum quidem exhalanti odorem, quo cætera allicit bruta, quorum tamen cruore postea pascitur: imò & hyenæ sævissimæ, quæ comiter illectos dilaniat, ac interimit: hyena siquidem blandam imitatur hominis vocem, scitque per nomina propria, quos laceret vocare; an non & assentator gratæ vocis obsequio eblanditur, donec in perniciem trahat? Verùm forsan veriùs sirenibus assentatores pariaverim; *sunt* siquidem assentatores, ait Hugo Carensis (In cap. 6. Proverb.), *quasi sirenes diaboli*; alliciunt, ut perimant, eblandiuntur voce, ut in exitium audientes pertrahant. Nimirum jucunda semper est laudatio etiam in crimine: adeò viciato nos ipsos amore prosequimur, ut etiam scelerum nostrorum laudes placeant, ac improbæ delectent laudationes, & quod in alijs damnamus, in nobis velimus commendari. Qui sapit aures hisce blandis sirenibus minimè præbet, illúdque exequitur, quod ad suum Lucilum scripsit Seneca, inquiens: *Sapiens erit, ô Lucili, si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere; firmiori sepimento opus est, quàm usum in socijs Ulyssem ferunt, illa vox, quæ timenda est, non ex uno scopulo, sed ex omni parte terrarum circumsonat: surdum te amantissimis præsta.*

48. Vir cordatus, si sentiat, se ab assentatoribus laudari, illis non credit; & si pergant laudes laudibus coacervare, blandulas has fugit sirenulas; naufragium vel in ipsa expavescens mallacia; imò si omnia encomiorum floribus exornant, laudibus tum dicta, tum facta coronant, ab ijsdem perinde, ac hostibus cavet, censens non amantium esse voces, sed odientium jacula. Gratior semper debet haberi inimicus damnans, quàm assentator laudans, ab illo enim vera scire possumus, ac nostros, quos corrigamus, errores discere: quæ enim ignorata nunquam emendaremus errata, faciliùs cognita emendamus. Optabilior semper est erroris reprehensio, quàm delicti laudatio, amica est illa reprehensio, quâ ulcus detegitur, ut sanetur: *est*, ait Clemens Alexandrinus (Lib. 1. pædag. cap. 1.), *Sapientis, vel etiam inimici reprehensio veluti chirurgia quædam affectionum animi*: resolvit enim, quæ occalluerant pravæ affectiones; expurgat impudicæ, ac libidinosæ vitæ sordes; superbiam coërcet; fastum deprimit, omnémque compescit tumorem, hæc autem amica reprehensio nemini magis optanda, quàm cujus felicitati assentatores crebriùs adulantur: felici enim, ac præpotenti rariùs vera, & amica obtingit reprehensio, cum studeant omnes ejus sibi demereri benevolentiam, ac propterea nitantur ejus potiùs fortunam colere, & operosa adulatione in ejus se gratiam insinuare, quàm aliquid ijsdem nuntiare; si minùs gratum noverint, posse ejus auribus obtingere.

49. Longè igitur optabilior est inimici acris reprehensio, quàm assentatoris blanda delinitio; nihil refert, si manus amica, vel inimica morbo laboranti pharmacum porrigat, dummodo hic optatæ restituatur sanitati: hinc scitè Antisthenes apud Plutarchum *libro de utilitate capienda ex inimicis*, ajebat: *Ad salutem, & incolumitatem tuendam opus esse, aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis*: siquidem illi dum admonent peccantes, & isti dum maledicunt errantes à vitijs ambo revocant. Ad id tamen devenerunt nequitiæ nostra tempora, ut ad liberè, ac sincerè loquendum videatur, & ipsa amicitia vocem amisisse, & loquaci duntaxat assentationi locum cessisse; nec veritatem valeamus nunc ab alijs audire, quàm ab inimicis: sicut Delephus quia medicum, quem concupierat, enancisci non potuit, vulnus hostili lanceæ submisit: discamus & nos, si absint benevoli admonitores, malevolos audire inimicos, qui si nostra delicta castigaverint promptiùs detecta vulnera curatione consolidabuntur, non animus maledicentis attendendus est, sed pharmacum

repre-

reprehendentis benedicendum, & æquo animo bibendum, ut prosit; cui tunc idem obtingit, quod Prometheo Thessalo, quem cùm hostis moliretur occidere, excusso eminus ab arcu telo casu tuber, quod diu fuerat in pectore stabulatum, ita percussit, ac discuit, ut totum pus, & sanies ex inflicto vulnere foras exilierit, & disrupto tubere fuerit vir Thessalus pristinæ restitutus incolumitati. Inimici reprehensiones, ac redargutiones vulnera quidem sunt, quæ feriunt; non tamen, ut necem inferant, sed vitam deferant; plerumque convicium per odium impactum medetur animi morbo ignorato: hinc Ecclesiastes ait, *melius est à Sapiente corripi*; sive is sanguinis necessitudine, vel amicitiæ fœdere sit nobis devinctus, sive hostili dissidio sejunctus; dummodo ulcus indicet, quod sanetur, id sufficit.

50. Fateor interdum adulatores assumpta severiori persona corripere, sed tunc in nugis tragedias potiùs excitant, & perinde ac in Menandri comœdia falsus Hercules inducitur clavam gestans non gravem, nec rigidam, sed potius mollē quoddam, & inane figmentum: ita assentatoris libertas mollis est, & inefficax, ac futilis reprehensio, quia levicula carpit, & gravissima, quæ animum sauciant, dissimulat. Non tamen opportuna semper obtingit, quæ ab inimico oritur reprehensio, cum non rarò veternosa potiùs ulcera exasperet, pudorem pessundet, & odia excitet. Unde ait S. Chrysostomus: *Inimicum me laudantem quidem probo, amicum verò, & reprehendentem amplector: ille & si me osculetur, insuavis est: hic & si vulneret, amabilis*, si enim inimicus laudet præsentem fortiùs damnabit absentem.

51. Quòd si improbatur inimicus laudator, neque probari debet amicus assentator, quia si nonnunquam ab ore inimico laus vera dimanat, certè ab assentatore nunquam: & quamvis inimici oscula nobis videantur insuavia, quia ab ore prodeunt inimico; oscula tamen sunt, & quidem futura amicissima, si os cordi responderet: vulnera verò, quæ ab amica manu infliguntur, cum sint ad salutem, non ad interitum; grata esse debent: amicus enim, si verus sit, nequit aliud velle, quàm amici salutem, hinc David: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me. Oleum autem peccatoris*, ait Cassiodorus, expendens Psal. 140. *Est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus, & blandimentis nostras mentes velut olei pinguedo libenter ingrediens, vigorem veritatis emollit; & ad noxias cogitationes amoris fictis, vel potiùs ostentationis perducit*: oleum assentatorum est, quod regius Vates deprecatur, ut longiùs à se avertatur: siquidem extremam cutem dum emollit, superinfusa reliqua repellit: oleo delinita, alia quæque adscita respuunt, dorsisque etiam obsistunt. Hoc idem & ipsi præstant assentatores, spisso nituntur laudum oleo mentem delinire, simúlque obnubilare, caligines offundunt, quibus lumen adimant veritatis, & pro jubare umbras divendant, pro nitoribus caligines injiciant; tametsi oleata mens hæc minimè videat, quia spisso inuncta assentationis oleo cæcutit; & huc revocandum, quod Antisthenes edixit, minùs perniciosum esse in corvos, quàm in adulatores incidere, eò quia hi viventibus, & illi mortuis oculos eruant, cum enim quisque sibi placeat, facillimum est assentatoribus proprio amori fucum facere.

Psal. 140.

Cæterum si quem noveris assentationibus alteri eblandiri, hunc credas servilis, ac fœminei esse ingenij, instabilis, cum fortuna, quæ hodie pinguis arridet, cras possit novercam agere; si hæc vices mutet, herum quóque, & amatorem immutat: quem enim assentator in culmine demulcebat honoris, si eum credat ex tali deturbatum fastigio, quem verbis commendabat, convicijs statim nititur ejus detrahere famæ, & honori, vel non ampliùs eum laudibus demulcere. Moyses fuerat Pharaonis Deus datus. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, & tunc Moyses apprehensâ virgâ multiplicatum cœpit Israëlem pascere, populo præ[illegible] imò & elementis imperare, exercitum ducere. Verùm cum motis ex Horebo castris ad montis Sinai radices consedissent Hebræi, Moyses tunc pro legibus condendis, cum esset internuntius Deum inter, & populum, ascendit in editiora montis juga, ubi accepit responsa Numinis, quibus populus Israëliticus in peculiarem DEI eligeretur favorem, & præ cæteris adoptaretur pluribus additis promissis; si vicissim populus debitis respondisset obsequijs, ac fidelitatem sponderet nulla legis transgressione violandam: cum verò hæc in montis cacumine agerentur, tertia die cœperunt horribili fragore reboare montis juga, sonare tonitrua, micare fulgura, clangere buccinæ, & quasi flammantes lampades utrinque coruscare nubes, & fumare montis fastigia, in cujus vertice Angelus DEI Legatum agens igneo circumdatus splendore, & terrorem incutiens intuentibus, Moysem ad se evocavit, & Aaronem fratrem, quibus voce terribili leges promulgat Decalogi, quas postea Moysi seorsim accersito post quadraginta dierum jejunium tradidit, geminis lapideis comprehensas tabulis, & digito scriptas Dei vivi: quo tempore plura Moyses didicit cœli arcana, ritus, sacrificia, leges ju- 52. Exod. 7.

diciarias ; constructionem Arcæ fœderis , in qua , cùm duæ legis tabulæ continerentur , summa ejus religio , ac veneratio mentibus insita erat omnium ; erat autem ea cista quadrangula duos cubitos cum dimidio longa , sesqui cubitum alta , ex ligno setino cariem abigente , auro delinito.

55. Verùm quis crederet , cum eo quadraginta dierum intervallo Moyses DEI uteretur consuetudine , in Sinai montis cacumine, populus ad ejus radices moræ impatiens , non ampliùs Moysem Numen vocat Pharaonis , sed virum simpliciter appellat , & immemor gratiarum laxâ munificentiâ ex cœlesti sinu fluentium , ut etiam fœderis cum Deo initi , pactique sacrosancti vitulum ducem sibi dari precibus poposcit importunis , itúrque à cunctis in sacrilegium nefas , exceptis quibusdam Levitis , aliisque paucis , qui tantæ impietati , enormique sceleri restitère. Dixit enim populus Aaroni Moysis fratri , &
Exod. 1. qui erat imperij consors. *Surge , fac nobis Deos , qui nos præcedant : Moysi enim huic viro , qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus , quid acciderit* ; vitulus expostulatur colendus in Numen , nec
Exodi 32. ampliùs populus cognovit Moysem Deum esse Pharaonis dicens : *Hi Dij tui Israël , qui te eduxerunt de terra Ægypti* : cum enim Aaron æquo timidior esset importunis juxta , & nefarijs postulationibus a[illegible]e passus fuerat , ut ex pretiosioribus muliebrium inaurium ornamentis ultro certatim oblatis , vel vitulum integrum , vel caput certè vitulinum sineret ex puro puto auro conflari : annuit igitur Aaron impiæ petitioni , funditur in crucibulis aurum , conflatur idolum ad exemplar simulacri Ægyptij , quod bovina fictum forma , Apidis , Serapidis , Osiridis nomine ab ea gente colitur : & quavis disruptâ morâ , urgente quoque celeritatem operis , & opem præstante cacodæmone cussum erigitur detestabile idolum , tenduntur à cuncto popolo manus bubulo capiti , curvantur genua , cervici cornutæ construitur ara , adolentur thura , mactantur victimæ erecto bovino simulacro , veluti libertatis vindici , Numinísque assertori.

56. Sed si æquè vitulo , ac Moysi eandem adscribunt libertatem , cur non potiùs Moysem consecrârunt in Deum , cum vitulum voluerint ex auro conflari , quem possent in Numen colere ? si venerabundi Israëlitæ manus bubulo capiti tendunt , genúque curvant , eò quia eos de Ægyptiaca vindicaverit servitute , cur saltem non etiam Moysis petierunt ex auro , vel argento cudi simulacrum , quod simul cum bovina cervice colerent ? cum non diffiterentur ab Ægyptiaco famulitio fuisse à Moyse liberatos : imò si solus Moyses ex Dei jussu verus fuit libertatis vindex , cur cultus non exhibetur vero assertori libertatis , sed potiùs ficto liberatori ? quia nimirum apud homines assentatores non merita valent , sed mendacia prævalent. Hugo Cardinalis hanc innuit discriminis causam , quia Israëlitæ Moysem crediderant jam defunctum , vitulúmque ducatûs dignitate condecoratum , ait Hugo : *Putantes mortuum Moysem , redierunt ad Hur , & Aaron , qui locò Moysis erant Duces populi : Judæi itáque putantes se destitutos Duce , recolentes idola Ægypti , & maximè Apim , Thaurum scilicet æneum , postulaverunt Hur , & Aaron , ut fieret eis vitulus conflatilis , qui eos præcederet , & duceret , & quem etiam adorarent.* In Exod. 32.

Tametsi Moyses Deus fuisset Pharaonis constitutus , quamvis populus liberaverit , quia Israëlitæ Moysem arbitrabantur inter sonantia tonitrua , micantia fulgura , munere , & vitâ functum in Sinai montis jugo , non ampliùs eum dixerunt Pharaonis Deum , sed mutatis vicibus in falsa eorundem mente , simplici viri nomine eum appellârunt : *Surge , fac nobis Deos , qui nos præcedant ; Moysi enim huic viro , qui nos eduxit de terra Ægypti , ignoramus , quid acciderit* : Moyses non ampliùs colitur , ut Deus Pharaonis , sed simplex vocatur vir , quia quem assentatores Numinis instar visi sunt adorâsse , eundem mox putantes demortuum , aut munere functum ingratâ spernunt oblivione : secus vitulus , quia dignitatis inscendit culmen , Numen prædicatur , & ultrò oblatis victimis colitur. 57.

Sed cur Sacerdos Aaron Moysis frater tot , tantisque beneficijs cumulatus post existimatam Moysis mortem , saltem titulum præclarum aliquem denato fratri non erexit , ut inde superstes viveret germani memoria ? nulla ampliùs habetur de Moyse mentio. *Dixerunt , hi sunt Dij tui Israël , qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quòd cùm vidisset Aaron , ædificavit altare coram eo* : sed si Aaron vidit , & altare vitulo extruxit , adhuc calente fratris Moysis morte ; cur saltem debita ei justa non persolvit ? cur parentalia non instituit , epicedia non occinuit , quibus præclare virtutes recenserentur Moysis ? cur ad idoli inaugurationem festinavit ambitiosus , & fraternæ oblitus necessitudinis maluit prævaricantis populi annuere votis ? nimirum timuit , ne si populo festinus obtemperaret , neque populus sua eidem præstaret obsequia : & ut indueret auram 58.

popu-

populárem, naturam exuit fraternam; pulchrè Caietanus: *Aaron primatum nolens* (C.32.) *perdere, ædificat altare coram vitulo non expectans rogari:* nullum valuit obicem iniicere inopinus casus, nec luctus fratri debitus, nec absentia doloris vulnus valuit exasperare, sed neglectis omnibus, quæ tristitiam, & luctum consulebant populo assentaturus, & vitulum ex auro conflavit, & aram erexit, & thura adolevit, & victimas mactavit, tanquam libertatis vindici, Deóque assertori; non curavit, quòd populus in execrandam rueret impietatem, dummodo ipse à sua non caderet dignitate; maluit assentator videri, & esse; quàm primatum in populo perdere.

59. Imò observat Tertullianus, quàm aliter se habuerit Aaron, dum vituli exambiebatur ducatus, & dum in culmine jam resplenderet dignitatis; quia ibi necessarium fuit Aaronem adire, ac importunis clamoribus adurgere, imò & repetitis incitare precibus: hic verò non expectat ipse rogari, sed maturat aram extruere, acutè Tertullianus adversus Gnosticos: (Cap. 2.) *Populus tam necessariæ absentiæ impatiens Deos sibi producere quærit, quos potius ipse perdiderit: urgetur Aaron:* quamvis antequam Numinis dignitate fuisset vitulus decoratus, urgetur: festinat mox Numinis dignitate insignito vitulo aras construere, thura adolere; O quàm aliter se gerunt homines erga dignitatem, quam ambiunt, & eam, quâ radiati splendent. Sed quia assentatio vitia secum omnia trahit, statim ab impio sacrificio fit gradus ad cætera flagitia, ad lascivas epulas, ad libidinosas choreas, ad cantus impudicos, & à cuncto populo ad crapulam comeditur, ad ebrietatem potatur, ad nequitiam omnem luditur, omnia sacrilegis vocibus personant, & novus Deus bubulinum caput summorum, infimorúmque gratulatione consalutatur.

§ VI.

Ad id Assentatio pervenit nequitia, ut non solùm ad reliqua vitia viam aperiat, sed & ipsis flagitijs ea exhibeat obsequia, quæ soli debentur Divinitati.

60. AD summum ascendit nequitiæ assentatio, & culmen attingit iniquitatis, cùm non solùm ad delicta patranda, vitiisque indulgendum viam emolliat, verùm etiam flagitia nitatur inaurare, & ipsis delictis obsequia exhibere, quæ soli debentur Divinitati: Aaron frater Moysis, & imperij consors, ut petenti populo aureum vitulum adularetur, ejúsque benevolentiam sibi captaret, non solùm permisit simulacrum vitulinum ex auro conflari ad exemplar simulacri Ægyptij, quod bovina fictum forma nomine Apidis, Serapidis, & Osiridis colitur, verùm etiam quod detestabilius est, voluit, quò magis populi benevolentiam, cui adulabatur, sibi conciliaret, eámque firmiùs possideret, ut vitulino simulacro adolerentur thura, mactarentur victimæ, & genua curvarentur: an non fuit id sacrilegum scelus cohonestare obsequiis soli Divinitati præstandis? est adulatio, quâ judicium non solùm cæcutit, prudentia extinguitur, & mens fascinata prorsus corrumpitur: & tamen eo ipso, quòd nocet, placet assentatio; perinde, ac illa medicata pocula, quæ palato adulantur ob dulcedinem, quam ingerunt; sed hausta, veneno corrumpunt viscera, quæ inficiunt; mordéntque præcordia, quæ mordacitate adurunt: adulatio siquidem gratis solet auribus excipi; tametsi intus nonnisi ruinas, & damna excitet; prudentiam enim subvertit, judicium corrumpit, mentem obsidet; & si ardentiùs grassetur, omnia susdéque vertit, & virtutes omnes radicitùs evertit.

Hæc autem assentationis grata pestis, ac dulce venenum, Magnates præsertim, & præpotentes solet adoriri, quia majori etiam ab ijsdem habetur in pretio, Est enim pinguis fortuna, quæ adulationem nutrit, est dignitas præpotentis, quæ illam fovet, & ei favet: dum enim præpotentes ipsius Numinis dignitatem affectant, gaudent perpetuis demulceri laudibus, ac eblandiri adulationibus; & quia proprio feruntur amore, propensiores sunt ad ea, ut vera credenda, quæ audiunt; quianimirum ijsdem hæc placent, & arrident, adeo ut vel ipsa improba laudatio eos delectet; & quod in alijs damnant, in se ipsis approbant; gaudéntque ab alijs commendari, placeántque propterea ipsis etiam scelerum laudes. Apud præpotentes veritas nonnisi alto supercilio auditur, & is tantùm extollitur, qui cæteris dulcius scit eblandiri, ac mellea demulcere adulatione: studet adulatio ulcus tegere, non sanare: & cùm homines promptiùs dulcedine alliciantur, nolunt veritatem salubri stimulo urgentem audire, sed adulationem excipere, quamvis saporato veneno oblectantem. 61.

Esther fœminarum prudentissima spreto quovis discrimine ad Regem ingreditur Assuerum impetratura, si posset, Hebraici populi salutem; ac conversura ad clementiam, & lenitatem, Regiam mentem fraudibus, & mendacijs contra Judæos præoccupatam: in id unum vota collimàrunt hujus fœminæ, ut exacerbatum Regem ipsa flecteret in clementiam, quâ innocenti populo parceret: *Sedebat ille super solium Regni sui indutus vestibus regijs, auróque fulgens, & pretiosis lapidibus, orátque terribilis aspectu* (Esther 15.) Regis minaces oculi, majestas gravis, vultus ad serietatem compositus, adeo timore Estherem perculerunt, ut lassa, & exanimis corruerit, & toto vultu impalluerit: *Cùm elevâsset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicâsset, Regina corruit;* (Ibidem.) sed fuit fœminæ lapius, 62.

lapsus, quò totus Judaicus populus surrexit; cecidit Regina exanimis, animos datura populo assurgenti; impalluit vulto, quo populus æstuaret gaudio, gestiret lætitiâ; perturbatus enim Rex surrexit, solium deservit, & postquam varijs blanditijs delinitam Estherem ad pristinum reduxisset sensom, de causa inopinæ exanimationis, passíque deliquij cùm sciscitatus fuisset fœminam; hæc ansam inde accepit suas Regi petitiones ape-
Esther 15. riendi: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum:* an non Esther adulationis incurrit vitium, dum Regem tot laudibus commendat, tot gratijs opplet, & summa gloria iosignitum dilaudat? cum enim Regis in solio sedentis vultus ex micantibus oculis pectoris evaporaret furorem, ac erecto supercilio, tela, & neces minaretur: Esther tamen Regis faciem sedem facit gratiarum, vultum Asueri ad singularem compositum normam venustatis testatur; & pulchritudinem Angelicam ejus tribuit ori, quod nonnisi minas, & cædes videbator proferre.

63. Verùm quamvis Estheris verba aliquem videantur colorem præseferre assentationis, non tamen hoc vitio laboravit Esther, sed prudenter laudat, ut inde ostenderet, quàm sit efficax laus ad prædura corda emollienda, ad cervices quantumvis erectas ad votum flectendas; & ad veniam impetrandam: non enim sine mysterio ea protulit elogia, dum violatæ à se, ut videbatur, legis culpam exoptaret remitti, & populum iniquâ senteotiâ cædi damnatum gratiæ restituere Regiæ. Sed inde conjicimus, quàm efficax sit, & potens laudatio ad Principum animos in vota flectendos laudantis; sed qoid aliud est adulator, quàm laudator? ideo omne impendit studium, ut aures Principis demulceat assentator, approbans vel ipsa probra, aotíque nitore illiniens vel ipsas scelerum turpitudines.

64. Fuerat Saul divinam legem transgressus rapinis iohians, licèt divitijs afflueret, quæ cum vitijs sint affines nomine, etiam re ea sibi adsciscunt; cúmque Samuel approximaret, ei statim obviavit, exertísque exce-
1.Reg.15. pit laudibus: *Cùm venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul benedictus tu Domino.* Sed quid tunc respondit Samuel? *ait Samuel ad Saul: sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte.* Sed cur Samuel Saulem rogat, ut velit ipsi permittere, quò valeat ei aperire, ac enartare, quæ fuerat illi nocte iotempesta Deus locutus: si jussu Numinis ad Saulem accesserat, cur Propheta independenter à Regis permissione suum non exequitur mandatum? si solutus ac omni libertate donatus fuerat à Deo missus; cur cùm primùm ei Saul obviavit se non ampliùs liberum fatetur: *sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte.* Si se sini postulat, vinculis se quodammodo illigatum fatetur. Quæ igitur fuerunt hæc vincula, quæ tam arctè Prophetam illigârunt, ut sine Saulis permissu non valeret eidem aperire, quæ nocte fuerat ei Deus locutus. Aliud certè non fuit hoc vinculom, quàm ipsa adulationis iniquitas; nimirum laus illa, quâ Saul obvians Samueli omoi exornatum virtute, omníque oppletum Numinis benedictione deprædicavit: *Cùm venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul benedictus tu à Domino:* semel quòd cœpit Rex Saol blanda assentatione aures demulcere Samuelis, & laudis dulcedine ejus delinire palatum; non valuit liberè linguam solvere, nimirum dum Reus adulationum blandimentis Judici venienti occurrit, laqueos eidem injicit, quibus Judex se quodammodo illigatum sentit; appositè S. Gregorius expendens verba Samuelis ait: *Sine me, quasi dicat, dum à vero-* in 1.Reg.15. *bositate non desinis, ea, quæ audire debes, loqui me non permittis. Potest etiam hoc verbo adulatoris intentio derideri, qui dum blandimento laudis placere se credit eis, quos laudat, se quasi teneri eisdem laudibus arbitratur. Talis est ergo, ac si laudatorem suum electus præsul honesta gravitate derideat dicens: quia me laudas, loqui tibi dura non possum:* nimirum assentatio omnem emollit duritiem, & deprompta laudis dulcedo omnem delet amarorem: est assentatio aura lenis, quæ omnem abigit indignationis nubeculam & serenitatem mentis accersit: est velut imber blandè, ac minutatim dilabens, qui præconceptas indignationis extinguit flammas.

Samuel fatetor, non posse duram in 65. Saulem proferre sententiam, eò quia se sentiat vioculorum laodibus illigatom, nec posse linguam solvere: cùm Saul obviâsset Samueli, cúmque laudibus commendâsset, & grato elogio ejus demulsisset aures, duram fulminare sententiam non valuit contra laudantem. Nimirum Sagax Saul sua inauraturus delicta adulationem adhibuit, quâ laudibus Samuelem commendavit, hisce enim captus Propheta, quæ à Domino acceperat absque Saulis permissu diffitetur, posse aperire: *sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte:* cúmque Saul novisset Prophetam in sua devinctum obsequia, non ampliùs veretur sententiam timidus, sed anhelat eam audire avidus: *Dixítque ei loquere:* sed cur 1.Reg.15. Saul proprij conscius delicti non potiùs silentium indixit Prophetæ, ne turpitudo sceleris cæteris innotesceret, sed omni excusso timore audax injungit Prophetæ sententiam proferre, dicens per modum imperij *loquere?* quia nimirum cum Saul jam laudibus delinitus esset à Samuele fore sperabat, ot Samuel non dura onntiaret, sed tantùm grata pronuntiaret: noverat enim, hanc esse adulatorum iodolem gratis nuntijs aures demulcere Principis, laudum dulcedine palato eblandiri, mellitis verbis omnem excutere acerbitatem; cúmque novisset Samuelem laudantem, cùm

pri-

primùm eidem obviavit, cum crediderat audire adulantem; pulchrè D. Gregorius: *quia ut ipsi placere se laudando adulatores credunt, audire ab eis dura, quos laudant nequaquam putant:* quasi ergo jam læta, aut prospera auditurus subsequitur Saul dicens: *Loquere*, non timuit Saul Prophetam laudantem, quia speraverat prospera duntaxat locuturum, quibus placeret, & arrideret. In. sit.

66. Expetunt præpotentes laudes, quas sitiunt, & communi errore quidquid gloriæ alijs impenditur, sibi detrahi putant: quin & privatos etiam homines tenet hæc alienæ laudis avaritia: putat quisque invidus aliena sublimitate decrescere, cùm tamen coram Principe, vel præpotente sui veluti oblitus, per blandimenta adulationis, lucri adstrictus compedibus, linguæ vendat obsequia: inhians lautiori fortunæ, vel clariori officio in laudum enarratione præsumptum suæ ambitionis satagit habere compendium; & favorem Principis lenocinantis assentationis blandimento nundinari: quasi Principis laudatio gradus construat ad honores, sitque futilis assentatio meritum, quo dignitas fulciatur: hæcque corrupta laudatio adeò invaluit, ut in aulis Principum nonnisi lenocinijs verborum subtili artificio compositis studeant lautiori inhiantes fortunæ Principis aucupari benevolentiam, séque in gratiam eorum præpotentium insinuare, à quibus aliquid sperant auxilij, & qui minus propterea idoneus ad mentiendas vanis assentationibus laudes est, favoribus præpotentum, gratijsque reconciliandis inidoneus habeatur; quasi effusior laudatio ab ambitione adoptata debitum foret Principibus stipendium; quia plus à præpotentibus, & Magnatibus gratiâ obtinetur
Idem 6. assentatione, quàm virtutis exercitatione; jucunda ijsdem obtingit laudatio etiam in ipso scelere; adeo ut teste Beda: *sit adulatio etiam peccati nutrix: sicut oleum flammis; sic in culpa ardentibus solita est fomenta suppeditare.*

67. Quis nesciat humorum omnium esse oleum levissimum, ac blandissimum, gaudet enim cæteris innatare liquoribus: sed assentatio inhians lautiori fortunæ olei imitatur ingenium; affectat alterius splendori consulere, causas tueri, laudes mentiri, & scelera ipsa virtutum obtegere larvâ, ut se supra alios tumidè efferat. Non obscurum dedit hujus adulationis documentum, Doeg Idumæus obscuro natus genere, & in aula Saulis Regis ignobili addictus ministerio, & tamen inter Saulis famulos primus recense- 1. Reg. c. 21.
tur, & maximus: *Erat primus inter servos Saul*, sed cur præ cæteris primatum obtinuit? an quia splendor natalium, virtutum exercitia, rerum gestarum merita, morum comitas, bellicæ exercitium virtutis Doegum ad primam inter Saulis famulos sedem evexerint? non ita sed adulationum mendacijs, assentationum lenocinijs, olei imitatus naturam supra cæteros studuit eminere famulis, cæterisque innatare liquoribus, ut no- q. 17 in lib.
tat Abulensis inquiens: *Doeg per istas adu-* 1. Reg.
lationes pervenerat in magnum favorem Regis, quia hoc non est novum, nec insolitum, adulatores in domibus Regum, & Principum primas obtinere vices, nisi Rex virtuosus valdè sit, qui per veram virtutem falsas laudes & favores compescere queat. Tales Magnates esse præsumunt, quales ab assentatoribus se esse gaudent audire, cùm Doegus cæteris callidior famulis, Saulis non ignoraret mores, sed intimiùs ejus penetraret naturam, lenocinijs verborum subtili compositis artificio studuit ei præ cæteris placere, séque præ alijs hac arte in ejus gratiam insinuare; ejúsque aucupari benevolentiam: consueverat laudes congerere, quibus Saulis demulceret aures; seu aureum consueverat hamum ei exhibere, laudum fuco obductum, quo ejus expiscaretur favorem: in eo studiosissimè semper elaborare consueverat, ut præstò ei essent exquisita præconia ad exornandas tum corporis, tum animi dotes, sicque promeruit sibi benevolentiam, ac inter famulos primæ sedis supremam attigit gloriam.

DISSERTATIO XX.

Excludenda ab aulis Principum est Assentatio: hamum dulci obductum escâ exhibet, quô incautos capiat: nec aliud est Adulatoris laus, quàm speciosa fraus.

§. I.

Qui proprias sinunt aures adulationibus demulceri, ab ijsdem plus obtinet grata assentatio, quàm meritorum coacervatio.

1. Viderat Nabuchodonosor proceram illam luxuriantium foliorum ornatam comis, onustam fructibus arborem prolatis ramis extensam, ac supra cæteras in sublime protensam, ubi garrulæ aviculæ eminentioribus insedebant ramusculis, ubi saporatissimis etiam pascebantur fructibus; cùm leones aliarúmque ferarum greges cauli incubantes, nonnisi deciduis alerentur fructibus: *subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cæli.* (Daniel. 4.) Hanc proceram arborem prolatis ramis extensam, & in sublime protensam ænigma fuisse Regni tradunt SS. Interpretes; siquidem in animalibus ferocientibus, ac mansuetis agnoscunt agricolas, ac milites Regi inservientes, in castris isti; & terræ excolendæ apti illi. & quia in Regijs Principum assentatores non desunt, hos asserunt figurari per garrulas illas aviculas, quæ ramis insiderent celsioribus. Si merita spectares famulorum; si recoleres militares labores, dura certamina, anxia pericula, censeres eminentiori loco collocandos milites, nec volucribus postponendos; & nihilominus garrulæ, & otiosæ aviculæ sublimioribus insidentes ramis saporatioribus vescuntur fructibus; cùm nonnisi deciduis alantur, qui assueti armis tractandis, periculis sunt obnoxii, certaminibus vitam in discrimen constituunt, vulneribus cruentantur, sanguinem fundunt.

2. Quid igitur quòd garrulus volucrum cantus duro præferatur militum labori? quia nimirum à Nabuchodonosore plus obtinebat adulatoria cantilena, dulcis garrulitas, quàm militaris sudor, labórque castrensis, ideóque *in ramis ejus conversabantur volucres*, seu ut notat Glossa moralis *adulatores, & Mimi*; tametsi plus meriti militibus insit, nihilominus ijsdem præferuntur in aula Principis garrulæ adulatorum aviculæ, quæ aures demulcent, & laudum dulcedine palato arrident. Certè si videas inhospita solitudinis pervagari ferocientem leonem, audiásque garrulam aviculam ramis insidentem arboris, quæ nunc continuato spiritu cantum trahat in longum, variet inflexum, distinguat concisum, copulet intortum, promittat revocatum; móxque edat plenum, crebrum, acutum, gravem, extentum, non poteft tibi inter solitudinis illius silentia non horrorem, timorémque incutere leo ferociens; simúlque aures tuas demulcere in tam parvo volucris corpusculo clara, suavis, jucunda, intorta, revocata, inflexa, concisa, & elongata vox artificiosæ musicæ perfecta imitatrix: hæc autem ingenti ipsa modulatio, gratus auribus sonus, qui nunc vi longiore continuato spiritu trahitur, nunc summa quadam cum varietate flectitur, & modò concisa voce distinguitur animum exhilarat; cùm leonis aspectus timorem potiùs incutiat; hic enim ferocit, & illa blanditur; hic rugit, illa modulatur; hic cædes anhelat, illa exhibet blandimenta; & hæc ratio cur à viris Principibus plus obtineat grata adulatio, quàm meritorum exhibita coacervatio. Sed cùm Nabuchodonosor hanc proceram clausis licèt videret oculis arborem, ac modulantibus delectaretur aviculis ejusdem ramis insidentibus, vidit & arborem mox ictibus objectam securis, & garrulas aviculas aliò avolantes; quia nimirum adulatio tamdiu canit, & voce eblanditur, quamdiu spe alitur lautioris fortunæ: *adulantibus enim* ait Justinianus *mos est, semper in prosperitate mulcere, & donec temporalia suppetant, applaudere, quia adulator est amicus in obsequio,*

sequio, hostis in animo, latus ad prospera, fragilis ad adversa.

3. Sunt enim adulatores, qui grata commendationis melodia in auribus Principum citharizant, qui modicæ adulationis favos foras eructant; qui ut munera à divite emungant, ejus caput oleo inungunt assentationis, prælatorum auribus pulvinaria subjiciunt laudum, & ab eorum pallijs, aut fictitium pulverem excutiunt; *aut vestem fictitiè deplumant implumem*, ut loquitur Alanus, *de planctu naturæ.* Eliminat adulatio à palatijs Principum, à domibus prædivitum, ab aulis Regum veritatem, quam excludit extorrem, & ij duntaxat ex procerlibus præpotentibus placent, qui lenius blanditijs palpant, aurésque famæ bibulas calice inebriant Babylonis. Sed si assentatores præsentibus plaudunt, ijsdem plerumque detrahunt absentibus: scimus Janum pictum, fictúmque à Poësi oculatum antè æquè, & retro: bifrons siquidem fingebatur, ut à tergo sibi provideret, & providenter consuleret. Janos non mentitos à Poësi, sed inductos ab ambitione assentatores dixeris, hi enim ore jucundo, fronte serena, vultúque hilari laudant in facie, obsequuntur mellitis verbis, magnitudini adulantur, potentiam extollunt, indolem commendant, qui tamen interna aduruntur malevolentia, quam exteriùs larvâ obducunt benevolentiæ; dulcedinem lactis verbis propinant, quâ fellis amarorem obtegant, & hostes sunt, quia clanculum iniquis linguis famam abrodunt, quamvis palam futilibus assentationibus gloriam extollant; contra quos Gigas ille Procerus Goliathus optimam edocuit cautelam, clypeum siquidem sibi cudi permisit, non tam quo pectus tegeret, quàm & humeros obtegeret: *Clypeus areus tegebat humeros ejus*, sed si clypeus in castris adhibetur, ut manibus tractetur, pectúsque tegatur, & quo ictus retundantur hostiles, qui solent in pectus dirigi, cur clypeum voluit ea constructum arte, ut humeros tegeret: si in valle Theberintea Philisthæos duntaxat sibi amicitiâ devinctos à tergo habuit, & in facie hostiles Israelitarum phalanges; jam clypeus nonnisi otiosè potest à tergo pendere, qui pectori muniendo opportuniùs adhiberetur, ac manibus tractaretur: si Philisthæi erant sibi tum sanguinis necessitudine, ac fœdere amicitiæ devincti; & Hebræi inimici, contra quos in certamen descenderat partes propugnaturus Philisthinorum, cur clypeum non potiùs Hebræis objicit, quos à fronte videbat stantes? si non cum Philisthæis à tergo, sed cum Hebræis à fronte erat certamen initurus, cur non clypeum manu ante pectus teneret ad ictus retundendos Hebræorum? nimirum hoc voluit nobis proficuum exhibere documentum: Goliathus licèt ex gente Philisthinorum quia

Reg. 17. (margin)

tamen corporis proceritate cæteris præcellebat, clypeum voluit sibi æreum construi, qui humeros tegeret, quo ab ictibus non hostilibus Hebræorum, sed invidis Philisthinorum tutus à tergo esset: cùm enim plures ex Philisthæis fuerint ipsi in facie adulati, timuit, ne à tergo vulnera infligerent: à tergo metuebat spicula, ideóque clypeo munivit terga; quamvis Philisthæi ejus plauderent magnitudini palam; timuit, ne clangulum spicula intorquerent, & quem assentatores commendârunt in facie, invidi sauciarent in humero.

De Atticino scribit Plinius, hunc Lustrico Bruttiano arctiori fuisse amicitiâ devinctum assentatrice tamen, quia ei simul adulabatur, & insidiabatur; corrupto enim servo scribæ utebatur ad imponenda Lustrico crimina, quæ eò habebantur ab omnibus vera, quò ab amico audiebantur asserta, ac publica fulcita fide, ait Plinius: *Magna res acta est omnium, qui sunt Provincijs præfuturi, magna omnium qui se simpliciter credunt amicis, corrupto enim scriba servo interceperat commentarios, intercideratque, ac per summum nefas utebatur adversus amicum crimine suo.* Indiguit certè Lustricus clypeo humeris obtegendis perridoneo, cùm Atticinus larvatus amicus ei adblandiretur in facie, & illum sauciaret à tergo; est enim adulatio veræ amicitiæ venenum, veríque amoris corruptela; unde ad Pisonem scripsit Galba: *Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas. Et ego & tu simplicissimè inter nos hodie loquimur, cæteri lubentiùs cum fortuna nostra, quàm nobiscum. Nam suadere Principi quod oporteat multi laboris. Assentatio circa Principem quomodocunque sine affectu peragitur.*

Lib. 6. Epist. 22. (margin)

5. Cùm primùm quis ad pinguiorem illustrioremque evehitur fortunam, comitem statim sibi assentationem adsciscitur, adsunt passim qui lenocinantibus verbis honesta æquè, & inhonesta; proba, ac improba laudant, qui fallacibus blanditijs, osculis ementitis, fucatis amplexibus intima, quæ fovent odia, obducunt exteriùs; & in id tantùm incumbunt studij, ut discant mentiri, fallere, adulatoria humilitate captare; mente aliud velle, & aliud vultu polliceri, hisce enim artibus nituntur viam sibi ad sublimiora sternere, & sicut in aula viget adulatio, ideo rarus est, ex ijs, qui ad Principis admittuntur familiaritatem, qui non studeat ejus vota fovere, & desiderijs eblandiri: scitè Plutarchus de hisce adulatoribus, qui familiarium gerunt personas, larvásque sibi adaptârunt amicorum, ait ipse: *Administer in amore est fidus, in redimendo scorto sedulus, in computationis impensarum subducendo calculo non solutus, nam in parandis ofcitans cœnis, pellicum observator,*

Lib. 1. de adulat. (margin)

6. Ea est eorum indoles, qui Principum latera cingunt, instar centoculi Argi eorum mores, & amores æquè observare, quos si noverint voluptatum studiosos, puellarum statim notitiam ingerunt, & qui sanis consilijs juvenilem ardorem debuissent potiùs sopire, non rarò inveniuntur fovere: hinc rarum fuit, & miraculi instar, quòd Saulis famuli Regem monuerint, quòd à malo exagitaretur spiritu, séque obtulerint paratos & promptos ad medelam cantûs perquirendam: *Ecce Spiritus DEI malus exagitat te. Jubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cytharâ, ut quando arripuerit te Spiritus Domini malus, psallat manu sua, & levius feras.* Si famuli fuissent assentatores, veritatis non extitissent assertores; mali spiritûs agitationem intimi gaudij asseruissent exultationem; ægritudinis malignitatem salutis dixissent jucunditatem: neque exoculatum impetum coërcuissent, sed gratis adulationibus fomitem addidissent; & ideo digni fuerunt, qui ad Principis admitterentur colloquia, cùm fuerint & veritatis assertores & conati contra dœmonem quærere medelam, neque ægritudini excutiendæ magis idoneum comperêre remedium, quàm virum accersere canendi simul, ac pulsandi Cytharam arte instructum; qui & cantus lenimento, & pulsatæ cytharæ blandimento furentem spiritum sedaret, mœrentem animam exhilararet, mentémque exagitatam compesceret: assuetus Saul aurium lenocinijs; blandimenta famuli quæsiernnt vocis, & musici instrumenti; quibus per aures se insinuaret morbi lenimentum, & mentem sedaret furentem.

Lib. 1. Reg. cap. 16.

7. Verùm sicut instar miraculi fuit, quòd famuli Saulis eum malo spiritu exagitari monuerint, ac veritatem dixerint; ita mirum etiam fuit, quòd Saul, cùm ingrato nuntio sentiret aures sibi pulsari, famulis non irasceretur. Regius fastus, qui solis delectatur laudibus, ægrè fert proprios sibi defectus objici: & quia id assentatores non latet, in id incumbunt studij, ut ingratis nunquam aures pulsent præpotentum, sed lenocinijs verborum subtili compositis artificio eas demulceant, séque in eorum gratiam insinuent, ac benevolentiam aucupentur; neque erubescunt sycophantas agere, & mendacia vendere, dummodo aliquid sibi emant commodi; imò adeò mentiri assentatores assuescunt, ut vel ipsam deprædicantes veritatem, nequeant à mendacijs se abstinere, plus æquo delatam vel ab hoste victoriam, vel bene gestum negotium supra ipsam veritatem exaggerantes. Fascinum quoddam esse adulationem dixeris, cùm & ipsam veritatem corrumpat, laudes depravet, & dum plus æquo laudat, laudem ipsam inficiat, culpétque, ac relatam gloriam adulteret, quia ut scitè Democritus apud Stobæum: *Mala laudibus vehere adulterini animi est, & impostoris* immodica enim, & exaggerata laudatio laudatam constuprat gloriam; & tacitè devenustat quem nimium deprædicat, quatenus inanis reum gloriæ insimulat, & futili sua assentatione non victorem adstruit, sed ventosum asserit; eò quia inanem depascatur gloriolam, quâ supra meritum turgeat. Serm. 14.

8. Hinc assentatores veritatem corrumpunt, verásque mentiuntur laudes, quæ ab exaggerata laudatione inanes redduntur, & fallæ deprehenduntur. O quàm pravum omen nomen assentationis! cùm immodica virtutis deprædicatio certa sit vitiorum præsagitio: hinc appositè Tertullianus: *Si non de mendacio erubescit adulatio, timeat saltem de infausto eventu:* quia vel ipsa exaggerata virtutis laudatio, augurium est improbitatis, & præsagium malitiæ: hæc est assentationis indoles, vel falsas adstruere virtutes, vel veras mentiri; ideóque assentator est semper pravus, quia semper mendax, hinc Christus Luc. 6. ait: *Væ cùm benedixerint vobis homines.* Non quia benedictio per se fomentum ullum sit iniquitatis, nec augurium infelicitatis; sed quia mentita benedictio maledictionem accersit. Precatur assentator bona, & præsagit mala, in quo sensu ait Tertullianus de infausto eventu timendam esse laudationem; quia ut scitè Beda: *Ipsa peccati nutrix est adulatio; & sicut oleum flammis, sic in culpa ardentibus solita est ministrare fomentum.*

Apolog. 34.

§. II.

Claudenda sunt aures assentationi; quæ in id unicè incumbit studij, quò lenocinijs verborum subtilis compositis artificio eas demulceat, ut decipiat, & noxam inferat.

9. Tolerabile foret, si adulatio aures tantùm demulceret, & præpotentibus verborum lenocinijs eblandiretur; sed quod deterius, nutrix est, & altrix vitiorum, imò & fomes peccati: siquidem dum assentatio, quæ prava sunt, laudibus commendat, fomitem ingerit ad delinquendum; & melleis lenocinijs, blandísque verbis vitijs viam emollit, præsertim cùm ejus turpitudo plausu buccinatur, & mentita laude venustatur, ideóque Christus, ne sineremus nos decipi ab hisce assentatoribus, hæc nobis suggerit damna, quæ ex assentatione in nos derivant, *væ cùm benedixerint vobis homines:* hinc David Assentatores à se statim abegit, ne lenocinantibus eorum verbis studia corrumperentur virtutum: *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge euge:* quia ut ait Tertullianus: *Si non de mendacio erubescit* Psalm. 39.

bescit

bescit adulatio timendum est de infausto : quatenus fomenta adjicit, quibus vitia luculentiùs vigeant : hinc assentator, & erubescere debet de mendacio, quod profert, & timere de infausto, quod ominatur.

10. Plura sunt linguæ vitia, sed omnium agmen una ducit adulatio, quæ ingentem semper post se catervam trahit vitiorum; si enim tantùm læderet, promptiùs ab ipsa caverent viri Principes; sed quia simul placet, læsionem non attendunt, & quod aures demulcet hilari vultu apprehendunt; hinc adulatio, quamvis grave sit malum, est tamen suave; quamvis lethale vulnus infligat, placet tamen, quia gratum; licèt venenum propinet, quo virtus inficitur, bibitur tamen, quia sua placet dulcedine; licèt inani spiritu inflet, est tamen assentatio grata, quia vel ipsa probra approbat, errores delet, & lethales ignes, quos solet rebellans concupiscentia accendere, extinguit, quatenus flocci facit; idéoque potens semper fuit omni ævo, nec vires unquam perdidit, cùm vividior hoc nostro deprehendatur ævo insolescere, quia ut scribit S. Hieronymus: *Isto maximè tempore regnat adulatio vitium omnium gravissimum, quia humilitatis, ac benevolentiæ loco ducitur, ita fit, ut qui adulari nescit, aut invidus censeatur, aut superbus reputetur.* ad Celant.

11. Putârim, hanc adulandi artem nonnisi ex orco suam traxisse originem, ac sua incrementa subire: & quò plus ætatis habet, plus etiam acquirit roboris, quapropter cùm adulationis artes egregiè calluisset assentator cacodæmon, eò devenit amentiæ, ut vel Christi sanctitatem futili adulatione corrumpere præsumpserit, ut notat Hugo expendens illud: *Cur præcepit vobis Deus?* ait ipse *observa, quòd Diabolus inter omnes creaturas primò nominavit DEUM, ut patet hic. Similiter in Evangelio vocat JESUM Nazarenum* Marc. 1. nimirum totum cacodæmonis negotium erat occultare Christi laudes; & tamen antevertit Patriarcharum, & Prophetarum studium erga Deum, primúsque omnium promulgat DEI nomen, cujus deprædicat laudes: sed cur Lucifer è cœlo pulsus, tam impensè Dei nomen commendat? cur lucifuga cæteros omnes præcedit, ut Numinis nomen, ac divinum deprædicet splendorem? Si Lucifer cum rebellibus suis copiis Numinis admitebatur fastigium conscendere, ac similem, paremque se DEO facere; licèt hostem fuerit expertus, quem parem putaverat habere; cur hostis adversarium laudat? an è summo dejectus cœlo stultescit? an desipit, quia detrusus in tenebricosum tartari carcerem? Non desipit cacodæmon intimans primus omnium Dei elogia, sed versutè sapit ad callidiorem malitiam. Noverat quàm validæ, quàm efficaces sint adulationis vires, ad animos præpotentum corrumpendos; ad Principes etiam fortissimos, ac bellica virtute invictos pugnandos, & expugnandos, ideo primus omnium DEI elogia cecinit, ratus sanctiorem DEI virtutem, verámque Christi sanctitatem posse assentationis ariete labefactare, vel saltem inanem reddere, vel mendacem efficere: siquidem ejus studium in id videtur collimâsse, ut veras Salvatoris laudes prædicaret, quas tamen adulatione corrumpebant, credens posse mentiri: *Cum venisset JESUS in Regionem Gerasenorum occurrerunt ei duo habentes dæmonia, & dixerunt ei: quid nobis, & tibi JESU fili DEI Altissimi*; ubi argutè S. Chrysologus: *Quid est Diabole, quem trina tentatione provocabas ad lapsum, quem promissione Regni, ut te adoraret subdolus ambiebas, nunc tremens, & miserandus prolaberis, & adoras?* Christi elogia deprædicat, & quem paulò ante in sua vota flectere fategerat, modò encomiis commendat: itane oblitus antiqui odij, statim veteres exuit iras? an quia in laudes prorupit, placatior evasit? Intestina non deposuit cacodæmon odia, nec veteres extinxit iras, sed ut acriùs sæviret, ut lethaliùs morderet verba subtili artificio ad leniendas aures composita profert, quibus occulta arte crudeliùs sæviat. O ingenium nequitiæ! blanda adulatione fallere nititur, mellitis verbis vulnerare satagit, quem nervosarum tentationum ictibus, nec flectere potuit, nec emollire: nunc filium DEI altissimi vocat, quem ab altitudine tantæ filiationis dejicere præsumit: nimirum plus fidit blandæ adulationi, quàm acriori tentationi, pulchrè S. Chrysologus: *Quid mihi, & tibi fili DEI summi. Nam & modò ut adulator, non ut devotus, & obsequens hic aderat. Credit infelix ut eum quem tentatione vincere, quem muneribus nequivit inflectere, possit adulatione pulsare.* Matth. 8. & Marc. 5. Serm. 17. Serm. 193.

12. Cùm antea ad Christum in deserto jejunantem accessisset, eique esurienti exhibuisset non panes tantùm ex lapidibus educendos, verùm & spopondisset omnia mundi regna: *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me*, & nihil profecisset, neque in sua vota deserti cultorem flectere valuisset; nunc acriori assultu adnititur laudatum expugnare, quem esurientem non potuit impugnare; viribus nititur assentationis profligare. *Quid nobis, & tibi JESU fili Dei altissimi?* quàm blandè commendat, quàm versutis lenocinijs demulcet aures; ut quem muneribus non valuit inflectere, possit in sua vota assentacionibus flectere. Vel ut versat Basilius Seleuciensis: *præsumpserat cacodæmon veras Christi laudes adulando mentiri inquiens, quid nobis & tibi fili Dei? filium Dei vocat (per assentationem ut ei adularetur) cùm interim filium ignorat esse Dei*: hostes tartarei Christi adulatores eum Dei filium fatentur, quem nesciunt Deum Orat. 25.

esse; & ideo veritatem mentiuntur, ut quæ Christo debebantur laudes, mendacia fierent, & assentationis mendacio veritas corrumperetur Divinitatis: mentiuntur enim veritatem, quia quod dicunt, ignorant, & dum verum dicunt, falsò pronuntiant, hæc enim indoles est assentationis; falsò vel ipsum verum proferre, ut veritas ipsa ab assentatore prolata mendacium fiat.

13. Imò adeò adulatio mendacijs est assueta, ut si in ipso reperiretur Evangelio, vel ipsum mendacio corrumperet, vel saltem falsitatis suspectum redderet. Quærit S. Petrus Damianus; (Serm. 14.) Cur S. Marcus amicitiâ, & familiaritate D Petro præ cæteris devinctus, ejus trinum lapsum in trina Magistri negatione, cæteris luculentiùs recensuerit, & expressiùs descripserit, & ejus laudes reticuerit, quas cæteri Evangelistæ fusiore recensent narratione: & respondet: *Perscrutantes omnes fermè paginas scripturarum, invenire vix possumus spiritum veritatis cautiùs, vel circumspectiùs per alium quemlibet, quàm per os B. Marci fuisse locutum.* Et pluribus interjectis rationem adfert, cur Evangelista S. Marcus tam sincerus, ac integer extiterit in recensendis lapsibus D. Petri, subdens. *Ubi Joannes scripsit (Simon Petrus) ibi Marcus posuit (unus autem quidam de circumstantibus) quatenus sic veritatis historiam texeret, ut tamen Magistri (Petri inquam) gloriam silentio præteriret: sicque veridici scriptoris impleret officium, ut personæ cujuslibet ignorando favorem, assentatoris non incurreret nævum.* Per nullum igitur scripturarum librum cautiùs, & circumspectiùs fuit Spiritus S. locutus de D. Petro, quàm per Beatum Marcum, eò quia intima familiaritate eidem erat devinctus, ideóque solus D. Marcus laudes reticuit D. Petri, quas cæteri Evangelistæ laxiori narratione descripserunt; D. Marcus quia verus amicus omnem abegit assentationis suspicionem in omissis Petri laudibus, & veridici scriptoris implevit officium; si enim amicitiâ sibi devinctissimum laudâsset Petrum, assentatoris forsan incurrisset suspicionem, ac falsitatis suspectum forsan apud homines Evangelium reddidisset, cùm vel ipsa adulationis suspicio vacua non sit mendacij suspicione: & quamvis Evangelium non possit falsitati ulli obnoxium esse, cùm veritas ipsa loquatur, & Spiritus sanctus non possit nisi vera dictare, & suggerere; mendacij tamen apud homines aliqualem fortassis ingessisset suspicionem, ideóque cæteris parcior fuit in recensendis Petri laudibus D. Marcus, quia cæteris fuerat Petro intimior.

14. Mentitur enim adulatio veritatem, & ideò qui vera vel loquuntur, vel scribunt, quavis debent assentationis suspicione carere. Proprium est assentatoribus mores induere præpotentum, quorum exambiunt benevolentiam captare, & propterea chamæleontem videntur imitari, est enim bestiola perquam exigua, humi repens, cui nec succus corpori, hebes, segnis, tarda, vix se à terra suspendens, jejuna semper, & indefessa; quia huic de vento cibus; eleganter Tertullianus: *De mediocribus oppido, sed nomen grande. Chamæleontem qui audierit, aut ante gnarus, jam timebit aliquid ampliùs cum leone, at cum offenderis apud vineam, fermè sub pampino totam videbis illicò audaciam, & graciam nominis.* (Lib. de pallio cap. 3.) Id verò in Chamæleonte notatu dignum, quòd & vento vesci dicatur, & obvios quosque induere colores, quod adulatorem refert, cui in futilibus, vanísque laudationibus à vento videtur cibus esse; & præpotentis sibi faciliùs reconciliaturus benevolentiam, & gratiam, omnem induit affectionem; ac rideat, si ridet ille; irascatur, si ira inflammetur; amet, si amoris prodat signa; otio delectetur, si quieti indulgeat; & sanguinem sitiat, si sæviat ille, cui adulatur.

Plura sunt quæ vividè hoc exprimunt 15.
adulationis vitium, quo ocyus detestetur, non enim adulatores ab illis abludunt gerarijs ancillis, quæ cunas agitantes dulces, blandósque edunt sonos, quibus citiùs, suaviúsque infantem sopiant: sed adulatores nutrices dixeris Diaboli, cùm non laudanda laudent; & grato, sed maligno cantu eos sopiant, quos blandissimis verbis veluti in cunis movent. Moris est, quò nutrices, si infans cadat, inde bonum eruant omen: & adulatores etiam ex ipsis infortunijs student felicia desumere auspicia, & quæ forent acriter perstringenda, in benignos sensus trahere, ac fortunæ favores, ubique fusè commendare, ac largissimè prædicare, repetántque in aula Principis, quod in suo cecinit Persius Musæo: *Quidquid calcaverit hic rosa fiat.* (Satyr. 2.) Sed utinam sicut adulator nutricem imitatur gerariam; ita & is, cui adulatur, hominem imitaretur jam adultum, qui lac nutricis sugere erubescit: homo si sapit, & homo sit, verecundatur lacte pasci adulatorio, & monitum sequitur Salomonis: *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* (Prov. cap. 1)

Si D. Gregorio *Homil. 40. in Evangel.* 16.
credimus; adulatores canes æmulantur pannosi Lazari ulcera lingentes, qui corporis abscessus molli linctu refrigerant quidem, sed non sanant; ita adulatores linguâ, & blandis verbis aures demulcent, sed animi ulcera acriùs potiùs exasperant, quàm sanitati restituant, quia ut sensit Hugo Victorinus: *adulator est amicus in officio, hostis in animo, com-*

optius

pius in verbo, turpis in facto. Imò corvis Antisthenes deteriores assentatores fecit, quia illi duntaxat mortuos discerpunt, cùm isti viventes lacerent; illi oculos cadaveribus eruunt, sed isti cæcitatem animo invehunt. Neque latum unguem à verò abscessit Crates Thebanus apud Pierium, (In Jero. glyph. pag. 181.) cum eos, quorum munificentia in solos diffunderetur assentatores, cum illis contulit arbusculis, quæ tametsi poma ferant, quia tamen in præruptis exesi montis rupibus, vel semidirutis muris, nemini sunt usui nisi milvis, & corvis, qui illuc volatu rapaci feruntur, poma singula furaturi: nomen non meretur munificentiæ, nec liberalitatis, qui nonnisi assentatoribus sua dilargitur. Neque adulatores atros duntaxat, fulvósque æmulantur corvos, sed & albos imitantur.

17. Refert Olaus Magnus sub arctico polo, (Lib. 5. c. 15.) seu glaciali illo terrarum tractu, cui imminet cinosura, lege sancitum esse, ut qui feram interimat, à Regio Præfecto statuto donetur præmio ob cædem toti profuturam Reipublicæ: & quia in terra illa gelu concreta corvi albi esse dicuntur, qui tenellos in grege agnellos, pernicissimo volatu, raptúque interimunt ungularum, ideò venatores hanc satagunt volucrum noxiam speciem sagittis ulcisci, & enectorum rostra corvorum Provinciæ exhibere Gubernatoribus consuetam ab ijsdem accepturi mercedem. An non corvos candidos assentatores dixeris, qui candorem simulantes benevolentiæ viros simplices decipiunt simul, & diripiunt, & ut agnellos simplices depascantur? Quòd si à septentrione ad meridiem gressum direxerimus D. Gregorius, (l. 30. moral. c. 20.) adulatores similes nobis exhibebit locustis Ægyptijs omnia in torrido illo terrarum tractu vastantibus: sicut enim locustæ omne olus, omnéque herbarum incrementum quod blando volatu adeunt, depascuntur; ita adulatio omnibus eblanditur, & omnes lædit; omnibus salutem dicit, & lethale vulnus infligit: dixeris adulationem sagittam ab arcu hostis tartarei emissam, quæ leniter volat, & acriter vulnerat. Quid frequentius in ore assentatoris resonat, quàm, ò quàm bellè, quàm pulchrè, quàm magnificè, quàm præclarè, tametsi probra sint redarguenda, quæ laudibus commendantur: mellea licèt esse videatur hæc adulatorum spuma; est tamen fellea, quæ animum inficit.

18. Imò eò progreditur adulatio, ut quos edocet, ita ad omnem flectat obedientiam, ut fuerint, qui Domini sui salivam lingere non recusaverint, ac si nectar gustâssent è cœlo delapsum. Tales etiam feruntur fuisse Regis Dionysij assentatores, qui Hero expuenti conspuendam obverterent faciem. An non locustas potiùs, quàm homines asseras hujus generis assentatores?

Sunt etiam, qui stellionibus eos pares dicant, sunt stellionibus terga nitida, vario colorum lusu depicta, guttísque luculentibus veluti stellulis vermiculata: ait enim Salomon proverb. cap. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*, & Plinius censet, nullum ex brutis animantibus frudulentiùs homini invidere: adeò ut stellionis nomen in maledictum censeatur translatum: maculæ versicolores, quas tergore lucentes exhibet, linguas referunt assentatorum, qui rebus omnibus fucum student appingere. Stellio est adulator, sed in ædibus moratur Regum, & Jerosolymæ non dicitur stellio domum inhabitâsse egentis viduæ, sed pallatio incubâsse Caiphæ, in aulâ viguisse Herodis, & ad prætorium etiam volitâsse Pilati; quatenus plures non defuerunt adulatores, qui aures demulcerent Caiphæ, Herodis, & Pilati; & nullus, qui exultam à vidua virtutem commendaret; imò non auribus tantùm fuit assentatio Pontificis eblandita, sed & sævire didicit, quò subtilius demulceret; alapam enim Christo pridie mortis impactam sola soggessit adulatio, & solus aulicus assentator eam inflixit, dixit enim: *sic respondes Pontifici?* ac si Christus Dominus minus gratè aures demulsisset Pontificis, eò quia ad votum non respondérit. 19. (Lib. 30. cap. 10.)

Pulchrè etiam Alphonsus Rex Assentatores avibus pariavit Gavijs, cùm enim Rex Siciliæ è portu solveret, ut refert Panormitanus, navémque regiam aves gaviæ facto agmine circumvolitarent, & sermo fuisset de hisce avibus institutus, dixit Rex: non credatis has aves ex se tam officiosas esse, ut hunc nobis honorem suo velint comitatu deferre; sed aliquid à nobis expectant, quod ijsdem projiciamus: ubi enim projectum, quid ipsis fuit jussu regis à famulis, celerrimè illud rapuerunt, & illicò diffugerunt: & tunc graviori vultu suos Alphonsus alloquens dixit, plures sunt ex meis famulis, qui harum avium naturam adnituntur imitari; non tam mihi inserviunt, & eblandiuntur, quàm sibi studeant aliquod inde commodum procurare; inhiant muneribus, expectant donec ipsis aliquid dederim: & ubi oblatam sibi prædam enanciscuntur ab obsequijs statim se subducunt, neque redeunt, donec nova esurierint munera. 20. (Lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.)

Sed fortassis proximiùs ad tineas videntur assentatores accedere; vermes sunt tineæ, quæ depexas tunicas, saccos rugosos, vestes pannosas, ac laceras, sordida palliola non corrodunt, sed pretiosas purpuras, togásque nitentes adoriuntur, ac invido quasi dente mordent. Ex assentatoribus sunt qui pinguiorem anhelant offam, qui prædam sectantur pretiosiorem, qui divitijs inhiant, & obesa ambiunt marsupia, & hi adulatores tineæ sunt, qui in 21.

regijs degunt palatijs, intimiores penetrant recessus, & quos Constantinus Magnus tineas, soricésque palatij appellare consueverat referente Aurelio Victorio in epitoma ad Cæsarem, ubi ait: *quam pessimi mures sunt adulatores, quorum unicus est labor triticum corrodere:* hinc Alanus de planctu naturæ ait, *adulationis unctio est donorum emunctio*, laudat quidem adulator, sed non est verus amator, quia non Principem quærit, sed bona Principis sibi quærit: adulatores sunt deceptores, nec aliud est adulatoris laus, quàm speciosa fraus, est enim adulatio aureus hamus dulci quidem contectus esca, ut faciliùs minus cauti capiantur: pauci sunt in aula sinceri Principis monitores, benè tamen plures Inveniuntur adulatores: rari sunt, qui moneant, ut prosint; multi verò, qui eblandiuntur, ut obsint.

§. III.

Sua Præpotentibus præstant assentatores obsequia, ut ad pinguiorem promoveantur fortunam: cadunt humiles, ut assurgant turgidi; genua demittunt, ut caput extollant; & cameli instar se flectunt, donec accipiant.

21. QUod oleum est muscis, formicis, aliisque insectis, id assentatio est Principibus; sicut enim teste Plinio *lib. 11. cap. 9.* hujus generis insecta oleo peruncta moriuntur; ita Principes assentatione, & obsequio palponum, plerumque in exitium etiam volentes trahuntur. Imò non soli Principi assentatio nocet, sed totam plerumque Rempublicam evertit, ut enim ranæ ultra consuetudinem coaxantes; ac vocales procellam produnt imminentem; ita cùm plurimum apud præpotentes verba valeant assentatorum, inde necessè est, rerum immineat aliqua turbatio, & plerumque hujus subversionis causa Princeps est, qui assentatores fovet, iisque favet: siquidem ut notat Guilielmus Parisiensis. *Tract. de virtut. c. 17.* Vitium adulationis apud eos maximè Principes viget, qui à suis domesticis consilium non petunt, sed consensum expetunt: vera dicerent plures in aula probi, si audire vera Principes vellent, sed quia quæ arrident, & aures demulcent, ea libentiùs audiunt; inde fit, quòd suis non sit aula eblandientibus destituta sirenulis, quæ blanda duntaxat voce, verborúmque lenocinijs Principi studeant placere.

22. Quòd si mortiferos hos sirenum cantus surda præterirent aure Principes, non fluctuaret maris instar aula, nec tam crebra obtingerent naufragia. Ulysseâ indigent Principes cerâ, ne ab hisce decipiantur sirenulis, scitè Petrus Ravennas: *Benè cum Magistratibus ageretur, si scirent Principes, & qui cæteris præsunt, laudem, inter & adulationem distinguere: sed cæca laudis ambitio plus credens alijs de se ipsa, quàm sibi, utrumque accipit indistinctè, & Principes ampliant eos beneficijs, quos torquere deberet:* lethalis est blanda hæc sirenularum vox; eblanditur, sed vulnus infligit; suaviter afficit, sed acriter inficit; cùm enim blandæ hæ sirenulæ vitia commendant, fit petulantior, qui vitio indulserat, cui propterea libentiùs adhæret.

Sunt etiam, qui assentatores pelliones dicant culcitras subalares construentes, & cervicalia mollissima consuentes, quibus tamen Ezechiel minatur, inquiens: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas:* Pelliones sunt, qui probra laudant, improbitatem probant, hi enim molli farciunt homines lanâ, pulvillos consuunt, quos substernunt, ut placidiùs obdormiant vitio indulgentes. Moris est in partibus præsertim septentrionalibus, quo pauperes Lyricines stipem petentes ostiatim, disquirere solsant, quodnam Choreuma hero domûs magis placeat, & illud repetunt, donec aliquid accipiant; ab hisce pulsantibus lyras vix abludunt Principum assentatores, omni siquidem hora auribus serviunt, & quod noverint Domino magis arridere, id verborum blando lenocinio insusurrant, rati Principis saltem posse aucupari gratiam ungunt, ut aliquid emungant; oleum vendunt eblandientium verborum, pretium acquisituri aureum; hinc adulatores D. Gregorius olei vocat venditores, propterea ajebat David: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum: corripiet me justus in misericordia, & increpabit me:* noluit David oleo ungi assentatorum, sed increpatione corrigi veri monitoris. 23. *Cap. 13.* *Psalm. 140.*

Prudentes virgines, quia lampades suas maturè ornaverant, fatuas riserunt, dicentes, *Ite ad vendentes, & emite vobis:* quasi dicerent prudentes insipientibus, verè probæ fuistis, dum laudem tulistis: oleum vobis vendebant, qui vos laudibus inanibus in cœlum extollebant, jam nunc ite ad illos, & quod vobis oleum placuit, vobis ex illo emite. Dementiam fatuarum virginum riserunt prudentes, quia cum istæ verum meritorum oleum per virtutum exercitia sibi comparaverint; illæ fucato inanis laudationis oleo inunctæ, verum neglexere, quo potuissent, & ipsæ suas ornare lampades: appositè D. Augustinus. *Falsa laus adulatio est; falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris. Propterea & homines cum falsa laude aliquem irriserint, hoc etiam de illo dicunt, unxi illi caput:* oleum igitur peccatoris laus est adulatoris, & adulationis unctio nil aliud, quàm munerum emunctio: magis noxium est, dolce adulationis oleum, quàm amarus detractionis morsus; detra- 24. *Matth. 25.* *Tom. 8. in Psal. 140.*

detractio enim exteriora tantùm inficit, cum adulatio interiora sus déque vertat; detractio famam inficit, sed adulatio animum sauciat. Hæcque ratio, cur viri cordati à quavis semper visi sunt assentatione abhorruisse.

25. Scripserat Aristobulus Spissum de rebus ab Alexandro Macedone gestis volumen, in quo cum plura supra viri fidem vana assentatione affinxisset, & plura eidem Macedoni, cùm flumen trajiceret, recitasset, Alexander indignatus arreptum è manibus librum in fluvium demersit Hydaspem, & Aristobulum alloquens dixit. Tu quidem dignior eras hac unda obrui, qui solus me sic pugnantem facis, ut vel uno jaculo plures interficiam elephantes. Verùm quamvis sint potiùs adulatores odio digni, ab omnibus tamen amantur; nec omnes Alexandrum imitantur, vel Sigismundum Imperatorem, qui uni è Procetibus nimias laudes in se congerenti alapam inflixit, inquiens; *Cur me adulator tam acriter mordes?* Sigismundum imitatus Ladislaus Rex assentatores consueverat colaphis cædere, cujus rei causam rogatus, respondere consueverat, *percutientes me repercutio*, & hac arte jucundè simul, & sævere palpationem castigavit.

26. Carolus Quintus cum Parisijs diserta oratione publicè laudatus fuisset, patienter audivit, elegantiam commendavit orationis, artem laudavit oratoris, cui etiam respondit: grata mihi fuit tua in me benevolentia: sed laudes tuæ non qualis sim, sed qualis esse debeam, me docent, neque enim adulatoris laudatio, laudati est melioratio *multas pecunias*, ajebat S. Gregorius Nazianzenus: *Laudatoribus numerarem, si me laudando meliorem efficerent. Verùm aliter obtingit, quod enim sum, hoc idem in me manet post recensitas laudes; sive conviciis impetar, sive laudibus evehar, idem semper sum, ac antea:* Cúmque nil assentatio reipublicæ afferat emolumenti, nec privatis civibus; à Principum sagacitate excogitatis remedijs radicitùs esset adulatio evellenda, idque probè intelligens Tiberius Cæsar servilem Senatorum Romanorum adulationem perstringere consueverat. Ait Tacitus. *Adeò infecta, & adulatione sordida fuerunt tempora illa, ut non modò primores civitatis, sed omnes Consulares, magna pars eorum, qui prætura functi, multíque etiam pedarij senatores certatim exurgerent, fœdáque, & nimia censerent. Memoria proditur Tiberium quoties Curiâ egrederetur, græcis verbis in hunc modum eloqui solitum: O homines ad servitutem paratos! scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projecta servientium patientia tædebat:* imò referente Tacito idem Tiberius Junio Gallioni adulatori exitium pro præmio rependit, ait Tacitus lib. 6. Annal. *Hoc pretium Gallio meditata adulationis tulit statim Curia, deinde Italia exactus, & quia incusabatur facilè toleraturus exilium, delectâ Lesbo Insulâ nobili, & amœna retrahitur in urbem, custoditúrque domibus Magistratuum.*

Orat. 3. de pa.

Lib. 3 Annal.

Non Magnatem, & præpotentem, cui adulatur, amat assentator, sed se ipsum, & proprium commodum quærit; genua flectit, totúsque in adorationibus procumbens humillima sua exhibet obsequia præpotenti; sed quia fore sperat, ut per præstita obsequia promoveri possit ad pinguiorem fortunam; cadit humilis, quo assurgat turgidus; genua flectit, quò caput extollat; pronus se ad obscura quæque exhibet servitia, quò illustrior emineat; & cameli instar, flectit se, adorátque donec accipiat: tamdiu enim obsequium durat, quamdiu spes lucri affulget: illos duntaxat præpotentes assentator adorat, à quo beneficium aliquod assecuturum sperat. *Accessit mater filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo.* 27.

Math. 20.

Mirũ sanè quod nusquam alibi hæc mulier legatur Christum adorâsse: si eum noverat Dei filium, si audierat, vel forsan & viderat, pleráque perpetrâsse miracula, & visum cæcis, gressum claudis, vires infirmis, sanitatem ægris, munditiem leprosis; imò & mortuis ipsis vitam benefica restituisse munificentiâ; cur non pluries antea in terram prona adoraverit, quem noverat divinitate inunctum? fortâssis nondum didicerat adorare; quia nondum assueverat aliquid ab ipso petere; tunc incipiunt in mundo obsequia, cum spes incipit affulgere alicujus lucri; ideò non legimus alibi matrem filiorum Zebedæi adorâsse Christum; quia non legimus aliquid petivisse; ideo incepit adorare, quia cepit sperare; non adoratura fortâssis nisi sperâsset: expressit hæc mulier adulantium indolem: *qui donec accipiant manum exosculantur dantis. Ecclesiast. 29.* 28.

§. IV.

Præpotentes, qui assentationibus gaudent inflari; nominibus, ac titulis delectantur, quibus alienam sibi arrogant excellentiam, quâ adjiciuntur propriam obtegere vilitatem.

Satagunt assentatores, lucro inhiantes præstitis priùs obsequijs benevolentiam aucupari præpotentis, & ad id adorationes, manuum exosculationes, totius corporis profundas inflexiones, veluti retia expandunt, donec postulata recipiant: non credas ex amore assentatorum venerationes prodire, sed ex sola spe lucri censeas oriri; tamdiu adulatores sunt obsequiosi, quamdiu aucupes, ac venatores sunt proprij emolumenti; si spes lucri exarescat, incipiunt, 29.

&

& obsequia deflorescere. Sed quia cæteris, qui præpotentia, dignitate, vel virtute præcellunt; præ reliquis etiam amant commendari, ac plus cæteris sb hominibus coli, fit qnòd adulationibus adeò principes, ac potentes dementententur, uti Cœlitnm, si non beatitatem in re, felicitatem saltem sibi in nomine arrogent, ac olim Divi appellari voluerint; hoc enim specioso nomine voluerunt insigniri Romani Imperatores, ac vocari Divus Octavius, Divus Nero, Divus Trajanus; cum vitæ negligerent probitatem, solius nominis affectabant sanctitatem; spurcitijs inquinati vitiorum, nitoribus inhiabant honorum; & cum volutarentur in cœno, ac si splenderent in cœlo, ut Numina cœlestia jubebantur coli; cum tamen quam apud homines Divinitatem affectsbant, sceleribus corrumperent, ac flagitijs delerent.

30. Qui verè magni sunt, seu vera splendent sanctitate insigniti, exiguis lætantur nominibus indicari, quia futilia oderunt adulantium lenocinia, quæ aures mulcere valent, non animum exornsre: secus qui, nullâ virtntum culturâ insignes sunt, imò morum corruptela depravati promptiùs assectatores amplectuntur, à quibus magnis, ac tumidis gaudent nomenclatiooibus inflari.

31. Pluribns commendatur laudibus Probus spud Vopiscnm, *eò quia adolescens esset sui Nominis.* Plures tamen sunt, quibus suum oomen, suum non est: hi sunt, qui sssentationibns delectsntur, & speciosis, pulchrísque nomenclaturis student morum obtegere fœditatem; fallúntque propterea rem ipsam mendacio nominis, fucóque adscitæ assentationis. Plerumque nomen qualis res sit, exprimit; & persæpe à nomine res ipsæ plurimum hauriunt pretij; plurísque æstimantut; ex quo intulit Tertullianus: *ergo ne quis recuset nomen, tanquam judicem suspectum.* (Lib. 4. contra Marcionem, cap. 4.) Suis ut nomina rebus respnndeant: non temerè imponendæ sunt nomenclationes; sed purgatum in ijsdem est adhibendum judicium, & Adamo suppar, qui felici in innocentiæ statn nulli nomen rei imposuit, nisi inditâ priùs sibi divinitùs sapientiâ, ne in imponendis nominibus, quæ rebus congruerent, erraret. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam anima viventis ipsum est nomen ejus.* (Genes. 3.)

32. Voluit Deus terum Conditor mundi opificium cum Adamo partiri, quem adscivit, quò rebus à sua conditis omnipotentia nomina imponeret, quæ sciret ijsdem aptiùs congrnere; posuit Deus in mundo animantia; imposuit Adam animantibus nomina, quibus apta distinguerentur varietate, ac nominum proprietate eorundem secernerentur naturæ, quæ Adæ erant exploratissimæ; fuit Deus naturarum conditor; & Adam artifex fuit oominum; è nihilo eduxit Deus species omnes animalium; sed nomina induxit Adam, quæ naturarum responderent proprietatibus: cùm enim exploratissimas eorundem hsberet naturas, oomina indidit, quæ aptè iisdem congruerent, ut enim scitè notat Philo: *qui res velut per anatomiam considerant, facilè assequuntur, appellationes eorum proprias.* (Lib. de agricul.) Quasi nequeat quis nomina rebus indere, quin anatomiam calleat, & medullitùs res introspiciat, convenientia ijsdem ut nomina imponat: cúmqoe Adam optimè rerum naturas, indoles, propensiones, totámqun calleret anatomiam, voluit Deus cum ipso mundi partiri opificium, ut nomina rebus congruerent, & earundem naturas prnderent: pulchrè Basilius Seleuciensis inducens Deum cum Adamo loquentem ait: (Oratio) *Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes: formentur à me, nominentur à te, quæ procreata sunt, me cognoscant artificem naturæ lege, te Dominum intelligant appellationis nomine, inde nomen, quibus ego essentiam.*

33. Verùm deficiente postea Adamo per violati præcepti tnmorem, quo & ipse ex suasu Evæ Divinitati inhiaverat, & grande nomen sibi comparare; in uniusmali esu, à quo malum omne prodjit in ejus posteros, adeò deptavata est in homine terum notitia, ut nominum inde etiam corruptela effluxerit; nec ullus ampliùs extet Adam exploratissimas habens rerum natutas, & qui propterea nomina rebus imponat, quæ verè ijsdem congruant; & ad id plures videantur purgatissimæ mentis consiliarij, qui collatis consilijs conjiciant, qualénam nomen sit rei imponendum, cui aptiùs congruat, ut censuit Septimius, qui hanc impositionem dixit *consilium nominis:* quia perinde ac in Regum curia solet Senatus, seu consilinm depntari pro rebus gravioris momenti discutiendis, & à quibus etiam consilium suam trahit nomenclationem, ut consilium rei nummariæ, consilium tei frumentariæ, consilium rei politicæ, consilium rei bellicæ, eò quia in negotijs istis peragendis graves soleant difficultates occurrere, quæ prudenti, ac matura indigent discussione, ac consilio Senatorum; ita ad nomina, vel cognomina imponenda, conservanda, varianda, detrahenda videatur, nunc etiam necessarium, ut ajebat Septimius *consilium nominis:* plures enim nomenclatione insolescunt, qui nullins sunt meriti, nullóque fulgent virtutum ornatn; quia præpotentes sunt, quia divitijs affluunt, licèt vitijs deturpentur; assentatorès, à qnibus aures demolceantur, ad se cupiunt accersitos; ut magnis nomenclationibus audiant impleri sibi aures: cùm raò videantur nomina rerum naturis, ac meritis respondere, con-

consultissimo

fultissimo opus esset Senatu, à quo nonnisi prævio examine, & præmatura discussione nomina inderentur juxta merita earundem rerum, quibus imponuntur: cùm à nomine multæ virtutes sint, & plura flagitia, opus esset nominum discutere superstitiones, mendacia, libidines, otia, auguria, ac superbas ambitiones, quibus pumiliones, si non re, saltem nomine vix suppares se gigantibus faciunt: hinc Tertullianus lib. adversus Marcionem ait (Cap. 7.): *Quanti nequam servi Regum nominibus insultant Alexandri, Darij, & Holophernis*: emersit hæc pestis è putido tartari specu, cum primùm cacodœmon, ut loquitur S. Hilarius (Cant. in Matth.). *Evam & hac mediante etiam Adamum divini nominis ambitione corruperat.*

34. Degebant Protoparentes in loco ad omnem consito amœnitatem, & qui omnis erat honestæ voluptatis sedes, ac deliciarum omnium vivarium, cùm illic arborum vireutes comæ, plantarum luxuriantes frondes, fructuum delicati sapores, florum lenocinantes odores, omne adferrent oblectamentum palato gustûs, odoratui narium, visuíque oculorum: ibi in areolas lascivientium herbarum, suósque in ordines germinum distributio oculos æque ac animum illiciebat, ut etiam fundi margines, virgoltorum sepes, ambulacra spatiosa; apricantium herbida solaria, virides porticus, meridiantium umbracula: stabant enim artificiosis partiti spatijs luci, saltúsque, ut in plures hortos unus videretur hortus divisus, & una sylva in plura partita nemora, plantaria, vireta, & pomaria, ubi humus semper virore læta, nec suis destituebatur autumnis, nec messium frustrabatur felicitate; cùm arbores, aut in spem fructûs se folijs induerent, aut in spei fructum onerarent: in hoc enim amœnissimo, ac ridente loco condidit Deus ad suam imaginem Protoplastos; quibus etiam spiritum impertijt nulli obnoxium corruptioni, sed immortalitate donatum, eúmque instruxit non rerum tantùm naturalium cujusvis generis, sed earum etiam, quæ spiculum naturæ lumen superexcedunt scientiâ, & cognitione, cui addidit gratiam sanctificantem, quâ ab ipso ortu Deo grati, familiares, amici, filij, ac sancti constituerentur, & huic adjunxit innocentiam primigeniam, cujus beneficio appetitiones omnes, ac cupiditates nonnisi juxta præscripta dictamina rectæ rationis movebantur; cui etiam ad nutum parebant: sed cum primòm nomini cœperunt inhiare divino, auresque dare adulatori cacodœmoni insusurranti: *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*: tunc ut ait Hilarius divini nominis ambitione statum corruperunt innocentiæ: & quas Adam meruit pœnas, easdem diffudit in posteros omnes; luit enim in suo protoparente posteritas, & quod unus deliravit, plectuntur omnes: sicque cacodœmon adulator non Adamum tantùm, & Evam; sed totam eorundem posteritatem, ut loquitur præcitatus D. Hilarius Divini nominis ambitione corruperat.

Sunt etiamnum plures ex infima plebis 35.
fæce, qui ambitiosè cognomina sibi usurpant illustrium familiarum, & quæ servitio mercati fuerant cognomina, fastosè venditant, ut hæreditario sanguine agnata: & vel ab ipsa servitute, ab adulatione nomenclationes transnominantur, adulterantúrque nomina vitio assentationis. Appositè S. Basilius Seleuciensis explicans illud (Orat. 9.) *Matth. 8.* ubi Christus dixit de Centurione: *Non inveni tantam fidem in Israël*: graviter accensat nomen Israëlis, inquiens: *Nomen, quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum est, ut ampliùs incredulitatem tuam patefaciat; cur igitur appellationi, cujus virtute cares, contumeliam irrogas? quid gestas cognomen, quod personæ probro sit? factis appellationem impugnas, & calumniâ nomen tuum afficis?* Imò tot corruptelas, tot vitia, ac flagitia in nominibus deprehendit Salvianus (Lib. 1. & 4. de gubern.), ut homines plurimos adulterini nominis reos esse dixerit, inquiens: *magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accensat: reatus impij est pium nomen*: plerumque pietate nominis, satagunt homines morum obtegere turpitudinem, animísque impietatem, & tunc nomen ipsum reatus est, & Rei nominis sumus: mendacijs delectamur nominum, cùm hæc nec moribus respondeant, neque rebus congruant: placent nobis flagitia nominum, cum nominum virtutes quærimus, quibus nostra cohonestentur vitia, & flagitium nominis crimen extinguat morum: subtiliter Tertullianus *libro de resurrectione Carnis.* ubi carnis nomen egregiè castigat (Cap. 4.), inquiens: *Post totum ignobilitatis elogium caduca carnis in originem terram, & cadaveris nomen, & isto quoque nomine peritura in nullum inde jam vocabuli mortem*: perpetrant, & nomina sua flagitia, quibus & commensum nominis debetur supplicium, éstque Tertulliano cadaver appellationis vocabuli mors, ne delicta impunita manerent, si in nominibus grassarentur impunè.

Quemadmodum suis corrumpuntur 36.
nomina vitijs, ita & virtutibus cohonestantur: non enim exigua est vocabulorum laus, quæ vel maximè rem venustat, ut enim ait Cassiodorus. *Nomen auspicium est rei* (Lib. 5. epist. 3.), & faustè is videtur rem auspicari, qui pulchro nomine præsagit eventum: auspicium enim nominis gratiam impertitur rei benè, ac prosperè gerendæ: imò tanta certitudine gratiam operatur suam, & auspicium implet, quod præluserat, ut dixerit Septimius, *fides nominum salus est proprietatum*: est enim nomen quædam

quasi rei fides prodroma futuri eventûs: sicque propterea perinde illustre nomen, ac omen faustum, est quasi quædam prægustata in omine, ac nomine felicitas; quâ ratione non abs re Tertullianus vocat hoc ex nomine auspicium: *Nominis censum*; census enim priscos apud Romanos facultates omnes significat, & honores, & censûs sortiebantur nomenclationem, eò quia à censore per lustra notarentur, ut significet propterea nominis census, omnes opes, & honores inveniri in nomine: hinc Basilius Seleuciensis ipsum hominem metallo æquiparat, & nomen imagini, quâ numisma cuditur, inquiens: *Potestatem fecit Deus Adamo nomina procudendi:* & sicut præcipua numismatis laus ab ipsa hauritur cussione; ita ejus taxatur valor: non enim metallum nondum in nummos cusum prælô, numi habet pretium, cùm in sua adhuc jaceat massa informi, ac rudi; estque propterea res sine nomine, à quo honoris est censura, & census opum.

In Apologet. cap. 11.

Orat. 19.

37. Hæcque ratio, cur assentatores magnis studeant nominibus, tumidisque nomenclationibus aures implere præpotentum, quibus aliquid in nomine videantur exhibere auspicij, & laudis; affectat enim & ipsa ambitio nominum suum fastum, quia à nomine res censentur: sed tunc nominum consilio opus esset, ut consultiùs nomina dispensarentur, rebúsque juxta proprias naturas,& mores, & propensiones inderentur. Certè audacia, & rapina tot grandia non furarentur cognomina; si virtus, & merita hæc rebus impertirent; plures sunt qui solo nomine inflati, re ipsa vacui deprehenduntur, perinde, ac sphæricæ in aqua ampullæ, quarum totus tumor in extima superbit superficie, cum intus nonnisi simplicis aëris contineant inanitatem: appositè Theodoricus Rex apud Cassiodorum alloquens suum Felicem ait: *Sumpsisti nomen ex meritis custodi, ut semper lateris veritate vocabuli. Nam cùm omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est, portare nomen alienum, & aliud dici, quàm possis in moribus inveniri.*

Lib. 2. epist. 10.

38. Hinc Alexander Macedo cùm quendam ex suis militibus bellica virtute non adeò instructum interrogâsset, quo vocaretur nomine, & respondisset, vocari Alexandrum, retorsit Rex; vel igitur gere te, ut nomini tuo gesta respondeant, vel nomen muta: Alexander vocaris, sed Alexandrum non imitaris: ego ad pugnas animosvoco, pericula flocci facio, in hostem irruo: sed tu cùm primùm hastatas vides insurgere phalanges, animo cadis, si vides ex vulnere alteri inflicto sanguis affluere, ore pallescis; aut igitur nomen muta, vel Alexandrum in bello imitare.

Eò intumescit humana assentatio, ut grandia etiam, & hæc sonantia nomina quærat, quibus præpotentum non solùm implere, sed & inflare aures valeant, huc pertinet S. Chrysologus, qui ait: *Reges triumphorum suorum titulis nuncupantur, & subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta:* quibus etiam gaudent suis ab adulatoribus demulceri, aurèsque impleri: nimirum homines ventosi superbiâ tumidi,nomina inflant, ut non tantùm homo, sed hominis nomen turgeat: nominum igitur somniata phantasmata affectant, & somnia assentatores vendunt, favores empturi præpotentum, phantasias exhibent inflatioris vocabuli, quò ad pinguiorem promptiùs evehantur fortunam. Hinc Ennodius *in Panegyrico* Theodorico Regi adulatur, eò quia non sicut cæteri Reges tumidis inhiaverit nomenclaturis, sed nomina repudiaverit pomposæ jactantiæ: inquiens. *Quid frustra majores nostri divos, & Pontifices vocârunt, quibus sceptra collata sunt. Singulare est tibi actibus implere sanctissimum, & veneranda nomina non habere: Rex meus, ut dignus vitam agat ex fructu conscientia, nec requirat pomposa jactantia nuda vocabula, in cujus moribus veritati militant blandimenta majorum.* 39.

Serm. 10.

§. V.

Adeò vanâ Præpotentes dementantur assentatione, ut mortalium dedignati conditionem; cultum soli Numini debitum sibi arrogent.

Eò progressa est Principum vanitas, ut non solùm ab assentatoribus divorum exegerint nomenclationes; verùm & cultum, qui soli Numini est debitus, sibi quandòque arrogâverint. *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices*, ubi D. Gregorius expendit: *Per Deos, quandóque sublimes designantur.* Hoc unum terræ sublimibus, seu præpotentibus deerat, Deitatem sibi usurpare: adeò vana dementantur assentatione, ut quia supra se neminem in terris esse mortalium autumant, Deos se fingant immortales, velintque divino honorari cultu: neque desunt assentatores, qui eis eandem ultrò attribuant divinitatem, *ut sciat*, (ait Holophernes) *omnis gens quoniam Nabuchodonosor Rex terræ est, & præter ipsum Deus non est:* quàm stultè adulatur Holophernes Nabuchodonosori! Figulum dixeris assentatorem, sed mendaciorum: ea est figuli ars, quâ lutum suum omnibus sciat illinire coloribus, luti obducturus turpitudinem; & nitores auri, vel in ipso luto proditurus. 40.

Exodi 22.

Cap. 5. Judit. in fin.

Ait

41. Ait Quintilianus artium maximam esse, artem posse celare: hanc autem artem egregiè callent assentatores, utpote nigrum in candida vertentes, lucida obscuris tegentes; non secus ac pictores, qui alios eâ imitantur dexteritate, ut tales neutiquam esse videantur, quales se revera esse noverint: sciunt hi assentatores, ut figuli ollas suas fucare verborum lenocinijs, incrustare pictis, ac nitidis assentationibus; sed licèt splendeat olla, cujus extima superficies auro oblinitur, intus tamen nonnisi lutum continet; quòd si extimam spectes assentatoris cutem, labra amicum loquuntur, genæ ridentes, ac arridentes exhibent rosas, oculi, & frons amico videntur æstuare amore; cum tamen intus præcordia plerúmque nonnisi odium foveant. Ferunt historiarum monumenta, Agathoclem ex figuli filio ad Regium tractandum dexterâ sceptrum promotum nonnisi fictilibus cœnâsse, Regiámque Abachum non auro ornâsse, sed luto onerâsse, eleganter tamen incrustato. Verùm has figulinas elegantias, hæc adjecta emblemata sciunt & assentatores etiam luto adjicere, quoties præpotentes inter homines laudant, mulcent, applaudunt, cùm enim sint homines intus cinis, & pulvis, externis assentationibus hunc pulverem pictis verborum lenocinijs incrustant, vanísque laudibus veluti nitenti illiniunt auro.

42. Hisce verò adulationibus adeò præpotentes, & viri Principes dementantur, ut vel majorem subinde sibi cultum arrogent, quàm Deus ipse ab hominibus exegerit. Cùm Nabuchodonosor Rex nocte intempesta quiesceret in lecto, & sensus somno sopirentur, statuam vidit quadriformem capite scilicet aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibijs ferreis, pedum digitis ex luto, ferróque mixtis, & cum manè expergefactus surgeret, jussit eandem erigi statuam, in qua Rex ipse à subditis tanquam supremum Numen adoraretur, jussítque præcones plateas circuire civitatis, ac alta voce clamare: *si quis prostratus non adoraverit statuam, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Daniel. 3. n. 7.

43. Non satis fuit adorâsse statuam submisso capite, demisso corpore, sed ulteriùs debuit quisque se prosternere, totóque in terram projecto corpore adorare, ut frons pulvere sordesceret: & secus facientibus ignes minatur lethales, flammásque fornacis exitiales, in quas mittendi sint ac cremandi. Nullibi legimus tam profundam sibi Deum sub pœna ignis exegisse adorationem, sola plerumque contentus genuflexione, & interno cordis obsequio: Verùm quia errant crassissime homines in divino cultu sibi arrogando; nil mirum si etiam errent in modo: ea enim est superbientium præpotentum cæcitas, ut hæc ex multiplicatis manifestiùs erroribus arguatur: & assentatores ut eosdem veluti Numina colant: non recusant perinde ac reptilia animantia projecto in terram corpore repere, quò illustriùs valeant surgere beneficio favoris, quem nituntur aucupari. Sed quàm facilè intumescant Principes, quàm proni sunt ad iras, quàm propensi ad pœnas infligendas, si quidquam cultûs etiam indebiti ijsdem detrahatur: Nabuchodonosoris statuæ detrectantibus provoluto in humum pectore procumbere, fornaces accenduntur; quarum flammis absumantur; & igne extinguantur, qui cultûs splendorem corporis demissione nolunt exhibere. Pulchrè D. Gregorius: *Amica potestati penè semper* Lib. 10.
impatientia est: putant se unicos in terris, & Moral. c. 18.
quod eorum nutui debeant illicò omnes se subdere, ac subjici: sed adeò grassiùs errant, quia cum solos se arbitrentur in terra, supra cæteros errant, de quibus ait David. *Er-* Psal. 115.
raverunt in solitudine, seu ut appositè expendit D. Bernardus superbientes, & supra cæteros se solos excellere arbitrantes, ac præpotentes, ait ipse. *Solitudo hæc superborum est:* In Psal. 115.
quia solos appetunt reputari.

Sed æmulantur statuam Nabuchodono- 44.
soris, quia isti luteis nitentes pedibus lapide proteruntur sepulchrali, & qui superbiebant auro, & argento, seu congestis diffluebant divitijs, sordescunt in pulvere unico contriti lapide; digiti pedum statuæ partim erant ferrei, & partim testacei; erántque inæquales alij alijs majores, & minores, quia ubi plures dominantur, alij sunt ferrei, & potentiores, & alij terrei, & imbecilliores: hæc autem inæqualitas dissensionem parit, & discordiam alit; in mundo enim non rarò dissident Principum capita; & validiores imbecilles premunt, opprimúntque: infirmiores validioribus invident, & diffidunt; sibíque ab ijsdem cavendum putant: hinc videntur quotquot in terris principantur Nabuchodonosoris statuam exhibere, & quandam tyrannici imperij imaginem: alij enim ex Principibus divitijs affluentes, aureum repræsentant statuæ caput: alij, qui in in tanto non censentur pretio esse, hi pectus conflant argenteum: alij tractandis armis assueti ferrea cudunt femoralia, & alij imbecilliores terreos effingunt pedes: sed hos omnes, vel unicus sepulchri lapis conterit: & cum omnes cultum exigerent à suis subditis, ac demulceri ab assentatoribus; totus splendor auri, nitor argenti, fortitudo ferri ombris extinguitur Manium: indicat enim hæc statua qualis sit gloria, & felicitas Regum, adulatorum inhiantium lenocinijs mulceri: licèt videatur aurea esse statua ob congestas divitias, argentea ob felicitatem regnandi, ferrea ob imperij robur, & potentiam; fragilis tamen est, quia fictilis, & caduca, quia lutea: hic est lusus potentiæ humanæ pulveres repetere, è quibus homo originem traxerat.

De Deo Daniel *cap.* 2. ad Nabuchodo- 45.
nosorem dixit: *Ipse mutat tempora, &*

atates, transfert regna; & constituit, ubi eleganter Philo Judæorum dissertissimus, expendens verba Danielis, ait: *Verbum divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat; & omnes gentes circumlustrando nunc his, nunc illis imperia, vel tribuit; vel adimit.* Nihil est igitur in rebus humanis præter umbram, auràmque levissimam; sine mora prætervolantem; eunt enim ultro, citróque tanquam æstuaria. Nam & marini æstus, nunc cum magno impetu, sonitúque accedunt, & longè, latéque per littora diffundontur undis despumantibus; nunc refluunt retro, nec solùm terram, sed maris etiam partem aquis nudatam in similitudinem redigunt continentis. Simile quiddam accidit, quando fortuna postquam populosam aliquam gentem inundavit magnis felicitatibus, fluxu averso ne guttam quidem sinit reliquam, deletis etiam pristinæ opulentiæ vestigijs: & hanc gloriæ, ac felicitatis mundanæ imaginem statua retulit Nabuchodonosoris, cujus caput aurum erat, ut nonnisi fausta, & læta reciperet à lenocinantibus assentatoribus, verùm cum digiti pedum lutei essent, summa gaudia extrema occupavit tristitia; & hanc sortem incurrunt præpotentes, qui futilibus gaudent assentationibus demulceri. Sciunt assentatores præpotentum induere vultum, mores æquè, & amores, variásque affectuum alternare vices, & nonnunquam insidias etiam apparare minùs cautis auribus, sicque propterea adulator re, & moribus haud absimilis
Satyr. 3. histrioni, de quo Juvenalis ait.

Natio comœda est? rides? majore cachinno,
Concutitur; flet, si lachrymas conspexit amici,
Nec dolet igniculum, si bruma tempore poscas
Accipit Endromitem. Si dixeris æstuo, sudat.

46. Verùm comœdia est, quæ & spectatori nocet, & actori obest, est siquidem adulator non solùm Diaboli histrio, verùm
Lib. 1. in Ezechiel, cap. 9. etiam Erebi scorpius, scitè D. Gregorius. *Adulator scorpio est, qui palpando incedit, sed caudâ ferit:* nimirum assentator eblanditur præsenti, cui absenti detrahit; unde
Tom. 3. seriò monet Salvianus *contra avaritiam*, ut Euro ocyùs noxias has diffugiamus assentationes, ait ipse. *Non te moveant blandimenta eorum, venena tibi sunt. Non attendas adulationes; gladij sunt ferreis pejores. Illos cuncti vident, hos incauti non vident, illi quia apertè sæviunt, evitantur, isti quia occultè insidiantur, occidunt; illis qui lædi velit, nemo est; istis multi occidi etiam volunt novâ lethalis mali illecebrâ; illis, qui tangitur, torquetur; istis, qui occiditur, delectatur; fuge ergò hoc malum, fuge assentationes tibi insidiantes; fuge obsequelas tibi noxias; ista sunt officia, quæ te jugulant.* Assentatores placent demulcentes verborum lenocinijs, sed simul nocent; alliciunt, ut interimant; eblandiuntur, ut perdant. Danieli adulabantur impuri senes cum blandissimis verbis ei suaserunt, ut in medio eorum sederet, & *dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis:* præproperè gratularemur Susannæ, eò quia talem Judicem, auspicatò nacta fuerit, seu Danielem. Adulatur tamen petulantium senum impura salacitas virtuti Danielis, cui Deus honorem dederat senectutis, seu prudentiam senilem: seu adulabantur virtuti, & insidiabantur pudicitiæ; adblandiebantur senili honori, & florem nitebantur corrumpere castitatis; commendabant in Daniele honestatem, & simul labefactare pudorem Susannæ adnitebantur. Non enim senum petulantium fœda salacitas Judicem si egisset, aliam sententiam, tulisset, quàm interitum castitatis: at castus Daniel nonnisi puriorem poterat absolvere honestatem: pulchrè S. Maximus Taurinensis ait: *Multum de Deo pudicitia consequitur, cum Judicem virginem promeretur; secura enim est de victoria castitas, cui est judicatura virginitas: pudicitiæ autem causam, nisi vir pudicus audire non debuit; talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.* Laudibus assentatores senes Danielem illexerunt, quem sibi devincirent, simúlque in sua vota flecterent, *quia tibi Deus dedit honorem senectutis:* hæc enim est adulantium ars, lenocinijs verborum subtili artificio compositis insinuare se in alterius gratiam, ejúsque verborum blandimentis benevolentiam aucupari: congerunt laudes, quæ sunt aureus hamus, quo piscem promptiùs expiscentur.

Daniel cap. 13. v. 50.

Homil. 1. de accusat. Domino.

Licèt non sibi dedecori ducant in populo senes, si puer inter ipsos ad judicandum sedeat, si senilem in ipso ætatem prudentia commendet, & maturum vigeat judicium, in ætate quamvis immatura: non tamen senes Susannæ amasij, fœminam, quam fœdè deperibant in medio eorum sedentem, voluerunt, ut in Danielem, suum circa lites sensum ferret; sed, ut consensum tandem proferret: Danielem allexerunt ad sedendum, quia Susannam flexilem desiderârunt ad consentiendum. Cæterum non ætas senilis, sed virtus matura hominem commendat: turpe potiùs est in senibus nil aliud posse ad authoritatem allegare, nisi diu vixisse; is enim authoritate fulcitur senectutis, & honore insignitur senili, qui in immatura ætate mores prodit maturos, & in juvenili corpore virtutem excolit senilem; non ætas, sed virtutis studium virum commendat; si prudentia sit in ipsa ætate annosior; non annorum canities, sed morum candor laudari debet; pulchrè S. Ambrosius, 47.

fios. *Verè senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit, ea est enim reverenda canities, quæ est canities animi in canis cogitationibus, & operibus effulgens.*

48. Assentatores verò non candorem virtutis, non canitiem meritorum adspiciunt, sed unde possint præpotentis aures demulcere, ejúsque aucupari favorem, animúmque in sua vota flectere; & iden salaces senes, qui Susannam deperibant, nihili fecêre propriam canitiem, quâ ementito candore morum obtegebant turpitudinem, fœventes capite canitiei nivibus obruto impuras fœdæ libidinis flammas: tantum enim senectutis honorem, quo ipsi destituebantur Danieli ultrò dedêre; *& dixerunt ei senes: Veni & sede in medio nostrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* Censent plures Interpretes, hos senes eos fuisse, qui perversè Susannam ad illicita provocârunt, imò, & accusârunt, & licèt antea fuerint Susannæ criminatores, nunc fiunt Danielis adulatores; cùm enim criminari priùs didicissent, adulari faciliùs potuerunt: cognata enim sunt vitia criminatio, & adulatio, uni qui assuescit, alteri insenescit: ap- Item 1. positè Eusebius: *scilicet calumniandi periti non poterant non docti esse adulationem. Eadem id est vilia ingenia amant: calumnia, & assentatio germana vitia sunt. Iidem qui calumnijs pudorem Susannæ ulti erant, laudibus oppugnant Danielis justitiam.* Non tamen eos censeas minus injurios cum adulantur, quàm cùm criminantur, siquidem adulantes enervant bonam indolem, virtutes corrumpunt, vitia promovent: cùm verò criminantur famam culpant, & honori detrahunt, & bono nomini insidiantur.

49. Hinc prisci homines non minus adulatores oderunt, ac criminatores, utrámque auriom pestem cavere studuerunt. Petierat nescio quid iniqui Antipater à Phocione, sed petijt jure amicitiæ, cui tamen promptè Phocion respondit: O Antipater non potes Phocionem, & amicum habere, & adulatorem. Nec minus Philoxenn exosum fuit hoc vitium, qui maluit aula eliminari, & in lapidicinis laboribus frangi, quàm Dionysii malos laudare versiculos: maluit etiam Diogenes oleribus vesci in ruralibus mapalijs, quàm in aulis Principum parasitari: cúmque eum Siracusis Aristippus ad fontem olus lavantem videret, ait: *Si Diogenes vellet uti Regibus, ista non essent; cui mox Diogenes, si tu ista comedere velles Dionysio non adulareris, mallémque homo esse, quàm Regius canis.* Assentatoribus infensi fuerunt Athenienses, qui Demadem hujus insimulatum vitij decem mulctârunt talentis: imò & caput amputârunt Timagoræ, eò quia Darium Regem Persico ritu, corpore prono contra morem patriæ salutâsset: tale enim insolens salutationis officium adulationem interpretatus est Senatus, qui censuit, unius civis humilibus blanditijs suæ totius urbis decus Persicæ submissum dominationi.

50. Achabus Rex 3. *Reg. cap.* 18. Octingentos quinquaginta viros habuit veluti Prophetas, virósque Theologos, ce tamen ipsa omnes nebulones, Regisque assentatores. Quadringentos ex ijsdem Achabus in consilium adhibuit, à quibus petijt, num suscéptum bellum æquum videretur; & omnes unanimes statim ad Regis votum responderunt æquissimum est, & cùm causæ justæ Deus faveat, spondere eidem victorias de prostratis hostibus ausi fuerunt: *Ascende & dabit eam Dominus in manu Regis:* onus tamen fuit Michæas, qui coti contradixit adulatorum cohorti, & quanto altiori voce illi clamabant *Ascende vinces, ascende*, Michæas tantò fortiùs suadebat, ut quiesceret, ne vinceretur: quia verò aures Principum proniores sunt ad verba adulantium, quàm ad vera insinuantes: illi gratiam promeruêre Regis, à qua Michæas cecidit: nimirum pro sincerissimo consilio pessimam tulit gratiam; imò, quia Michæas vera dixit, pœnam ei Rex carceris indixit; nimirum præmia ista sunt veritatis, si hæc auribus insinuetur præpotentum, qui malunt lenocinijs demolceri assentatorum. Hinc misertus Principum Julius Capitolinus dicere consueverat, miserum esse Imperatorem illum, apud quem viri cordati vera reticent, & assentatores, ac Sycophantæ mendacia vendunt, & eidem probra ipsa, & vitia, quibus inficitur approbant, & commendant: & Floridus ille Magni Macedonis Encomiastes Quintus Curtius aiebat: *Perniciosa adulatio, perpetuum Regum malum est, quorum opes sæpius, quàm hostis evertit.*

§. VI.

Nascitur assentatio in aulis Principum, ubi licèt adolescat vegetior, & consenescat adultior; nunquam tamen emoritur.

51. Nascitur assentatio præsertim in aulis Principum, ubi solet etiam adolescere ac senescere; licèt nunquam emori; spatiatur enim per ampla illa palatia, ore jucundo, hilari vultu, serena fronte, & ubique verba spargit rosas redolentia; quia placent lenocinantis adulatoris blandimenta, quæ grato susurro aures demulcent, verbisque subtili artificio compositis aliorum aucupatur benevolentiam. In aulis adulatio præsertim nascitur, innutritur, crescit, ubi certamen est, & unum pœnè omnium officium, ona contentio, & ubi omnes enituntur adblandiri, & nemo est, qui ex animi sui sententia sincerè audeat suadere, vel dissuadere, quod revera ipse sentit, sed tantùm quod alteri arridet, & non displicet: *Monstrabo tibi* ait Seneca libro 6. de beneficijs, Cap. 10. *cujus rei inopia laborent magna fastigia,*

quid

quid omnia possidentibus desit; scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu, concentúque falsorum.

53. Verùm non palatia tantùm Principum, sed & domus privatorum, imò & mapalia rusticorum, plerumque suis non carent adulatoribus: habent enim id sibi à natura inditum blanditiæ, ut ubique venales sint, ubique arrideant, ubique placeant, quamvis rejiciantur: & licèt pluries fuerint exclusæ; recipiuntur adhuc aliquando apertis ulnis, summóque plausu: est veluti herculana scabies assentatio, pruritum excitat jucundum: neque ab hac scabie immunes sunt præpotentes, & qui plus cæteris laudari cupiunt; plus reliquis hoc morbo laborant: imò cùm appetant omnes laudari, ac viri probi haberi, & dici; nemo est, qui hac lue non inficiatur, & optimum non se credat, cum audiat ab alijs se talem deprædicari; adeò quisque sibi indulget, ut in se laudari velit illud, cui contrarium plerumque fit, & ideo quisque ut plurimum laudari appetit, quia se optimum esse credit. Refert Curtius quòd cùm Alexander Macedo per Indorum tractus vagaretur, & bello omnia vastaret in obsidione cujusdam urbis cum muros circuiret, & munimenta, turrésque consideraret, telo è muris emisso ictus fuit: cúmque inflictum sibi vulnus negligeret, & crus saucium cruore madens magis recrudesceret, vulnus putresceret, & dolor cresceret, tum dixit: se quidem ab hominibus assentatoribus Jovis filium dici, sed se filium experiri hominis, & vitia sentire ægri corporis: vir prudens virtutum addictus culturæ, cùm ab alijs se laudari novit, ait: vos quidem me virtutum studiosum dicitis, sed ego benè video, quàm plura optem nocitura, quàm facilè irascar, quàm promptè alijs succenseam, & quàm impatiens sim.

Lib. 8 cap. 10.

55. Adulatio eam sortita est naturam, ut semper lædat, si enim viris eblandiatur, qui vitiis indulgent; quia eorum probra iniquè approbat, viam verborum lenocinijs ijsdem emollit, ut promptiùs in alia proruant scelera; sin autem aures demulceat viri probi, hunc inflat, & plerumque dementat, & excæcat, ut opportunè dixerit ille: minus perniciosum esse in corvos, quàm in adulatores incidere, eò quia isti viventibus, illi nonnisi mortuis oculos eruant. Cùm enim quisque nimium sibi placeat, adulatoribus gaudet aures demulcentibus; ut non tantùm proprijs laudibus; quarum vix umbras asséquitur ornare se quisque patiatur; verùm etiam alienas sibi arroget: unde Augustinus observans hanc assentationis protervam naturam, ait: *duo sunt genera persecutorum vituperantium, & adulantium, plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Utrumque genus hostis fuge, iste sævit, ille blanditur; uterque malus; ille iracundus est, & iste in laude subdolus; ille reprehensor est, iste laudator; sed & ille in reprehensione inimicus est, & iste in laude subdolus:* sunt, qui tantùm demulcere, ac lambere sciunt; alij verò mordere, & discerpere, isti convicijs, & obtrectationibus proximum impetunt; illi verò encomijs, & laudibus aggrediuntur: sed assentator utrumque præstat; osculatur, & mordet; mulcet, & vulnerat; lambit, & saucitat; præsentem laudat, quem absentem vituperat: appositè D. Bernardus sermone de triplici custodia ait: *levis quidem res sermo* (scilicet adulatoris) *quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit: leviter penetrat animum, sed difficulter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facilè volat, atque ideo facilè violat charitatem; lingua lingit adulando, mordet detrahendo; attrahit mentiendo; ligat & ligare non potest; labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; blanda est, & subdola, & parata ad exhaurienda bona, & miscenda mala.*

In Psalm. 69 post initium

54. Hinc interrogatus Diogenes quænam ex belluis cæteris esset nocentior? respondisse fertur, si de feris quæras animalibus obtrectator est; si de mansuetis, adulator; uterque venenosus, & nocentissimis instructus dentibus. Scimus, ursum mellis favos præ cæteris brutis concupiscere, ac quærere; cùm igitur gravedine laborat capitis, alvearia adit non tam mellis appetens, quàm aculeorum cupidus, quibus ab ijsdem apibus ædium suarum propugnatricibus pungatur, sanguinémque hac scarificatione è capite prælertim discutiat; sanguinis enim emittens copiam gravedinem unà cum cruore abigit, & hæc scarificatio, hæc sanguinis emissio hæc phlebotomia balneum illius est, vel illius cucurbitulæ; non igitur cùm laborat capite mellis licèt appetens alvearia quærit, ut solum mel sorbeat, sed ut aculeos sentiat apum, & capitis gravedinem simul cum sanguine discutiat; quapropter festivè Julius Cæsar aiebat: volo curari ut ursus, si malè agam, malo pungi, ut noxio sanguini pateat exitus, quàm ut spongiâ mulceat, & sanguinem retineam corruptum. Plures laborant hac capitis gravedine, quatenus vitijs inficiuntur, sed mellis, ac blanditiarum appetentes; non ut ursus alvearia quærunt, ut aculeos sentiant apum, vitiatos humores discutiant; sed ut mellis, seu assentationis dulcedine mulceantur, spongiâ liniantur; & hi corruptum in se retinentes humorem lethaliùs feriuntur lenocinijs adblandientium, quàm si vulneribus sauciarentur vera asserentium; optimè dixit Salomon: *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulent aoscula odientis.* *Proverb. cap. 27.*

55. Adeò invaluit hoc assentationis vitium, ut non homines tantùm, sed ipsas librorum paginas fœdè inficiat, cùm rarus sit Histo-

ricus,

ricus, qui simul ooo sit adulator; præsertim si gesta scribat Principis adhuc viventis, ot verùm sit, magnos Principes omnibus exundare, præter quam veracibus, tam linguâ quàm calamo utrinque est certamen adulantis: cuncta ut eximia, & præclarissimè gesta prædicantur ab Historicis, quamvis plerumque plus mererentur vituperij, quàm laudis: suspicax semper est malignitatis intentio; & quidem non sine experimenti suffragio; ut quæ de Principe scribuntur vivente à veritate persæpe discrepare videantur, cùm possit quis de ijs, qui jam excessere, & liberiùs loqui, & laxiùs scribere, ac quales fuerint describere, unde Cassiodo- Lib.10,c.10 rus ait: *Commune est cunctis in suis imperijs prædicari; sed illud est omnimodis singulare in extranea gente laudes proprias invenire*, & assignans rationem subdit, *quia ibi sunt vera judicia, ubi neminem comprimit ulla timiditas.* Historias qui scribit, legibus quidem tenetur veritatis; sed plerumque affectu laxatur timiditatis: cúmque veri duntaxat deberet studiosus esse, adulationis pulsatur intus stimulis; & calamus exteriùs gesta exaggeratiùs commendat, & gloriosa deprædicat, quæ omni sunt laude vacua: & alia quæ laudare perinde foret, ac scelera cohonestare perpetuo sepeliuntur silentio: & tantùm per tumidas auxeses ampliatur, & extollitur, varijs, gratisque coloribus pingitur, eloquentiæ calamistris ornatur, fuco, & cerusa oblinitur, si aliquid possit laudis, admittere, & veritatem non pœnitus amittere: industrio artificio absconditur quidquid aliquam posset turpitudinem olere, & omnia adscititijs luminibus illustrantur, quæ aliqoid possnot laudis, & honestatis invehere.

16. Liber objicitur Joanni sigillis munitus, ac obsignatus; & cùm arcana contineret mysteria incessit curiositas Joannis animum, eúmque accendit, ardentiúsque inflammavit, ut quæ in illo continerentur sibi innotescerent: expectabatur tamen agni interitus, ut liber reseraretur; & ejus arcana, ac Apocal.5. mysteria cunctis paterent: *Vidi agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum*, appositè post agni interitum reserantur sigilla, & arcana, ac mysteria libro contenta aperiuntur. Sed cur antea liber reseratus non fuit, cum adhuc agnus viveret? & tunc tantùm aperiri cœpit, cùm claudere vitam agnus incepit? censet Ambrosius: Ibidem. *Ut veritas luculentior fieret, clarior appareret, ac cônstaret uberior, & inde captiosa calumnia ansam timendi sumeret.* Non poterat Evangeliorum liber à veritate aberrare: nihilominus si adhuc vivente Domino fuisset reseratus, fortassis improbus quispiam faciliùs criminari potuisset, plura in tali libro assentationis fuco, ac larvato adulationis colore exaggerata fuisse; & plura ex timiditate suppressa: ideóque nonnisi post Christi necem, imò & suum è terris discessum, & in cœlum ascensum liber proditur; aperiuntúrque ejus arcana, ut omnis deleatur suspicio, omnis abigatur calumniandi occasio: ascenderat jam in cœlum Christus cùm cœpit in terris liber testamenti aperiri, ne quis diceret, plura ibi exaggeratione mentiri, & plura studio placendi, & artificio adulandi scripta esse. Rarus est qui coram Principe audeat liberè, vel loqui, vel scribere; quia ipsa præsentia, & linguæ metum incutit, & calamo reverentiam ingerit, & ipsa nocendi potestas judicium coërcet scribentis, libertatem reprimit, compescítque enarrantis.

Cum Saul divina ausus fuisset præcepta transgredi, & Amalecitis pepercisset, accessit, qui acriter eum redargueret, sed Saul declinaturus correptionem, tantisper impeditum se dixit: sed instat Samuel, precatúrque Saulem, ut velit per parum temporis aures ei dare: *Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte:* sed cùm Samuelem jam vita functum postea Saul consuleret, liberiùs futura refert, quasi nullo ampliùs timore correptus, nec ullo timiditatis affectu detentus: *Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David*, non ampliùs Samuel rogat: *Sine me*, sed quovis excusso timore liberè, & absque ulla titubatione, futura prædixit. 17.

1.Reg.15.

1.Reg.c.28.

Sed cur Saul venerationis quodammodo vinculis se fatetur priùs præpeditum; & postea; ab ijsdem prorsus solutum? Cùm Saul eadem semper dignitate fulgeret? quia non suscitatus fuit Samuel magicis artibus, quæ fingere solùm noverunt commenta, nec valent sepulchra reserare, & dum sepulchro egreditur, pallio operitur: *senex* (aiebat Saga) *ascendit, & ipse opertus est pallio*, oculos industriæ artuit liberiùs, ut loqueretur, prædiceréque expeditiùs futura: cùm enim Samuel se olim novisset Regia impeditum præsentia ad veritatem liberiùs proferendam; nunc ut cuilibet statim occurreret discrimini, pallio in vultum expanso, oculos texit, ne Regem inspiceret exteriùs præsentem, sed ut solam veritatem respiceret interiùs existentem: pulchrè Xeno Veronensis serm. de resurrect. *Samuel egregius ille Sacerdos mortis jam lege dispunctus, Sauli Regi desideranti sine ambiguitate non tantùm suam præsentiam exhibet; sed etiam ad consulta respondet, liberiúsque canit mortuus, quàm canere consueverat vivus:* tametsi idem semper fuisset Propheta vivus, & mortuus, sempérque eâdem linguâ loqueretur mandata Dei imperantis; ac interpres esset spiritus suggerentis, ac instrumentum veritatis aperiendæ; nihilominus, quia mortuus pallio oculos obtegit, *& ipse opertus est pallio*, solam intuetur veritatem; obtegere oculos voluit, ne Regia perterritus majestate, 18.

libe-

liberiùs loqueretur : eſt nimirum Magnatum præſentia loquentis frœnum, & plerumque veritatis ſepulchrum, cùm hæc priùs profundo ſepeliatur ſilentio, quàm naſci incipiat; idcóque Samuel, ne Regis præſentia ullum ei vera dicenti obicem injiceret, oculos pallio obnubere voluit, ut liberiùs ex ore prodiret veritas, & loquendi facultas vigeret expeditior, quæ ad Regis præſentiam hærebat impeditior : & Samuel ut ait Xeno Veronenſis: *liberiùs canit mortuus, quàm canere conſueverat vivus.*

59. Adulari qui aſſueſcunt, & aures Principum demulcere ſtudent, pallio oculos ut Samuel non obtegunt, quia nil timent, cùm nonniſi grata annuntient : ſed hi quia vera reticent, dum aures demulcent, animum intus inficiunt; quia ſtulti, ac Sycophantæ adulatione decipitur præpotens ; cujus aures demulcentur; hinc David maluit corrigi, & increpari à viro cordato, ac veridico, quàm oleo illiniri aſſentatoris: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:* (Pſal. 140.) perniciosum omnino eſt horum adulatione ſtultorum decipi : nec credas, paucos in mundo eſſe, qui hac laborent dementiâ, quia ut ait Siracides : *Stultorum infinitus eſt numerus :* (Eccleſ. 1.) imò non ſtultorum tantùm, ſed & adulatorum, cum hujus furfuris homines ubique ſemper reperiantur locorum. Ars enim adulandi à cocodœmone profeſſa cum titulo divinitatis primam ſalutavit in terreſtri paradiſo fœminam *Eritis ſicut Dij*, mirè ſemper profecit, & ab ævo ſumpſit augmenta; ſed multò nunc ſubtiliùs ſciunt homines eblandiri, non ligneis crepidis, vel craſſis peronibus, ſed laneis pellibus, calceiſque holoſericis incedunt, & alter alteri per ornamenta nocet, rarúſque ſit, qui adulatione clam, & artificioſè non utatur.

60. Neſtori inſigni oratori olim in Græcia, adeò prompta, ſuavis, ac volubilis lingua fuit, ut parœmialiter lingua Neſtoris, lingua mellea diceretur; ſed plures ſunt redivivi Neſtores, qui nonniſi mellea loquuntur verba; & moris nunc eſt, ut non ſolùm aniſum, vel fœniculum exhibeatur, verùm & ipſa verba ſaccaro veſtiantur. Obviant præpotentibus ubique adulantium verba ſeſamo, ac papavere ſparſa, quibus ſopiantur, molliúſque quieſcant, ac laudibus acquieſcant, quæ eorum aures demulcent : ſunt hi aſſentatores vaferrimi mercatores verba byſſina, & holoſerica ad ulnam vendunt, pretium accepturi, quò ad illuſtriorem, vel pingniorem aſcendant ipſi fortunam ; roſas loquuntur, melque ore ſpargunt, promptiùs ut minùs cautos decipiant, non enim piſcis hamum deglutiret, niſi in concupita eſca lateret ; venena non propinantur niſi melle circumlita ; quia inſidiæ eò ſunt tutiores ad prædam, quò occultiores oculis. Plures de obſequijs ſibi præſtitis de amicitia, ac fœdere inito gratias rependunt, cùm tamen inſidiæ ſint, quibus capiuntur; credunt ſibi famulatum impendi, cùm ſubjiciantur ipſi miſeræ ſervituti; ideóque eò ſunt hæc obſequia magis cavenda, quò occultiora vim efficaciorem lædendi in ijsdem latet; unde Salomon : *Homo qui blandis, fictíſque ſermonibus loquitur, amico ſuo rete expandit greſſibus ſuis :* (Prov. c. 29) idque cauſæ cur D. Hieronymus aſſentationem laqueo pariaverit melle illito, & Diogenes dixerit, eum qui blanditur, laqueum injicere melleum.

61. Imò adulatio peccatum tranquillúmque exhibet mare, quod malaciâ invitat ad illud trajiciendum, cùm tamen lateant ibi & charybdis voragines, & ſcyllæ ſcopuli, ac fœda naufragia. Appoſitè verba adulantium cum fluctibus conferuntur marinis, qui quò altiùs extollunt naves, eò profundiùs deprimunt : hi autem adulationis fluctus, adeò efficacem vim obtinent, adeò hominibus nocent, ut quidquid ſolidæ, ac firmæ virtutis in mente deliteſcit, deterat, abſumat, ac in pulveres conterat ; ſcitè S. Gregorius : *Plerumque ſi fama noſtra laudibus inhiamus à virtute vacuamur : quia cum delectatur animus, in hoc quod de ſe extrinſecùs haberi conſiderat, illud oblivioſcitur, ad quod introrſus anhelabat.* (Lib. 22. moral. cap. 5.) Hinc ſolent aſſentatores conferri cum aqueis guttis, quæ jugi delapſu petræ emolliunt duritiem, quam excavant : adulatores enim blandis, ac lenocinantibus verbis, ita ſe inſinuant in hominum corda, ut quamvis prædura ſint, tandem molleſcant, terantur, ac veluti exedantur ; ſicut enim gutta ſuo defluxu molli, & blando, duriora quæque excavat ſaxa, ita verba aſſentatorum homines minùs cautos terunt, & exedunt : & ſicut gutta mollis blandè cadens jugi ſuo defluxu duritiem vincit, lapidem excavat, ita verba adulantis animæ noſtræ deterunt ſoliditatem, & ſicut aquæ fluxu excavatur lapis, ita verborum fluxu virtus atteritur noſtra, appoſitè Petrus Damianus de vitio linguæ ait : *Quid durius ſaxo ? quid aquâ liquidiùs ? & tamen à quodam Sapiente dicitur; gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu : nimirum omnis animæ noſtræ ſoliditas, ac fortitudo deſtruitur, ſi aſſiduis inundantium, & quodammodo pluvialium verborum fluxibus atteratur.* (Serm. 73.) Imò ea eſt vis adulationis, ut vel ipſe Cacodœmon crediderit, hoc machinamento potuiſſe in deſerto Chriſtum vincere, adulationem enim redolent verba illa: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* (Matth. 4.) Non meminit famis toleratæ, non objicit illi quod eſuriret ; ut tutiùs per recenſitas laudes valeret ab eo aliquid exculpere, ut notat S. Chryſoſtomus *homil. 13. in Matth.* ubi retegens hanc Satanæ vafritiem appoſitè ait: *Non dixit quandoquidem eſuris, ſed ſi filius Dei es, videlicet exiſtimans poſſe ſe illi aliquid per laudum blandimenta ſuffurari,*

vari. Idcirco non commemoravit esuriem, ne hoc ei quasi exprobrare & objicere videretur.

62. Sed quid causæ? quòd adulatio adhuc placeat, cum tanto hominis discrimine; & pelliciat, cùm nocet; arrideat, cùm sævit: quid causæ? quòd alienæ potiùs linguæ fidere velimus, quàm propriæ credere conscientiæ, dum enim quilibet nostrûm is ipsum extra se quærere nititur, jam nosse dedignatur, quàm sibi sit manca supellex: nil est, quod credere non possimus, si id in nostram cedat laudem; tametsi plus obsit, quàm prosit; adhuc tamen apertis ulnis illud amplectimur, auribúsque patulis libentiùs audimus: id ex eo provenit ait D. Hieronymus: *Quia libenter audimus, quod delectat, & offendit omne, quod nolumus: naturali ducimur malo:* (In cap. 4. ad Galat.) nimirum cupimus omnes demulceri, blandiúsque illiniri; sed non videmus pessimum inimicorum genus esse assentatores: & quia doceri, & corrigi non pudet, laudari malumus, quàm corripi, & lauari, reprehensio vitium redarguit, quod perpetrâsse jam nolumus, ideóque displicet vel ejus recordatio: laudes verò quia virtutes commendant jucundiùs audimus, gratiúsque excipimus; & quia vellet quisque virtutum culturâ potiùs efflorescere, quàm vitiorum indulgentiâ obsordescere; proniores sumus ad laudes, quæ nobis eblandiuntur, læto vultu excipiendas, quàm ad redargutiones, quæ ingrato susurru aures pulsant, & ulcera refricant vitiorum, audiendas: hinc apposité Augustinus ait: *delectat ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator.* (In Psalm. 9.)

63. Volupe est, & nobis jucundum, secessus sylvarum, valliúmque concava audire numerosiore repercussu integras nostras repetere voces: quid ni talis echo assentator est, si gaudeat præpotens, & ille gaudet; si lugeat ille, in lachrymas liquescit iste; si irascitur, flammas evomit iracundiæ; si blanditur, mellea, & saccharea profert verba; & quia simillimas assentator adnititur voces reddere, ideo placet, quia præpotenti, perinde ac echo adulatur: at tunc periculum magis imminet cùm assentatoris lingua uberioribus nos laudibus obruit, tunc timendum est naufragium, quia cùm studeat assentator ea approbare, quæ nobis placent, & ea duntaxt damnare, quæ displicent; vitia quibus indulgemus, & nobis placent, debent & ab assentatoribus commendari, ut & ipsi unà cum vitijs, nobis placeant; & id perinde est, ac viam ad vitia emollire, nobísque sceleris suadere patrationem: & ecce quomodo assentatio veluti scyllea vorago tumentibus suarum laudum fluctibus naufragium apparat: in hoc adulationis pelago canunt blandæ sirenulæ; alliciunt quidem sed ad naufragium: *Tu verò* ait S. Petrus Damianus opusc. 50. cap. 8. *obtura aures, & scyllea voraginis prudenter evade naufragium, sicque cor tuum in sancto proposito timor Judicis figat, ut nequaquam hoc ventus assentatorij favoris evellat.* Sed cur tandem non sapimus, si tot libris edocti, tot experimentis instructi, tot exemplis moniti assentationem non fugimus, quam scimus tam noxiam nobis esse, ut byssinis, & holosericis verbis studeat acriùs in nos sævire, & vulnera eò sanatu difficiliora infligere, quò nobis gratiosiora obtingere noverit assentator?

Miramur toties hoc vitium omni ætate, omníque ævo vapulâsse, nec tamen ab illo cavemus. 64. Prisci homines satis perspicuè ostenderunt, quantum inde mali ab hoc unico putido vitio scaturiat; cum ejus latices lethale dixerint mulsum, dulce venenum, lac felleum: & tamen quia gratum est ejus vulnus, adhuc placet; & ejus venenum ideo blandiùs ebibitur, quia ejus dulcedine delectat. Idque causæ fuit, cur viri cordati acriùs semper contra hoc vitium invexerint. Individuum adulationi se comitem mendacium semper exhibet; is enim adulatur, qui quæ laude digna minimè sunt, commendat, & ideo mentitur; vel quæ laudes merentur supra meritum dilaudat, & tunc etiam mendacia miscet, & vendit; pretium alterius favorem, vel gratiam accepturus: *laudator* enim ijsdem litteris idem est ac *adulator*; unde Cicero ait: *Nolo esse laudator, ne videar esse adulator:* (Lib. 2. Rhetoric.) hi gravius nocent, qui quod vitiosum est, laudant; & probra, quæ reprehendenda sunt excusant; nimirum sycophantæ, ac nebulones nonnisi mendacia vendunt, quibus alienum lucrentur favorem: hinc Isaias: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum:* (Cap. 5.) Cùm Christus Palestinæ tractus perambularet, hominésque ad se traheret, & è cœno vitiorum extraheret, fuit, qui paratum se dixit, dummodo ei tempus indulgeretur, quo parentem suum recèns vita functum priùs sepeliret, cui Christus respondit, *sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

Sed cur filius tam anxiè petijt, quò priùs patrem posset suum sepelire; an non utiliùs ei erat, authorem vitæ statim sequi, quàm mortis, & funeris lugubre instituere apparatum? an filius vespillonis officio fungebatur, quo demortuum sepeliret patrem? cur divinæ gratiæ interiùs illucescentes radios, quibus filio via ostendebatur salutis, non statim sequitur, & Manium umbras fugit? pulchrè S. Gregorius ad rem nostram ait: *Mortui mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt: quid enim est aliud peccare, quàm occumbere; & sepelire, quàm abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.* (Lib. 4. moral. cap. 25.) 65.

Assentatores libitinarii vespillones sunt

 dæmo-

dæmonum; homines enim etiam vivos sepeliunt. Est qui vitiorum cœno obrutus, & implicatus emergere adnititur, & ad id conatum adhibet: sed quia secum ipse luctatur ad meliorem vocatus frugem; adest statim bustuarius, qui & verborum lenocinijs, & suasionum blandimentis, imò & fortiùs exempli documento eum in priorem impellit foveam, obruitque blanditijs, ne resurgat ad emendationem, & hic vespillo est Diaboli, cùm viventem sepeliat. Non credas linguam adulatoris meliorem esse eâ detractoris, ait enim D. Bernardus: *Pessima vulpes occultus detractor; sed non minùs adulator blandus*; æquè lingua detractoris ac assentatoris sua evibrat tela, quibus vulnera infligit; utraque lingua, quia noxia, amputanda potiùs esset, ne alijs noceret, vel saltem perpetuo silentio coërcenda, idque videtur nos Christus docuisse, cum Pontificum, & sacerdotum invidiâ accusatus respondere noluit; ne scilicet dum se defenderet cogeretur Sacerdotum revellare improbitatem, ut scitè observat Marcus Vigerius expendens illud Matth. 16. *JESUS autem tacebat*: ait ipse: *Tanti namque æstimavit Pontificiam majestatem, nam & publici consilij authoritatem, ut quia sine eorum infamia respondere non poterat, maluerit taciturnitate sua famæ parcere impiorum Judicum, quàm per eorum infamiam se ipsum excusare.*

In Cant. serm. 61.

Chorda, 7. cap. 7.

67. Hinc Labia sponsæ vittæ pariantur coccineæ; *Sicut Vitta coccinea labia tua*, sunt ex SS. Interpretibus, qui per vittam hanc coccineam funiculum significent, qui extimo parieti domûs Raab appensus erat, ne quid molestiæ, vel damni ipsa in domo sua pateretur, in qua exploratores servaverat, & incolumes custodierat: nimirum merentur hanc laudem ea duntaxat labia, quæ nullum produnt, nulli obsunt, & omnibus prosunt; nullius prostituunt famam, imò omnium famulantur nomini. Non homo, sed rabidus est canis, qui alios linguâ mordet, alienum discerpit honorem, alienæ famæ vulnera infligit, imò peior est cane ipso cùm hic subinde inflicta lambens vulnera sanet. Audiendus est S. Chrysostomus ubi ait: *Homo es: ne aspidum virus evomas. Homo es, ne in belluam degeneres. Ob eam causam os tibi datum est, non ut mordeas, sed ut aliorum vulneribus medearis.* Agar cùm exijsset ab Hera sua Sara, ejúsque faciem declinaret, fugerétque aspectum, Angelo obviavit in sylva, qui comitem consolatorem, & ducem, se illi exhibuit, sed undenam huic mulieri tam speciale privilegium, quo meruerit Angelum habere sui itineris Ducem, & suæ afflictionis solatorem? hoc digna facta fuit privilegio, eò quia aliena prorsus esset à vitio detractionis: siquidem interrogata, quo pergeret, tantùm respondit Genes. 16. *A facie Sarai Dominæ mea ego fugio* Dominam nominat; nec aliud adjecit, quo ejus duritiem, imò & sævitiem criminaretur, quod alteri fuisset mulieri obvium, hinc Procopius: *Justitia illius, & æquitas hinc quoque elucet, quòd nihil Saram criminetur, nihil mali de illa dicit, nihil illi criminis affinxit, nihil durum in illam evomit, ut non mirum, si etiam ab hoc capite Angeli auxilium, opémque ad se quodammodo traxerit.*

Cant. cap. 3.

Homil. 5. in epist. ad Corinth.

Genes. 16.

In Genes. 16

§. VII.

Detractio semen est cacodæmonis, quod malignitas in perniciem hominum serit; ut in uberem dissidiorum succrescat messem. Sed assentatio adhuc nocentior.

68. Appositè detractorem ciconiæ comparavit Hugo Carensis, eò quia si ciconia serpentibus, viperisque pascitur; ita & detractor nonnisi aliorum malis viget, ac nutritur; nec unquam scit bene loqui, nisi cùm malè de alijs obloquitur, quibus linguâ detrahente, perinde ac gladio honorem discindit, famam dilacerat, ac quam sibi honestam apud alios comparaverant existimationem vulnerat, ac sauciat. Quis inficias eat, vitium hocce semen esse Diaboli, ac venenum, quod è tartareo specu effluxit, & malignitas in aliorum perniciem effundit, non enim detractiones, dissidiorúmque seminationes aliud esse dixeris, quàm Diabolica semina, quæ germinant, succrescunt, messem Diabolo exhibitura uberem malignantium; siquidem qui detrahunt, noménque mordent aliorum, ac famam lacerant, se ipsos magis lædunt, quàm alijs noceant: quia dum aliorum profectus abrogare, aliorum honorem extinguere adnituntur, divinæ invident bonitati, sibique gehennam construunt.

69. Hinc virulentis bestijs longè nocentior est venenosa detractoris lingua, quæ nonnisi venena spargit, quibus alijs nocet, & se ipsam interimit: cùm enim alijs nocere studet, sibi potiùs obest, imò & interdum alijs prodest, quatenus eos evehit, quos deprimere conabatur: Moyses enim cum Aaronis, & Æthiopissæ subijsset detractionem, illicò à Deo est laudibus evectus: *in omni domo mea fidelissimus est*, quem textum expendens Origenes ait: *Audistis quid sibi judicij obtrectatores, & maleloqui; & quid damnationis, acquirant. Audite nunc, & quantum beneficij conferant ijs, quibus obtrectant: nunquam invenimus tantas laudes Deum dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum est.* In lingua tamen detractoris serpentem opus est spectemus, ut nos à detractore subducamus, est enim lingua, quæ nonnisi venena spargit, aconita fundit, est enim lingua, quæ nonnisi à gehenna inflammatur, ut dixit D. Jacobus, sui siquidem ignis aliquid linguæ detractoris affricat infernus:

Num. 12. v. 7.

nus : gehennæ ignis in sola furit peccata, solos excruciat peccatores: & detractorum lingua aliorum lapsus carpit, virtutes extinguere nititur, & vitia depromit, quò eorum turpitudo luculentiùs clarescat; & tamen licèt tot prodeant à lingua detractoris venena, totque scaturiant ab hoc uno putidissimo fonte malorum rivuli, adhuc noxior est lingua adulatoris, quia teste D. Augustino: In Psal. 4. *Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris, & virus detractoris*; quia adulator cùm probra approbat, & vitia commendat, ijsdem viam emollit, cùm detractio non peiorem faciat, quem percutit; adulatio enim quos malos invenit, eos deteriores facere adnititur, cùm vitia, & scelera eidem commendet, & suadeat, quibus liberiùs iodulgeat; est igitur adulator longè deterior detractore: In Cant. serm. 63. pulchrè D. Bernardus ait: *Pessima quidem vulpes occultus detractor, sed adhuc peior blandus adulator.*

70. Adulationem pati, & superbiâ non intumescere, & vitijs non edhærere, quæ & placent, & commendari audiuntur, prodigium est in terris rarum; cùm tamen plures è cootra si convicijs pulsentur, detractionibus urgeantur, modestiores fiant, & humilitate proficiant, quô fit, ut detractio subinde prosit, cùm adulatio semper obsit, & noceat, non animæ tantùm, verùm etiam & corpori. Testis Herodes Agrippa, qui cum toto triennio Regnum administrasset Judææ, Cæsaream devenit, quæ priùs turris audierat Stretonis, ubi pro salute Cæsaris solemnes ludos, umbratiles pugnas iostituit: ad hanc solemnitatem ingens nobilium præsertim, ac Procerum è singulis Regni partibus multitudo confluxerat. Altera die lusuum Herodes in publicum prodijt, processitque in theatrum amictus veste auro, argentóque ductili contexta, quæ solis perensa radijs divinum quendam videbatur fulgorem emittere, qui non venerationem tantùm ingereret, sed & splendentem simul horrotem quendam spectantibus incuteret: tunc sicut non defuerunt assentatores, qui Herodis Agrippæ consuevetint latera stipare, fuerunt ex ijsdem plutes, qui Regem acclamantes, Deum eum salutârunt, quem etiem flexo poplite enixim rogabant, quatenus propitiùs vellet ijsdem favere: intumuit quidem Herodes cùm primùm stulta hac adulatione præsentijt aures sibi demulceri: verùm impiam adulationem, quam prægustavit, concoquere haud potuit; paulò enim post suspiciens vidit capiti suo imminere bufonem funi insidentem extento, quem novit prodromum esse alicujus subsecuturæ calamitatis, cœpitque propterea intimis indolere præcordijs, acritérque torqueri torminibus ventris, & tunc amicos adstantes aspiciens, & præsertim adulatores, à quibus fuerat antea acclamatus, ac Numen consalutatus dixit: En ego ille, vestra assentatione Deus dicor; sed prœmaturum præsentio, & expecto fatum, & me morti noveritis obnoxium, & fatalis mea necessitas vestrum redarguet mendacium; immortalem me consalutâstis, & vos omnes præire ad sepulchrum debeo, jam rapior ad mortem; dolor, quo intus torqueor me monet, non ueum me esse ex Numinibus, sed infimum ex hominibus; quia citiùs à vobis ad mortem tapior: cruciatu enim per continoos quinque dies oihil se remittente, in ferales Manium umbras cecidit, qui futilibus assentationibus in Numen fulgoribus otrinque stipatum surrexerat; & hic fuit Agrippæ Regis infaustus exitus, quo posteros, & præsertim præpotentes monitos voluit, ne aures dent assentationibus, quorum prologus placet, sed epilogus non potest non displicere.

Adulatio naturam videtur aquilæ, vel induere, vel affectare; ea est hujos volucris indoles, ut testudinem ungue arreptam in altum quidem evehat, sed ut ex sublimi, valentiori impetu præcipitem ad saxum allidat, conteratque: quid ni adulator eum, cui eblanditur io sublime quidem extollit, in altum evehit, sed ut lapsu graviore deorsum præcipitet. Nemo est, qui si se vanis finat assentationibus demulceri, intus non intumescat, & majorem se credat, quàm sit, alienas laudes propriæ præferens conscientiæ. In id unicè incumbit studij adulator, ut vitij turpitudinem laudis fuco contegat, quò laudatus se ipsum ignoret, ejúsque oculos evanida obducat nube, ut ab assentatione minimè se laudatus subducat: dum enim per aures, quas assentator demulcet animo intus eblanditur, lethæos latices ei propinat, ut virtutes, & præsertim animi demissi vestigia omnia suaviter expungat. Ab hisce enim blandè efflantibus auris noo inflari ad supetbiam difficile omnino est, unde D. Chrysostomus, ad rem nostram ait: *Quare si aversari nonnullos decet, adulatores magis, quàm contumeliantes odisse oportet:* In Cap. 17. homil. 89. quia deterior est, at lethalior, quæ ex adulatione oritur pestis, quàm quod ex detractione solet damnum emergere, & fatiliùs est detractionem vincere, quàm adulationem superare. Hinc meliora dicuntur esse vulnera, non tantùm diligentis, aut defendentis, sed etiam reprehendentis, imò & persequeotis, quàm sint fraudulenta oscula adulantis, at eblandientis; illa enim selutem promovent, hæc in interitum movent; illa pharmacum secum ducunt, sed hæc nonnisi venena condutuot; feriunt illa, ut latens ulcus detegatur, ac sanetur; hæc molli sub spongia ulcera tegunt, sed aconita jaculantur, toxica spargunt; & dum leniunt miserè interimunt, & quidem eò sæviùs, quò sub larvata amicitia percipiuntur, & placent; tunc enim occultiùs nocent, ac vulnera infligunt profundiora. 71.

72. Hinc magis optanda est reprehensio detractoris, & aperti inimici, quàm assentatio larvati amici: hic enim semper nocet, cùm reprehensio inimici non semper repudianda sit. Parum refert qua manu pharmacum ægrotanti porrigatur, dummodo optata sanitas inde sequatur; bellè edixit apud Plutarchum Antisthenes, ad salutem, & incolumitatem tuendam opus esse, aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis: quia illi cùm admonent peccantes, & hi cum maledicont adversantes à vitijs revocant. Nostris verò temporibus videtur amicitia, vel extorris à cœtu discessisse hominum, vel saltem vocem amisisse, quâ amico defectus suggerat corrigendos: larvam verò amicitiæ induit assentatio, non tamen ut vitia improbet, ut declinentur; sed ut probet, quò ijsdem indulgeatur: unde reprehensio inimici, plerumque utilis est, cùm assentatio larvati amici semper noceat, obsit, ac lædat: plurimum tamen interest scire quisnam reprehendat, ait enim Ecclesiastes: *Meliùs est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.*

Lib. de util. capiend. ex inimicis.

Cap. 7.

71. Corripiunt adulatores nonnunquam severiori assumptâ personâ, sed tunc in nugis tragædias excitant: & sicut in Menandri comœdia falsus inducitur Hercules clavam quidem gestans, non tamen gravem, nec rigidam; sed molle quoddam, & inane figmentum; ita assentatoris correptio mollis est, & inefficax, & reprehensio futilis; carpit enim res quasdam leviculas, cùm lethalia animi dissimulet vulnera. Verùm tamen est, quòd inimici reprehensio non semper opportuna est, cùm non rarò mentem exasperet, dissidia excitet, odia foveat.

74. Vir autem Sapiens studet occasionem enancisci, excubat, ut prodesse opportunis remedijs possit, non obesse intempestivis: neque lapsis statim insultat, sed per verborum ambages in ejus se animum priùs insinuat, studétque ejus sibi benevolentiam captare, & observat monitum beati Nili: *cùm aberrantem corrigis verba misceto commiserationis; sic enim aures emolliuntur, & lumen cordi accenditur.*

Decad 11. paranes. 27.

75. Nutrices si viderint pueros in cœnum inconsideratè dilapsos non accurrunt, ut verberibus, alapísque eos onerent, sed ijsdem compatiuntur, quos erigunt, abluunt, consolantur; sed postea eos moneat, quò imposterum caveant, imò objurgant etiam, & castigant, ne ampliùs hujusmodi loca adeant: hæc autem reprehensio à nutricibus in pueros lapsos profecta, etiam viris adultis utilis est, si ejus insinuatio per ambages in animum delabatur. Enituit hac in parte Natham Propheta, qui Davidem adulterij simul, atque homicidij reum gravi oratione reprehensurus, ac castigaturus studuit priùs appositè in ejus se animum insinuare, ac si quid aliud agerer, intenderétque: commiserationem movet erga hominem spoliatum unica ovicula, quam ad proprium solatium innutrierat, & furorem adversus divitem ejusdem oviculæ raptorem excitat: & cùm eò Davidem adduxisset, ut in improbum illum excandesceret, cognosceretque clariùs injustitiæ patratæ turpitudinem: tunc David Nathanum audivit non adulantem, nec eblandientem; sed corripientem, & redarguentem, dixit enim Nathan: *Tu es ille vir, Hæc dicit Dominus Deus Israel: ego unxi te in Regem super Israel, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo: & si parva sunt ista adjiciam tibi multò majora: quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres mala?* 2. Reg. 12.

David verò cùm ab omni abhorreret assentatione, neque tumidos enutriret spiritus, sed humilis Prophetæ audiret redargutionem, ideò summâ compunctus pœnitudine oculis fletu madentibus, voce suspicijs interrupta, se peccatorem confessus est, inquiens: *Peccavi Domino:* cui Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum non morieris:* quia Prophetam maluit redarguentem audire, quàm eblandientem, pœnituit ipsum patrati delicti: si ut alij Reges tumidos fovisset spiritus; si assentatores libentiùs, quàm reprehensores audivisset, non ita resipuisset: si Reges exemplo Davidis tumidos excutiant spiritus, & demulcentes abigant assentatores; & cum Davide, quæ perpetrârunt flagitia lachrymis diluant, & in cinere, ac favilla pœnitentiam agant participes fient non terreni tantùm, verùm & cœlestis Regni, idque indicavit Christus Matth. 5. cum dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum:* quia ut expendit D. Augustinus: *Paupertas spiritûs inopia est spirituum, in corde nihil de se munificum opinantis:* nimirum inopia est tumentium spirituum, qui si desint, non facilè sinunt Principes suas ab assentatoribus aures demulceri: & quia in mente Principum hæc tumentium spirituum egestas rarior est, quàm in eorundem ærario pecuniarum paupertas; ideò quia rarior, etiam difficilior, & quia difficilior, cœlum enanciscitur: *Ipsorum est Regnum cœlorum:* sed ubinam hæc spirituum egestas quærenda, & invenienda est? certè non semper in illis palatijs, ubi nulla simulacra surgunt; nullæ tabulæ parietibus appensæ circumspiciuntur; nullæ mensæ stratæ habentur, quia plerumque est ibi spiritus inflatior; & quantum inde detractum est gazæ, tantum non rarò submittitur auræ, quia ut scitè D. Gregorius: *jejunijs atterimur, & mente turgemus:* plerumque impletus fabâ venter inflatur; & meas etiam superbiâ tumescit: est qui aurû non appetens, auræ ut plurimum est cupieas: etiam in extremis vitæ constituti, animámque agentes eliquatas margaritas à se rejiciunt, qui tamen plurimum aëris ad se attrahere contentissimo satagunt spiritu. 76.

Plures

77. Plures sunt; qui eos imitantes, qui cum morte luctantes, jejunant, sed ut uberiùs laudentur, plúsque auræ attrahant; & isti sunt, qui lubentiùs adulatores aures demulcentes audiunt, quàm prudentes monitores, ac vitiorum increpatores: plerumque sunt, qui biduum, tridnúmque transigunt nullo in stomachum demisso cibo, nullóque instillato potu: sed nullus hactenus auditur, qui absque auræ ferculo una potis fuerit hora jejunare: hinc illa Hieronymi admiratio stupentis, non posse cùm Hilarione omni prorsus inopiâ ditescere, quia licèt omnem excluderet supellectilem, non tamen valuit aurâ carere.

78. Motis est, quo aura perinde venum detur, ac frumentum: vendunt multi auram, aurum accepturi, & hi eadem vescuntur aura, quam divendunt; nimirum laudant, ut & ipsi vicissim laudentur: fuit Rhetor, qui quendam juris peritum sui sæculi vocaverat Mutium, ut ab eodem eloquentiæ Cracchus salutaretur, & hi laudant, ut laudentur, sibíque ipsis parasitantur. Nabuchodonosor id præstitit, cùm se ipsum jactavit, eò quia Babylonem ampliaverit, mœnia erexerit, plateas ornaverit; ita enim assuetus assentationibus erat, ut & sibi ipsi adularetur: è contra, quia à quavis semper David assentatione abhorruit, nusquam memorat, nullibi narrat solemnem à se de prostrato Philisthæo triumphum: Nabuchodonosor, si Babylonem excitavit, Jerosolymam evertit; si inflato spiritu Regio sedit in throno, & hominibus omnibus altior, superbivit in statua; mox instar bestiæ pronus in pastum abjicitur; palatia, domósque privatorum fugit, séque sylvestribus aggregat feris, & toto septennio saltus, & avia manibus, pedibúsque perreptat inconditum aliquid stridens, capillis, & unguibus in morem aquilarum excrescentibus, totúmque horrificantibus corpus; jactavit se Nabuchodonosor, sed à cœtu dejectus hominum bestiam induit: inflatos omnes excussit David spiritus, & non terrenum tantùm, sed & cœleste promeruit Regnum, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum*; spiritu qui tumet, sibi duntaxat videtur sapere, séque solum incolam Lybani, & Taboris inquilinum credit; nihil (ait ipse) intueor in illo, quod splendeat, nil se prodit, quod laudem mereatur: sed neque Harpaste ullum videbat ornatum in Senecæ ædibus, in quas tamen Regum opes effluxerant. Si bos è pomario exiisset Salomonis, adeo macilentus fuisset, ut summa lutus facilè paupertas credi potuisset: siquidem deerat, in pomario illo omnium genere aromatum refertissimo, fœnum, quo ille unicè saginatur: & tamen non fuisset pomarium illud contemptui habendum: inerant ibi rosæ, lilia; & deliciæ omnes, quas tellus exhibet, suam ibi videbantur sedem collocâsse, cùm & Platani multiplici coronâ ibi regnarent, comantes arbores lascivirent, vireret myrtus, florerent malapunica, & obobalsama desudarent.

Matth. 5.

Non gloriatur, nec ullo tumet inflato spiritu, nec sinit futilibus assentationibus sibi aures demulcere, qui eo se novit carere, in quo ab aliis laudatur, sed satagit, ut illud enanciscatur: unde sponsa cum suum in thalamo minimè sponsum invenisset: per vicos, plateásque eum quæsivit, nimirum etiam in laxioris vitæ viis repertum à se iri censuit, quem à se abesse dolebat; imò cupiit etiam à militibus edoceri Cantic. 3. *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Sed hac animi demissione, dum sponsus abest à thalamo, adest in corde. Humilis enim corde, & pauper spiritu inflato cor est Christi: quis non appetat Christi potiùs cor esse, quàm aurâ inanissimâ pectus implere, & mentem inflare? 79.

§. VIII.

Utiliora sunt vulnera reprehendentis, quàm fraudulenta oscula eblandientis: illa dum infliguntur, sanant; hæc cum figuntur, interimunt.

PLus infert damni inflatio spiritûs, quàm subinde æstus concupiscentiæ: etiam de fosse altissimè specus supra se stare alpes patiuntur Athlante fortiores; quæ tamen ex spiritûs intus intumentis violentia ruinas minantur; convulsuræ mox è suis sedibus urbes, & eversuræ turres, ut intumescenti spiritui per dehiscentes hiatus aditum aperiatur: homo qui spiritu tumet, & vanis dat lubentiùs assentationibus aures, aërem quo tumet, in se fovet, non ut spiritui faveat, sed virtutes omnes evertat; adulatores apertis ulnis amplectitur, gratísque audit auribus; & reprehensores ut exosos sibique infensos à se abigit, & tamen ait D. Chrysostomus: *Si aversari nonnullis decet, adulatores magis, quàm contumeliantes odisse oportet*, quia nocentior ex adulatione, quàm ex vituperatione solet pestis oriri: & faciliùs est hanc, quàm illam animi superare passionem, & meliora sunt vulnera reprehendentis, quàm fraudulenta oscula eblandientis, quia illa in salutem infliguntur, hæc in interitum figuntur; illa secum pharmaca trahunt, hæc venena attrahunt: illa feriunt, sed simul sanant, & plus prosunt, quàm obsint, cùm bonam promoveant valetudinem; hæc sub molli spongia toxica jaculantur; & tunc interimunt, cum leniunt, & quidem eò nocentiùs, quò sub amici persona incautum premunt, ut opprimant, ídque omnium ferè proprium est assentatorum, qui sponsionibus divites in omnem proni semper inveniuntur ansam loquendi; siquidem ut 80.

In cap. 28. Machab. Homil. 89. propè finem.

Satyra. 5. cecinic Persius. *Astutam vapido servant sub pectore vulpem.* Imò & sub vulpe lupum enutriunt, parthúmque fovent, & tunc apertus hostis mitior est occulto insidiatore: faciliùs enim arma armis retunduntur, quàm dolus repellatur, & insidiæ evitentur, quas virtus expandit: difficulter vitatur novacula levi obtecta spongia: vix est, qui venena caveat, si hæc domestica manus propinet; sed observare, ac declinare scorpium nocte illuni calcaneo insidiantem id difficillimum.

81. Hostis est omnis adulator sub ovili pelle lupum nutrit; mellis ostendit favum, & fellis exhibet amaritudinem; blanditur exporrecta fronte, oculísque annuentibus, ac arridentibus, verbísque saccharo illinitis; & quamvis nulla alia videatur re nocere, nocet tamen, quia superbire docet; nonnunquam exiguum etiam exigit assentatio mi. nerval, satis ei si discipulos habeat, quibus placeat, & quorum aures valeat demulcere. Neque assentatores, easdam semper inflant buccinas; sunt, qui dummodo placeant, hoc ipsis sufficit. Non omnes artifices eandem tractant materiam. Figulus aurum certè reprobaret, si ex auro juberetur Jovem fingere: assuetus enim argillam versare digitis, horreret in metallo duritiem.

82. Rideretur à Phidia, qui remollitum ignibus aurum labore nullo in exemplar immitteret, ut sibi in seipsum Jovem effingeret: sive exigua sint, sive magna, quæ assentator prodit, satis ipsi si placeat; quinimo proba, an improba sint, juxta habet, sufficit illi damnâsse, & laudâsse, quæ præpotens, cui placere adnititur, damnat, vel laudat.

83. Id etiam datur adulationi, quia facilè instigat ad omne genus mendacij, adulari enim, & non mentiri difficillimum est, & persæpe, quò plus adulatio tegitur, eò magis detegitur mendacium. Fuit vir Princeps, qui ad animum exhilarandum, morionem habuit, hominem scilicet, qui salsis, insulsisque delirationibus prandia soleret condire Principis: cúmque conviva assideret, cui nasus nonnihil procerior præ cæteris emineret; idque Morio observâsset, identidem hominem aspiciens dixit, si numeri horarij tuo essent in vultu descripti, ut scirem, quota sit hora, alio non indigerem horologio, Gnomonem tuo haberem in naso umbram longiùs diffundente: ad hæc erubuit conviva, & quia Princeps eum noluit ullâ affectum molestiâ, jussit Morionem baculo excipi, simúlque expelli è loco: cúmque verberum sentiret dolorem, didicit se perperam fuisse locutum: quia tamen verebatur, ne Princeps nonnihil sibi fuisset iratus; paulò post iterum in eandem subrepit cœnationem, suum correcturus scoma priùs dictum, & quidem suavioribus verbis; adstat igitur iterum mensæ, ac diutulè eundem contemplatus convivam, dixit: Fateor me fuisse mentitum non Gnomon mihi nasus tuus fuit, sed valde perlongus baculus, quo egregiè vapulavi; jam me corrigo, nolo ut mihi nasus tuus longus sit, ideo dico te pusillum habere nasum; tunc iratus Princeps jussit iterum per famulos contundi Morionem, & acrioribus pulsari verberibus, miser Morio probè contusus, adhuc oris injussam dicacitatem non correxit, sed cùm tertiò fuisset cœnaculum ingressus iterum oculos fronte paulò exasperata defixit in convivam, cúmque diutulè hæsisset, cogitabundus dixit, veneram mea correcturus verba, sed hæc mihi verbera fuerunt, verbis addidi aliquas litterulas, quæ me egregiè pulsârunt, modò non ampliùs loquar, & dicam te nullum nasum habere. Certè fatuam hanc dicacitatem plerúmque imitantur assentatores, qui quò plus errores tegere nituntur, crassiùs errant; mendacia palliant mendacijs, fuco subducunt.

Imò cùm omnis adulatio sit supra meritum laudatio, nullam dixerim adulationem esse, quæ mendacio non vestiatur, est enim hæc vestis, quâ sola utitur adulatio, & illa sola gandet, vel enim infra, vel supra fidem verba sunt adulantis; cùm enim placere studeat, si quem noverit vanis demulcerj laudationibus; has statim assentator longè supra verum, quò magis placeat, extollit: si nihil repererit laude dignum, nova nunc suo comminiscitur è cerebro; & quia census deest virtutum, vitia ipsa adnititur laudibus cohonestare, & improbanda probare, simúlque viam sternit ad nequiora scelera: & tunc laudâsse perinde est, ac ad paria, vel nequiora incitâsse: imò hoc pacto improbum laudare, nil aliud esse dixeris, quàm margini hærentem præcipitij, injectis manibus protrudere, quò pronior fit ad lapsum; quia cùm eatenus laudes lenocinijs verborum subtili compositis artificio coegerat, non solùm, ut alteri placeat, verùm ut proprium inde commodum aucupetur, alienum non curat lapsum, ex quo putat posse ipsum surgere, & ad pinguiorem, vel illustriorem fortunam assurgere. Hinc ea est adulationis indoles, ut non solùm ad omne instiget mendacium, verùm etiam viros cordatos ad iram provocet; quia cum falsa deprehendant, quæ assentatores effutiunt, ijsdem potiùs succensent. 84.

Ad temeritatem etiam viam aperit consuetis illis vocibus, an non vires tuas ignoras? an nescis, fortunam semper paratam esse, suam audentibus opem præstare? An non vides tuos adversarios supra coturnos tumidos insolescere; nisi tu, quos dentes habes ijsdem ostenderis, jam te cùm premere cœperint, penitus opprimerent; æquum est, ut te virum esse ostendas, ut experiantur ipsi tuam potentiam, cùm non curent benevolentiam; dignus es, cui se submittant, qui te læserunt. Hisce blandissimis stimulis iram simul accendunt, & ad temeritatem in- 85.

inflammant: vix ex mille unus, qui non credat facilè sibi futurum, quod alijs videtur laudabile; idque causæ est etiam vitia ipsa in pretio habeantur, cùm etiam laudibus commendentur.

86. Id in existimatione habetur, quod laudem meretur; & laudâsse in viro præpotente scelus, perinde est, ac in aliud simile eum impulisse, imò etiam in majora; quòd si viri Principes scelerum ejicerent laudatores, non facilè ipsi vitijs fœdarentur, cùm nemo gratuitò improbus, & malus fit: improbitas eas in hortis imitatur plantulas, quæ citiùs, ut adolescant, crescántque in arbores, frequentiùs solent tepentibus irrigari laticibus; crescit enim vitium, cùm laudatur: hæc enim laus fomentum est omnium malorum, nutrimentum scelerum, cibus vitiorum, hoc enim nutriuntur, crescunt, virésque acquirunt; & quia hujusmodi laus vitium fovet, virtutem confodit, penitùsque evertit, etiam ij, quos invidia torquet, hac subinde fucata utuntur laude, quâ gladium tegunt, ut securiùs feriant, & lethaliùs noceant, pulchrè Seneca. *Invidia*, ait ipse, *perniciosum optimis telum, inopinantes, securósque disjecit, procella more, quæ in ipsa serens fiducia solet emergere.* Procellas æmulatur invidia, alias procellæ turres evertere, ac sublimia montium fastigia ferire solent: & invidia etiam ipsa adnititur eos subruere, qui supra cæteros eminent; excelsos, ac in altioribus constitutos dignitatibus evertere, ac deturbare florentes.

Ep. 71.

87. Quia verò experientia edocet hoc morbo laborantes omnibus esse exosos, ac odiosos; artem invidia excogitavit, quâ & se ipsam tegeret, & odium fugeret, eóque securiùs feriret, quò occultiùs nocet; hinc Eurypides ajebat: *Oportet aliquid boni dicere, aut benedicentibus non insensum esse invidia victum:* qui enim audaci, & aperta dicacitate alium impetit, suspicionem ingenerat innutritæ intus invidiæ: siquidem qui audit, statim putat ab exulcerato animo provenire, quod obmurmurans alterius admititor malignitati applicare; hinc invidia non dentes ostendit, quibus mordeat, sed holoserica depromit verba, quibus simul placeat, & noceat; verborum lenocinijs laudationum blandimentis omnem in se studet malevolentiæ notam extinguere, ac invidentiæ suspicionem avertere. De Julio Agricola scribit Tacitus: Periculum subijsse apud Principem non ob crimen, sed ob laudem, ait Tacitus: *Causâ periculi non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus Princeps, & gloria viri, ac pessimum inimicorum genus laudantes:* cum novissent æmuli Agricolæ Principem gloriæ æstuantem ardore, rumoremque elatissima superbis Julium Agricolam nimijs extulêre laudibus, quo Principis furorem succenderent, ac periculum laudibus objiceret fucatum: hi procul dubio, fuco assentationis, odia, quæ intus nutriebant obtegere satagebant, & tunc Julio Agricolæ nocentiùs oberant, cùm laudum fuco prodesse viderentur: laudantes Julium Agricolam Principis tela excudebant: virtutes recensentes vulnera infligebant.

88. Neque Julij Agricolæ æmuli tantùm hac subdola fuêre arte usi, verùm etiam longè antea deprehendimus, hanc adhibuisse artem, quendam è Saulis famulis, qui cùm esset infensissimus Davidi, in quem odium jam diu foverat, cœpit miris laudibus ejus recensere virtutes, extollere facinora, mentiri benevolentiam, quâ invidiam obtegeret, & eò securiùs feriret, quò gladius non appareret. *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum; & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo*, hac enim nova invadendi, ac nocendi ratione; periculum Davidi ingerebat, simúlque specioso colore invidentiam obtegebat; fuit autem subdolus hic famulus, ut plures censent, Doeg, qui Davidem oderat: non enim ignoravit Doeg invidiam in aula degere; ideóque studuit eximijs laudibus, virtutes, ac delatas à Davide victorias recensere, ac extollere, quo audientium invidiam magis acueret, animósque acriùs in Davidem exasperaret, quem propterea discrimini objiceret cæterorum: hinc Polibius ait. *Nova hac calumniandi inventa ratio non accusatione, sed laudibus recensitis noxam in socios refundit. Inventa est autem potissimum, ac primùm hæc malignitas, & fraus ab ijs, qui in palatijs degunt.* Aulici utpote cæteris versutiores hanc reperêre fraudem, laudibus nocere, erectione deprimere, commendatione vituperare, osculis ferire, blandis verbis exponere periculis: quia juvare non intendunt, sed nocere: id totum præstant, quod Medicis est contrarium, hi enim austeris medicamentis satagunt corporis inducere sanitatem: sustinet infirmus cauterio inuri, ferro secari, scitè Tertullianus adversus Gnosticos. *Ululans ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimos prædicabit, & sævos jam negabit.*

Lib. 1. Reg. cap. 16. v. 20.

In histor.

Cap. 5.

89. Non displicet ægroto lanienа, dummodo optatam corporis invehat salutem: oppositum obtingit in aulis Principum, aures deliniuntur, non ut vitia intus corrigantur, sed vel ut augeantur; vel invidia aliena laude acuatur uberior, & exasperetur nocentior. Rarus est, qui veritatis amicus sincerè eblandiatur: raræ blanditiæ sunt, quæ proprio non inhiant commodo; & rarus est blandus alicui, qui proprio non studeat commodo; hinc ajebat ille: Nemini eblandiaris, tametsi spes affulgeat maximi emolumenti. Scitè Imperator Theodosius ad Arsenium Præceptorem, Arcadio, & Honorio filijs audientibus dixit: *Præstat piè mori, quàm impiè regnare:* ita præstat potiùs pie mori, quàm

quàm impiè servire, ut regnes: præstat piè potiùs latere, quàm his subdolis artibus emergere. Assentatores, qui ut noceant, eblandiuntur. Discipulos cacodæmonis se fatentur, qui blandis suggestionibus adnititur præcipites agere minùs cautos, hinc D. Chrysostomus ait: *Blandiri ut quis noceat, Diabolicum est; corripere verò ut prosit Dei:* qui alteri eblandiri potest, & obesse potest; hinc satiùs humanum, & comem se omnibus præbere, & nulli blandum.

Tom. 2. hom. 13 in c. 4. Matth.

90. Perinde ac blanditiæ, ita & assentationes cavendæ sunt, ut has non tam à nobis arceamus, quàm in alijs odio prosequamur, quia nisi arceantur, provocantur, excitantur, & nocent: unde D. Bernardus nos monet, ut toto nisu has blandulas arceamus assentationes, inquiens: *Tolle occasiones, respue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu te meliùs nôsti, quàm alius, attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem, tua tibi conscientia respondeat.* Non est fidendum alienæ laudi; blandimenta, adulationes cùm sint quid extrinsecum, meliores nos non faciunt, sed possunt deteriores nos constituere; ideóque si tota vicinia nos deprædicet modestos, pudicos, culturæ addictos virtutum, tametsi id omnes jurarent, non est ipsis credendum, quamvis nos honorent, sua nobis obsequia præstent; quia non ex amore oritur honor; non probs est de nobis existimatio, sed fucata adulatio, ut loquitur Plautus *Qui te blandis dictis subagitant non amici, sed palpatores, & parasiti sunt.* Quamvis non malum sit laudari; meliùs tamen semper laudabiliter agere: homines enim assentatores plerumq; verborum utuntur lenocinijs, quibus laudati aucupentur gratiam, dum enim student alienæ virtuti commendandæ, fucum faciunt, magisque obsunt, quàm prosint, quos propterea perstringit D. Bernardus, inquiens: *de cuerunt linguam suam grandia loqui, cùm operentur exigua, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores, & merdacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores,* inde conjiciunt, in quale se periculum injiciant, qui hujusmodi parasitorum examini biunt consortium, experiúntque contubernium: nil certè boni, nilque probi expectandum ab hujusmodi hominibus, quorum palmare dogma est omnibus annuere, probare improbanda; dare verba, fumos vendere, dummodo spes affulgeat, vel lautioris mensæ, vel alicujus commodi.

Epist. 1.

In cistolar.

Lib. 4. de consid.

91. Non est hisce fidendum assentatoribus, qui inanissimis assentatiunculis in salutis discrimen nos pertrahunt; quandoquidem, acrius in nos læviunt crepantes adulationum bullæ, laudésque fucatæ, quàm hostes districtis, nudatísque ensibus in nos irruentes, unde D. Augustinus ait: *Leniùs debet putari, quod gladio minante, quàm quod lingua adulante committitur.*

Lib. de Baptis. contra Donatist.

Arcendi præsertim ab aulis Principum sunt assentatores genus hominum viris præsertim Principibus invidum, regnantibus fallax, quia ut scitè Bernardus. *Potentibus omnes invident, prapotentibus omnes adulantur*, idque causæ, cur Æsopus Soloni dixit, vel non accedendum ad Reges, aut illis placendum. Si dicas, nonnullas esse Principum aulas adeò ad virtutum normam compositas, ut in ijsdem vitium non sit timendum assentationis, id creditu omnino est difficile, vix mihi persuadere quis poterit assentatores aulas non ingredi Principum, ut se insinuent in præpotentum gratiam, quorum etiam aucupentur benevolentiam: scio à plerisque aulam Principis mari æquiparari fluctibus concito, quibus exagitantur aulici, quorum alij sursum feruntur, alij deorsum aguntur; in hoc autem mari satagunt omnes expiscari, congerunt laudes supra omnem fidem, súntque laudes illæ, hamus, quo prædam capiunt. Quis credat, nullos ibi mures innutriri, ubi ingens est copia frumenti? Quis putet in tanta turba hominum, quorum quilibet contentissimis studijs gratiam aucupantur Principis, nullum esse, qui ejus non inhiat favori, non multos etiam esse, qui retia tendant assentationum, sine quibus vacuum est aucupium?

92. Serm. 4. de ascens. Dom.

93. Tametsi Theodosii Junioris fuerit aula veluti virtutum Gymnasium, non tamen suis caruit assentatoribus, qui non solùm Theodosianam aulam, sed & alias cæterorum Principum corruperunt, imò, & totam propemodum Rempublicam everterunt. Cum enim blandè laudes per aures, quas demulcent, se in animum insinuent, utique placent, & læto animo audiuntur; ideóque quia nituntur, qui aulas terunt Principum, eorum aucupari benevolentiam, in id vel maximè incumbunt studij, ut quæ Principi placent, laudent, ideóque nusquam deest fæx ista hominum, & sæpe tam grata, quàm noxia; placet tamen, simúlque nocet hæc pestis, proinde ab ea vel maximè cavendum; sunt enim plures, à quibus quamvis non sit laus quæsita; eos nihilominus delectat oblata. hinc Seneca: *Vitandus est adulatorum sermo, ac fortiter rejiciendus: nunquam sine noxa erit, illum benignè admisisse. Nam etiam si non statim efficit, semina tamen in animo relinquit; sequiturque nos etiam, cùm ab illis discesserimus, resurrecturum postea malum. Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus adulationem illam, ac dulcedinem cantûs, qua cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum. & pravus laudantium sermo diutiùs haeret, quàm auditur; nec facile est animo dulcem sonum excutere. Prosequitur, & durat,*

Epist. 123

durat, & ex intervallo recurrit. Ideo claudenda sunt aures magis vocibus, & quidem primis: nam cum initium fecerunt, admissaque sunt, plus audent. Sunt tamen, qui propriæ laudi inhiantes aures libentiùs, & laudantibus, & adulantibus præbent, putantes, virtutes aliam laborum, ac periculorum mercedem non desiderare præter laudem, & gloriam, quæ pepissequæ sunt virtutis.

94. Hinc Noëmi posteri in campo Senaar non alia de causa insanas illas Babylonicæ turris sunt substructiones moliti, nisi ut nomen suum æternitati consecrarent, & laudem inde sibi promererentur ab hominibus: sed nihili hanc facerent laudem, si ejus brevitatem perpenderent, & qui sint laudatores; qui ut plurimum sunt adulatores, ac viri sycophantæ: quis theatrum non habeat contemptui, cùm nonnisi ex furibus, latronibus, prædonibus, scortatoribus, adulteris, aliisque hujus fæcis hominibus coalescat: tales plerumque sunt, qui turbam faciunt adulantium; quos si seorsim vir cordatus dispiceret, jure meritò indignos judicaret, quorum judicijs se, & sua committeret, sententiisque submitteret; propterea non debet, nec adunatos pluris facere: hæc enim plena vox hujus turbæ inanis est tumultus ad aures demulcendas, non mentem reficiendam, quia ut ait S. Chrysostomus. *Est quoddam tumultûs, perturbationisque plenum atrium ex stultitia majori ex parte constans*: est autem vox ista tantùm quid extrinsecum, quod nihil nobis addit bonitatis, quamvis hominem bonum asserat, non tamen facit; imò eò ipso, quòd quis laudibus hisce inhiat, vacuum se prodit omni bono, & maximo refertum malo, plenum scilicet tumore superbiæ, & ambitionis.

Homil. 18. in Joan.

95. Quamvis laus homini probo debeatur; si tamen is sit laudis appetens, jam desinit esse probus, & incipit esse malus: quia velle laudari malum est, adeò ut desinat esse laudabilis, qui laudari expetit: si enim non sit laudabilis, nec fieri potest, ut laudetur, cùm sit laude indignus; vel enim se laude dignum judicat homo; vel vacuum virtute, quâ mereatur laudari: si dignum se laude censet, & propterea vult laudari, jam desinit esse laudabilis, quia dignum se censet, qui laudetur: cùm enim nil ex se sit, nec verè se dignum ulla potest laude dijudicare: est igitur potiùs contemptui habendus, qui de sui, vel contemptu dolet, vel commendatione tumet: laus, cui inhiatur filia semper est mendacij, & mater opprobrij; idque vel maximè, si is sit laudis appetens, qui nil in se habet, quo laudari mereatur; is enim mavult bonus videri, quàm esse; cùm enim sit in se improbus vult talis deprædicari, qualis non est, proinde non laudis, sed mendacij est cupiens, & eo fit deterior, quò probior vult audiri.

Si optio mihi daretur eligendi, an vellem sanus esse, & ab alijs æger censeri, ac prædicari; vel esse æger, & ab alijs credi sanus; certè nisi helleboro me indigum proderem, vellem sanitate gaudere, quamvis alij me ægrum faterentur: parum prodest à viris sycophantis laudari, si sit quis virtute vacuus. Imò plus obest laus, quàm prosit; pharmacum non adhibitum opportunè suo destituitur fructu: & adulator omnis virtutis est inimicus, & quasi clavum figit in oculo illius, cum quo sermonem conserit, proinde eò magis cavendus est, quò sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud luminis quod adesse videbatur, extinguat. Oritur autem hæc alienæ laudis sitis ex animi pusillanimitate ad nihil altum assurgentis, nonnunquam enim excelsus animus, ac verè nobilis ad has se demittit ineptias; unde Augustinus de his ita Deum alloquitur lib. 10. confess. cap. 36. *Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te.* 96

DISSERTATIO XXI.

Donatur explicatu Affectus Gaudij, seu Lætitiæ, & Delectationis, & expenduntur ejus causæ, & effectus.

§. I.

In valle lachrymarum hujus vitæ non efflorescit lætitia à quovis defæcata mœrore; perinde ac Rosa suis cingitur spinis: & funestæ cupressi lætioribus lauris semper frondescunt contermina.

1. QUamvis delectatio, seu lætitia contermina sit amori, contrahátque cum ipso affinitatem discriminantur tamen; quia amor propriè est quædam propensio in bonum absolutè, ut conveniens nulla habita ratione, num præsens sit, vel futurum, abstrahítque à præsentia, & foturitione: secus delectatio, seu lætitia respicir bonum propriè, ut præsens, etiam possessum. Affectus delectationis vocari etiam solet lætitia, voluptas, gaudium. Diversimodè tamen homines, & bruta delectantur bonis suis jam possessis, quia homines non solùm ijs delectantur, quæ re ipsa obtinent, ac possident; verùm etiam ijs, quæ memoria, vel desiderio, vel spe aliquo pacto possident: ad eum modum, quo in voluntate spes, & memoria dicuntur ingenerare delectationem; unde ajebat Regius Vates. *memor fui Dei; & delectatus sum.* Et Apostolus *spe gaudentes*. Bruta verò animalia ijs tantùm delectantur bonis, quæ re ipsa, & actualiter possident.

Psalm. 76.
Ad Rom. 12.

2. Hinc delectatio est vera actio facultatis appetentis, eo pacto, quò amor est ejusdem actio; & intellectio dicitur actio intellectûs; & generatim actus vitales, qui sunt notitiæ, vel appetitiones vocantor actiones, licèt grammaticaliter, & nomine tenus: physicè enim sont qualitates dependentes à suis causis per veram actionem.

3. Oritur lætitia ex possessione boni, obstetticante ejus prælucente notitia: est siquidem lætitia motus animi ex judicio præsentis jam boni, sive hoc sit verum, sive fucatum, ac opioione efformatum. Ubi res ardentiùs adamata in nostram devenit potestatem; tunc excitatur affectus lætitiæ, seu motus calidus, & plerumque etiam vehemens, quò pulsantur viscera, cor dilatur, mens hilarescit; & si fuerit moderatior; magis propriè dicitur hilaritas, quæ serenat animum, purgat sanguinem, vultum roseo, gratóque perfundit colore. Ubi verò ex lætitiæ motu resedit animus, ac sedatior est factus; enascitur delectatio; seu voluptas, quæ est complacentia voluntatis quiescentis suavissimè in bono possesso. Gestit elata mens, cùm certa spe rapitur: elicit cor exultans lætitiæ affectum, ubi non ampliùs anceps votorum, ei innotescit rei concupitæ assecutio. Humanæ tamen lætitiæ nonnihil semper miscetur mœroris, ut verum sit, extrema gaudij à luctu occupari; pura puta lætitia in cœlesti duntaxat efflorescit patria, in hac lachrymarum valle perinde ac rosa, suis lætitia cingitur spinis; & sæpe spectamus funestam cupressum lætioribus lauris frondere conterminam. Ita rerum volvuntur vices! ut passim adigamur cum Judæis patriâ pulsis suspendere in salicibus amaritudinis, ac mœroris, lætitiæ organa.

Delectationis, seu lætitiæ duplex est genus. 4. Aliæ siquidem sunt delectationes, quæ sequuntur apprehensionem sensitivam, qualem possunt etiam bruta animantia habere, & vocari solent delectationes naturales, quæ subinde turpitudinem, ac fœditatem redolent. Qui sensibus singula metiuntur, est ipsis volupe duntaxat hisce indulgere; & non secus ac spongiæ puridas, ac corruptas attrahunt aquas, in quas injiciuntur; fœtidas sitiunt delectationes, quas per sensus exteriores veluti per totidem fistulas infeliciter hauriunt. Aliæ sunt delectationes, quæ sequuntur apprehensionem propriam potentiæ cogitativæ, & sunt liquidiores, propriæ hominis, vocaríque solent rationales. Aliæ delectationes, quæ competunt voluntati superiori, cui intellectus prælucet, & hæ dicuntur delectationes spirituales, ut à præcedentibus, quæ dicuntur delectationes, corporis, secernantur, ac distinguantur.

Hinc

Hinc generalis diviſio delectationis eſt in ſpiritualem propriam voluntatis, & ſenſibilem, ſeu corpoream propriam appetitus ſenſitivi.

4. Delectatio ſe tenens ex parte voluntatis, ſolet etiam explicari nomine gaudij, ut docet D. Thomas. Quæſt. 31. art. 3. Aliæ diviſiones delectationis ſunt materiales: ut quòd aliquæ delectationes ſint ſecundùm naturam. Aliæ ſecundùm pravam conſuetudinem, aut complexionem alicujus individui; cujuſmodi ſunt delectationes eorum, qui delectantur eſu carbonum, terræ, cæmenti, & ſimilium: & aliæ ſecundùm aliam alterius ſenſûs; & inter has delectationes illæ cenſentur vehementiores, quæ ſunt ſecundùm operationem tactûs, & brutales, ac terreſtres vocari ſolent: quæ ad guſtum pertinent, ſunt paulò mitiores, minùsque turpes, dignæ tamen, quæ habeantur contemptui; leves ſunt delectationes in odoratu, quia hic ſenſus in homine eſt omnium hebetiſſimus; nec tam eſt odor ſuavis gratus; quàm ſit moleſtus, teter, ac fœtidus: delectationes pertinentes ad aures aliquid habent delicatius, ac pulchrius; eò quia affinitatem habent cum aëre, quem ſoni trajiciunt ante aurium pulſationem: delectationes, quibus oculi afficiuntur cæteris ſunt præſtantiores, cum oculi ad igneam, ac æthercam naturam proximiùs accedant. Delectationes, quæ ex tactu, & guſtu hauriuntur, ſi immodicæ fuerint, ſenſus defatigant, & moleſtiam ingerunt; ac citiùs pereunt; ut quæ antea fuerant ſolatio, nunc ſint faſtidio; eáſque torrenti affines dixeris, plus luti, quàm pellucidi laticis ſecum trahenti; quippe menti ſerenitatem eripiunt, & animam è ſua dejectum tranquillitatis ſede turbant, ac fœdè coinquinant.

5. Defœcatiores ſunt delectationes, quæ ſuam à phantaſia trahant originem, & etiam diuturniores; ſiquidem quæ de divitijs congerendis, honoribus acquirendis, gloria poſſidenda inſedit felicitatis opinio, tenaciùs hæret animo, blandiúſque appetitum demulcet. In homine delectatio ſecundùm viſum cenſetur ſecundùm quid major, quia operationes humanorum ſenſuum delectabiles ſunt, non tantùm ob utilitatem inde hauriendam; verùm etiam ob comparandas rerum notitias; quæ enim ſenſus feriunt exteriores, ſunt animo ornatui; quod minimè obtingit brutis, quia in ipſis, ut docet D. Quæſt. 31. art. 6. Thomas operationes ſenſuum ſunt tantùm delectabiles, ob utilitatem ex ijſdem hauriendam; & uſum earum rerum, quæ pertinent ad conſervandam naturam, eámque in individuis propagandam, adeò ut delectationes viſûs, auditûs, olfactûs referantur in brutis ad delectationem tactûs; in quo ſenſu dixit Ariſtoteles *3. Ethic.* non ipſo per ſe odore leporum venaticos canes gaudere, ſed cibatione; neque bovis voce leonem fame ſtimulatum, ſed comeſtione, quâ famem expleat, ſéque reficiat. In homine verò delectationes plures ſunt, ac variæ, ſicut cupiditates, adeò ut excedant illas brutorum, quia ut ſcitè Lactantius. Lib 6. Inſtit. cap. 20. *Cætera animantes præter unam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam ſentiunt:* utuntur ergò ſenſibus ad naturæ ſuæ neceſſitatem; vident, ut appetant ea, quibus opus eſt ad vitam tuendam. Audiunt ſe invicem, séque dignoſcunt, ut poſſint congregari. Quæ utilia ſunt, ad victum, aut ex odore inveniunt, aut ex ſapore percipiunt; inutilia reſpuunt, aut recuſant: edendi, ac bibendi officium ex ventris plenitudine metiuntur. Homini ſolertiſſimi Artificis providentia dedit voluptatem uberiorem, & in vitium cadentem; quia propoſuit ei virtutem, quæ cum voluptate ſemper tanquam cum domeſtico hoſte pugnaret.

Eſt igitur hominibus conſentaneum gaudium, & naturalis voluptas; ſed ita debemus gaudere, ut in gaudio noſtro modeſtia eluceat; ne animus ita diſſolvatur, quin ſi opus fuerit, liberè poſſit à lætitia ad mœrorem tranſire; idque frœnum eſt injicere huic affectui. 6. Dedecet virum Chriſtianum æternis inhiantem gaudijs, ad quæ Numinis opituluntegratiâ evehitur, tot inter rerum inferiorum viciſſitudines; tot inter tumultuantes mentis exagitatæ cogitationes, & corporis pericula, tot inter juſtiſſimas triſtitiæ cauſas, Morionum inſtar riſu geſtire, ac de rebus fluxis, ac perituris exultare; cum Euro ocyùs fugiat terrena voluptas, cujus plerumque extrema luctus occupat. Verùm gaudium nonniſi ex virtutum oritur conſcientia; neque poteſt quis jollè gaudere, niſi virtutum culturâ plurimum profecerit. Cæteræ delectationes leves ſunt, nec pectus implent. Ille felix, qui nonniſi excultæ virtutis delectatur ſtudio, Deique ſincero famulatu: ſiquidem extra Deum nulla vera voluptas, ſed tantùm larvata, fucata, cui ſi larvam detrahis, nonniſi luctu digna invenis. Ut quis verè gaudeat, nil debet impenſius deſiderare, quàm divinæ ſe flectere voluntati; ſi enim Deus velit hominem incolumem eſſe, vel ægrotare, divitijs affluere, paupertate dejici; ad utrumque debet paratus eſſe; alioquin nullo afficietur unquam vero gaudio, nulla replebitur vera lætitia. In noſtra poteſtate ſunt opiniones, affectiones, cogitationes, & aliæ actiones, quæ à noſtris dependent potentijs, quæ verò nos non agimus, ut honores, dignitates, & alia exteriora, ſub noſtra haud ſunt poteſtate; quæ propterea varijs ſunt obnoxia impedimentis; quæ eorum prohibent perſæpe aſſecutionem.

Hinc plurium Philoſophorum ſapientiâ hoc uno innitebatur, ut utriúſque fortunæ novercantis, adblandientis, eadem ſemper mentis ſerenitate, oriſque tranquillitate viri ſophi obviarent alternantibus offi- 7.

rium ex delectatione excitari. Primò ex parte rei; si res talis sit, ut semel possessa non valeat totum appetitum explere; cujusmodi sunt delectationes, quæ hauriuntur à rebus hisce fluxis, ac caducis; quæ potiùs sitim acuunt, quàm extinguant; unde cecinit Poëta: *Nec gramina rivis, nec cythiso saturantur apes, nec fronde capella.* Quinimò voluptates abeuntes infixum relinquunt aculeum, cujus infixione sensus omnis anteactæ delectationis extinguitur; & magis sitis augescit. Bona siquidem temporalia, quia finita, & fluxa nonnisi tenuem, & exilem ingerunt voluptatem, quæ minimè idonea est implendæ capacitati humani cordis. Secundò acuit delectatio sitim ex parte operationis, quâ res delectabilis usurpatur, eò quis imperfecta sit, & ex parte vacua, hoc pacto delectatio spiritualis, quàm in præsenti vita experimur de Deo ænigmaticè cognito sitim potiùs auget, quàm extinguat, eò quia inde oriatur in nobis desiderium perfectiori modo cognoscendi Deum,
Eccles.24. *Qui bibunt me adhuc sitient; & qui edunt me, adhuc esurient.* Tertiò delectatio sitim excitat, si per sitim quandam intelligamus à fastidio vacationem; qualem ij experiuntur, qui adhuc desiderant; in quo sensu docet D. Thomas, etiam delectationem Beatorum adferre sitim, juxta illud D. Petri:
Epist.1.c.1. *In quem desiderant Angeli prospicere:* quia nimirum Angeli vacantes ab omni fastidio semper desiderant perseverare in beata illa visione.

18. Tertius effectus est fastidium ingerere ex usu, præsertim quando animus illectus delectatione modum excedit in operatione, ut cum quis supra exigentiam comedens aggravat stomachum. Ingenerare hoc fastidium proprium est delectationum corporalium. Hinc Aristoteles loquens de objectis corporalibus, quæ solent delectationem in-
4.Ethic. gerere asserit, nullam rem esse, quæ eadem semper suavis sit, unde Cassiodorus ait: *ho-*
Lib.7. epist. 37. *mines sua varietate recreari, quia in continuatione rerum, magnum mentibus constat esse fastidium.* Dulcedo mellis, si assiduè sumatur, horrescit gustui, licèt palato esset blandimento.

19. Quartus effectus delectationis est obstare delectationi, quando hæc versatur circa aliud objectum, estque de alia operatione,
Lib.4 Ethic. cap.5. ut docet Aristoteles, quia si delectatio fuerit de ipsa cognitione, eam potiùs acuit, ac perficit; quia ijs, vel maximè innitimur, quibus magis delectamur. Perfectiores sunt eæ operationes, quæ generatim cum delectatione perficiuntur, quia tunc animus uberiori nisu, ac blandiori conatu ijsdem incumbit.

20. Denique effectus delectationis sunt ea omnia, quibus utuntur homines ad eandem sibi captandam, ut docet Aristoteles *10. Ethic. cap. 4. & 5.* quia delectatio innata sua dulcedine illicit, stimulatque operantem ad media adhibenda, quibus valeat eam enanciscis quapropter author naturæ consultum volens perpetuitati quarundam operationum pernecessariarum, cujusmodi sunt, quæ ad propagationem humani generis, & conservationem specierum requiruntur, ijsdem delectationem quamdam adnexuit, quasi condimentum; quò homines pellecti avidiùs ferantur in earundem operationum alicientia exercitia. Plures sunt operationes, quæ neglectæ torperent, nisi ijsdem quædam esset adnexa voluptatis dulcedo. Quemadmodum omnes homines quoddam sunt divinæ veluti stillicidium naturæ, quæ summa, essentiali, ac immutabili semper voluptate, blandè colliquescit: ita omnes homines instinctu naturæ feruntur ad voluptatem quoquo modo sibi comparandam, ut pro suis modulis conformes divinæ efficiantor naturæ.

Hinc propensio ad voluptatem fuit nobis à natura indita, nobisque cum natura concreata, ut pulchrè animadvertit Maximus Tyrius *dissert. 33 n. 190.* siquidem reliqua, quæ sequuntur homines, aut artis experientia, aut rationis approbavit industria, aut diuturni judicium temporis conciliavit nobis: voluptas verò nec ratione eget, & arte est antiquior, & experientiam prævenit, nec semper expectat; adeo ut ineffabilis ejus amor, unà cum corporibus nobis innatus sit. Scientiam progressu temporis paulatim cum rebus ipsis sub sensus cadentibus longâ experientia acquirit homo, conservâtque; sed voluptatem spontè à natura statim accepit. Hinc Philo ait: adeo in nobis valere amorem voluptatis, ut ob hanc sibi comparandam agat homo, quidquid agit: & sicut piscatores retia interdum demittunt longissima, in medio maris complectentis amplum spatium, ut quamplurimos pisces inclusos, ac veluti obsidione cinctos capiant: ita homines non in sinum tantùm aliquem maris; sed in totam propemodum aquæ, terræ, aërisque naturam sua protendunt desideria, & omnia ubique ad voluptatis usum attrahunt; etenim terræ metalla perquirunt; fluctuantia, vastâque maria trajiciunt; omnia belli, pacisque exercent negotia, materiam uberiorem paraturi voluptatibus; quinimò incommodorum perpessiones, suscepti labores, effectus sunt voluptatis, ut notat præfatus Tyrius ubi luculenter ostendit, voluptatis causâ homines morbos contrahere, labores tolerare, vulnera pati, & reliqua vitæ incommoda subire. Dissert.33. num.192.

Hic effectus gaudij coërcetur in publica calamitate, cum aliquid obtigit funesti; vel gravc imminet vitæ periculum, vel totius Reipublicæ damnum; sicut excitatur quoties recurrit aliquod commodum Reipublicæ, & præsertim in Principum natalitijs diebus; ita coërcetur cum aliquod objicitur Reipublicæ incommodum. Excitat lætitiam Panegyristes Maximiliani Imperatoris ob natalem 22.

talem Principis diem; licèt plus oratio festivitatis ostentet, quàm gravitatis; plus hilaritatis ob crebras exclamationes, quàm masculæ eloquentiæ. Placet fragmentum subjicere illius panegyris.

13. De te igitur, Cæsar invicte, hodiernæ gratulationis exordium ducimus: ille vestræ majestatis ortus, isto, quo illuxit auspicio veris illustrior, cui dies serenus, atque, ut celebrantes sensimus, ultra rationem temporis. Sol æstivus incaluit, augustiore fulgens luminis claritate, quàm cum originem mundi nascentis animavit: siquidem tunc inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret; nunc ardentior, ne majestate vestra videretur obscurior. O felix, beatúmque ver, novo partu jam non amœnitate florum, nec viriditate segetum, nec gemmis vitium, nec ipsis tantùm favonijs, & luce serenata lætum, atque venerabile, quantum ortu Cæsarum Maximorum! O tempus, quo meritò quondam omnia nata esse credantur, cum eodem nunc confirmata esse videantur! O calendæ Martiæ, sicut olim annorum volventium; ita nunc æternorum auspices Imperatorum?

14. Nervosissimâ verò eloquentiâ coërcet Salvianus affectum lætitiæ in iis, qui in summa calamitate petebant ab Imperatore ludos circenses, quibus mœrore pressos animos exhilararent, lætitiáque lugentem adhuc populum perfunderent. Subjicio eadem Salviani verba, quibus eloquentia suas totas prodit vires, ait ipse *lib. 6.* Lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur; atque etiam qui excidijs urbis non interfuerant, mala alieni excidij præferebant. Jacebant adhuc utriusque sexus cadavera nuda, lacerata, urbis oculos incestantia, avibus, canibúsque laniata. Et quid post hæc, inquam, quid post hæc omnia: quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ urbis remedio Circenses ab Imperatoribus postulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari, scilicet, ut tantum virtutis esset in querimonia, quantum doloris in causa. Quis enim existimare possit, quid primùm in his, de quibus diximus, accusandum sit, irreligiositas, an stultitia, an luxuria, an amentia? totum quippe in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quàm petere aliquid in injuria Dei? aut quid stultius, quàm quid petas, non considerare? aut quid tam perditi luxûs, quàm in luctu res desideraro luxuriæ? aut quid amentius, quàm in malis esse, & malorum intelligentiam non habere? Quamquam ijs omnibus nulla res minus culpanda est, quàm amentia, quia voluntas crimen non habet, ubi furore bacchatur. Quo magis hi, de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant. Circenses ergo Treviri desideratis, & hoc vastati; hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot eversæ urbis excidia? quid lacrymabilius hac stultitia? quid luctuosius hac amentia? Fateor, miserrimos vos esse credidi, cum excidia passi estis: sed miseriores vos video, cum & spectacula postulatis. Putabam enim, vos in excidijs, rem tantùm atque substantiam, ne sciebam etiam sensum, atque intelligentiam perdidisse. Theatra igitur quæritis. Circum à Principibus postulatis: quæso cui statui, cui populo, cui civitati? Urbi exustæ, ac perditæ, plebi captivæ, & interemptæ, quæ aut perijt, aut luget? de qua si quid superest, totum calamitatis est; quæ cuncta, aut mœstitudine est anxia, aut lacrymis exhausta, aut orbitate prostrata, in qua nescias, penes quos sit sors peior, ac durior, interfactorum, aut viventium. Tantæ enim sunt miseriæ superstitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo Treviri petitis; ubi quæso exercenda? quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorum lacerata membra? Ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Jaceant reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos defunctorum suorum, & tu Circenses rogas? Nigra est incendio civitas, & tu vultum festivitatis usurpas? Lugent euncta, tu lætus es? Hactenus demosthenicâ masculâ eloquentiâ Salvianus non solùm coërcens concupitam lætitiam, verùm etiam contrarium affectum doloris excitans ad extinguendum omne desiderium gaudij.

Tametsi non omnes delectationes malæ sint, sed quædam bonæ, & aliæ malæ pro ratione operationum, & concurrentium circumstantiarum, quas consequuntur, ut ostendit D. Augustinus *lib. 14. de civit. cap. 7.* nihilominus illæ delectationes, quæ studio quodam capiuntur ex rebus fluxis, & ad corpus spectantibus plerumque inordinatæ sunt, ac virtuti adversantur; quarum habitus penitus illi opponuntur virtutis. Exilit quippe in medium voluptas auro, monilibúsque ornata, veste, phrygia acu multiplici flore picta; oris pulchritudine nitens; & coma præterea discriminata; nodísque varijs studiosè illigata, lacinijsque fluentibus compta; & pictis fulgens superciliis, calceis splendens aureis. 15.

16. Virtus è converso viragini haud dissimilis prodit, aspectu horrida, macie quoque, & squalore confecta, nudis pedibus, simplici, rudique veste amicta, intonsa coma, cui se Negligentia comitem jungit. Altum tamen excelsum, regale solium, & infatigabile sceptrum virtus tenet. Voluptas humili, molli, servili, caduco, ac fluxo innititur mox lapsura. Virtus templa ingreditur, sacros ascendit suggestus, castra perlustrat, státque pro muris pulverulenta, colorata,

cijs; quâ ratione fortunæ imperio exempti, etiam inter corporis cruciatus, membrorumque lacerationes à mentis integritate, hilarique statione, nec latum unguem visi sunt dimoveri; cum enim terminos potestatis à Deo homini concessæ contemplarentur, sibi persuadebant, nihil præter affectiones, & cogitationes suas ad se pertinere; quapropter adeò absolutum fuerunt in eas imperium enacti, ut omnes animi tum irascentis; tum concupiscentis motus juxta normam regerent rectæ rationis, séque felices, potentes, divites jactarent.

8. Causæ excitantes delectationem, seu lætitiam plures sunt. Cum delectatio sit quædam effusio in objectum bonum possessum; & hæc possessio præsupponat cognitionem, ac amorem; nulli dubium, quin causa per se efficiens delectationis sit appetitus, cujus delectatio est fœtus pergratus: & causæ adjuvantes, objectum, cognitio, & amor; hæ siquidem causæ dicuntur adjuvantes, quia delectationem excitant; hinc bona, quæ impensiùs amantur, præsertim si expectatio dilata amorem accenderit, intensiorem ingenerant delectationem; adeò ut non abs re cecinerit Prosper. Epigram. 68.

Gratior est fructus, quem spes productior edit.

9. Ex majore itidem labore in rebus comparandis auctior solet oriri delectatio, si res obtineatur, post plures exantlatos labores: qua ratione Aristoteles 9. *Ethic. cap. 5.* asserit, majore amore liberorum exardescere matres, & majorem de ijsdem delectationem capere; quia operosior ijsdem fuerat liberorum procreatio: hinc generatim crescit delectatio juxta incrementum amoris, & difficultatis exacuentis amorem: difficultas enim acquirendi rem aliquam, amorem acuit; & mensuræ amoris portio respondet delectationis. Affectum lætitiæ excitat Pater Anchises, cum primùm venientem vidit Æneam post plures exantlatos labores, vitæque superata discrimina Virgil.

6. Æneid.

Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrásque tetendit;
Effusæque genis lachrymæ, & vox excidit ore:
Venisti tandem? tuáque expectata parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri,
Nate tua, & notas audire, ac reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio, quantis jactatum Nate periclis.
Quàm metui, ne quid Libya tibi regna nocerent.

Rei itidem novitas, ac varietas delectationem auget, quo pacto *Psalmo 80.* Populus Israël ex petra melle potatus dicitur, tametsi constet, Moysen ex percussione petræ pellucidos duntaxat elicuisse latices ad sitim extinguendam; ob tamen diu toleratam sitim, ac amorem vehementem in acquisitam frigidam potionem, quæ mera frigida aqua erat, videbatur sitientibus mel; tanta erat delectatio, quam ex haustu frigidæ percipiebant: eandem delectationis ubertatem ex acquisito cibo post diuturnam famem explicat Oseas verbis illis: *quasi uvas in deserto inveni Israël; & quasi prima poma ficulnea in cacumine ejus vidi patres eorum.* Potest etiam delectatio, quam ex esu pomi protoparentes perceperunt ad novitatẽ referri: est novitas causa delectationis, adeò ut vel ipsa voluptas, si diuturnior fuerit, fastidium ingeneret: suavior est delectatio recens; déque re non frequenter obvia; qua ratione Zenophon ait, ex Lycurgi lego maritos apud Lacedæmones non consuevisse, nisi perrarò cohabitare cum suis uxoribus; ut quoties contingeret unà convenire utriusque foret delectatio intensior. 10.

Sunt etiam aliæ plures lætitiæ causæ, ut potiri re diu sperata, frui optatis, superâsse arduos labores, vicisse hostes, declinâsse vitæ discrimina, præcavisse imminentia pericula; cœlum experiri propitium; hostium compescere audaciam, virtutibus, nobilitate, honoribus, dignitate insigniri; & quia varia sunt, ac distincta delectationum genera; cum quisque suum cupiat bonum, quo sibimet satisfaciat, difficile est, pari ratione in omnibus affectum delectationis, ac lætitiæ excitare; cum alius honore, alius divitijs, hic dignitate, ille luxu delectetur in vestibus, vel epulis. 11.

Qui in omnibus vellet affectum ciere voluptatis, huic Pandoræ pixide bonorum, omnium refertissima opus esset, ut avaro divitias, ambitioso sceptra, helluoni epulas, plebejo nobilitatem, militi victoriam, voluptuario delicias, ignorantibus scientias citra labores, sine sudore largiretur. Is procul dubio Mercurio ipso haberetur eloquentior, excitarétque facilè in singulis lætitiæ affectum. 12.

Quia verò carent Oratores Pandoræ pixide, necesse est, clareant eloquentiâ, si delectare velint, rosas loquantur, flores spargant, Attica bellaria exhibeant, ut melleus in dicendo profluat lepos, ut oratio victricibus laureis efflorescat uberior, splendeat luminibus, ac hortum referat arboribus consitum, innumerisque florum distinctum areolis; 13.

ex

ex quibus suavissimi spirent odores. Stylus sit totus candidus, dulcis, fusos sine ullis salebris, fluátque quasi sedatus amnis. Verba selecta, lenia, sonantia, non secus ac micantibus illusa flosculis asarota. Argumenta ingeniosa, nova, docta. Elocutio culta, mollis, facunda, picta. Res variæ, inusitatæ, jucundæ, inter se venustissimo nexu cohærentes; quibus amœna figurarum varietas plurimum adjiciat ornamenti, ac illecebrarum. Hæc sunt, quibus aurium excitantur deliciæ; & mens perfunditur voluptatum blanditijs. Sicut Sacchareum condimentum suavitatem quandam cupedijs instillat, quâ edentes, & si minimè causam sentiant, delectationem tamen uberrimam hauriunt; ita oratio attico perfusa melle, floribus ornata, latens habet quoddam jucunditatis aucupium, quô delectatione auditores afficiuntur.

14. In civilibus orationibus excitatur lætitia ex malorum fuga; bonorum accessione; commodis suscipiendis; ludis publicis instituendis, pompis, triumphis, celebritatibus aperiendis populo, maximè in receptione Principum ob delatas victorias, vel insigne aliquod præclarè gestum. Tunc ad uberius publicæ lætitiæ incrementum solent gestientes populi monumenta interni gaudij exteriùs prodere, ac in communis jubili tesseram, erigere arcuum molitiones, pegmatum machinas, fontium structuras, è quibus ad augendam cordis lætitiam dulce ubertim vinum effluat à populo hauriendum repetitis acclamationibus. Exhibentur etiam pergrata oculis symbolorum involucra, delatam victoriam, deletum hostem, exantlatos labores, résque alias præclarè gestas eruditè, ac ingeniosè referentia. Usu itidem ast receptum, ut ubi rerum adversarum prosperis successibus est fuligo detersa, ad uberiora gaudia superatorum laborum retricetur memoria. Id præstiti Monachij in receptione Serenissimi Electoris, *MAXIMILIANI EMANUELIS* Ducis Bavariæ ex Hungaria reducis post tractas cruento conflictu Turcarum copias, & occupatas armorum vi, aut ad deditionem adactas munitissimas arces. Relatam ab invictissimo Principe victoriam in agro Strigoniensi, susceptúmque in læva manu volnus hac innui Inscriptione. *Quò fortior staret Gloria Bellica Maximiliani Emanuelis, ceciderunt Turca hoc uno conflictu octies mille. Quò perennior; se fuga dederunt octogies mille. Non sinentibus loci angustijs ampliorem militum pugnam, militaverunt tam multa in uno Maximiliano, ut integrum suppleviſſe exercitum credi potueris. Ingenio, Fortitudine, Animo ubique præsens, æquè certus periculi, ac contemptor. Nil cessit plumbea glandi; quæ si manum vulneravit; plus de læsa cute fluxit gloria, quàm cruoris.* Declinata itidem pericula, & Bellica Stratagemata, & alia prudenter acta solent festivis recenseri Inscriptionibus, ut præstiti in subjecta. MAXIMILIANUS EMMANUEL *æquè ferro, ac prudentia victor trans Essechios Pontes cum hostem palude, sylvis, aggeribus præmunitum, ac inaccessum pluries irriso licèt incitamento lacessivisset. Audaciam ut videretur declinare, non pugnam: eo bellico vafremento receptui cecinit, ut cum vix esse timori potuerit, ipsum non vinci summam feceris esse victoriam. A tergo petitus, & à lateribus, totus effusus in suos, se in unoquoque eorum servavit, suo lucratus periculo omnium securitatem.*

Usitatum est etiam ubi triumphus re ipsa non instituitur prohibente modestiâ Principis, eumdem pressis inscriptionibus exhibere popolo communi gestienti jubilo, vel in triumphalium molitionibus Arcuum, pegmatúmque protensis structuris; vel inter symbolicæ eruditionis ornatus, lucernarúmque nocturnos lusus. Triumphum Maximiliani Emmanuelis ex Hungaria Monachum reducis post fractas, fugatásque Turcarum copias hac exhibui Inscriptione. *Hic ille virtute Martia invictissimus Princeps* MAXIMILIANUS EMMANUEL *quem sonanti præeunt compede, retortis in terga brachijs, junctisque famulari jugo cervicibus Audacia pharetrata sed sine telo; Arrogantia Oarysia, sed sine supercilio, simul victa, simul vincta. Natus victorijs Princeps, Martiam virtutem nactus; militiæ rudimenta triumphos ponit; priùs veteranus, quàm Tyro. Tot hactenus retulit palmas, quot pugnas inivit. Pannonias in squalore, jacentes defloratas, deturpatas; omnique gloria viduatas splendore, victorijs illustravit; mundúmque edocuit, Bavaros Principes non solo stemmate leones esse; sed fortiores in castris.* 15.

§. II.

Mundana gaudia tametsi humani cordis videantur angustias dilatare; animam premunt, quam explere nequeunt; nec ejus extinguere sitim. Indicantur effectus delectationis.

Effectus delectationis, seu gaudij plures sunt, quorum primus dicitur cordis dilatatio juxta illud Isaiæ 60. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Ab hoc effectu denominatur delectatio, lætitia, & gaudium, quòd si superaccedant signa exteriora conjuncta cum interna delectatione, tunc delectatio vocatur exultatio, & jucunditas, ut docet D. Thomas *quæst. 31. art. 3.* quæ nomina solent metaphoricè tribui etiam brutis, rebúsque inanimatis, & probat D. Augustinus ex illo Psalm. 113. *Montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium* 16.

In Epist. 57. ad Dardanum.

Secundus delectationis effectus est excitare sitim, ac desiderium, quinimò interdum fastidium. Tripliciter potest deside- 17.

cijs; quâ ratione fortunæ imperio exempti, etiam inter corporis cruciatus, membrorumque lacerationes à mentis integritate, hilarique statione, nec latum unguem visi sunt dimoveri; cum enim terminos potestatis à Deo homini concessæ contemplarentur, sibi persuadebant, nihil præter affectiones, & cogitationes suas ad se pertinere; quapropter adeò absolutum fuerunt in eas imperium enacti, ut omnes animi tum irascentis; tum concupiscentis motus juxta normam regerent rectæ rationis, séque felices, potentes, divites jactarent.

8. Causæ excitantes delectationem, seu lætitiam plures sunt. Cum delectatio sit quædam effusio in objectum bonum possessum; & hæc possessio præsupponat cognitionem, ac amorem; nulli dubium, quin causa per se efficiens delectationis sit appetitus, cujus delectatio est fœtus pergratus: & causæ adjuvantes, objectum, cognitio, & amor; hæ siquidem causæ dicuntur adjuvantes, quia delectationem excitant: hinc bona, quæ impensiùs amantur, præsertim si expectatio dilata amorem accenderit, intensiorem ingenerant delectationem; adeò ut non abs re cecinerit Prosper. Epigram. 68.

Gratior est fructus, quem spes productior edit.

9. Ex majore itidem labore in rebus comparandis auctior solet oriri delectatio, si res obtineatur, post plures exantlatos labores: qua ratione Aristoteles 9. *Ethic. cap. 7.* asserit, majore amore liberorum exardescere matres, & majorem de ijsdem delectationem capere; quia operosior ijsdem fuerat liberorum procreatio; hinc generatim crescit delectatio juxta incrementum amoris, & difficultatis exacuentis amorem: difficultas enim acquirendi rem aliquam, amorem acuit; & mensuræ amoris portio respondet delectationis. Affectum lætitiæ excitat Pater Anchises, cum primùm venientem vidit Æneam post plures exantlatos labores, vitæque superata discrimina Virgil. 6. *Æneid.*

Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrásque tetendit;
Effusaque genis lachryma, & vox excidit ore:
Venisti tandem? tuáque expectata parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri,
Nate tua, & notas audire, ac reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio, quantis jactatum Nate periclis.
Quàm metui, ne quid Libya tibi regna nocerent.

Rei itidem novitas, ac varietas delectationem auget, quo pacto *Psalmo 80.* Populus Israël ex petra melle potatus dicitur, tametsi constet, Moysen ex percussione petræ pellucidos duntaxat elicuisse latices ad sitim extinguendam; ob tamen diu toleratam sitim, ac amorem vehementem in acquisitam frigidam potionem, quæ mera frigida aqua erat, videbatur sitientibus mel; tanta erat delectatio, quam ex haustu frigidæ percipiebant: eandem delectationis ubertatem ex acquisito cibo post diuturnam famem explicat Oseas verbis illis: *quasi uvas in deserto inveni Israël; & quasi prima poma ficulnea in cacumine ejus vidi patres eorum.* Potest etiam delectatio, quam ex eiû pomi protoparentes perceperunt ad novitatē referri: est novitas causa delectationis, adeò ut vel ipsa voluptas, si diuturnior fuerit, fastidium ingeneret: suavior est delectatio recèns; déque re non frequenter obvia; qua ratione Zenophon ait, ex Lycurgi lege maritos apud Lacedœmones non consuevisse, nisi perrarò cohabitare cum suis uxoribus; ut quoties contingeret unà convenire utriusque foret delectatio intensior. 10.

Sunt etiam aliæ plures lætitiæ causæ, ut potiri re diu sperata, frui optatis, superâsse arduos labores. vicisse hostes, declinasse vitæ discrimina, præcavisse imminentia pericula; cœlum experiri propitium; hostium compescere audaciam, virtutibus, nobilitate, honoribus, dignitate insigniri; & quia varia sunt, ac distincta delectationum genera; cum quisque suum cupiat bonum, quo sibimet satisfaciat, difficile est, pari ratione in omnibus affectum delectationis, ac lætitiæ excitare; cum alios honore, alius divitijs, hic dignitate, ille luxu delectetur in vestibus, vel epulis. 11.

Qui in omnibus vellet affectum ciere voluptatis, huic Pandoræ pixide bonorum omnium refertissima opus esset, ut avaro divitias, ambitioso sceptra, helluoni epulas, plebejo nobilitatem, militi victoriam, voluptuario delicias, ignorantibus scientias citra labores, sine sudore largiretur. Is procul dubio Mercurio ipso haberetur eloquentior, excitarétque facilè in singulis lætitiæ affectum. 12.

Quia verò carent Oratores Pandoræ pixide, necesse est, clareant eloquentiâ, si delectare velint, rosas loquantur, flores spargant, Attica bellaria exhibeant, ut melleus in dicendo profluat lepos, ut oratio victricibus laureis efflorescat uberior, splendeat luminibus, ac hortum referat arboribus consitum, innumerísque florum distinctum areolis; 13.

ex quibus suavissimi spirent odores. Stylus sit totus candidus, dulcis, fusus sine ullis salebris, fluátque quasi sedatus amnis. Verba selecta, lenia, sonantia, non secus ac micantibus illusa flosculis asarota. Argumenta ingeniosa, nova, docta. Elocutio culta, mollis, facunda, picta. Res variæ, insitatæ, jucundæ, inter se venustissimo nexu cohærentes; quibus amœna figurarum varietas plurimum adjiciat ornamenti, ac illecebrarum. Hæc sunt, quibus aurium excitantur deliciæ; & mens perfunditur voluptatum blanditijs. Sicut Sacchareum condimentum suavitatem quandam eupedijs instillat, quâ edentes, & si minimè causam sentiant, delectationem tamen uberrimam hauriunt; ita oratio attico perfusa melle, floribus ornata, latens habet quoddam jucunditatis aucupium, quô delectatione auditores afficiuntur.

14. In civilibus orationibus excitatur lætitia ex malorum fuga; bonorum accessione; commodis suscipiendis; ludis publicis instituendis, pompis, triumphis, celebritatibus aperiendis populo, maximè in receptione Principum ob delatas victorias, vel insigne aliquod præclarè gestum. Tunc ad uberius publicæ lætitiæ incrementum solent gestientes populi monumenta interni gaudij exteriùs prodere, ac in communis jubili tesseram, erigere arcuum molitiones, pegmatum machinas, fontium structuras, è quibus ad augendam cordis lætitiam dulce ubertim vinum effluat à populo hauriendum repetitis acclamationibus. Exhibentur etiam pergrata oculis symbolorum involucra, delatam victoriam, deletum hostem, exantlatos labores, résque alias præclarè gestas eruditè, ac ingeniosè referentia. Usu itidem est receptum, ut ubi rerum adversarum prosperis successibus est fuligo detersa, ad uberiora gaudia superatorum laborum refricetur memoria. Id præstiti Monachij in receptione Serenissimi Electoris, *MAXIMILIANI EMANUELIS* Ducis Bavariæ ex Hungaria reducis post fractas cruento conflictu Turcarum copias, & occupatas armorum vi, aut ad deditionem adactas munitissimas arces. Relatam ab invictissimo Principe victoriam in agro Strigoniensi, susceptúmque in læva manu vulnus hac innui Inscriptione. *Quò fortior staret Gloria Bellica Maximiliani Emanuelis, ceciderunt Turca hoc uno conflictu octies mille. Quò perennior; se fuga dederunt octogies mille. Non sinentibus loci angustijs ampliorem militum pugnam, militaverunt tam multa in uno Maximiliano, ut integrum suppleviße exercitum credi potuerit. Ingenio, Fortitudine, Animo ubique præsens, æquè certus periculi, ac contemptor. Nil cessit plumbeæ glandi; quæ si manum vulneravit; plus de læsa cute fluxit gloriæ, quàm cruoris.* Declinata itidem pericula, & Bellica Stratagemata, & alia prudenter acta solent festivis recenseri Inscriptionibus, ut præstiti in subjecta. MAXIMILIANUS EMMANUEL *æquè ferro, ac prudentia victor trans Essechios Pontes cum hostem palude, sylvis, aggeribus præmunitum, ac inaccessum pluries irrito licèt incitamento lacessivisset. Audaciam ut videretur declinare, non pugnam; eo bellico vaframento receptui cecinit, ut cum vix esse timori potuerit, ipsum non vinci summam fecerit esse victoriam. A tergo petiens, & à lateribus, totus effusus in suos, se in unoquoque eorum servavit, suo lucratus periculo omnium securitatem.*

Usitatum est etiam ubi triumphus re 15.
ipsa non instituitur prohibente modestiâ Principis, eumdem pressis inscriptionibus exhibere populo communi gestienti jubilo, vel in triumphalium molitionibus Arcuum; pegmatúmque protensis structuris; vel inter symbolicæ eruditionis ornatus, lucernarúmque nocturnos lusus. Triumphum Maximiliani Emmanuelis ex Hungaria Monachum reducis post fractas, fugatásque Turcarum copias hac exhibui Inscriptione. *Hic ille virtute Martia invictissimus Princeps* MAXIMILIANUS EMMANUEL *quem sonanti præeunt compede, retortis in terga brachijs, junctísque famulari jugo cervicibus Audacia pharetrata sed sine telis, Arrogantia Odrysia, sed sine supercilio, simul victa, simul vincta. Natus victorijs Princeps, Martiam virtutem nactus; militiæ rudimenta triumphos ponit; priùs veteranus, quàm Tyro. Tot hactenus retulit palmas, quot pugnas inivit. Pannonias in squalore, jacentes defloratas, deturpatas; omnique gloria viduatas splendore, victorijs illustravit; mundúmque edocuit, Bavaros Principes non solo stemmate leones esse; sed fortiores in castris.*

§. II.

Mundana gaudia tametsi humani cordis videantur angustias dilatare; animam premunt, quam explere nequeunt; nec ejus extinguere sitim. Indicantur effectus delectationis.

Effectus delectationis, seu gaudij plures 16.
sunt, quorum primus dicitur cordis dilatatio juxta illud Isaiæ 60. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Ab hoc effectu denominatur delectatio, lætitia, & gaudium, quòd si superaccedant signa exteriora conjuncta cum interna delectatione, tunc delectatio vocatur exultatio, & jucunditas, ut docet D. Thomas *quæst. 31. art. 3.* quæ nomina solent metaphoricè tribui etiam brutis, rebúsque inanimatis, & probat D. Augustinus ex illo Psalm. 113. *Montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium.*

In Epist. 57. ad Dardanum.

Secundus delectationis effectus est ex- 17.
citare sitim, ac desiderium, quinimò interdum fastidium. Triplíciter potest deside-

cijs; quâ ratione fortunæ imperio exempti, etiam inter corporis cruciatus, membrorumque lacerationes à mentis integritate, hilarique statione, nec latum unguem visi sunt dimoveri; cum enim terminos potestatis à Deo homini concessæ contemplarentur, sibi persuadebant, nihil præter affectiones, & cogitationes suas ad se pertinere; quapropter adeò absoluti fuerunt in eas imperium enacti, ut omnes animi tum irascentis; tum concupiscentis motus juxta normam regerent rectæ rationis, séque felices,potentes, divites jactarent.

8. Causæ excitantes delectationem, seu lætitiam plures sunt. Cum delectatio sit quædam effusio in objectum bonum possessum; & hæc possessio præsupponat cognitionem, ac amorem; nulli dubium, quin causa per se efficiens delectationis sit appetitus, cujus delectatio est fœtus pergratus; & causæ adjuvantes, objectum, cognitio, & amor; hæ siquidem causæ dicuntur adjuvantes, quia delectationem excitant: hinc bona, quæ impensiùs amantur, præsertim si expectatio dilata amorem accenderit, intensiorem ingenerant delectationem; adeò ut non abs re cecinerit Prosper. Epigram. 68.

Gratior est fructus, quem spes productior edit.

9. Ex majore itidem labore in rebus comparandis auctior solet oriri delectatio, si res obtineatur, post plures exantlatos labores: qua ratione Aristoteles *9. Ethic. cap. 5.* asserit, majore amore liberorum exardescere matres, & majorem de ijsdem delectationem capere; quia operosior ijsdem fuerat liberorum procreatio; hinc generatim crescit delectatio juxta incrementum amoris, & difficultatis exacuentis amorem: difficultas enim acquirendi rem aliquam, amorem acuit; & mensuræ amoris portio respondet delectationis. Affectum lætitiæ excitat Pater Anchises, cum primùm venientem vidit Æneam post plures exantlatos labores, vitæque superata discrimina Virgil.

6. Æneid.

Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrásque tetendit;
Effusaque genis lachryma, & vox excidit ore:
Venisti tandem? tuáque expectata parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri,
Nate tua, & notas audire, ac reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio, quantis jactatum Nate periclis.
Quàm metui, ne quid Libya tibi regna nocerent.

Rei itidem novitas, ac varietas delectationem auget, quo pacto *Psalmo 80.* Populus Israël ex petra melle potatus dicitur, tametsi constet, Moysen ex percussione petræ pellucidos duntaxat elicuisse latices ad sitim extinguendam; ob tamen diu toleratam sitim, ac amorem vehementem in acquisitam frigidam potionem, quæ mera frigida aqua erat, videbatur sitientibus mel; tanta erat delectatio, quam ex haustu frigidæ percipiebant: eandem delectationis ubertatem ex acquisito cibo post diuturnam famem explicat Oseas verbis illis: *quasi uvas in deserto inveni Israël; & quasi prima poma ficulnea in cacumine ejus vidi patres eorum.* Potest etiam delectatio,quam ex esu pomi protoparentes perceperunt ad novitatē referri: est novitas causa delectationis,adeò ut vel ipsa voluptas, si diuturnior fuerit, fastidium ingeneret: suavior est delectatio recens; déque re non frequenter obvia; qua ratione Zenophon ait, ex Lycurgi lege maritos apud Lacedœmones non consuevisse, nisi perrarò cohabitare cum suis uxoribus; ut quoties contingeret unà convenire utriusque foret delectatio intensior. 10.

Sunt etiam aliæ plures lætitiæ causæ, ut potiri re diu sperata, frui optatis, superâsse arduos labores. vicisse hostes, declinasse vitæ discrimina, præcavisse imminentia pericula; cœlum experiri propitium; hostium compescere audaciam, virtutibus, nobilitate, honoribus, dignitate insigniri; & quia varia sunt, ac distincta delectationum genera; cum quisque suum cupiat bonum, quo sibimet satisfaciat, difficile est, pari ratione in omnibus affectum delectationis, ac lætitiæ excitare; cum alius honore, alius divitijs, hic dignitate, ille luxu delectetur in vestibus, vel epulis. 11.

Qui in omnibus vellet affectum ciere voluptatis,huic Pandoræ pixide bonorum omnium refertissima opus esset, ut avaro divitias, ambitioso sceptra, helluoni epulas, plebejo nobilitatem, militi victoriam, voluptuario delicias,ignorantibus scientias citra labores, sine sudore largiretur. It procul dubio Mercurio ipso haberetur eloquentior, excitarétque facilè in singulis lætitiæ affectum. 12.

Quia verò carent Oratores Pandoræ pixide, necesse est, clareant eloquentiâ, si delectare velint, rosas loquantur, flores spargant, Attica bellaria exhibeant, ut melleus in dicendo profluat lepos, ut oratio victricibus laureis efflorescat uberior, splendeat luminibus, ac hortum referat arboribus consitum,innumerísque florum distinctum areolis; 13.

ex

ex quibus suavissimi spirent odores. Stylus sit totus candidus, dulcis, fusus sine ullis salebris, fluatque quasi sedatus amnis. Verba selecta, lenia, sonantia, non secus ac micantibus illusa flosculis asarota. Argumenta ingeniosa, nova, docta. Elocutio culta, mollis, facunda, picta. Res variæ, insitatæ, jucundæ, inter se venustissimo nexu cohærentes; quibus amœna figurarum varietas plurimum adjiciat ornamenti, ac illecebrarum. Hæc sunt, quibus aurium excitantur deliciæ; & mens perfunditur voluptatum blanditijs. Sicut Sacchareum condimentum suavitatem quandam cupedijs instillat, quâ edentes, & si minimè causam sentiant, delectationem tamen uberrimam hauriunt; ita oratio attico perfusa melle, floribus ornata, latens habet quoddam jucunditatis aucupium, quò delectatione auditores afficiuntur.

14. In civilibus orationibus excitatur lætitia ex malorum fuga; bonorum accessione; commodis suscipiendis; ludis publicis instituendis, pompis, triumphis, celebritatibus aperiendis populo, maximè in receptione Principum ob delatas victorias, vel insigne aliquod præclarè gestum. Tunc ad uberius publicæ lætitiæ incrementum solent gestientes populi monumenta interni gaudij exteriùs prodere, ac in communis jubili tesseram, erigere arcuum molitiones, pegmatum machinas, fontium structuras, è quibus ad augendam cordis lætitiam dulce ubertim vinum effluat à populo hauriendum repetitis acclamationibus. Exhibentur etiam pergrata oculis symbolorum involucra, delatam victoriam, deletum hostem, exantlatos labores, résque alias præclarè gestas eruditè, ac ingeniosè referentia. Usu itidem est receptum, ut ubi rerum adversarum prosperis successibus est fuligo detersa, ad uberiora gaudia superatorum laborum retricetur memoria. Id præstiti Monachij in receptione Serenissimi Electoris, *MAXIMILIANI EMANUELIS* Ducis Bavariæ ex Hungaria reducis post fractas cruento conflictu Turcarum copias, & occupatas armorum vi, aut ad deditionem adactas munitissimas arces. Relatam ab invictissimo Principe victoriam in agro Strigoniensi, susceptúmque in læva manu vulnus hac innui Inscriptione. *Quò fortior staret Gloria Bellica Maximiliani Emanuelis, ceciderunt Turca hoc uno conflictu octies mille. Quò perennior; se fuga dederunt octogies mille. Non sinentibus loci angustijs ampliorem militum pugnam, militaverunt tam multa in uno Maximiliano, ut integrum suppleviſſe exercitum credi potuerit. Ingenio, Fortitudine, Animo ubique præsens, aquè certus periculi, ac contemptor. Nil cessit plumbea glandi; quo si manum vulneravit; plus de tasa cute fluxit gloria, quàm cruoris.* Declinata itidem pericula, & Bellica Stratagemata, & alia prudenter acta solent festivis recenseri Inscriptionibus, ut præstiti in subjecta. MAXIMILIANUS EMMANUEL *aquè ferro ac prudentia victor trans Effecbios Pontes cum hostem palude, sylvis, aggeribus præmunitum, ac inaccessum pluries irrito licèt incitamento lacessivisset. Audaciam ut videretur declinare, non pugnam: eo bellico vaframent receptui cecinit, ut cum vix esse timori potuerit, ipsum non vinci summam fecerit esse victoriam. A tergo petitus, & à lateribus, totus offusus in suos, se in unoquoque eorum servavit, suo lucratus periculo omnium securitatem.*

Usitatum est etiam ubi triumphus re ipsa non instituitur prohibente modestiâ Principis, eumdem pressis inscriptionibus exhibere populo communi gestienti jubilo, vel in triumphalium molitionibus Arcuum, pegmatúmque protensis structuris; vel inter symbolicæ eruditionis ornatus, lucernarúmque nocturnos lusus. Triumphum Maximiliani Emmanuelis ex Hungaria Monachum reducis post fractas, fugatásque Turcarum copias hac exhibui Inscriptione. *Hic ille virtute Martia invictissimus Princeps* MAXIMILIANUS EMMANUEL *quem sonanti præeunt compede, retortis in terga brachijs, junctisque famulari jugo cervicibus Audacia pharetrata sed sine telos, Arrogantia Odrysia, sed sine supercilio, simul victo, simul vincta. Natus victorijs Princeps, Martiam virtutem nactus; militia rudimenta triumphos ponit; priùs veteranus, quàm Tyro. Tot hactenus retulit palmas, quot pugnas inivit. Pannonias in squalore, jacentes defloratas, deturpatas; omnique gloria viduatas splendore, victorijs illustravit; mundúmque edocuit, Bavaros Principes non solo stemmate leones esse; sed fortiores in castris.* 15.

§. II.

Mundana gaudia tametsi humani cordis videantur angustias dilatare; animam premunt, quam explere nequeunt; nec ejus extinguere sitim. Indicantur effectus delectationis.

Effectus delectationis, seu gaudij plures sunt, quorum primus dicitur cordis dilatatio juxta illud Isaiæ 60. *Tunc videbis, & affiues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Ab hoc effectu denominatur delectatio, lætitia, & gaudium, quòd si superaccedant signa exteriora conjuncta cum interna delectatione, tunc delectatio vocatur exultatio, & jucunditas, ut docet D. Thomas *quæst. 31. art. 3.* quæ nomina solent metaphoricè tribui etiam brutis, rebúsque inanimatis, & probat D. Augustinus ex illo Psalm. 113. *Montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium.* 16.

In Epist. 57. ad Dardanum.

Secundus delectationis effectus est excitare sitim, ac desiderium, quinimò interdum fastidium. Triplicites potest deside- 17.

 rium

cijs; quâ ratione fortunæ imperio exempti, etiam inter corporis cruciatus, membrorumque lacerationes à mentis integritate, hilarique statione, nec latum unguem visi sunt dimoveri; cum enim terminos potestatis à Deo homini concessæ contemplarentur, sibi persuadebant, nihil præter affectiones, & cogitationes suas ad se pertinere; quapropter adeò absolutum fuerunt in eas imperium enacti, ut omnes animi tum irascentis; tum concupiscentis motus juxta normam regerent rectæ rationis, séque felices, potentes, divites jactarent.

8. Causæ excitantes delectationem, seu lætitiam plures sunt. Cum delectatio sit quædam effusio in objectum bonum possessum; & hæc possessio præsupponat cognitionem, ac amorem; nulli dubium, quin causa per se efficiens delectationis sit appetitus, cujus delectatio est fœtus pergratus: & causæ adjuvantes, objectum, cognitio, & amor; hæ siquidem causæ dicuntur adjuvantes, quia delectationem excitant: hinc bona, quæ impensiùs amantur, præsertim si expectatio dilata amorem accenderit, intensiorem ingenerant delectationem; adeò ut non abs re cecinerit Prosper. Epigram. 68.

Gratior est fructus, quem spes productior edit.

9. Ex majore itidem labore in rebus comparandis auctior solet oriri delectatio, si res obtineatur, post plures exantlatos labores: qua ratione Aristoteles 9. *Ethic. cap. 5.* asserit, majore amore liberorum exardescere matres, & majorem de ijsdem delectationem capere; quia operosior ijsdem fuerat liberorum procreatio: hinc generatim crescrit delectatio juxta incrementum amoris, & difficultatis exaruentis amorem: difficultas enim acquirendi rem aliquam, amorem acuit; & mensuræ amoris portio respondet delectationis. Affectum lætitiæ excitat Pater Anchises, cum primùm venientem vidit Æneam post plures exantlatos labores, vitæque superata discrimina Virgil.

6. *Æneid.*

Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas utrásque tetendit;
Effusaque genis lachryma, & vox excidit ore:
Venisti tandem? tuáque expectata parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri,
Nate tua, & notas audire, ac reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio, quantis jactatum Nate periclis.
Quàm metui, ne quid Libya tibi regna nocerent.

Rei itidem novitas, ac varietas delectationem auget, quo pacto *Psalmo 80.* Populus Israël ex petra melle potatus dicitur, tametsi constet, Moysen ex percussione petræ pellucidos duntaxat eliciuisse latices ad sitim extinguendam; ob tamen diu toleratam sitim, ac amorem vehementem in acquisitam frigidam potionem, quæ mera frigida aqua erat, videbatur sitientibus mel; tanta erat delectatio, quam ex haustu frigidæ percipiebant: eandem delectationis ubertatem ex acquisito cibo post diuturnam famem explicat Oseas verbis illis: *quasi uvas in deserto inveni Israël; & quasi prima poma ficulnea in cacumine ejus vidi patres eorum.* Potest etiam delectatio, quam ex esu pomi protoparentes perceperunt ad novitatē referri: est novitas causa delectationis, adeò ut vel ipsa voluptas, si diuturnior fuerit, fastidium ingeneret; suavior est delectatio recens; déque re non frequenter obvia; qua ratione Zenophon ait, ex Lycurgi lege maritos apud Lacedæmones non consuevisse, nisi perraro cohabitare cum suis uxoribus; ut quoties contingeret unà convenire utriusque foret delectatio intensior. 10.

Sunt etiam aliæ plures lætitiæ causæ, ut potiri re diu sperata, frui optatis, superâsse arduos labores, vicisse hostes, declinasse vitæ discrimina, præcavisse imminentia pericula; cœlum experiri propitium; hostium compescere audaciam, virtutibus, nobilitate, honoribus, dignitate insigniri; & quia varia sunt, ac distincta delectationum genera; cum quisque suum cupiat bonum, quo sibimet satisfaciat, difficile est, pari ratione in omnibus affectum delectationis, ac lætitiæ excitare; cum alius honore, alius divitijs, hic dignitate, ille luxu delectur in vestibus, vel epulis. 11.

Qui in omnibus vellet affectum ciere voluptatis, huic Pandoræ pixide bonorum omnium refertissima opus esset, ut avaro divitias, ambitioso sceptra, helluoni epulas, plebejo nobilitatem, militi victoriam, voluptuario delicias, ignorantibus scientias citra labores, sine sudore largiretur. Is procul dubio Mercurio ipso haberetur eloquentior, excitarétque facilè in singulis lætitiæ affectum. 12.

Quia verò carent Oratores Pandoræ pixide, necesse est, clareant eloquentiâ, si delectare velint, rosas loquantur, flores spargant, Attica bellaria exhibeant, ut melleus in dicendo profluat lepos, ut oratio victricibus laureis efflorescat uberior, splendeat luminibus, ac hortum referat arboribus consitum, innumerísque florum distinctum areolis; 13.

ex

ex quibus suavissimi spirent odores. Stylus sit totus candidus, dulcis, fusus sine ullis salebris, fluátque quasi sedatus amnis. Verba selecta, lenia, sonantia, non secus ac micantibus illusa flosculis asarota. Argumenta ingeniosa, nova, docta. Elocutio culta, mollis, facunda, picta. Res variæ, insitatæ, jucundæ, inter se venustissimo nexu cohærentes; quibus amœna figurarum varietas plurimum adjiciat ornamenti, ac illecebrarum. Hæc sunt, quibus aurium excitantur deliciæ; & mens perfunditur voluptatum blanditijs. Sicut Sacchareum condimentum suavitatem quandam cupedijs instillat, quâ edentes, & si minimè causam sentiant, delectationem tamen uberrimam hauriunt; ita oratio attico perfusa melle, floribus ornata, latens habet quoddam jucunditatis aucupium, quô delectatione auditores afficiuntur.

14. In civilibus orationibus excitatur lætitia ex malorum fuga; bonorum accessione; commodis suscipiendis; ludis publicis instituendis, pompis, triumphis, celebritatibus aperiendis populo, maximè in receptione Principum ob delatas victorias, vel insigne aliquod præclarè gestum. Tunc ad uberius publicæ lætitiæ incrementum solent gestientes populi monumenta interni gaudij exteriùs prodere, ac in communis jubili tesseram, erigere arcuum molitiones, pegmatum machinas, fontium structuras, è quibus ad augendam cordis lætitiam dulce ubertim vinum effluat à populo hauriendum repetitis acclamationibus. Exhibentur etiam pergrata oculis symbolorum involucra, delatam victoriam, deletum hostem, exantlatos labores, résque alias præclarè gestas eruditè, ac ingeniosè referentia. Usu itidem est receptum, ut ubi rerum adversarum prosperis successibus est fuligo detersa, ad uberiora gaudia superatorum laborum retricetur memoria. Id præstiti Monachij in receptione Serenissimi Electoris, *MAXIMILIANI EMANUELIS* Ducis Bavariæ ex Hungaria reducis post fractas cruento conflictu Turcarum copias, & occupatas armorum vi, aut ad deditionem adactas munitissimas arces. Relatam ab invictissimo Principe victoriam in agro Strigoniensi, susceptúmque in læva manu vulnus hac innui Inscriptione. *Quò fortior staret Gloria Bellica Maximiliani Emanuelis, ceciderunt Turcæ hoc uno conflictu octies mille. Quò perennior; se fugæ dederunt octogies mille. Non sinentibus loci angustijs ampliorem militum pugnam, militaverunt tam multa in uno Maximiliano, ut integrum supplevisse exercitum credi potuerit. Ingenio, Fortitudine, Animo ubique præsens, aquè certus periculi, ac contemptor. Nil cessit plumbea glandi; quæ si manum vulneravit; plus de læsa cute fluxit gloriæ, quàm cruoris.* Declinata itidem pericula, & Bellica Stratagemata, & alia prudenter acta solent festivis recenseri Inscriptionibus, ut præstiti in subjecta. MAXIMILIANUS EMMANUEL *æquè ferro, ac prudentia victor erant Essechios Pontes cum hostem palude, sylvis, aggeribus præmunitum, ac inaccessum pluries irrito licèt incitamento lacessivisset. Audaciam ut videretur declinare, non pugnam: eo bellico vaframento receptui cecinit, ut cum vix esse timori potuerit, ipsum non vinci summam fecerit esse victoriam. A tergo petitus, & à lateribus, totus effusus in suos, se in unoquoque eorum servavit, suo lucratus periculo omnium securitatem.*

15. Usitatum est etiam ubi triumphus re ipsa non instituitur prohibente modestiâ Principis, eumdem pressis inscriptionibus exhibere populo communi gestienti jubilo, vel in triumphalium molitionibus Arcuum pegmatúmque protensis structuris; vel inter symbolicæ eruditionis ornatus, lucernarúmque nocturnos lusus. Triumphum Maximiliani Emmanuelis ex Hungaria Monachum reducis post fractas, fugatásque Turcarum copias hac exhibui Inscriptione. *Hic ille virtute Martia invictissimus Princeps* MAXIMILIANUS EMMANUEL *quem sonanti præeunt compede, retortis in terga brachijs, junctisque famulari jugo cervicibus Audacia pharetrata sed sine telo; Arrogantia Oarysia, sed sine supercilio, simul victa, simul vincta. Natus victorijs Princeps, Martiam virtutem nactus; militiæ rudimenta triumphos ponit; priùs veteranus, quàm Tyro. Tot hactenus retulit palmas, quot pugnas inivit. Pannonias in squalore, jacentes defloratas, deturpatas; omnique gloria viduatas splendore, victorijs illustravit; mundúmque edocuit, Bavaros Principes non solo stemmate leones esse; sed fortiores in castris.*

§. II.

Mundana gaudia tametsi humani cordis videantur angustias dilatare; animam premunt, quam explere nequeunt; nec ejus extinguere sitim. Indicantur effectus delectationis.

16. EFfectus delectationis, seu gaudij plures sunt, quorum primus dicitur cordis dilatatio juxta illud Isaiæ 60. *Tunc videbis, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Ab hoc effectu denominatur delectatio, lætitia, & gaudium, quòd si superaccedant signa exteriora conjuncta cum interna delectatione, tunc delectatio vocatur exultatio, & jucunditas, ut docet D. Thomas *quæst. 31. art. 3.* quæ nomina solent metaphoricè tribui etiam brutis, rebúsque inanimatis, & probat D. Augustinus ex illo Psalm. 113. *Montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium.*

In Epist. 57. ad Dardanum.

17. Secundus delectationis effectus est excitare sitim, ac desiderium, quinimò interdum fastidium. Tripliciter potest deside-

rium ex delectatione excitari. Primò ex parte rei; si res talis sit, ut semel possessa non valeat totum appetitum explere; cujusmodi sunt delectationes, quæ hauriuntur à rebus hisce fluxis, ac caducis; quæ potiùs sitim acuunt, quàm extinguant; unde cecinit Poëta: *Nec gramina rivis, nec cythiso saturantur apes, nec fronde capella.* Quinimò voluptates abeuntes infixum relinquunt aculeum, cujus infixione sensus omnis anteactæ delectationis extinguitur; & magis sitis augescit. Bona siquidem temporalia, quia finita, & fluxa nonnisi tenuem, & exilem ingerunt voluptatem, quæ minimè idonea est implendæ capacitati humani cordis. Secundò acuit delectatio sitim ex parte operationis, quâ res delectabilis usurpatur, eò quia imperfecta sit, & ex parte vacua, hoc pacto delectatio spiritualis, quàm in præsenti vita experimur de Deo ænigmaticè cognito sitim potiùs auget, quàm extinguat, eò quia inde oriatur in nobis desiderium perfectiori modo cognoscendi Deum, Eccles. 24. *Qui bibunt me adhuc sitient; & qui edunt me, adhuc esurient.* Tertiò delectatio sitim excitat, si per sitim quandam intelligamus à fastidio vacationem; qualem ij experiuntur, qui adhuc desiderant: in quo sensu docet D. Thomas, etiam delectationem Beatorum adferre sitim, juxta illud D. Petri: Epist. 1. c. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere:* quia nimirum Angeli vacantes ab omni fastidio semper desiderant perseverare in beata illa visione.

18. Tertius effectus est fastidum ingerere ex usu, præsertim quando animus illectus delectatione modum excedit in operatione, ut cum quis supra exigentiam comedens aggravat stomachum. Ingenerare hoc fastidium proprium est delectationum corporalium. Hinc Aristoteles loquens de objectis corporalibus, quæ solent delectationem ingerere asserit, nullam rem esse, quæ eadem 6. Ethic. semper suavis sit, unde Cassiodorus ait: *homines sua varietate recreari, quia in conti-* Lib. 7. epist. 37. *nuatione rerum, magnum mentibus constat esse fastidium.* Dulcedo mellis, si assiduè sumatur, horrescit gustui, licèt palato esset blandimento.

19. Quartus effectus delectationis est obstare delectationi, quando hæc versatur circa aliud objectum, estque de alia operatione, Lib. 4. Ethic. cap. 5. ut docet Aristoteles, quia si delectatio fuerit de ipsa cognitione, eam potiùs acuit, ac perficit; quia ijs, vel maximè innitimur, quibus magis delectamur. Perfectiores sunt eæ operationes, quæ generatim cum delectatione perficiuntur, quia tunc animus uberiori nisu, ac blandiori conatu ijsdem incumbit.

20. Denique effectus delectationis sunt ea omnia, quibus utuntur homines ad eandem sibi captandam, ut docet Aristoteles *10. Ethic. cap. 4. & 5.* quia delectatio innata sua dulcedine illicit, stimulatque operantem ad media adhibenda, quibus valeat eam enanciscis quapropter author naturæ consultum volens perpetuitati quarundam operationum pernecessariarum, cujusmodi sunt, quæ ad propagationem humani generis, & conservationem specierum requiruntur, ijsdem delectationem quamdam adnexuit, quasi condimentum; quò homines pellecti avidiùs ferantur in earundem operationum allicientia exercitia. Plures sunt operationes, quæ neglectæ torperent, nisi ijsdem quædam esset adnexa voluptatis dulcedo. Quemadmodum omnes homines quoddam sunt divinæ veluti stillicidium naturæ, quæ summa, essentiali, ac immutabili semper voluptate, blandè colliquescit: ita omnes homines instinctu naturæ feruntur ad voluptatem quoquo modo sibi comparandam, ut pro suis modulis conformes divinæ efficiantur naturæ.

Hinc propensio ad voluptatem fuit nobis à natura indita, nobísque cum natura concreata, ut pulchrè animadvertit Maximus Tyrius *dissert. 33. n. 190.* siquidem reliqua, quæ sequuntur homines, aut artis experientia, aut rationis approbavit industria, aut diuturni judicium temporis conciliavit nobis: voluptas verò nec ratione eget, & arte est antiquior, & experientiam prævenit, nec semper expectat; adeo ut ineffabilis ejus amor, unà cum corporibus nobis innatus sit. Scientiam progressu temporis paulatim cum rebus ipsis sub sensus cadentibus longâ experientia acquirit homo, conservátque; sed voluptatem spontè à natura statim accepit. Hinc Philo ait: adeo in nobis valere amorem voluptatis, ut ob hanc sibi comparandam agat homo, quidquid agit; & sicut piscatores retia interdum demittunt longissima, in medio maris complectentis amplum spatium, ut quamplurimos pisces inclusos, ac veluti obsidione cinctos capiant: ita homines non in sinum tantùm aliquem maris; sed in totam propemodum aquæ, terræ, aërisque naturam sua protendunt desideria, & omnia ubique ad voluptatis usum attrahunt; etenim terræ metalla perquirunt; fluctuantia, vastáque maria trajiciunt; omnia belli, pacisque exercent negotia, materiam uberiorem paraturi voluptatibus; quinimò incommodorum perpessiones, suscepti labores, effectus sunt voluptatis, ut notat præfatus Tyrius ubi luculenter ostendit, voluptatis causâ homines morbos contrahere, labores tolerare, vulnera pati, & reliqua vitæ incommoda subire. Dissert. 33. num. 192.

Hic effectus gaudij coërcetur in publica calamitate, cum aliquid obtigit funesti; vel grave imminet vitæ periculum, vel totius Reipublicæ damnum; sicut excitatur quoties recurrit aliquod commodum Reipublicæ, & præsertim in Principum natalitijs diebus; ita coërcetur cum aliquod obijcitur Reipublicæ incommodum. Excitat lætitiam Panegyristes Maximiliani Imperatoris ob natalem 22.

talem Principis diem; licèt plus oratio festivitatis ostentet, quàm gravitatis; plus hilaritatis ob crebras exclamationes, quàm masculæ eloquentiæ. Placet fragmentum subjicere illius panegyris.

13. De te igitur, Cæsar invicte, hodiernæ gratulationis exordium ducimus: ille vestræ majestatis ortus, isto, quo illuxit auspicio veris illustrior, cui dies serenus, atque, ut celebrantes sensimus, ultra rationem temporis. Sol æstivus incaluit, augustiore fulgens luminis claritate, quàm cum originem mundi nascentis animavit: siquidem tunc inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret; nunc ardentior, ne majestate vestra videretur obscurior. O felix, beatúmque ver, novo partu jam non amœnitate florum, nec viriditate segetum, nec gemmis vithium, nec ipsis tantum favonijs, & luce serenata lætum, atque venerabile, quantum ortu Cæsarum Maximorum! O tempus, quo meritò quondam omnia nata esse credantur, cum eodem nunc confirmata esse videantur! O calendæ Martiæ, sicut olim annorum volventium; ita nunc æternorum auspices Imperatorum?

14. Nervosissimâ verò eloquentiâ coërcet Salvianus affectum lætitiæ in ijs, qui in summa calamitate petebant ab Imperatore ludos circenses, quibus mœrore pressos animos exhilararent, lætitiáque lugentem adhuc populum perfunderent. Subjicio eadem Salviani verba, quibus eloquentia suas totas prodit vires, ait ipse *lib. 6.* Lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur; atque etiam qui excidijs urbis non interfuerant, mala alieni excidij præferebant. Jacebant adhuc utriusque sexus cadavera nuda, lacerata, urbis oculos incestantia, avibus, canibúsque laniata. Et quid post hæc, inquam, quid post hæc omnia: quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ urbis remedio Circenses ab Imperatoribus postulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari, scilicet, ut tantum virtutis esset in querimonia, quantum doloris in causa. Quis enim existimare possit, quid primùm in his, de quibus diximus, accusandum sit, irreligiositas, an stultitia, an luxuria, an amentia? totum quippe in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quàm petere aliquid in injuria Dei? aut quid stultius, quàm quid petas, non considerare? aut quid tam perditi luxûs, quàm in luctu res desiderare luxuriæ? aut quid amentius, quàm in malis esse, & malorum intelligentiam non habere? Quamquam ijs omnibus nulla res minus culpanda est, quàm amentia, quia voluntas crimen non habet, ubi furore bacchatur. Quo magis hi, de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant. Circenses ergo Treviri desideratis, & hoc vastati; hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot eversæ urbis excidia? quid lacrymabilius hac stulitia? quid luctuosius hac amentia? Fateor, miserrimos vos esse credidi, cum excidia passi estis: sed miseriores vos video, cum & spectacula postulatis. Putabam enim, vos in excidijs, rem tantùm atque substantiam, nesciebam etiam sensum, atque intelligentiam perdidisse. Theatra igitur quæritis. Circum à Principibus postulatis: quæso cui statui, cui populo, cui civitati? Urbi exustæ, ac perditæ, plebi captivæ, & interemptæ, quæ aut perijt, aut luget! de qua si quid superest, totum calamitatis est; quæ cuncta, aut mœstitudine est anxia, aut lacrymis exhausta, aut orbitate prostrata, in qua nescias, penes quos sit sors peior, ac durior, interfactorum, aut viventium. Tantæ enim sunt miseriæ superstitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo Treviri petitis; ubi quæso exercenda? quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorum lacerata membra? Ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos defunctorum suorum, & tu Circenses rogas? Nigra est incendio civitas, & tu vultum festivitatis usurpas? Lugent cuncta, tu lætus es? Hactenus demosthenicâ masculâ eloquentiâ Salvianus non solùm coërcens concupitam lætitiam, verùm etiam contrarium affectum doloris excitans ad extinguendum omne desiderium gaudij.

25. Tametsi non omnes delectationes malæ sint, sed quædam bonæ, & aliæ malæ pro ratione operátionum, & concurrentium circumstantiarum, quas consequuntur, ut ostendit D. Augustinus *lib. 14. de civit. cap. 7.* nihilominus illæ delectationes, quæ studio quodam capiuntur ex rebus fluxis, & ad corpus spectantibus plerumque inordinatæ sunt, ac virtuti adversantur; quarum habitus penitus illi opponuntur virtutis. Exilit quippe in medium voluptas auro, monilibúsque ornata, veste, phrygia acu multiplici flore picta; oris pulchritudine nitens; & coma præterea discriminata; nodísque variis studiosè illigata, laciniisque fluentibus compta; & pictis fulgens supercilijs, calceis splendens aureis.

26. Virtus è converso vitagini haud dissimilis prodit, aspectu horrida, macie quoque, & squalore confecta, nudis pedibus, simplici, rudique veste amicta, intonsa coma, cui se Negligentia comitem jungit. Altum tamen excelsum, regale solium, & infatigabile sceptrum virtus tenet. Voluptas humili, molli, servili, caduco, ac fluxo innititur mox lapsura. Virtus templa ingreditur, sacros ascendit suggestus, castra perlustrat, státque pro muris pulverulenta, colorata,

lorata, callosa manibus. Voluptas in popinis desidiosa sedet, madétque mero; lupanaria frequentat, Gynæceis immoratur, balnea quærit, flores amat, unguentis illinitur, fucisque incedit polluta; cui propterea eò vehementiùs obsistendum, quò allicit blandiùs.

27. Quòd si voluptas circa turpe carnis vitium versetur, omnino abjicienda est; ad idque proderit seriò perpendere, nullum in homine moribus corrupto stabulari vitium isto turpius, nullúmque, de quo magis erubescamus, cum vel nudum ipsius nomen non carere ignominiâ edixerit Apostolus præcipiens, ut quæ hujusmodi sunt nec nominentur in nobis. Unde nobis præcidenda est omnis pravitatis occasio ab otio, ab haustu meri, à gula, ab omni specie impura, malorum contubernio.

28. Proderit etiam ad coërcendas omnium rerum fluxarum voluptates, eas considerare, abeuntes, fugientes, fluxas, nullius firmitatis: sic enim occurrunt animo tanquam amaræ, ac insuaves, cum earum fuga æquè perniciosissima, ac perniciosissima fit. Hinc Augustinus explicans hanc voluptatum fugacitatem, ita alloquitur voluptatibus diffluentes, quique fuerunt delectati lusibus, cantu, spectaculis, omnique voluptatis genere inquiens. *Ubi sunt deliciæ vestræ, propter quas ambulatis per vias pravas? non dicimus ubi erunt, cum hæc vita transierit; sed modò ubi sunt; cum hesternum diem hodiernus abstulerit; & hodiernum crastinus sit ablaturus, quid eorum, quæ diligitis, non transcurrit, non transvolat? quid non fugit pene, antequam capiatur, cum ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri? ita enim secunda excluditur à tertia; sicut prima jam exclusa est à secunda: ipsius horæ unius, quæ præsens videtur, nihil est præsens, omnes enim partes ejus, & omnia momenta fugitiva sunt.* Non solùm Euro ocyùs pertransit fugitiva voluptas, sed vestigia sui imprimens doloris infligit vulnera. Hinc appositè Venusinus Poëta

Serm. 15. de verb. Apost.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

28. Et Philosophus, qui ad voluptatem aliquam minus honestam sibi comparandam alliciebatur, scitè retorsit: *tanti non emo pœnitere.* Voluptates, quæ fluxis capiuntur ex rebus fœculentæ sunt, turbidæ, & dolore mixtæ. Quapropter ea omnis voluptas abjicienda est, quæ fines à virtute positos transgreditur; quia si voluptas à regulis rectæ rationis deflectit, vitium contrahit, cui mœror adhæret, ac dolor; & perinde est vepretis circumsepta voluptas; ac spinis vallata rosa. Quidquid jucunditatis nobis ostendit, id tristitiâ, & dolore permixtum est. Jucunda est rosa, arridet cum ridet, sed spinis tristitiam infligit si tangatur: ita voluptas sub specie fucati, larvatique risûs nocentiores aculeos tegit, quibus lethaliùs vulnerat.

Defæcatæ, ac veræ voluptates sunt, quæ ex virtutibus hauriuntur; nulli sunt hæ implicatæ dolori; nullum infligunt vulnus, nec mœrorem ingerunt. Illæ sunt jucundissimæ voluptates, quæ cognitioni adnectuntur divini Numinis. Solus enim Deus est summum illud bonum, à quo veram haurimus voluptatem. Quæ sunt extra Deum, nec diriguntur in Deum, nonnisi fucatam possunt ingerere voluptatem; cui si larvam detraxeris, dolor erit, quod voluptatem affectabat: rerum fluxarum exilitas ingerendæ voluptati prorsus est inidonea. Percurre, si lubet, quæ inter peritura voluptatis obstetrices accensentur; vel etiam genitrices deliguntur; terrenæ divitiæ curis sunt ditiores, quàm auro; & inficiuntur plerumque vitijs, qui divitijs affluunt. Gulæ deliciæ veram non nutriunt voluptatem; quia immodicæ fastidium creant. Ludicra spectacula cum vi, & arte risum extorqueant, à vera exulant voluptate, non est verus risus, qui sua sponte non fluit; fictitia est, non factitia voluptas, quæ à theatris prodit. Ludi voluptati haud famulantur, & infirma sunt dolori placando instrumenta, cum intus tortores sint, animúmque excrucient. Mundi cantus licèt alliciat, voluptatem non ingerit, imitatúrque galinas, quæ cum cantare videntur singultiunt, ac dolorem produnt internum. Etiam Cygnus morti proximus suaviùs canit; sed cantus est mortis prodromus. Ædificia casura veræ voluptati inædificandæ inepta sunt. Choreæ, & saltationes voluptati non ancillantur, qui enim in ducendis choreis membra frangunt, mentem non habent integram; pedes qui deculsatim attollunt, caput deprimunt. 29.

Hinc Antisthenes perhibetur adeo execratus voluptates, ut fateretur, se malle insanire, quàm voluptatibus affici, & cum socius sciscitaretur, cur id, responderit; quia insaniam medicus aufert, voluptas verò cum mentem eripiat homini, vix sanabile malum est. Plutarchus eadem de causa, narrans quædam de Agesilao inter ejus sapienter dicta refert; illum roganti cuidam, quid boni Lycurgi leges Spartæ contulissent, respondisse, contemnere voluptates; eò quia nihil sit hominibus salutarius, nilque utilius, Siquidem voluptates bonos mores corrumpunt, respublicas evertunt, perdunt regna. Stupra, adulteria, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris magis excitantur, quàm voluptate. Ab hac enim pluries suam traxerunt originem patriæ proditiones, rerum publicarum eversiones, clandestina cum hostibus colloquia; Principum vel excidia, vel è throno expulsiones. Id produnt omni ætate, omni fæculo historiarum monumenta. Rodericus in una Juliani filia ob voluptatem sibi comparandam, trecentorum am- 30.

plius

pluùs annorum Gothicum imperium evertit, Maurisque septingentis prope annis tenendum tradidit. Antoninus Verus è favo adblandientis voluptatis venenum suxit. Prolemæus Philopater, quia alieno in thoro voluptati indulserat uxorijs occubuit insidijs. Bryamus ut aliena sponsa frueretur sceptro, & regno caruit. Ut etiam Phocam Photinus, cujus uxorem vitiaverat, purpurâ exuit, & Heraclij pedibus calcandum subjecit. Sanguineo plerumque ferro alieni tori voluptas rubescit; & quæ regna non evertit Mars, proterit Venus. Claudam cum Valerio: *Ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque Cupido sibi vindicaverit. Nam quo ista generis humani certissima pestes penetraverunt, ibi injuria domi nascitur, infamia flagrat.* Addo ex eodem: *Campana luxuria perquam utilis civitati nostræ fuit: invictum enim armis Hannibalem illecebris suis complexa vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum ducem; illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantiâ, Veneris usu lasciviore, ad somnum, & delicias evocavit. Ac tum demum confracta, ac contusa Punica feritas est, cum Seplasia ei, & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitijs fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoria languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animíque pariter, & corporis vires expugnantur? adeout nescias, ab hostibúsne, an ab illis capi perniciosius habendum sit. Quæ etiam Volsiniensium urbem gravibus, & erubescendis cladibus implicârunt. Erat opulenta, erat moribus, & legibus ornata, Etruriæ caput habebatur: sed postquam luxuria prolapsa est, in profundum injuriarum, & turpitudinis decidit, ut servorum se insolentissimæ dominationi subjiceret.*

§. III.

Honestæ excitandæ lætitiæ peridonea habetur Eutrapelia; quæ tristes mærentis animi excutit caligines; & honesti gaudij serenitatem ingerit.

31. 4. Ethic. cap. 8. ESt eutrapelia ex Aristotele urbanitas quædam, quâ verba vestiuntur; seu lusus quidam verborum, quò mens exhilaratur, & excussis mœstitiæ nubeculis animi accersitur serenitas, quapropter arctatur eutrapelia ad jocos verborum, in quibus cum possit notari tam defectus, quàm excessus, & mediocritas, in qua gaudet virtus sedere, ideo virtuti, non vitio eutrapelia datur: hæcque ratio, cur Philosophus probet verborum lusus idoneam esse virtutis materiam, & asserat cathalogo esse virtutum accersendam, eò quia singulis animi exhilarationibus modum imponat: imò non solùm eutrapelia verborum jocis frœnum injicit, & modum ponit, ne excessu exorbitent, vel defectu cadant, verùm etiam extenditur ad cæteras omnes animi remissiones, ut ratiocinatur Aristoteles inquiens: Loc. cit. *Cum in vita requies quædam sit, in qua homines joco utuntur; videtur etiam hic esse congressio quædam moderata, & dicendi ea quæ oportet, & ut oportet. Differentia quoque in eo erit, ut & inter sales quosdam dicamus, & sales audiamus. Circa quæ excessum etiam esse medij, & defectum perspicuum est.* Ex hac Philosophi ratiocinatione liquet, statuendam esse virtutem aliquam, quæ circa omnem animi relaxationem tanquam circa propriam materiam occupetur.

Non enim soli verborum lusus animo sunt levamini, & solatio; verùm & pleraque alia: & sicut circa verborum jocos, excessus, ac defectus, ut etiam moderatio, ac virtus cerni potest; ita hæc cæteris potest injici animi exhilarationibus, adeò ut eutrapelia possit veluti objectum proximum omnes, & singulas animi relaxationes respicere, non enim putâtim, solos verborum lusus, animíque remissiones esse duntaxat remotum eutrapeliæ objectum; & proximum solos verborum jocos, quatenus ea dicuntur, & audiuntur, quæ honestas exigit ad animi remissionem. Virtus enim eutrapeliæ extenditur ad omnes animi honestas relaxationes, ac remissiones. 32.

Hinc hæc virtus à Græcis interdum eutrapelia, aliquando urbanitas, ac dexteritas appellatur, ut notat Eustratius: *vocatur Eutrapelia dexteritas*, quatenus ingenti dexteritate opus est, ut quis verborum sales adhibens medium teneat, sitque ita urbanus, ut alij inde meritò non offendantur. Est siquidem genus quoddam jocandi illiberale, viróque honesto prorsus indignum; alterum verò ingenuum, & liberale, ea proportione se habens ad alterum, qua posteriorum comœdorum modestia ad licentiam anteriorum: siquidem posteriores comœdi cum aliqua in alijs carpenda essent, non apertè probrum eorum efferebant, sed clangulò satagebant innuere, ac metaphorica obscuritate indicare, contenti suspicionem aliquam ingessisse alienæ turpitudinis; cùm anteriores detractâ larvâ omnino apertè aliorum vitia detegerent. Non mediocris igitur requiritur dexteritas in eutrapeliæ usu, & ut sit quis ita honestè urbanus in mordacium conviciorum prolatione, ut alteri non sit damno, & quid juxta rectam rationem servandum sit, definiat. Difficultas autem hujus recti usus ex eo oritur, quia non potest hæc virtutis norma, seu mediocritas statui penes eos, in quos convicium, & jocus jacitur, ob ingentem hominum varietatem, ac geniorum diversitatem, quoad mollem, vel asperam convicii exceptionem: siquidem ijsdem verbis offenditur unus, qui accensa etiam bili excandescit: cum alter in partem saniorem verba interpretatus, inde 33.

potiùs ansam ridendi sumat, animúmque ex-
hilarandi.

34. Philosophus autem totam eutrapeliæ
mediocritatem solis verborum salibus, jocis-
que circumscripsit: cùm enim explicâsset
comitatem, & veracitatem, quæ sunt virtu-
tes ad alium, & vellet etiam urbanitatem at-
tingere ijsdem affinem, eam non spectavit,
nisi quatenus in materia cum illis convenit;
nimirum prout in verbis sita est. Cæterum
Philosophus non ivit inficias, in alias quoque
materias eutrapeliam propagari. Hinc hæc
virtus ex Philosopho videtur omnino recen-
senda inter partes potentiales justitiæ: si-
quidem videtur esse virtus ad alterum, seu
mediocritas in operatione ad alios ordinata.
Spectari solet etiam prout continet hone-
stam solam loquentis relaxationem. Verùm
nimis tunc coarctatur cùm possit homo
quamvis solus, & sine ulla verborum prola-
tione animum remittere à curis, séque hone-
stè, & ex virtute exhilarare, ac nonnihil su-
mere solatij.

35. Extrema eutrapeliæ, quibus hæc virtus
circumscribitur, duo sunt, scurrilitas, & ru-
sticana durities, quæ omnes prorsus lusus a-
spernatur. Scurra autem is dicitur, qui per
excessum delinquit, & à Philosopho dicitur
superari à ridiculis, eò quia non sit satis in
ijsdem temperatus, cùm patiatur, se abripi
nimia jocandi cupiditate, ac agendi, dicendi-
que facetias; hinc est illud Dionis in Oeco-
nomico. *Risus continuus, & intentus deterior
est iracundiâ. Id circo maximè viget in scur-
tis, puerísque stolidioribus. Mihi sanè facies
magis videtur ornari lachrymis, quàm risu.
Lachrymis enim, ut plurimum bona aliqua
conjungitur doctrina: risui verò lascivia. Et
flendo quidem nemo sibi concitavit authorem
contumelia, ridendo autem spem ejus auxit.*

36. Oppositum aliud extremum rusticana
durities dicitur, quâ qui laborant rustici au-
diunt, vel rusticellis haud absimiles: rusti-
corum est, ac petronum; non ingenuorum,
nil posse ad exhilarandos eos, qui audiunt, ac
se ipsum relaxandum depromere: & multò
deterius est ad quamlibet colloquentis urba-
niorem vocem commoveri, perinde ac ad
grave inflictum vulnus.

37. Hunc verò defectum Aristoteles non ex
parte tantùm exhilarantis statuit, verùm eti-
am ex parte sustinentis alienam exhilaratio-
nem, cum aliquo sensu aculei per liberale con-
vicium immissi, dummodo urbanum non de-
deceat congressum: & quia ex hac parte is
qui feritur, seu pungitur convicio rarò leva-
tur, animúmque remittit, eò quia aliorum
jocis, & sannis pateat, proinde hoc extremum
solet potiùs ad comitatem justitiæ subjecti-
vam, humanique congressûs moderatricem
pertinere; nihilominus potest etiam ad vir-
tutem, de qua nunc agimus, spectare, quate-
nus sustinet quis moderatè alienos jocos, ut
vicissim sibi concedatur ex aliorum exagita-
tione risum per opportunitatem captare, ani-
múmque remittere. Esset siquidem intole-
rabilis, qui cavillis, salibúsque alios velicans,
vellet ipse immunis esse; præsertim cùm
promptiùs colludat, si quis ad similes pro-
vocetur lusus.

Quævis igitur moderata remissio, fessique 38.
recreatio ad necessarios intermittendos labo-
res, ut quis vegetior postmodum factus eos-
dem reassumat, opus est virtutis; si tamen o-
pus, ex quo remissio illa sumitur sua vestiatur
honestate, & omnes extrinsecæ circumstan-
tiæ turpitudinem invehentes, ac fœditatem
inducentes semoveantur. Siquidem honesta à
consuetis laboribus remissio necessaria vide-
batur, ne nostra infirmitas jugi opprimeretur
labore: unde D. Chrysostomus appositè ait, *Homil. 1. in Genes.*
*Erudiens nos omnium Deus per creaturas suas
nostram harmoniam temperavit: discere hoc
licet à die, & nocte, hoc est à luce, & tenebris.
Quandoquidem diem segregavit in opus hu-
mana natura, & noctem in requiem, ac remis-
sionem laborum, mensurásque, & terminos
utrique præfixit, unde nobis beneficia quadam
provenirent. Nam & lux diurna operationis est
tempus, de quo ait Psalmista, egredietur homo
ad opus suum, & ad operationem suam usque
ad vesperam, & bene inquit usque ad vespe-
ram. Nam ingruente vespero lux abscedit, &
succedentes tenebra humanam naturam so-
piunt, & corpus quod laboraverat, quiescere
faciunt, sensúsque omnes remittunt, & quasi
nutrix optima sensorijs omnibus quietem à la-
boribus, ac fatigationibus concedunt. Cùm
verò mensura noctis impleta fuerit, appro-
pians lucis adventus excitat, facitque ut re-
vigescentes, subtilioresque facti sensibus, ad
solis radios, ferventi, & juvenili quadam
promptitudine consueta aggrediantur opera.
Illud etiam in anni versionibus, partibúsque
fieri cernimus, hyemem enim excipit ver, &
exacta æstati succedit autumnus, ut per vi-
cissitudinem temporum, & mutati aëris, qui-
escentia corpora nostra, neque frigore nimio
um congelata rumpantur, nec caloris vehe-
mentiâ nimium calefacta dissolvantur. Et
ut ad hoc nos præparet, hyemi præmittit au-
tumnum & æstati ver.* Hactenus Chryso-
stomus.

Omnium rerum intervalla sunt. Terra 39.
ipsa quæ in novalibus culta segetem hoc
anno dedit, quiescit sequenti, ne nimio usu
sterilescat, ac deficiat. Eodémque fine
dantur nobis à munificentissimo DEO ad-
versa prosperis interpolata, ut per mutuam
hanc vicissitudinem malorum, ac bonorum
alternante requie durare valeamus: hinc
etiam somnus continuas remittit vigilias:
& istæ quod per otium torpescit, vicissim
excutiunt, & neutrum horum continuò
durat, sed alterum alteri mutuis succedit
vicibus: hisce enim vicissitudinibus natura
ipsa instauratur, ut vires, quæ continua-
to labore fractæ concidunt, succedente
quiete revigeant: hujus enim alternantis
vicissitudinis tempestivus usus naturam con-
servat.

ſervat. Idque etiam cauſæ, cur vel ipſi legum conditores aliquam daturi animis remiſſionem, quâ meliores, alacrioréſque requieti ſurgerent, feſtos quosdam voluerint dies inſtituere, ut ad hilaritatem homines animos evocarent, ac diuturnis laboribus temperamentum injicerent: ſicut fertilibus agris, quies datur, ne nunquam intermiſſa fœcunditas exhauriatur; ita animorum ſpiritus, & facultates aſſiduus labor frangit, qui tamen vires recipiunt paulùm reſoluti, ac remiſſi; naſcitur enim ex aſſiduitate laborum animorum quædam hebetatio, & languor, à quo tamen reſurgunt beneficio, eutrapeliæ, quæ per quandam naturalem voluptatem ex luſu, riſúque ortam animos exhilarat, & per intermiſſam quietem vires reſectas reſtituit; & hæc ratio, cur viri prudentiâ pollentes & ſapientiâ inſignes menſtruas ſibi certis diebus ferias darent; diéſque curas inter & otium dividerent.

40. Pollio Aſinius Orator nulli ſui ævi ſecundos ultra decimam horam curas, labores, & ſtudia nunquam protrahere conſueverat; imò ne Epiſtolas quidem poſt eam horam legebat, ne quid novæ curæ oriretur, ſed totius diei laſſitudinem duabus illis ponebat horis. Alij etiam medio die interjunxerunt, & in promeridianas horas aliquid levioris operæ diſtulerunt. Milites in caſtris ſuas etiam vigilias dividunt, & nox immunis eſt ab expeditione redeuntium. Quòd verò feſta aliqua ad animum relaxandum fuerint inſtituta, refert Democritus apud
Serm. 16. Stobæum, ubi vitam ſine feſtivitatibus, labores ſine quiete, curas absque intermiſſione, ſolatio & gaudio aliquo longam viam eſſe dixit absque diverſorijs: & ſuffragantem habet Platonem. (1. de legib. & 2. de leg.) Hiſce verò Philoſophis feſti dies inſtituti præſertim erant lætitiæ, & gaudij ad animum exhilarandum. Habent etiam dies feſti inter Chriſtianos ſua gaudia, quæ ſunt ab Eccleſia inſtituta. Non enim inter feſtos omnes dies à mundi exordio hactenus in mundi faſtis recenſitos nullus eluxit mundo felicior, Chriſto jucundior, ac toti rerum univerſitati auſpicatior, quàm ille Dominicæ reſurrectionis, quo triumphator mortis omnibus mortalibus æternitatis aditum devicta morte reſeravit. Hic enim dies tanquam gaudij, lætitiæ, victoriæ, & triumphi niveo ſignatur lapillo, totúsque diffunditur in gaudia, quibus Regina cœli lætatur, cùm habeat reſurgentem, quem à triduo inter extremos cruciatus ſpectaverat inclinato capite ſpiritum tradentem.

41. Abſterſit tunc Magdalena ſuis ab oculis omnem lachrymam, & quia non invenerat jacentem in ſepulchro, querelas depoſuit, nec ampliùs mortuum credidit, quem reſurrexiſſe revolutus ſepulchri lapis indicaverat. Tunc ex umbra in ſolem, è latebris in conſpectum prodiere, & ipſi Apoſtoli, & quidem ſerenatis frontibus, vultúque gaudente, quia quem luxerunt in monumento ſepultum, è ſepulchro reſurrexiſſe audierunt, & tota gaviſa eſt natura; exultavit cœlum ſolis hilaritate jucundiùs; riſit tellus novis veſtita floribus: gaviſi ſunt homines è tartarea ſervitute emancipati, & per omnia terrarum ſpatia jucundiſſima modulatione etiamnū reſonat illud triumphantis in cœlo, & militantis in terra Eccleſiæ auſpicatiſſimum acroama *alleluia*, quia hac die fracti ſunt vectes ferrei, & elevatæ portæ æternales, captivi donati libertate, inferi clauſi, cœli aperti. Victus tunc cecidit tartareus hoſtis, erepta fuerunt illi ſpolia, devicta proſtrata fuit mors, deletum ferale chirographum, & peccatum remiſſum. Finis tandem impoſitus fuit prælio illi magno, in quo proſtrati cecidêre hoſtes, relata eſt victoria, mundus ſervatus, & homo redemptus: & is, qui tartareum hoſtem proſtravit, mortem devicit, peccatum delevit, & per quem omnia condita ſunt, ſurrexit; eſt enim hæc vox *ſurrexit* vox gaudij; vox lætitiæ, & exultationis; vox ſalutis, & gloriæ; quia omnes in ſpem certam ſalutis obtinendæ erexit, erectóſque inexplicabili replevit gaudio; quia eò ſequentur & membra, quò caput præceſſit; dummodo cauſa lætandi bona; ac honeſta ſit: quia ſicut ſcribit Apoſtolus: *Chriſtus reſurrexit à mortuis per* Ad Rom. 6.
gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

Ut poſſimus cum Chriſto lætari, omnia 42.
debent in nobis reſurgere exemplo Chriſti. Hoc eſt oculi in terram proclives, & aſſueti hiſce incubare inferioribus Pſalm. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, debent ab hiſce inferioribus reſurgere, ſurſúmque ſe erigere, non ſecus ac oculi Ezechiæ, cùm dixit: *Attenuati ſunt oculi* Iſaiæ 38.
mei ſuſpicientes in excelſum. Debent & manus reſurgere, quæ cum antea nonniſi injuſtitias tractaverint: *Injuſtitias manus veſtræ* Pſalm. 57.
concinnaverunt, ſimiles eſſe debent manibus, de quibus dixit David: *Levavi manus* Pſal. 118.
meas ad mandata tua, quæ dilexi: debent & pedes ipſi etiam reſurgere, qui cum veloces fuerint ad malum, ad flagitia perpetranda: *Veloces ad effundendum ſanguinem*, debent Pſalm. 13.
nunc viam currere mandatorum Dei: ſi omnia noſtratum animi, tum corporis cum Chriſto ſurrexerint, participes erimus lætitiæ Chriſti reſurgentis. Habent igitur dies feſti ſua gaudia; habent labores ſuas remiſſiones; & curæ beneficio eutrapeliæ ſuum temperamentum: neceſſe enim eſt, ut laboribus quies ſuccedat, & curis ſolatium: cum ingenia habeamus maximè mobilia, & animos ea præditos activitate, ut neceſſariò aliquid perpetuò verſent; & ceſſatio à labore præſertim mentali, & interno non obtingat abſque aliqua actione avocante animum ab operoſiore conatu, & ſuaviter demulcente; neceſſarium eſt gaudium aliquod, quo mens exhilaretur, & ſolatium, quò ad ſubſequentes labores curſus inſtauretur,

43. Unicus est finis hujus relaxationis, vires ob labores fractas reparare, novúmque iter instituere ad præcedentia exercitia refectis viribus continuanda, estque doctrina Philosophi, [10. Ethic. c. 4.] ubi argumentatur contra insulsos quosdam, qui ea tenebantur falsa opinione, quâ crederent in solo ludo situm esse ultimum hominis finem; quos Aristoteles falsitatis convincit, eò quia ludus, & animi relaxatio non sit ob se ipsam expetibilis; sed tantùm ut vegetiores fiant tum animi, tum corporis facultates ad intermissos labores resumendos: *Ludere*, ait Aristoteles, *ut seriò agat quispiam ex Anacharsidis sententia, videtur rectè se habere, quippe cum lusus requiei similis sit: & cum nequeant homines assiduè operari, requie indigent* ex quo liquet; lusus, animique remissiones ad id institui, ut vegetiores facti, & alacriores pristinos repetamus labores, quos quies præcedat.

§. IV.

Quies, quam honesta animi remissio suggerit, vires suppeditat acriores, quibus ad præclara quæque agenda validiùs accingimur.

44. NEhemias impetratis à rege litteris venit Jerosolimam hortaturus populum ad murotum instaurationem; sed cum illac appulisset, fuit ibi triduo commoratus. [Lib. 2. cap. 2.] Esdræ *lib. 2. Et veni Jerusalem, & erā ibi tribus diebus*. Sed quid putas, egisse Nehemiam toto illo triduo Jerosolimis? certè nihil; sed cur toto illo tempore quievit? non ob aliud, nisi ut corporis lassitudinem, viriúmque defectum quiete restauraret; & alacrior fieret, ac robustior ad sequentes subeundos labores: nimirum toto illo triduo, ut multa conficeret, nihil effecit. Feriari etiam agros patimur, quô dilatione culturæ in messem exuberent copiosiorem; Nehemias ne deinceps torperet, triduo interquievit; nimirum quies laborem accersivit.

45. Etiam Christus totos ætatis annos triginta quiete consumpsit, & secessione transegit, quò alacrior, nervosiórque prosiliret ad præliom; trium scilicet annorom pugnæ diuturno prælusit secessu; seu trina decade annorum quievit, ut triennali labore opus nostræ redemptionis absolueret. Debuerat Petrus suo functurus munere, & gentes vincere, & sectas prosternere; non sine plurium exantlatione laborum, sudorum fusione, sanguinisque, & vitæ effusione; propterea: *Et facta est vox ad eum: surge Petre, occide*. [Actor. 10.] Verùm vox ista Petri aores non pulsavit, cum inter pacificas Getsemani oleas excussâ pace, gladium oudavit, quem in militum cohortem distrinxit, aurémque Malchi inflicto vulnere amputavit; sed cum semisopitus, quieti indulgeret, reficerétque somno corporis membra; quò nimirum post intermissos labores, post restauratas quiete vires, totúmque corpus somni indulgentiâ refectum, validior surgeret contra Gentilium numina, falsasque gentium sectas: ergo non iubetur Petrus mactare, ac occidere cum gladium evaginat contra militum cohortem; neque mactare cogitur cum in solario, inedia, somnóque torpet; sed cum semisopitus quiescit, tunc submissum ei ostenditur linteum quadrupedum strage refertum, ut post quietem validior, & alacrior gentium sectas impeteret: quæ enim diu quievit manus avidior fertur in ultionem criminum.

Ferè semper præclariora gesta, aliqua præcessit quietis, vel solatij indulgentia. 46. Nuptias meditabatur Samson, sed non nisi per vineta contendebat ad thalamom, cum sibi obvium discerpsit leonem; quid thalamo mollior? quid pampinis, ac vinetis imbellius? ijs tamen non eviratur Samson, imò validiores è vineæ solatio haurit animos, ac vires, & de prostrato leone melleam relatæ victoriæ delibat dulcedinem. Triticum cribrâsse Gedeonem cum vocatus ad pugnam fuit, liquet: *Cumque Gedeon purgaret frumenta, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortissime.* [Judic. 6.] Tunc viribus apprimè instructus ab Angelo dicitur Gedeon, non cum Madianitas rupit, ac fugavit, sed cum in area triticum excuteret, quia faciliùs rurali solatio clarioribus proludimus gestis. Idque fortassis causæ, cur Moyses jussus est virgam priùs in humum jacere, ibi paulò quieturam, quò fortiùs, valentiúsque efferaretur in anguem: *Quid est, quod tenes in manu tua? virgam. Dixitque Dominus: Projice eam in terram:* [Exod. 4.] priùs debuit virga humi quiescere, quò restauratis veluti viribus fortior surgeret versa in Draconem; silvit priùs humi jacens, ut sibilum silentio anteverteret; torpuit ut valentiùs ferocire edisceret; imò ut virga surgat, jacet; ut vivat, quiescit, ut moveatur humi hæret quovis destituta motu; projecit Moyses virgam, & versa est in colubrum.

Neque putes id uni dumtaxat Moysis obtigisse virgæ; cum vaticinante Ezechiele etiam ossa arida cum diu tumulis incubuissent, ac jacuissent immota excusso funeris torpore pristinis fuerunt vitæ functionibus restituta, quò pugnas inirent, & ad victorias instruerentur: *Vixerunt, steterúntque supra pedes suos exercitus grandis nimis valde.* [Ezech. 37.] Non velitando, sed jacendo etiam interfecti erudiuntur ad prælia: non ex umbratili pugna; sed ex Manium umbris prodiere, quæ arverant ossa palmas germinatura, & lauros datura triumphales; arverunt ossa arida, carnémque exverunt, sed ferreas loricas & squamas induerunt; nimirum ut qui imbelles ceciderant, jacuerántque exossati, exurgerent classiarij & qui inermes torpuerunt, mox loricati pugnarent; quid arescentibus ossibus imbecillius; quid exercitu ad pugnam instructo horribilius, ac ad timorem incutiendum validius? cutem quam ossa exuerant in tumulo, anctâ 47.

æris usurâ resumũt in castris, & ex fibris prodeunt in lucẽ illustriùs emicatura, & dimicatura, Phœnicem æmulatura, cum ex sepulchri cinerario ad recentis vitæ resurgant usuram.

48. Sed sepulchrales excutiamus pulveres, & è frigido cinere tumuli, liceat ad cinerem calentem sub olla succesa gressum dirigere, & sævituræ omnipotentiæ spectare exordium. Jerem. 1. *Quid tu vides Jeremia? virgam vigilantem:* vel ut alij legunt: *virgam ex amygdalo celeriter florentem.* Sed si virga floret, blanditur potiùs ridentis veris solatio, quàm sæviat verberum iteratione? ludit virga, si floribus coronetur, non furit; sed quæ nunc viret virga, mox effervescit in olla non perstringente, sed perhibente Jeremia: *Quid tu vides? ollam succensam ego video.* Nimirum furor Numinis eblanditur hominibus, & acrior urit, si blanditijs præveniatur; quia solatia, quæ iræ præludunt, flammas inurunt acriores; sanctitas, quam secessus solitudinis excolit, lætior efflorescit. Isaacus divina meditaturus mysteria in agrum secessit, ibique pernoctaturus diurnos post tumultus. Gen. 24. *Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, qua ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis, & Videntis. Et egressus fuerat ad meditandum in agro inclinato jam die:* quia ex otio secessûs, & silentio solitudinis, agrique solatio mens defœcata ab externis imaginibus ocyùs sursum avolat, ac validior fit ad divina, quæ meditatur, intimiùs penetranda.

49. It Isaacus spatiatum in agro ruralium illecebrarum solatio, otiique indulgentiâ robustior, ut fieret, acriórque in divinorum meditatione: si enim circumstantias pensemus horæ, loci, ætatis, nil fuit, quod vires non adderet, quod validiores non sponderet animos, ad inchoandum, perficiendúmque opus; etiam bubulci respiraturi à diurno labore cum dies emoritur, se domum recipiunt, exituri postera die valentiores ad agrum; manum aratro fortiorem daturi: egressus fuerat Isaacus inclinata jam die: splendidiùs regnârent principes, si cum aratoribus tot impenderent horas imperando, & quiescendo, quot rusticelli labori, & somno; si non tardior imperij, quàm lucis esset occasus; ita tamen ut sol nunquam eos otiari videret: sed cum horis duodenis, pluribúsque non rarò suo campi sole recreentur; subselijs, consilijsque audiendis vix princeps unius, vel alterius clepsydræ fluxum impendit; nec emicat universis, etiam cum splendet, sed à frequentiori populo se subducit, cum nonnisi paucorum utatur consuetudine; soli pariari princeps solet, quò omnibus se probet beneficum; omnibus æquè affulgeat: sed plerúmque cedris, punicísque duntaxat splendet, neglectis oletibus, spretisque fruticibus; & quos deberet radios beneficentiæ in omnes indiscriminatim delegare, nonnisi paucis, vel nobilitate insignibus, vel favore donatis impertitur; cum pauci è plebe, & nullus inopum audiatur à principe. Utinam soli affulgeret cedro, & non etiam myrto Veneri sacræ! utinam sol iste lauro affunderetur, & non Daphni; tectior foret fœditas frondibus inumbrata; sed plerumque libido integomenta non patitur, gaudétq; nuditate, quâ propriam prodat turpitudinem; imò si vestes sibi adsciscit, in hisce lascivit cum Apolline Daphne. Solatium sumendum quidem, sed honestate vestitum, & ex rebus hauriendum honestis: *egressus est inclinata jam die:* abjit Isaacus, sed non per forum divagatur, non per compita, non per oppida, ut videret mulieres regionis, sed per secessus camporum, & quidem non in pomarium, non in vineam pampinis lasciviantem; sed in agrum; nimirum ut post rurale solatium ad culturam agri validior incumberet; non vagari cupiebat; sed exerceri; non sucis, sed ruris delectabatur culturâ; non delicias aucupabatur, sed virtutis auspicabatur incrementa; siquidem emortua jam die non spatiatum, sed contemplatum egressus est Isaacus, *ad meditandum in agro:* rursie otium tabernaculum erat contemplantis, quod spatiantis videri poterat topiarium.

Amemus & nos rurales secessus, sed non flores fœni, sed cœli sidera decerpamus, ita humum pede premamus, ut mens cœlo figatur; ita à tumultu sæcularium desideriorum nos subducamus, ut in agri secessu flores excolamus virtutum; violas legamus excultæ demissionis, rosas adauctæ charitatis, & lilia custoditæ castitatis. Etiam sponsus in hortum abibat lilia lecturus. *Dilectus meus descendit in hortum suum, ut lilia colligat:* neque putes, quid aliud fuisse sponsi hortum, quàm ecclesiam, in qua lilia excoluntur virginitatis; hæc sunt vernantia Numini lilia; non enim Deus alijs delectatur villarum illecebris, quàm animarum culturâ: suum esse hortum existimabat traditum sibi fidelium cœtum. *Dabo tibi gentes in hereditatem tuam.* Excoluit igitur sponsus hortum suum, non ut platanos umbriferas enutriret; non ut solo florum intuitu oculos pasceret, sed ut lilia decerperet, etiam in viola; non enim humiles contemnuntur, si candore floreant castitatis: ad id igitur ruralia quærantur solatia, quò flores virtutum excolantur uberiùs. 50.

Cant. 6.

Psalm. 2.

Inambulatio igitur loco aperto, amœnóque, seu in suburbano secessu animo remittendo, laxandóque à diuturnis, vel studijs, vel curis peridonea censetur: & Minutius *in Octavio* sub initium, suam cum alijs coævis adolescentibus amicis describit relaxationem ad maris pacati littus, cum ab studijs vacaret scholæ; aliquid enim aucupaturus solatij ibi adolescens inambulationem consueverat instituere, ubi squamigeri greges marinis innatant equis, ut ludentes fluctus leniter littora diverberantes

 men-

mentem exhilararent; & aurâ aspirans membra corporis vegetaret, cum non sine eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret. Recenset etiam haustam ex errore tinctarum plantarum, ac calceorum delectationem; cum æquor nunc appulsum pedibus fluctus allideret, moxque relabens, at vestigia retrahens in se resorberet, quos ad littoris osculom fluctus emiserat. Subdit de jactis lævigatis, planisque lapillis, qui superam tadentes maris extimi superficiem se subducerent, proderéntque pluribus repetitis vicibus, quasi per cursum, saltúsque choreas ducentes ad uberius oculorum oblectamentum, animique jucundius solatium: ait ipse. [Lib. cit.] *Certatim gestientium testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est, testam teretem jactatione fluctuum lævigatam, legere in littore. Eam testam plano situ comprehensam, inclinem ipsum, atque humilem, quantum potest per undas irrotare, ut illud jaculum, vel dorsum maris raderet, vel enataret, dum levi impetu labitur, vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in adolescentibus victorem ferebat, cujus testa, & procurreret longiùs, & frequentiùs resiliret.*

52. Viget etiamnum usus hujus lusus, quo vel maximè delectantur pueri marina incolentes littora, cum schola exeuntes mare petunt aliquid post studium suscepturì solatij. Hanc animi laxationem ex loco hauriendam amœno, apertóque approbat Synesius, cujus sunt verba. [Epist. 114.] *Quæ verò tandem voluptas est, in litoris arena recumbere, qui unicus vobis secessus est? quònam enim vos vertetis? Apud nos contra licet sub arboris umbra considere: sin te fastidium capiat ab una ad aliam arborem, aut ab saltu transire ad alium saltum licet. Quale verò est, & alluentem aquulam trajicere, quàm est Zephyrus ille suavis, qui ramos leniter concutit? Nec varij concentus volucrum desunt, nec florum pictura, aut in pratis frutices: partim cultura opera; partim natura dona, fragrantia omnia, benè habita telluris succi.* Animo igitur laxando, curarum molestijs excutiendis accommodatissimum est rusticana, & suburbana secessio, procul ab urbium rumoribus, hominum tumultu, sive spatiando, sive ruri hærendo: firmantur tunc vires, restauratur corporis lassitudo; & mens pluribus pressa negotiorum curis exhilaratur, cum procul à fumantium culinarum abscedit nidore, & liberiore fruitur aurâ beneficio ruralis secessûs. Imò & ipse rusticanus labor animo lubenti, & extra servitij necessitudinem in illo secessu susceptus animo laxando, lætitiæque ingerendæ peridoneus semper fuit, dummodo non excedatur; sed coërcita moderatio lassitudinem non permittat corporis, quia ut scitè monet [Lib. 2. epist. 8.] Sidonius. *Agrum, si mediocriter colas, possidee; si nimium, possideris.*

53. Plures conqueruntur de negotioso occupationum tumultu, qui tamen quieti dum sibi videntur indulgere, acerbius negotiorum acervatione fatigantur: ruralem plures secessum petunt laxandi animi causâ; quia tamen quietem minimè in secessu inveniunt, neque ullo fruuntur gaudio, quia urbium negotijs avidiùs inhiant: non sufficit corpore ruralem petjisse secessum; nisi mens ipsa urbium frequentiam fugiat, & animus ab obstrepentium negotiorum se abdicet tumultu; secessum ruralem si petimus, solitudini si incumbimus, nolimus tumultuantes hominum cœtus repetere; nec urbicis hiare negotijs; habet secessus ruralis sua gaudia, quibus tamen non afficitur nisi mens libera à curis, urbicisque negotijs. Joannes Baptista eximius ille cultor eremi, summæque studiosus virtutis, vitæ austeritate celebris, cui indusium pili texuerant camelorum, & vestimentum zona suppeditaverat pellicea; alio non reficiebatur obsonio, quàm obvio in secessu. [Matth. 3.] *Esca autem ejus erat locusta, & mel silvestre.* Quale verò fuerit mel hocce, quo Joannes vescebatur, non una omnium Interpretum est sententia; quidam putant fuisse quoddam mellis genus communi suavius, ac salubrius. Alij censent fuisse rorem è sublimi delapsum aëre, & ex arborum decerptum ramis; quali Apulia abundat, & vulgò manna dicitur. Plures arbitrantur fuisse mel agrestius ab agrestibus congestum apibus mellificantibus in arborum cavitatibus, petrarúmque scissuris: ut ut est, mellis saltem præsumpta suavitas, mellisque vocabuli dulcedo austeritati Joannis non videbatur congruere: appositè ad rem nostram Galfridus apud Tilmanum ait: [In Matth. cap. 11.] *Vescebatur locustis, & melle, vis nimirum cibarijs, quæ ad manum erant: quibus convenienter instruimur, ut his contenti simus, quæ faciliùs ad nostros usus occurrunt; Noluit etenim egredi locum solitudinis, ut mutaret cum pane dulcedinem mellis; quia malè unius dulcedinis dilectio fugitur, dum austeritatis intuitu in gravioris casûs periculo festinatur.*

54. Maluit Joannes obvio in eremo melle vesci, ac mellea pasci dulcedine, quàm hominum frequentias in urbe adire, victum sibi comparaturus austeriorem: nihili fecit sinistrum hominis judicium, quo carpi potuit, eò quia mellis delectaretur dulcedine, dummodo extra eremum prætextu cibi agrestioris, vitæque districtioris non cogeretur divagari. Joannes quamvis vitæ addictus austeritati, quia tamen eremi cultor, ac sincerus amator, noluit solitudinis dispendio austeriora quærere, neque in urbes divertere ad quærendam austeritatem; satiùs existimans votivum laxare vitæ rigorem, quàm brevi mora inter turbarum tumultus, ac sæcularium negotiorum strepitus immorari: invitus melle pasci voluit, ne virtus in urbe jejunaret: mellis dulcedinem quærit in

soli-

ſolitudine, ne inter hominum turbas aliquid audiret excultæ in eremo virtuti noxium.

55. Nos ſuo edocuit exemplo Joannes, ut turbas declinemus, ſæcularia fugiamus negotia, ſi virtutem exambimus excolere, ac ſincero frui gaudio, quod ooo ioter obſtrepentium turbarum reperitur tumoltus, ſed in pio ſeceſſo: hioc S. Chryſoſtomus *homil. 38. in Matth.* damnans ſpectacolorum oblectationem ad ruſticanum hortatur ſeceſſum: inquiens: *Cum recreare animum volueris, poteris hortos petere, fluentes rivos conſpicere, ingentes lacus conſiderare, amœna cernere loca.* In hoc enim rurali ſeceſſu aviculorum modulatio, volucrúmque garritus aures demulcet, animúmque exhilarat, qui artificioſiſſimo citra artem concenso in ſeceſſu roſticano dulciſſimè paſcitur, ac recreatur: *Volupe eſt*, ais Sidonius. *Audire cicadas meridiè concrepantes, ranas crepuſculo incubante blaterantes, cygnos, atque anſeres concubia nocte clangentes, intempeſta nocte gallos gallinaceos concinnentes, oſcines corvos voce triplicata puniceam ſurgentis auroræ facem conſalutantes: diluculo autem philomelam inter frutices ſibilantem, prognem inter anſeres minurientem, cui concentui licebit adjungas fiſtulæ ſeptiforis armentalem Camœnam, quam ſæpe nocturnis carminum certaminibus, inſomnes noſtrorum montium Tityri exercent, inter greges tinnibulatos per depaſta bucceta reboantes.* Lib. 2. epist. 2.

§. V.

Avium garritus, ac modulationes, ut & varijs coloribus depicta ſpecies plurimum in rurali ſeceſſu adferunt oblectamenti ad animum honeſtè laxandum.

56. ADferunt plurimum præſidij avium garritus, & modulationes animo recreando, & gaudio excitando: plures enim ſunt aves, quæ naturali muſicâ auribus eblandiuntur, & lætitiam quandam invehunt, quâ excuſſis mœroris tetricoſis nubeculis mens ſerenatur, & animus exhilaratur; præſertim ſi luſciniæ modulatio umbrifera reſonet in ſylva, ubi è tam parvo corpuſculo vocem tam claram, tam ſuavem jucundam, & magnam emittit, ut non aviculæ modulatio cenſeatur, ſed muſici organi artificioſus garritos: io una ſiquidem perfecta muſices ſcientia modulatum ſuum edit luſcinia ſonum, quem nunc continuato ſpiritu trahit in loogum, & licèt ſit varius, eſt tamen ſemper idem, qui mox variator inflexus, diſtinguitur conciſus, copulatur intortus, producitur revocatus, ſemper gratus, gravis, acutus, créber, extentus, nunc ſummus, modò medius, deinde imus: ut mirum ſit, quomodo ex tam anguſtis faucibus tot poſſint modulationum varietates prodire, præſertim cum non diebus tantùm, ſed & noctibus verno tempore cum frondeſcentibus comis incipiunt arbores laſcivire abſque ulla intermiſſione ſuos ſoleat cantus protrahere, & quidem pertinaciſſimo ſpiritu, inflexo conciſo, intorto, revocato, ſummo, medio, imo, quo ſonus ille modulatus ingenioſa quadam varietate flectitur, infuſcatur, revocatur: ab hac luſciniæ modulatione plurimum hauritur ſolatij, & animus quadam perfunditur in rurali ſeceſſu lætitiâ.

Poſſunt etiam aves ex alio item capite oblectari, quàm per editos ſonos; ſcilicet ex depicta plumarum elegantia, ut pſittacus, eſt enim volucer ſpecie, ac forma pulcher viſu ex Indijs in Europam delatus. Non enim Lacteus eſt illi color, ut in columba; neque fulvus, ac oiger, ut in corvis; ſed color eſt illi viridis, extimis plumulis, niſi quòd ſola cervice diſtinguitur, quæ circulo niveo veluti diademate, vel aurea torque cingitur. Docilis eſt Pſittacus, vocéſque humanas addiſcit, & reddit; aſſueſcitque tranſeuntes Principes ſalutare, cum devolat, roſtro ſe excipit, illíque innititur; tanta enim eſt roſtri durities, ut cum in petram quampiam concitus altiſſimo volatu præcipitat, roſtro ſe velut anchorâ excipiat. Nec minor ineſt virtus lætitiæ ingerendæ pavoni, qui gemmantes aſſolet colores expandere, præſertim adverſo ſole, ubi fulgentiùs radiant; imò & variant, tranſeúntque paulatim in alios novam formoſitatis ſpeciem recipientes; præſertim in circulis, quos in ſummis plumis habet, quorum quilibet quandam videtur veluti folgentem in oube rorida iridem æmulari: qui enim æreus viſus fuit color, mox ioclinante ſe paulùm, illo aureus conſpicitur: imò quamvis radio percuſſa pluma ſolari aureum referat colorem, ſi tamen umbram adit denſantis ſe frondium virore germinis vireſcere videtur, cum plaota, cujus umbram ſubit, adeò ut, ad lumioìs viciſſitudinem ornatus ille plumarum, ſuas etiam vices ſubeat; & non ſecus ac Protheus volucrum novas ſemper induat colorum formas, in omnibus ſemper formoſus. Caudam, ſi ſpectatores adſint, explicat, & gaudet ſpectari, imò & tot ipſe oculos aperire, quot in arcuata cauda piogit plumas. Hi & alij in rurali ſeceſſu, ſi volucres ſpectentur, plurimum inde hauritur oblectamenti, quo mens exhilaratur; imò feruot, Antoninum, & Octavium Imperatores coturnicum, ac gallinaceorum certamine luſiſſe, ut etiam S. Joannem Evangeliſtam referente Caſſiano collat. 24. cum perdice luſitâſſe ad animi duntaxat ſolatium. 57.

58. Non ſolùm avium luſus, ſed & aucupium gaudium excitat, quando enim vario cantu, immiſsiſque in area ſemioibus alliciuntur

ciuntur circumvolitantes aviculæ ; videntur hæ è suo deflectere itinere, vocibùsque parêre avicularum, quæ in caveis hinc inde dispositis suas edunt modulationes, & femina quærentes in area rete capiuntur non sine animi laxamento. Aucupio affines sunt ferarum venationes, & piscium expiscationes; ambæ enim plerisq; in usu frequentissimo sunt ad animum remittendum ; neque malè venatio ad animum relaxandum instituitur : ea siquidem per campos, sylvásque divagatio, corporis agitatio animum subtrahunt à curarum molestijs : est enim mutatio laboris solatio, præsertim cùm saltus lustrantur, sylvæ percurruntur, feræ è suis cubilibus excutiuntut, superantur montium juga : hoc pacto pia mente lucos adire, ferísque obviare voluptas quædam erat, quâ futuri duces imbuebantur, ut certaminibus ineundis, pugnísque conserendis assuescerent : certare enim cursu cum fugacibus feris, robore cum audacioribus, astu cum callidis non mediocre erat solatium : hinc Valerianus Præsul Cemeliensis, & Niciensia homil. 10. inter alia oblectamenta ad animum laxandum venatiónem etiam proponit, inquiens : *Nec parum lætitiæ conferunt illa studia venationum, & canibus acta certamina, quæ nec periculis, nec damnis constat exposita ; cùm hic in conflictu æmulis cursibus aurito lepori imminet ; ille argutis naribus cervi vestigia latentis inquirit.*

59. Ad laxandum animum, lætitiámque ingerendam scimus, Pancarpism olim institutam, seu genus venationis omnigenarum bestiarum, in qua venatione peramplus girus varijs constructus arboribus in speciem viridissimi nemoris exhibebatur, & ibi inclusi erant varij belluarum, quà ferócium, quà cicurum greges, quos in venationis exercitium ex pluribus terrarum tractibus conquisitos Principis munificentia alere consoeverat. Mox direptioni condictus dies, ubi primùm illuxit, venatores aderant partim pedites latis venabulis armati, & partim equis insidentes numeroso agmine venaticorum stipati canum : imò viragines quoque, & Ephæbi militariter armati spe illecti prædæ potiundæ præstò erant : expectantes mox omnes tubæ clangorem ; cum primùm hic personare audiebatur, videbantur statim rapidissimi instar fluminis effusi venatores tum pedites, tum equites sylvam involare, & variam exhibere certaminis speciem, alij cum pernicibus cursu, isti cum astutis dolo, illi cum robustis ferro ad internecionem usque quisque suam insequebatur feram : videbantur fugaces cervi per nemoris abrupta pedibus ferri concitatissimis ; hic lepores acerrimam canum vim fugientes mille flexus, ac meandros implicare, illinc ferocientes leones non animis destituti, sed multitudine obruti inter cruenta venabula generosos excutere animos, illinc apri rabido furore præcipites ferro ipsi obviare, & nunquam rabidis faucibus etiam insultantes dilacerare. Ex alia parte feræ trahebantur cicures minore dispendio ; sed inter ipsas trahentium manus membratim discerptæ evanescebant : cæsis autem belluis rapina in arbores convertitur, quæ radicitùs evulsæ à valentissimis brachijs, aliò asportabantur : & quæ frondescens fuerat sylva, campus mox est permixtus hominum, ac ferarum cadaveribus oppletus.

Verùm cùm hujusmodi venatio non sine humani sanguinis effusione contingeret horrori potiùs, quàm solatio esse debuis, quamvis non defuerint, qui ex aliena clade gaudia haurirent, quibus animum exhilararent : illæ enim venationes gaudio excitando sunt aptiores, quæ vel per devios montes, aut sylvas nemoribus opacatas à matutinæ auroræ crepusculo ad vespertinum usque instituuntur ; tunc enim avicularum delicatulis, mellitísque voculis animus reficitur, in agris, pratisque versicoloribus recreatur : & dum canes leporum sagacissimè in vestiganda vestigia huc, illúcque mira cursitant celeritate, & ad eorundem citi pervenientes cubilia foras excutiunt, insequuntúrque, donec rapiant, plurimum citra discrimen adstantes hauriunt solatij : ut etiam cum cornu venatorio de collo suspenso signum datur, & ad Celeusma videntur vel lepores fugientes, pavidíque à canibus insectari ; vel callidæ vafræque vulpeculæ persequi ; vel fugaces cervi ad retia pertrahi ; vel apri frendentes, ac spumantes venabulo interfici ; vel truces, ac informes ursi retibus intercipi, aut accipitrum, aut falconum auxilio perdicibus, coturnicibus, aliisque volucribus insidiæ instrui. Hæc enim venatio augendis corporis viribus, tuendæ valetudini, laxando animo, lætitiæque ingerendæ plurimum exhibet subsidij : ut etiam piscatio, quæ à Seneca inter alias rusticanæ vitæ remissiones annumeratur, præsertim quando piscator exesis pendens scopulis, aut deceptos instruit hamos, aut suspensus spectat pressa præmia dextrâ ; sentit tremulum linea piscem, ut loquitur Seneca.

Act. s. Tryph. polis. Chor. 1.

Secessus ruralis sive venationis, sive piscationis causâ plurimum semper adfert adminiculi animo remittendo, ac sanctioribus imbuendo cogitationibus. Hæcque fortâssis ratio, cur Christus suos instructurus Discipulos recedere à turbis voluit, & in muntem secedere, *Videns JESUS turbas ascendit in montem, & cùm sedissent, accesserunt ad eum Discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu.* Quàm aptè in montem conscendit Christus : sublimis enim evangelij doctrina opportuniùs tradi non poterat, quàm in ipsa montis sublimitate, ac eminentia. Imò ut Antitypus suo responderet typo, & veritas figuræ debuit lex nova in montis promulgari sublimitate, cum & vetus edita fuerit in montis Sinai præcelso cacumine : 61.

Matth. 5.

&

& cum lex nova fuerit longè sublimior, debuit etiam in monte prædicari excelsiori. Verùm quòd Christus ascenderit in montem suos instructurus Discipulos, benè est; sed id mirum esse videtur, quòd cum Discipulis essent etiam turbæ instruendæ, & evangelium cunctis promulgandum gentibus, longiùs tamen arceantur turbæ ab evulgatione novæ legis: non me latet, plures à SS. Interpretibus causas congeri removendæ turbæ: sed illa præ cæteris arridet, quam adfert Isaac in allegorijs novi testamenti, ubi sic fatur: *Videns JESUS turbas, ascendit in montem: dimittenda est turba, ut videatur, & judicetur. Turbam non vidit, qui supra turbam minimè se elevavit. Christus (& fortè solus) potuit non turbatus à turba in turba turbam videre; quam tamen videns dimisit, & ascendit in montem. Heu quanti hodie turbas fugere proponunt, eò tamen fugiunt, quò ampliùs à nobis non inveniuntur. Et planè quamvis exterior turba exturbet; mihi tamen magis suspecta est turba quadam interior, eò quòd interior sit turbantior.*

62. Qui turbam frequentat exteriùs à turba exturbatur interiùs; & qui se exteriori turbâ turbari finit, internum à se gaudium excutit; quia exteriùs non excludit, quò intus turbatur. Verùm nemo agnoscit turbarum frequens malum, quod sensim irrepit, & mores corrumpit, nisi qui emersus è turba supra turbam se attolit, & cum Christo fugiens turbam, montem inscendit. Turbarum tumultus, negotiorúmque strepitus mentem turbant, lumenque confundunt rationis, & oculos excæcant, nec sinunt mentem sua donari serenitate, quâ vero perfruatur gaudio, perfundatur lætitia. Declinandæ sunt turbæ, fugienda sunt sæcularia desideria, ne mentem exturbent, ejúsque abigant serenitatem, cujus beneficio gaudium invehitur, unde Jerem. ait: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se supra se*, nimirum qui cœtui adscitus Religiosorum jugum ab adolescentia divinæ legis portat, & sedet in silentio solitarios, hic elevat se supra se, ac vero fruitur gaudio, quia Deus jugum elevat religionis super ipsum, cui propterea leve est onus, cui ab adolescentia assuevit; eóque gaudet, quia ei suave, sedens enim solitarius in silentio ab hominum semotus frequentia internâ perfunditur lætitiâ: appositè D. Bernardus alloquens virum Religiosum solitarium in silentio sedentem, interno perfruentem gaudio ait: *O sancta anima sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis, & intimis. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?*

Thren. 3.

Serm. 40. in Cant.

§. VI.

Vera interni gaudij delicia in solitudine efflorescunt; fugiunt si secessum deseramus, & hominum turbis nos ultrò ingeramus.

Qui cum Deo, in quo verum duntaxat gaudium reperitur, ac cœlesti sponso exambit immorari, ei curæ esse debet, ne viventi cum vulgo, ejus opera sint vulgaria; seu in id studij, necesse est, incumbat, ut contendat esse quasi unus de multis, sed inter multos singularis; & licèt sit in mundo, non tamen sit de mundo; sit quidem in terra corpore, sed supra terram mente, sit in corpore, sed quasi extra corpus; sit cum hominibus, sed quasi extra consortium hominum; fugit à nobis Deus, si nos solitudinem fugiamus, & civitatum turbis nos ultrò ingeramus; tunc enim ex pulso interno gaudio jugum religiosi instituti nostras incipit cervices gravare, & quia excusso gaudio molestias ingerit, quomodo & has excutiamus, satagimus; ideóque hominum turbis, negotijsque nos immiscemus sæcularibus: discessit à nobis Deus, quia turbas quæsivimus, & solitudinem deservimus, cúmque in solitudine sedenti solitario, & in silentio suave esset jugum religiosum, & onus leve; incipit inter turbas, quod gaudium ingesserat, molestias inducere. Hinc ajebat S. Romoaldus: *O beata solitudo! ò sola beatitudo!* quia qui in solitudine sibi totus est, se totum Deo servat, qui verò sæcularibus se negotijs ingerit, sua non Deo, sed sæculo impendit studia, imò & sensim se totum superimpendit. 63.

Idque causæ cur Elimelech famis causâ adactus in Moabitide peregrinari, urbes, & oppida Moabitarum prudens declinaverit, quamdiu exulavit à terra promissionis, & quousque ad Dei populum reversus fuit, ne scilicet inter turbas hominum exturbaretur ipse, & à mente turbata gaudium abigeret. Hinc etiam David solitudini votis omnibus inhiavit, inquiens. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ volabo, & requiescam? Ecce, elongavi fugiens, & mansi in solitudine:* expetijt avidiùs David solitudinis quietem, ut Deo totus vacaret, veróque frueretur gaudio. Quòd si hunc à tumultuantibus turbis recessum, & in solitudinem secessum internum gaudium non persuaserit; quæ fiunt obvia inter turbas discrimina, inter homines miseriæ, saltem ad hunc sectum secessum, cujus beneficio mens intus verò perfruitur gaudio, debent invitare; verè beata est hæc solitudo, in qua sola reperitur beatitudo: est enim hujusmodi secessus procellarum hominum tranquillus portus, quem qui fugit, à vera se tranquillitate subducit; nec quid aliud super est, quàm ut volvatur rerum pelago, vivat in scopolis, moriatur in fluctibus; quæ in hoc secessu vita ducitur laboribus est vacua, me- 64.

Psal. 54.

ris plena, & qui sedet in solitudine sedendo consurgit, tacendo loquitur, ejusque vocem cœlites audiunt, & exaudiunt.

65. Est vita, quæ in hoc ducitur secessu, reformatrix animæ, institutrix spiritûs, reparatrix morum, palæstra luctantium, campus pugnantium, arena currentium, arcus triumphantium, cella meditantium, & orantium, felix penetrale: illic vera perfunditur mens gaudio, cùm vel spretas mundi delicias, vel neglectos honores, vel contemptas dignitates; fallaces divitias, despectas voluptates, meditatur, & sola cum solo Deo societatem init. Quid enim jucundius, quid lætius, quàm Deo servire extra populorum tumultus in secessu, & cum illo interna, ac externa miscere colloquia? Est enim solitudo possessio Dei, & solitarius, forma terrestris Angeli; ait Climachus (Grad. 27.) Solitudinem esse ambulatorium Dei; & solitarium, quemdam quasi novum paradisi colonum; quia nimirum solitarius se supra se elevat, *sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se*, quia inter homines major fit homine, & nullis hujus vitæ tangitur calamitatibus, nullisque angitur molestijs, nullis infortuniorum turbinibus vexatur, & olympi æmulatur verticem; qui adeò se altè extollit, ut nullo ventorum, ac tempestatum impetu quatiatur: gaudet enim solitarius sedens, & tacens in solitudine jugi serenitate mentis, & nunquam interrupto perfunditur gaudio.

66. Hinc Hieronymus de laudibus eremi (Epist. 41.) ait: *Habeat sibi Roma suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient, nobis adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem nostram*: cui consonat S. Cyprianus, inquiens (Lib. 2. epist. 7 ad Donat.): *Una igitur placida, & fida tranquillitas; una solida, & firma securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundetur, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime, ac magnum videtur, intra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere, jam nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est.*

67. Cùm igitur simus cohæredes Christi, ac hæredes instituti cœli, & simus terrâ majores, & in terra nos cœlo inferamus; ab eorum nos commercio segregemus, qui nonnisi terrena sapiunt: nil sit nobis negotij cum urbium mercatoribus, proxenetis, fœneratoribus, Publicanis, fulonibus, Mimis, Textoribus, Citharedis, Circulatoribus, Lenonibus, Parasitis, Scurris, Nebulonibus, Lurconibus, Sycophantis, & eluonibus, qui nonnisi odorem fori exambiunt, super hos omnes, & super se is dicitur elevari, qui sedet solitarius, & tacet: qui verò hujus furfuris homines frequentat, tametsi lacte sit candidior, & luce defœcatior, maculas tamen contrahit; propterea opplorat Jeremias eorum sortem, qui cùm essent candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*, seu ut expendunt septuaginta Interpretes: *Obtenebrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*, quæ verba tropologicè ad viros referuntur religiosos, qui à priscis sui Ordinis institutis defecerunt, eò quia turbas cœperint sæcularium frequentare, eorúmque negotijs se immiscere; honores, & commoda ambire, aulas Principum ingredi, Magnatum favorem sibi comparare; hi enim solutâ prorsus disciplinâ, neque ex religioso instituto aliud possidentes, quàm extimum habitum, moribus, & vita denigrati, non sunt cogniti in plateis, quia eorum conversatio vix à vita differt sæcularium; & ubi cum sibi antea vacarent, interno fruerentur gaudio, & in cella veluti cœlo lætâ immorarentur; nunc negotiorum tumultu inter sæcularium turbas pertubati, vix internæ lætitiæ præsentiunt guttulam: scitè Gilbertus (In allegor. vet. testam.). *Magna certè collaudatio, sed misera commutatio, Candor nivis, lactis nitor, eboris rubor, pulchritudo sapphiri, & durities carbonis obducitur nigredine. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, seu non sunt cogniti ampliùs pro religiosis: quia nullo religionis discrimine, nullo privilegio conversationis distinguuntur à sæcularib⁹.*

68. Ita est, frequentia platearum, conversatio cum sæcularibus, negotijs se immiscere laicorum, favores concupiscere Principum, commoda ambire corporis, honoribus inhiare sæculi, laxitatibus indulgere sunt, quæ virum religiosum, tametsi antea nive candidiorem, lacte nitidiorem ob castitatis culturam, ebore rubicundiorem ob charitatis exercitia, & sapphiro pulchriorem ob virtutum studia, decolorant, inficiunt, fœdántque, ut non ampliùs cognoscatur in plateis, seu non distinguatur à sæcularibus; quia licèt sæculo renuntiaverit, mox sæculum impensiùs exambit: semel quòd claustri inquilinus turbis se imiscet laicorum, ac ijsdem associari studet, omnem abigit religiosi decoris nitorem, verúmque à se excutit gaudium, quod nonnisi in Numinis famulatu, in virtutum studijs, & in secessu propriæ cellæ invenitur. Hinc Bernardus exclamat (Serm. 40. in Cant.): *O sancta anima sola esto, ut soli omnium te serves, quem ex omnibus elegisti*: ut autem soli Deo quis vacet, & hominum declinans contubernium, cum solo Deo comercium ineat, à quo verum gaudium hauriat, plurimum refert, si sciat, ad quem se locum conferat; duplex enim est solitudo, una exterior corporis, interior altera animi, & si ambæ amicè confœderentur, verum tunc exhibent gaudium in secessu gustandum; solitudo corporis exterior est etiam necessaria, & hanc suadet D. Hieronymus, inquiens (Lib. 2. epist. 22.): *Eligatur tibi opportunus, & aliquantulum à familia strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias*,

&

& excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componat. Est autem locus iste ascetis vel in abdito recessu, vel extra urbem, ubi est secretio à populi consuetudine, rerúmque inanium exagitatione; ubi animus à tumultu communium curarum sevocetur.

69. Nil tamen obstat, quin altera solitudo animi etiam in populosa instituatur civitate: Jud. 8. hanc enim Judith sibi constituit, in superioribus domûs suæ, fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & tunc animus hac donatur solitudine, fruitúrque secessu, cum à tumultu communium curarum removetur, nec ullum est negotium sæculare, à quo irretiatur, & à Dei sejungatur unione. Potest quis domesticos etiam inter parietes ab omni sejungi sæculi tumultu, & Deo duntaxat, ac sibi vacare: Judith non extra urbis pomeria, non intra eremi antra solitudinem quæsivit, sed in domo sua eam reperit, & in suo domicilio secessu gaudet, quo interna perfunditur lætitia procul ab ipsa accedentium, & recedentium turba, & à quovis sajuncta strepitu; non recessus ab urbe, sed accessus ad cœlum per studia virtutum, ac divinorum medita- Lib. 1. epist. 14. tionem virum constituit solitarium; quia ut scitè Petrus Damianus. *In populosa urbe amor artifex solitudinem reperit*, nullum enim est vitæ genus adeò negotijs addictum, curisque implicitum, ac solicitudinibus implicatum, in quo mentis secessus, animique solitudo non reperiatur; adeò ut si necessitas virum ascetam è suo extrahat asceterio, vocétque in urbem, adhuc si velit, hominum inter frequentias animi possit solitudinem reperire, & inter hominum tumultus, ac fluctuantes veluti procellas portum appellere, sibi nimirum vacans, ac imperans, præsertim sensuum coërtitione, ut quod sentiunt, minimè sentiat; potest enim mens humana, tametsi hominum frequentet cœtus in turba, itinere, convivijs, solitudine gaudere, ac suo frui secessu, si cogitatione soli innitatur Deo, ac sensus omnes ab omnibus ijs retrahantur objectis, quæ distrahere à Deo possunt: alioquin nullus propemodum locus, quamvis semotus ab hominum strepitu proderit, si non sit animus, à quovis tumultuantium affectuum fremitu solutus, prorsúsque liber: Epist. 61. Parum prodest, ait Seneca *totius regionis silentium, si affectus intus in animo fremant.* Si pravi intus assurgant affectus, si motus depravati appetitûs intus hominem pulsent, nec in ipso secessu secessum invenit, nec in solitudine gaudium experitur solitudinis: si enim amor, & odium rixas ineant; si avaritia, & invidia altercentur, si spes, & timor inter se pugnent, virum etiam solitarium expugnant.

70. Quamobrem, tunc vir asceta verum suo in secessu gaudium enanciscitur, cum utramque solitudinem corporis, & animi; loci, & mentis, externam, & internam sibi procurat: in hac gemina solitudine feliciùs excoluntur, & efflorescunt virtutes: nec otium tunc destituitur suo fructu; si hanc geminam ingressus solitudinem Deo auspice vir solitarius cœlum suo in secessu suspiciat, animúmque ab hisce inferioribus terræ in altum erigat, sibíque persuadeat, Deo vacare summum esse negotiorum, ingentem adserens utilitatem, si propriam discutiens conscientiam dicat intra se: hactenus inter homines venatus sum fumos, sectatus umbras, aucupatus apinas, & affanias: nunc quod Deo afflante ac iuvante agere cœpi, id agam: si altiùs menti imprimat opus susceptum, seu Deo servire, sibíque vacare, esse negotiorum maximum, & ut loquitur Origenes. *Opus ope-* Homil. 1. ad Num. *rum*: quemadmodum D. Dionysius augustissimum altaris sacrificium vocat mysterium mysteriorum; quia est dignitate primum; ita hoc opus est *opus operum*, quia utilitate summum; siquidem mens in religiosa illa solitudine beatorum associatur mentibus, Numini adhærescit, & internâ perfunditur lætitia: in hoc enim secessu, non alia est Respublica regenda quàm propriæ animæ, nullum est ibi negotium agendum, quàm propriæ salutis, ibi enim declinantur delictorum pericula, flagitiorum longè pelluntur enormitates, libidinum fugantur turpitudines, castigatur mollities, comprimitur licentia, & erigitur ad meliora animus.

Non enim omni semper tumultu caret interna cordis Respublica; suos habet hostes, & quidem eidem non leviores, quàm apud Numantiam fuerunt Scipioni: hic enim unam duntaxat urbem, unúmque populum oppugnavit; vir autem asceta, ac solitarius plures experitur hostes, plurésque hostium exercitus, qui eum infestant; tot scilicet, quot sunt perduelles animi affectus: & cadunt, qui in hac palæstra ad pugnam non instruuntur: plures enim audivimus in hoc prælij genere veteranos, ac emeritos fœdè dilapsos, ac miserè prostratos: nulli hostes in nos acriùs insurgunt, quàm depravati nostri affectus, à quibus in apertum conjicimur discrimen: & faciliùs est sulfur omne ex Ethnæ visceribus, omnéque cœnum è cunctis egerere paludibus, quàm affectus omnes tumultuantes è nostro divellere corde; proinde pugnandum jugiter contra ipsos nobis est, ut saltem vitia omnia in exilium pellamus, quæ nec leges ab urbe, nec Reges è suis Regnis abigere valuerunt; scilicet luxum coërcere in divitibus, furta in servis, invidiam in plebe, superbiam in nobilibus, fraudes in curialibus, dissidium in multitudine, & avaritiam in ijs, qui divitijs inhiant: vir tamen asceta, etsi non possit vitia fugare, potest tamen, si velit fugere, si nimium ad solitariæ vitæ portum confugiat. 71.

Jucundum hoc in secessu veluti in præalta specula est, res, curásque hominum humi repentes intueri, & animum in sublime erigere, ac cogitare quàm futiles sint, & inanes 72.

hominum occupationes ; & hominis vitam viam esse, non patriam, non locum quietis, sed palæstram. Est viro ascetæ felix iste secessus Spiritus sancti metropolis ; hîc enim diplomata sua Joanni dedit: hîc omnibus ad cor loquitur ; hîc omnes solitarios divina edocet mysteria : est siquidem secessus iste Dei Gymnasium , ad quod Christus suos invitavit Discipulos. *Venite seorsum in desertum locum , & requiescite pusillum :* huc Arsenius navigium suum velut è mari ad portum duxit divina monitus voce illa , *Arsenie fuge tumultus , & salutem assequeris :* imò quantæ sit secessus utilitatis , vel ipsi novêre Ethnici , præsertim Seneca , ubi ostendit conversationem multorum quieti inimicam esse , ac vitandam inquiens : *Quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris? Turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores , quos extuli , refero. Aliquid ex eo , quod composui , turbatur ; aliquid ex his , quæ fugavi , redit. Inimica multorum est conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat , aut imprimit , aut nescientibus allinit : fuge multitudinem , fuge paucitatem , fuge etiam unum. Non invenio , cum quo te malum esse , quàm tecum. Recede in te ipsum , quantum potes :* primum igitur argumentum ad rectæ rationis amussim compositum est, posse consistere, secúmque morari seorsim ab hominum turbis , & in secessu loquentis Dei vocem audire , veróque perfundi gaudio. Quòd si solus ab obstrepentibus turbis, ac populorum tumultu recessus plurimum valet ad veram animo lætitiam ingerendam , verámque suggerendam cordis tranquillitatem ; multò magis felix ille recessus , in quo vir asceta Deo , & sibi vacat.

Marci c. 6.

Epist. 7. & 8.

71. Scimus Publium Scipionem , cui subacta Africa nomen dedit Africanum , dicere consuevisse , nunquam se minus otiosum esse, quàm cum otiosus, nec minùs solum , quàm cum solus esset ; eò quia vel in ipso otio non vacaret otio , & in solitudine disertiùs secum loqueretur. Pulchrè D. Ambrosius *lib. 3. offic cap. 1. Non primus Scipio scivit solus non esse , cùm solus esset. Scivit ante ipsum Moyses qui , cùm taceret , clamabat ; cùm otiosus staret , præliabatur. Adeò otiosus , ut manus ejus alij sustinerent , nec tamen minùs , quàm cæteri negotiosiùs , qui otiosis manibus expugnabat hostem , quem non poterant vincere , qui dimicabant. Cujus autem majora negotia , quàm hujus otia , qui quadraginta diebus positus in monte totam legem complexus est ? Quando ergò Justus solus est, qui cum Deo semper est ? quando solitarius, qui à Christo nunquam separatus est ? solus profectò non est, qui , quoties vult , meliore sui parte cœlum obambulat , tantò facundior cum Deo , & cum Angelis , quantò inter homines taciturnior.* Et hoc illud est silentium ; de quo Isaias dixit. *In silentio , & spe erit fortitudo vestra :* hoc est, in silente secessu gaudebit cor vestrum, qui enim sperat , animum erigit , & lætatur : nil enim gaudio ingerendo , veræque promovendæ lætitiæ religioso solitudine aptius , nilque pio secessu magis idoneum, & virtutibus excolendis accommodatius ; familiaritatem, qui inire cum cœlitibus cupit, solitudinem petat , secessum amet.

Cap. 30.

Viro solitario cum suis duntaxat affectibus est luctamen ; frequentanti verò hominum turbas, séque immiscenti negotijs sæcularium pugna est non cum suis duntaxat tumultuantibus affectibus , sed & cum innumeris exteriùs objectis, quæ per oculos , aures , nares , os , sensúsque omnes hominem adoriuntur , quem expugnent ; hinc S. Antonius Magnus ajebat : *qui solus est extra bellum oculorum aurium , & linguæ vivit , qui inter homines agit , cum oculis , cum lingua , cum auribus satis tricarum habet , & si quies sit ab alijs hostibus Solò pateant oculi , sat ostiorum patet , per quæ hostis penetret :* hoc est, fatiscimus omnes , pleníque sumus rimarum , per quas putidæ sæculi aquæ nostram subeunt navim , quam per fluctuantes sæculi procellas nituntur ad naufragium trahere. 74.

Qui sapit , has satagit declinare , has fugere procellas , & ab hominum se tumultu subducere , ut Deo , & sibi vacet, verámque in secessu enanciscatur lætitiam , quam hominum tumultus perimunt : vita enim quæ turbas inter, & negotiosos tumultus ducitur , vix vitæ meretur nomenclationem , cùm mors potiùs sit , quàm vitæ usura : idque cum novisset Similius vir militaris in exercitu Adriani Cæsaris restatum voluit insigni epitaphio, quo è sepulchri cinerario posteros loqueretur , simúlque instrueret : Vixerat is ad senectam usque , sed quia ultimum duntaxat septeñium à tubis, turbis & classico semotus sibi vixit , & quieti indolsit , suo inscribi tumulo curavit : *hic jacet Similius re septennis vetulus :* quia tametsi annis plurimis vixerit , annis tantummodo septem vixisse censendus est , quibus ei licuit quietè vivere. Plures etiamnum nobis dietim obviant Similio haud suppares , qui medios inter fluctus pergentes nonnisi tumultuosam ducunt vitam , variisque exagitati curis suis luctantur occupationibus , vixque sibi vivunt. Idque cum D. Hieronymum non latuisset , ferunt consuevisse dicere , oppida , & urbes, tetros sibi videri carceres, & solitudinem paradisum : & tamen scimus D. Hieronymum torridam incoluisse Syriæ eremum , scorpionibus feracem , ferisque minaci rictu timorem incutientibus infestam , cum ipse pannoso esset sacco amictus , humi cubaret ; aquâ , & herbis victitaret ; & tamen hanc Syriæ solitudinem romanis prætulit delicijs, sibíq; ultrò oblatis beneficijs : non tamen credas in solitudine vitam egisse ignavam , otióque torpentem, cum enim Deum , 75.

&

& Angelos, aliósque cœlites suæ accersiverit solitudinis socios, solus non fuit in solitudine, nec otiatus in otio, quia ut scitè Philo: *Vir bonus vitæ quietæ amator secessum quærit, & in solitudine latere cupiens, non odio hominum, est enim si quis alius, eorum amans; sed quia fugit, & proculcat vitia, quibus vulgus delectatur: gaudere ijs solitum, quæ dolenda sunt, & dolere ijs, quæ gaudenda.*

Lib. de Abrahamo.

76. Veræ quietis appetens non quærit hominum inter tumultus mentis tranquillitatem, animique veram lætitiam, sed in solo secessu, nec aliam aucupatur voluptatem præter eam, quam studia suggerunt virtutum, & ex Dei hauritur famulatu; quævis enim alia voluptas fragilis est, brevis & fastidio objecta, & quò avidiùs quæritur, citiùs in contrarium recidit, ideóque nullum potest verum parere gaudium, nullam veram alere lætitiam. Illa est voluptas homine ingenuo digna non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare; sed perturbatione carere, hanc autem voluptatem æqualem, intrepidam nunquam sensuram sui tædium is percipit, qui se totum studijs addixit virtutum. Hæc est illa vera, & solida in Deo, & de Deo lætitia, quæ pectus implet, animúmque hoc prægustato gaudio delibutum alacriorem reddit ad virtutum incrementa.

§. VII.

Vera quietis appetens, mentis tranquillitatem, & lætitiam non inter hominum tumultus quærit: sed in solo Deo, ac virtutum exercitio enanciscitur: ac silentij fræno linguam coërcet.

77. VEra qui perfunditur lætitia omnem à se perturbationis abigit procellam, tristitiæ excutit nebulas, & jugi fruitur mentis serenitate, & idem semper est sive in prospera, sive in adversa fortuna, & in quovis virtutis exercitio par semper est sibi, non consilio tantùm probus, sed & more, nec quicquam sapit, nisi quod Deus sapit: hoc enim lacte sibi addictos Deus enutrit usque ad beata, æternúmque perennatura cœli gaudia, pulchrè S. Chrysologus exclamat: *O dedimus corpori annos! demus animæ dies: impendimus nobis tempora, tempus deputemus authori: vivamus Deo paululum, qui sæculo viximus toti, ut æternùm gaudeamus.* Quia dies, in qua de Deo, rebúsque Dei homines gaudent, mane quidem habet suæ inchoationis, sed vespere suæ destituitur desitionis.

Serm. 12.

78. Idque causæ cur Moyses summaria recapitulatione sextidui opificium graphicè exhibens ait: *Complevítque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat:* non me latet, hanc Dei requiem plurimum ingessisse laboris sacris Interpretibus: is enim quiescere dicitur, qui prævio defatigatus labore lassitudinem contraxerat, videatúrque propterea requies prævium supponere laborem, & quia in Deum nec labor cadit, neque ex labore lassitudo, ideo hæc Dei requies non modicè inquietat Interpretum ingenia, quæ in varias propterea scindit expositiones; sed D. Augustinus hanc Dei requiem ait, esse inhabitationem per diffusam charitatem Spiritus sancti in creatura rationali, adeout aliud non sit, Deum requiescere ab operibus suis, quàm homini requiem dedisse, quasi Deus ex eo dicatur requiescere, quia requie quiescit hominis: homo autem tunc verè requiescit, cùm per donum Spiritus sancti charitas eidem inhærescit: cùm enim Deus rerum conditor primo die procreâsset è nihilo cœlum empyreum à splendoris, lucisque copia sic denominatum, seu augustissimam divinitatis sedem, futurúmque Beatorum domicilium, simúlque innumeras myriades mentium, à quavis materiei crassitie defœcatas, quas proinde Angelos nominamus, seu Spiritus, geniósque cœlestes, imò terram etiam, & aquam in globum unum commixtas. Secundo die è nihilo traduxisset primigenia illa duo corpora aërem quidem ex aqua; & ignem ex aëre prognata; igneóque elemento cæteris sublimiorem dedisset sedem. Ex tertio die fluctuum aquarum, ac telluris sublata confusione terram ab aquis separâsset, jussissétque aquas in loca recedere decliviora, ac propagari in maria, ampliari in lacus, discurrere in flumina, & terram vestiri herbis, ridere floribus, locupletari arboribus, & arbores fœtibus gravidari, campos segetum copia, ac densitate fluctuare, tametsi aratio sationem, satio occationẽ, occatio sarritionem, plantatio putationem non præcesserint. Genus etiam omne evocâsset metallorum, fossilium, lapidum; & paradisum præsertim terrestrem, seu hortum voluptatis quadruplici irrigatum fluvio. Quarto die solem mundi lampadem accendisset in cœlis, lunámque, ac stellas, vigiles quasi cœli oculos, cum in terris nocte intempesta somno sopiti quiescerent homines; & alterna posuisset dierum, noctiúmque discrimina, ac quadripartita anni tempora. Quintò die squamigerum piscium gregem aquis jussisset innatare, & volucrum turmas expanso alarum remigio fluidos aëris tractus trajicere. Sextóque die animantes jumenta reptilia, ac bestiarum omnium genera condidisset, & omnium postremus fuerit ex humo homo effictus, ac præditus anima rationali eum facultate intelligendi, appetendi, ac reminiscendi, cæterisque condecoratus gratijs, ac primævæ innocentiæ ornamentis cum pleno in cuncta animantia dominatu, requievit tunc Deus ab universo opere quod patrârat, eò quia requiem homini dederit, quem ornatum voluit suis donis;

Genes. 2.

adeò ut charitas inhærens homini, requies Dei fuerit; sed id observatu dignum, quod cùm præcedentes dies mane & vespere distinxisset; nullo hæc septima dies, quâ Deus ab universo opere, quod patraverat, requievit. vespere claudatur: quamvis enim mane habuerit suæ inchoationis, non tamen ullius fit in eo mentio vesperæ: quia nimirum singularis fuit dies ille, in quo munificus Deus requiem, & gaudium homini dedit per donum scilicet Spiritus sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, cùm enim fuerit dies lætitiæ, & gaudij, debuit à reliquis eximi, proinde licèt cæteri divini opificij præcedentes dies rebus creandis destinati vespere dicantur claudi, & mane, ac dies, noctisque distingui vicissitudine; septimus tamen vespere destituitur, eò quia pacatissimæ quieti, veræque in Deo lætitiæ destinatus: qui igitur in Deo quiescit procul à passionum strepitu, ac humanæ gloriæ fluxu, futilisque voluptatis tumultu, cœlesti perfunditur lætitia. Reliqui igitur mundi dies vesperam habere dicuntur, & mane: quæ verò Deo sacratur dies vesperâ destituitur, quia æternæ lætitiæ per eximiam gratiam destinatur, & hæc est illa dies gaudijs circumfusa, quæ noctis tædium nescit, quæ tenebrarum ignorat molestiam, quæ caliginum non timet horrores, quia in ipsa unà cum creatura rationali requiescit Deus.

79. Qui igitur in Deo requiescit, huic gratiæ dono datum est, ut abjectis mundi voluptatibus, nonnisi in Deo gaudeat, & de Deo lætetur, & hæc est hujus gaudij indoles, homines vi quadam blandè allicere, spontè trahere, ut à terrenis se subducant, mundana stomachentur, & solis inhiant cœlestibus. Huic terra desipit, cui cœlum sapit: si semel cœlesti sit quis nectare pastus, cœlique innutritus delicijs, quæ mundus exhibet gaudia, mœrores reputat, à quibus propterea se avertit: fluxa sunt mundi gaudia, fluxísque duntaxat lachrymis irrigua; larvata est mundi lætitia, luctum risu tegit, & ideo in vesperam, seu tetram desinit noctem æterni mœroris: secus dies, quæ requiem à Deo mutuatur splendidum quidem habet mane illucescentis divinæ gratiæ, sed vesperâ destituitur, quia lætitiæ nitor, quo suum orditur mane, omnem abigit nocturnum mœrorem: hinc dies gaudio virtutis destinatus, & quo Deus sibi addictos ubertim perfundit, quamvis manè habeat suæ inchoationis, vespera tamen destituitur suæ desitionis, quia cœlesti dulcedine totus perfunditur, & divinæ gratiæ pleno jubare totus splendet.

80. Jonatas prævio labore defessus, ac diuturna lassus fame: *Extendit summitatem virgæ* (seu ut alij legunt *fastigium sceptri*, quasi præproperè Rex) *quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus:* scilicet mellea dulcedine non solùm recreatur, & adipatur, verùm etiam præclarè illuminatur, quasi cœlesti dulcedine, perinde ac quodam collyrio, inoculetur, quo fluxas mundi voluptates ab opulentis virtutum deliciis secernat, abigátque, ut noxias; cui enim Deus sapit, huic cætera omnia extra Deum desipiunt: imò & illi volupe terrenis carere voluptatibus, nugatúmque destitui suavitatibus; & quas amittere metus olim fuerat, nunc dimittere est gaudium; gaudere in Deo dulcedo est, quâ qui afficitur, nil ampliùs vult sapere, quàm Deum, & cætera ei desipiunt, quæ ad Deum non ducunt. *Magna res est*, ait Joannes: *nemo scit, nisi qui accipit*, quia illi tantùm aperiuntur oculi: hinc etiam Jonatæ gustato favo oculi illuminantur. Idque causæ cur Psalmographus nobis suadeat, hanc prælibare dulcedinem: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*, priùs vult, ut gustemus ut inde illuminemur, & videamus, quàm suavis sit Dominus, est enim dulcedo, quæ gustum recreat, & oculos purgat, illuminátque, sed quid? quod solo gustu divinæ suavitatis humanus acuatur aspectus, & veluti quodam collyrio detersa caligine oculi purgentur, ac illuminentur? proprium est saporis innata suavitate palatum demulcere, gustum delectare, non oculos illuminare. Sed quam singulare est collyrium, quò cœlesti semel suavitate gustata videmus statim, quàm noxiæ sint, & futiles terrenæ voluptates, & quàm dulce solis virtutum delicijs inhiare? nobis desipit, quidquid DEUM non sapit.

1. Reg. 14.

Apocal.

Psalm. 33.

81. Hoc solet inter corporis, animæque delicias esse discrimen, quia corporales deliciæ quamdiu non habentur avidum sui excitant desiderium: cum verò avidiùs degustantur stomachum movent, súntque degustanti per satietatem fastidio: secus spirituales deliciæ non possidentibus videntur fastidio esse: cum verò habentur desiderium magis, magisque acuunt: in illis appetitus placet, & experientia displicet: in istis è contra appetitus est vilis, sed experientia magis arridet, ac placet; pulchrè S. Gregorius: *Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant: quia quantò magis earum sapor percipitur, eò ampliùs cognoscitur, quod avidiùs ametur. Proinde Psalmista nos admonet dicens: Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Quia nimirum quanto magis rerum divinarum sapor percipitur, ac Deus gustatur, non tantùm sua dulcedine animum delectat: sed eò ampliùs cognoscitur, quod avidiùs ametur, & ideo rectè Psalmographus sua modulatus de experientia ait: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus* quia si semel gustemus eius dulcedinem, inde videmus, & cognoscimus, quod eò avidiùs sit à nobis amandus, quò uberiùs suam nobis impertitur dulcedinem. Hi sunt mellei favi, qui caligantes Jonatæ oculos solo sapore, &

Homil 36. in Evang.

Psalm. 33.

gustu

gustu illuminârunt. An non omni excussa tristitiæ nube tota illucescit serena dies, in qua Deus suum per donum Spiritus sancti impertitur hominibus gaudium, & in quo Deus requiescit ab universo opere, quod patrârat? Quàm felix dies illa, quæ toto mane illucescens vesperam nescit! quia tota perfusa gaudio, omnem excludit noctis mœrorem; nec quidquam ampliùs vult sapere, nisi quod Deum sapit.

12. Hac igitur dulcedine qui perfunditur eâ pollet perspicaciâ, ut solas spirituales videat delicias, fastidiátque terrenas omnes voluptates. Hinc Sara Raguelis filia, sanctitate insignis, morúmque probitate celebris, cùm oculos ad Deum perspicacissimè convertisset; (Tobiæ 3.) ita humanas voluptatulas, vel à cunis respuere didicerat, ut in eis nihil quod animum alliceret unquam viderit: mœrebat ipsa de terrenis voluptatibus, cum de solis gauderet cœlestibus; & proinde sapore virtutis illuminata; diem, & ipsa experta fuit, quæ licèt matutino illustraretur nitore, vespertinum tamen ignoravit occasum, ab utero scilicet usque ad tumulum præclara semper virtute illustris. Hanc verò qui semel dulcedinem gustârunt aliud jam non loquuntur nisi Deum, cujus dulcedo linguam afficit; & si Deum non loquantur religiosi, silentij tamen frœnum linguæ injiciunt: satiùs enim est silere, quam ea loqui, quæ Dei non sunt. Plerique silentium hocce plenis buccis commendant, à cujus tamen observantia statim se subducunt. Plures sunt, qui cum Simonide fatentur, nunquam silentij ipsos pœnituisse; sermonis tamen sæpius: sicut silentium infinitis propemodum medetur malis, estque pharmacum nobilissimum, ac retundendis convicijs idoneum; ita loquendi licentia malis, ac periculis pluribus viam aperit, indicátque plus æquo loquacem prudentia vacuum; cùm rectè dixerit Demaratus: *neminem stultum silere posse*.

13. Est igitur silentium index animi prudentia, & contra irruentia mala clypeus, quô tutiùs ictus retunduntur adversariorum, quàm loquacitate; constat enim, malum hominem tacendo citiùs, quàm loquendo superari; & propterea meliorem esse prudentiam parùm urbanam, quàm laxam, & stultam loquacitatem; os enim garrulum, verbisque diffluens signum habetur fatuitatis: & qui silentij frœno linguam nescit coërcere, is in plura, necesse est, irruat mala: quia ubi deest linguæ frœnum, ibi mala penè omnia ex ore nascuntur. Verùm licèt hæc è pulpitis quotidie, ac cathedris enarrentur, doceantúrque homines, adhuc tamen proclives garrulitati sumus, & cùm primùm nobis occasio datur, statim effusissimè garrimus, ac verba effutimus, quibus internam prodimus vacuitatem, & malumus fatui videri, quàm parùm urbani. Pauci sunt, qui nonnisi recta loquantur, & ideo loqui nesciunt, quia tacere non didicerunt; & ideo malunt importunè loqui, quàm opportunè silere. Et licèt non desint, qui censeant, sæpius loquendo, nos discere bene loqui, perinde ac pulsantes citharam ex frequentato pulsu fieri Citharedos, ut etiam fabros ex continuato exercitio in arte fabrili; hos tamen falsitatis redarguit S. Basilius in regula, ubi inficiatur, parem esse utrinque rationem; eò quia rectè loqui non simplicis sit artificij, quod nos non tantùm non callemus, verùm & contrariam ei assuetudinem, ne bene loqui facilè discamus, objicimus; cùm indiscriminatim quidquid phantasia suggerit, id lingua foras depromat sine ordine, absque lege; quam tamen pravam assuetudinem laxè, ac tumultuariè loquendi non abigimus, nisi beneficio silentij; quod propterea duo invehit commoda, quorum primum est, quia vitiosum loquendi modum oblivisci docet, non enim hæc prava assuetudo alio potest atramento deleri, quàm silentij taciturnitate. Secundum quia tempus, & spatium concedit, eos inspiciendi, qui rectè loqui eximiè didicerunt. In quibusdam est lingua nobile, & argutum membrum; sed in alijs omnino pravum; & nocens, quo propterea caruisse satiùs sit.

Cùm primùm odisse silentium incipimus à vanis ad nocitura facilè dilabimur, 14.
& minùs circumspecti, imò & negligentiores verborum nostrorum observatores in plurima ruimus pœnitenda: sæpe enim si vera desint sermoni instituendo, mendacia accersuntur, ut præstò sit, quid lingua blateret: hinc aliena fama prostituitur, honor proximi denigratur, bona quæ de alijs habebatur existimatio imminuitur, & is disertissimus habetur, qui aliorum nævos copiosiùs exagitat, cujus lingua alieno dicitur innatare sanguine, eò quia silentij frœnum excusserit: neque credas virum verbosum à multiplici immunem vitio, cùm & ipse Job vix justum agnoscat Job. 11. *Nunquid justificari poterit vir verbosus*, quia ibi plura solent mala oriri, ubi multa depromuntur verba, quod innuit Sapiens inquiens: (In Prov. c. 10.) *In multiloquio non deerit peccatum*, proinde non coërcetur licentia peccandi, nisi laxitas compescatur loquendi; adeò ut non minuantur peccata, nisi contineantur verba: & satiùs, quòd alij nostram carpant parùm urbanam taciturnitatem, quàm loquendi notent improbitatem; dummodo vitàm probent, id sufficit; quamvis rusticanam improbent taciturnitatem. Nisi quis amicus fuerit solitudini, & silentio, vix cultor habebitur virtutis: plerumque quod orando, precésque fundendo lucramur, id perdimus postea ineptè confabulando; & sicut Penelopes telam, quam interdiu texuerat dissolvit noctu; pari pacto quidquid probi sensûs è fu-

è fusis procibus, è colloquijs cum Deo institutis hauritur, hoc totum vaniloquentia deperdit.

85. Quinimò difficulter assuetus vaniloquentiæ, dissolutisque confabulationibus sermones cum Deo instituit, quos cum hominibus profundit, quia mens varijs præoccopata confabulationibus, ac futilibus onerata narratiuneulis nonnisi ægrè se se ad orationis quietem componit. Occurrunt enim menti, tum audita, tum narrata, quæ non supremis tantùm inoatant labris, sed altiùs meoti hærent, animúmque occupant, quem propterea vix finunt ad alia ijs contraria diverti: idque causæ, cur mens orationi, & præsertim meditationi vacans innumeris pulsetur suggestionibus, distrahatur evagationibus, & aliò quovis momento avocetur, ac divertatur, quia nequit facilè animus mille illusus formis eorum, qoæ audita, & narrata fuerunt ab ijsdem ad alia se convertere, & præsertim ad meliora, & divina, quæ mentem elevant ab homine, extrahúntque ab ijs, quibus assuevetat. Vix mens mundi onerata suggestionibus ex hisce emergit inferiotibus, ut Deo adhærescat, cùm velutl glutino mundi ludicris inhæreseat: vix Deo conjungitur, qui ab hominum consortio, & hisce inferioribus oon sejungitur: cœlestia oon attingit, quem inanium colloquiorum tumultuantes fluctus demergunt.

86. Hine etiam Isocrates doo dicendi tempora censuerat statuenda. Primom ut non loquamur nisi de jis, quæ certò novimus: secundum, ut de jis tantùm sermonem instituamus, quæ oecessaria esse noverimus; & in ijs solis orationem præstare silentio, in alijs verò meliùs esse silere, quàm loqui; sitque propterea silentium tranquillæ conscientiæ optatissimum asylum: qui verò nullo injecto linguæ frœno, eam sinit verborum tumultu huc, illùcque discurrere, urbi sine muris haud abludit, equóque sine

Proverb. cap. 25. frœno: ait Salomon: *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

87. Refert Addo in Cronicis ad annum Christi quadringentesimum decimum, Severum Sulpitium Presbyterum virum genere, ac litteris illustrem voluntariæ paopertatis amantem, virtutum Christianarumcupientem Martino Turonensi, & Paolino Nolano Præsulibus charum, jam senio confectum à Pelagio, ejúsque asseclis foisse sermone illaqueatum: sed cùm primùm agnovisset postea suæ culpam loquacitatis, silentium sibi indixit, quod ad obitum usque nunquam interruptum religiosè servavit, ut quòd malè loquendo deliquerat, severè tacendo expiaret. Verum gaudium non garrulitate invenitur, sed taciturnitate innutritur: neque enim veram potest lingua loquax ingenerare lætitiam cum omni gladio ad lædendum sit acutior, omni serpente nocentior, si quis eam in fraudem, & perniciem abutatur; incredibile enim est dictu, quaotum damni, infamiæ, exitij, hominibus adferat importona loquacitas, & fastidiosa verborum proluvies: oec abs re dixerit ille, oris infrœnis vectigal summam esse calamitatem: & revera naufraga est omnis oratio silentlj anchora, clavo rectæ rationis, velis, remisqoe prudentiæ destituta: non enim quid aliud ab illa sperandum, nisi ut brevia incurrat, & syrtes, cùm enim neque in divinæ legis cynosuram defixum habeat mentis oculum, neque silentij anchorâ cursum sistat, nec tempestates declinet, sed nullo tacendi, & loquendi discrimine tumultuosæ hujus vitæ procellis se committat, & temeritate potiùs, quàm prudentiâ ductus io altum se provehat; in plura vitæ discrimina, ac naufragij pericula se injicit. Potuisset Amalecites, qui spolia Saoli, imò & ipsam armillam, ac diadema detraxerat beneficio silentij tutus evadere, oecisque declinare periculum, sed quia stulta temeritate locutus fuit, nec linguam didicerat coërcere, extremam sibi accersivit perniciem. Non igitur potest à linguæ loquacitate verum prodire gaudium cum omoium propemodum malotum videatur origo, non enim in multiloquio peccatum deest: & qui ioconsiderata verborum profusione tanquam æstu, aut fluctibus abripiuntur in omoe vitium, ac flagitium deferuntur, irruúntque etiam in famam innocentum, qoin & cœlum ipsom convicijs lacessunt, scurrilibus verbis, aures exulcerant, ut odia, & dissidia foveant, amicitias dissolvant, mendacijs grassentur, & omnia sus deque fœdissimè vertant.

§. VIII.

Quæ ex lætis studijs humaniorum præsertim literarum percipiuntur gaudia, menti sunt levamini; cui quæ ex obscœnis libris hauriuntur voluptates sunt gravamini.

GAudio ingetendo apta itidem sunt læ- 88.
ta studia, quæ fessæ menti sunt levamini, ac animo curarum onere presso solamini: oullæ enim sunt epularum, aut ludorum voluptates, si cum ijs conferantur, quæ è lætis hauriuntur studijs. Idque causæ, cur Plinius solatij captandi causâ ad hæc læta studia horis præsertim succisivis se conferret ait ipse: *Facio nonnunquam versiculos feveros parum.* Lib. 6. Epi 3. *Facio comœdias, & audio, & specto mimos, & lyricos lego, & satyricos intelligo; aliquando prætereo, video, jocor, ludo: utque omnia innoxiæ remissionis genera breviter amplectar, homo sum.* Hæc animi honesta laxamenta usurpaeurâ

Attalicâ

Attalici Reges censuerunt, non posse utilius, ac honestius Principum opes impendi, ac divitias collocari, quàm in extruendis bibliothecis, coacervandis libris, ex quibus sibi, & suis novæ in dies animorum succrescerent voluptates, ait Vitruvius: *Reges Attalici magnis Philologia dulcedinibus inducti cum egregiam Pergami Bibliothecam ad communem delectationem instituissent. Tunc item Ptolemaus infinito zelo, cupiditatisque studio incitatus, non minoribus industrijs ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare.* Ex quibus conjicimus, Attalicos Reges in laxissimæ Bibliothecæ extructione aliud non intendisse, quàm ex lætis studijs animi solamen, & gravatæ mentis levamen, seu ex Philologiæ dulcedine animi haurire delectationem: dulces enim sunt illæ voluptates, quas læta studia ingerunt. Quis enim neget, eas maximas esse, cùm cæteris alijs præferantur? cùm enim sit mens pars hominis nobilior, ac corpore longe præstantior, procul dubio nobiliores sunt etiam eæ voluptates, quæ mentem reficiunt, ijs, quæ corpus, simul afficiunt, & inficiunt.

89. Hacque ratio, cur viri lætis hisce addicti studijs, ut ijsdem diutiùs indulgeant, soleant esse somni parcissimi, leves cibi, & abhorrere à rebus venereis, quæ animi lumen ad capescendas disciplinas necessarium solent extinguere, imò etiam ludorum oblectationes flocci facere; quia hæ omnes voluptates corpus tantùm afficiunt, cui adhærescunt, non mentem recreant, neque pascunt: cùm enim quæ è lætis studijs percipiuntur voluptates mentem reficiant, cæteris præferuntur, quæ corpus potiùs inficiunt, cùm illud afficiunt.

90. Hæcque ratio, cur qui hisce inhiant voluptatibus, suam in libris pervolvendis, litterisque addiscendis, exercitationem, ludum etiam vocent litterarium; quia perinde, ac ludus solet corpori esse solatio; ita hujusmodi exercitatio est menti levamini; propterea lætis hisce studijs addicti cæteras solent ludorum oblectationes flocci facere: imò solet & ipsis volupe contingere eas respuere, quia ut scitè Tertullianus *lib. de spectacul. Nulla major voluptas quàm fastidium ipsius voluptatis*, cui succinit ejus Discipulus Cyprianus *libro de bono pudicitiæ*, ubi ait: *Voluptatem vicisse voluptas est maxima:* omirum nonnisi magnis, ac liquidis voluptatibus plenum esse potest id, propter quod omnis alia voluptas contemnitur; & quod contra cæteras animi ægritudines præsentissimum est alexipharmacum, eò quia sit menti levamini, ac solatio, verùmque propterea lætitiam ingerat.

91. Læta hæc studia, ac mitiores in humanioribus litteris exercitia laxandis animis perapta esse non diffitetur Synesius in Dione inquiens. Si varia est natura hominum, ejus tandem vita; quæ in contemplatione posita est, tædio succumbet, atque ita non nihil de ea magnitudine remissura, & quodammodo descensura est. Nec enim incorruptæ sumus, divinæque mentes, sed easdem in animantium animis insitas habemus. Et nostri ergo causâ, humaniores litteræ, quæque capescendæ sunt, ut se ipsam demittenti naturæ, quoddam velut perfugium, comparentur. Gratum enim & jucundum est, cum habeas, quo in proximum divertas: & animalis temperamento, quod nonnulla delectatione indiget, quantum sat est, tribuas, non procul excidere, neque omnem in vivendo sequi varietatem naturæ. Deus enim voluptatem animæ fibulæ instar inservit, cujus beneficio diuturnam in corpore mansionem sustineret. Tale itaque quidpiam est disciplinatum venustas: Non hæc ad materiam usque pertingit, neque mentem in imas facultates deprimit, sed subinde emergere, & ad naturam suam recursare permittit. Supernum enim illud etiam est, quod in hac vita infimum subsidet. Contra qui sinceræ voluptatis oblectamentum non habet (naturæ autem lenimento aliquo opus est) quid est quod agere possit, aut quonam se se convertet? An non ad ea, quæ ne memoratu quidem digna sunt? Nec enim naturæ modum excesserint, aut in defesso ad contemplationem animo esse dixerint, affectionisque omnis expertes, quasi carne circumfusos Deos se esse putaverint. Hactenus ille.

Non enim potest aliquid fingi delectabilius, quàm videre sedentem in Bibliotheca absque ulla itineris institutione, sine corporis defatigatione orbem peragrare universum, & quidquid est uspiam præclarum, & excellens metiri, oculis inspicere, ac omnia retroacta sæcula percurrere, résque gestas, & Regnorum ortus, progressiones, inclinationésque veluti præalta contemplari è specula; quid enim jucundiùs, quàm in tuto sedendo naufragia hostium videre sine metu, bella spectare sine periculo; interiora terræ viscera penetrare sine pavore, longè, latéque diffusos terræ tractus, percurrere sine defatigatione, peramplas orbis urbes ingredi, easque pertransire sine obice, Principum ædes ingredi sine repulsa, templorum subire sacraria sine sacrilegio, interesse consilijs Sapientum, audire Doctorum sententias, & ex Stoa transire in Academiam, ex Academia in Lycæum, & familiarissimè uti societate Zenonis, Socratis, Platonis, Aristotelis, Pythagoræ, Epicteti, Senecæ, & aliorum, eósque adeò benevolos sibi facere, ut eorum nemo non vacet, cùm volueris; nemo venientem ad se non doctiorem dimittat, & nemo, quem vacuis manibus à se abire patiatur. Quid enim lætius, quid jucundius, quàm circumfusum libris delibare quidquid est in Grammaticis accuratum, in Epicis amœnum, in comœdijs festivum, in tragœdijs sententiosum, 92.

sum, in lyricis excultum, in satyra salsum, in epigrammate acutum, in fabula ingeniosum, in eloquentia sublime, in Philosophia reconditum, in medicina necessarium, in Juris scientia utile, in Matematicis admirabile, & tandem in Historia varium? est adeo hæc Historiarum varietas jucunda, ut Lucianus inter hæc studia mitiora laxandis animis accommodata plurimum tribuat lectioni Historiarum. Quod etiam in Prætextati laude ponit Simmachus, de quo ait: *Eum remissa tempora, & à publicis negotijs feriata libris veterum ruminandis libenter expendisse.*

Lib. 1. histor. scribend. *Lib. 2. Epist. 88.*

93. Vir verò Religiosus sacris addictus studijs plenis faucibus, animi ebibit voluptates ex piorum lectione librorum, totóque pectore perfunditur Ambrosii ambrosia, Bernardi nardo, Hieronymi nectare, Augustini succo, Tertulliani medulla, Eucherij melle, Chrysostomi aureo imbre, Basilij alliciente suavitate, Cypriani illiciente elegantia, & aliorum Ecclesiæ Procerum, profusis delicijs. Imò si quis desideret etiam in ipso fonte divinam gustare dulcedinem, delibare suavitatem, habet in sacris voluminibus instructissimum lectisternium, seu ut loquitur Augustinus: *Angelorum ferculum, & Archangelorum pulmentum*, unde possit quis delicatissimè epulari, suavissimè refici, & jucundissimè innutriri: paribus enim cibis ita reficiebatur Alphonsus Aragoniæ Rex, ut regijs spretis voluptatibus, aulæque delicijs referente Ranulpho utrumque testamentum vetus, & novum adjectis etiam commentarijs quater decies perlegerit sine molestia, absque fastidio: id enim singulare inest litterarijs oblectationibus, ut sæpius repetitæ semper placeant, ac in ipsa satietate novam semper sui excitent appetentiam; quod minimè contingit in alijs præsertim corporis voluptatibus, quæ pedissequum solent fastidium secum trahere. Has qui ex hisce litterarijs fontibus delicias haurit, non verborum tantùm est auceps, sed collector præceptorum, ut ait Augustinus, quibus memoria ditescit.

Serm. 38 ad fratres in eremo. *Lib. 6. c. 1.* *In Psalm. 33.*

94. Tunc suo intellectus munere fungitur, cùm instar apis evolat per varios hortos, prata, agros, seu diversas Doctorum lucubrationes, in quibus ex diversis floribus, quod est optimum, exugit, & inde utiles æquè, ac dulces suos conficit favos, & quidquid per varias horrorum areolas dispersum invenit, id postea in unum collectum reponit in alveario, quod multiplici est cellula distinctum: intellectus siquidem apis instar argumentosæ, varios lustrat libros, quasi totidem hortos, & inde veluti in areolis non verba aucupatur, sed salubria delibat præcepta in alveario, seu memoria mox recondenda, hic seligit pias sententias, illic acuta responsa, alibi subtilia apophtegmata, ibi rariores Historias, istic utiliora vivendi præcepta, quæ singula simul conglobata distinctè in alveario collocantur memoriæ, quæ non verborum fucis, sed rebus est farcienda utilibus. Proprium est fuci fucos colligere verborum; apis verò dulcia mella præceptorum: quæ enim concreduntur memoriæ, talia esse debent, quæ digna sint memoratu, & quæ vitam excolant, non linguam ornent, quæ mores expoliant, non aures demulceant. Idque ut quis assequatur non tempus debet in ijs pervolvendis libris impendere, qui ut vulgaris fert parœmia, nonnisi de lana caprina, vel asini umbra tractant, sed ij sunt libri legendi, qui sententijs, pijsque monitis abundant: & hi non obiter, & perfunctoriè volvendi sunt, sed lentè, ac attentè legendi: sunt enim qui per libros volitant, perinde ac gallus gallinaceus per prunas: hi enim raptim, & saltuatim multa percurrunt, & nusquam insistunt, proinde quæ legunt, vix memoriæ hærent: lectio altiùs ut imprimatur, mentíque hæreat sit pensiculata, crebriúsque interrupta, & quæ lecta sunt, præsertim selecta expendi debent, ac frequentiùs memoria recoli, meliùs ut intelligantur.

95. Sunt etiam qui non videntur edere, sed vorare, & hi apud Plautum tubuccinantur plenis buccis, grandes quidem bolos properanter ingerunt, sed minimè digerunt, nec mandunt, sed deglutiunt; quibus tamen cibus est potiùs detrimento, quàm alimento: pari pacto qui multum legendo ingerit, parúmque expendendo digerit, is nonnisi vitiosè dicitur legere, & nonnisi vitia colligere. In id debet librorum lector incumbere studij, ut quæ legit, in propriam sciat utilitatem vertere, & si quid vitiosum in se deprehenderit, corrigere, ut mores componat, vitámque ad normam virtutis instituat: alioquin post plurimos in volvendis libris exactos annos, licèt sit quis ætate gravis, capillitio canus, adhuc erit in ipso ut ait S. Bernardus, *sermo multus, sed fructus nullus; vultus gravis, sed actus levis; caput canum, & cor vanum*; Rursus attendenda sunt, quæ in memoriæ promptuario reconduntur, quæque depromuntur, quia ex lectis, & collectis adhuc plura supersunt, quorum magis expetit oblivisci, quàm reminisci; hinc pulchrè monet Isidorus Pelusiota: *Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quàm primùm obliteretur; amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuò firma, & immota conservetur.* Injuriæ nobis illatæ, & contumeliæ contra nos prolatæ, ut statim è penu deleantur memoriæ scribendæ in aqua sunt, secus DEI beneficia, cœlestia consilia, monita salubria scribi debent stylo ferreo in ære, ut diutiùs memoriæ hæreant, & ære perenniùs persistant: hæc qui in volvendis libris studia adhibuerit, & nonnisi rebus utilibus memo-

Lib. 5. Epist. 288.

riam

etiam imbuerit, perinde ac divinum oraculum loquens ex cortina nonnisi effata proferet, quibus vel Momus ipse plauserit.

96. Ut igitur habeat memoria copiosam rerum illustrium in suo promptuario supellectilem, necessaria est selectissimorum lectio librorum: non refert multos habere, qui volvantur, sed boni, qui eligantur, & legantur. Non enim sufficit ad referendam utilitatem, ut quis legat, sed necesse est, ut legenda seligat, inter quæ videtur etiam præferenda jucunda historiarum selectio, est enim historia teste Gregorio Nazianzeno conglobata quædam, & coacervata Sapientia, hominúmque multorum mens in unum coacervata. Inter omnia, quæ sub sensus, & vota cadunt hominis nil potest jucundius fingi, optabilius expeti, quàm in quovis rerum eventu eodem semper fortunato gaudere successo, & in quovis negotio vel sibi cum laude, vel alteri cum fructu consulere, & posse itidem se, aliósque præsentissimo eripere periculo, & ad quævis, quæ proponuntur dubia, apposité, ac prudenter respondere, levíque negotio quæ ab alijs objiciuntur refellere; hæc autem omnia is enanciscitur, qui historias volvit: vocatur propterea historia à Sapientibus lux veritatis, & speculum vitæ, in qua conjuncta utilitati jucunditas plurimum pretij, & admirationis conciliat: quia dum legendo per varios Historiarum libros oculis, & animo quis vagatur, potest inde veluti in unum cumulum coacervare omnium ætatum, hominúmque doctissima responsa, ac saluberrima consilia: ibi solertes inveniuntur rationes pericula evadendi, negotia instituendi, Martia stratagemata adinveniendi, & hæc omnia sua facit, qui aliena legit.

Epist. ad Nemesium.

97. Idque causæ, cur Historiarum oblectatione maximos quosque Principes captos fuisse legimus, scimus Carolum V. Imperatorem ad summam gloriam regiminis provectum fuisse, eò quia eidem adhuc adolescenti ab Adriano Institutore instillata fuerint principia ex libris Regum, Ducum Hebræorum, quia ut scitè scribit Seneca: *Consilium futuri venis ex præterito*, quamvis enim in rebus humanis sæcula unà cum personis intereant, causæ tamen, & eventa eadem sæpius occurrunt; & nil jucundius potest homini obtingere, quàm quæ ipsi nunc occurrunt, deprehendere, jam pluribus abhinc sæculis alijs obtigisse, ac feliciter hac, vel illa speciali ratione ea evasisse, quæ noxia tunc erant; & quæ commodo hoc vel illo adminiculo fuisse consecutos: hæc est jucunda illa utilitas, quæ si profanis historijs pretium conciliat, multo magis sacris, in quibus plus amœnitatis, dignitatis, ac fructûs efflorescit: siquidem Historia sacra ita veritatem cum varietate consociat, ut legentis simul intellectum cœlesti quodam radio illuminet, simúlque voluntatem efficaci inflammet virtutis affectu: est sacra præsertim historia lux veritatis, quia veritas sic in ipsa refulget, ut candore quodam admirabili, pulchritudinem ostendat sine fuco, & suo splendescens nitore adscititium respuit colorem; dixeritque propterea Augustinus de serm. Dom. in monte: *Etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur*: & de hac sacra Historia videtur dixisse Regius Psaltes: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: quia Historia perinde ac splendescens prævia lucerna securè euntem ducit inter varios tam pacis, quàm belli temporis flexus; est sacra præsertim Historia speculum sine macula, nulli eblandiens, neminem fallens, sed omnes instruens, & reddens cuique suum, imò citra cujusquam injuriam etiam alienum, ut aliorum vel periculo vitemus fugienda, vel emolumento amplectamur sequenda.

Epist. 13.

Lib. 1. c. 21.

Psal. 118.

98. Fructus, quos, Historias qui volvit, utiliter carpit recenset Maximus Tyrius dissert. 11. ubi dilucidè ostendit lectioni Historiarum inesse quidquid honesti, vel utilis, aut jucundi expeti potest, ait ipse: *Nihil est jucundius, quàm in Historia versari, quàm sine labore ullo posse divagari, omnia simul loca intueri, omnibus bellis sine periculo interesse, infinitum temporis spatium contrahere, infinitas res gestas simul cognoscere, quæ ab Assyrijs, quæ ab Ægyptijs, quæ à Persis, quæ à Medis, quæ à Græcis facta sunt. Bello nunc terrestri, nunc marino, nunc concionis mediæ videri interesse consilijs. Cum Temistocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Agesilao trajicere, cum Xenophonte incolumem redire; amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quòd si sapiens ea de causa dicatur Ulysses, quòd vafer esset, multorúmque hominum mores lustrâsset, & urbes; dum sibi, dum socijs reditum; paritérque salutem apparat; Multò sapientior est, qui extra periculum, Historia lectione se explet. Charybdim videbit, sed sine naufragio: syrenes audiet, sed sine vinculis; cum Cyclope aget, sed miti, & placato.*

99. Tanti fecerunt viri lætis hisce addicti studijs gaudium, quod ex ijsdem haurire consueverant, ut cæteris illud facilè voluptatibus, ac delicijs prætulerint. Refert Suetonius Viros quosdam amœnioribus hisce assuetos studijs à Tiberio in carcerem detrusos, extremi supplicij locò sibi esse putâsse, ac se prope mortuos efferri, ac spirantes infodi, eò quia sibi præter ereptam libertatem, studendi quoque solatium ademisset, sine quo quodvis otium mortem esse censuerunt, & illud præsertim, quo marcescunt qui in carcere cum ignominia detinentur detrusi. Læta enim studia, amœniorúmque

Cap. 21.

rúmque exercitia Musarum, quemadmodum inter prospera arridentis fortunæ blandimenta plurimum solent ornamenti adferre; ita inter adversa, & novercantis fortunæ incommoda habentur locò refugij; eò quia eorum beneficio avocentur adversantibus agitati, & ærumnis pressi à molestijs, quibus miserè torquetur animus: hinc Marsilius Ficinius cuidam suo amico de sua fortuna conquerenti per litteras respondit; *Confugiendum esse ad Minervæ templum, quæ sola contra fortunæ procellas, & fulmina tegimur;* & hoc muniti clypeo ictus retundere adversariorum feliciter valuerunt etiam primi in republica litteraria homines, cujusmodi fuerunt Seneca, Cicero, & Boëtius, quibus studia levamentum fuêre doloris, & laxamentum animi inter angustias carceris: & certè locus ubi vir assuetus studijs litterarum cessare cogitur ab hoc læto exercitio, non potest non esse illi Atheniensium barathro intolerabilior, Tulliano Romanorum, & Latomijs Syracusanorum laboriosior; quapropter Favius Quintilianus in Proœm. de se ipso in magna constituto consternatione ob mortem filij ait: *Vivimus, & aliqua vivendi ratio quærenda est, credendúmque doctissimis hominibus, qui unicum adversariorum solatium litteras putaverunt inter humana vitæ procellas, & tempestates, Alcedonia quærenda in tranquillo aliquo mari litterarum.*

100. Sunt itaque læta studia amœniorúmque exercitia Musarum ingenuæ voluptatis pellucidus fons, fessæ mentis levamen, consternati animi solatium, & curandis morbis omnibus animi præsentissimum alexipharmacum: imò sunt hujusmodi studia omni deliciarum promptuaria, sive hæc exerceantur à Discipulis proficiendi gratiâ, sive à Magistris, ut inquilinis Parnassi: & Tullius ad Atticum scribit, se magis oblectari litterarum voluptatibus, quàm omnibus Puteolorum, ac Locrini delicijs inquiens; *Pascor Bibliotheca Fausti, fortasse putas his rebus Puteolanis, & Locrinensibus, sed me hercule à cæteris oblectationibus deseror, & voluptatibus propter rempublicam (afflictam utique) sic litteris sustentor, & recreor:* & lib. 2. de offic. Philosophicum studium dicit esse requiem curarum, eò quia fessæ menti sit solamini, & à molestijs hominem avocet; hinc etiam de Epiphanio Ticinensi Episcopo dixit Enodius in ejus vita; *quòd utebatur lectione pro requie, librorúmque venerabilium pro blandimentis instrumenta suscipiens:* & quidem non potest non ingens esse ea voluptas, quæ ita tollit doloris sensum, ut sensu carere, qui patitur, videatur, idque intelligens Ferdinandus II. nulli Imperatori virtutum exercitio, ac librorum lectione secundus, licèt innumeris distractus negotijs; cum eidem uni totius Imperij procellosa bellorum undique fluctibus agitati moles incumberet, qui propterea præcelsa veluti in specula constitutus custos advigilaret omnibus impendentibus periculis perspecturus; & quamvis veluti Nauclerus, & gubernator in puppi tot inter fluctus bellorum decumanis turbulentiores indefessâ dextrâ clavum regeret Imperij; adhuc tot inter occupationes & curas, sex ipsos Surij Tomos, quibus Author omnium sanctorum res præclarè gestas fusè complectitur sexies evolvit præter alios complures libros; & tantum erat solatium, quod ex hac haurire consueverat lectione, ut dicere consueverit; se malle vivendi, quàm legendi facultate carere.

Imò non solùm hujusmodi lectio fessæ menti est levamini, verùm etiam spiritui emolumento pro assecutione salutis. Refert D. Augustinus, floruisse suo tempore duos in aula Principis Proceres mundi delicijs penitus irretitos, honorum vel maximè cupientes, divitiarum avidos, ac cupiditate rerum fluxarum plenos; & cœlestium, quæ nulli sunt interitui obnoxia; vacuos. Rapiebantur scenis theatralibus, delectabantur spectaculis Circensibus, epulabantur splendidè, frequentantes convivia, tripudia, lusus, nulla erant oblectamenta, quorum non essent & ipsi participes, nullæ voluptates, quibus non diffluerent, nulla lenocinia, quibus non afficerentur. Quis hos aulæ Proceres, deliciarum alumnos, & homines terrenis penitus affixos voluptatibus, immersos delicijs, addictos vanitati valuisset ad frugem vocare saniorem, & ad meliores convertere mores? Quis potuisset ijsdem suadere ea adversari, quæ toto animo cupiebant; odisse, quæ intensiori affectu diligebant; fugere, quæ avidissimè sectabantur; abjicere quæ possidebant; contemnere, floccique facere, quæ summo ijsdem erant in pretio? Certè nec Tullius flexanima sua eloquentia eos flectere valuisset ab inchoato instituto, nec Demosthenes vi suæ orationis, nec Aristoteles nervo suorum argumentorum, nec Cato pondere suæ authoritatis potuisset contraria persuadere ijs, quibus jam assueverant mundi voluptatibus; & tamen id abundè ijsdem suasit liber unicus brevissimo tempore, non sedulò lectus, sed leviter inspectus, imò ab uno tantùm lectus, & ab altero duntaxat auditus; cùm enim Proceres illi Palatini casam fortassis cujusdam Eremicolæ fuissent ingressi, fortuitò librum super tabulam repererunt, in quo scripta erant acta S. Antonij; incesserat curiositas alterius animum legendi librum illum, sed vix paucas inspexit lineas, & statim uterque mundum despexit: ambo res omnes suas deserverunt, quo inciperent esse sui; capti amore solitudinis ab hominum se frequentijs subtraxerunt, eìmque essent mundi voluptatibus assueti, molles, & holosericas vestes cum sacco commutarunt

Lib. 4 epist. 9.

Lib. 8. confess. cap. 6.

101.

tárunt pannoso, & convivijs jejunia succeſſere; tripudijs, & luſibus corporis macerationes, ac ſenſuum mortificationes: tanti refert, ut ſit quis paucos inter electos; vel pauca à pio libello ſeria haurire lectione.

102. Debet tamen ab hisce lætioribus ſtudijs, ſcriptionibus, lectionibus, ac Muſarum mitioribus exercitijs ad animum laxandum uſurpatis quævis ablegari obſcœnitas, quæ omnem corrumpit honeſtatem: & eſt vulgaris illeſcopulos, in quem ſolent plures impingere, præſertim quibus adhuc ſanguis ebullit in venis, & ætas floreſcens ad turpia trahit: ſunt enim, qui has ſcriptiones, lectionésque, niſi aliquid admixtum habeant obſcœnitatis impares putent animo exhilarando, mentique à curis levandæ: & quidem Plinium alias virum ſeverioris diſciplinæ in eodem fuiſſe errore verſatum conjicitur, ubi agens de ſuis Hendecaſyllabis ait: *Si nonnulla tibi paulò petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuæ, cogitare, ſummos illos, & graviſſimos viros, qui talia ſcripſerunt, non modò laſcivia rerum, ſed ne verbis quidem nudis abſtinuiſſe. Quæ nos refugimus, non quia ſeveriores (unde enim?) ſed quia timidiores ſumus. Scimus alioqui hujus opuſculi illam eſſe veriſſimam legem, quam Catullus expreſſit,*

Ex lib. 4. epiſt. 14.

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum; verſiculos nihil neceſſè eſt:
Qui tunc denique habent ſalem, & lepôrem.
Si ſunt molliculi, & parum pudici.

103. Eſt utique hæc obſcœnitas animis corrumpendis, quàm levandis aptior, proinde ferenda non eſt hujuſmodi corruptela, & ejus abuſus omnino deteſtandus. Abſit à chriſtianis mentibus illud amœnum ducere, ac hilare exiſtimare, quo mores corrumpuntur, & animus conſpurcatur; præſertim cum caſtimoniam labefactet, & virtutes omnes evertat: exſcindenda omninò eſt hæc peſſima conſuetudo, damnandus hic abuſus, quem graviſſima oratione inſectatur Vives, in ijs, qui cum lectione remittendi ſunt animi, nonnullos libros de amoribus, armiſque conſcriptos putant eſſe legendos; & eos præſertim qui de amoribus peſtem continent, quâ probi mores inficiuntur, & virtutes ſingulæ vel exareſcunt, vel corrumpuntur: proinde miratur præfatos author, ſufferri inter chriſtianos, ut è putidis hiſce fontibus librorum amatorias continentium obſcœnitates, hujuſmodi peſtiferi hauriantur rivi, quibus totus homo inficitur. Pudor ſanè eſt, quòd Chriſtiani eos non erubeſcant amatorios libros pervolvere, quos Ethnici olim Principes gravioribus ſupplicijs in ſuos animadvertentes authores proſcripſerunt, ut noxios probis moribus, & vitijs viam emollientes. Tolerabiliores eſſent libri, qui res militares proſequuntur, neque eorum lectio ad animi remiſſionem ſuſcepta per ſe loquendo culpanda eſſet, nec vitio danda legenti, ſi quavis eſſent repurgati obſcœnitate, & de veris duntaxat rerum anteriorum ageretur narrationibus; ſed quia plerumque fabulamenta quædam, & figmenta continent ſcriptorum nulla ſubnixa veritate, meritò improbantur, eò quia cùm paucis veris plura admiſceantur ficta, & mentita: quid aliud erui, ex ea poteſt lectione, quàm ſimplex temporis jactura, cum per nugamenta pluribus intexta mendacijs ineptiens otioſitas deludatur?

Lib. de inſtit. chriſt. fœmin. cap. 5.

104. Neque hanc excuſant inanitatem, qui eam lectionem fallendo duntaxat tempori, animóque laxando horis ſucciſivis aſſumunt; quia cùm ſit tempus rerum omnium pretioſiſſimum ejus jactura tanti plus æſtimanda eſt, quanti eſt tempus pretioſius, cujus diſpendium lugendum potiùs eſſet, quàm ridendum ineptè: deterrimè ſiquidem fallitur tempus ex lectione, quæ animo uberis inhoneſtatis ſit ſeminarium: & cum eſſet animus nobilioribus duntaxat ferculis inutriendus, glandibus tantùm, & ſiliquis veſcitur, iiſque delectatur. Satiùs, & utiliùs tempus illud ſucciſivum impenderetur in volvendis probatis Sanctorum hiſtorijs, libríſque aſceticis, qui pietatem redolent, & inſtillant.

§. IX.

Ludicra facetiæ, ſi obſcœnitatem redoleant, impares ſunt, animo honeſtè laxando: non colloquia his ſalibus condiuntur, ſed virtutes corrumpuntur.

105. Cum enim mens ea linguæ duntaxat ſuggerat, quæ ipſa fovet, ac complectitur, & ex libris obſcœnitate cœnoſis nonniſi turpia hauriat, quibus inficitur, ac fœdatur; hæc duntaxat linguæ ſuppeditat, à qua propterea nonniſi turpiloquia, & obſcœni ſermones prodeunt, quibus & piæ aures læduntur, & probi adſtantium mores corrumpuntur. Quod enim de lectione, & ſcriptione obſcœna dicitur, id de turpiloquio, lœſoriſque in alios intortis, quibus ſolet inſulſitas condiri colloquiorum improbatur. Sunt enim, qui volunt faceti exiſtimari, imò & Moriones audiri, dummodo adſtantes exhilarent, & ſibi ipſis ſint ſolatio. Quid indignius, quàm turpia loqui? quid turpius, quàm obſcœna effutire ſcommata? An non damnandus eſt Poggius, qui libros, quos de facetijs ſcripſit hujuſmodi luto inquinavit? unà cum Poggio redarguuntur plerique alij, qui ludicra ſcribere neſcierunt, quin cœno fœdarent obſcœnitatum, de quibus Sidonius ſcribens Amico, cui adgratulatur, eò quia contubernia fugeret impudicorum, ait: *Quibus nihil penſi, nihil ſancti eſt, in appetendis, garriendiſque turpitudinibus: quique quod verbis inverecundis aurium publicarum reverentiam inſeſtant*

Lib. 3. epiſt. 13.

ceſtant, granditer ſibi videntur facetiari: quod ſanè indigniſſimum eſt, cum nonniſi turpitudinem redoleat; non enim poteſt quis turpia loqui, quin cœnoſas ſpecies in aures mittat audientium, quorum propterea mens fœdatur, & cum impudentibus illis oppletur ſpeciebus, ad ſimilia excitatur ſcelera: hinc D. Ambroſius graviſſimè conteſtatur, hunc eſſe frequenter verecundiæ ſcopulum, totiúſque naufragium probitatis, proinde nos ſeriò monet, ut hujuſmodi facetiarios, turpiloquia effutientes omninò caveamus, eò quia ſub ſpecie jucunditatis venenum propinant iniquitatis: & ſi aſſidui ſint in convivio, ludo, non ſolùm gravitatem virilem enervant, ſed maſculam evertunt virtutem; *Caveamus*, ait Ambroſius, *ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum:* non enim hujuſmodi jocoſi ſermones, ac ludicræ facetiæ pares ſunt animis laxandis; bene tamen virtutibus evertendis, harmonicóque concentui ſolvendo. Nec eſt, quòd turpiloqui pro vulgari condimento obtendant duntaxat uſurpari à ſe lepôres, at ſales: quia licèt non ſemper ſales, quibus colloquia condiuntur, improbentur, non tamen ij probantur, qui non ſermonem coadiunt, ſed pudicitiam corrumpunt.

196. Fateor aliquos eſſe ſales, qui ſerijs immixti ſermonibus feſſæ menti ſunt levamini, preſſóque cutis animo ſolatio; non verò ſi obſcœnitatibus miſceantur, quia tunc corrumpendis moribus aptiores deprehenduntur. Ut ſale aſperſo conciliatur cibis ſapòr, ait Fabius, ita verborum ſalibus excitanda tantùm eſt audientium ſitis, ita tamen ut mores non coinquinentur, nec ulla ingeratur prava ſpecies, quà virtus detrimentum patiatur: non enim viro ſapienti, ac probè morato faceta, & amœna videri poteſt ea lutulenti ſermonis ſpurcitia, quam turpiloqui adhibent, quos Salvianus acriter redarguit, inquiens: *Nobis gaudere, & ridere non ſufficit, niſi cum peccato, atque inſania gaudeamus; niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitijs miſceatur. Quis rogo, hic error eſt, quæ ſtultitia? Nunquid lætari aſſiduè, & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum, atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An fortè infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? quod rogo, hoc malum eſt, aut quis furor? rideamus, quæſo quamvis immenſuratim, lætemur, quamvis jugiter, dummodo innocenter. Quæ vecordia eſt, & amentia, ut non putemus riſum, & gaudium tantis eſſe, niſi in ſe Dei habeat injuriam.* Cui etiam ſuffragatur Petrus Chryſologus in obtendentem ludicris impijs jocos, alloquitur virum miſcentem obſcœna facetijs, ac jocoſis ſermonibus, & ait: *Erras homo: non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit? de ſacrilegio quis jocatur? piaculum quis dicit riſum? ſatis ſe decipit, qui ſic ſentit, qui ita jocari cum Diabolo voluerit, non poterit gaudere cum Chriſto. Nemo cum ſerpente ſecurus ludit, nemo cum Diabolo jocatur impunè.*

Lib. 6. Inſtit. cap. 3.

Serm. 155.

Non à turpiloquio, obſcœniſque ſermonibus tantùm abſtinendum eſt, verùm & ſcommata, at verba læſiva declinari debent, ſunt enim ſcommata, quibus ſpecie facetiarum acerbus plerumque infigitur aculeus, quo aliquis ex adſtantibus ſemper vel pungitur, vel vulnere licèt incruento transfigitur: ſecat enim lingua, ut novacula; ferit ut gladius; & exlex nemini parcit, ubíque ferit, & vulnera infligit, cum ſcommata in alios evibrat, ſævit enim ut beſtia, & rationis expers more brutorum furore irrationabiliter ferocit; & ſerpentis inſtar venenum, quod ſine ſua pernicie continet cum alieno damno effundit: hinc David contra Doëgum Idumæum conviciantem, & atrociter calumniantem ait, eum alloquens: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua,* injuſtitiam vocat dolum, pernicioſam fraudem, & verba ad aliena damna malitioſè compoſita: Sed quid? quòd David hanc iniquam vafritiem ore continuatam linguæ vocet cogitationem? Scimus linguam Doëgi Idumæi meditatam perniciem, diùque animo deliberatam, ac diuturna cogitatione agitatam, non per imprudentiam, ſed ex deſtinata, ac præmeditata malitia locutam fuiſſe. Si igitur mentis eſt cogitare, & linguæ loqui, cur Propheta tribuit linguæ, quod opus eſt mentis, & cordis? Si cogitare ad intellectum pertinet, quomodo lingua dicitur toto die injuſtitias cogitare? cur nobile intellectûs munus, linguæ tribuitur maledicæ? An ſuperba ambitio linguam etiam inflavit, quæ cordis, rationis, & arbitrij excellens munus, nobile officium ſibi præſumeret uſurpare, quo majori authoritate de alienis defectibus videretur garrire? imò & alienam etiam innocentiam aculeatis ſcommatibus ferire, ac ſauciare? nimirum exanthoratur mens, ut auguſtus rationis thronus, ac rationalis cogitatorij ſolium in linguam ſcommata, & convicia effutientem transferretur? ne quod illa garrit, inconſultum cenſeatur, ſed potiùs de prudentiæ arbitrio conſultiſſimum; quapropter mens ſuo videtur Principatu deſtitui, ne principe authoritate linguæ refragetur facinoribus, omniſque mentis ſupellex, & arbitrij dominium transferatur in linguam, à qua ſcommata, & convicia prodeant, ut à conſultiſſima ratione, animóque ſagaciter cogitante, ac veritatis amante, & ideo tribuit Regius Vates linguæ, quod munus eſt mentis, & officium cordis, quo magis linguæ proderet malitiam, ejúſque detegeret venenum, cùm non inconſideratè, nec per imprudentiam ſcommata acuat, ac convitia evibret, ſed præeunte diuturna animi conſideratione, mentiſque deli-

197.

Pſal. 51.

bera-

beratione, quâ in alienam insurgit perniciem, *tota die injustitiam cogitavit lingua tua.*

08. Imò non tantùm injustitias cogitat lingua, verùm etiam ut novacula secat, ferit, & ubique strages spargit, pergit Regius Vates. Psal. 51. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum*, æquiparat novaculæ linguam convicia effutientem, & scommata proferentem; quia sicut novacula, si præter expectationem aberret, carnem secat, vel etiam jugulum loco capillorum; ita lingua maledica præter opinionem atrociter lædit. Non me latet D. Psalm. 51. Augustinum in Psalmū 51. novaculæ usum ad Judices transferre, quia sicut barbitonsores solent novaculâ barbæ resecare superflua, ita Judices facultates, & opes, quæ veluti crines hominem exornant, absumunt, ac depillant, ait ipse: *Quare dolum potentia mala novaculæ comparavit? quia non admittitur nisi ad superflua nostra.* Verum hæc Augustini sententia flecti etiam potest ad linguam lædurias, & scommata effutientem aculeata, quia cum detur homini in ornatum lingua, ea abutitur homo; ut hominem devenustet, inflictisque vulneribus Lib. 3. offic. cap. 11. sauciet: pulchrè S. Ambrosius expendens verba Psalmistæ: *Sicut novacula acuta fecisti dolum*: ait: *Nequitia arguit proditorem, eò quòd instrumentum hujusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plerumque ulcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, dolúmque nectat Doëgi proditoris exemplo, instrumenti istius comparatione censetur, quod ebria mentis, ac titubantis vitio manus vulnerare consuevit.* Quam aptè novaculæ acutæ lingua pariatur, quia sicut novacula acutissima est ad expeditiùs secandum: vix quidquam est acutius dolo, quem lingua maledica composuit.

109. Sicut igitur solet novacula ad ornatum adhiberi, & tunc vulnus infligit cum suo fungens munere, exerrat, & quidem eò graviùs lędit, quò ornatum quærens ictum invenit: ita lingua quę ad hominis adhibenda esset ornatum, nimirum ad aliorum commendandas virtutes, & merentes laudandos, si tamen ad hunc non collimet scopum, sed aberret, & quos laudare debuerat, vituperet, scommata proferens, convicia vibrans, tunc sicut novacula acuta facit dolum, & deflectens à suo fine eò lethaliùs sauciat, quò graviùs alienum lædit honorem. Hinc Cap. 3. D. Jacobus in sua Epistola ait: *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna*, quia adeò est lingua exitialis, adeò singula adurit, inflammátque circumactam vitæ nostræ rotam, ut videatur conflata in gehennali fornace, ignéque tartareo inflammata succendere rotam, cursúmque totius vitæ exagitare, ac absumere, dum sulfureas passiones, & appetitiones humanas flabellat, & sufflammat, quò ad scelera inflammentur, ad delicta accendantur, ut tartareo in specu totus homo gehennales luat pœnas, ut subindicat Gilbertus Abbas *in apendic. ad Cant. S. Bernardi* inquiens: Serm. 20. *Appositum est cor hominis in malum ab adolescentia sua, à prima nativitate, nescit cursum inflectere; & tu illam linguâ pravâ impellis ampliùs, & inflammas? lingua prava iracundiæ, & indignationis occasiones requirit, injurias vel falsas simulat, vel veras exaggerat, quas debuerat dissimulare: ad offensam officia etiam interpretatur, & venenati sermonis scintillas adhibet ad commovendum cor suum. Quid linguæ tanquam cordi suo talem adhibes flammam? sufficiat illi flamma sua, sufficiat illi concupiscentiæ ardor carnalis, & levitatis calor innata, quibus cor suum perinde ac volubilis rota impellitur. Noli ignem igni adhibere, & concupiscentiæ addere malitiam; ignem hunc, quem evomis, hauris de gehenna, inde incipit, & illò rapit.* Hactenus subtiliter Gilbertus de hominis lingua inflammata à gehenna, cujus venenati sermonis scintillæ perdunt, quos tangunt: sunt enim hujusmodi scintillæ gehennales ira æstuans, concupiscentia ardens, invidia torquens, odium lacerans, & reliquæ passiones, quas lingua excitat, & inflammat. Occludendum propterea est os hujus fornacis ostio taciturnitatis, ne gehennalem ignem igni addamus cupiditatum, & concupiscentiæ malitiam: tunc enim lingua hanc suppeditat malitiam, cùm vel turpiloquiis, obscœnisque sermonibus, concupiscentiæ excitat æstus, vel scommatibus, & convicijs iram accendit, odium, & reliquas pravas passiones commovet: hæ siquidem plerumque quiescentes, obloquentis linguæ incentivo efferantur, & tunc lingua concupiscentiæ addit malitiam, & ignem, quem ore evomit, haurit de gehenna, à qua cum inflammatur, etiam rapitur. Quis non timeat has gehennalis fornacis scintillas, quis non satagat taciturnitate os obstruere tam perniciosæ fornacis, cujus flammâ voraci cinerescunt virtutes, & totus homo perit.

Imò adeo est lingua effrœnis, ut nullus 110. hominum compescere eam valeat Jacob. 3. *Linguam autem nullus homo domare potest*, tametsi cicurentur sylvarum feræ, & ad hominis arbitrium obsequantur, regantur; lingua tamen domari haud potest, vocatúrque propterea à Nazianzeno indomabilis, effrœnis, & exlex; non quia non sit lingua legi obnoxia, sed quia hanc recusat subjectionem, & omne excutit jugum, quò inde liberiùs, & exlex scommata, læsurásque effutiat. Sed falsitatis plerumque rea, & mendacijs garrula, multis frequenter vapulat. In multiloquio mendacium faciliùs accersitur, & qui multa loqui didicère fallere, & mentiri non sine alterius læsione assuescunt. Declinaturus David commotas Saulis iras in desertum secesserat Engaddi; cúmque Saul tria millia ex suis selectioribus

assum-

assumpsisset militibus; exivit quæsiturus Davidem, quem perderet; cùmque montem conscendisset, ac ventrem exoneraturus speluncam fuisset ingressus, in qua David cum suis locijs latebat, surrexit statim David, & *pracidit oram chlamydis Saul silenter*, & cum Saul surrexisset de spelunca, secutus eum fuit, & David, qui post tergum Saul clamavit, dicens: Domine mi Rex, & cùm pronus in terram adorâsset, dixit ad Saulem Regem. *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: vide, & cognosce oram chlamydis tua in manu mea, quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tua noluì extendere manum meam in te.* Totus fuit tunc David, ut facto nervosiùs, quàm verbo probaret, se vitæ Saolis minimè insidias struxisse, sed potiùs eam servâsse, cum potuisset facilè Saulem occidere.

1. Reg. 24.

111. Quærit tamen hìc Chrysostomos quomodo potuerit Saul rei hujus testis esse, cum nec Saul audierit ipsum Davidem suos coërcentem satellites, nec ei potuerit innotescere, quæ in spelunca silenter inter Davidem, & suos milites contigère? propterea si David ad id Regi suadendum suorum allegâsset militum testimonium, quò suum verosimilius haberetur; utrumque refutari potuisset; quia tametsi verum protulissent, non propterea credibilem fecissent veritatem, quia propria causa proprium recusat testimonium, veluti defectu proprio corruptum: & hæc ratio cur maluerit David res ipsas adferre, quàm lingoas, & propriam, & suorum militum proferre; laciniam chlamydis in testem obtulit veritatis, qua potis os fuit obturare negantium veritatem: pulchrè Chrysostomus. *Ecce lacinia chlamydis tua in manu mea, quam abstuli, nec occidi te. Mutus quidem testis, sed omnibus vocem habentibus evidentior.* Seu optimus testis, & inde certior, qoia minus vocalis, & inde evidentior, quia obmotescens: lingua enim tametsi nonnisi vera loquatur, adhuc falsitatis est suspecta, proinde David re, & facto evidentiùs, quàm voce, & linguâ, voluit probare se vitæ non insidiari Saulis, sed potiùs eam servâsse, cùm nil ipsi intulerit damni, cùm facilè potuisset eum in spelunca occidere. Quamvis res ipsa, quæ ad aliquid convincendum producitur, mutus sit testis, omnibus tamen vocem habentibus est evidentior; quia lingua tametsi modico intervallo distet à corde, frequentiùs tamen ab ipso discordat, & veritas in lingua veloti in lupanari obviæ facilè prostituitur mentiendi libidini.

Homil. de David & Saule.

112. Quòd si non mendacijs tantùm, verùm & scommatibus, convicijsque assuescat lingua ab omni exulat probitate: vir enim probus nec scommata, nec convicia profert, quæ illis duntaxat licent, qui in scœna ludunt; ubi enim turpitudo, ibi & urbanæ facetiæ, & ubi risus intempestivus, ibi verba noxia, & convicia, quibus alienus honor dilaceratur; vir probus à facetijs prorsus abstinet, linguam habet homo, non ut alios suis mordeat salibus, suis saociat scommatibus, sed ut debitas Deo rependat gratias; facetijs, qui student, moriones sunt, quibus videntur, & illicita licere, ut hero placeant: parasitis potiùs, mimis, ac saltatoribus convenit scommata in alios torquere, quàm viro ingenuo: non enim decet, virum probum esse urbanè facetum, id enim viri ignobilis turpis, & obscœni est proprium: viro enim urbanè faceto nil impudentius, cujus propterea os non gratiâ, sed dolore est plenum, & ejus harmonia hiulca est, imò cariosum, ac marcidum ædificium, è quo pietas abigitur, & virtus exulat. Non sunt igitur animi remissiones in hisce facetijs, & jocis quærendæ, habent enim suos aculeos, quibus vulnera infligentes, lachrymas potius eliciant, quam risum moveant, dicuntur à Latinis hujusmodi facetiæ dicteria, jocique verborum aculeati, ut ex Tullio notat Macrobius *2. Satur. cap. 1.* Græci verò scommata dicunt, seu morsus figuratos teste eodem Macrobio, qui persæpè fraude, vel urbanitate teguntur, & tantò pressiùs hærent, quantò altius læsuræ, & contumeliæ perinde, ac hami angulosi, directique mucrones tenaciùs infiguntur. Congerit Macrobius utròque præallegato loco plurimos hujusmodi jocos Augusti præsertim, & Tulij, quos in festivis hisce argutijs præcelluisse satis exploratum est, ut etiam ex recentioribus clarus est Brusonius.

In suo opere de facet.

113. Eliminanda igitur sunt hæc scommata, seu verborum mellitorum jacula, quæ placent, & nocent; aures mulcent, & honorem feriunt: Sunt enim, qui hisce, cùm delectentur jocis figuratis, student convicijs stulta fatigatione compositis, sale quidem aliquo conditis, sed quæ pluribus accincta sunt plagis, ac mortiferis insuper vallata supplicijs, quia quamvis lætitiam excitent ad odia tamen frequenter incitant: unde cavendum, ne scenico sermone alter alterum lædat, & theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat: solet enim vaniloquium urbanè facetum motus excitare animorum, & scintilla sub initium parva flammas plerumque accendit, quæ frequenter in exitialia incrementant incendia.

§ X.

Lusus honesti, qui magis arte, & corporis agitatione reguntur, quàm fortunâ, si frequentes non fuerint, animo laxando peridonei habentur.

Rerum potiùs, quàm verborum lusu est animus laxandus, dummodo nec honestati lusus adversetur, neque vitijs indulgeat, cujusmodi sunt hi lusus, qui magis 114.

arte,

arte, ac corporis agitatione, ac agilitate reguntur, quàm fortunâ; in alijs enim, qui à fortuna videntur dependere, majùs adest periculum, ne vitium aliquod irrepat, ut quod aleator inde lucrum captet, unde non deberet; & emungat, quæ alij habent, quibus dari potiùs oporteret, scilicet amicis, & familiaribus: hinc S. Ephrem *Opuscul. de abrenuntiatione facta in Baptismo* refert mulctam ab Apostolis aleatoribus constitutam: & Ennodius illud potissimum in aleatore exagitat, quia crescente certandi curâ, ac deficientibus pecunijs agrum, quo parentum corpora condita fuerant, ludo addixisset: & S. Cyprianus quosdam recenset aleatores, qui integra sua patrimonia paucis dilapidaverint horis, & ut homines ab hocce avertat lusu adjuncta recenset aleæ scelera, turpitudines, comessationes, execrationes, pejerationes, convicia, impatientias, mandras mendaciorum, & alia hujus ludi pedissequa vitia, addítque inventionem hujus ludi à Satana esse, cui & institutum fuisse olim ante lusum sacrificium recenset, propterea aleæ tabulas diaboli venabulum, ac manifestum appellat laqueum: postea ad Christianum aleatorem retorquens sermonem, postulat, *quòd manus, quæ jam ab injurijs humanis expiata est, & ad sacrificium dominicum admissa, & quòd ad salutem totius hominis pertinet, dignationes suscepit* (nimirum pro vetere more Eucharistiam virorum concavis manibus immittendi) *quæ ad laudem Domini in oraculo exsurgit, quæ signum crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit, quæ divina sacramenta consummat, iterum laqueis diaboli unde exuta est implicetur* (per aleam) *& per se ipsam damnetur.*

115\. Solet contra aleam illud proferri Chilonis Lacedæmonij ad Corinthios de pace legati, qui re infecta in patriam redux, execratus quidem Corinthiorum aleam, negavit quo fas sibi visum ea labe Spartanam gloriam maculare, quòd dicerentur Spartani cum aleatoribus amicitiam inivisse, & societatem contraxisse. Notum est etiam illud Regis Parthorum, qui ad Demetrium Regem probri, ac vituperij causâ taxillos aureos misit: ex quibus satis conjicitur hanc animi remissionem, quæ hujusmodi ludo suscipitur illini plerumque fœditate ob circumstantias saltem, & adjuncta, quibus hæc animi remissio corrumpitur, & inhonestatur; ídque etiam declarat Hostiensis, qui sexdecim numerat propagines ex hac putida radice prodeuntes, præsertim si nimius in lucrum accesserit affectus, qui solet aleatoribus esse insitus: hine D. Basilius in aleam, & talos invehens ait: *Si vos dimisero, & concilium hoc dissolvero, sunt qui protinus ad tesseras, aleásque se se conferant. Juramenta sunt illic, contentionésque graves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, furorem cunctis ossibus ludentium, insaniámque accendens. Easdem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert, atque modò hunc victoriâ effert, illum victum mæstitiâ premit; modò contra illum elatum, hunc demissum ostendit. Quid prodest, quæso corpore jejunare, animam verò mille vitijs, mille malis esse refertam?* Et revera aleæ studiosiùs frequentatæ lucri acuunt sitim, avaritiam fovent, & ex lucro ad vitia quæque viam sternunt; semel enim, quod aleatores divitijs affluunt, vitijs ut plurimum diffluunt.

In Sum. tit. de excess. Prælat.

Basil. 8 ... [illegible]

116\. An verò alea, & tali aliquo sejungantur discrimine, ac diversos propterea lusus constituant; scio à plerísque vocum neglecto rigore, quo alea propriè idem est, quod tessera; à qua talus figurâ, & positione discrepat; aleam, & talos confundi: quia verò uterque ludus ijsdem deturpatur fœditatibus, parum refert eorundem examinare discrimen, cùm uterque animi devenustet remissionem, quapropter à Seneca in ludo, & Isidoro *lib. 18.* alijsque talus, & alea solent indistinctè usurpari.

117\. Ad animi remissionem honestam alij solent ludi referri, qui propterea non videntur omnino dimittendi, cùm animis honestè remittendis soleant adhiberi, præsertim qui citra periculum corporis exigunt exercitationem, quâ cùm modicè sudore madent corpora, pravi si qui sunt in corpore humores per hiantium porrorum exhalationes foras excutiuntur, cujusmodi sunt pugiles, luctatores, Cursores, Saltatores, quia ut dissertè notat Aristoteles. *Certandi virtus constat ex corporis magnitudine, robore, & velocitate, etenim velox, robustus est, nam qui potest crura projicere quodammodo & movere, & velociter, & longè cursor est. Qui verò stringere, & tenere luctator. At qui pellere plaga pugil, qui autem utrisque is Pancratiastes.* Saltatoribus accersendi sunt ij, quos D. Augustinus avidè suo tempore spectatos refert, vocátque scandalistas, à quibus pueri ita excutiebantur, ut in aëre luderent pendentes, variásque exhiberent historias, verùm hunc lusum, & oblectationem ex eodem perceptam D. Augustinus improbat non solùm ob pericula, verùm & ob turpitudines, quas secum trahit, & hujusmodi oblectationem vocat ebrietatem Diaboli. Meminit etiam hujusmodi ludicri lusus Claudianus *lib. 2. in Europ.* ubi canit.

1\. Rhetor. Cap. 6.

Lib. 2. de Symbol. ad Cathec.

Ad solitos capere jocos, & jurgia Circi
Tendere. Nec quidquam magna compescitur ira,
Quis meliùs vibrata puer vertigine molli

Membra rotet, verrat quis marmora crine supino.
Quis magis enodes laterum detorqueat artus.
Quis voci digitos, oculos, quis moribus aptet.

ex quibus liquet, scandalistas, ita à D Augustino nuncupatos, aliud quoddam genus exhibuisse ludicri, quàm fieret à Petauristis, quod genus fuit funambulorum.

118. Quamvis remissiones, & oblectationes, quibus horum spectatores ludicrorum pascebantur, si præcisè ex objecto spectentur, nullam videantur turpitudinem, ac fœditatem contrahere, ac innoxias esse, nihilominus ob adjuncta, variásque circumstantias, non solùm à SS. PP. verùm etiam ab ipsis Ethnicis hujusmodi oblectationes reprobantur, & ludicra damnantur: & Plinius Cynicum [Lib. 4. epist. 22.] Agonem apud Viennam abolitum refert, veluti probis moribus noxium. Imò & ipsi Circenses ludi à Rege Theodorico apud [Lib. 3. epist. 51.] Cassiodorum reprobati fuerunt, veluti spectacula, quæ gravissimos dispellerent mores, levissimas contentiones excitarent, honestatem evacuarent, & fontes essent jurgiorum: ait Cassiodorus. [Loc. cit. sub fin. epist. 51.] *Illic supra cætera spectacula fervor animorum inconsulta gravitate rapitur. Transit Prasinus: pars populi mæret. Præcedit Venetus, & potior turba civitatis affligitur. Nihil proficientes ferventer insultant. Nihil patientes graviter vulnerantur: & ad inanes contentiones sic descenditur tanquam de statu periclitantis patria laboretur. Quòd meritò creditur dicatum numerosa superstitioni, ubi ab honestis moribus sic constat excidi.* Quia verò expensæ ad id exigerentur juxta prædecessorum Principum inolitam consuetudinem excusat, necessitatem, subdens: *Hæc nos fovemus necessitate populorum imminentium, quibus votum est ad talia convenire, dum cogitationes serias delectantur abjicere. Paucos enim ratio capit, & raros probabilis oblectat inventio: & ad illud potiùs turba ducitur, quod ad curarum remissionem constat inventum. Nam quidquid æstimat voluptuosum, hoc & ad beatitudinem temporum judicat applicandum. Quapropter largiamur expensas; non semper ex judicio demus. Expedit interdum desipere, ut populi possimus desiderata gaudia continere.*

119. A Patribus tamen solent remissiones ex Circensibus spectaculis improbari, quia ut ait Salvianus, sicut quidquid immun- [Lib. 6. de provident.] ditiarum est, exerceri in theatris expostulat, quidquid luxuriarum in palæstris, quidquid furoris in caveis, ita quidquid immoderationis in Circis locum habet. Neque mitiùs loquitur Lactantius, ubi ratio- [6. instit. cap. 20. sub fin.] nem Circensium ludorum nihil aliud habuisse pronuntiat, nisi levitatem, vanitatem, insaniam, tantóque impetu concitatos in furorem spectantium animos; quantò illic impetu currebatur: ut jam plus spectaculi exhiberent, qui spectandi gratia venerant, cum exclamare, & efferri, & exilire cœpissent. Quinimò memorat actos in furorem spectantium animos, nec [Cap. 7. Epitomes.] præ contentione conviciis, sæpe etiam nec præliis temperâsse. Sunt igitur pleráque ludicra, quæ tametsi, si præcisè ex solo spectentur objecto, nil videantur turpitudinis præseferre; ex adjunctis tamen, & circumstantiis inhonestatem contrahunt; etenim currentes equos per stadium videre, & observare, quis eorum priùs metam attigerit, nil inhonesti, nilque noxii præsefert: sed si omnia adjuncta, & circumstantias spectemus, quæ tunc occurrunt, statim deprehendimus, hanc animi remissionem, quam ex cursu desumimus equorum, plurimum secum trahere turpitudinis, non enim videntur equi tantùm currentes, sed & clamores, ac blasphemiæ, plurésque intempestivi audiuntur sermones, qui per aures venenum turpitudinis intus instillant; plerumque etiam equis succedunt, & mulieres prostitutæ, quæ in medium prodeuntes concupiscentiam movent concitato eo cursu, quo in perniciem trahunt spectantium animos, qui jam illicitis spectaculis oculos pascunt, & cùm casti accessissent, adulteri mox discedunt.

Et tametsi soli spectarentur currentes equi, adhuc sua non careret spectaculum turpitudine, ipsum enim equorum certamen sufficit ad inferenda animæ damna, quia quæ inutilia sunt, & ad salutem minimè conducunt, damnosa semper nobis sunt, quatenus inutiliter tempus in iisdem impendimus, quod propterea dilapidamus; & pleráque tunc in spectaculis loquimur, & effutimus, quæ plerumque alienum devenustant honorem, lædúntque famam: hinc Augustinus retrahens Neophytum ab hisce [Lib. 2. de symbol. cap. 2.] spectaculis, ita eum alloquitur: *Amator est quispiam Circi? quid delectat in Circo? aurigas videre certantes, populos insana furia anhelantes, quemlibet celerem præcedentem adversarii sui equum frangentem? Ista est omnis delectatio, clamare, quia vicit, quem Diabolus vicit; exultare, & insultare, quòd adversa pars equum perdiderit, cùm is, qui tali spectaculo delectatur, jam perdiderit animam*, & Basilius Seleuciensis hanc animi remissionem, [Oratio 37.] ac lætitiam, quæ ex ludis hauritur, Circensibus vocat: *miseriarum matrem, panegyrim festivitatum spectatoribus perniciabilem, delectabile mortis venenum; lætitiam exitii conciliatricem, voluptatem gehennæ, viam perditionis, machinam impietatis, ethnicismum Christianismi larvâ coopertum, & dæmonis festivitatem.*

120. (margin of paragraph beginning "Et tametsi")

Quam-

121. Quamobrem illæ duntaxat animi remissiones honestatem induunt, quæ ex ijs hauriuntur ludis, qui corporis duntaxat exercitationem intendunt, ut præ cæteris est ludus pilæ, quo juvenum fit sortitio, & bifatiam partiti, in partes distribuuntur oppositas, ex quibus unus vibrante manu pilam procul expellit, quam venientem alter ex parte adversa excipit, & quò venerat, iterum impellit, ita tamen ut adhuc in aëre revibretur in adversarios, idque per plures pilæ percussiones, ac repercussiones, donec manus alterius fallens sinat pilam humum petere, & primum post saltum facultatem amittere resurgendi. Huic haud abludit alterum ludi genus, quod non aperto sub dio, sed in quadrata, & paulò longiore, ac præalta aula pluribus utrinque fenestris patula jucundissimè exercetur: & in qua humilia tabulata construuntur supra declive tectum politis asseribus innexum ad pilam sustinendam, ac remorandam: in hac igitur aula, pila reticulo tenso pulsa, ac repulsa, ultrò, citróque comeat, & & per repetitas vices itque, reditque semper per aërem diverberata, vel solo impacta primò excepta resultu iterum reticulo pulsa in declive injicitur tabulatum, ex quo dum labitur, iterum surgit, & modo inflexa volvitur in latus, nunc cœlo impacta desilit; jam in transversum acta deprimitur, mox novo excitata pulsu ex humo rediviva salit, modò acriori impulsu rejecta reciprocatur ex pariete; nunc versa manu retorquetur, & mox interjectum radens in medio funem tandem in angulum illatebratur, sed mox reticulo à tergo per divaricatas subtus tibias retruditur: & per multiplices amfractus, variósque mæandros volucris instar itque, reditque incerta semper lege errans, aëris ludibrium, & spectantium solatium, donec reticuli fallente pulsu, vel medium impingat in rete, vel quietem in una ex patulis fenestris quærat, vel reticulum declinanc foramen aliquod subeat.

122. Hoc enim in lusu, cum æquè ex parte ludentium, quàm spectantium nil occurrat inhonesti; nilque se prodat, quod turpitudinem invehat, quæ ex eodem hauritur animi remissio innoxia est, & simplicem duntaxat prælefert honestatem, nisi excessus accesserit relaxationis, quia omne extremum in vitium degenerat, quapropter etiam in animi remissione subeunda, si modum quis excedat, vitium contrahit temperantiæ oppositum, & per excessum peccatur: & licèt propriè excedere in hisce relaxationibus non videatur ad intemperantiam pertinere; quandam tamen inducit mollitiem, quâ animos à suo deperitur vigore, & vitium propterea contrahit, ut docet Philosophus, inquiens: *Jocosus esse intemperans videtur, sed est mollis. Jocus enim, cùm sit requies, relaxatio est.* *Jocosus verò ex ijs est, qui in hac excedunt:* inficias it Philosophus, excessum in relaxationibus ad intemperantiam pertinere, & excedentem hac in parte mollem potiùs, ac delicatum dicendum esse, quàm intemperantem; contrahit igitur per hujumodi excessum in subeunda animi remissione quandam mollitiem, quâ violento affectu pelliciente indulgens huic remissionis excessui abripitur ad peccatum; & in hoc sensu potest hujusmodi excessus dici temperantiæ oppositus; qui enim eidem indulget amœna voluptatis facie pellectus, cum levandus duntaxat, ac laxandus paulisper esset animus, ex immoderato affectu debitæ non servantur circumstantiæ, & metas prætergressus homo honestatis ad eas itidem contectandas abducitur, quæ ex objecto vitium contrahunt.

7. Ethic. cap. 7.

Id etiam pronuntiatur de illis in frequentioribus animi remissionibus, quæ fœdis, præsertim in convivijs, vel deturpantur sermonibus, vel actionibus fœdantor, ut cum joci causâ jubentur famuli manducantibus subducere fercula, faciem inquinare, bibentibus sedilia subtrahere, vel vitium ferenlis immiscere; id enim fœdum procul dubio est, sed tamen nonnullis tolerabile, & non omnino pressum, cùm apud S. Cyprianum fuerint, qui bellè in cædendis alijs animum laxaverint, & ad eam petulantiam infelicem faciem adduxerint miserorum, ut ventrem saginarent infeliciorem. Hinc D. Chrysostomus acriter eorum redarguit inhumanitatem, qui risum aucupabantur ex mendicorum miserijs, vel per gelu nuda corpora trahentium, vel acutos clavos capiti infigentium, ut fœdo illo spectaculo ijs exhilaratis, qui aderant, stipem ab adstantibus extorquerent, ac pecunias emungerent; nimirum ob exiguam stipem dira quæque jocosè patiebantur. Huic animi remissioni affinis fuit illa nonnullorum oblectatio, cujus meminit Tyrius, inquiens: *Nec Æneanum laudare possumus spectaculum, quibus in convivijs alij agendo, alij spectando se oblectare solent. Duo viri ad tibia modulos pugna simulacra cient. Alter eorum agricolam imitatur, & arat: alter prædonem, & armatus est. Habet & agricola in promptu arma sua, qui simul ac prædo appropinquare incipit relicto aratro suo arma in manu sumit, cum prædone concurrit. Ibi faciem alterius ferit alter. Hic vulnerat, ille vulneratur. Hic sternit, ille cadit.* 123.

Lib. de spectacul. in fin.

Homil. 21. in 1. ad Corinth.

Sermon. 12.

Consuevisse etiam scenicos ad spectatorum oblectationem, risúmque movendum mutuis se colaphis egregiè cædere, ut cachinnos in adstantibus ex proprijs excitarent gemitibus, refert Nazianzenus in carmine ad Nicobulum Patrem Filij nomine. Sicut igitur per excessum virtus minuitur, quâ per invectam lætitiam animus exhilaratur, & mens gaudet: ita per oppositum extremum plurimum proprij deperdit decoris: unde 124.

solicitè allaborandum est moderatæ menti, ut in frequentia lusuum, quamvis honestorum mediocritati inhæreamus, quia ut monet Seneca *Lusus, jocique frequens usus omne animi pondus, omnémque vim eripiet. Nam & somnus refectioni necessarius est. Hunc tamen, si per diem, noctémque continues, mors erit. Multum interest, remittas aliquid, an solvas*, & epist. 15. pulchrè ait. *Non ego te jubeo semper immnere libro, aut pugilaribus. Dandum & aliquid intervallum animo; ita tamen, ut non resolvatur, sed remittatur.* Creber enim, & effusus risus dejectam indicat de recti tenore mentem. Solent damnari, & improbari, qui perverso distorquent ora cachinno, risúmque, quem ipsi movent, in alijs excitant.

Lib. de tranquillit. animi cap. 15.

125. Sicut igitur creber, vel etiam immodicus risus improbatur, ita etiam aliud exexprobratur extremum situm in quadam tetrica, ac rusticana severitate. Sunt enim aliqui ingenio adeo aspero, & immiti ob uberem atræ bilis copiam, ut omnem honestæ etiam recreationis usum difugiant: exigit enim humana imbecillitas aliquam remissionem, ne diuturna severitate frangatur, ut D. Ambrosius monet Marcellinam sororem, inquiens: *Moderandum labori. Citò fœcundis onerata palmitibus emerita atatu vitis crepat, nisi aliquando reprimatur. Sæpe relictis aratris ipse validus agricola digito solum scalpit, ut florum deponat radices, & asperis manibus, quibus lactantes inter vineta flectit juvencos, molliter ovium pressat ubera.* Sicut media gaudet virtus sede; modus præsertim attendendus est in animo laxando, ut ambo declinentur extrema, neque enim marcescere debet quis otio, neque jugi labore frangi; sed labor interjecta quiete remittendus est: non enim ad luxuriosam vitæ rationem est occupatio nostra instituenda, sicut nec ad contrariam, quæ debito caret temperamento, sed ad eam, quæ hæc inter medium obtinet locum, éstque ratio temperata, & moderata, utrumque declinans extremum deliciarum, & parcitatis. Sunt enim qui à neutro hoc extremo satis abhorrentes, nunc effusi, ac nimij deprehenduntur in animi remissionem, & mox à quavis fiunt alieni recreatione, transferunturque propterea ab uno ad alterum extremum, ac fiunt in utróque vitiosi. Hinc Seneca ad rem nostram ait. *Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, qua continuatione pertinacis studij adducitur, feriarum hilaritate discutitur.*

Lib. 3 de virg. sub init.

Lib. controvers.

126. Quamobrem æquè in corporis, ac mentis exercitijs necessarium est comitate, & accersita hilaritate laboris interrumpere pertinaciam; & severitate comitatem coërcere, ac lætitiam; ne hæc in petulantiam, & illa in tristitiam procedat, pulchrè S. Ambrosius. *Caveamus itáque ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Usus enim cito naturam inflectit.* Temperanda igitur est effusa lætitia, modestiæ decore: est exterior motuum corporis decora compositio, & ad modestiam composita, adeò efficax in illiciendis spectantibus, ut in ijs etiam, quibus animus sordet, admirationem moveat, & amorem, qua ratione D. Chrysostomus fatetur triobolarem Græcorum Philosophiam mentitâ obductam modestiâ, pannoso, rudiq; habitu, quamplurimos, ad se flexisse. Fuerunt Ethnici Philosophi qui ex nomine saltem sapientiæ, & Philosophiæ umbrâ claritatem aucupabantur nominis, modestiæ semper tenacissimi: hinc Porphirius de Ægyptiorum Sapientibus, ac Sacerdotibus ait. *Ex ipso corporis statu quidam gravitatis splendor conspiciebatur. Incessus enim bene erat compositus: aspectus ita ex proposito constans, ac si noluissent connivere. Risus verò rarus, qui si fortè excidisset, ita tamen moderatè ut vix risisse dixeris. Continebant autem semper manus intra habitum: quarum compositio unicuique nota erat, & eorum significativa, quæ in administratione rerum sacrarum acceperant.*

Lib. 1. offic. cap. 20. init.

Homil. 12. ad Ephes.

127. Neque inficiari possumus, quin externa hæc motuum omnium compositio ex modestiæ præscripto insigne decus præseferat. Hinc D. Hieronymus in Jovinianum, Christi Philosophos, ait, tales fuisse, ut tametsi sermone tacerent, habitu tamen, & gestu loquerentur. Allaborandum tamen est, ne externa hæc omnium corporis motuum moderatio ex modestiæ præscripto in extima duntaxat specie hæreat, quia facilè potest degenerare in hypocrisin, quâ persæpe animus admodum incompositus prætenta externa corporis compositione illam animi ementitur moderationem, quâ destituitur, propterea cæteros nuda fallit imagine, umbram exhibens virtutis, qui nullam excolit virtutem: hinc D. Ambrosius commendat motum purum, ac simplicem, in quo splendeat sine fuco species authoritatis, pondúsque deprehendatur gravitatis, & vestigium imprimatur qualitatis; eos postea damnat, qui sensim ambulantes quædam quasi imitantur fercula pomparum, ac statuarum motus nutantium, eò quia ad quemlibet passum, gradúmque modulos videantur certos servare: hæc enim affectata in motu, & gressu gravitas nil habet ponderis, quin potiùs risum movet: quapropter D. Hieroymus ait: *Non delumbem matronarum salivam, delicata folleris, quæ nunc strictis dentibus, nunc labris dissolutis, balbutientem linguam*

Lib. 2.

1. offic. cap. 18.

Epist. 22.

in

in dimidiata verba moderantur. Sicut ab laborandum est, ut extimam corporis speciem, membrorúmque motus non affectata, sed sincera modestia componat; ita probrum oppositæ immodestiæ declinandum omnino est. Solet enim mentis incompositæ esse index; qualis enim est intus homo constitutus, talem exteriùs produnt linguæ sermones, vultûs actiones, ac totius corporis incessus. Pulchrè S. Ambrosius ait: *Habitus mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior, æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus. Meministis filij, quemdam amicum, cùm sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quòd gestus ejus plurimùm dedeceret. Alterum quoque cùm in clero reperissem, jussisse me, ne unquam præiret mihi: quia velut quodam insolentis incessus verbere, oculos feriret meos. Idque dixi, cùm redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi, nec fefellit sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit: ut qualis incessu probabatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne judicium subiret, sacerdotem se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. Sunt etiam qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum & statuarum motus nutantium: ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror: nisi cùm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Nam plerumque festinantes anhelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festinationis necessaria, nævus justa offensionis est. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur, sed quibus jugis, & continua in naturam vertitur. Nec in illis ego tanquam simulacrorum effigies probo, nec in istis tanquam excussorum ruinas.* Hactenus S. Ambrosius.

Lib. 1. offic. cap. 18.

DISSERTATIO XXII.

Fallax, & personata est mundi lætitia, cui si larvam detrahas, non nisi luctum prodit, & lacrymas elicit.

§. I.

Mundi gaudia suas habent illecebras, quibus fallunt, quos alliciunt; & eò nocentiùs, quò firmiùs homines ijsdem fidunt fallentibus.

1. TAnta est mundanæ lætitiæ fraus, mundanique gaudij illicium, quò mens humana blandè subornata, nil avidiùs appetat, quàm hisce decipi larvati gaudij lenocinijs, quibus suos mundus decipit, falsas spondens voluptates, falsáque exhibens gaudia; neque in ijsdem aliud deprehenditur verum, nisi quòd homines decipiantur; sitque propterea sola deceptio vera, imò & eò verior, quò à veritate lætitia deficit: mundus gaudia exhibet, quæ & illecebræ vocantur fallentes, eò quia fallant, quos illiciunt, & eò nocentiùs, quò firmiùs homines ijsdem fallentibus credunt, fidúntque, sitque propterea mundus non suis duntaxat fallacijs fallax & falsus; verùm & nimia etiam suorum credulitate; ideóque noxiâ laborant cæcitate quotquot mundi lætitijs cupiunt diffluere, ejúsque inhiant gaudijs; cùm enim fallacem, futilémque deberent ipsi lætitiam illudere ab ipsa sinunt se miserè illudi, ejúsque fieri ludibrium, quæ ludibrio esset ab ijsdem habenda. Suos ut fallat mundus sectatores, risûs, gaudíique velamine suas subducit, tegítque fallacias, & ridet propterea, ut uberiori irrideat cachinno; proinde si saperent homines mundi gaudia irriderent, ne à mundo irriderentur. Hinc D. Anselmus scribens Herluino ait: *Si mundus vel aliquid eorum, quæ sunt mundi, ridet tibi, noli credere illi. Certè frater non ridet tibi, ut in fine risus tu rideas, sed simulat* Lib. 2. epist. 8.

risum, ut te irrideat. Esto igitur dilectissime semper cautus, ut eum anticipes, & retorqueas fraudem ejus in eum: & cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum. Et certè nunquam veracius irridebis illum, quàm si cùm ipse riserit contra te, tu fleveris contra illum. Ad has quidem lachrymas tantò studiosiùs te debes exercere, quantò melius est contra falsum risum ad modicum ex voluntate flere, quàm sub vera irrisione in æternum ex necessitate lugere.

2. Decipit igitur nos mundus suo gaudio, & ne decipiamur, irrideri potiùs a nobis mundus debet, ut ab ipso non irrideamur. Est igitur mundi gaudium error, proinde ejus risus irridendus; irridetur autem eum homo cautè mundi gaudium anticipat, & pestiferas ejus technas prænoscens ejus fraudem in ipsum retorquet mundum: idque salubriter præstatur, si cùm nobis mundi lætitia fallaciter arridet, nos veraciter eam irrideamus; & fletu, lachrymisque mundi gaudia extinguamus. Insigniter decipitur quoties subdolè intentata deceptio in suum ipsius caput tempestiva retorquetur irrisione, hinc Ecclesiastes ait: *Et dixi gaudio: quid frustra deciperis?* veris igitur lachrymis mundi risui occurrendum est; alioquin lugebit, qui risum fletu non eluit, & lachrymis gaudiorum non extinguit hilaria: mundo lugente gaudet, qui mundo gaudente luctus edit, lachrymas fundit; pulchrè Tertullianus lib. de Idololatria. Cap. 1. *Si cùm sæculo gaudemus, verendum est, ne cum sæculo lugeamus, sæculo autem gaudente lugeamus, ut sæculo lugente postea gaudeamus:* non enim mundi debemus gaudio conformari, si ab ipso decipi nolumus: hinc Cap. 2. Ecclesiast. perpendens mundi gaudia ait: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: quid frustrà deciperis:* dicit, mundi risum errorem esse, eò quia risus, & gaudium hujus mundi aliud non sit, quàm mera fraus & fraudulenta deceptio: spondet enim mundi gaudium, animo quietem, quem tamen molestijs lancinat; mentis serenitatem, quam vitiorum nubibus fœdat, premitque; cordis felicitatem, & nonnisi mœrorem invehit: & hic est verus error, quo mundi risus viget, & floret.

3. Ne igitur nos mundi gaudium decipiat, debemus nos mundum decipere, ipsi non fidere, sed nos ab ipso avertere, decipit mundi gaudium, quia hominem perdit, sed simul ab homine decipitur, si non sinat se ab ejus technis irretiri. Theodorus Carumensis quærentibus, quomodo Adam tot naturæ, & gratiæ dotibus instructus fuerit à Diabolo victus, ac deceptus, respondet, *Blanditia ipsius voluptatis primùm delenivit eum cupiditate: deinde dubitavit. Nisi pulchrum ei visum esset, quod interdictum erat, nunquam mentem suam decepisset. Et adverte quid dico, si Diabolus ostendisset ei lignum, unde sumpsit vetitum cibum, tetro odore, & spinosum, & amarum, dixissetque si ex hoc comederis, eris Deus, nunquam sine probatione, & indignatione locum fallaciæ ejus dedisset; quin potiùs curiosè de ea inquisivisset, unde hoc scis? aut unde mihi hoc probas? & me certum reddis? & denique nunquam sine una demonstratione fidem verbis ejus adhibuisset. Postquam verò cupiditas eum emollivit, sefellit ipse suam cogitationem; & ut uno verbo dicam, cùm ægrotat ea pars, quâ cupimus, tunc mentem trahit, & ad assensionem allicit.* Quia fraus deliciarum, & voluptatis lenocinium animum, quem illiciunt, ad illicita trahunt.

Si oculos in singula anteacta sæcula 4. flectamus, deprehendimus statim, quotquot ridenti mundo credidêre, deceptos fuisse, ac cæterorum lachrymas promeruisse: cùm enim mundi gaudio adhæserint, lachrymis maduerunt. Sit aliorum deceptio nostra eruditio; non fidamus mundi illecebris, non ejus gaudio, nec voluptati credamus, decipiunt enim, quos alliciunt; & risu personata voluptas nonnisi lachrymas elicit; nimirum ementito risu minùs cautos ad se mundus vocat, quos postea veris lachrymis à se ablegat: emotæ mentis est, falsis moveri mundi lætitijs, & veris luctibus mundi à mundo non amoveri: ad suam nos mundus vocat societatem, ut à Numinis nos avocet amicitia, unde exclamat D. Bernardus Epist. 107. *O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, ut Dei constituas inimicos, consequenter & indignos consilio Beatorum!* quis dignum censeat mundum amore, cùm nos futilibus suis gaudijs, fucatisque lætitiis ab amore avertat Creatoris, suisque blanditiis, ac fraudibus separet, avellátque à summo bono. Mundi gaudium haud suppar dixeris Judæ osculo; pacis siquidem tesserâ hostilem tegit mentem, imò, & simile illi osculo, quo parentes filios immolabant, In Octavio. ut enim ait Minutius: *In nonnullis Italiæ partibus à parentibus infantes Saturno immolabantur, blanditijs, & osculo comprimentes vagitum, ne flebilis hostia immolaretur.*

Hac eadem dolosa arte suos etiam 5. mundus videtur asseclas mactare, non quidem Saturno ficto temporis Numini, sed veræ infelicitatis æternitati: suis mundus gaudijs, fictisque osculis fletum comprimit, lachrymas exiccat, mœrorem tegit, ne reliqui ab hac se subducant immolatione: nimirum coërcet tantisper lachrymas, fletúmque in suis compescit, quo æternis fletibus corrumpantur, lachrymisque nunquam exiccandis madeant. Si enim mentis mittamus obtutus in ignis tartarei flammas nunquam morituras, innumeras propemodum ibi hostias deprehendemus, quas mundi gaudium in illum protrusit ærumnarum, ac dolorum carcerem, & si ab ijsdem edoceri velimus, suo exemplo fortiùs, quam

verbo nos erudiunt, docéntque, ne mundo huic ridenti, & osculanti fidamus, quamdiu in mundo vivimos.

7. Si in hostiis illis Tartaro immolatis dentium horremus stridorem, viscerum cruciatus, oris clamores, cordis oppressiones, oculorum lachrymas, & mentis confusionem, non sinamus nos decipi larvato hoc mundi gaudio, quod nonnisi æternas nobis lachrymas parit, ut nos monet S. Chrysostomus ubi ait: *Neque risu rideamus, dentium nobis stridorem pariente. Affligamur tribulatione, ex qua remissio nascitur. Neque delicias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur, & angustia.* A futili gaudio, larvato risu, & falsa mundi lætitia non mentitus, sed verus oritur fletus, cujus lachrymis, mundi qui gaudio adhæserunt, æternùm madent. Homil. 66. ad popul.

8. Nemo sit à sana mente ita alienus, ut personati, falsíque gaudij larva ad vera se sinat tormenta trahi, ac urgeri: male enim in gehenna stridet, qui malè cum mundo ridet; importunus certè ille est risus, qui æterno fletui ridentes adjicit: deceptorium gaudium illud, quod ad sempiternum urget mœrorem; & gaudentes ad ea transmittit tartarea loca, ubi incolæ omnes strident, & dolent absque spe ulla inde evadendi, lachrymas exiccandi, & mœrorem excutiendi. Nullus hactenus cum mundo risit, qui à personato mundi gaudio dempto erroris velamine non se deceptum senserit; quia si mundi gaudio larva detrahatur, nil exhibet nisi mœrores, ac tristitias fugitivæ voluptatis pedissequas: ridet quidem mundus, ut sibi adhærescentes alliciat, sed si quid jucundi mentitur, adhuc est adeo fluxum; ut statim dispareat, & floris instar vix luxuriat in foliorum pompa, & statim evanescit.

9. Idque causæ, cur mundi illi sectatores, ac delicijs inhiantes dixerint Sapientiæ 2. *Venite, & fruamur bonis, quæ sunt: non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, seu ut vertit Guarinus Græcus: *Neque florem vitæ prætereamus*, seu ut græcè scribitur, *Non prætereat nos flos aëris.* Est autem flos aëris, perinde ac flos vitæ, cùm aëre respiremus, & aurâ fruamur. Unde per florem temporis, ac vitæ rectè intelligitur quidquid in tempore deliciosum, ac floridum reperitur: & totum hoc mundi sectatores aucupantur, ut sibi, suisque concupiscentiis satisfaciant, nec ullam sinunt occasionem dilabi, nec ullam oriri opportunitatem, in qua hisce mundi illecebris, fucatisque gaudiis non fruantur, & anhela cupiditas iisdem toto non inhiat nisu, sed quid aliud futilis hæc jucunditas, & fallax gaudium est, quàm flos labilis, qui cùm primùm suam explicat foliorum supellectilem, statim arescit? hinc aiebant illi. *Non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant:* est enim hujus vitæ gaudium flos temporis, aëris, & auræ ocyssimè prætereuntis.

Concupita voluptas mundi illicit asseclas, sed fide falsata possessionem mentitur, quia cùm primùm possideri incipit, suum fugit possessorem: & dum gratiùs videtur oculis ornatu discolore arridere, jam marcida deflorescit; ut de hyacinto protulit Plinius inquiens: *Primo aspectu gratus, sed evanescit antequam satiet, adeòque non implet oculos, ut pænè non attingat, marcens celeriùs nominis sui flore*, ita voluptas oculos non implet, neque mentem satiat, vix attacta fugit, ac evanescit, quapropter David Deum rogat, ut non sinat eum hisce adhærescere voluptatibus: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*; est autem vanitas ipsa jucunditas voluptatis, quæ tametsi primo aspectu grata videatur, non tamen oculos implet, nec mentem satiat, sed vix attacta evanescit, vix possessa suum fugit possessorem, quem propterea decipit, & suo risu deridet. Quàm alieni à sana mente sunt quotquot mundi inhiantes voluptatibus lætari cum mundo satagunt! gaudium accersunt, quia arridet, sed accersitum evanescit, & eos irridet, quibus arriserat: hinc Propheta Amos Hebræam gentem acerbè incusans ait: *Qui lætamini in nihilo:* seu ut hebraicè legitur: *Qui lætamini in non verbo*, quia larvata est mundi lætitia in extima duntaxat superficie aliquid videtur jucundi prodere, cùm intus nihil sit, unde vertit Pagninus: *Qui lætamini in eo, quod non est aliquid*, est enim mundi gaudium veluti bulla per aëra discurrens, quàm si manu velis capere, vix attacta disparet: quia totus ejus nitor in extima tantùm lucescit superficie, cum intus vacua sit, & inanitate duntaxat plena: *Profana gaudia* ait Philo Hebræus; *Somnijs sunt simillima, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur, avolant.* Dicuntur quidem venire, abire, occurrere, fugere, nunquam tamen teneri, ac permanere; imò neque attingi propriè dicuntur, cum priusquam comprehendantur avolent, perinde ac bulla aëri innixa, quam si tetigeris, illicò disparet, & suum fallit possessorem. 9. Lib. 21. cap. 8. Psal. 118. Cap. 6. Lib. de Joseph.

10. Nil igitur verius, quàm falsa esse ea gaudia, quæ suis mundus fallax ostendit, quos decipiat: est siquidem personatus mundi risus, quia aliquid esse videtur in extima sui specie, cùm tamen intus nil sit; neque ullum enumerat mundus sui sectatorem, quem suis priùs non illexerit blanditijs, & futili gaudio non fefellerit: hinc Siracides: *Vadam* inquit, *& affluam delicijs, & fruar bonis, & vidi quòd hoc quoque esset vanitas, risum reputavi errorem:* est siquidem error, quia lugubris bonorum mundi fluxorum materia, fallacem induit formam gaudiorum, & delicias subdolè mentitur; Eccles. 2.

&non

& non solùm error est mundi risus, verùm & vera derisio, legit enim Chaldæus *Risum dixi derisionem*, quia nimirum ridicula est mundi lætitia, quia fugax, fallax, & futilis; proinde mundi risus mera est derisio, quâ sub larva voluptatis illudimur, cum præstigiatricis voluptatis inhiamus lætitiis, quæ nonnisi lachrymas eliciunt; & sanis vacui consiliis è rationis deturbamur fastigiis. Pulchrè Olympiodorus: *Risum reputavi errorem. Quia ad omnem ventum circumferuntur bona ista terrena, quæ materiam suggerunt lætitiæ, ac voluptati*, seu omni exagitantur vento, quia statim disparent: & si quid exhibent jucundi, id nonnisi in extima floret superficie ad mundi asseclas decipiendos.

11. Hæredis fletum sub persona risûs protulit in scena Publius Mimus, cùm dixit: *Hæredis fletus sub persona risus est*: Hæredi parem mundum feceris, uterque intus madet lachrymis, tametsi gaudio larvatus suos illiciat, quos fallat, decipiátque, & ideo cæcutiunt, quia falluntur. Tota mundi felicitas personata est, cum tota ejus jucunditas in extima duntaxat efflorescat superficie. Et quia intus vacua, nullum potest verum ingerere gaudium, & si quid habet id plenum est miseriarum, plenum luctu, & lachrymis: nec quid aliud mundi felicitas si larvam deponat exhibere potest, quàm ærumnas torquentes, & miserias prementes. Et quamvis in mundi scena ridentem afferat vultum, qui mundo adhærescit, non tamen censeas, risum esse id, quod tibi risus esse videtur; nuda est oculorum deceptio, quia tota in mundi scena pulchritudo in eo est sita, ut aliud pro alio offerat & spectantium oculis imponat, dum spectandum se exhibet: & proinde extima specie suos fallit spectatores, & gaudium, quod pollicetur, nil aliud est, quàm mera oculorum deceptio, quia ut ait D. Chrysostomus *homil. 22. in Genes. Nihil habet stabile, neque firmum, sed sola est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat.*

12. Quòd si mundi felicitas mera est oculorum deceptio ejus risus nonnisi fallax, & deceptorius erit, ut pulchrè innuit S. Bernardus *lib. de gratia, & libero arbit.* inquiens: *Verè mundi risus verus non est, risus larvam habet, & cum tota mundi pictura scena sit; fictitium omne illud est, quod spectandum ille offert.* Non est mundi lætitia vera, sed tantum fucata, & in extima superficie picta, ac ficta; nec potis est cor imbuere, animum penetrare, sed tantùm tenui ac adscititio colore oculos fallere, ac intuentes decipere, & deceptos enecare, si enim personatæ huic lætitiæ larvam detrahas, non jam risum, sed fletum, & puram miseriam deprehendes: nulla enim verior miseria, quàm falsa lætitia, & quò magis est falsa, eo verior, eóque miserior miseriam adjiciens miseriæ.

Scimus risui, perinde ac Numini à deceptis Ethnicis fuisse quot annis sacrificia instituta, victimásque oblatas, ait enim Apulæius: *Deo risus per annua diverticula solemniter celebramus*: nimirum est risus falsum, ac ementitum Numen, ut inde discamus, quàm falsus sit, ac deceptorius mundi risus, qui minus cautos decipit, à quibus victimas extorquet, imò & ipsos exigit mactari ridentes. Neque suæ hisce victimis desunt aræ, quia ubi Amos habet: *Demolientur excelsa idoli, seu vanitatis* septuaginta Interpretes vertunt *Delebuntur aræ risûs*, quasi in idem reciderent falsum idolum, & risus, qui propterea cùm nil habeat veræ jucunditatis, futilis est, & fallax risus, decipiendis duntaxat hominibus aptus. 13. *Lib. 6. sue metamorph.* *Cap. 7.*

§. II.

Qui voluptatum lenocinijs capti cum mundo rident in mundo: gaudium in extima facies cute produnt, sed intus lacrymis in corde madent.

QUi voluptatum, ac mundi inhiant lenociniis, cupiunt, utique sepiri deliciis, diffluere gaudio, sed quamvis ridere cum mundo videantur, risum tantùm simulant, omnino alieni à vero gaudio: risum quidem exhibent, sed illi duntaxat similem, quem vel imago fingit in picta tabula; vel statua simulat in frigido marmore: in venusto, pulchróque horto plerumque marmoreæ surgunt statuæ, quæ ridentis speciem referunt; sed quis non credat risum hunc fictum, si sciat esse in tabula pictum? quis non putet esse simulatum, cùm in frigido lapide sculptum videat? lapideus sanè esset, qui lapidi risum tribueret. Qui cum mundo rident, & gaudent ridentibus hisce haud abludunt imaginibus pictis, statuisque sculptis risum quidem labiis exprimunt, cùm tamen intus lapidibus frigidiores rigescant: gaudium in extima faciei cute produnt, sed intus lachrymis in corde madent, est igitur mundanorum risus quodam duntaxat risûs simulacrum; non secus ac lapis speciem referens hominis simulacrum dixeris hominis; & sicut non verus, sed fictus est homo, ita fictitiæ sunt lætitiæ, quas mundus spondet ijs, quos decipere adnititur. 14.

Nullam mundi gaudia dulcedinem sapiunt, quia amaritudine referta nonnisi mœrores pariunt. Salices quia amaræ poma non producunt, neque ex ipsis ullus decerpitur fructus, qui sapiat: salicibus si mundi gaudia dixeris similia, vix latum unguem à veritate errabis, plena sunt & ipsa amaritudine, neque ullum ab ijsdem fructum carpere quis valet, qui sapiat. Imò quidquid carpitur ex mundi gaudio id noxium est, & lethale, sitque propterea mundi risus, fru- 15.

ctus

ctus, sed non alius, quàm sardonicæ plantæ, quæ risum quidem excitat, qui tamen necem inferat, non verò ullam ingerat jucunditatem, ut quod dixit Salvianus de Romano populo: *Sardonicis herbis omnem Romanorum populum putes exsaturatum, moritur, & ridet*; id gaudentibus cum mundo fortassis veriùs congruat; & tamen nos suis præstigijs mundi gaudium eludit; & cæca lætitiarum anxietas tenet, cum id agere toto nisu debeamus, ut vitiorum irritamenta, ac blanda fallaciarum illicia procul exterminemus; indurandus potiùs ad honestatem est animus, & à delinimentis gaudiorum, quæ mundus exhibet abstrahendus: & nihilominus quia cæcutimus ijsdem avidiùs inhiamus, & quò mundi delicijs diffluimus, eò semper ardentiori hidrope uberiora sitimus gaudia, cum hæc sitim potiùs nostram acuant, quàm extinguant: hinc scitè D. Bernardus de hoc vano mundi gaudio, ac fallaci risu ait: *Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia*; quia homines beatitatis appetentes & mundani gaudij cupientes umbris, ac ventis, inanique specie postquam lactaverit, nonnisi jejunos, & famelicos eos dimittit cicuta potiùs, & herba Sardonica, alijsque noxijs saturos.

Lib. 7. de gubernatione Dei.

Lib. de grat. & liber. arbit.

16. Cap. 2. Expertus id Ecclesiastes ait: *Dixi ego in corde meo vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas*: eò quia à beatitatis meta, quam sibi in mundi gaudijs præfixerat, se longissimè aberrantem deprehendit, ideóque subdit Ecclesiastes: *Risum reputavi errorem: & gaudio dixi quid frustra deciperis?* errat enim qui ridet cum mundo, quia si lætitiam vultu prodit, lachrymas risu præsagit: gaudium enim luctus sequitur: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat*, quamvis solatio sit animo æquè ac corpori aliquod laxamentum, quo perpetes curæ, diuturni labores, & torquentes anxietates tantisper remittuntur: allaborandum tamen est, ac cavendum, ne præsens lætitia nos decipiat, & gaudij initia subsequens mœror consummet; est enim mundi gaudium luctui, lachrymisque vectigale, & dum hilaritatem spondet, jucunditatem affert, luctui viam sternit, proinde Ecclesiastes ipsum mundi alloquens gaudium ait: *Quid frustra deciperis?* quia nimirum decipitur vana lætitia cum lætantes decipit, quatenus suo frustratur fine, quem intenderat: beatitatem assequi non valet, quam suis videtur promisisse gaudentibus, quos jejunos, & famelicos dimittit; ideóque frustra decipitur mundi gaudium, quia beatitatem, quam intendit minimè assequitur.

Prov. 14.

17. Plenum sit nobis suspicionis mundi gaudium, perinde ac fur clanculum domûs penetralia ingressus: irrepit enim intimos animi recessus vana mundi lætitia, non ut jucunditatem ingerat, sed insidias nectat; est enim mœror mundani gaudij appendix, & tristitia lætitiæ pedissequa. Gravi correptus Lazarus infirmitate languidus decumbebat, cujus sorores monitum statim voluêre, & accersitum cœlestem Medicum: *Ecce quem amas, infirmatur*, & hæc proferentes simul affectum pulsant, & amorem interpellant: Christus verò biduo proficisci cunctatur, sed licèt serus advenisset morbi curator, accessit tamen opportunus defuncti suscitator; cùm tandem advenisset cœlestis Medicus incrementa subeunt luctus, funduntur uberiùs lachrymæ, piæ geminantur querelæ, plorat Maria, lugent Judæi, & lachrymas elicit cœlestis ipse medicus: *Et lachrymatus est JESUS.* Joan. 11. Sed cur ploravit, & JESUS, an lachrymas elicuit, quibus mortuus illius solatium sentiret, & redivivus beneficio lachrymarum ad novam surgeret lucis uluram? flevêre sorores, quia fratrem juvare non potuerunt, nec ejus obviare morti, proinde deperditi fratris stipendiarias oculis solverunt lachrymas: fleverunt adstantes Judæi, & fortàssis honorariæ fuerunt eorum lachrymæ, cum alienus dolor eas fortassis extorserit: sed si Christus lætitia se dixit diffluere, eò quia mortem audierit Lazari, cur nunc luget, imbrésque fundit lachrymarum? *Et lachrymatus est JESUS*, an ut steriles sepulchri cineres pluvijs irrigaret lachrymarum, quibus germen producerent novæ in mortuo Lazaro vitæ?

18. Verùm quia lætatus fuerat cœlestis medicus de nece Lazari, lachrymis postea satègit gaudium diluere, ut nos edoceret modicum gaudium lachrymis esse tributarium; flevit post gaudium, quia mundanæ lætitiæ est fletus appendix: ante biduum temperatè gavisus fuerat Christus, & mox largiùs luget, ac fusiores liquescit in lachrymas, affinis enim gaudio est luctus, & conterminus lætitiæ fletus, cum breve gaudium lachrymas ubertim evaporet: pulchrè S. Petrus Chrysologus ait: *Quid horum Christus, & si nihil horum, quare flebas? certè ipse qui dixerat: Lazarus mortuus est, & gaudeo, de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat, tunc lamentatur*; Serm. 64. cùm modicum præmisisset gaudium lachrymas postea elicuit, *& lachrymatus est JESUS*, non mortuo fuit illachrymatus, quem ad vitam erat mox revocaturus, sed ut adstantes instrueret, mundi gaudium lachrymas semper accersere; & mœstitiam fucatæ mundi lætitiæ esse pedissequam: siquidem *extrema gaudij luctus occupat*, sitque cælestis tantùm gaudij privilegium immune esse à censu lachrymarum.

19. Neque quid aliud parturit mundanus risus, quàm cruces, & tribulationes, & lachrymas; lætitiam suis spondet mundus

deliciis, sed quæ in risum desinat Sardonicum, non quidquam adfert lætum, sed lethum infert; plus enim semper ingerit damni: sunt enim plura, de quibus solent homines mundanas aucupantes delicias gaudere, in quibus tamen non gaudium, sed luctum reperiunt: delectantur ferculis, & lætantur in convivijs, sed ingluvie vigor exhauritur rationis, & fercula, haustúsque lætitiam excitantes, sub larva delectationis vulnus contegunt doloris; quia uterini eodem nixu exorti sunt fratres dolor, & mundi gaudium, hoc voluptati adhærescit, & hæc dolori adnectitur, hinc Seneca: *Si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati, idem sibi in me juris esse volet, & ambitio, & ira, inter tot affectus distrahar, imò discerpar.* quia voluptatibus, & mundi gaudijs, qui diffluit, anxie discerpitur dolore, & in lachrymas liquescit, qui gaudio exultaverat: delicatuli, & nitiduli, qui nonnisi mundi deliciis, lætitiisque inhiant, promptiùs morbis, doloribúsque lancinantur, & ijsdem per tormenta rusantur capilli, & cervix dum splendentium margaritarum tremula lætatur pulsatione, onere torquetur oblectamenti; idque & mundi gaudium præstat, cùm doloris, & mœroris sit & ipse fœcundus parens.

Epist. 51.

20. Accersitur in testem omni exceptione majorem infelix Sisara, qui certamini subductus indecoram arripuit fugam, & ad Jahelis improvidus confugit tutelam, & quia itineris labor viscera inflammaverat, humores exiccaverat ad fauces jam arescentes, & sitim acuerat, sopiturus ardorem, sitimque extincturus enixim haustum frigidæ petijt, sed Jahel non ad fontem cucurrit, sed lacteum poculum dolosa obtulit liberalitate, quod siti adustus avidissimè exiccavit Sisara. Aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, quod blandè siti adulabatur, simúlque ardori eblandiebatur. An verò recens, esset vel jam acore vitiatum, refert Josephus, acidum fuisse, proximúmque corruptioni, quod propterea sua mordacitate gustum exasperaret, ait Josephus: *Potum poscenti lac exhibuit acidum, quod ille cùm avidiùs ingurgitasset, in somnum est resolutus:* in lacte scilicet natabat dulcedo, sed acore admista, ut acrimonia dulcedinem temperaret: non hausit sitiens Sisara solam, merámque dulcedinem, sed cum lactea dulcedine acrimoniam acoris, quæ licèt palatum offendisset siti non laborantis, gustui tamen sitientis fuit oblectamento. Sed post exiccatum poculum sopitur somno Sisara, oculos claudit, quos dolosa mulier aperit, caput transfixura clavo: *Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi assumens pariter & malleum, & ingressa abscondité; & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussúmque malleo defixit in cerebrum usque ad terram.* En potiùs solatio transfixio capitis secuta est, & exhibitum lætitiæ poculum luctum accersivit mortis, quia quisquis se mundi delicijs, gaudijs, ac voluptatibus addicit, luctus, lachrymásque accersit. Quàm dolosa est mulier! lacteam exhibet voluptatem, mortem allatura.

Lib. 5. antiquit. cap. 1.

Judic. c. 4.

21. Quàm bellè igitur Ecclesiastes risum, seu mundi gaudium errorem reputavit: quia non solùm mentem non exhilarat, nec guttam propinat veræ voluptatis; verùm sitim morbosa hidrope acuit, & intus torquet, idque in Cajo Cæsare notavit Seneca, de quo ait: *Quem natura videtur edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent:* postquam enim munificentissima opera templi, & palatij ad miraculum usque excitâsset, ac in summa rerum omnium vixisset affluentia, diffluxisset gaudijs, demum otio, ac delicijs enervatus eò turpitudinis prolapsus est, ut non contentus septingentis primarijs, ac trecentis secundarijs uxoribus, innumeras præterea adolescentulas, quas D. Hieronymus Pellices vocat, & scorta, propriæ explendæ libidini subrogaverit, & à mulieribus in transversum actus, omnium in cœno vitiorum volutatus est. An non apicem humanæ felicitatis visus fuerat attigisse? sed cum humano gaudio exultaret, mœrore, vitiorum cœno coinquinatus, torquetur: hinc scitè Ecclesiastes *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* est siquidem crassissimus error ab ijs rebus veram felicitatem, & lætitiam sperare, quæ cum vacuitate duntaxat sint plenæ, famem excitant, non satiant, imò & ita sunt perniciosæ, ut funesto exitu nonnisi lachrymas eliciant.

Consolat. ad Helvi.

Epist. 131 ad Vital.

22. Hanc deliciarum inanitatem, gaudijque fallaciam innuit Isaias inquiens: *quæ nolui elegistis. Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis:* quia cum ea sibi fercula in mundo delegissent, quæ nostrum non valent explere appetitum, cujusmodi sunt mundi deliciæ & vana gaudia, ideo etiam inter epulas, luxúmque ferculorum esuriunt, & fame torquentur, musicósque inter concentus exitio suo gemitu prælodunt præsago; plures enim lætitijs exultantes lugubrem vitæ suæ dedêre catastrophen, ut Cleopatra Ægypti Regina, quæ non tam jure, judicióque, quàm conviviorum luxo decertatura ad Antonium venit delicijs diffluens, gaudio exultans. Sedebat mulier media in triremi aurea sub umbella cœlestem potiùs Deam, quàm terrestrem repræsentans mulierem: cujus latera stipabant lectissimæ puellæ ornatu Nympharum conspicuæ, quæ aureis thuribulis Cydni ripas omni genere perfunderent odoramentorum: sumptúque conviviorum Antonium provocans cætera inter fercula unionem ingentis pretij

Cap. 65.

ducentis

ducentis scilicet quinquaginta millibus imperialium æstimatum, & acri liquefactum aceto sorbendum Antonio dedit. Sed quid hæc gaudia, voluptates, & libidines Cleopatræ, & Antonio profuerunt? rebus desperatis, fortunisque eversis violentas sibi manus intulêre, & extrema gaudii luctus occupavit.

23. Mundi gaudiis inhiavit etiam Vitelius, de quo Suetonius refert, (cap.13.) patinam ingentem immensis propemodum impensis contraxisse, in qua Scarorum jecinora, Phasianorum, & Pavonum cerebella, linguas Phenicopterum, murænarum lactes à Carpathio usque, fretóque Hispaniæ per navarcos, & triremes petita commiscuit: hic enim licèt gulæ voluptati mundi gaudiis indulsisset luctum. & lachrymas habuit suæ lætitiæ pedissequas: siquidem laqueo tandem per viam sacram raptatus, ut narrat Suetonius in Vitelio, (cap.17.) cœnóque, ac stercore conspurcatus, minutissimis tandem ictibus apud Gemonias excarnificatus est. De hisce & aliis mundano gaudio indulgentibus Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosio recitato eleganter ait: *Delicati illi parùm se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hiberna poculis rosa innatâssent, nisi æstivam gemmis capacibus glacie falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat orbis noster: appositas enim dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum acquiescebant, quas extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragijs maria misissent.*

24. Hisce adjiciendus est Apicius, qui scientiam popinæ professus cum duos milliones auri cum dimidio comessationibus abliguriisset, mundíque gaudijs indulsisset, tandem ære pressus alieno, & rationes inspicere coactus invenit superfuturum sibi centies sestertiûm, & veluti in ultima fame victurus, si centies sestertio vixisset, ut ait Seneca (Consolat. ad Helvi. c.10.) vitam veneno finivit: extrema etiam laborant paupertate, mundi qui divitiis, ac lætitiâ diffluunt, quibus in uno Apicio plura centena sestertiorum extrema fuit paupertas: sestertium in neutro genere mille nummos sestertios valebat, habuit enim sestertium eandem proportionem ad libram Romanam, quæ mina, & pondo dicitur, quam nummus sestertius ad assem, seu ad libram æris gravis: continebant singula sestertia in se duas libras Romanas, & semissem, & singulæ libræ drachmas, vel denarios centum, seu sestertios in masculino quadringentos: sestertius enim apud priscos Romanos argentea erat moneta, cujus valor quartam partem denarij argentei non excedebat.

❀ (o) ❀
❀

§. III.

Mundi gaudio, ac deliciis, qui diffluit anxio discerpitur dolore; & cum lætitiâ exultaret fucatâ; mox liquescit in lacrymas.

25. Risum mundi Ecclesiastes errorem reputavit, quia ex delicijs oritur, quæ valetudinem corporis, virésque animi prorsus enervant, & rectæ rationis lumen extinguunt, aciémque obtundunt intellectûs; non enim fieri potest, ut ubi gulæ, & gaudio poculorum exiccationibus, seu immodico haustui indulgetur; ibi sobrias intellectus suggerat cogitationes, & mens fœdis oppleta evaporationibus recta cogitet, neque enim cum defœcata mentis cogitatione corporis potest voluptas, & gaudium congruere; quia mundi lætitia mentem concupiscentijs alligat, & in vitium trahit: serpit hæc lætitia perinde ac venenum, & ad imas usque corporis, animæque fibras se insinuat totum eversura hominem: sicut enim ait Eusebius Emisenus. (Homil. de Epiphan.) Quando humore, & scabie cutis corporis vitiatur, ex vitio cutis corruptio carnem exulcerat, ab exulceratione verò carnis prurigo titillat; ita per oblectationem malorum de negligentia proficit culpa, & de luxuria crescit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas transacta non satiat, sed suo usu magis accenditur vitiorum cupiditas, quàm extinguatur, & lectatorem suum nunquam consumenda, consumit.

26. Alia est itidem ratio, ob quam Ecclesiastes risum reputavit errorem, quia cùm in exilio hic degamus, & in valle sedeamus lachrymarum, adhuc obvijs mundi delicijs se plures ingurgitant, & profano gaudio dissoluti in varios proruunt errores; & fallacis mundi deliniti suadelâ ad naufragiorum infames sirenum scopulos impingunt, & momentanea capti dulcedine in Lotophagorum deserto littore computrescunt, vel Circeo voluptatis poculo fascinati brutorum mancipantur stabulis. Nil habent terrena gaudia, quô valeant famem desiderij nostrî explere, eò quia inania sint, ac prorsus vacua; quin imò Circæo poculo porcorúmque siliquis haud abludentia nostros faciunt animos obbrutescere. Non igitur gaudia, quæ mundus spondet vera sunt, sed inania, & fucata menti exhilarandæ inepta; hinc etiam Plutarchus ait: (Contra Epicur.) *Nemo sanus mundi oblectationes, vel lætitias germanas, ac veras appellet; imò si ullus est animi Sardonicus risus, in his est.*

27. Quid? quod mundi sectatores ea teneantur fatuitate, ut cum sciant, Sardonicum esse mundi risum, ac lethale gaudium, eò tamen avidiùs inhiant? an non lacrymas petunt cum mundi gaudia expetunt? hæc

enim qui sequuntur, luctus, mœrores, reliquósque morris comites assequuntur; quia mundi risus Sardonicus est comes ægritudinis, & lethi fœcundus parens; & tamen arridet ridentibus cum mundo risus iste, quamvis molestijs ematur, & non nisi dolores pariat, mortémque inferat; sed hi quò plus in risum effunduntur, eò nocentiora sibi vulnera infligunt; & de sui perditione lætantur, ijs haud absimiles, qui fortè sumentes exitiales herbarum succos cum risu perire dicuntur.

28. Ridet de malo suo mundi lætitia, & de suo interitu gaudet mundi gaudium, quia necem infert, cui risum adfert: de Goæ mulieribus, perhibent nonnulli, consuevisse datroa uti herba, quâ viros fallerent; hujus siquidem herbæ succus in cibo, vel potu propinatus insano similes bibentes, vel edentes reddebat, cum à sana mente dejecti non intelligerent quicquam, sed semper riderent, donec non jam ridendam, sed lugendam obirent mortem: mundani gaudij, qui succum ebibunt, rident quidem, sed ut pereant; & eò nocentiùs, quò se perire minimè intelligunt; gaudent ut lacrymis madeant; exhilarantur mœrore mox interficiendi: mundi gaudia aucupantes retibus voluptatum, quas mundus exhibet, decipiuntur, & se ipsos decipiunt, quia mundi voluptatibus irretiti præda fiunt Satanici Aucupis; & quærentes gaudia non nisi mœrores, ac luctus inveniunt; idque præ ceteris expertus fuit Marcus Aurelius Imperator, qui mundi delicijs abundè satur per cuncta se vitia exercuit, periculum facturus, num posset humana malitia se ipsam saturare; sed delicijs saginatus, quò plus cibi in mundi voluptatibus sumeret, famem accersebat acriorem; quò plus biberet ardentiorem inflammabat sitim; quò plus deliciarum ex mundi hauriret voluptatibus, eò plures semper cupiebat; & tandem fassus fuit, nil unquam obtinuisse, quod appetitum sedaret; & non alias habendi delicias desiderium potiùs provocaret. En quàm vacua est, ac inanis mundi lætitia, quàm inops veri gaudij, quàm exsucca, fallax, & fugax. Rectè igitur dixit

Cap. 2. Ecclesiastes: *Risum reputavi errorem: & gaudio dixi: quid frustra deciperis?*

29. Error est risus, quo homo mundi delicijs, ac voluptatibus addictus exultim hilarescit; quia *qui rident de rebus vanis*, ait D. Augustinus, *de malo suo rident*; gaudere autem de proprio detrimento, ac interitu error est mentis, quæ à sano sensu cecidit: cum mundi delicijs affluens exultat, hilarescit, ridet, ideo gaudet, quia putat bonis frui, & in illis deliciari, & in hoc decipitur, & errat; quia tunc ait Augustinus *de malo suo ridet*: proinde Salomon, hunc risum, quem homines ex mundi delicijs, & voluptatibus hauriunt errorem appositè dixit; quid enim tam fatuè erroneum, quàm bonum sibi, & commodum censere, quod sibi est noxium, damnum adfert, ac interitum infert? ita futilis mundi lætitia judicium perstringit; ita mentem evertit, hominémque dementat, ut homo etiam de proprio damno gaudeat, & sibi proficuum putet, quod est noxium; lætum, quod lethum accersit; jucundum quod lacrymas elicit. O detestandas mundanæ lætitiæ præstigias! quibus hominis appetitus ita delirat, ut risu lacrymas quærat, hilaritate mœrorem aucupetur, gaudio fletum emat, delicijs dolores accersat; & tandem larvatis mundi voluptatibus interitum sibi expetat? quid stultiùs, quàm hianter sibi exitiale vulnus exoptare? quid à sana mente magis alienum, quàm ijs enixim inhiare, quæ judicium evertunt, hominémque pervertunt? quid magis erroneum, quam anhelo corde ea concupiscere, quæ non nisi damna inferunt, & interitum adferunt? talia sunt gaudia, quæ mundus suis spondet voluptatibus: quid enim sunt voluptates? nisi dolorum, ac damnorum appendices, trahunt enim secum ingens malorum agmen; etenim ex voluptate, quæ in esculentis, poculentisque quæritur, oritur gravedo capitis, dolor stomachi, ægritudo corporis, imbecillitas virium, & tandem mors ipsa ex cruditatibus accelerata; sitque propterea voluptas perinde ac equus Troianus integram malorum effundens aciem, quæ non solùm corpus corrumpunt, sed & animum infestant, cum nemo vix possit cum mundo gaudere, ac voluptate uti corporis absque læsa conscientia, & salutis discrimine, ac gratiæ dispendio. An non noxium est gaudium, quòd ex voluptate hauritur? cum sit radix, è qua mala omnia germinant, hinc Salomon nos salubriter instruit, ut effusa mundi gaudia declinemus, ut insidiosa, & dolore plena: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Proverb. 14.

30. Qui sapit mundi gaudio non se credit, sed lætitiam toto nisu fugit, quam mundi spondent voluptates, eò quia sub specie, & larva hilaritatis, dolores, & lachrymas nutrit: suspecta semper est hæc lætitia de ingrata doloris mixtura lætitiam corrumpente, & gratiam fallente, & vellente: pulchrè Guahfridus expendens illud: *Risus dolore miscebitur*, ait: *Quàm infelix est mixtura, si materia lugubris, fallacem sibi formam induat gaudiorum, & affectum lætitia causa tristis usurpet. Nec illum inter risus dolore caret, qui delicias putat esse sub sensibus; & licèt foris intentus, vel distentus potiùs, parum intus sentes sentiat, compungitur tamen in cubili suo. Quòd si in hac perniciosa gaudij mixtione perstiteris, luctus sanè non mixtus mixtè occupabit extrema, & quod extremum fuerit æternum erit.* Quàm noxia, & frau- Ibidem.

fraudulenta est hujusmodi mixtura, in qua humanarum voluptatum materia funestè lugubris, lætitiæ avara est, ac præcocum pabulum gehennalium cruciatuum; fallacem enim induit gaudiorum speciem, cum affectum lætitiæ nonnisi tristis causa usurpet: an non fellis cum melle dixeris hanc mixturam, quâ risus dolore miscetur, & gaudium luctu? imò si quid inest melli dulcedinis, hanc fellis amaror totam corrumpit, & dulcedo voluptatis, ac gaudij tota in amaritudinem lachrymas elicientem degenerat, quia Proverb. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.* Quàm vacua, & inanis est lætitia, quam mundus suis voluptatibus, ijsdémque indulgenti propinat, cùm tota desinat in luctum; nomen duntaxat præsefert lætitiæ, & gaudij larvam, cùm intus nonnisi tristitiam, angorem, luctum, & amaritiem contineat, ac dolores cudat, quibus eò lethaliùs feriat, quò sub specie lætitiæ crassiùs decipit: ridet extima in vultu cutis, sed dolet intus cor; flores exhibet in genis, & spinis intimiora lancinat viscera; qui enim exteriùs mundi indulgens voluptatibus videtur ridere, intus dolet, & acriori angore uritur.

11. Non igitur fidendum est externæ mundi lætitiæ, nec ei credendum: splendor quidem lætitiæ videtur faciem exhilarare, sed cor intus torquetur, & urens flamma clanculum præcordia ustulat: appositè S. Bernardus exponens præfatam sententiam. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat*, ait: *Accenditur cereus, non purum lumen est, sed lucerna, siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fovetur: porrò deficiente materia, etiam ipse deficit; & ubi illam videris prorsus exustam, hunc quoque nihilominus consumptum esse reperies: sicut ergo flamma illius novissima fumus occupat, & caligo; sic lætitia mundi in tristitiam mutatur.* Tametsi mundi gaudium suo videatur fulgere nitore, ac luce perfundi, quâ præfulget in genis, & translucet in facie; quia tamen ex flamma oritur, quæ mundi depascitur voluptates, & instar flammæ cerei unà cum voluptate absumitur deficiente pabulo; quid aliud emittit, quàm caliginosum fumum lachrymis eliciendis idoneum, quia extrema gaudij luctus occupat: & licèt flammæ pedissequa sit fumida hæc caligo, cujus fulgor in ore duntaxat ridente splendet, intus tamen medullas ustulat cordis, ac molestissimè singula urit præcordia, quæ perinde ac flamma ceram depascitur, exedit, ac absumit. Proverb. 14.

12. Flammam esse dixeris mundi lætitiam, quæ exteriùs splendet, sed intus destruit, nitor exteriùs diffunditur, & intus perniciès infunditur; lux exteriùs arridet, sed tristitiæ fumida caligo intus torquet; exteriùs flamma in conum erigitur, sed fumus intus præcluditur; & quoties indulgens mundanæ voluptati videtur exterius deliciari in splendore, intus fumo suffocatur; & nigra caligo extinctæ mundanæ lætitiæ funesta extrema miserè occupat. Quis hanc larvatæ lætitiæ flammam scintillam non dixerit ex gehennali emersam incendio? cùm ad id duntaxat spleddeat, ut torqueat; incrementum subeat, ut consummet; surgat, ut deprimat, ac in tartareum detrudat carcerem, cùm nemo possit noxia hac mundi lætitia frui sine Nummis, ac conscientiæ læsione, & sine salutis periculo, ac gratiæ dispendio? vel enim remissa est mundi lætitia, vel intensior: si tenuis, non videtur certè operæ pretium tanto impendio eam emere: sin verò intensior fit, eò tunc culpa est gravior, quò lætitia uberior; & eò conscientia est inquietior, quò plus crescit gaudium: quinimò sequitur subinde, ut nulla sit amplius conscientia, nulla religio, nullus Dei metus, nullum virtutis studium, nulla salutis cura, nec fides æternorum, nec spes futurorum, quia noxium mundi gaudium, quam priùs conscientiam inficit, mox delet, ac absumit, & quidem brevi temporis defluxu; volatica est enim omnis voluptas, & lætitia, quæ ex ipsa percipitur; vix oritur, statim moritur, vix in ortu splendet, & in occasu delitescit; sicque propterea momentanea potiùs lætitia, quàm diaria.

13. Quòd si metiri velimus mundi lætitiam, cum ejus pœnitudine, quamvis illa momentanea sit, hæc est tamen æterna; illa fluit, hæc hæret; illa transit, sed hæc manet; illa per breve tempus facessit, & hæc per æterna sæcula lacessit; brevis est lætitia, sed longæva ejus pœnitentia; & quò diuturnior, eò vegetior, comitetúrque propterea mundi gaudia, vel præcox pudor, vel setus dolor. Quòd si mundi lætitia plena est vanitatis, est tamen referta omnis perversitatis. Imò Pandoræ dixeris pyxidem, è qua una tot scelera, portenta, supplicia, fames, pestes, cædes, calamitates, ærumnæ, morborum agmina, ac tandem mors ipsa erumpit: ex hac enim vomica omnium malorum purulentiæ ebullit; ex hoc camino vitiatæ naturæ noxius fumus semper ascendit, & fœdæ libidinis ejectantur scintillæ. Est hæc mundi lætitia lactis haustus ille, quem dolosa Jahel sitienti propinavit Sisaræ; parum aquæ hic petierat, sed lactis florem, ac pinguedinem in laxiori exhibuit phiala. *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum.* Judic. 5. Sicut stolidè Sisara improbæ fidit mulieri, quæ lactis dedit dulcedinem, mortis mox propinatura amarorem; ita nonnisi stolidus est, qui mundo fidit, ejúsque lætitiæ, quâ dulcedinem videtur quidem propinare, sed mortem ut inferat. Quàm noxia sunt mundi gaudia? lactis blandimentum, & butyri mollitiem vi-

videntur porrigere, & exhibere; sed tela tegunt, quibus vulnera infligunt, & mortem adferunt: idque expertus fuit David, cum Bethsabeam accersivit, cujus gauderet Psal. 54. consortio, ait. *Molliti sunt sermones ejus sicut oleum, & ipsi sunt jacula:* & quidem qualia vibravit blandum quidem, sed exitiale Fenellæ pomum, de quo Cardanus Lib. 12. cap. 50. de rerum variet. ait: Tot fuisse insidijs refertum, quot gemmis splendidum, tot gladijs armatum, quot nitoribus exornatum; illud enim tetigisse perinde fuit, ac perijsse, erumpentibus nimirum ex illo jaculis: ita mundi lætitia illicit quidem extimo quodam splendore, sed intus nonnisi noxia apparat jacula, quibus & sæviat, & feriat.

34. Habet hos mundi lætitia, quæ ex fluxa voluptate percipitur, quia philtro lactat, consopit, & perimit: quapropter unam ex Lamijs dixeris esse, de quibus Threnorum dicitur, Cap. 4. *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt Catulos suos*, sunt verò Lamiæ in fabulis monstra umbilico tenus speciem præseferentia mulieris; deorsum verò prorsus ferina; mammis tamen lactantium mulierum more protuberantibus: eos tamen, quibus lac propinabant, crudeliter interficiebant, ac infeliciter devorabant; si Lamijs dixeris mundi lætitias haud dissimiles, à veritate vix te aberrâsse deprehendes, lactis dulcedinem propinant, sed mortis ut inferant amarorem, proinde Salomon monet. Proverb. 1. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis.* Neque vera est illa lætitia, quæ nonnisi vulnera infligit, & lachrymas elicit: umbratilis est, cujus symbolum dedit Jonas, Cap. 4. *Fecit sibi umbraculum, & sedebat super illud in umbra, & lætatus est Jonas super hedera lætitia magna:* sed quia in umbra hanc fuerat lætitiam Jonas aucupatus, nonnisi umbratilis fuit, inanis scilicet, vacua, & brevis: siquidem hederacea hæc voluptas duplicem experta hostem fuit, Solem scilicet, & Vermem, ab isto corrosa, ab illo exiccata fuit, & paucas inter horas omnis hæc umbratilis lætitia evanuit: an non mundi voluptates plenæ sunt hisce umbraculis? florent quidem, quia alliciunt; sed proximum semper exitium huic imminet hederæ; vix degustantur, & statim pereunt, & dum splendent, extinguuntur: ex ijs, qui mundi gaudia aucupantur, alios Lucillianæ mensæ farciunt, & alios Apicij dapes saginant, alios Cleopatræ fercula reficiunt, alios luxuria inflammat, sed hæc omnia umbracula sunt, & nonnisi umbratiles exhibent lætitias. Jonæ cap. 4. *Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit*, nimirum parati sunt vermes, qui sive hodie, sive cras hospites expectant in sepulchro, quotquot mundi gaudijs indulsêre; velimus, nolumus, ex hac fluxa humanorum gaudiorum umbra ad ferales Manium evocamur caligines, umbrásque luctuosas, quibus illustriùs instruimur, & scimus quàm umbratiles sint mundi lætitiæ.

Non umbratiles tantùm, sed & imaginariæ sunt, quæ ex mundi voluptatibus lætitiæ percipiuntur, quia nonnisi cordis anxietates adferunt. *Cogitationes eorum, timores cordis, adinventio expectationis:* 35. Eccles. 14. nimirum gaudia eorum, qui mundi inhiant voluptatibus, timores sunt cordis, quia nonnisi angores, & molestias ingerunt; inter ærumnosas hominum molestias recensentur cogitationes, quæ imaginationis vagâ licentiâ animum non solùm distrahunt, sed etiam discruciant, urúntque, ut gaudijs mundi perfruatur; & hinc timores oriuntur, & anxietates cor molestiùs coarctantes, ne fortè animus hisce cogitationibus distractus, gaudia, quæ appetit, non assequatur; & tristitias, quas aversatur, incurrat. Id tamen mirum esse videtur, quòd adinventio expectationis, seu erectior spes mundi inhians gaudijs, hominis adnectatur molestijs, cum nil dulcius esse videatur spe, quâ homo futura gaudia videtur præproperè gustare, & per expectationem eorum anticipare possessionem. Sed adinventio expectationis nil aliud esse videtur, quàm excogitata imaginatio, seu mentis veluti figmentum: sæpe enim spes arescit, & cum nunquam, quod sperat, assequatur, spes non est, sed merum spei commentum, quod homo sibi comminiscitur, & in mente fingit, ac imaginatione figit; cum ad larvata mundi gaudia, veluti ad vera avidiùs aspirat: est tunc hæc spes adinventio expectationis, & commentum cogitationis, cùm nullum ibi sit verum gaudium, ubi se gaudere posse sperat: imò cum hianter quis mundi exoptat gaudia, & votivè spectat; non gaudia, sed mœrores quærit, & non de rei veritate gaudium, sed de imaginationis falsitate merum gaudij commentum, & verum tristitiæ incrementum invenit: quia voluptas quamvis aliquid videatur habere oblectamenti, quo sensum titillat; admixtum tamen habet etiam tormentum, quod dirè discruciat, & animum torquet.

§. IV.

Mundi voluptas gaudium spondet, & lachrymas extorquet; oscula figit, & vulnera infligit.

Qui mundi inhiant gaudio hos suis voluptas præstigijs eludit, & futilis lætitiæ anxietas torquet: id igitur enixim agamus, ut gaudiorum irritamenta, & blanda fallacis lætitiæ illicia procul exterminemus. Indurandus potiùs est honestâ ani- 36.

animus virtutum exercitio, & à volupta-
tum delinimentis prorſus retrahendus, cum
virtutum exercitio verè reficiatur, & læ-
titiæ illicijs decipiatur; & tamen, adeò
mens hominis cæcutit, ut ardenti hidrope
ſemper gaudium ſitiat, quod mundi vo-
luptas ei propinat: eſt virtus germanum hu-
manæ mentis ornamentum, cujus nitorem
voluptas inficit, & mundi gaudium delet:
voluptas enim vulnera infligit, & ſub læti-
tiæ ſpecie dolorem tegit: ſiquidem uterini
eodem nixu exorti fratres ſunt dolor, &
gaudium, nec ſejungi poſſunt, quia natu-
rali admixtione junguntur: hinc Seneca,
Epiſt. 51. *Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori,
cedendum labori, cedendum eſt paupertati,
idem ſibi in me juris eſſe volet, & ambitio,
& ira: inter tot affectus diſtrahar, imò di-
ſcerpar:* ſiquidem mundi voluptatibus, &
gaudio, qui indulget, dolore anxio di-
ſcerpitur, quia mundi gaudium mellis dul-
cedinem fellis amaritudine habet attempe-
ratam, & poſt fellis amarorem mortis ad-
fert ſupplicium.

37. Idque Balthaſar expertus fuit, inſanus
enim, ac ſuperbiſſimè turgidus cœnam ap-
paravit ſaporatis, variiſque ferculis inſtru-
ctam, & poſt multiplicia humani gaudij ir-
ritamenta, gulæque deliria, usque ad
auſu ſacrilego profananda vaſa divino cul-
tui addicta, inſanijt delicijs affluens; ſed
& dignam etiam inſaniæ ſententiam tulit:
digiti ſiquidem apparuêre ſcribentes in pa-
riete, ad quorum primum intuitum variæ
cogitationes animum perturbârunt Baltha-
ſaris: ſedebat ille vino madidus, ſimúlque
fervens, ſed genua gelido timore correpta
ſe ſe concuſſa feriebant; ſtomachus aſſum-
ptum cœpit cibum faſtidire, ut ea corpus
parte doloris ferret ſævitiem, quâ intempe-
rantiam nutrierat; renum itidem diſſolve-
bantur compages, quia cum per veneream
voluptatis futilem mundi lætitiam hauſiſ-
ſent, eandem modò, ut noxiam excludere
Daniel, 5. ſatagebant. *Tunc facies Regis commutata
eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum,
& compages renum ejus ſolvebantur, & ge-
nua ad ſe invicem collidebantur:* ita eſt,
Sympoſijs anxietas admiſcetur; & gravi
dolore ſemper corrumpitur mundi gaudi-
um, quod ferculorum ingerit voluptas: in
Balthaſaris corpore varia torquentur mem-
bra, & mens ipſa triſtiſſimis diſcruciatur
cogitationibus: accerſitur tunc Daniel, qui
ignotos Chaldæis characteres interprete-
tur, quos dixit hæc ſignificare: *Diviſum
eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, &
Perſis:* ſubditque textus: *Eadem nocte
interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus.* Ec-
ce quot ærumnæ, & calamitates unius fue-
runt gaudij pediſſequæ; quot ſupplicia ve-
luti appendices mundi gaudium ſecum in
unica tantùm cœna traxit. Cum delicijs
corpus ingurgitaretur, ac immodicis reple-
retur obſonijs, digiti in pariete ſcribentes
dolorem ingeſsêre, & infauſti characte-
res lethalem animo impreſsêre mœrorem:
neque ſatis fuit immiſtum mundiali gaudio
dolorem toleràſſe; ſed poſt invitam tole-
rantiam ſententiam etiam doloroſæ mortis
ſubjit. En quot anxietatibus, ac dolori-
bus eſt mundi gaudium obnoxium! quòd
ſi diſcuſſis paſſionum tenebris oculos aperi-
remus, utique diſpiceremus, quàm futilis
ſit fugax, & fallax humana lætitia, quàm
ſit doloribus obnoxia, & quàm fœcunda ca-
lamitatum mater: non potuit Balthaſar ad
modicum tempus mundi indulgere gau-
dijs, quin ſtatim acrioris triſtitiæ experire-
tur dolores, ac mortis ſubjaceret ſenten-
tiæ.

38. Non ſolùm inſigne hujus veritatis do-
cumentum purpuratus Balthaſar luxurians
in epulis dedit; verùm & pannoſus ille ruſti-
cus evangelicus, qui invitantis ad cœnam
ſprevit obſequium: dixit enim, *Juga bo-* Luc. 14.
*um emi quinque, & eo probare illa, rogo
te, habe me excuſatum,* quinque boum ju-
ga, quinque exteriores eſſe ſenſus, edocet
D. Auguſtinus, quia cùm boves terram
verſent, arêntque; nulli dubium, quin in-
gens ſit bubulco labor duriſſimas telluris
proſcindere glebas, ac mugientium boum
audire ſemper, & ſequi voces; cúmque &
ſenſus corporis terrenis ſemper inhient vo-
luptatibus, & gaudijs, nunquam videntur
carere gemitibus, ſed jugibus potiùs tor-
queri doloribus: imò & eandem ſubire pœ-
nam, quam ruſticus ille Evangelicus exper-
tus fuit, & quam expreſſit, inquiens: *Rex,* Matth. 22.
*cum audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus
ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem
illorum ſuccendit:* quia gehennalis ignis
nunquam moriturus eos excipit, & torquet,
qui terrenis hiſce voluptatibus inhiârunt, la-
bores exantlârunt, ac ſudores fuderunt in
terræ cultu, ut flores decerperent gaudio-
rum, hinc exclamat Chryſoſtomus, *O mi-
ſerrimus mundus, & miſeri, qui eum ſequ-
untur, ſemper enim mundialia opera homi-
nes excuſſerunt à vita,* ſed parum eſſet
excludi duntaxat à vita; ſed quod deterius
flammis aduruntur nunquam extinguendis,
qui agrum exercuêre labore magno, & exi-
guo oblectamento. Fallax eſt ſenſus, volati-
cis illicit oblectamentis, & pœnis excru-
ciat durissimis: perſæpe fallitur viſus; quæ
enim eminus ſpectata commendavit, ut ſpe-
cioſa; cominus diſcuſſa omni deprehendun-
tur venuſtate ſpoliata: imò non ſolùm ſe
ſenſus fallit, ſed & animum decipit, quem
ad volatica inflammat ſolatia; adeò ut, qui
ſenſuum paret imperio, evanidis eluda-
tur delicijs, laboribúsque divexetur duriſ-
ſimis: cùm è converſo, qui rationis colit
imperium, laboribus ad ſpeciem prematur,
& gaudijs fruatur verioribus.

39. Hebræorum populus ſcelerum incre-
mento divinam exulceraverat iram, quæ ta-
men eò graviora decrevit ſupplicia, quò
de-

Cap. 4. delicta excrevêre uberiora. Judic. 4. *Addiderunt Filij Israël facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manus Jabin Regis Chanaam,* quæ verba expendens Origenes *homil. 4.* in Judic. Jabin interpretatur sensum, qui cùm sit voluptatis instrumentum, non videtur supplicium sensibus tradi, sed potiùs jucundissimum oblectamentum: sunt enim sensus fontes voluptatum, illicia deliciarum, & januæ, per quas terrena gaudia mentem ingrediuntur, quam exhilarant; sed cur Deus, ot de tot sceleribus veluti improbitatis metas supergressis dignam sumpturus vindictam sensibus tradit peccantes, quibus voluptati indulgeant, & mundana foveant gaudia? terrenæ inhiantibus voluptati nil magis volupe, quàm sensuum adhærere illecebris; & sensibus eos tradere non est damna ijsdem inferre, sed eorum potiùs promovere studia: imò non solùm traduntur sensibus, ut dignâ mulctentur pœnâ; sed à rationis quoque dejecti imperio pecudum gregi adjicinntur, ut brutorum instar sensuum duntaxat ingurgitentur illerebris. Sed non credas à cruciatu, & dolore immunes, quos sensuom illecebræ decipiunt; etenim Jabin, & Sisara, quia sensibus traditi; non delicijs, & voluptatibus exundant, sed mœrore corrupti lachrymis madidi suspiria, & gemitus edere cognntur; nec doloris valent acerbitatem decoquere vehementer oppressi: *Nongentos habebat falcatos currus, quibus affligeretur*, scilicet, ut ait Glossa interlinearis *populus duræ cervicis:* quamdiu ratio non servit, sed imperat, falcatis homo non teritur curribus; sed fallacijs atteritur, dum subjicitur imprudentissimè sensibus, ut perinde sit sensibus tradi, ac doloribus atteri, tormentis torqueri, cruciatibus dilaniari, quatenus sensus voluptatibus indulgent, & hæ mundi gaudia accersunt, quæ sub specie risus lachrymis madent, rosas exhibent, & spinas tegunt; dulcedinem spondent mellis, & fellis propinant amaritudinem.

40. Expertus id fuit prodigus ille evangelicus, qui à patre, ac domesticis parietibus prolixo sejunctus intervallo, fœdo inservivit appetitui, cui se totom dederat: cùm enim sensuum indulsisset voluptatibus, totúmque abligurjisset patrimonium, portionémque, quæ ei obtigerat, ac mundi gaodia degustâsset, tandem cœpit egêre, & pedissequas hujus lætitiæ ærumnas sentire, fame stimulari, & squalentis cibi suiles escas ad ejus coërcendos stimulos appetere: *Cu-* Luc. 15. *piebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Et tunc in se reversus, videns quàm futile sit mundi gaudium, quàm fallax, & fugax exclamavit. *Ego hic fame pereo:* incrementavit ardorem desiderij, dum cuperet ventrem de siliquis implere; & simul tormentum supplicij, dum famis doloriferos prodijt stimulos: Desiderium squalentis cibi famem acuebat; & fames exancta concupiscentiæ promerita erat mulcta: porcorum famulatui addictus, cœnosis terræ indulserat voluptatibus per sensuum adminicula, quibus tamen cum adhærescit, diris divexatur cruciatibus; non enim sensûs oblectamenta famis potuêre carere supplicio, neque mundi gaudium non madere lachrymis: pulchrè S. Chrysologus. *Luxuria ventris, gula fames* Serm. 1. *tortor opponitur, ut ibi ultrix pœna seviat, ubi pœnalis reatus exarserat: facta est fames valida, quia ad talem finem semper voracitas tendit, & ad talem pervenit terminum, fugienda voluptatis effusio:* etenim desiderij anxietas, famisque ardor tortoris fungitur munere, & doloris ingerit acrimoniam: cùm primùm cœpit filius prodigus à patre sejungi, & mundi jungi delitijs, sensuique tradi, cœpit in mundi gaudio ærumnas colligere sibi nocentissimas: quia quæ ex terrenis voluptatibus gaudia hauriuntur, sitim non extingunt, sed acuunt, mentem non exhilarant, sed conscientiam torquent, corput non reficiunt, sed animum inficiunt: appositè S. Chrysologus. *Epicuro se tra-* Serm. 1. *dunt ultimo desperationis, & voluptatis auctori, & manducant siliquas; hoc est, voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & pascunt dæmones, qui semper corporis vitijs saginantur, & sordibus: quia sicut Domino, qui se jungit, unus spiritus est, ita qui se jungit Diabolo est dæmon unus:* qui sensibus adhærescit, eorúmque adjicitur cœnosis voluptatibus, gaudiísque larvatis, ac eorundem obsequitur nutibus, dœmon est, & diabolo adhærescit, & qui mundi gaudio adhærescit, semper à Diabolo vexatur, & quò plures depascitur voluptates, eò plus esurit: quia voluptas, quæ mundi gaudium ingerit, cibus est, qui gravamen inducit, non famem abdnrit; flammam alit cupiditatis, non famis arcet pœnalitatem; gaudium est, quod sensui favet, sed simul serpentem fovet, qui suo interficit veneno gaudentem.

Hinc dives ille apud Lucam, qui divitijs affluebat, delicijs exundabat, dum 41. lætitiæ, mundíque gaudio indulgeret, vocem audijt, quæ intimas pulsavit aures. *Stultè hac nocte animam tuam repetent à* Luc. 12. *te:* quia divitijs æquè, ac delicijs diffluebat, mundíque gaudijs indulserat, cœpit statim vanidi hujus floris, ac fallacis rosæ veras experiri spinas, mortísque sententiam audire: sed quænam hujus suggilationis causa fuit? certè non alia, quàm animam invitâsse ad ingluviem, illexisse ad mundi fucata gaudia, deliciásque volatiles, quas in longum putabat posse tempus consi-

stere,

flere, nec tam celeri evanescere volatu: ajebat enim: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare*, & hæc fuit geminata stultitia, volatiles mundi delicias, & fucata gaudia existimâsse in annos duratura plurimos, sibíque placidam polliceri quietem, dum laboris, & anxietatis causas simul augeret: & ideò à sana mente eeciderat; quia quiesem in laboribus sibi spondebat, risum in lachrymis, solatium in mœrore, & diuturnitatem in rebus fluxis, scitè D. Bernardus. *Hoc stultum, & extrema dementia est, ea semper appetere, quæ, nunquam, non dico, satiant; sed nec temperant appetitum, dum quidquid talium habueris, nihilominus non habita concupisces, & ad quaque defuerint, semper inquietus anhelas: ita enim fit, ut per varia, & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore discurrens fatigetur, non satietur.*

Tract. de diligendo Deo.

42. Non sunt solatio humana gaudia, sed gravamini, non exhilarant, nec mentem serenant, sed tristitiam inducunt, & torquent, & quamvis speciem quandam præseferant lætitiæ, ac jucunditatis; hæc tamen luctui, & lachrymis adnectitur; quæ enim repugnant extrema inter se amicè confœderantur in hominis perniciem: hæc est fraus Dœmonis, dulcia necem inferentibus commiscere, & venenum mellis admixtum suavitate incautis propinare, ut eleganter Eucherius. *Diabolus obsessa semel pectora mollissimis seductionibus decipit, sic diabolus calliditate veteris artificij condit blandimenta peccandi; quomodo solent, qui mortiferos herbarum temperant succos, in condito, aut in aliquo mellito poculo nescientibus propinare, gustus mentita suavitate componunt, virus amaritudinis obscurant fraude dulcedinis, provocat prius odor poculi, sed præfocat infusus sapor in venis; mel est, quod ascendit in labia; fel est, quod descendit in viscera. Ita Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, & illicitas voluptates extrinsecus blanditur, intrinsecus insidiatur.*

Homil. 3. in Epiphan.

43. In se sævit, qui mundi inhiat gaudijs, terrenísque indulget voluptatibus: quas enim sibi tartareus hostis insidias nectit, quærit, quò miserè capiatur: qui sapit in melle venenum suspicatur, & perinde voluptatum illecebras, & larvati gaudij blandimenta declinat, ac mortis succum: è mundi gaudijs nonnisi luctus, & lachrymæ prodeunt: videntur pellucidi fontes, sed è quibus nonnisi rivuli scaturiunt lachrymarum; sunt gaudia, quæ mundi spondet voluptas gehennæ venena, melle duntaxat in extima superficie illita, ut non displiceant, quæ mortem inferunt: respuenda sunt hæc gaudia, repudianda hæc Diaboli venena, cum non solùm corpus, sed & animam necare festinent: placent hæc venena, quia melleam videntur dulcedinem exhibere, sed mel est omni felle deterius, ac nocentius; mortem siquidem degustatum infert, & quidem nocte intempesta, cum minus hisce indulgens gaudijs de damno cogitat sibi inferendo.

Expertus id fuit Evangelicus ille dives, 44.
qui, cum afflueret divitijs, & delicijs diffueret, vocem audivit, dicentem sibi: *Stulte, hac nocte animam tuam repetens à te*: *Luc. 12.* solemni laboravit stultitiâ, cum repugnantia inter se nectere satageret, ac concordare, quæ sibi ex diametro adversantur, mundi scilicet gaudia, & simul bona, quibus mens plenè ad annos plurimos quiesceret; *Habes*, ajebat, *bona reposita in annos plurimos*, non enim bona erant, quæ ipsum deceperunt, ac vanissimis inquietârunt sponsionibus: mentita promissa veram abstulerunt requiem. Fuit stultus, quia cum nocte posset quiescere, nunquam sibi futuram quietem delusus acquisivit: in rebus, quarum sola cogitatio somnum abigit, anxietatem ingerit, & laborem ingenerat, requiem crediderat posse inveniri, sed non aliam planè, quam illam mortis adinvenit: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, & quidem cum crederent bona reposita, seu summa cum quiete in annos plurimos possidere, ac frui mundi delicijs; sugillatur igitur ejus dementia; quia crederet, verum gaudium in diuturna bonorum possessione enancisci; & impunè delicijs æquè, ac divitijs affluere: somni enim dispendium expertus, cum nocte quieti se dedisset angustijs pressus, ac amarissimis tortus cogitationibus mortem invenit, quia mentiuntur mundi gaudia, quietem spondent, & cruciatus invehunt; hinc David ait: *Mentita est iniquitas sibi*, nec quid aliud est hæc mentita iniquitas, quàm *Psal. 26.* larvata mundi lætitia; quàm pingere evanida gaudia colore soliditatis, & illusoriis votis in ipso labore requiem sibi spondere, & in dolore gaudium sibi promittere.

Mentiuntur mundi gaudia, volatilis est 45.
eorum iucunditas, ac fucata; sibíque mentitur, qui gaudiis hisce inhiat, propriisque inservit deliciis; putat solatio in mundi gaudio frui, & nonnisi anxietatem aucupatur, ideóque mentitur sibi, cùm credens ad quietem pervenire, & solatio frui, experitur, se in mundi gaudiis, ac deliciis, nonnisi labores invenire, & anxietates; quibus torquetur; appositè D. Bernardus expendens præfata verba ait: *voluptas perversa contendit ad optimum, festinat ad id, unde possit impleri; imò verò his amfractibus ludit secum vanitas, mentitur iniquitas sibi*: & nonnullis interiectis subdit: *Curris per devia, & longè ante morieris, quàm hoc in circuitu pervenias ad optatum terminum. Hoc ergo in cir-* *Psalm. 26.*

circuitu impij ambulant, naturaliter appetentes, unde finiant appetitum, & insipienter respuentes, unde propinquent fini: fini dico non consumptionis, sed consummationis. Quamobrem non beato fine consummari, sed consumi vano labore accelerant, qui rerum magis specie, quàm authore delectantur. Ait mellifluus Doctor, voluptatibus inhiantes se amfractibus terere, at ipsis voluptatibus fatigari; & quidem in circuitu, qoia sicut in circulo nunquam ad finem pervenitur, sed turrens per circulum quietem quæsiturus in fine circuli nunquam quiescit, sed semper laborat, rotatúrque cum circulo: ita hoc idem impijs obtingit, ait Bernardus: *In circuitu impij ambulant naturaliter appetentes, unde finiant appetitum:* sed ambulantes, & laborantes nunquam finem attingunt laboris, nec ad votum perveniunt, sed suum jugiter prosequuntur tormentum, & veluti Ixiones volvuntur in circuitu pœnas dantes, quas mundi delicijs indulgentes sibi promeruerunt, imò & ipsæ mundi deliciæ, & gaudia hanc invehunt pœnam, quâ sibi addictos torqueant.

§. V.

Blandiuntur, & decipiunt mundi gaudia, malaciam spondent, & naufragium apparant? nec ipsis fidendum; alliciunt, ut lædant; adulantur, ut interimant.

46. Blandiuntur mondi gaudia, sed lædunt; alliciunt, sed enecant; adulantur, sed discerpunt; malaciam spondent, & naufragium apparant; quod nun solùm per fluctus in aquis voluptatis, imò & in malacia terreni gaudij timendom esse monet Basilius, inquiens: *Voluptas veluti fons quidam à carne profluit, carnalique limo omnia adimplens, ac torrentis instar, & per sensuum fenestras in carnis æstus celeriùs refluens animam perturbationum fluctibus quatit, atque in profunda demergit.* Plena sunt periculis hæc gaudiorum fluenta, malaciam exhibent, & naufragium excitant; à nostra profluunt carne, in nostris gignuntor sensibus, ut contra nos insurgant: coërcendi omninò sunt, vel declinandi nostrorum sensuum fluctus, ne nos obruant, compellántque in scopulos impingere, & impactos infame subire naufragium: fluunt non secus, ac rivoli, vel flumina per locorum declivia terrena gaudia, sed virtutum ripas exedunt, ruinásque invehunt, marinis fluctibus nocentiores; hi siquidem quamvis decumanis tumidiores littoris retunduntur arenis, & coguntur resilire, cùm fluminum fluctus nullo coërcente littore jugiter fluant, ripásque exedant: & in hoc fluminibus haud impares dixeris mundi lætitias; ripas enim, per quas fluunt, exedunt, & absumunt: appositè S. Chrysostomus: *Non tam vehementer fluvialium aquarum cursus ripas corrodere, & submittere solet, sicut delicia, & luxus omnia valetudinis nostra firmamenta facilè subruere.*

Lib. de vera virginit.

Homil. 33 ad popul.

47. Verùm hæc mundanorum flumina gaudiorum, perinde, ac reliqua per varios terrarum tractus flumina in mare devolvuntur, quia cùm percurrissent varios terræ tractus deliciarum floribus, herbarum viretis, sylvarum amœnitatibus gaudia ingerentes, derivant in amaritudinem, quâ non corpus tantùm inficitur, sed & animos interficitur: quid enim aliud intendunt flomina suos in mare exonerantia fluctus, nisi ut nos edoceant, moneántque omninò, mundana gandia in æterni mœroris terminari amaritudinem? omnia igitur flumina humanarum delectationum, ac gaudiorom mare intrant, quia *extrema gaudij luctus occupat*, seu lachrymarum amaritudo, recipit, & extinguit: & licèt fluenta gaudiorum aliquam videantur solatij præseferre speciem, fucatum tamen, ac larvatum est hoc lolatium è mundi gaudio prodiens, non enim solantur, nec refrigerant hæc fluenta, quæ è mundi gaudijs scaturiunt, neque epota sitim extingnunt, sed potiùs acriùs acuunt, atcendúntque.

48. Id intercedit discriminis inter fluenta aquæ vivæ è Christi volneribus scatorientia, & quæ mundi gaudia effundunt; sunt enim fluenta aquæ vivæ, quæ nunquam deficiunt, & hujus aquæ haustus æstum desiderij plenè extinguit, sitim satiat, & citra defectum refrigerat, & solatur: secus quæ è mondi gandijs scaturiunt oblectamentorum fluenta, nonnisi fucatam, ac falsam refrigerij spondent speciem, cum labia bibentium semper arescant, & veluti inflammata hidrope laborent; cœnosas has, qoi aquas ebibunt, acriùs semper sitiunt; imò non flumen, sed torrens est, quem terrena gaudia effundunt, non enim venâ perenni jugiter fluit, sed torrentis instar raptim fluit, & qoamvis aliquam videatur speciem præseferre refrigerij, non tamen salutares exhibet aquas; quia fluxus voluptatis, & noxius est, & torrentis instar statim exarescit: proinde ab hisce aquis omnino abstinendum est, titillant quidem sensum hæc delectationum flnenta, sed ut mentem obruant, sepeliántque; alliciunt, ut illaqueent; demulcent, ut noceant, & hominem à sana mente dejiciant, quem parem jumentis reddant; appositè S. Laurentius Justinianos *de casto connubio*, ubi acriter perstringit sitientes hæc fluenta humanorum gaudiorum, ac voluptatum, inquiens: *Rationalis, cùm sit homo inhærendo terrenis, sitiendóque voluptates similis efficitur jumentis, ideo vere propheticu de ipso perhibetur, ubi dici-*

Cap. 4.

dicitur: Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: huc pertinet adagium illud apud Arabes vulgatum. *Ne nates in aqua frigida, ne pereas.* Est aqua frigida mundi lætitia, quæ aliquam videtur speciem præseferre refrigerij, sed hanc, qui innatant aquam, non refrigerium experiuntur, sed in naufragium trahuntur: noxiæ sunt aquæ, quæ quos alliciunt, obruunt, ac sepeliunt.

49. Malaciam spondent deliciarum, ac gaudiorum hujusmodi aquæ, sed cum primùm bibuntur, mentem obruunt, luménque rectæ rationis extinguunt: & graviora fert secum damna deliciarum, ac gaudiorum inundatio mentem hominis impetens; quàm quivis aliarum aquarum impetus; fluctúsque marini, naves, quæ æquora trajiciunt pulsantes, & exagitantes: impellunt siquidem ad naufragium; sed ex quo nullus possit ampliùs evadere; ne igitur nos dedamus hisce gaudijs, ne in peccatis moriamur, æternúmque subeamus naufragium: mentis oculos in hoc dirigamus naufragium, ut incusso salubri timore perciti has caveamus in gurgite voluptatum, & gaudiorum noxias aquas, cum D. Augustino, qui
Lib. 6. confess. cap. 15. Denm alloquens, ait: *Non me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, ac futuri judicij tui:* emoritur amor in mundana gaudia, deliciásque terrenas, si mortis recordatio excitetur, & vivat in nobis. Abstinendum omnino est à noxijs hisce aquis, quæ non solùm sitim nunquam extinguunt; verùm & omnia secum mala trahunt, præsertim mentis hebetudinem, luminis rationis amissionem, conscientiæ torsiones, animæ læsiones, virtutum obliterationes corporis infirmitates, capitis dolores, stomathi lassitudines, manuum chiragras, sanguinis febriles æstus, ventris tormina, & sexcenta alia mala, quæ corpus miserè lædunt, & corrumpunt. Est mundi lætitia non animi serenitas, sed mentis caligo; quæ nisi sanioris amoris luce discutiatur; ita mentem occupat, ut lumen evertat, extinguátque rationis: neque lux alia par est huic discutiendæ caligini, quàm quæ ex flamma oritur charitatis, ut aptè innuit S. Laurentius Justinianus de interiori conflictu, inquiens: *Quemadmodum solis præsente splendore, opaca noctis propulsantur tenebræ, ita coruscante animo charitatis incendio omnis ab ea caligo humanæ voluptatis, & lætitia abigitur:* facilè discutitur hæc humanæ voluptatis caligo, quia vanida, ac prorsus vacua; quia cum ex fluentis oriatur humanarum deliciarum spumea potiùs est, nullius subsistentiæ, & quæ brevi disparet in nihilum redacta.

50. Solet hæc lætitia ex aquis emergere terrenarum deliciarum, quæ aquis pariantur, quia fluxæ sunt, perinde ac aquæ, & ideo spumea est hæc lætitia, de qua dicitur Oseæ cap. 10. *Transire fecit Samaria Regem suum quasi spuma super faciem aquæ:* fruebatur Rex Samariæ mundi gaudio, cùm & divitijs afflueret, ac delicijs difflueret; sed spumea fuit hæc lætitia, quia statim evanuit; neque Rex Samariæ in ipsa mansit, & quievit; sed per ipsam duntaxat transivit, non quiescens hanc mundi gustavit lætitiam, sed pertransiens cum corporis defatigatione, animi anxietate, motu pedum, non quiete capitis: *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spuma super faciem aquæ,* seu terrenæ voluptatis, è qua spuma oritur mundanæ lætitiæ: & sicut spuma inanis est, & vacua; ita mundi lætitia fugax, & fallax: quam gracilis, & futilis hæc mundi lætitia! quæ spumæ haud impar, diu persistere non valet: imò non lætitia tantùm, sed & ipsa voluptas, ex qua prodit, spumea est, præsertim Venerea; nec mirum cum etiam Venus ex maris orta perhibeatur spuma; & quamvis fabula id sit Poëtarum; est tamen veritas Ascetarum spumæ parem esse carnis delectationem, à qua nil solidum sperandum, neque ab ejus gaudio: vana siquidem hic sunt omnia, & seulum fallunt: hinc Apostolus Judas *in sua epistola catholica* de ijs, qui mundi inhiant gaudijs, ejúsque indulgent voluptatibus, ait: *vers. 13. Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore, fluctus feri maris despumantes suas confusiones:* cum enim in evanidam spumam abeat omne libidinis fluentum; & nudus gaudij vapor ex fluctibus exsurgat libidinis, utique statim evanescit, appositè Beatus Pascasius ait: *Omnis luxus præsentis vitæ vapor est, & spuma vani gaudij.* Lib. 1. in Psal. 44.

A vero deflectit gaudio quævis jucunditas, quæ suum à rebus terrenis, & carnis voluptatibus ortum ducit, non verum est gaudium, sed extrementum, & spuma gaudij: abit igitur à vero, sinceróque gaudio, quod à terrenis delicijs, ac carnalibus voluptatibus ortum trahit gaudium, quod potiùs spuma est, at extrementum veri gaudij: & generatim quævis lætitia, quæ circa Deum, ac divina non versatur, lætitiæ nomen non meretur, sed excrementum potiùs & spuma est gaudij, quod aquis tantùm innatat deliciarum, ut ad naufragium eos impellat, qui tali sunt gaudio addicti; quia ut notat Hesychius gaudia, quæ ex mundi delicijs hauriuntur maximis scopulis, ac rupibus æquiparantur: ait ipse. *Hujusmodi gulosorum, ac voluptariorum hominum voluptates, ac lætitia sunt veluti scopuli; ad quos navis humanæ mentis bonorum sive spiritualium, sive externarum mercium onusta allidit, ac infelici facit naufragio.* Sunt igitur sibi ipsi rupes, & scopuli, quotquot humanis inhiant gaudijs, 51.

& infelici exitu lethale sibi apparant exitium.

52. Quòd si dum marini fluctus scopulos diverberant, rupes è sinu maris emersæ spumis otrinque madent, ita cùm ad hos voluptuarios scopulos impingunt, mundi qui gaudiò indulgent, non veram lætitiam aucupantur, sed spumam duntaxat, & excrementum gaudij, seu spumam inanis lætitiæ, quæ vix nata in aërem abit, non enim vera lætitia ex alio potest fonte scaturire, quàm à Deo; quæ enim terra spondet gaudia, fucata sunt, fugacia, & fallacia; & potiùs spuma, & excrementum gaudij, ut ait D. Gregorius Nazianzenus, inquiens: *Omnis voluptas, quæ neque ex Deo, neque in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est*, & tamen adeò à sana mente est homo alienus, ut cœlo natos, nonnisi in cœno gaudia quærat, quibus avidiùs depascatur; veram scilicet respuens gaudij substantiam, illius duntaxat excremento inhiat, & spumæ inanis lætitiæ. Est siquidem spumea ea voluptas, quæ à luxuriæ dimanat fluentis libidinis æstu; vera enim, & solida est? quam castitas fovet, & cui puritas favet; quapropter Apostolus monet, ut exerceamus harum virtutum culturam, ut vera afficiamur lætitiâ, & efficiamur lætantes: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitia*: lumbos præcingere perinde est ac castitatem colere, qui enim ejus delectatur culturâ lumbos præcingit, coërcétque, ne diffluant in spumeas Veneris voluptates, non monet Apostolus solùm, ut sint lumbi nostri succincti, sed rursus addit *in veritate*, ut nimirum ostenderet larvatas esse, & prorsus spumeas carnis illecebras, quas fluenta procreant luxuriæ: inanes sunt mundi lætitiæ, corporis deliciæ, & solo fœtæ mendacio; quia verum gaudium à sola vera fovetur castitate, quapropter jubemur succingere lumbos nostros *in veritate*, quia ex vera duntaxat castitatis cultura, flos germinat veri gaudij: pulchrè S. Chrysostomus *epist. ad Hebræos* nobis succinit: *State succincti lumbos vestros, & subjunxit in veritate. Quare in veritate? est enim cupiditas illusio, & mendacium: propterea dicit Propheta; lumbi mei impleti sunt illusionibus; non est ea res voluptas, sed umbra voluptatis. Succincti inquit lumbos vestros state in veritate, hoc est in vera voluptate, modestia, & honestate.*

Oratio in Christiana... — *ad Ephes. cap. 6.* — *Homil. 3. in cap. 3.*

53. Quævis alia voluptas, quæ infra virtutis culturam efflorescit, futilis est, & inanis, seu spumea, quæ licèt speciem videatur lætitiæ præseferre; non tamen solida est, sed spumea hæc voluptas, quæ à virtutis non dimanat cultura; extra quam nullum germen solidæ voluptatis potest efflorescere; sed si qua videtur esse voluptas, quæ sensum titillat, hæc spumea est; quæ levi flamine dissipatur, levíque timoris flatu evanescit: non enim sisti potest, nec possideri hæc spuma voluptatis, quæ cum tangitur, disparet, ac perit, dum gaudium parit; quapropter S. Fulgentius hujusmodi gaudium vocat *dulce nihilum*, quatenus omnis libido, & dulcis est, & nihil est, quia nil veri boni continet. Quis à nihilo veram speret dulcedinem, verúmque in nihilo cupiat voluptatem enancisci? delirus est, ac devius à sana mente, qui istud sibi persuadet. Præstigiæ sunt gaudiorum, ac pictæ duntaxat, & fucatæ species lætitiæ, quæ ab aquis luxuriæ originem trahunt: nomine donantur gaudiorum, cum tamen nonnisi excrementum sint lætitiæ, & ideo gaudia nuncupantur, ut vel ipso nomine decipiant, & minus cautos aucupentur, appositè Isidorus Pelusiota. *Corporis quidem voluptates lepidæ sunt, tamque vim habent, ut hominem veluti præstigijs quibusdam illiciant, ac rationem à principatu exturbent, atque omnia sursum, & deorsum misceant*: non sinamus igitur nos decipi à lepido voluptatis nomine, nomen enim præsefert gaudij, sed omen est luctûs; dum enim suis illicit præstigijs, lachrymas elicit exitij. Quis adeò emotæ est mentis, qui veris, divinisque neglectis gaudijs falsæ voluptatis præstigijs sinat se decipi, ac verarum, & cœlestium oblitus deliciarum sordidis, & cœnosis immergi gaudeat.

Lib. 3. Mytholog. — *Lib. 5. epist. & 110.*

Morbus potiùs est scabiei carnalis voluptas, quæ si defricetur, quandam quidem videtur oblectationem parere, non tamen veram lætitiam alere, cum inde nonnisi dolor oriatur, & cruciatus: scitè Theodorus Studita eum describens, qui terrenis gaudet voluptatibus, ita scribit: *Quasi qui scabiem defricet, oblectari videtur, neque oblectatur; quin seriò cruciatur, & acriùs, quò plus defricat: ad eundem modum libidine captus dolorem, non voluptatem; æstum, non quietem; mærorem, non oblectamentum capit miserandus*: nec huic veritati firmandæ alij sunt testes accersendi, quàm qui ijsdem delectantur extra virtutum culturam voluptatibus, & gaudijs: possunt enim ad conscientiæ propriæ tribunal vocari, quotquot libidinis laborant scabie, ut ipsimet fateantur, quales intus dolores patiantur, & cruciatus experiantur; cùm oblectationem putarent aucupari. 54

Serm. 113. de fide & amore.

Excutienda est omnis terrena voluptas, quæ extra virtutum culturam efflorescere nititur, non enim florem ullum veræ lætitiæ fovet, sed spinas torquentis mœroris. Nostra sit lætitia, umbratilem, ac fucatam mundi vicisse lætitiam, ejúsque scopulos, & rupes inter æstuantis concupiscentiæ pro- 55.

procellas declinâsse. Fugitiva est omnis mundana lætitia, qui sapit, satagit eam fugere, cum & ipsa fugiat; neque quid aliud remanet de fugitivo gaudio, quàm mœror, & luctus, ut scitè observat Cæsarius Arelatensis in pascha inquiens: *Remanet quod damnat; præterit, quod delectat, iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit*, unde nullam quæ ex mundana voluptate oriuntur gaudia, possunt quietem spondere; fugitivæ sunt voluptates, volatiles lætitiæ quiescere nesciunt, cum jugi fluxu deficiant: proinde voluptas, & quies minimè inter se cohærent; neque stare potest, & quiescere, qui mundi gaudio afficitur: flamma est lætitia, quam mundi excitat voluptas; sed sicut flamma, continuò movetur, & sursum avolat, ita & mundana lætitia in hoc flammam æmulatur, quia vix excitata avolat, ac perit; differt tamen quia flamma sursum avolat, cum splendescit; mundi verò lætitia deorsum lætantes trudit, cum excitatur; illa cœlum petit, hæc cœnum, & gehennam; nec quid aliud post se relinquit, quàm conscientiam exulceratam; exiguam exhibuit mellis stillam, & plenum absynthij dolium in animum refudit: insatiata sunt illa gaudia, quæ absynthij amaritudine cor replent, & veris delicijs mentem spoliant; dum summi boni oblivionem inducunt, & à Sapientia mentem abducunt.

Homil. 4.

56. Generatim mundi gaudium amatorium propinat poculum, ut decipiat, & in sui amorem homines terrenis inhiantes voluptatibus atque delicijs pertrahat. Constat referente Philone, moris olim fuisse, ut pocula quædam struerentur, ac pararentur, quæ bibituris amorem conciliarent. Hoc idem præstat profana voluptas gaudium spondet, ut nos irretiat: aversemur amatorium hoc poculum si decipi nolumus, quia ut scitè Philo libro de Gigantibus: *Nocent ejus munera, quæ mox ablata prosunt; proinde ò anima si quod voluptatis amatorium te invitat poculum, declina ab eo, & aversis oculis in nativam virtutis pulchritudinem perge; illam intuêre donec amore hujus correpta traharis tanquam à magnete, ut attracta cum adamata cohæreas:* fugiendum perniciosissimo passu est amatorium hocce voluptatis poculum, ad bibendum quidem invitat, sed ut bibentes mortem ebibant; dulcescit quidem haustus, sed dulcedo venenum tegit; videtur sensui hæc lætitia tota mellea, & tamen menti tota est fellea. Idque causæ, cur mel à Dei sacrificijs olim arceretur, quia cùm symbolum sit humanæ voluptatis, & lætitiæ; nec umbram profani gaudij suis voluit Deus altaribus accersiri, bilem excitat mellea dulcedo, & profana lætitia mala omnia secum advehit, perinde ac excitata bilis ægritudines omnes dicitur in humano corpore fovere, ac incendere, scitè Cyrillus Alexandrinus causam adferens, cur mel à Dei excluderetur sacrificijs, ait: *Mellis oblationem abnuit, voluptatis enim hoc quoque symbolum est: dulcis siquidem videtur esse adjuncta unicuique peccato voluptas, sed exitum bile amariorem sortitur.*

Homil. 2. Glaphy.

§. VI.

Deceptoria sunt mundi gaudia, & fallacia; escam exhibent, quâ alliciunt, & hamum obtegunt, quô incautos capiant, ac interimant.

PRotoparentis Adami lapsum, & cala- 57.
mitatem eleganti penicillo ad vivum expressit Christus *Luc.* 10. in homine illo viatore, qui descendens ab Jerusalem in Jericho in violentas incidit grassatorum manus, à quibus vulneribus saucius bonis omnibus expoliatus semivivus media fuit in via relictus: *Homo quidem descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Hominem hunc bonis expoliatum, ac vulneribus saucium emblema esse, quo lapsus Adami exprimitur, ac vividè delineatur, communis est Patrum sententia, præsertim Augustini apud D. Thomam in Catena ubi ait: *Homo iste ipse Adam intelligitur in humano genere.* Sed non videtur emblema exemplari, ac ænigmati aptari: siquidem Adamus delicijs diffluebat in loco, ubi voluptas innocuam suam posuerat sedem, quia caruit serpentino veneno, adeò ut excitatus hostis tartareus, & invidiâ tortus ab innoxia ea voluptate dejecturus Adamum, ejus uxorem Evam adiverit, quam ad exambiendas noxiæ, ac venenatæ plantæ cupedias desiderio inflammavit: & quia fœmina flexilis est, promiorque ad illicita, pomum vetitum momordit, gustavitque, & sapore delinita ad virum cucurrit, cui verborum lenociniis tandem suasit esum pomi: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit;* & tunc cecidit Adam, & ornamenta perdidit habituum omnium supernaturalium, quia divinum fuit præceptum transgressus, vulneratus cecidit, eò quia pars inferior facto divortio superiori rebellavit, & scisso fœdere cœperunt affectus omnes depravari, & contra nobiliorem hominis insurgere portionem. Sed non mucronibus fuit Adamus impetitus, sed pomi dulcedine illectus, & appetitûs irritamentis inescatus.

Luc. 10.

Genes. 3.

Quomodo igitur homo ille, qui ab 58.
Jerusalem descenderat in Jericho, & altiùs à grassatoribus vulneratus emblema est Adami? cùm hic nec manus violentas Latronum senserit, nec ferri aciem expertus, sed potiùs pomi dulcedine illectus, mulieris suasionibus inescatus, voluptatis irritamento inductus fuit ad esum pomi? non enim vulnera Evangelici viatoris emblema esse vi-

dentur Adami deliciantis in paradiso, cùm hic saporatum degustaverit cibum, & ille ex inflictis sibi vulneribus copiosum effuderit sanguinem? nihilominus quamvis prototypo videatur transumptum discordare, neque exemplum figuræ adaptari: nulla tamen major teste Augustino habetur similitudo: Morbis siquidem plagisque se Adamus addixit, dum superfluis inhiavit voluptatibus, & gaudijs; cibus prohibitus acutus fuit gladius, quo se ipsum vulneravit, in se ipsum sæviit, sibique tunc manus injecit, cùm non ferri violentiâ, sed ardenti desiderio pomum ori admovit, gustavit: homo Jericontinus grassatorum injurias fuit in itinere passus, & Adam voluptatibus est occisus; nimirum iste animâ vulneratus, & ille corpore sauciatus: gulæ voluptates, desiderium excelsioris dignitatis, & sperata uberiora gaudia, gladij fuerunt, quibus sauciatus Adam cecidit vulneratus, & se ipsum à statu dejecit felicitatis. Noxia igitur est voluptas temporalis fucati gaudij futilis mater; & quia post protoparentis lapsum infirmiores ob suscepta vulnera, quæ voluptas Adæ inflixit, sunt ejus posteri, acriùs in ipsos sævit fugax mundi gaudium; vinum enim in hoc imitatur, quod in eos maximè vires exerit suas, quibus debile est caput; ut scitè notat

Lib. 4 erudit Relig. p. 4. Umbertus inquiens: *Sicut vinum purum habentes capita debilia; sic gaudium temporale cordibus infirmis nocet;* imò tunc acriùs lædit, & fit nocentius, cum avidiùs quæritur, magisque cupidè hauritur.

59. Si sapis saniorem ebibe mentem, devita hæc gaudia, quibus vita diripitur, aut animæ, aut corporis, & plerumque utriúsque. Scimus immodico risu plures animam exhalâsse, imò & fortassis plures ex gaudio, & risu, quàm ex fletu, & lachrymis: Philemonem Syracusanum ex immodico risu mortalitatem exuisse refert Esichius;

Lib. 1 de viris claris. Philistius Prusanensis ex nimio etiam risu perijt; & plures alij ridentes non ridiculam, sed lugendam oppetiêre mortem: quis noxium non dicat risum, cùm ridentes enecet, mortémque etiam corpori inferat? Caligula, ut refert Suetonius: *Lautiore convivio affectus subiit in cachinnos. Consulibus qui juxta cubabant, quidnam rideret quærentibus, quid inquit, nisi uno meo nutu jugulare, unumquemque vestrum statim posse.* Scilicet Caligulæ risus aliorum gaudebat morte, & nonnisi strages & funera meditabatur, quia risus, & gaudium, quod mundi voluptas parit, nonnisi mortem, & luctum infert; nimirum lethi, ac læti proxima est nominis cognatio, si ambo vocabula aures pulsent, non oculos feriant; & major etiam rei cohærentia, quod enim lætum in mundo putatur, id lethum est, quia mortem invehit: speciosum quidem est læti nomen, sed plures ad lethum traxit, quos mundani gaudij amor priùs affecerat, & infecerat. Mundi gaudia hamis paria dixerim, quibus pisces capiuntur, ut pereant; piscatrix est voluptas, quæ hamos gaudiorum variis tegit illicijs, quibus inhiantes mundi lætitiæ alliciuntur, simúlque capiuntur, ut pereant. Cavendum igitur est ab hisce gaudiorum hamis, si perire nolumus: scitè S. Nilus in Parenisi: *Vitæ hujus fluxa, ne te oblectent, hami enim sunt, animam perinde ac pisces irretientes.*

Quàm deceptoria, & fallacia sunt mundi gaudia escam exhibent, quâ alliciant; & hamum obtegunt, quo incautos capiant, ac enecent: has escas gaudiorum, qui quærit, nonnisi lachrymas in risu, & necem in gaudio reperit. Duo Pharaonis servi somnia nocte intempesta clausis viderunt oculis, quæ futurorum fuêre præsagia: vidit unus vitem unicam, quæ vestita pampinis, & racemis fœta, autumni spumantem vindemiam exhibebat, & adstantes alliciebat ad uvas decerpendas, quibus nil lætius, nilve pulchrius; dixit iste: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere.* Quamvis sit vitis natura fragilis, ac caduca, & nonnisi fulta in sublime elevetur, erigatúrque propterea claviculis quasi manibus, & erratico progressu serpere videatur circum fulcrum, quo fulcitur; ineunte tamen vere nil gratius florentis vitis odore: & si de ejus flore succus exprimatur voluptati inservit, ac saluti. Mox in arboris usque summum cacumen erecta ulmi, cui libentiùs nupsit, ramos, quodam amplexu fovet, & veluti brachijs illigat, lacertísque circumdat, pampinis vestit, & sertis coronat uvarum: hæc tamen vitis à primo Pharaonis famulo in somno visa non pluribus effundebatur palmitibus, ac sarmentis, quàm tribus, in quibus licèt fertilibus exigua tamen racemorum micabat copia. 60.

Alter somniator servus tria vidit ingentis proceritatis canistra, in quorum culmine delicatiora aderant fercula, cibíque omnes Regij: *Et ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum & in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos.* Cúmque Rex utrumque audivisset somnium, Josephum accersivit, ut incorruptum veritatis interpretem, quo congruam utrique somnio interpretationem daret: Joseph verò conjector arcani, nec vera reticuit, nec infausta mellivit; sed huic mortem prædixit; illi verò felicitatem, *Auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce,* sed cur cibos deferenti regios mortem accivere farinæ canistra; & alteri auspicatam lætitiam protenderit vitis? cur delicatiora Regis fercula, ac saporatiores cibi infausta mortis præsagia fuêre, si rubentes uvæ, ac è pampinis erectæ vitis pendulæ felicitatis extiterunt indicia? Dignum observatu est utriusque 61.

Genes. 40.

discri-

discrimen; siquidem famulorum alter eas duntaxat uvas decerpsit, quas vitis unica, & quidem inops palmitum ministrabat: alter verò plena fercula, exuberantes cupedias, cibósque Regios, seu tota artis culinariæ industria, ac exotico conditos sapore secum tulit; prudenter propterea Josephus mortem intolit ex artificiosis conditutis; quia non poterat dio vitam protrahere, qui tot ferculis exundare didicerat, quia dapes quò delicatiores; & voluptates, quò lætiores, eò citiùs ad lethum perducunt, quia nil in mundo lætum, quod lætanti noxium non sit. Cupediæ, & exotica fercula in stomachum cum gaudio immissa, bella movent, pugnántque, & eos expugnant, qui lætantes comederant, ut enim cecinit ille

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis

ubi enim ciborum sibi adversantium confusa reperitur varietas, ibi mors non multum distat; perinde ac in bello cum pugnant inter se se exercitus hostiles, cadunt ex utraque parte expugnati, & enecti; pugnant in stomacho, qui sibi adversantur cibi ingurgitati, se se lædunt, corrumpúntque, sed simul eum expugnant, qui lætanter cibos voraverat.

61. Celerrimæ igitur mortis ænigma est lætitia, quâ sensuum voluptatibus indulgentes gaudent ciborum multiplicitate, ac condimentorum varietate: idque causæ, cur sub mundi initijs in pluta protraherent homines vitam sæcula, cùm nunc vix unius medietatem superent; fuêre primi homines & corpore vegetiores, & viribus robustiores, quia rusticanis castaneis, rudibus glandibus vescerentur: nunc verò quia sensuum inhiant homines voluptatibus, gaudium, & lætitiam aucupantes in ferculis, eorúmque varijs condimentis mortem celerius accersunt, & quod lætum putant, lethum seu mortem esse experiuntur; quia sensuum voluptates personatæ sunt; quò secriùs decipiant sub risus larva lachrymas fundunt, sub specie hilaritatis luctus propinant. Nec abs re ridentem mundi faciem iridi pariaverim, nil enim hoc arcu lætius, cùm vario splendet depictus colore, ceruleo, viridi, purpureo, luteo, igneo, admirabili naturæ arte permistis, ac confusione quadam distinctis, cùm Sol in nubem cavam humidam, ac roscidam, quæque in guttas liquari jam cœperat, suos immittit radios, qui ex nube in parte soli opposita reflectuntur: radius siquidem solis roscidæ immissus nubi, repulsâ acie in sole refringitur, & retro agitur; & quia solares radij figuram efficiunt sphæricam, ideò arcuata nobis apparet iridis imago; & quidem discolor; eò quia ex nubis roridæ partibus, aliæ crassiores sint, aliæ tenuiores; tumidiores aliæ, & aliæ submissiores, hæc enim inæqualitas lucem, umbrámque permiscet, ac mirabilem illam conciliat varietatem, quæ plurimum ingerit lætitiæ, & gaudium excitat in intuentibus: sed credas, iridem in homine ridentis oris gaudium exhibere: formam enim iridis, quia in arcum flectitur oris refert curvitas, purpureum colorem labra exhibent, ut & totam itidem ridentis vultus species; sed quamvis sit iridem spectes, hæc tibi ridere videatur, ac arridere, risus tamen est pictus, & fictus; in extima tantùm efflorescens superficie; plorat enim re ipsa iris cum liquescat in imbreas guttulas, dicatúrque propterea iris: *Risus plorantis olympi;* quò mundi gaudij nobis figuram exhiberet: licèt humana gaudia lachrymarum imbrem non ostendant, tegunt tamen; exhibent in mundi voluptatibus, delicijs, ac illecebris cisum, quo mundi voluptatibus indulgentes ridere videntur; sed in superficie tantùm est cisus iste situs; qui enim rident exteriùs, intus lachrymis madent. Idque causæ, cur Plutarchus contra sententiam Epicuri mundi gaudia *risus ejulantes* dixerit, quia risus sunt, si extimam vultus cutem spectes, ejulantes verò, si id, quod intus latet: hinc cecinit ille

Heu risus noster luctu miscetur amaro,
Diráque sub dulci melle venena latent.

62. Idque expertus fuit Jonatas, qui cum hostium terga mucrone feriret, saltúmque peramœnum excurreret flavo mellis recentis epulo illectus, mel comedit, & quidem mellea captus dulcedine, quâ delectabatur, & lætabatur; sed mortem sibi accivit, *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum.* Quid ni mellea illectus dulcedine gaudens eam gustavit, sed in melleo favo mucronem invenit, quò ipse sauciaretur: cùm enim lætus melleam dulcedinem ori admovit, manus in se injecit, & in se sæviit; audivit enim statim vocem illam, quæ pedissequas humani gaudij lachrymas elicit: *morte morieris Jonata,* plus debuit Jonatas à dulci favo timere, quàm ab adversariorum integro exercitu; hunc enim vicit, & qui inter gladios victor steterat; mellea delinitus dulcedine victus cecidit: gloriosè fuerat Jonatas Philisthinorum castra insecutus, nec loci munitissimam arduitatem horruit; neque eum armatorum phalanges terruêre, juvenilis enim ardor ardua quæque tentavit; móxque pectus per terram traxit serpentis more circumvolutus, manibus, pedibúsque reptans, ut in hostium copias irruat: *Ascendit Jonatas manibus, & pedibus reptans* & quamvis tot inter hostes illæsus discurreret, palmásque demeteret inter hostium falces; cupressus tamen in dulci favo, in mel- 1. Reg. c. 14

lea

les voluptate, in mundi gaudio invenit sibi ferales, morte morieris: accersit mortem lætitia, quâ favum mellis gustavit; cùm bellici labores, victrices palmas ei obtulerint. Nutrire risum videntur, & gaudium fovere gulæ illecebræ, sed venenum propinant, quô mortem accersunt; nil corpori, magis adversatur, quàm quod corpus ad lautitiem, ac lætitiam nutrit; quia nimijs delicijs, illecebrísque, mortalius, ut ita dicam, corpus efficitur: satis erat ciborum indigentiam mortis memoriam nobis refricare; sed nos, ut celeriùs mortem accersamus superfluorum ciborum ingestione stomachum oneramus: scitè S. Chrysostomus: *Vidisti quanta vorago? mensa extemporanea, ut & accedendi facilitas, & nutrimenti suavitas, & latendi spes in juramentorum prævaricationem ipsos alliceret.* O quàm profunda est hæc vorago! lætitia scilicet, quæ ex mensæ delicijs, lautísque cupedijs hauritur uberior; Jonatas melleis delinitus lætitijs mortem accersivit, quam pugnantes inter hostium turmas à se longiùs abegerat. Seducitur qui se duci ab hac gaudij larva sinit; cùm sub gaudij fuco luctum non videat, est enim mundi risus lachrymis refertus: risus quem mundus exhibet, nonnisi lachrymas parturit, quapropter Augustinus nos monet, ut non sinamus nos seduci à fucatis mundi gaudijs, is enim dicitur seduci, qui se duci ab ijsdem sinit, ait Augustinus: *Nolite seduci gaudio rerum humanarum flenda in rebus humanis advertite.* Quod humana gaudia concipiunt, hoc idem parturiunt, & quia fœta sunt lachrymis, nonnisi lachrymas pariunt, ut cecinit Prudentius:

Homil. 14. ad populum apud Glossam.

In Psal. 125.

Gaudia concipiunt lachrymas, dant gaudia fletum.

§. VII.

Mundani gaudij indoles est sub larva fucati risûs lacrymas abscondere, ac mellea in poculo venenum propinare, mortémque accersere.

64. EX mundani gaudij turgido utero alius non potest fœtus expectari, quàm fletus, uberiores profundens lachrymas, amariores edens singultus, quibus gravidatur mundani gaudij uterus: onde non solùm fucata mundi lætitia lachrymas tegit, sed eas etiam detegit, cùm in lachrymas desinit, lachrymas parturit; est enim mundana lætitia mater, & nutrix fletûs, & luctûs; & sub risûs larva amaras effundit lachrymas: si enim mundano risui larvam detrahas, nonnisi fletus vides, & lachrymas: hæc est humanæ voluptatis indoles sub risu lachrymas abscondere, sub melle venenum propinare. Quinimò natura ipsa ex ipsa risûs origine abundè nos docet, dolorem risui admixtum esse, & dolori risum; siquidem ex splene, quem amarum fel inficit, risus prodire dicitur; est autem splen situs in sinistra animalis parte succos crassos, & melancolichos in hepate genitos ad se attrahens: hinc risus vel in ipsa sui origine amaritiem sapit, & mœrorem, qui fœcundus propterea mundani risûs est genitor. Est igitur mundi risus felle infectus, quem natura foras prodire voluit ab eo fonte, qui felleus est, & amarus, ut contractam amaritiem in suo fonte risus eandem diffundat in ridentes.

65. Quòd si pellucidi rivuli, & perennes fluvij è dulcibus exilientes fontibus suos dulces etiam advehunt latices, & dum vehuntur, ad aquas decurrunt amaras, quia ad mare fluunt, in cujus sinu sepeliuntur peracto suo cursu per varios montium, vallium, planitierum, camporum, pratorúmque tractus: risus tamen duplici amaritie infectus quam à sua contrahit origine, & haurit fine, uberioris est causa mœroris. Quòd verò perinde ac flumina in amaritiem mundi gaudium desinat, indicat Richardus de exterminatione mali inquiens: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat, eò quòd omnis dulcis aqua in mare descendat, & dulcedinem amittat; transit enim mundus, & concupiscentia ejus:* ementita igitur est risûs dulcedo, cùm ex amaritudine splenis suam trahens originem in amarorem desinat: omnis enim carnalis voluptas per fictum risum ad veras fertur lachrymas. Quis neget, risum dolore misceri? & gaudium mœrore corrumpi?

Cap. 19.

66. Id risus Abrahami abundè nos edocet: Obviavit Abrahamo jam seni Angelus, vicarias Dei vices gerens, eíque largiùs sobolem spopondit; *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* sequenti verò capite legimus tres Angelos è summo cœlo in terram missos venisse ad Abrahamum, & cum ipso comedisse tanti hospitis factos convivas; cúmque apposita mensæ fercula gustâssent, interrogârunt Abrahamum, ubinam esset ejus uxor Sara? quibus respondit ille: Ecce in tabernaculo est. Et tunc unus subjunxit: *Revertens veniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua, quo audito Sara risit post ostium tabernaculi* Genes. 18. sed ridentem Saram reprehensione Angelus statim castigavit; Abrahamum verò ex simili hæsitantia, ut censet Chrysostomus ridentem negligit.

Genes. 17.

67. Tametsi inculpatus fuisset utriusque conjugis risus, Sara tamen reprehenditur, & mendaci risu severè mulctatur, cùm Abrahamus ejusdem risûs reus impunè fuerit dimissus: cur igitur si ex eadem causa prodiens utriúsque conjugis risus inculpatus punitur in Sara, & Abrahamus impunè di-

mitti-

dimittitur? Non censeas risum Abrahami suo vacuum mœrore, risus enim dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat: non reprehenditur tunc ab Angelo Abrahami risus, quia uberiori erat amarore puniendus, quia si risit Abrahamus de promissione Isaaci filij, & gavisus est de ejusdem nativitate; acerbiùs tamen debuit contristari in luctuosa filij immolatione; & de cujus nativitate lætitiam conceperat, risúmque ediderat profusiorem, de ejus immolatione debuit acriùs torqueri, & amariùs contristari, quia extrema gaudij luctus
Orat. 7. occupat, appositè Basilius Seleuciensis hunc expendens Abrahami risum, & gaudium in promissione Isaaci filij præconceptum ait: *Locutus est DEUS, & hæres in viemo, spes ipsas res comitabantur. Eum DEUS dedit, qui antequam nasceretur, erat in desiderio, Abrahamus accepit, gavisus est. In lucem infans* (seu Isaac qui risus interpretatur) *prodiit fidei exercendæ materies, & stadium est apertum amoris in Deum.* Paucis interjectis subdit: *Tentavit Deus Abraham. Quid enim? An Athleta periculum fecit, quòd ejus virtutem ignoraret? Ideone ut animi propositum disceret, ejus specimen Deus expectabat? Tentatione purgat Abrahamum patientia simulacrum:* Isaac risus interpretatur, & utriusque parentis risus in nomine imprimitur Isaaci, quem cum senus pater acceperit, etiam gavisus est: sed etiam innoxiam Abrahami lætitiam, quam in Isaaci concepit promissione sibi facta, in filij immolatione acrior mœror infecit, & castigavit: ridentem enim, & gaudentem Abrahamum funesta filij immolatione Deus castigatam, & purgatam voluit, *quia extrema gaudij luctus occupat*, subrisit Abrahamus in Isaaci promissione, gavisus est in filij acceptione, sed acriùs etiam tristatus est in ejus immolatione, ut ea tentatione purgaretur si quid fortè humanum, passus sit in risu, quem in Isaaci sponsione ediderat.

68. Quòd si innoxij risûs,& inculpati gaudij sequela est mœror; quales luctus, quales lachrymas non eliciet noxios mundi risus? nimirum ferendus adhuc esset mundi risus si lachrymas tantùm eliceret, quibus si quid eidem inest noxij eluatur, purgetúrque; sed quod majoris est momenti, ac gravioris ponderis ad æternum etiam fert fletum nunquam moriturum. Spectandus seriò est fletus iste, ne tunc spectetur, cùm nulla ampliùs affulserit spes eum declinandi. Temporaneus est, ac perbrevis hic risus, citò finit, sed ad luctum ducit, qui
Ep. 44. fine caret: scitè S Bernardus: *Videte ergo, ne blandiens præsens prosperitas sui vobis finem abscondat, ne lætitia temporalis luctum vobis æternum operiat, & pariat, quem operit:* ex fœtu conjiciamus, qualis sit hujus genitricis indoles; ex effectu dignoscamus qualis sit naturæ causa; temporaneus risus æternum fletum parit, dolorémque parturientem fletum nunquam moriturum.

Verus non est risus ille, qui fletus nunquam morituri est parens, nemo adeo sit sui osor, & hostis, ut huic se velit gaudio mancipare, quo æterni fletus, æternique cruciatus futurus sit famulus; fit enim æterni doloris mancipium, qui se ficto mundi gaudio subjicit. Nemo adeò desipiat, ut Satanici hostis artibus decipi se sinat: nemo fidat mundi voluptati, quæ vultu sereno ridet, simúlque arridet, ut alliciat. Momentaneam lætitiam, & hanc etiam larvatam, & vanidam spondet, ut æternam nobis surripiat, imò æternóque nos cruciatui addicat. Abstineamus ab hoc inani, & noxio risu, si verâ velimus lætitiâ gaudere, ut nos enim monet S. Anselmus: *Multi dolebunt, qui modò miserè rident, & plures qui nunc lugent, lætitia exultabunt inenarrabili* Suspiramus nos ab hoc mundi risu, qui æternam surripit lætitiam, & illi adhæreamus fletui, qui æternum risum gignit, verúmque spondet lætitiam nunquam interituram: nolimus fidere mundi lætitiæ, quæ in hujus vitæ mari sua blanditur malacia, ut suis nos fluctibus insepeliat; nobis arridet, quò nos irrideat, & in cautes urgeat incautos; quia tunc se sentiunt venerei æstûs ludibrium factos, dum inanis voluptatis amore æstuant: ab invidis hisce undis se subducant, qui fluctibus nolunt absorberi. Plures mentiti hujus gaudij æquor absorbuit, quàm ubique marium tractus fluctibus obruerint, fluxa illa trajicientes itinera: magis timenda est in hujus lætitiæ æquore adblandiens malacia, quàm in cæteris marinis sinibus procellæ fluctibus æstuantes decumanis.

69.
In medit. a. 4.

Rabidi canis lethales morsus suis mundi gaudium æmulatur blandimentis: rabidus canis, cum mordere adnititur revolutis oris rictibus, dum ringit, ósque torquet, dentésque ostentat, ridere videtur; sed falso sub risu veram occultat rabiem. Quis adeò desipiat, ut ringentis, ac rabidi canis, se nudum, & exarmatum exponat rabiei, sináque risûs specie se decipi. Non ridet, nec verus est risus canis in rabiem acti, sed luctus spargit, cum mordet, & necem adfert, cùm dentibus premit: ita quamvis fictum sit mundi gaudium, ac mendicum; verum tamen perinde ac canis in rabiem actos luctum infert, si enim corporis non lacerat membra, animi tamen discerpit ornamenta. Canis in rabiem acti se morsui exponit, qui mundi gaudia sequitur, quæ amarulenta sunt, & canina: voluptas, quâ mundus vel maximè suis blanditur, quamvis ridentem videatur faciem referre; tunc tamen mordet, cùm ridet; vulnus infligit, cum arridet; ingreditur voluptas blandiendo, & mordet ridendo; titillat alliciendo, sed perimit con-

70.

sentiendo; & eò sæviùs ferit, quò blandiùs illicit; videtur carnem mulcere, & animæ intendit nocere; non mulcet, sed mordet; si non dentibus dilaniat, lenocinijs tamen discerpit; & mundi risus rabidus mordet, cùm videtur blandè allambere, & suaviter delinire. Amica facie nobis humanum gaudium obviat, risum statim prodit, sed quo tutiùs mordeat, minùsque timeamus ejus morsus, quos risu tegit; blanditur enim larvato suo gaudio mundi voluptas, sed quò suo risu lethaliùs mordeat: non enim licèt risum simulet, suam potis est sævitiem coërcere, cùm primùm incipit eblandiri simul etiam & mordere satagit.

71. Moris fuisse apud priscos, quo lætum nuntium lancearum cuspidibus, frondibus obtectis lauri significaretur refert Plutarchus in Pompeio. Id symbolum nobis exhibet mundani gaudij; blandum videtur, & arborum virescentibus comis redimitum; allicit, & placet, sed laureis sub frondibus cuspis latet, & lancea, quâ vulnera infligat, si non corpori, graviùs tamen, ac lethaliùs animæ, scitè D. Ambrosius: *Intuere peccatoris lætitiam, introspice vulnera, & vibices animæ ejus, cordisque mæstitudinem:* virescens, & triumphatrix laurus lanceæ obtegit cuspidem, quo nimirum sub fictæ lætitiæ larva nocentiora sua infligat vulnera: non gaudia sunt, quæ mundi voluptas spondet, sed lethalia vulnera: mundi igitur qui gaudia sequitur, nonnisi vulnera assequitur; & quidem eò graviora, quò latentiùs inflicta, & quò noxiori fraude sub illecebris occultata; huc accersendus est S. Gregorius Magnus inquiens: *Si talem adhuc mundum diligimus, non jam gaudia, sed vulnera amamus:* ridet mundi voluptas, & arridet, sed acriùs ut mordeat; allicit, & eblanditur, ut vulnus lethalius infligat; has mundani gaudij versutias detegens D. Hieronymus ait de mundi gaudio: *Universa mendacia subdolo melle circumlinens, ut qui audit verborum dulcedinem venena pectoris non formidet, pacem pollicetur, ut graviora bella exerceat; ridet, ut mordeat.* Ridentem exhibet faciem mundi gaudium, sed ut sæviùs noceat; larvatus igitur est risus, quem mundi gaudium suos discerpturum, suis exhibet spectandum; imò non solùm fucatus est risus, sed verus morsus, ac vera laniatio, & tamen adhuc ita desipimus; adhuc sumus tam deliri, ut ridenti, simúlque & mordenti velimus mundi gaudio fidere, qui nonnisi canis instar in rabiem acti, ringentis oris dentes ostendit, seu risum fingit, quò sæviùs mordeat; imò rabidus hic canis non solùm fictè ridet, & verè mordet, sed alios quoque catulos gignit, à quibus etiam, qui mordetur, discerpitur.

Lib. 1. offic. cap. 12.

Homil. 15. in Ezechiel.

In Proœm. in 9. lib. comment. in Jer.

72. Ferunt à rabido cane morsum per urinam interdum catulos edere exiguos quidem, sed tamen de canina progenie mordentes fœtus. Hoc idem ijs videtur obtingere, quos mundi gaudium suo risu, perinde ac canino rictu momordit: ab hoc siquidem cane dilaniati alios videntur canes parere, eósque alere, quò diutius eorundem experiantur dentes, si enim mentem eorum ingrederemur, qui mundano gaudio indulsêre, nonnisi caninos morsus ibi deprehenderemus; mordent enim eos mille solicitudines, lacerant mœrores, discerpunt tristitiæ, & cæteris acriùs eos dilaniat conscientia mordens, & remordens; tametsi alij deessent canes, unà sufficit læsa conscientia, quæ intus latrat domestici instar canis, & vulnera infligit, quia non solùm latrat, sed etiam mordet.

Imò peiora canibus humana dixerim gaudia, canes enim in alios sæviunt, & suis parcunt heris, quibus non oris dente nocent, sed caudæ motu eblandiuntur: mundi verò gaudia dominos suos mordent, & eò actiùs, quò lautiùs ea fovent, ijsque favent. Neque qui ab hisce mordentur rabidis canibus, gaudijs explentur mundanis, quia hæc dum mentem explent, famem eorundem magis acuunt, ut nunquam satientur, perinde ac qui ove vescuntur, cui rabiem quandam morsu suo lupus affricavit, jugi dicuntur lupina fame laborare referente Joanne Eusebio, ubi ait: *Ovem dicunt morsam à lupo, si quis edat non satiari, sed fame laborare: illud certius, quidquid fortuna mordere potest, non saturabit cor esuriens, sed potiùs acuet ejus famem.* 73.

Lib. 1. de Arte volun. tatis cap. 53.

74. Emotæ mentis est mundi gaudia aucupari, ut inde aliquid hauriatur solatij, tametsi lætitia dulcorandæ vitæ præsentis amaritudini apta censeatur, & gaudium lenimentum esse videatur doloris, & mœstitiæ recrudescentis; quod tamen mundus gaudium exhibet dolorem auget, non minuit; neque mœrorem extinguit, sed accendit; molestias non abigit, sed accersit, tametsi rideat, nobisque arrideat, nos tamen irridet, cùm non oscula adblandiens figat, sed vulnera sæviens infligat; estque mundi risus noxia irrisio, ideóque qui cum mundo ridet, satiùs insanire dicitur, quàm gaudere: mundanæ siquidem lætitiæ, & mentis insaniæ tantus est nexus, ut vix lætitia ab insania secernatur; ideóque insaniunt homines à sana mente dejecti, quoties cum mundo lætantur, ut edixit D. Augustinus: *Extolluntur homines, lætitia quadam insaniunt;* qui sapit, huic mundana gaudia despiunt, mundi lætitiam coërcet, ejúsque risum compescit; quia sanæ mentis est non gaudere mundi bonis, quæ sub larva boni delectabilis mala omnia obtegunt, quæ adferunt; nonnisi exsucca esse possunt ac nuda veri gaudij ea mundi bona, quæ nonnisi anxietates, ærumnas, curas, & miserias exhibent; & ideo insanit, qui in mundi bonis verum gaudium adnititur aucupari: & licèt cum mundo rideant, eò tamen plus insaniunt, quò laxioribus cachinnis rident.

In Psalm. 11.

Sunt,

75. Sunt, qui dementiâ laborantes jugiter rident, & ijs haud abludunt, qui cum mundo rident, risus enim abunde eorum prodit amentiam, hinc Tritemius ait: *Stultum se demonstrat, qui risum excussum amat, quia viri sapientis est moderare risum.* Mundi risum qui compescere nescit, indiget ipse coërceri, & qui effusam non ligat mundi lætitiam, illigari ipse debet, ut verâ laborans dementiâ; quia talsis adhæret gaudijs, quibus se duci sinit ad æternum luctum, ac fœdè seduci. Hinc Hinc Isocrates carpens gaudentes cum mundo ait: *Effusior risus vecordium est, & insanorum.* Suam extra se mentem fundit, qui se in risum effundit, séque prodit ratione vacuum, qui sine ratione risum emittit; si nolis insanire, necesse est, velis mundi risum coërcere, & te intra te compescere, ne totus foras unà cum effuso risu prodeas, nisque sanæ mentis in te supersit: est sanè sana mente vacuus, qui ea lætitia impletur, quæ insana est, & delira, qualis est, quæ à fluxis mundi voluptatibus effluit, teste D. Augustinus: *Phantasmata rerum temporalium afferunt sæpe deliram, insanámque lætitiam* imò hanc jugiter ingerunt, cum nonnisi ærumnas, curas, molestias, & cruciatus secum gerant.

In Cap. 4. Regul.

In Psalm.

76. Excusserat certè hunc risum Salomon cùm dixit: *Risum reputavi errorem*, ubi alij legunt *insaniam*: insanus igitur censendus est, qui cum mundo ridet, quia ut pulchrè Cassiodorus: *In hoc sæculo stultus à se foras egrediens exultat:* nimirum egreditur è sana mente, à se abit, & extra se divagatur, qui in rebus illis exultat, quæ sunt extra se. Lætitia, quæ ex mundi voluptatibus hauritur mentem lætantis, cum mundo invadit, vertit, ut evertat; eripiátque quidquid sani in ea latebat, ut vacua, ac prorsus infirma remaneat, huc spectat S. Gregorius: *Solet lætitia arcana mentis aperire, atque aperiendo amittere: adversa verò cum nos exterius deprimunt, interius cautiores reddunt:* nocet mundi gaudium, obest ejus risus, & magis prodest fletus: nil magis in mundo nobis adversatur, quàm quod ridet, & nil nobis est utilius, quàm quod nobis videtur adversum; prospera nobis sunt adversa, & quæ nobis arrident adversantur, ideóque hac ratione desipere se probat, qui ridere cum mundo annititur; qui mundi gaudio inhiat; cui enim sapit mundi lætitia, suam hic insipientiam prodit, non enim gaudere potest quis cum mundo sine insipientiæ nota: relinquenda sunt, quæ in mundo lætitiam ingerunt, omittendum studium divitiarum, quæ vel periculum sunt eas concupiscentium, vel onus possidentium: relinquendæ corporis voluptates, quæ molliunt, & enervant; coërcenda est ambitio, quæ in dignitatis culmine gaudere annititur: tumida enim res est ambitio, vana, & ventosa, quæ nullum habet terminum: effuodantur enim mundi gaudia, non possidentur, quia dum placent, transeunt; fugitiva est lætitia, diu nequit suo hærere possessori, fugitiva omnia mundi gaudia sunt, quæ in solo volatu consistunt, & fuga.

Psal. 149.

Lib. 30. mor. cap. 15.

§. VIII.

Nulla sunt mundi gaudia, quæ neque habentur in spe, nec possidentur in re. Deflorescunt cum primùm putantur florere; arescunt cum favere, & arridere creduntur.

77. SUnt, qui mundialis gaudij symbolum rosam producunt, non ob celerem fugam tantùm, ac brevitatem, quâ durat, verùm & quia spinis sepitur; quia mundi lætitia tametsi cum rosa florere, & ridere videatur, diurnus tamen vix est risus, & nunquam diuturnus; brevi enim arescit & nonnisi superstites relinquit spinas, quibus conscientia acriùs pungitur, & mens discruciatur. Etiam camporum tractus, pratorúmque planities & arva, verna temperie ridere videntur lascivientibus ornata viretis, discoloribus variata floribus, sed fucatus est risus, non verus, nec diuturnus; desinit enim cùm flores flaccescunt, & germina arescunt: perinde ac flores ridenti, & arrident humana gaudia, sed brevi arescunt, & nonnisi curæ, ac sollicitudines, seu vepreta post se relinquunt, florere non potest, qui hisce innititur floribus. Non stant, quæ mundus gaudia exhibet; volant semper, & avolant, neque hærentia sunt, sed volatica; volant enim, quia pernicissimè fugiunt, imò phantasmata potiùs, & umbræ gaudiorum visæ sunt mundi lætitiæ Philoni, qui propterea eas somnijs pariavit inquiens: *Profana gaudia somnijs sunt simillima, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, & priusquam comprehendantur, avolant:* cum ijs, qui cum mundo rident, ita ludunt, ut eosdem illudant; quia tametsi rideant, simúlque arrideant, ridentes tamen cum mundo fallunt, quia licèt mundi lætitia haberi possit, non tamen teneri potest, quia ut ait D. Augustinus tract. 7. in Joan. *Lætitia sæculi cum magna expectatione speratur, ut veniat, sed non potest teneri, cùm venerit*, non potest mundi lætitia ab homine teneri, qui ejus amore tenetur, quia quos lætitia tenet, eos statim dimittit: hinc voluptuosi illi ex Epicuræo grege sues potiùs, quàm homines, cùm nonnisi in cœno gauderent terranarum voluptatum volutari, scientes mundi gaudia perinde ac flores cito arescere, dixerunt *Non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant.*

Lib. de Joseph.

Sap. 2. v. 7.

78\. Flores, cùm primùm lætam foliorum explicant pompam, quâ gaudent, statim arescunt, & discolor foliorum ornatus veluti umbratilis disparet, & qui spectatissimè florent, celerrimè etiam marcescunt; breve enim est, ac volatile rosarum ævum; ideóque terrenis hisce indulgentes voluptatibus, non rosis aperto sinu plenè luxuriantibus curonari voluerunt, sed baccis rosarum græcè enim legitur *coronemus nos calicibus rosarum*, rosæ apertæ illicò flaccescunt: earum verò caliculi, seu baccæ clausæ delicijs ingerendis videbantur ipsis aptiores; quia si non re, saltem spe arrident, antequam rideant; cùm enim primùm florent, statim deflorescunt, & dum vernare putantur marcent: sed licèt rosarum baccis coronari cuperent, quò spe saltem futuræ voluptatis alerentur, adhuc frustrati fuerunt gaudio, quia in baccis rosarum clausa detinetur voluptas, quæ nondum ullum potis est gaudium ingerere: caliculi, seu baccæ clausæ nondum sunt rosæ, nec rosarum possunt dare voluptatem, sed tantùm spondere; cùm verò primùm è caliculis florida hæc voluptas se prodit, folia explicat, arescit; & qui earundem tenebantur desiderio, se spe frustratos cognoscunt; diu enim quos spes tennit, voluptas statim dimittit, quia ut pulchrè S. Basilius: *Transitoria est, ac brevis momenti vernorum florum gratia, adhuc desiderantes destituit*, aptissimè voluptas, & mundiale gaudium rosis æquiparatur, ut ejus ostendatur fallacia: noluerunt Epicurei, mundíque voluptatibus, & gaudijs indulgentes apertis coronari rosis, sed calicibus rosarum, quia rosæ, cum plena gaudent foliorum explicata pompa statim arescunt, unde maluerunt rosarum caliculis stipari, ac fulciri, seu spe duntaxat innutriri rosarum, & desiderio florum, quia rosarum florescentium voluptas vix luxuriat in folijs, & statim arescit in flore, & rigescit in dumis; ideóque nulla est florida mundi voluptas, quæ suos tunc duntaxat alit, cum spe allicit, & desiderio inflammat; seu tunc tantùm placent, cùm non sunt, & tunc displicent, quando incipiunt esse, quia tunc desinunt.

Homil. 11. exameron.

79\. Adeo florida gaudiorum gratia fugitiva est, fallax, & mentita, ut non solùm possidentes fallat, sed etiam desiderantes desiderio destituat, quia quod ante possessionem desideratur, cum possidetur, quod erat in desiderio arescit, & disparet, ut desiderantes desiderio destituat: nulla est ea mundi lætitia, quæ neque in spe habetur, neque in te possidetur. Id expertus fuit prodigus ille adolescens, qui juventæ ardore delatus, ac luxuriantis ætatis solicitatus stimulis, mondi gaudiis inhiavit, proprij patrimonii portionem secum detulit, ut ea sibi sumptuosiùs emeret: sed vix, quid essent mundi gaudia expertus fuerat, & statim eorum cœpit appendices experiri ærumnarum: postquam patrimonium decoxit, *Facta est fames valida in Regione illa, & ipse cœpit egere.* Eget, & fame premitur, qui mundi delicijs cupit satiari, & gaudiis indulgere, quia futile est mundi gaudium, & inane, allicere potest ob extimam jucunditatis speciem, sed satiare non valet; ideóque adolescens prodigus, & egere cœpit, & fame torqueri postquam mondi indulsit voluptatibus, ac mundana gaudia patrimonium abliguriendo sumptuosiùs emit: decoxit proprias facultates; sed nullam in stomachum demissam voluptatis substantiam concoxit, quâ reficeretur, ideóque cœpit egere, quia quas secum tulerat divitias, vitijs indulgendo abligurivit & tunc necessitate adactus, paupertate impulsus uni adhæsit civium regionis illius, qui misit illum in villam suam, greges ut pasceret porcorum: & benè qui cœnosis mundi voluptatibus adhæsit, qui in cœno delectabatur volutari vitiorum, societati adsciscitur porcorum; cùm assuevisset cœno fœdari vitiorum, mundi gaudijs ut indulgeret, porcis præest, quibus volupe cœno immergi: *Et cupiebat implere ventrem suum de filiquis, quas porci manducabant.* *Luc. 15.* *Ibidem.*

80\. Cùm enim volatiles sint, ac inanes mundi deliciæ, fallaces voluptates, larvata gaudia, nil ex ijsdem deglutivir, quo esurienti satisfaceret stomacho, & labentes corporis vires reficeret; mundi gaudia, quia inania, & vacua stomachum inflant, non replent; membra torquent, oon nutriunt; premunt, non exhilarant, pulchrè S. Ambrosius loquens de prodigo adolescente ait: *Egere ideo cœpit, & famem pati; quia nihil prodiga satis est voluptati:* est voluptas prodiga, quia gaudia plura spondet, quæ laxa manu profundit, sed quia vacua sunt, & inania, nihil est ipsi satis, seu nil habet solidi, quô valeat reficere, & esurientes satiare: ideóque cùm indulsisset prodigus adolescens mundi gaudijs, fuissetque ejus depastus voluptates, *cupiebat implere ventrem suum de filiquis, quas porci manducabant. Neque enim*, subdit S. Ambrosius, *alia cura est luxuriosis, nisi ut ventrem suum impleant, quorum DEUS venter est, quis autem aptior hujuscemodi hominibus cibus, quàm filiqua? Hic cibus intus inanis, & foris mollis est, quo corpus non reficitur, sed impletur, ut sit magis oneri, quàm usui.* Mundi voluptatibus, & gaudijs qui indulgent, quia satiari non possunt, fame torquentur, & filiquis inhiant, porcorum scilicet cibo, quo ventrem onerent, qui mentem cœnosis, ac suilibus cogitationibus impleverant; inanis est filiqua cibus, porcis tamen pergratus, & voluptuosis aptus non quidem *Lib. 7. in Luc.*

reficiendis, sed inficiendis, quia onerat, distendit, nnn satiat. Cœpit prodigus adolescens egere in porcorum campis, in regione mundanæ voluptatis, & fame torqueri, quia *nihil prodiga satis est voluptati*, inania sunt, & vacua, quæ profundit gaudia prodiga largitate, inflando ventri, non implendo idonea; onerando stomacho, non reficiendo apta, totam abligurivit prodigus adolescens substantiam, quo prodigæ indulgeret voluptati, aliquid inde percepturus emolumenti, ac refectionis, sed quia larvata sunt, & vana, quæ voluptas prodiga profundit gaudia, infici ijsdem potuit, non refici.

81. Nil habet solidi, nisque validi ad solatium inducendum mundi lætitia, quæ tametsi extimo cortice ridere videatur, & arridere; intus tamen nonnisi malis infarta est: gaudium ostendit in extima superficie, & nucleus dolor est, ac mœror: occidua est quævis mundi lætitia; perinde ac præcelsæ quercus, & præaltæ turres sole occiduo prolixiores suas umbras projiciunt, ita & mundi occiduum gaudium longiores protrahit dolores: & sicut occumbente sole trimuli infantis umbra gigantem tunc mentitur: ita vel minima mundi lætitia, quia semper est occidua, suimque præceps ruit in occasum prolixum dolorem protendit. Si enim mundi lætitias cum suarum pœnitudinum, ac dolorum metiamur appendicibus, has procul dubio prolixiores deprehendemus: quæ à mundi voluptatibus ijsdem indulgentibus exhibentur lætitiæ istæ in transitu sunt, ac suum ruunt in occasum, sed dolores, qui inde oriuntur, non transeunt; sed diu infixi hærent præcordijs; illæ momento facescunt, sed isti per annos lacessunt; illæ utpote volatiles fugiunt, sed isti, quia cruciant, insistunt; illæ, cùm delectant, disparent; isti, cum torquent, manent; arescunt illæ, cum florent, rigescunt isti, cum torquent; evanescunt illæ, cùm oscula figunt, sed diutius hærent isti, cum vulnera infligunt.

82. Si diligenter mundanæ lætitiæ intimiora introspiciamus, nil est in nucleo, quàm dolor; in cortice risum exhibet, & intus luctum tegit; gaudet in superficie, & mœret intus; arridet in spe, sed irridet in re: risum siquidem spondet, & nonnisi dolores exhibet, quibus torqueat, adeò ut ipsa humani gaudij possessio, placeat in spe, sed displiceat in re; & ejus possessio hiantia vota castiget, & qui mundi lætitiam expetit, nonnisi inconsulti sui desiderij supplicium petit, quo humana appetentia, & torquetur, & expiatur.

83. Jucundam præsefert mundi lætitia speciem, quâ minus cautos illicit, & mundi inhiantes voluptatibus titillat; sed flammam imitatur mox morituram, quæ nonnisi in fumum desinit, fiátque lucernæ lux fœtida caligo; huic morientæ flammæ supparem dixeris, quam mundi voluptas lætitiam excitat, vix quidpiam ementiti, ac fallentis luminis emittit, & statim extinguitur, & nonnisi tristitiæ caligines post se relinquit ad eos torquendos, qui mundi gaudio indulserant; scitè mellifluus Bernardus de fallacijs præsentis vitæ ait: *Lætitia læta rei in tristitiam commutatur, sicut flamma illius novissima fumus occupat, & caligo.*

Quod mundi lætitia jocundum prodit, exiguum est lumen, quod statim extinguitur, sed ingentem post se fumum relinquit, quo lachrymas elicit, dolores auget: hocce, qui lumen circumvolant mundi inhiantes gaudijs, pyraustæ sunt; ibi mortem oppetunt, ubi lætitiam appetunt; qui enim mundi lætitiam experit, pœnam sustinet, & quam voluptatem putabat, mortem experitur. Fastidit Deus suum populum, inquiens: *Quasi uvas in deserto inveni Israël, quasi prima bona ficulnea in cacumine ejus vidi patres eorum: ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*, ac si dicat, perinde ac obscœnum Priapi Idolum, fœtidissimum erat, & omni abominatione aversandum, ac perinde abominandæ erant meretrices Madianitæ, quas avidiùs concupierunt, & cum quibus voluptuosiùs commiscebantur; ita & Israëlitæ obscœni, putidi, ac abominabiles facti sunt, quia postquam rœpère carnis delicijs affluere, & mundi inhiare gaudijs, abalienati sunt à Deo, & sibi fastidio, ac abominationi facti sunt, adeò ut in ipsa mundi lætitia mœrorem nacti fuerint, in gaudio abominationem, in risu luctum, & in ipsa voluptate triste doloris pretium: scitè S. Gregnrius ait. *Alius à luxuria carnem jam refrænat, sed tamen adhuc luxuria phantasmata tolerat: quia quæ volens fecit, horum invitus meminit; & pœnam sustinet, quam voluptatem putavit*, nil tam volupe, & expetitum indulgenti mundi delicijs, quàm effusior procaciter libido, ac carnis voluptas, quæ tamen ita fit abominabilis, ut illam voluptuosus abominetur; ob ipsa luxuriæ phantasmata, quibus obscœno luxuriæ ludibrio deliciabatur, acerbissimum cruciatum tolerare adigitur; & pœnam sustinet, quam voluptatem putabat: quàm larvata, ac mentita sunt mundi gaudia? delicias spondent, & cruciatus exhibent; fitque luctus, qui risus putabatur, inflicta dutiùs pœna fit voluptas, & qui deliciari in voluptate, gaudere in delicijs credebat, torquetur doloribus, & pœnam sustinet, quam voluptatem putavit. 84. Osee 9. Lib. 8. moral. cap. 3.

Solet quidem culpa pœnam antevertere, quia aliquid interest culpam inter & pœnam discriminis, sed mundi lætitia æquo passu 85.

cum pœna currit; quia nullo secernitur à pœna discrimine, voluptuosus enim, ut ait D. Gregorius, pœnam sustinet, quam voluptatem putabat; & rectè mundi gaudio adhæresceit dolor, ne unquam sit impunitum; nimis enim serò puniretur mundi lætitia, si ejus culpæ succedanea foret pœna; providè festinat pœna, ut sit ipsa sui ultrix, ideóque appetens deliciarum meritò pœnam sustinet, quam voluptatem putabat.

85. Torquet mundi voluptas, cum blanditur; ferit, cum mulcet; dilaniat, cùm adulatur. Id testantur Susannæ senes, malitiosè salaces, & protervè luxuriosi, quorum nivea canities æstus dissimulabat ardentis intus concupiscentiæ: observaverant venustissimam Susannam ingredientem frequenter, & deambulantem in viri sui pomario, & sperantes fructum, non jam ex arboribus illis pendulum, sed ex depravata propria concupiscentia carpere; exarserunt statim fœdo æstu in ejus concupiscentiam, & tametsi niveam ætatis hyemem attigerint, passu retrogrado autumnum repierunt, fructum aliquem fœdæ libidinis gustaturi, imò motu protsus inordinato ipsam repetierunt æstatem æstu libidinum deflagrantes: hanc confusionem una, quæ in mundo voluptas creditur, fœdè invehit; quòd si senes, quorum artus frigent, quorum capita nives canitiei obtegunt, adhuc æstu flagrant libidineo, nulla est ætas à fœdo hoc æstu immunis: oculos vigiles libidinis excubias direxerant in mulierem deambulantem per viri sui amœna vireta, sed cum Susannam vident, cognatas luxuriæ scintillas flabellant oculi; & quia fœdas in pellucido fonte, at frigido sitiebant libidinum flammas, æquè cœperunt æstuantes in frigida lympha voluptatis pœnam, & vulnus experiri ejusdem: *Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum:* Dulcis voluptas amoris venerei, quo senes æstu libidinis insanientes venustam deperibant Susannam vulnus dicitur, & dolor; non enim ait scriptura, *indicaverunt sibi* amorem, sed *dolorem*, quia non absque magno sensu doloris, ac tristitiæ vulnus infligitur amoris: impurè amantis, & acriter dolentis idem est sensus; qui perversè amat, acriùs dolet; & quia amoris voluptas mundi gaudium alit, luctum etiam parit; nec potest quis gaudere cum mundo, quin velit dolere in luctu.

Daniel cap. 13. v. 10.

86. Mundi lætitiæ, & voluptati mœror semper adhæresceit, & luctus, idque causæ, cur senes perversè amantes Susannam, vulneribus dicantur faucij, & dolore torti, *erant ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum:* illicito concupitæ voluptatis deliciantur senes; sed vel nolentes inflicti vulneris dolorem sustinent, nimirum uterque senex Susannæ amasius, quia carnis illecebris, ac luxuriantis concupiscentiæ inhiabat voluptati, dolorem sibi accersivit, vulnúsque inflixit, & ut ait S. Gregorius Papa. *Quæ mutabilitatis suæ onera, quia volens expetijt, nolens portat*, quasi diceret, senilia Judicum gravitas, veneranda senum canities, in mutabilem, fluxámque Veneris voluptatem degenerans, impudicum amorem, fœdámque concupiscentiam, quam volens expetijt, quia dolorem secum adfert; nolens portare, ac sustinere adigitur; & ideo pulchrè ait D. Gregorius, quòd uterque senex venustæ Susannæ amasius gaudium, quod in venerea voluptate volens expetijt, nolens portat; scilicet quia luctum secum trahit, & dolorem; vellet quidem in voluptate gaudium, quod expetit; sed nollet vulnus, & dolorem gaudij appendices: ecce quàm plenæ sunt doloribus mundi deliciæ, quàm oppletæ laboribus, anxietatibus, curis, ac periculis voluptates; quas mundus suis spondet amatoribus; larvatus est in ipsis risus, gaudet exterius, & intus lachrymis madet; ridet in cortice, & luget in nucleo: ergo sanior mens hauriatur, ut hæc insaniæ nota à mente abradatur: hanc verò saniorem mentem is induit, qui mundi amorem exuit, ejúsque gaudia respuit, nec sinit se ejus illecebris, ac fallacijs decipi; spondet quidem mundus gaudia, sed quibus ad interitum, luctúmque trahat, nunquam interiturum: omnes mundus decipit, sibique adhærentes ad æternos ducit cruciatus: nemini parcit, quia omnes torquet: uno venenatæ voluptatis calice singulos suos inebriat dilectores, ac enecat; & tamen adhuc homo desipit, ut mundo fidat, à quo semper decipitur.

Lib. 4. moral. cap. 3.

§. IX.

Quæ mundi voluptas gaudia spondet nullum adferunt lenimentum; sed acriùs urgent ad lamentum: cor verâ lætitia non afficiunt, sed tristitijs inficiunt.

Mundana gaudia expotrigere; ac recreare mentem spondent, animum tamen non levant, sed premunt; gaudij serenitatem, non accersunt, sed mœroris induunt caligines, lætitiâ cor non afficiunt, sed tristitijs inficiunt; nullum adferunt lenimentum, sed acriùs urgent ad lamentum; quia quod ad momentum lenitur mundi gaudio, mox recrudescit acerbiùs: neque à frigescente aqua videtur quoad hot abludere mundi lætitia, sicut enim haustus frigidæ febrili æstu laborantes per modicum tempus recreat, sed mox ardentiùs ardet, ac torquet febris, & ipse humor in præcordia diffusus incrementum fit æstûs, 87.

&

& fax incendio adjecta; ita mundi lætitia, tametsi aliquid videatur adferre solatii, adhuc vulnus infligit, & eò acriùs recrudescit, quò uberiùs quis mundi gaudio indulget.

89. Imò ipsa mundi lætitia larva est, quâ internus obtegitur dolor, hic enim adeo risui associatur, ut sejungi ab illo nequeat; Proverb.14. hinc Salomon. *Risus dolore miscebitur;* quamvis mundi indulgens deliciis in extima rideat vultûs cute; intus tamen dolore torquetur; neque sit propterea aliud faciei risus, quàm larva, quâ internus tegitur mœror, & cor dolet, & conscientia torquetur: exteriùs rident deliciosè ovantes, & intus dolent; ac angore urantur; non igitur credendum est externæ lætitiæ, cujus splendor in facie apparet hilari, sed intus ignis urens cor torquet, & clangulum præcordia ululat, & viscera consumit: terreni gaudii lux præfulget in fronte, quatenus deliciarum voluptas translucet in facie, & fulgor lætitiæ in ore ridente præmitet hilariter: sed splendor est, qui ex igne intus urente dimanat; nimirum foris splendor ignis adblanditur, & intus ignis torquens viscerum ustulat medullas; foris hilaris nitor arridet, & intus flamma vorans præcordia urit; foris lux blanda ementitæ lætitiæ exhilarat, sed intus accensæ prunæ viscera exedunt, depascuntur, & consumunt; foris lætitiæ splendens serenitas ridet simul, & arridet; sed intus incendium ardet, & pyra animitùs inflammatur: ignis est mundi gaudium foris splendens, & intus torquens; foris arridens, & intus lachrymas eliciens, quia mundi gaudiis indulgens fumo hujus ignis intus suffocatur; & nigricans transacti voluptatum incendii caligo mœrorem invehit, tristitiam accersit, & lachrymas excitat, Proverb.14. quia ut ait Sapiens. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*

90. Non tamen censeas verum esse risum, qui in extima facie exultat ridentis; non potest verum esse gaudium, à quo longissimè abest vera risûs causa, nimirum justitia, & pax, & reliquæ virtutes, ex quarum cultura duntaxat germinat flos veri gaudii, ac vera efflorescit lætitia; vacua est hisce virtutibus mundi voluptas, vacua earundem cultura, proinde non potest in ipsa veri gaudii flos germinare: verum gaudium non efflorescit, nisi ubi cultura viget virtutum, est enim virtus radix veræ lætitiæ, quæ propterea non germinat, nisi virtus excolatur: de justitia oritur pax, & in pace adolescit gaudium: ab utrâque virtute, qui exulat, viduus est vero gaudio, & quamvis gaudere videatur, non verum ibi est gaudium, sed larva potiùs, & phantasma gaudii, ut monet Si- Eccles.34. racides, inquiens: *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium vanitas est: & sicut parturientis cor tuum phantasias patitur:* intelliguntur hæc de erronea divinatione, qua à cacodæmone responsa petuntur, vel à garritu avium eventus quæritur futurus; vel ab incertis somniorum phantasmatibus, quæ nocte intempesta dum corporis membra somno sopiuntur mentem impetunt, & venturi successûs prodromi habentur: & sicut nocturna phantasmata errantes potiùs sunt umbræ, ita mundi gaudium phantasma potiùs est, & umbra lætitiæ terrori incutiendo aptior, quàm jucunditati ingerendæ: hinc Nissenus mundi gaudium, & Tract. 6. oblectationes, quæ ex terrenis voluptatibus hauriuntur phantasmata haud abs re vocat: inquiens; *Non enim est fruitionis illius, & voluptatis, quæ momento temporis fit in hominum natura penu, ut delectationem illam asservare, & recondere possint, quam omni ope comparare conantur: sed instar fallacium phantasmatum, cum teneri à voluptatum amatoribus creditur, repentè evanescit, & in nihilum recidit.* non solum transeunt, & evanescunt, verum etiam in nihilum recidunt, perinde ac vana phantasmata, quæ frustra ab otio finguntur imaginationis, & in mente pinguntur.

Ridere is verè non potest, qui phan- 91.
tasmata voluptatum, & vitiorum mente concipit, vitium cum gaudio haud cohæret, ignis enim promptiùs aquæ associabitur, quàm verum gaudium vitio conciliabitur, hinc inclamat D. Augustinus. Serm. 245. *Quale gaudium potest habere anima, quæ iracundia furore succenditur, superbia amarissimo felle impletur, invidia veneno percutitur, & luxuria sordibus inquinatur?* ibi lætitiæ veræ flos non germinat, ubi vepreta vitiorum tellurem depascuntur: in ea mente, in qua vitiorum germina adolescunt, ridentis lætitiæ fructus, nec germinant, nec maturiunt: ædificare sibi gaudium nequit, qui vitia vitiis inædificat, & scelera sceleribus coacervat, ut sunt, qui mundi duntaxat inhiant voluptatibus, & gaudiis; ac rebus fluxis, terrenisque addicti cœno adhærescunt, cœlo exosi; quia cœlum, cui nati sunt, obliviscuntur; & tametsi extima facie risum videantur præseferre, intus tamen mordentis conscientiæ stimulos sentiunt, qui cum cordis lætitia minimè possunt cohærere: si enim ita lætantium præcordia introspiceremus, nonnisi vulnera, vibices, cordisque mœstitudines, & conscientiæ dilaniationes deprehenderemus: unde fallimur, si judicium ab eo sumimus, quod foris apparet, non quod intus latet: non judicandum est ex eo, quod oculis subjicitur, sed ab eo, quod intus est in corde, ideóque voluptuosus fictè ridet exteriùs, quia verè mœret interiùs; exulátque propterea à vera læti-

tia,

tia, quia nonnisi in extima faciei cute lætitiam ostentat, quâ intus caret; non enim potest verum gaudium illam inhabitare mentem, quæ veræ lætitiæ hostem fovet, eique favet, verique propterea gaudij authorem rejecit, quatenus se ab ipso avertit, ut mundi adhæreret illecebris, & vitia
Serm. 235.
foveret, hinc inclamat Augustinus, *Quale gaudium conscientia illa potest habere, in cujus anima multis vitijs occupata, magis diabolus probatur habitare, quàm Christus?*

92. Exulat ab illa mente verum gaudium, à qua exulat Deus, neque vera lætitia illi insidet cordi, in quo sedet lætitiæ exterminator, seu alitur vitium ingerendæ mœstitudini, non fovendæ lætitiæ duntaxat aptum: cum enim terreni gaudij mater sit terrena voluptas, nequit verum esse gaudium, cum vera non sit mundi voluptas, quæ propterea neque veram potest lætitiam parere, neque verum alere gaudium: falluntur, qui è terrenis voluptatibus veram posse lætitiam prodire autumant, ac propterea nil non tentant, quo mundi voluptates valeant sibi enancisci, & nulla sit eorundem oculis species pulchrior, nec res ulla jucundior, quàm ipsa voluptas, ad cujus vel simplex, nudúmque nomen exiliunt, nec valent se intra se continere, quin extra se rapiantur, simúlque voluptatem rapiant, quâ fruantur: nil est, quod non ferant, qui in has voluptates feruntur: abstergendus est hic error; terrena voluptas vana duntaxat est umbra voluptatis; verum non potest ab ipsa gaudium prodire; & quamvis carnis deliciæ sensum extimè videantur afficere, nunquam tamen intimè cor pervadunt, nec mentem penetrant, sintque propterea mundi voluptates merè superficiales, quæ in sensus externi superfice radunt extimam cutem duntaxat, non intus penetrant, nec intimè delectant: imò rejectamenta, & excrementa voluptatum sunt, quæ à mundo exhibentur vo-
In orat. 106.
luptates, ut scitè adnotavit Nicetas in panegyri S. Gregorij Nazianzeni, ubi voluptatem, quæ extra Deum, & infra Deum est, vocat excrementum voluptatis, inquiens: *Omnis voluptas, quæ nec ex Deo, neque in Deo suscipitur voluptatis est excrementum*: & talis est, quam mundus offert suis sectatoribus, quibus hoc excrementum placet, illúdque præferunt veris delicijs, quæ in solo fruuntur Deo, qui Deo adhærent, & in Deum solum feruntur.

93. Deliri igitur sunt, qui vera gaudia in meritis mundi voluptatibus quærunt, & voluptatum depascuntur excrementa, veluti Sodomitica poma, quæ speciosæ cutis ambitione, & extimi corticis discolori elegantia favillaceam intus fuliginem abscondunt, quæque vel levi pressu contacta fumum exhalant, fatiscúntque in inanem cinerem: quid ex mundi excrementitia voluptate sperandum? nisi fumus lachrymas eliciens, & cinis consumptæ substantiæ testis superstes: spuria igitur sunt gaudia, quæ ab excrementitia prodeunt voluptate; non enim melior est filia, nec alterius speciei à matre, quæ eam peperit: unde si excrementitia est mundi voluptas, non abs re excrementum veri gaudij risum mundi dixeris, hinc D. Laurentius Justinianus de casto coñubio aptè describens larvatam mun- Cap. 15.
di voluptatem ait: *Voluptas deformis est, & squalida, puritatis inimica, pudicitiæ exterminium, esca diaboli, peccatorum incentivum, rubigo mentis, conscientiæ abolitio, adversatrix Dei, animarum interemptrix, & totius consumptrix honestatis*; ecce quàm horrida sit intus humana voluptas, quæ tam blanda assolet externùs voluptuosis arridere: cum enim omnium malorum noxia sit, & fœcunda mater; delirus est, qui sperat verum ab ipsa posse gaudium prodire: malorum fœta mundi voluptas veram nequit lætitiam parturire; neque à putido, ac cœnoso fonte pellucidi exiliunt rivuli.

Hinc excrementitiam hanc voluptatem, 94.
Circem dixeris veneficiorum peritissimam; hæc enim Sarmatarum Rege, cui nupserat, veneno sublato, Regnóque per scelus parto, cùm inhumaniùs imperaret, ab incolis pulsa in Italiam profugit, & in Circæo monte (qui olim Latij terminus erat, & efficacissimarum ferax herbarum) sedem sibi delegit, ubi cum Glaucum marinum Numen adamaret, Scyllam puellam, quàm ille deperibat infestis fontibus in monstrum commutavit marinum: Ulyssem itidem vi tempestatis ad se delatum hospitio suscepit, ejúsque Socios, quibus poculum propinavit ex herbarum succis oppletum, in porcos convertit: sicque propterea Circæum poculum bibere parœmialiter, perinde, ac in brutum, vel deteriorem hominem degenerare: voluptates igitur, qui mundi sitit, Circæum poculum exsiccare admititur; non enim quidquam habent terrenæ voluptates, quo sitim valeant nostram extinguere, quin Circeum potiùs poculum nobis propinant, cujus haustu brutescimus. Non tamen quos voluptas brutescere adigit sensibus censeas destitutos: ea enim est voluptatis mundanæ indoles, ut vel ipsos brutorum sensus acuat, quò promptiùs eidem adhærescant: licèt natura benefica rerum mater muta animantia intellectu viduaverit; malefica tamen voluptas brutorum sensibus quandam veliti mentis visa est speciem indidisse, voluptatis pedissequam: & Ter-
tullianus placitum eorum Philosophorum, Lib. de anima cap. 4.
qui animam rationalem in partes sectilem esse censuerunt, sic interpretatur, inquiens: *Non enim membra sunt substantiæ animalis* (seu hominis) *sed ingenia, ut puta motu*.

torium, aſſorium, cogitatorium, viſûs, auditûs, guſtûs, tactûs, odoratûs. Vult acutè Tertullianus, agreſtes brutorum ſenſus ingenio quoddammodo pollere, idque præſtigiatricis voluptatis Circæo veneficio, adeò ut voluptas ita animam dementet, ut ejus mentem, ac ingenium in ſenſus transferat, quò promptiùs voluptatum indulgeant illecebris, ac ijsdem tenaciùs adhæreſcant.

95. Vix rerum Conditor ex aqua piſces, ac volucres effecerat, & ſtatim ijsdem benedixit. Benedixit Deus, dicens, *Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, aviſque multiplicentur ſuper terram*, imò eandem bendictionem impertitur paulò inferiùs hominibus. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; quòd Deus hominibus in horto deliciarum benedixerit, & cum ijsdem ſermonem miſcuerit, bene eſt, ac intellectu facile, cùm homines utpote intellectu præditi, ac ſagaci mente inſtructi Dei loquentis benedictionem intellexerint: ſed quòd eandem benedictionem fuerit antea impertitus ſquammigero piſcium gregi; aviúmque aëra trajicientium turmis id captu videtur difficile, cùm nec muti piſces, nec garruli volucres utpote mente, & intellectu deſtituti percipere potuerint Numinis benedicentis ſermonem: quòd ſi piſces, & aves voluit benedictione fovere, ijsdémque favere, ut multiplicarentur, & replerent aquas maris, cur non etiam benedixit terræ viretis, pratorum floribus, nemorum arboribus? *Quare*, ait Rupertus. *Qui multiplicationes bonorum in benedictione fieri mandavit, herbam, quóque virentem, & afferentem ſemen, lignúmque pomiferum, & habens unumquodque ſemen ſuum in ſemetipſo, cùm juſſiſſet produci è terra, non benedixit eidem dicendo: creſcite, & multiplicamini, & replete terram?* etenim ſi ſuam munificus Deus benedictionem brutis impertivit irrationalibus, cur non etiam terræ viretis, pratorum floribus, nemorúmque arboribus, cùm debuerint, & hæc vegetabilia per poſteras propagationes extimam terræ faciem luxuriantibus veſtire herbis, ornare floribus, concinnare arboribus, non dixit, perinde, ac piſcibus maris, avibúsque aëris, *Creſcite, & multiplicamini*, ut terræ fœtus Numinis benedictione donati uberiùs multiplicarentur, copioliùs creſcerent, ac feliciùs adoleſcerent? ſi æquè bruta animantia, ac olera vegetantia, plantæque luxuriantes ratione, ac intelligentia deſtituuntur, cur Numinis benedictio, quæ piſces maris, avéſque aëris affecit, non etiam ad terræ vireta, flores, & plantas, & arbores extenditur, ut idem ab eodem Conditore beneficium ſentiant?

Gen. 1. v. 22.

Gen. cap. 1. v. 28.

Rup. 1. Gen.

96. Non me latet, D. Auguſtinum aſſerere Numinis benedictionem plantas, & herbas non affeciſſe, bene tamen piſces, & volucres; quia iſti ſenſu inſtruuntur, quo plantæ, & herbæ deſtituuntur; ait D. Auguſtinus; *quia ſtirpes, & plantæ ſenſu carent, Numinis etiam caruerunt benedictione*, ſed licèt deſtituantur plantæ ſenſu adhuc ſentire Numinis benedicentis beneficium potuiſſent, neque benedictio procedens ex Numinis in ſuum opificium affectu, caruiſſet effectu: præterea licèt ſenſu careant plantæ, quo bruta animalia pollent, vigéntque, non tamen à mutis animantibus ratione, & intellectu deſtitutis ſenſu percipitur hæc Numinis benedictio, quæ tantùm mente, & intellectu ſentitur, & percipitur; parum igitur videtur referre ſenſu pollere, ad loquentis Numinis voces percipiendas. Putârim bruta benedixiſſe Deum animantia, & non gramina, herbas, ſtirpes, plantáſque terræ, quia cum multiplicatio, & incrementum individuorum ex ſenſuum oriatur illicio, ac voluptatis illecebra, quàm plantæ non ſentiunt, ideo non iſtas, ſed bruta animantia Numinis benedictio reſpexit, *Creſcite, & multiplicamini*, & quamvis deſtituantur adæquè piſces maris, ac volucres aëris ratione, & intellectu, perinde, ac plantæ, ſenſu tamen inſtruuntur, quo plantæ deſtituuntur: & quamvis rudis ſit animalium ſenſus, & hebes; ſi tamen de illecebroſa agatur voluptate, déque libidinis negotio, tunc quaſi propriæ oblitus ſenſus naturæ, ſagax fit, & ingenioſus; videánturque, & bruta ipſa ingenium induere, quo & Numinis benedictionem ſtatim percipiant, & voluptatis illecebras ſentiant, iisque adhæreſcant, quò creſcant, multiplicentúrque in poſteras propagines.

De Geneſ. ad litt.

97. Adeò præſtigiatrix voluptas Circæo ſuo veneficio voluptuoſos dementat, ut totum ingenium à mente, & ſpiritu recipiat, quod in ſenſus transfundat venereæ addictos voluptati, ex qua gaudia percipiant, mundíque illecebris fruantur: ſcilicet venefica voluptas brutis ſenſibus, mentem, ingeniúmque indidit, quo animam ſpoliat, ut fiant ſenſus perſpicaciores in voluptatum occultis præſtigijs percipiendis, licèt in reliquis ſuis attingendis objectis ſint hebetiores; & huic fortaſſis ſagaci ſenſui alluſit Seneca, cum dixit: *voluptatem bonum pecoris eſſe*; quia non eſt hominis terrena capi voluptate; abit à ſe homo, qui extra ſe, ſeu extra rationem, & mentem voluptatem quærit in ſenſu, quærítque à rebus perituris fluxam voluptatem, mox perituram, non eſt homine digna terrens voluptas, ſed brutali ſenſu, qui mentis induit ingenium, ſaga-

sagacior ut fiat in percipiendis voluptatum illecebris: idque causæ cur Tertullianus facul- *Lib. de anima.* tates brutorum sensuum vocaverit ingenia, & Deus non plantis, sed animalibus suam fuerit benedictionem impertitus, & dixerit: *Crescite, & multiplicamini:* voluptas enim hebetiores brutorum sensus, vel perspicaciores facit, vel sagaciores, occultis nimirum suis præstigijs, quibus ingenium humanæ menti ereptum in sensus transfundit exteriores, quò possint illecebras percipere voluptatis, iisque adhærescere, ut citiùs crescant, multiplicentúrque bruta animantia; quia voluptas adeò volatica, & brevis est, ut nisi damna suæ brevitatis resarciret in prole propagata, tota periret species brutorum; quia si vitam progenitæ infert proli, necem adfert voluptuosam.

98. Quàm sibi perversè consulit homo! qui dum terrenæ voluptatis cupit delicijs diffluere; effluit è nobiliore sui parte tota ingenij vis, ac mentis acumen in sensus voluptate inescatos: utinam non fuisset hæc mentis sagacitas in sensum delapsa? fuit initium lapsûs, ruinæque humani generis. Prima in mundo mulier Eva magnificis illecta spebus vetitæ sibi *Genes. 3.* arboris fructum decerpsit. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit*, sed quomodo vidit, quòd bonum esset ad vescendum? id bonum est, quod gratum palato, cui & sapit, & arridet, sin autem mulier nondum pomum comederat, qui fieri potuit, ut judicium per oculos de illius ferret sapore, vidit igitur mulier, quòd esset bonum ad vescendum, proprium est oculorum discrimina discernere, ac attingere colorum: non verò ullum de sapore judicium ferre, si vidit bonum esse ad vescendum, non colorem duntaxat, sed & saporem vidit, & quidem ante pomi collyrium: nimirum vidit, quod oculis videri minimè potuit; sed quod concupivit, hoc idem oculis vidit concupiscentiæ, hoc est occultis voluptatum præstigijs, oculis concupiscentiæ, sensus ingenio percepit, quod visorio oculorum sensu percipi non poterat, pulchrè S. Basilius Seleuciensis, *Oratio 3.* *priùs quidem videbat, sed aspectum purgaverat affectibus.*

69. Viderat antea fructus ex arboris ramis pendulos, pulchros oculis, aspectúque delectabiles ob coloris sibi insitam elegantiam, pictúmque in extima cute ornatum, idque visûs concupiscentiam excitavit, illexitque; & voluptas venefica suis præstigijs mentis extinxit lumen, ereptúmque ab ipsa ingenium aspectui inseruit, qui de perspicacia, ingeniòque mentem æmulatus *vidit*, seu *cognovit*, quòd bonum esset lignum ad vescendum, scilicet, quod solius intellectus est proprium, id occultis suis præstigijs, voluptas sensui indit, ac si humani corporis sensus non membra forent hominis, sed ingenia, ut sagaciùs in eas ferantur voluptates, quæ mortem inferunt, cujusmodi fuit pomum, quod Eva voluptatum dementata præstigijs concupivit; & quamvis vetitum, dentibus fregit, quò propriam discerperet integritatem: malè enim carptum malum Pandoræ fuit pyxis, ex qua malorum omnium prodiére profluvia, morborum agmina, calamitatum exercitus, ærumnarum iliades, & mors ipsa proruпit; unius interdicti pomi morsus in omnes miserias singulos præcipitavit homines; voluptas hæc fuit, quæ nos paradiso exclusit, læta fuit Eva carpto pomo, sed ejus gaudium nos in hanc vallem ejecit lachrymarum; gaudium fuit, quod risum secum attulit Sardonicum, & luctum, mortémque nobis intulit, pulchrè D. Chrysostomus ait: *Oras. 10.* *Voluptas sæva quidem, & hostilis, & insidiosa aspectu, jucundè tamen, atque Sardonicum quiddam subridens, occurritque. fertque vincula juxta naturam florida, & mollia.* Verùm vincula sunt, quæ fortiùs tenent, quos ligant, & quò molliora, quò teneriora, eò sæviora.

Mundi gaudium Sardonicum præfe- 100. fert vultum, herbámque Sardonicam suis exhibet amatoribus, non ut delicias inferat, sed mortem adferat: rident ij, quibus terrena voluptas succum propinat herbæ Sardonicæ, sed ridentes miserè pereunt, gaudentes intereunt, & læti ad lethum properant; non tamen ridenda mors, quam risus parit, sed eò tristiùs lugenda, quò risus eam accersit. Cicutam, herbámque Sardonicam à mundi voluptate prodire adstruit Joannes Tolle *In cap. 7. Eccles.* narius, inquiens: *Postquam mundi lætitia diu hominem beatitatis cupidum umbris, ac ventis, & inani specie lactavit, tandem jejunum, & famelicum, ut dicam cicuta, aut herba Sardonica, cæterisque noxijs repletum, & à beatitatis meta, quam sibi præfixerat longissimè errantem destituit:* Qui sapit, priùs deserit futilia mundi gaudia, quàm sinat se ab ijsdem affici, & infici, hancque Sardonicam herbam mundanæ lætitiæ mortem allaturam rejicit; & solum Deum fontem vivum veræ vitæ sitit; eique soli anhelo inhiat desiderio, dicitque cum regio Vate. *Tibi dixit cor meum; ex-* *Psalm. 26.* *quisivit, Te facies mea, faciem tuam Domine requiram:* quia nil aliud est in mundo, mundanisque delicijs, voluptatibus, illecebris, divitijs, honoribus, quod valeat veram ingerere lætitiam, nisi solus Deus,

nilque

aliquè præter ipsum est ab homine expetibile; idque causæ, cur D. Hieronymus etiam omissa illa particula *Te*, tantùm dixerit, *exquisivit facies mea?* requirit Deum, quem luculenter expressit; quia quod erat verè requirendum ab homine sanæ mentis, id D. Hieronymus exquisierat, & expetierat; cumque nil sit in mundo expetibile præter Deum, abundè quale fuerit suæ objectum appetitionis expressit: sed interrogat Davidem D. Augustinus, inquiens. *Quid si te Deus faciet in delicijs istis (tuis regijs) immortalem? Respondet Amator: Nolo; quidquid mihi præter illum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare Deus meus, auferat totum; & se mihi det.*

In Psal. 26.

1014 Nauseavit David regiam dignitatem quamvis delicijs æquè, ac divitijs refertam; fastidivit omnes mundi voluptates, quibus abundè fruebatur; & solum Deum enixim concupivit, *exquisivit Te facies mea*: quia fucata mundi gaudia, quæ in sola faciei extimæ cute risum dissimulant, prorsus abegit; noluitque faciem suam alio ridere gaudio, quàm quod ex divinæ bonitatis inexhausto scaturit fonte: exquisivit te non solum cor, & intima cordis mei viscera; verùm & extima facies, quæ nullum vult futilis gaudij risum admittere, ut faciem suam conversam jugiter in Deum haberet, quam propterea cum animitùs exquireret, & reliqua mundi bona, gaudia, voluptates, delicias, divitias, fastidiret, subdit: *Ne avertas faciem tuam à me*, ac si diceret, ne mihi faciem tuam avidissimè exquirenti te subtrahas; quia licèt mihi regiam dignitatem, regias divitias, ac delicias concesseris, hæc omnia nihili facio; imò sunt mihi fastidio, & odio; tuam duntaxat exopto faciem, quam enixim rogo, nolis à me avertere, ubi enim ait, *ne avertas faciem tuam à me*; in græco textu legitur, *ne me contumeliosè expellas*, quod græcum scholium expendens, ac eluridans ait, *non me ut scoriam contumeliosè expellas* sumptâ metaphorâ à scoria, quæ tanquam inutile excrementum ferri rejicitur: quidquid enim in mundo ridere videtur, & arridere in voluptatibus, honoribus, dignitatibus, commodis, aliisque bonis, quibus avidiùs homines inhiant, scoriæ sunt gaudij, ac inutilia excrementa voluptatis, quia mundi prosperitas bracteata est, ut fallat; larvata ut decipiat; præstigiatrix ut dementet; propterea fugienda sunt mundi gaudia, quæ sardonico risu necem inferunt æternis lachrymis lugendam.

DISSERTATIO XXIII.

In solo probæ conscientiæ solo virtutum cultura, Numinisque cultu verum germinat gaudium, vera efflorescit lætitia, ac vera adolescit jucunditas.

§. I.

Extra veritatis limites feruntur, qui intra limites corporearum deliciarum circumferuntur, vera quæsituri gaudia.

1. FAllitur, qui extra Deum, ac virtutum studia censet, posse vera gaudia aucupari, ac solidè gaudere: mundi enim deliciæ, terrenæ voluptates exiles sunt, & inanes vero gignendo gaudio idoneæ; non est vera jucunditas, nec solida ac constans lætitia, quæ ex corporis pullulat delicijs, in mundi germinat voluptatibus: errant, qui aliter sentiunt, & extra veritatis limites feruntur, qui intra limites corporearum deliciarum circumferuntur vera quæsituri gaudia; imò ulceribus se prodont scatere quotquot mundi delicijs, corporeisque voluptatibus scalpi cupiunt; ulcerosa est eorum anima, neque bene valet, quæ hac laborat prurigine, cupitque carnis scalpi illecebris, idque expertus D. Augustinus ait. *Circumstrepebat me undique sartago flagitiorum amorum. Nondum amabam, & amari amabam; & secretiore indigentia, oderam me minùs indigentem. Quærebam, quid amarem amans amari, & oderam securitatem, & viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo te ipso Deus meus, & ideo non benè valebat anima mea, & ulcerosa projiciebat se foras miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium.* Indicium non est internæ sanitatis, sed corruptæ ægritudinis animæ avidè quærentis à corporeis illecebris scabie confricari; latet enim corruptæ mentis pus, & sanies simul, corporis titillans membra; & hanc quærens confricationem in externarum voluptatum illecebris, non ita insaniret, si sana esset mens scalpi cupientis, ac confricari contactu, ut inde aliquid aucupetur solatij, ac gaudij, quod tamen non germinat, nisi in occato solo probæ conscientiæ mediante exercitio virtutum, quibus in Deum tendimus, qui solus est fons, ex quo rivuli veri, ac indeficientis gaudij scaturiunt.

Lib. 3. confession. cap. 1.

Quantum à Deo, ac exercitio perfectarum virtutum quis, distat, tantum à vero gaudio abest; & sicut exercitia virtutum inter mundi voluptates minimè florent; ita neque in ipsis vera gaudia germinant, quinimò sunt potiùs mundi voluptates, & terrena gaudia dolorum fœcundæ radices, & luctuum, mœrorúmque putidi fontes; ideóque solidè qui gaudere putat, si mundi delicijs diffluat, corporeisque afficiatur voluptatibus, hic sinit fallacibus oblectamentis se decipi; est mundi voluptas veluti ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam, diuturni temporis compensat tœdio. Verum gaudium non nisi ex proba conscientia, virtutum exercitio, & Deo bonorum omnium fonte inexhausto scaturit: gaudium, quod ex Deo non oritur, scoria duntaxat est gaudij, ac putidum lætitiæ excrementum; hinc David, cum nullum fuisset solidum gaudium expertus in carnis voluptatibus cum Bethsabæa; in mundi delicijs cum regio fastu, & commodo; tandem ad Deum conversus, in Deo solo, quod non potuit in mundi delicijs gaudium invenire, expertus, dixit. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, nimirum illâ cœlesti lætitiâ, sincerâ, & liquidâ, quæ mentem gaudentis ita replet, ut totaliter compleat, ita animam afficit, ut eam totaliter reficiat; imò non anima tantùm, sed & ipsa caro hujus sentit lætitiæ solatium, cum enim cor, & caro Davidis non potuerint in mundi voluptatibus, ac delicijs exultare; & David nullibi hujus exultantis cordis, & carnis extra Deum, & in mundi 2. Psal. 83.

volu-

voluptatibus, deliciisque meminerit, abundè subindicat, verum tum mentis, tum carnis gaudium, nonnisi à Deo solo posse dimanare.

3. Verùm quod cor, seu mens cœlesti lætitia, divinisque gaudijs delibuta in DEO exultet, & exultim hilarescat, id mirum non est; bene tamen quòd caro divinis jucundiùs exultet gaudijs, cùm sit corruptioni obnoxia, domicilium concupiscentiæ, vitiorum fomes, & omnium pravarum appetionum igniculus: si caro contra spiritum rebellat, quomodo ejusdem gaudij, quo mens exultat, etiam ipsa hilarescit? quomodo caro de terra terrenis, seu terræ voluptatibus addicta, mundique gaudijs inhians cœlestia delibat? cur superbire potiùs non dicatur humana caro cœlesti delibuta gaudio, quàm exultare? cùm enim sit cœlestis lætitia splendor mentis, decus animæ, lux spiritûs, ansa non deesset carni superbiendi, tanto se videns nitore perfusam; etenim ut ait Seneca: *Gaudium nonnisi sapienti contingit: est enim animi elatio suis bonis, viribúsque fidentis*, vult Philosophus, gaudium, nisi viro perfecto, & sapienti contingat, animi esse elationem, & vitium viri superbientis potiùs, quàm notam exultantis: est autem superbia quædam animi elatio; & quia mens humana cœleste in terris gaudium affectat, præsumit arroganter quasi præcoquus cœli inquilinus cœlestem beatitatem in terrenis gaudijs, ideóque est gaudium, quod viro non contingit sapienti, animi quædam elatio: & quia animus carni sociatur in terris; sicut vita habet carnem consortem, ita & gaudij vult participem esse, sed quia mundi gaudium futile est, & fallax, nullam valet veram ingerere exultationem. Secus si viro probo virtutum culturæ addicto gaudium contingat, verum, & solidum; cum sit hoc quædam animæ elatio, & exultatio, etiam caro unà cum anima hoc delibuta gaudio gaudet, & exultat ob vitæ consortium; cùm enim nonnisi vita animæ vivat caro, ita nonnisi gaudio spiritus potest caro gaudere, & lætari, fitque propterea cœlestis gaudij particeps caro, si spiritus illo perfundatur; ideóque cœleste gaudium contingens viro probo, virtutum studijs addicto animi est elatio, quatenus exundans abundantiùs in carnem, hanc elevat, ut ejusdem fiat, & ipsa particeps gaudij, potiatúrque eâ lætitiâ, quâ nunquam posset ex se perfundi, nisi spiritui consociata: & quia spiritus, nequit vero frui gaudio, nisi cum gaudet de DEO; ita nec caro potest verè gaudere, nisi cum spiritu gaudeat eodem gaudio, quo de DEO gaudet, & tale fuit gaudium, quo de DEO gaudebat David cùm dixit: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Epist. 6. (margin, beside "etenim ut ait Seneca")

Psalm. 83. (margin, beside "fuit gaudium, quo de DEO gaudebat David")

4. Viri probi non solùm cor, seu mens, verùm etiam caro ipsa cœlesti delibuta gaudio exultat, & quidem in Deo solo, qui est fons vitæ; quia sicut cor est principium vitæ, ita nonnisi in fonte vitæ congruè exultat; ac si reliqua, in quibus gaudere, & exultare posset, & quibus mundus delectatur, sibi sint veluti mortua, & gaudij exsucca; mortuúmque propterea sit quodvis gaudium, quod non est de Deo vivo, quia cum non sit à principio vitæ, vivere nequit, nec exultare; proinde mortua sunt, fallacia, & inania cætera, quæ ex rebus terrenis hauriuntur gaudia; cùm enim sint interitui obnoxia, imò & mortua, si à Deo sint sejuncta, non possunt vivum, & exultans gaudium ingenerare; pulchrè D. Augustinus ait: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Non exultavit in hoc mundo, non in divitijs, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in comessationibus, non in vanitatibus mortuis, & citò cum omni suo amore morituris, sed in Deum vivum. Quare non dixit in Deum tantùm, sed addidit in Deum vivum, ut ostenderet, quia totum, quod non pertinet ad Dei cultum, deberemus habere quasi mortuum.* Lib. 50. homiliar. homil. 33.

5. Vera lætitia non scaturit nisi à fonte vitæ, non dimanat nisi à Deo vivo, neque exultat nisi in Deum vivum: quævis alia lætitia, quæ rivulus non est hujus fontis vitæ, exultare nequit, quia non est viva lætitia, sed mortua; frustra quæritur gaudium extra Deum, & exercitia virtutum conducentium ad Deum: vera lætitia, qua cor, & caro exultant, vera est, & viva, quia de Deo vivo exiliens exultat in Deum vivum. Nec in illius corde coalescere potest viva lætitia, à quo exulat vera justitia; hinc quidam olim interrogatus, quid tutam, firmámque lætitiam efficeret, breviter, sed verè, respondit, nil aliud, quàm conscientia justa, pura, & Deo addicta: quia vera lætitia non potest nisi in Deum vivum exultare, ac perenniter durare; sine Deo quævis lætitia excrementum est lætitiæ, & scotia gaudij: tantus est justitiæ, & lætitiæ nexus, ut nomine vix discriminentur, hinc ubi dicitur Isaiæ 61. *Indumento justitiæ circumdedit me*, legunt septuaginta Interpretes *Tunica lætitiæ circumcinxit me*: tanta enim est justitiæ, & lætitiæ in nomine cohærentia, ut in re minimè sejungantur, sed invicem copulentur, ut inde moneamur, quàm facili transitu de justitia migretur ad lætitiam; quàm facilè justitia in lætitiam vertatur; & quàm distet à vera lætitia, quæ justitiæ non associatur, neque exultat in Deum vivum: frustra quæritur verum gaudium extra justitiæ, virtutúmque culturam: flos est vera lætitia, non germinat, nec adolescit, nisi prævia virtutum cultura, hinc Apostolus: *Non est Regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, gaudium in spiritu sancto*; neque censeas Apostoli ordinem mysterio vacuum; postremum locum D. Paulus gaudio dedit, Ad Rom. 14.

ut innueret ad verum gaudium non perveniri nisi per justitiam, & pacem, per hos enim gradus duntaxat ad veram pervenitur lætitiam; pulchrè D. Bernardus de verbis Apostoli: *Attendis, & intendis, quia gaudium in fine est? priùs est justitiam facere, & inquirere pacem & persequi eam, & sic demum apprehendere gaudium, imò à gaudio comprehendi*, qui igitur hunc D. Pauli ordinem invertit, gaudium verum evertit, imò & se ipsum, cùm per hos gradus ad verum non ascendat gaudium: proinde se perdit; & gaudium, quod extra Deum, & exercitia virtutum quærit, non invenit.

Serm. 2.

6. Gaudium verum non nisi à proba conscientia prodit, nec lætatur nisi in Deum vivum, ut asserit D. Ambrosius inquiens loquens de vera lætitia: *Debet esse bona conscientia, rectaque mentis lætitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis:* quæ enim in lymposiis, comessationibus, choreis, musicis instrumentis, vanisque cantibus inveniuntur gaudia, sincera, & liquida non sunt, sed larvata, & confusa; quare Joël mœrore confectus, ac mœstitudine, repletus populi sui mala flevit inquiens: *Confusum est gaudium à filijs hominum*, non dixit periit gaudium, evanuit lætitia, defecit jucunditas, sed confusum est gaudium à filijs hominum; sed quænam est hæc lætitiæ confusio, quâ gravatè Propheta angitur, quâ mens funcitatur Joëlis, & cor mœrore premitur: certè non alia est hujusmodi confusio, nisi perversus gaudii abusus, & veræ lætitiæ eversio, ac inversio; quatenus lætantur populi non in Deum vivum, sed in lymposiis, conviviis, ferculis, potationibus, ebrietatibus, libidinibus, de quibus lætari minimè oporteret; sed potiùs lugere; & è contra tristantur, de quibus gaudere deberent: displicent studia virtutum, quia nonnihil exigunt laboris: arrident voluptatum lenocinia, quia concupiscentiam fovent, & vitijs favent: ideóque voluptatum, qui indulgent illecebris, de turpitudine gaudent vitiorum, & de honestate tristantur virtutum; cùm potiùs lætari deberent de virtutum cultura, & tristari de vitiorum indulgentia: hæcque est confusio, cui Joël illachrymabatur, hoc est illud confusum gaudium, quod videns in populo angebatur, & mœrore confectus dixit: *confusum est gaudium à filijs hominum*, nec aliud fuit hujusmodi confusum gaudium, quàm perversus gaudii abusus; gaudebant, de quibus non oportebat lætari; & lugebant, de quibus debuissent gaudere: in virtutum studijs molestè detinebantur; tædio erat ipsis avitæ religionis cultus, divina fastidiebant & carnis voluptatibus inhiabant, quibus pedissequis earundem vitijs indulgerent: hanc gaudij perversionem, lætitiæ inversionem, jucunditatis abusum vocat Propheta confusionem gaudij, quam nonnisi gravatè admodum tulit, eò quòd ea sit confusionis indoles singula è congruo ordine dejicere, & omnia sus, deque vertere, & evertere, atque propterea confusio recti ordinis perversio; appositè Rubertus Tuitiensis expendens præfatum illud Joëlis: *Confusum est gaudium à filijs hominum* ait: *Confuderunt gaudium seu non servaverunt ordinem gaudij filij hominum. Primò quia principaliter gaudere debuerunt de Domino; Secundariò verò non in bonis, sed de bonis Domini: super frumento vino, & oleo, & cæteris, quæ dantur à Domino hunc ordinem ita confuderunt filij hominum, ut in Domino gaudere negligerent; in bonis autem hominis gaudere cuperent.*

Lib. 3. de virg.

cap. 1. v. 12.

7. Lugenda sanè non satis est hæc gaudij confusio, quæ verum pervertit gaudium, verámque invertit lætitiam, gaudemus de ijs, de quibus lætari non oporteret, & de ijs lugemus, de quibus gaudere teneremur: intolerabilis sanè est hujus gaudij abusus, & pœnitenda confusio; de bonis munifica Numinis largitate nobis impertitis gaudere, & de bonorum largitore non lætari, sed eum potiùs contemptim negligere, ejúsque cultum tædio dehonestare: & quia confusum est hoc gaudium, liquidum non est, nec sincerum, sed larvatum mœroribus ingerendis, quàm lætitijs inferendis aptius. Vera enim sincera, ac liquida lætitia è solo dimanat divinæ voluntatis pellucidissimo fonte, & exultat in Deum vivum, ut enim scribit D. Paulus post recensita opera carnis ait: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, &c.* Opponit carnis operibus seu concupiscentiæ, fructus, seu opera spiritus: vocat opera spiritus, eò quia procedant à Spiritu sancto, quia solus Spiritus sanctus est, qui per suam gratiam opera parit Spiritûs, quæ ab Apostolo fructus etiam vocantur, quia non tam virtutum habitus, quàm earundem exercitia, & actus significant, ut inde Apostolus nos doceret, fructum veri gaudij non germinare, nec florere, nec adolescere, nec maturescere, nisi tellus cordis nostri imbre gratioso Spiritus sancti irrigetur; & nisi verum gaudium à cœlesti colono, ac hortulano in nostri cordis solo implantetur: fructus veri gaudii nonnisi ex bona radice prodire possunt, hue accersendus est Cassiodorus ubi ait: *Arborem, quam florere vides, quam summa conspicis viriditate lætari subterraneo succo viriditatis, & fœcunditatis animatur, reddit in superficie, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna alacritate florescit, si visceribus sanis gravamen nullius sentiat læsionis:* non alio fovetur irriguo succo generosa arbor, quæ liquidi gaudii fert fructus, quàm benefico, & gratioso divini Spiritus imbre: tunc liquidum est gaudium, quod in corde concipitur, in vultu florescit, in manu, seu opere ubertim fructificat, & in recta intentione copiosè

Ad Galat. 5.

Lib. 2. Epist.

copiosè autumnat; fructuum nomine virtutum intelliguntur opera, quorum lætitia ad singulas se virtutes alacris transfundit, estque fœcunda parens operum omnium à singulis earundem prodeuntium.

8. Induat igitur se virtutibus, virtutúmque decore eniteat, vero qui cupit gaudio lætari, ac vero sincero hilarescere risu; de muliere enim summarum cultrice virtutum ait Salomon: *Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo:* Prov. 31. suis opertmentum præmittit virtutum, quibus si destituta sit mulier, non ad sincerum gaudium iter parat, sed potiùs ad luctum viam sibi sternit: ridet, qui inconcussâ loricatus fortitudine mundi omnes mollities à se excutit, profani Cupidinis tela retundit, & generoso pectore terrenarum voluptatum obsistit illecebris: is siquidè ridet, cujus indumentum decor est honestatis, cultura pietatis, quâ virtutes germinant efflorescunt: hoc virtutum indumento operiatur, qui operatur, ut veris tandem fruatur gaudiis, & honestæ vitæ iter terat; is nunquam mœret, qui honestè vivit; fructus veri gaudij colligit, qui virtutes excolit, huic vero gaudio rerum cœlestium ardens associatur desiderium, & æternæ lætitiæ spes vivescens.

§. II.

Flores veri gaudii non germinant inter mundi voluptates, carnisque illecebras: sed in Dei amore, in conscientia virtutibus exculta; & corde à quovis fœdo affectu defæcato.

9. NOn in mundi voluptatibus, carnisque illecebris, ac delicijs flos germinat veri gaudij, quia hæc terrenarum voluptatum illicia, quæ delectare putantur re ipsa non delectant, sed torquent, lætitiam non inferunt, sed mœrorem adferunt: & mundi bona quæ putantur posse gaudium parere, simúlque alere, sterilia prorsus sunt, nec ullum possunt veræ deliciæ fructum dare; etenim pecunia, dignitas, honor, libido, gula, potentia, fastus, & alia id generis sexcenta, ad quorum intuitum luscosa hominum æstimatio, & cæcutiens cupiditas obstupescit, quamvis de sua videantur absentia dulcescere, & spe homines allicere, eorúmque succendere desideria, quibus jucundiùs exambiantur; cùm primùm postea possidentur oneri potiùs sunt, quàm honori; mœrorem ingerunt non solatium invehunt; lachrymas excitant, non vera gaudia incitant; & divitiæ onerant potiùs, & premunt, quàm exornent, & alleviant; plúsque obsunt, quàm prosint; quia voluptatibus indulgentes non iisdem utuntur, sed abutuntur: & reliqua, quæ mundus bona exhibet, quibus humana excitantur,

foventúrque desideria lubrica sunt, ac interta, & dulces eorundem spes insuavi fastidio, trilíque tædio ea sperantes miserè torquent, prìusque puniunt, quàm possideantur; & cùm possidentur minimè teneri possunt, quia lubrica, volatilia, fugacia, & fallacia, quæ propterea suum perniciosissimè fugiunt possessorem.

Idque statim illucescit discriminis bona inter terrestria, & cœlestia, quia illa dum spe alunt, sperantes fallunt; dum alliciunt, torquent; hæc verò spe sincerè nutriunt, & vera ingerunt gaudia, quapropter Apostolus voluit Romanos esse *solicitudine non pigros, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes:* Ad Rom. 12. quia quos cœlestium bonorum spes alit, lætitia non fallit; cœlestium siquidem bonorum, quæ suis fidelibus Deus in cœlo præparavit, spes gaudium parit, & veram lætitiam alit; dum empyreæ deliciæ præcoquo desiderio videntur prævenire, & spe anticipata alere non fallere sperantes: spei siquidem alacritas, quadam præsumpti gaudij ambitione, beatæ præcurrit delectationi, quam vel in terris dulciter prælibant sperantes, mox saturandi in cœlis: id caosæ fuit, cur D. Paulus Romanos fideles, voluit ut essent spe gaudentes, quia ut rectè expendit Philo apud Cornelium à Lapide: *Est hæc spes gaudium ante gaudium,* In cap. 12. ad Rom. quia quòd à virescente hac spe gaudium germinat cœlestis gaudij felix est auspicium, ac nexus imò præpropera quædam cœlestis gloriæ prægustatio, & inchoatio, quia ut ait Salomon: *Eruditus in verbo reperit bona, & qui sperat in Domino beatus est,* Prover. 16. ubi legunt septuaginta Interpretes; *Eruditus in re, seu negotijs inventor est bonorum, & qui confidit in Domino beatissimus est:* non solùm is, quem cœlestium bonorum spes alit, quandam prægustat cœlestis beatitatis speciem, sed plenam ebibit felicitatem, quia non solùm beatus est, sed beatissimus, quod Hebraicè expressiùs indicatur, *Intelligens super verbum reperiet bonum, & confidens in Domino, & beatitudines ejus,* ut habet textus hebraicus: sed quæ sunt hæ beatitudines à spe prodeuntes, si spes futuram duntaxat sperat beatitatem, quam nondum sumus assecuti, ea siquidem speramus, quæ nondum possidemus; quomodo igitur ab ipsa spe dicitur beatitudo oriri? quomodo spes, quæ nondum beatitatem est assecuta, fœcunda erit beatitudinum matrix? appositè Caietanus: *Multò felicior est sperans in summo Deo, quoniam ipse beatus hic in spe, postea in re erit:* spei geminata nectitur beatitudo, in spe una, quâ sperans alitur in terris; in re altera, quâ beatur in cœlis; & ideo sperans in Domino, ideo beatior, quia duplici donatur beatitate una in spe; & est gaudium ante gaudium, quò sperans gaudet; perinde ac intelligendi vigens acumine, sive interpretando verba,

verba, sive penetrando res, concupita invenit bona ex rebus perceptis, & intellectis, & inde hilarescit, & gaudet; & quidem lætitiâ perfunditur longè nobiliore omni alia, quæ ex terrena possit voluptate prodire: in hac igitur spe beata cœli gaudia sperans prægustat, quæ feliciter in sua spe anticipat, futurus postea beatus in re, qui nunc gaudet in spe.

11. Non ita terrena bona hac in spe lætitiam ingerunt, cùm potiùs tamdiu torqueant, quamdiu sperantur; qui enim mundi inhiat divitiis, ac studet bonorum fluxorum acervationi, ingentem sibi materiam perturbationis, mœroris, ac doloris accersit: studia enim divitiarum, aut periculum sunt sperantium, aut onus possidentium. Abjiciendæ sunt hujusmodi spes, quæ nonnisi angores excitant, & dolores inferunt. Verum gaudium pellucida, ac defœcata est unda, quæ non ex cisternis dissipatis bonorum, quæ sunt interitui obnoxia hauritur, sed ex fonte perenni aquæ vivæ; ex hoc enim fonte exilit sinceri gaudij rivulus, siti extinguendæ idoneus. Est autem quilibet suæ lætitiæ faber, ac felicitatis arbiter: si velit, cisternas mundi potest dissipatas declinare, & verum duntaxat fontem aquæ vivæ sitire, à quo veram potest lætitiam haurire; unde de propria oritur voluntate, de ingenio provenit virtutis, ut sit quisque propriæ lætitiæ faber mediante Numinis ope; & suæ felicitatis arbiter. In virtutum studio in proborum morum officina de rationis arbitrio verum excuditur gaudium, quod pectus veraciter implet, & solidè beat; non adeundæ externæ sunt cisternæ, sed sufficit, si quisque de propria cisterna bibat, hauriatque aquam in ipsum derivatam è fonte inexhausto aquæ vivæ mediante virtutum exer-
Prov. 5. citio, ut nos mônet Salomon inquiens: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*, seu ut expendunt LXX. *Bibe aquas de vasis tuis, & de tuorum puteorum fonte*, seu ut
In cap. 32. Ezechiel. explicat D. Hieronymus: *Bibe aquam de tuis aquis, & de puteorum tuorum fontibus*, non me latet, varie à varijs SS. Patribus hanc interpretari sententiam mysticè: siquidem
Lib. 3 enarrat. c. 12. D. Ambrosius censet, debere hominem piè prudentem aquam bibere de propria cisterna, puteo, fonte, & per hunc fontem Dei intelligit gratiam, internámque lætitiam, quæ refrigerium adfert, & sitim extinguit, ait ipse: *In te ipso suavitatis tua gratia est, ex te pullulat, in te manet intus, id est in te ipso quærenda est jucunditas tua conscientia, ideo ait bibe aquam de vasis tuis, & de puteorum tuorum fontibus, unde Christus Joan. 7. ait: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura flumina de ventre ejus fluent aqua viva. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

12. Est igitur de Spiritus sancti gratia quod de homine scaturiat fons aquæ vivæ, ac incessanter fluentis, ut perenniter gaudeat, jugitérque lætetur in se ipso, non verò in bonis externis: & hoc est bibere aquam de cisterna sua: *Bibe aquam de cisterna tua*, hoc est lætare de divina gratia, quæ in te est, gaude de cultura virtutum, quæ in te florent, jucundare de fructibus bonorum operum, *Bibe aquam de cisterna tua*; si Deo adhærescis flumina de ventre tuo fluent aquæ vivæ, de quibus bibas, & vivas, solatium haurias, sitim extinguas, & verum foveas gaudium: vero gaudere gaudio non est de bonis externis lætari; neque adscititijs, fucatisque mundi voluptatibus deliniri, sed ex proba conscientia, ex virtutum ornatu, exercitio bonorum operum, ex summo bono adhæsione lætari; is enim verè gaudet, qui suam lætitiam, suúmque oblectamentum ex proprijs suis moribus ad normam virtutum compositis haurit, is enim aquas bibit de vasis suis, déque suorum fonte puteorum; quia lætitia, ex ipso, & in ipsum exundat; quod enim à nobis oritur, in nobis super effluit; proinde ex sola cultura virtutum, probisque moribus, perpetua scaturigine vera exilic lætitia; quæ enim adscititia, & externa mundi oblectamenta stillant gaudia, exucca sunt, prorsúsque sterilia, & aliena à vera lætitia: quòd enim in mundanis bonis quis gaudeat, rideatque, id non ex fonte profluit aquæ vivæ, sed ab ægritudine; sunt enim quædam ægrotantium desideria, quæ aliquid videntur solatij adferre cùm revera morbos augeant; cujusmodi est desiderium frigidæ in æstu febrili, quæ perinde ac injecta incendio illud incrementat, non minuit: & hæc solatia à vitiato oriuntur calore: ita gaudia, quæ de propria non oriuntur cisterna, sed in externis, & adscititijs mundi voluptatibus quæruntur, fucata sunt, & ab animi proveniunt ægritudine, plùsque eidem obsunt, quàm prosint; non enim mundana gaudia lætos efficiunt, quos afficiunt, risum dissimulant in cute extima vultûs, & intus cor torquent, viscera dilacerant, mœrorémque ingerunt, non excutiunt.

Mala sunt ea gaudia, ac perversa, quæ 13.
ab illis profluunt rebus, quæ grata quidem esse videntur, sed venena porrigunt bibentibus, & fel propinant in melle: est hæc tartarei hostis fraus, quâ suos decipit; dulcia scilicet mortem inferentibus commiscere, ut veneno perimat mellis dulcedine deceptos, appositè S. Eucherius: *Diabolus*, in-
quit, *obsessa semel pectora mollissimis sedu- Homil. 3 in Epiphan.*
ctionibus decipit: sic Diabolus calliditate veteris artificij condit blandimenta peccandi, quomodo solent, qui mortiferos temperant herbarum succos in condito, aut in aliquo mellito poculo, nescientibus propinare; gustum mentita suavitate componunt, & virus amaritudinis obscurant fraude dulcedinis;

dinis; provocat prius odor poculi, sed præforat infusus sapor in venis; mel est, quod ascendit in labia; sed fel est, quod descendit in viscera: ita Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, & illecitas voluptates extrinsecùs blanditur, intrinsecùs insidiatur: quid aliud ab hoc tartareo deceptore spectandum? quid aliud in tali hoste timendum, quàm interitus? sævior sui hostis est, qui tam sævo hosti credit, nec ejus artes vitat, ac insidias: qui verè sapit in melle mundani gaudij venenum suspicatur, & illecebras carnalium voluptatum declinat, ne mortis succum bibat in externis mundi blandimentis: omnia siquidem quæ à mundanis gaudium putantur afferre, mortem ingerunt, suntque tartarei hostis dulcorata venena, quæ ijs propinat, qui mundi sitiunt voluptates: bibenda est aqua de cisterna propria, vasisque suis: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui,* [Proverb. 5.] nimirum ex virtutum cultura, morum probitate, & gratiæ participatione; id enim est jucundè vivere, & aquam bibere de cisterna propria: externæ mundi cisternæ dissipatæ sunt, & nonnisi putrescentes, vitiatásque continent aquas, quæ obesse duntaxat possunt, non prodesse, nec ullum verum adferre gaudium, 1. Joan. 2. *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ,* non quòd sit in mundo concupiscentia, sed in hominibus mundi, qui cœlestia negligentes, terrenis duntaxat inhiant gaudijs, quique mundi gloriam, fastum, voluptatem, divitias, & opulentiam concupiscunt.

14. Est autem concupiscentia carnis ipsa voluptas, cui mundi homines enixim satagunt adhærere: hæc autem voluptas, quia ex Deo non est, nec in Deo suscipitur, nullam potest veram germinare lætitiam, quamvis enim ridentem præseferat vultum, frontis ostendat serenitatem, orisque blandimentis videatur oscula figere; nil tamen id est, quam vulnera infligere, & sub larvâ risûs luctus, & lachrymas obtegere: dum terrena voluptas ridet, insidias nectit; & dum arridet, minus cautos, & eidem adhærentes aucupatur; sicque miserè decipiuntur, qui terrenæ voluptatis alliciuntur blandimentis: afficiunt terræ voluptates extimam duntaxat cutem, & inficiunt intima præcordia; extimè radunt, & intimè feriunt; in extima sensûs superficie obludunt, & in intima sæviunt medulla; non igitur verum gaudium potest ab illis mundi voluptatibus elici, quæ in sensûs duntaxat superficie solam obradunt extimam cutem, neque intimè penetrant, nec in præcordijs delectant; suntque propterea potiùs fumus voluptatis lachrymis eliciendis, quàm gaudijs ingerendis aptior; suntque lætitiæ excrementum nauseæ movendæ, quàm lætitiæ ingerendæ magis idoneum: huc vocandus Nicetas de S. Gregorio Nazianzeno [In Orat. 106.] inquiens: *Omnis voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est;* cujusmodi est, quam mundus exhibet sibi adhærentibus, quibus hoc excrementum placet: sed quàm deliri, quàm fatui! qui locò veræ voluptatis, excrementum, & quidem corruptum, & noxium volunt voluptatis degustare; & cùm in cæteris ferè rebus excrementa fastidiant, illud in solá voluptate amant, quia magis nocet, sæviúsque lædit: hæcque est concupiscentia carnis, cui cùm placeant carnalia, displicent spiritualia.

15. Concupiscentia oculorum præsertim est ipsa pulchritudo, & omne quod ab oculis attingitur, & est concupiscibile, cujusmodi sunt vestium ornatus, corporis venustas, auri fulgor, gemmarum nitor, & alia id genus, quæ oculos alliciunt, & mentem perstringunt: & hæc oculorum blandimenta, verum non possunt gaudium parere, quia fucata sunt, nec diu possidentur: quamvis enim hisce pascantur oculi objectorum elegantijs, & oblectamentis; non tamen inde pinguescunt oculi, nec quidquam ijsdem accrescit, quo meliores fiant.

16. Muliebris venustas, & pulchritudo, quæ fortiùs oculos allicit veræ ingerendæ lætitiæ inidonea est, & prorsus inutilis: siquidem fomentum est concupiscentiæ, radix iniquitatis, & causa peccati; nil est, quod castitati magis adversetur, quàm corporis pulchritudo, muliebris venustas: hinc speciosissima Joachimi uxor referente Eusebio [Protev. c. 5.] conspectum horrebat virorum, ne ipsi ex muliebri venustate venenum haurirent, quo castitatem corrumperent, ac virtutem interimerent; idque etiam Susanna præstitit, quæ propterea nonnisi recedente post meridiem populo, consueverat in hortum sui viri spatiari, nolebat videri, & cavebat adhuc secura pericula castitatis; humanos fugiebat oculos, ut propriæ pudicitiæ incorruptum servaret inter vireta florem: cùm igitur muliebris pulchritudo fomes sit concupiscentiæ, & venenum castitatis, verum non potest gaudium ingerere, perit enim pudicitia in fœminea specie per concupiscentiam oculorum: si enim admittat in animo, quod concupiscit in oculis, fit venustas fœminea gladius, quo virtus interimitur castitatis, quia ut scitè ait S. Cyprianus apud Glossam: *Aculeus peccati facta est forma fœminea,* [In cap. 13. Daniel.] *& mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia, quod memorat Sapiens: à muliere factum est initium peccati:* neque ulli parcit ætati hæc clandestina pernicies, arridens lues, & blanda lanistrix, omnem propterea ætatem suspectam facit mulieris forma; nives etiam ca-

nitiei pravi ignis accersit fomentum; testes sunt Susannæ senes, quorum oculi impuros ignes à nivea fœminæ excitârunt pulchritudine, & fœdas flammas sub canitiei foverunt nivibus, è genere siliceo oculum diceres, illisus enim muliebri venustati non scintillas tantùm elicit, sed & ignes parturit; imò est pulchra fœmina incendiaria, cùm nonnisi flammas ubique suscitet concupiscentiæ, ignésque accendat, quibus castitas cinerescit: cùm primòm Senes Susannæ viderunt venustatem in concupiscentiam exarserunt pulchritudinis, neque fœdis extinguendis flammis pares fuerunt nives canitiei; neque senectus rugosa arcendæ libidini, ejusdémque extinguendæ flammæ apta fuit.

17. Non igitur veram potest muliebris pulchritudo lætitiam parere, cùm ferales ubique flammas accendat, noxios ignes spargat, quibus castitas cinescit, & perit. Neque vestium ornatus ullum potest verum dare gaudium, ullam hilaritatem, cùm verâ spolietur lætitiâ: muliebres vestes, rerúmque ornatus tametsi fucato videantur lætitiæ velamine operiri, nullam tamen veram præseferunt lætitiam; & huic fraudi esset potiùs operculum detegendum: suis enim vestibus est levior, qui à vano vestium ornato verum putat posse gaudium oriri, non enim potest cor per vestes verè tangi lætitiâ, cùm vestibus tangi nequeat: non enim inferre possunt vestes gaudium, & cor exhilarare, cùm in cor se nequeant ferre: & oculorum potiùs ludibrium est hæc fucata lætitia, quæ ex vestium luxu hauritur: non est vera lætitia, quæ cor non tangit, nec spiritum afficit: est igitur hæc concupiscentia oculorum vero ingerendo gaudio inidonea, quia oculis arridens, per oculos phantasiam, & mentem ad turpia movet, & dum oculos pascit, flores depascit virtutum.

18. Hinc Job pactum cum oculis suis pepigit, ne in fœminarum vultus incurrerent, & ne ulla cogitatio turpis intus excitaretur in mente, & satiùs censuit oculos in cœlum elevare, ut cœlestium memor lenocinantia terræ blandimenta contemneret; qui verò terrenis sunt voluptatibus addicti, carnisque adhærent illecebris, fœdus ex diametro oppositum ineunt; Senes enim Susannæ, quia fœminea inescati venustate fœdus visi sunt pepigisse cum oculis, ne cœlum viderent, ut

s. Strom. l. 6. censet Eusebius inquiens: *Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum*: nimirum oculi corporis dum suos in muliebrem pulchritudinem intuitus jaciunt, oculos claudunt mentis, ne cœlestia aspiciant, & cupiditas caducæ voloptatis desideria delet æternæ jucunditatis; idéoque senectus oblita DEI ausa fuit fœda metamorphosi canitiei nives in flammas mutare libidinis: & scelesti senes, nec sperandi, nec timendi gnari infanda in flagitia præcipites ruunt; fallentem voloptatis spem lascivus amoris ignis exiccavit; & simul divinæ justitiæ contemptum corrupta immisit in præcordia, ut omnia perditè agerent, sola ætate senes, qui cùm flammas nivibus sovent canitiei, venenatum intus alunt serpentem, cujus aculeo vulnerati, venenum ebibunt cùm propinatam sibi ab amore venereo voluptatis dulcedinem haurire censent.

Erant ambo vulnerati amore Susannæ, 19.
venenum intus lentè obrepebat, & mortem præcoquam ictus accelerabat, morbus enim intus recrudescebat, cùm vulnus extra infligeretur: sícque senibus hisce, quia oculos à fœminea pulchritudine non averterunt, cor intus eversum est, siquidem est fœminæ pulchritudo libidinis incentivum, luxuriæ fomentum, concupiscentiæ mantissa, simúlque insania; evertit enim mentem Cupido, quia ut ait Stoicus: Amare, & sapere vix homini conceditur, & eum præcipua amoris instrumenta oculi sint, ijs tamen orbatus exhibetur Cupido cùm potiùs pingi deberet perspicax, pluribúsque instructus oculis, quàm onustus sagittis, ut de fabola Centoculi Argi rideret: aptè tamen cæcus fingitur, & orbatus pingitur, quò cæcitate corporis orbitatem repræsentet mentis: ejus damna per tela satis significantur, nil enim ad vulnera infligenda sagittis velocius, ac perniciosius: dementat igitur muliebris pulchritudo per oculorum concupiscentiam, & certè insanierunt Susannæ senes, cùm ejus capti pulchritodine cœperunt eam deperire, non memores suæ annis jam marcescentis ætatis, quam in flagrantia transactæ juventæ incendia redivivæ libidinis fœda revocabat flamma: insanierunt senes cùm primùm per concupiscentiam oculorum è fœminea pulchritudine flammas hauserunt libidinis, quia omnis affectus immoderatus sensum pervertit, & menti offundit tenebras, quibus ejus obscurat lumen.

§. III.

§. III.

Quæ mundi voluptas videtur hominibus eblandiri, oculorum tantùm est ludibrium; vel extimam solùm radit vultûs cutem, non cor intus penetrat.

20 NOn potest mundus verum parare gaudium, cùm omne, quod in mundo est, sit concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, quatenus oculos irritat, & per oculos phantasiam, & mentem ad turpia movet, quæ veræ lætitiæ sunt venenum: & tametsi aliquid videatur lætitiæ præseferre mundi voluptas, non tamen vera est hæc lætitia, sed oculorum duntaxat ludibrium, vel quæ extimam tantùm radit vultûs cutem; non verò quæ intus cor penetrat; hinc David mundi gaudia aversatus, cœpit verè gaudere intus in

Psalm. 4. corde inquiens: *Dedisti lætitiam in corde meo. Non dixit*, ut expendit S. Chrysostomus *simpliciter, & absolutè dedisti lætitiam, sed in corde meo, ostendens, quòd nulla est in rebus externis lætitia: hoc enim non est cordis, sed oculorum tantùm lætitia*, rectè quòd in mundo est concupiscibile oculorum tantum dicitur lætitia; quia solo aspectu oculos pascit, & foris tantùm oblectat, non intus delectat; leviculum sanè est gaudium, quod oculorum duntaxat est lætitia; est siquidem lætitia ficta, & picta, quam affectus pulchrè colorat, & soli attingunt oculi, qui tamen ad veram lætitiam caligant, & cæcutiunt, vana est futilis, & superficialis ea lætitia, quæ solo duntaxat aspectu foris oblectat cutem faciei, & intus nulla cor afficit dulcedine: non est id aquam bibere de cisterna propria, sed de externis, turbidis, cœnosis, & dissipatis; vera lætitia non debet exterius emendicari, sed intimis oriri è præcordijs, sitque propterea, qui verè gaudet sui potûs artifex, sibique pincerna, ut sibi de sinu suo largiter propinet, hoc enim est bibere aquam de propria cisterna, seu jucunditatem, & lætitiam intus à se ipso haurire.

21. Gaudia, quæ ex corde puro non prodeunt; neque ex virtutum cultura efflorescunt spuria sunt, & fucata, quia quæ ab externa prodeunt voluptate legitima, & vera gaudia non sunt, cum mundi voluptas vera non sit, sed fœtidum voluptatis excrementum; non enim melior est filia, quàm mater; nec purior rivulus, quàm fons; unde quæ non à Deo, nec à cultura virtutum, sed à mundi voluptate oritur lætitia, vera non est, neque animo exhilarando apta, quia ut scitè S. Laurentius Justinianus:

De casto connub. c. 21. *Mundi voluptas deformis est, & squalida, puritatis inimica, pudicitiæ exterminium, esca Diaboli peccatorum incentivum, rubigo mentis, conscientiæ abolitio, adversa Deo, animarum interemptrix, & totius consumptrix honestatis, hanc quisquis rectè sapit, quisquis vult vitam, cupitque dies videre bonos fugiat, ejúsque amicitiam velut aspidum, & viperarum aspectum abhorreat:* Ecce quàm horrida, quam noxia est intus, mundi voluptas, quæ tam blandè allicit, & blanditur, ridet exterius, & sævit interiùs; delicias spondet, & plenam malorum congeriem spargit; non est vera hæc voluptas, nec par est homini exhilarando.

Vera lætitia est quæ in corde efflorescit 22.
per virtutum culturam, & vitiorum exclusionem, ut Apostolus erudivit Romanos, quos voluit gaudentes, gaudio tamen, quod intus floreret in corde, non foras mendicaretur in mundi voluptatibus: & quia particeps erat ipse hoc gaudio ijsdem adgratulatur, inquiens: *Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo:* Ad Rom. 16.
acutè prudentes, subtiliter cautos, & in cultura virtutum sapienter eruditos; sicut etiam Spiritus sancti limâ acuminatos, ut profundiùs virtutis bonum penetrantes, illud studiosiùs amplectarentur: voluit Apostolus Romanos recèns ad DEUM conversos veræ Sapientiæ perspicacia insignitos, ne imposterum argutijs, mundíque fallacijs perstringerentur: sed non tantùm eos voluit sapientes esse in bono, sed etiam simplices in malo, seu rudes, quasi nescientes malum facere, quia ut expendit D. Anselmus: *simplicitas ignorantiam quandam significat, ideo scribit Apostolus, ut sitis in malo simplices; id est nescij, seu nescientes malum per actionem:* sed perquam excellens est hæc simplicitas, quæ cum subtiliori associatur prudentia, & ita est in bono oculatissimè perspicax, ut in malum sit prorsus rudis, & ad malum totaliter nescia; quia perperam nescit agere tota virtutum culturæ addicta; commendanda est hæc simplicitas, quæ de lyncea perspicacia in bono, in malo rudem ignorantiam oppignerat: nil enim sanctius, quàm quod de feraci virtutum cultura efflorescens, vepretra omnium abigit vitiorum, nesciens sapienter malum; est enim hæc simplicitas veri gaudij fœcunda mater, quia cor occupat, in quo excultæ florent virtutes, imbre cœlestium gratiarum rigatæ, & vera germinat lætitia.

Hac simplicitate insigniri cupiebat 23.
David, quâ vias Domini in lætitia perambularet Psalm. 85. *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua*, seu ut in textu græco legitur, *& ambulabo in veritate tua*, hoc est in cordis simplicitate, malorum nescius, & gaudens ex cultura virtutum: id enim orando obnixiùs flagitat, sibique in primis necessarium censet, ut DEUS deducat ipsum per vias suas in vera simplicitate, & lætitia, ut vias

Domini gaudens ambulet; incedátque integrè, & inoffensè absque ullo impedimento per ipsas, DEO scilicet Duce, gratia comite, veritate prælucente, simplicitate comitante: quia David anhelus concupierat in vias Domini deduci, & per ipsas edoceri, ac dirigi enixim postulavit, ut in veritate vias DEI ingrederetur, seu ipsas in simplicitate perambularet, quia ut scitè Augustinus lib. de vera Religione. *Rerum simplicitas vestigium est DEI:* & quia David malè erraverat à semitis, quæ ad DEUM deducunt, ideo reduci ad viam expetit, & per eandem deduci, quo sincerè, & integrè, seu in veritate, & simplicitate incedat, quò rectâ viâ ad Deum tendat, arcano quidem vestigiorum DEI ductu: est siquidem simplicitas vestigium DEI, seu impressa illis virtutibus, quæ nonnisi DEUM sapiunt, & ad DEUM tendunt: perinde enim ac duplicitas, vafricies, & fraudulentâ subdolè astutia expressa cacodæmonis seductoris sunt vestigia; ita è converso simplicitas, in qua singulæ florent virtutes divinam olentes gratiam, vestigium est Numinis, ideóque enixim petijt David hac instructus simplicitate deduci in vias Domini: *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua;* nimirum in vera simplicitate, ac innocentia, quia perinde est simpliciter ambulare, ac innocenter, candidè, sincerè sine fictione, & dolo incedere; & hoc pacto ambulare simpliciter perinde est, ac incedere confidenter, seu intrepidè tutò, securè, & in vera
Psalm. 85. cordis lætitia, hinc pergit Regius Psaltes: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum,* quia tunc lætatur cor vero gaudio, cùm vera imbutum simplicitate, in omnem efflorescit virtutum culturam; adeo ut nec ipse timor Dei, qui sanctus est, & virtuti excolendæ peraptum instrumentum minimè excludatur.

24. Novum sanè lætitiæ genus, cui timor incrementa suppeditat, & gaudium timorem hunc fovet: *lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum,* quasi timor DEI cor Davidis non penetrâsset, nisi in eo prævia lætitia germinâsset; mundi lætitia timoris accessione corrumpitur; sed verum cordis gaudium timore fovetur, & crescit, est enim timor DEI vera lætitia DEO adhærentibus; in his enim abjecta pœna transit in lætitiam, & quidem arcana virtutum metamorphosi: mirabili nexu cum lætitia cordis ejusdem consociatur simplicitas, quia ubi simplicitas, ibi duplicitas excluditur, & quia *vir duplex,* ut ait D. Jacobus:
In sua epist. can. v. 8. *Animo inconstans est in omnibus vijs suis,* scilicet bianimis, & bicors, quia utrumque multiplicat, dum scissam perfectæ virtutis simplicitatem malè dividit: & homo bicors levis est, & mutabilis instar polipi, vel chameleontis, qui rerum omnium, quibus adhæreseit, colores in se suscipit; & hæc est illa levitas, & mater inconstantiæ, de qua Apostolus Jacobus ait; *Inconstans est in omnibus vijs suis:* sicut igitur duplicitas, seu homo bianimis, & bicors calliditate est varius, & de inconstantia futilis, levis, & evanidus, ac interitui proximus; ita simplicitas, & vir candidus, ac sincerus virtutum culturæ unicè addictus, ex qua vera efflorescit lætitia; vera enim simplicitas ait Joannes Climachus: *Habitus est animæ varietate carens, totiúsque perversæ intentionis ignarus:* Grad. 24.
dicitur varietate carere, quia divinæ immutabilitatis æmula eam moribus expressiùs repræsentat, & intus hilarescit in corde, ridet in animo; quamvis exterius videatur sterilescere, interiùs efflorescit.

Non enim ubi virtutes, quæ DEUM olent, coluntur, potest non vera efflorere lætitia, ac non abigi mœroris tetricitas, etenim cum Isaac à patre duceretur in mon- 25.
tem mactandus in victimam Numini, jámque in genua procumbens collum flecteret, gladio imminente amputandum: tunc Genes. 22.
ab Angelo prohibetur DEI nomine pater ferrum pendens vibrare in filium: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post* Ibidem.
tergum arietem in vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio: sed quid? quòd, aries immoletur pro Isaaco? quia Abraham insignis erat virtutum cultor, quibus DEO adhærebat, & cui alacriter, promptéque parêre volupe ei fuit, etiam in proprij filij immolatione: vir huic virtutum exercitio assuetus à gaudio, & lætitia cordis sejungendus non erat, & jucunditas, quæ unà cum virtutum cultura germinat, & florescit exarescere minimè debuit, accessione mœroris, quem immolati filij mors intulisset: ideóque prohibuit DEUS per Angelum, ne interno gaudio privaretur Abrahamus per filij immolationem; Isaac enim risum significat, qui si immolata cecidisset victima, idem gladius, qui amputatum caput à reliquo Isaaci corpore sejunxisset, filium, ac gaudium separâsset à patre: pulchrè S. Bernardus in nominis Sacramento philosophatur inquiens: In declam.
Non Isaac, sed aries morietur. Non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cujus utique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest. Vir erat Abraham plenus DEO, cui propterea nunquam potuit verum deesse gaudium, quia ubi DEUS, ibi vera floret lætitia, & tristis mœror abigitur; Isaac risum significat, & gaudium, quod cum non esset à patre sejungendum, nec debuit Isaac immolari, sed mœror mactari, prorsúsque extingui; proinde non Isaac, seu lætitia, sed aries, cujus cornua vepribus hærent, seu mœror vepre-

vepretis viscera lacerans, mentémque pungens interimitur, quia in Abrahamo non Isaac, seu lætitia perire debuit, sed mœror omnis abigi, qui solet vepribus hærere: non enim mœror finit inter vepreta, quibus hæret, florem lætitiæ germinare.

26\. Hinc David, cum mœrore angeretur, & delictum à se patratum omnem abegisset lætitiam, & nonnisi imbribus lachrymarum præcordia irrigaret, Deum obnixim rogat, ut excussâ tristitiâ à mente, serenitati, cordisque jucunditati velit eum restituere, cùm enim dixisset; *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, & cùm diu in gemitu laborâsset, cum se vero destitutum novisset gaudio, obnixim Deum rogat, inquiens; *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, quia verum gaudium nonnisi à Deo oriri potest; & quia David illud quæsierat inter mundi voluptates, cum Betsabeam ad se accersivit, expertus, carnalem voluptatem sub risus persona, & larva gaudij, mœrorem, & fletum tegere, postquam eam hausit, lachrymas fudit, & quovis destitutus gaudio, non amplius mundi sitivit lætitiam, quam per oculos in lachrymas solutam foras effuderat; lachrymis enim madet, qui in mundi lætitiam vultum efformat, mundi enim gaudia luctus sunt, tristitiæ domicilia, quia mundus, ut ait S. Chrysostomus. (Homil. 24. in Genes.) *Nil habet stabile, neque firmum, sed sola est oculorum deceptio; quæ priúsquam appareat, avolat:* cum mundi lætitia nil aliud sit, quam pura deceptio, nil aliud potest esse risus, quem ipsa præsefert, quàm risûs larva, tristitiam obvelans, & lachrymas tegens, quas elicit: ficticia est hæc fucata lætitia, quæ cor non imbuit, sed tenui duntaxat colore extimam pingit vultûs cutem, ut ementita facie suos decipiat spectatores, necétque deceptos; quòd si larvam ei detrahas nil nisi luctus, & lachrymas, ærumnas, & miserias deprehendes, ut enim scitè D. Bernardus. (Lib. de grat. & liber. arbi.) *Nulla in mundo verior miseria, quàm falsa lætitia*, miseriam adjicit miseriæ, qui se miserum nescit, qui gaudens cum mundo se lætum credit, cum miser sit, & infelix: in mundi solo verum non germinat gaudium, cum solùm spinis tribulationum, ac urticis ærumnarum scateat, sitque discriminibus refertum; & ubique semina offerat lachrymarum, quæ in cordibus gaudentium insepelit fœcundo fœnore nascitura.

27\. Idque causæ, cur mundus non lætitiæ dicatur campus, sed vallis nuncupetur lachrymarum, locúsque plorationis; ut inde discamus, verum gaudium in mundo non pullulare, nec verum germinare risum: luculenter mundi hujus dolos, ærumnas, & sævitiem exprimit S. Laurentius Justinianus de interiori conflictu, (Cap. 7.) ubi ait, loquens de mundo, ejúsque gaudijs, ac lenocinijs: *Plorationis, & lachrymarum vallis nuncupatur hic mundus, ut in illo degentes nullum verum norint inveniri posse solatium. Instabilis est, & per momenta decurrens casibus plenum, periculis septus, turbinibus agitatus, fluctuationibus anxius, cladibus refertus, dissensionibus inquietus, mutationibus deditus, Deo contrarius, cœlo dissimilis; virtutibus oppositus, sanitati inimicus, & pijs mentibus onerosus, quos quantum valet, premit, tribulationibus insequitur, adversitatibus atterit, nunc diripiendo propria, nunc concupita negando.* Quàm fatui, ac deliri sunt, qui ementito, ac personato mundi risui se credunt! gaudium perdunt, quod avidiùs quærunt: verum gaudium mundus non habet, & cùm sit sincerâ lætitiâ vacuus, non potest hanc suis exhibere.

§. IV.

Gaudium, qui quærit extra Deum, nonnisi mœrores invenit; & lachrymas, quibus madet, cum perfundi gaudio credebat. Vera lætitia à solo Deo hauritur.

David omnem mundi lætitiam à se excussit, ut verum gaudium à solo Deo hauriret, in quo solo delectaretur, veráque frueretur lætitia. 28. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum:* ut delectemur, debemus non delectari cum mundo; ut lætemur, omnem mundi debemus lætitiam excutere; anima enim Davidis tunc dulcedinem sensit divinæ voluptatis, cum evanidos flores terrenarum voluptatum pede contrivit: non possumus vera lætitia lætari; nisi quamcunque mundi abjiciamus lætitiam; non enim possunt homines verè gaudere, nisi in Deo, Psal. 149. *Et filij Sion exultent in Rege suo:* nimirum in solo Deo exultandum est, à quo pura, & sana duntaxat voluptas dimanat.

Nolimus gaudium quærere extra Deum, 29. quia quæ mundus gaudia exhibet, excrementa sunt gaudiorum, referta luctu, plena lachrymis. Non dixit David, exultent filij Sion in muneribus Regis, sed in Rege suo: plures sunt, qui lætantur non in Rege, sed in administratione sibi concredita, in officio sibi demandato, in dignitate sibi delata, in opibus congestis, in titulis datis, & isti non exultant in Rege, sed de proprio commodo lætantur: neque vera est hæc lætitia, quia fluxa, & interitura: perinde ac reliqua mundi bona, quæ, quia fluxa, sunt interitui obnoxia, & quæ, si à nobis non relinquuntur, ipsa nos deserunt, non absque mœrore, & lachrymis, quæ appendices sunt, ac pedissequæ terrenæ felicitatis, ita neque potest vera esse illa lætitia, neque permanens, quæ hisce caducis, fluxísque innititur bonis.

30. Verum gaudium à solo Deo dimanat, & in solum Deum refluit, proinde rectè David monuit filios Sion, ut si vero vellent gaudio exultare, in Deo lætentur, *& filij*
Psalm. 149. *Sion exultent in Rege suo.* Hi autem dicuntur in Rege exultare, qui & Reges ipsi sunt, quia rectè suos dirigunt mores, regunt actus, suásque operationes, ad normam exercent rectæ rationis, sibíque imperant, ac suis affectibus; coërcentes concupiscentiam, compescentes iram, & ad speciem veræ virtutis se componentes; hi sunt verè Reges exultantes, & lætantes in Deo.
Psal. 62. *Rex verò lætabitur in Deo*, neque nomine Regis ij intelliguntur, qui in terris populis regunt, purpuram induunt, divitijs affluunt, in throno sedent, delicijs diffluunt, non enim hi omnes lætantur in DEO, cum plerique hujus mundi voluptatibus addicti, nec de Deo cogitent terrenis immersi delicijs. Nomine igitur Regis is intelligitur, qui se ipsum rectè regit, legis mandata custodit, mores suos ad normam componit virtutis, & divinâ intus gratiâ suffusus, & ornatus renuit consolari in mundi voluptatibus, sed in solo Deo lætatur: cum enim David affirmet Reges, in Deo nacturos lætitiam, procul dubio testatur, nec in summa deliciarum affluentia sperandam esse lætitiam, nisi à Deo hauriatur, hoc est, nisi omnibus renunciet mundi gaudijs, ut in solo Deo lætetur; ideóque Rex lætabitur in Deo, scilicet non destitutus divitijs, non extorris à Patria, non profugus per exteras Provincias, non captivus, ferro onustus, sed qui exul à mundi gaudijs se ipsum regit, suásque affectiones in Deum dirigit, is enim est Rex, qui verè lætatur in Deo, & ut in Deo lætetur inops esse debet terreni gaudij, quod plus ingerit mœroris, quàm lætitiæ, larvata enim est mundi lætitia, & fucata, quæ in extima duntaxat splendet facie, cùm intus tristitiæ squalores, mœrorisque contegat cruciatus:
Epist. 23. *Levium metallorum fructus in summo est*, ait Seneca: *Illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Terra bona, quibus delectatur vulgus, tenuem habent, ac perfusoriam voluptatem: & quodcumque invectitium gaudium est, fundamento caret.*

31. Contemnenda, ac conculcanda sunt, quæ extrinsecùs splendent gaudia, quæ futilia sunt, umbratilia, & absque fundamento, quatenus nullo firmo innixa fulcro subsistere minimè possunt, & abusu duntaxat vocabuli gaudia appellantur, cùm potiùs excrementa sint gaudiorum: Verum gaudium nonnisi summo bono nulli obnoxio defectui nititur, hinc David, cùm extra Deum in mundi voluptatibus solatia, & gaudia quæsivisset in accersita Betsabea ad se, pedissequam humani gaudij mœstitudinem expertus, anxius Numini supplicat, quò nolit eum à se projicere; & vero gaudio post gustatas mundi voluptates mœrore confectum, tristitiâ tortum, lachrymis madidum solari velit. *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* (Psal. 50.) Deo enixim supplicavit in amaritudine animæ suæ, ut à facie sua nollet eum projicere, quia nil tetrius, nilque tristiùs, quàm Dei gratia privari; siquidem licèt divitijs afflueret, delicijs diffueret, mundi voluptates ipsi non deessent, populos paratos haberet ad obsequia; quia tamen in hisce nullum verum potuit gaudium invenire; nec experiri, ideo lætitiam à solo Deo exposcit; & meritò, quia cum per carnalem voluptatem vero mansisset gaudio spoliatus, ac divina privatus gratiâ, nonnisi tristis, & mœrens debuit jacere in squalore omni destitutus vero solatio, quia carnalis voluptas tristitiâ tantùm est dives, & veri gaudij inops.

32. Vera igitur lætitia in solo duntaxat cordis virtutum exculto exercitijs, divinæque gratiæ imbribus irriguo radices agit, germinat, & efflorescit; gaudium enim, quod à Deo non provenit, cor non penetrat; & nonnisi nominis abusu gaudium dicitur, vera enim lætitia flos est, qui in terrenis non germinat voluptatibus, sed in solo corde pullulat; hinc illæ Regij Prophetæ voces Deum alloquentis, Psal. 4. *Dedisti lætitiam in corde meo:* appositè dicit *in corde*, ne quis putet foris à corde, ab exercitio virtutum, & à Deo quærendam esse lætitiam, & verum gaudium à mundanis prodire voluptatibus, terrenisque delicijs, pulchrè S. Augustinus, *Dedisti lætitiam in corde meo: non ergo foris lætitia quærenda est, sed intus:* (In Psal. 4.) non in mundi voluptatibus, non in carnis illecebris, non in lenocinijs terrenarum deliciarum, quærenda lætitia est; sed intus in corde, in cultura virtutum, in studijs pietatis, in exercitio justitiæ, & in Deo inhabitante cor nostrum per spiritum sanctum: frustra defatigatur, tempus terit, & vires conterit, qui foris in mundi divitijs, carnis illecebris, voluptatum delicijs verum adnititur gaudium aucupari; quod nonnisi intus in exculto cordis solo per exercitia virtutum radices agit, germinat, & efflorescit. Casso defatigantur labore quotquot à rebus externis, futilibus, interitui obnoxijs, verum satagunt gaudium exprimere: possunt quidem terrena omnia, & quidquid in mundo ridere, & arridere videtur, emungere; sed nunquam vel unam veri gaudij guttam inde elicient: premi possunt ipsi lassitudine, non verò verum gaudium à mundanis exprimere delicijs, quia verâ sunt istæ lætitiâ vacuæ, & cum vero non sint gaudio fœtæ, verum nequeunt risum parere: promptiùs è lateritio, coctóque lapide succus exprimitur, quàm ex rebus fluxis, ac perituris, una duntaxat veræ lætitiæ guttula: cor est virtutum exer-

citio excultum, divinæque gratiæ irrigatum pluvijs, in quo germinat flos veræ lætitiæ, nec alio efflorescit in solo, quàm solius cordis, neque vera est illa lætitia, quæ extra cor quæritur, ut pulchrè asserit S. Chrysostomus, expendens illud Davidis Psalm. 4. Deum alloquentis. *Dedisti lætitiam in corde meo*, ait ipse, non dixit simpliciter, & absolutè, *dedisti lætitiam*, sed *in corde meo* ostendens, quòd nulla est in rebus externis lætitia: hæc enim non est cordis, sed oculorum tantùm lætitia.

33. Non veræ sunt lætitiæ, quas mundi spondent voluptates, umbræ potiùs sunt gaudij; observemus hominem cœli, suique oblitum mundi oblectatiunculis sterilissimis inhiantem sub opaca platano: hic suas omnes curas, cogitationésque impendit, ut vanida muliérculæ forma fruatur, vel gloriam in mundo aucupetur, vel aliam putidam nanciscatur voluptatem; & iste tantum abest, quòd verâ perfundatur lætitiâ, ut potiùs in ijsdem insanè pereat, & quamvis delicijs diffluens ridere videatur, non est verus risus, sed tantùm larva gaudij: vapor enim lætitiæ ad modicum parens est, quæ in mundi voluptatibus, divitijs, & commodis lætitia quæritur: mundi enim bona, quamdiu non possidentur, desiderio torquent, spe affligunt, & mox possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciant; cumque non pariant nisi dolores, & cruciatus, verum non possunt gaudium gignere: quid enim prosunt divitiæ, quid gemmæ, quid fulgor auri? licèt enim vestes ornent, cor tamen onerant, & mentem curis, ac solicitudinibus distorquent: quid prosunt epulæ, quid fercula, quid gulæ deliciæ, quæ nonnisi per transitum, lapsúmque ex ore ad stomachum fruuntur, & diù in gravato stomacho viscera torquent; nutrire verum gaudium non possunt gulæ illecebræ: cibus ipse placere nequit, nisi dente conteratur, & à sua deficiat integritate, integer enim non placet, ideóque nec integrum potest ab eo gaudium fluere; quod si integer non placet; & nonnisi contritus palatum demulcet, integram nequit lætitiam ingerere: aliena igitur à vero gaudio sunt fercula, quæ tunc tantùm mulcere possunt gulam, cum teruntur, & pereunt; & in stomachum ingesta nonnisi brutales excitant motus: sicut enim voluptas; quæ è cibo percipitur, cum brutis nobis est communis, veræ lætitiæ nequit mater esse, cum bruta veri sint gaudij incapacia, quamvis hâc cibi afficiantur voluptate.

34. Cum igitur, quæ à cibis percipitur voluptas hominem eidem addictum in brutorum referat censum, nullum potest solatium homini proprium ingerere, cùm hac voluptate suffusi in bruta potiùs degenerent animantia; deficit enim ab homine homo, qui ferculorum copia abutitur, calicésque avidiùs exiccat, quia siccat rationem, ejúsque usum extinguit, & brutali impetu fertur, quia ubi crapula, ibi intellectus obtunditur, mens infuscatur, ratio cespitat, lumen extinguitur rationis, consilia deviant, probæ cogitationes abiguntur, & judicia subvertuntur; & fortássis, quia apparandis ferculis exotico conditis sapore elementa ipsa confunduntur, & quæ sunt in uno delicatiora, cum ijs sociantur, quæ in alijs gignuntur, & aluntur; ideò & ipsa, quam continent rerum confusionem, mixtionémque ingerunt, ad mentem eorum avertendam, qui ijsdem se ferculis ingurgitant, à quibus propterea nisi mens avertatur, judicium evertitur: neque veram possunt lætitiam parere, neque alere epulæ, quæ in stomachum congestæ corrumpuntur, & plerumque mortem accersunt præmaturam; neque enim, quæ nocent, & aggravant, verum possunt gaudium dare: neque cum deglutiuntur, apta sunt vero gaudio ingerendo, veræ implantandæ jucunditati, quia tunc nil in ipsis firmum, nilque stabile: transeunt enim tunc fercula, fluúntque in stomachum, & brevissimum est eorum iter, cujus terminus est gravedo stomachi, humorum cruditas, ex qua omnium malorum effluit fons, totum inficiens corpus; neque hic ciborum gustus veram potest lætitiam alere, cùm eo ipso, quod sentitur, dilabitur, & extinguitur, pulchrè S. Petrus Damianus. Opusc. 49. cap. 2. *Totius nostræ voluptatis iter, cui tanta ambitione servimus, brevissima unjus palmi summa concluditur.*

Brevissimum est harum deliciarum iter, 35. & duorum digitorum vix latitudinem excedit, licèt eidem vix totius orbis videatur latitudo sufficere, cum angustus esse videatur mundus exiguo gulæ spatio explendo: non ergo quærendum est verum gaudium in hisce ferculorum copijs, in delicijs ciborum, quorum copiam capitis consequitur gravedo, humorum corruptio, dolorum cruciatus, infirmitatum congeries, & mors ipsa, quæ ventris mancipijs proximior esse assolet: quapropter non esse studiosè quærendas ferculorum lautities, vel ipsa natura nos edocet, quæ tam fœdo fine cibos, quamvis pretiosiores concludi voluit; ut appositè observat S. Chrysostomus, inquiens: Homil. 2. in epist. ad Timoth. *Esca ipsa fine tam abjecto clamat, ne simus deliciarum amatores; nam nisi illa hoc fine definetet, neque in perniciem corporis immodica verteretur, etiam invicem vorarimur*: quæ igitur ex ferculis percipiuntur voluptates, inidoneæ sunt veræ lætitiæ ingerendæ, cum sui copiâ corpus premant, lædántque, cum delectant.

Cæteræ itidem in mundo voluptates 36. verum nequeunt gaudium advehere, umbratiles sunt, ac fugaces mundi deliciæ, platani umbras, frondésque æmulantur, sub hyemis casuras initium: verum gaudium stabile est; & nonnisi à Deo hauriri potest, cum solus Deus nulli vicissitudini obnoxius,

sibi

sibi sit sufficientissimus, sempérque maneat: hinc patet discrimen inter voluptatem, quam quis in rebus hisce fluxis, & mundanis quærit inhians carnis delicijs; & quam vir justus Deo adhærens, & virtutum addictus culturæ à summo bono, probisque moribus haurit: tametsi omnibus mundi delicijs, ac voluptatibus, omnibúsque exteriorum sensuum oblectationibus abundet, diffluátque magis, quàm Salomon ipse, crescántque diebus singulis acervatæ voluptates; quia tamen fluxæ, & plures secum curas, ac solicitudines trahunt, verum non possunt, nec stabile parere gaudium; omne enim mundi gaudium, quamvis ingens, & cumulatum, semper tamen sordidum est, plurimúmque habet mœroris, solicitudinis, ac turpitudinis inidoneæ menti exhilarandæ; secus, quæ ex Deo fluit lætitia, mœrores omnes excutit, & veram adfert mentis serenitatem, animi solatium, cordis tranquillitatem.

37. Terrenarum exitus voluptatum tristis semper, & infelix obtingit ijsdem addicto, adeò ut fassus sit D. Bernardus lib. de grat. & liber. arbit. *Nullam falsâ lætitiâ esse miseriam veriorem*, quia postquam larvatum mundi gaudium diu hominem beatitatis cupientem, umbris, & ventis, inanique lætitiæ specie lactavit; tandem jejunum, ac famelicum, quin potiùs cicutâ repletum, succóque ex herba expresso sardonica ebrium relinquit, & à beatitatis meta, quam sibi præfixerat longissimè aberrantem. Idque expertus satis fuit Salomon, cui aptari possent illa Senecæ verba de Cajo Cæsare, quem natura visa est edidisse, ut ostenderet, *quid summa vitia in summa possent fortuna*, ut loquitur Seneca. (*Consolat. ad Helvi.*) Etenim Salomon, postquam superbissima illa opera templi, & palatij ad miraculum usque exstruxisset, superbásque ædificiorum excitásset molitiones, & in summa rerum omnium viveret affluentia, tandem otio, carnísque delicijs enervatus, eò turpitudinis prolapsus est, ut non contentus septingentis primarijs, ac trecentis secundatijs uxoribus, innumeras propemodum alias adolescentulas, quas D. Hieronymus ad Vitalem, pellices vocat, & Scorta, explendæ suæ libidini subrogaverit: & tandem totus mollis, effœminatus, & à mulieribus in transversum actus, inque omnium vitiorum cœno volutatus, ut in pleno gurgite carnales hauriret voluptates, & gaudijs, quæ ipsæ spondent, frueretur, demum post omnium voluptatum affluentiam, hanc protulit cantilenam, qua mundi delicias voluptates, & gaudia definivit. (*Ecclesi. cap. 1.*) *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas:* cognovit enim larvatas esse mundi voluptates, mentita gaudia, fucatas delicias, cum nil post se relinquant, nisi meram spiritûs afflictionem, torquens fastidium, & grande nihil.

38. Hinc D. Augustinus. Cognoscens quàm vanida sint mundi bona, quàm inania, (*in Psalm. 6. exarr. 2.*) quæ mundi voluptates, & deliciæ, gaudia promittunt, in illas prorupit voces: *Quidquid mihi præter Deum est, dulce non est: quidquid mihi vult Dominus meus dare, auferat totum, & se mihi det:* prætulit enim D. Augustinus guttulam veri gaudij è divino emanatam fonte omnibus terræ delicijs, ex quibus nulla potest vera hauriri lætitia, eò quia nullum sit ijsdem verum adnexum gaudium: quia si mundi illecebræ vero essent gaudio fœtæ, vero gaudio eos perfunderent, qui ijsdem inhiant, eásque possident: nullus autem est hisce mundi illecebris addictus; qui suis non torqueatur molestijs, sua non experiatur incommoda, ac ærumnis non se fateatur circumseptum, mordente intus, & torquente conscientiâ: cúmque nullam cum hisce molestijs verum gaudium societatem ineat, nullum fœdus: sequitur, nullum in mundi illecebris, ac delicijs posse verum gaudium inveniri, quod ijsdem indulgenti sit solatio.

39. Fallitur igitur, qui putat extra Deum in mundi voluptatibus, carnísque illecebris verum posse gaudium enancisci, & idem ipsi contingit, quod urinatoribus, & unionum piscatoribus. De margaritarum piscatu eleganter Plinius ait, describens priùs (*Lib. 9. natur. histor. cap. 35.*) margaritarum, seu unionum genituram: Origo, atque genitura conchæ haud multum ostrearum est differens; has ubi genitalis anni stimulaverit hora pandentes se se quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt, gravidatas postea eniti, partúmque concharum margaritas esse, varias pro qualitate roris suscepti, si purus influxerit, candorem conspici; si verò turbidus, & fœtum sordescere; eundem pallere cœlo minante conceptum. Cæterum in aqua mollis unio, exemptus protinus unio. Concha ipsa, cum manum videt, comprimit se se, opésque suas operit gnara propter illas se peti, manúmque, si præveniat, acie sua abscindit, nulla [illegible] ustiori pœna, & alijs munita supplicijs, quippe inter scopulos major pars invenitur. Dos unionum omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haud promptis rebus in tantùm, ut nulli duo reperiantur indiscreti; unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuêre deliciæ. Nam id apud Græcos non est, nec apud Barbaros quidem inventores ejus aliud, quàm margaritæ, & in candore ipso magna differentia. Quidam tradunt sicut apibus, ita concharum examinibus; singulas, magnitudine, & vetustâte præcipuas esse veluti reliquarum duces, miræ ad cavendum solertiæ, has urinantium cura peti: illis captis facilè cæteras palantes retibus includi. Hactenus Plinius.

Inde infertur, [illegible] unionum piscatores plerumque propriæ temeritatis pœnas dare,

cum

cùm nolentes manum conchæ oscitantis prædatricem, vel perdant, vel lædant: & quidem, ut ait Plinius *nulla justiore pæna:* concha siquidem, in cujus sinu unio paritur, & alitur insidiatricem sentiens manum se se contrahit, arma apparat, suam scilicet aciem, quâ interdum piscatoris furtificam manum si prævenire possit, abscindit. Hoc idem nobis extra Deum in hujus mundi fluctuante freto, amaróque pelago quærentibus delicias, expiscantibus gaudia persæpe contingit: pœnas enim, vel inviti dare cogimur, cùm in pœnam peccati malè mulctamur: delicijs, ac voluptatibus, mundíque illecebris inhiamus, quo perinde, ac in conchis, si non margaritas, & uniones, gaudia saltem expiscemur: sed pro gaudio, luctum deferimus, & perinde ac felis, vel canis in furto deprehensi os probè contusum referimus: nos delectat margaritarum, seu mundi illecebrarum piscatus, sed eum credimus gaudia expiscari, cor inde extrahimus amarum, inqoietum, perturbatom; conscientiæ morsibus, scelerum vulneribus, mœstitudinum molestijs miserè vexatum, ac saucium: hæc enim animi vulnera, hi conscientiæ cruciatos, æquissimæ sunt pœnæ peccati; id omnes nos edocuit Ecclesiastes, cum post recensitas mundi delicias, opes, & commoda dixit. *In his quóque labor, & afflictio spiritûs,* sed non propterea hæc satis cavemus, tametsi inde oriatur jactura facultatom, læsio famæ, detrimentum valetudinis, conscientiæ morsus, & remorsus; afflictio spiritus, cordis oppressio: mooemur exemplis, sed inde nil proficimus; docemur experimento, sed ad saniora non excitamur; cognoscimus noxias esse mundi illecebras, sed illas non cavemus; scimus larvata mundi gaudia luctum tegere, & tamen illa non declinamus; experimur mundi voluptates eas sitientibus venenum propinare fucatæ dulcedini immixtum; & tamen adhuc bibere volumus, ac vitiatæ nostræ siti satisfacere: mel istud nobis est noxium. & tamen lingere non desinimus; relinquimus fontem aquæ vivæ, è quo solo pellucidi, scaturiunt latices siti extinguendæ apti, & cisternas quærimus dissipatas, in quibus cœnosas, ac palustres mundi aquas bibimus, ut inde morbos contrahamus, crumenam evacuemus, ignominiam incurramus, & per vanas terrenarum voluptatum oblectationes præcipites ruamus in baratrum miseriæ nunquam finiendæ.

Cap.1.n.17.

41. Hinc David increpans hisce inhiantes delicijs ait: *Filij hominum usque quo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem,* diliguot enim vanitatem, qui vanida gaudia in mundi quærunt delicijs, diligunt vanitatem, qui fucatis mundanæ voluptatis adhærescunt gaudijs, cum nonnisi excrementa, umbrásque gaudiorom assequantur, eò quia extra Deum nullum datur verum gaudium, quod possit homo consequi, unde Jeremias cap. 2. v. 19. *Scitò, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum;* qui exigit à terrenis voluptatibus gaudia, is perinde agit, ac is, qui laxatis retibus aërem expiscari adnititur: frustra laborat, qui quod mundus non habet, anhelns cupit à mundo exigere: cúmque sit mundus vero gaudio destitutus, frustra ab illo exigitur: vanida sunt, & sterilia, quæ in mundo creduntur gaudia esse, nullum possunt fructum producere, quo possit homo se reficere: ille sapit, qui cum David ait: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum,* ut verè delectemur, debemus non delectari, seu renuere consolari terrennarum voluptatum illecebris, mundique gaudijs; & veram lætitiam haurire in suo fonte, & in illo delectari, seu in solo Deo: ad hunc fontem suam extincturus sitim accessit David, & verum hausit gaudium; sinceram ebibit lætitiam: *memor fui DEI, & delectatus sum,*

Psalm. 4.

Psal. m. 76.

§. V.

Solus Deus est fons pellucidus aquæ vivæ, à quo scaturiunt latices siti nostræ extinguendæ idonei. Terrenæ voluptates sunt cisternæ dissipatæ, quæ nonnisi cænosas, palustres, ac vitiatas exhibent aquas.

Piscator unionum si ducem, seu Regem capiat concharum, reliquas facili negotio retibus includit: qui satagit Deum possidere, omnia possidet, divitijs omnibus affluit, delicijs, verisque exultat gandijs; idque expertus S. Franciscus Seraphicus ajebat: *Deus meus, & omnia:* nimirum quia cum Deum haberet, omnia sentiebat se possidere, quapropter D. Augustinus Deum ipsum alloquens de diligendo Deo ait: *Domine Deus meus da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da mihi Deus meus te: redde mihi te, en amo te: atque si parum est, amem validiùs: non possum metiri, ut sciam, quantum mihi desit amoris tui, ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultûs tui. Hoc tamen scio, quia malè mihi est præter te Domine, non solùm extra me, sed in me ipso. Omnis enim copia, quæ Deus meus non est; egestas mihi est:* expertus fuerat D. Augustinus extra Deum omnia vana esse, ac futilia plena amaritudine, tœdio, & solicitudine: extra Deum nullam esse venustatem, nullam pulchritudinem, sed omnia deformia, fœda, 42.

Cap. 1. & 18. medit.

& sordida, & tantùm larvàs pulchritudinis, excrementa voluptatum, umbras deliciarum; cum veræ omnes deliciæ, voluptates omnes, & gaudia in uno tantùm sint Deo, quem qui deserit, bona simul omnia à se projicit, Deum enim deseruisse, perinde est, ac bonis omnibus excidisse: hinc Jeremias redarguens populi fatuitatem, eò quia cum se avertisset, à Deo gaudia quæreret in larvatis mundi voluptatibus ait.
Cap. 2. v. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; & fecerunt sibi Cisternas, Cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas:* ô quàm insana fuit populi fatuitas! qui cum in proximo fons scaturiret saluberrimus, ac præsto esset, stolidus ad volutabrum immundissimum excurrit terrenarum voluptatum, ut inde aquas biberet cœnosas, ac palustres?

43. Nil verius, quàm veram lætitiam in sola cordis tellure virtutum cultura, ac benefico divinæ gratiæ irrigata imbre radices agere, germinare, adolescere, ac plenè efflorescere: cætera, quæ in mundi voluptatibus quæruntur gaudia, quia cor non tangunt, nec ullâ virtutum efflorescunt culturâ, ludibria sunt, & phantasmata gaudiorum, nec ad cor pertinent, cui sint solatio, sed ad renes, ut acriùs iisdem indulgentes torqueant; quia sicut cor fons est lætitiæ, ita renes radices sunt tristitiæ; in ijs enim calculi generantur, quibus interna dilapidatione concupiscentiæ æstui hominem impetit, torquet, cruciat ad internecionem: id igitur interest discriminis inter utrumque gaudium, quia, quod in corde radices agit, mentem serenat, & exhilarat; quod verò in renibus, seu quod ex carnali percipitur voluptate, torquet, mentem obnubilat, & obtundit; utrumque autem gaudium scrutatur Deus, ait enim David; *scrutans corda, & renes Deus:* cui omnia patent, corda scrutatur, *is* scilicet, *qui salvos facit rectos corde*, non tamen dicitur rectos renibus salvos facere, ne carnalibus videretur voluptatibus favere, carnisque delicijs: renibus enim terrena inest delectatio signata ex carne vitiata, ex terrenis exsculpta rebus: & quia à rectitudine deflectunt, qui carnis irretiuntur voluptatibus; ideóque quamvis dicatur salvos facere rectos corde, non ita dicitur salvare rectos renibus; quamvis scrutator sit cordium, & renium; *scrutans corda, & renes, Deus:* carnalis enim delectatio, & concupiscentiæ voluptas, quâ renes afficiuntur, vera non est voluptas, nec vero inferendo gaudio apta; ideóque solos rectos corde scrutator Deus salvos facit; non verò rectos renibus, quia rectitudo, verúmque gaudium nequit cum illis cohærere; non enim renum voluptates cor occupant; sed suas in renibus, qui pleni sunt illusionibus
In Psalm. 7. radices agunt, pulchrè S. Augustinus ait: *Non sicut scrutatur corda, & renes, ita salvos facit rectos corde, & renibus: quia cogitationes, & mala sunt in pravo corde, & bona in recto corde. Delectationes autem non bonæ ad renes pertinent, quia inferiores sunt, atque terrenæ. Bonæ verò non ad renes, sed ad ipsum cor. Propterea non ita dici possunt recti renibus, sicut dicuntur recti corde; cùm jam ubi cogitatio, ibi & delectatio est. Quod fieri non potest, nisi cum divina, atque æterna cogitantur. Dedisti, inquit, lætitiam in corde meo, cùm dixisset, signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. Nam phantasmata rerum temporalium, quæ sibi animus fingit, cum spe vana, mortalique jactatur, quamvis inanibus imaginationibus, afferant sæpe deliram, insanámque lætitiam, non tamen cordi hæc delectatio, sed renibus tribuenda est; quia illa omnes imaginationes de inferioribus, hoc est, terrenis, carnalibúsque rebus attracta sunt.* Paucis interjectis subdit. *Propter hoc delectatum est cor meum, ut renes eum increpare potuerint, non delectare. Non itaque in renibus, sed ibi facta est delectatio, ubi adversus rerum increpationem provisus est Deus à dextris esse, id est in corde.*

Vera igitur lætitia non in renibus, qui 44.
pleni sunt illusionibus, æstúque concupiscentiæ fervent; efflorescit, sed potiùs exarescit; quæ enim vera est ex virtutum germinat cultura, suámque in solo corde radices agit, germinat, & floret: quæ è renibus voluptas percipitur suis præstigijs, quos pulsat, eludit: & tamen licèt nonnisi vana sit hæc, quæ in renibus stabulatur voluptas; adhuc cæca illius anxietas mundi voluptuosos tenet, ut eum vitiorum irritamenta, ac blanda fallaciarum illicia, quæ mundi exhibent illecebræ, deberent exterminare, & à voluptatum delinimentis prorsus abstinere, ijs tamen avidissimè inhiant, eáque ardenti hidrope jugiter sitiunt; statúntque hac mundi vinci voluptate, quæ bellum indicit rationi, & consilio, quia ut ait Plutarchus, *pugnam, & dissensionem cum judicio, & consilio voluptas, & dolor exercent:* renum enim voluptate vigor exhauritur rationis, & æstu concupiscentiæ flos omnis exarescit virtutis; & ne hæc inferret voluptas damna, abstrahendus omnino esset ab ejus delinimentis animus; imò non solùm vigorem exhaurit rationis, ejús lumen infuscat, & mentis obtundit aciem; verùm etiam dolores ingerit, & anxietates excitat.

Arridet hæc renum voluptas, sed sub 45.
larva delectationis dolorem tegit; risum ostentat, & luctum excitat. Uterinos dixeris fratres eodem exortos nixu dolores, & renum voluptates, sejungi non possunt, quia naturali miscentur unione: pulchrè Seneca, Epist. 51.

Si

Si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati; idem sibi in me juris esse volet ambitio, & ira: inter tot affectus distrahar, imò discerpar: siquidem voluptatibus, qui indulget, dolore anxio discerpitur; salacitas enim renum paupertatem inducit, & floridum virtutis patrimonium suo exiccat æstu; & paupertas dolorem adfert: hinc voluptatibus hisce renum addicti, & concupiscentiæ adhærentes, pluribus fiunt ægritudinibus obnoxij, & præmaturam accersunt mortem: placet hæc voluptas, simúlque lædit; perinde ac fucata mulieris cervix, quæ dum splendentium margaritarum tremula pulsatione lætatur, onere torquetur oblectamenti.

46. Nulla extra Deum ridet voluptas, quæ lachrymas non eliciat, luctum non provocet; qui voluptatem quærunt in ferculis, esculentis, poculentis, lusúque epularum, hi non mellis dulcedinem, sed fellis gustant amaritudinem; edacitatem enim sequitur pedissequa cruditas; cruditatem oris pallor, membrorúmque dolor. Qui carnis illecebris, & concupiscentiæ lenocinijs indulgent, nonnisi cruciatus aucupantur; quia salacitas doloris, & confusionis fœcunda est mater; & citiùs perit, qui venereis est voluptatibus addictus. Qui in purpuræ splendore, aulæque delicijs versantur, hi acriùs cæteris torquentur, quia purpura rosam æmulatur purpuream, quæ vulnerat, dum manu prehenditur, ac stringitur, & inflicto vulnere sanguinem elicit, suíque appendicem accersit, dolorem: idque suos magister Christus discipulos, & fideles edocuit omnes, & clariùs, ut hæc veritas eluceret, in speculo tersissimo sui corporis, eam nobis repræsentatam *exhibuit*, ut observat Drogo *de Sacramento Dominicæ passionis*, inquiens: *Fecisti mihi de corpore tuo speculum animæ meæ:* nimirum ut illustriùs, clariúsque in speculo Dominici corporis intueamur, quæ obcæcati, in alijs, quæ nobis obviant, objectis, non videmus, & mentis lumine destituti ignoramus: cum igitur mundi Redemptor Pilato sisteretur, purpurea amicitur veste; simúlque horridis coronatur sentibus peracutis, redimitur spinis, & cum purpura corpus obtegeret, ac ornaret; sentes, & spinæ cervices lacerarent, vulnera infligerent, caput perfo-
Matth. 27. v. 29. derent, & sanguinem elicerent. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus*, dum Tyrio murice splenderent corporis membra, madebat sanguine caput, & sub eodem tempore torquebatur acutis terebratus sentibus, & fulgebat purpureo nitore, & nexu insueto purpuræ spinæ copulabantur: sed cur dum floret in rosas purpura in reliquis corporis membris, stipant ad cruciatus capitis tempora sentes? An quia summis in mundo dignitatibus constituti, & purpuram induentes neutiquam eximi à curarum, ac solicitudinum spinis nequeant? nectuntur spinæ purpuræ, quia absque tribulis, capitísque molestijs, voluptatibus non fruuntur homines, quas in purpura exambiunt: neque gratæ purpuræ possunt splendoribus enitescere, quin spinarum aculeos sentiant in capite; quia voluptas sive in concupiscentiæ lenocinijs, sive in carnis blandimentis, sive in divitiarum affluentia, sive in deliciarum incitamentis, aut purpuræ quæratur splendoribus, suos semper secum sentes attrahit, quibus vulnera infligit, doloresque excitat: sed adhuc parum esset, si comites duntaxat dolores sibi adsisceret; verùm cruciatuum etiam post se plenam relinquit appendicem: Christus Dominus mox purpurâ exutus ducitur ad crucifigendum, seu cruci traditur
transfigendus. *Exuerunt eum chlamyde,* Matth. 27.
& induerunt vestimentis ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent, tametsi fallacia desierint oblectamenta purpuræ, quamvis evanuissent lenocinia, quæ alij exambiunt in purpura; non tamen unà cum purpura abjêre dolores, evanuerunt cruciatus, sed isti acriùs post purpuræ blandimenta, singula corporis torserunt membra; & expertus fuit Christus evanidum purpuræ fastum, & transfigentes clavorum aculeos, spinarúmque doloriferos morsus; nimirum duplex pœna comitata est blandientis purpuræ voluptatem; nam dum purpura rutilans in corpore oculos delectabat adstantium, rubebant in capite spinæ effuso sanguine epotæ, & terebrata dolebant tempora, cum reliqua membra fulgerent in purpura, seu ut scribit D. Hieronymus. *Cocci colore perfunditur caput, dum madet sanguine;* & splendent infera membra, cùm purpurâ teguntur, & hac spoliata, non dolor dimittitur, sed crux post purpuram manet; simúlque spina comitatur cingens tempora, ut inde cognoscamus duplex supplicium culpam comitari; unum quod culpæ germanum cum culpa nascitur; aliud, quod ut ejus proles ab ipsa gignitur: appositè Drogo de Sacrament. Dominicæ Passionis: *Quid? quòd post illusionem chlamyde exuitur, & suis vestibus reinduitur, nisi quòd sæpe superbus Adam, cùm per dolorem carnis confinia mortis ingreditur, deposita elatione ad putredinis suæ considerationem revertitur*, fuerit purpura illusione immixta, & postea putredinis castigata supplicio, ut duplici cruciatu mulctetur, quod brevi, ac volatica hauritur voluptate.

Falluntur, qui mundi voluptatibus 47.
vera satagunt gaudia aucupari, veri gaudij opifex non mundus, sed mundi est artifex, fons enim veri gaudij è cœlo scaturit, non è terris exilit; quam enim felicitas alterius

vitæ non lætificat; hunc, nec mundi gaudium potis erit exhilarare: imò si quid est in mundo jocundi, id ad cœlum nos invitat, vocátque, ut ibi vera gaudia nanciscamur, ubi nascuntur veræ felicitatis blandimenta interitui non obnoxia; ad cœlestia gaudia nos evocant variæ, ac elegantes rerum species, quæ nostros demulcent oculos, quæque non necessitate duntaxat, sed nostræ etiam inserviunt oblectationi: miræ enim varietates plantarum, virtutes herbarum, arborum differentiæ, fructuum sapores, florum colores, odorum suavitates, saporum discrimina, cum nonnisi perbrevem, ac volatilem nobis voluptatem spondeant ad cœlestia nos gaudia invitant, ubi voluptas, quæ è suo proprio hauritur fonte, nullum sapit occasum.

48. Quæ nostris mundi artifex concessit in terra usibus, non ut terræ hæreamus, nos invitant; sed ut soli Deo adhæreamus, in quo uno verum duntaxat potest gaudium inveniri; cujus umbram nobis exhibent in terris, quæ possunt nobis esse oblectamento, ut sublimia collium, aprica vallium, umbrosa nemorum, aquarum salubres scatebræ, fontes pellucidi, circumfusa terris maria, amnium, ac fluminum assidui fluxus, lacuum maris æmulationes, jacentium stagnorum malaciæ; floridi margines, tori riparum, fluctuantes maturâ segete campi; jocantia lascivientibus floribus prata: hæc enim omnia, ut etiam gemmantia vineta, urbium commoda, ruris otia, secessûs libertas, solitudinis nemora, prospectus ex edito monte jucundus in subjectas planities ea distinctas varietate, ut hic saltus, & sylvæ frondium comis, & capillitio foliorum, proceras quercus erigant; ibi pascua ad vires reficiendas oves vocent; alibi admurmurantes rivuli ad sitim extinguendam invitent; illic exculti horti, istic omnis generis fruges vegetent, & glišcant; hæc enim omnia voce satis clara clamant, ut suspiciamus cœlum, & mundi Conditorem laudemus, ac in eo duntaxat lætemur, quo vera gaudia in defœcato, puróque suo ebibamus fonte: ex mundi enim majoris, ejúsque partium, ac supellectilis ornatu, & consideratione ad notitiam opificis Dei scandimus, *Via enim nobis* (ait Clemens Romanus 8. recogn.) *ad intellectualia, & invisibilia ab his, quæ videmus, & contrectamus, datur, sicut continetur in Aritmeticis disciplinis, ubi cum de divinis quæritur, ab inferioribus ad superiores numeros ascenditur.*

49. Dari enim mundi opificem ex ipso mundo luculenter evincitur; cum enim constet, esse mundum essentiæ finitæ, proinde sibi minimè sufficere; necessè est ab aliquo superiore artifice ex nihilo traductum fuisse ad eam totam rerum supellectilem, quam possidet; & quia nequit quidquam à principio prodire, in quo non continéatur; non enim è fonte possunt scaturire rivuli, qui è suo non exiliunt sinu: ita necessè est; ut quidquid pulchri, jucundi, ac læti mundo inest, id totum in Deo longè excellentiùs emineat: proinde, quæ in terris florent rerum species, aliquid nobis adferentes oblectamenti, Dei notitiam nobis ingerunt; quò eum amemus, & in eo duntaxat lætemur; quia ut monet D. Augustinus. *Non divinorum librorum tantummodo authoritas esse Deum prædicat; sed omnis, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorem:* quem propterea toto affectu diligamus, & toto corde in ipso gaudeamus. Lib. de Civit.

Quòd si artefacti elegantia adeò nos delectat, ut plurimum ex ejus consideratione hauriamus lætitiæ, ut cum intuemur spectaculum omnium lucidissimum, & augustissimum stellantis cœli ambitum incredibili celeritate volubilem, fixis stellarum nitoribus coruscum, ac veluti vernantibus rosis jugiter floridum; errantium stellarum Solis ac Lunæ accensas lampades, ac cæterorum planetarum lucidissimum cœli decus, purissimos mundi oculos, quorum cursibus, & recursibus annorum, mensium, dierum, noctiúmque vices, temporúmque momenta, acuratásque periodos metimur, & ex eorundem siderum beneficis influxibus inspicimus gravidari fructibus arbores, turgere baccis rami, virescere arborum folia, vestiri camporum planities, ridere riparum amœna, florescere pratorum jucunda, ubi jocantur vireta, rident flores, & gaudent vegetantia quæque: hæc cùm plena sint gaudio, animum exhilarant, simúlque invitant; ut in eo duntaxat gaudeamus, à quo ut à suo proprio fonte scaturiunt, tanquam exigui rivuli, qui per varios terræ tractus diffluunt deprædicantes inconstantiam, & vicissitudines; quibus terrena quæque sunt obnoxia, ut non in ipsis nostra quæramus gaudia, sed in solo Deo, qui fons est omnis gaudij: *Ipse mundus*, ait Seneca, *quoties per noctes ignes suos fudit, & tantùm stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet?* nimirum quem in cognitionem, & admirationem sui opificis non rapit? ut eum diligar, & in eo lætetur. In promptu cujusvis est, hanc de Deo enancisci notitiam; & defœcatam in suo fonte haurire lætitiam; tacet enim cœlum; sed ejus aspectus satis nos edocet per oculos, non per aures in cœlis esse cœli, & terræ sapientissimum Artificem, quem diligamus, & in quo tantùm gaudeamus. Vera enim lætitia non est à mundo expectanda, quia à nullo ejus fonte exit, sed à solo ipsius mundi exilit Conditore; qui solus veri gaudij est verus Opifex, qui & mundi est artifex? 4. de benef. cap. 23.

50.

§. VI.

§. VI.

Voluntati humanæ explendæ impares sunt omnes creaturæ; licèt totum suum in ipsam sinum expandant: in Deo tantùm potest verè gaudere, in quo potest plenè lætari.

51. VOluntas non potest verè gaudere, nisi in eo, in quo valet & plenè lætari; quia nisi plenè lætetur, aliena est à vero gaudio, neque contenta, quia vacua & adhuc anxia aliquid quærendi, quo caret; & præter Deum sunt cætera omnia exigua hominis voluntati explendæ, quam solus Deus replere potest: quæ enim sunt infra Deum, & extra Deum possunt quidem eam irritare, non implere; quia nec sibi sufficiunt, & nobis deficiunt: hinc solus Deus verus mundi opifex, veri gaudij est etiam artifex; ut scitè Philo ex Isaaci divinitùs promissa nativitate id intulit *libro quod deterior insidietur potiori* inquiens: *Opifex est Deus boni risûs, & gaudij; itáque Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo credendus est, nam risus Isaac intelligitur: risûs autem factor est solus DEUS.*

52. Vera igitur lætitia ab eo est fonte haurienda, à quo exit; & fallitur, qui ab alio, quàm à solo Deo, à quo factus est risus, productus Isaac, verum exposcit gaudium; quia cùm ad divinam fuerit normam structum verum gaudium, & nostra voluntas ad speciem fabricata divinæ; eam quotquot in mundo sunt creaturæ explere non valent; tametsi totum sinum suum expandant: divinis impressa typis humana voluntas minus semper illi est, quidquid infra Deum est, & solus Deus potis est eam implere, quia solus potest illam explere; cætera quæ sunt extra Deum humanæ non quadrant voluntati; quam propterea non possunt implere, & major semper est humanæ voluntatis capacitas, quàm ut impleri possit rebus, quæ extra Deum quæruntur; idque causæ cur desideria nostra neutiquam in bonis hisce fluxis, ac interitui obnoxijs, quæque nec sibi sufficiunt, valeant quiescere; cùm humana voluntas quandam nacta sit divinæ similitudinem, sitque propterea infiniti Dei capax, & reliqua extra Deum sua coërceantur finitudine, suisque limitentur terminis, implere nequeunt humanæ voluntatis capacitatem; sintque propterea deliri, qui extra Deum sperant, posse in mundi voluptatibus, concupiscentiæ lenocinijs, divitiarum affluentijs, honorum præeminentijs, dignitatum excellentijs vera aucupari gaudia, quibus plenè quiescant; hi enim molem gaudij fluidis superstruunt, semina sterilescenti jaciunt in eremo, marinos fluctus aratro secant; imò ædificant sibi ruinam, qui propriæ lætitiæ fabricam periturìs, ac fluxis inædificant; cùm caducis innitantur, stare in gaudio non valent; nec propterea animus quiescere potest in rebus perituris, quæ voluntatis capacitatem implere non valent.

53. Nullæ extra Deum res in mundo, cùm & sibi non sufficiant, & nobis deficiant, voluntatem nostram implere possunt, neque satiare, proinde nec gaudium verum invehere, cùm sinum non expleant voluntatis: gaudium enim, si plenum non sit, vacuum, sen cavitatem admittit in voluntate, nec voluntas potest propterea plenè gaudere; & ideo non gaudet, quia plenè non gaudet, & molestiis angitur, quia non plenè expleta: qui verè gaudet, contentus dicitur, quia continet quidquid continere potest, & exoptare: cùmque extra Deum sint res omnes voluntati exiguæ, & parvæ, non valent voluntatis explere capacitatem, proinde nec verum invehere gaudium, quod propterea in solo Deo quærendum est; ad normam siquidem divinæ est humana voluntas ædificata, cùmque capax sit Dei infiniti, quandam etiam capacitatem continet infinitam, cui explendæ paria non sunt singula, quæ quæruntur extra Deum, quamvis omnia simul colligantur, & possideantur; licèt enim explicent se, ac infient, & porrigant; contracta semper sunt, & imparia voluntati explendæ, cui solus Deus aptari potest, quique ob suam infinitudinem totam potest voluntatis implere cavitatem; & explere capacitatem: creaturæ enim sive seorsim, sive collectim sumptæ semper egenæ sunt, nullæ sibi sufficiunt, nullæ satis sunt sibi; proinde nec sufficiunt alijs: egenus igitur est mente, qui res egenas adit, ut suæ occurrat inopiæ, cui solus Deus succurrere potest: appositè S. Laurentius Justinianus: *Quod satis sibi esse non potest, alijs quomodo sufficiet? Creaturarum inopiam insinuat hoc, atque universa non ad fruitionem, sed ad usum fuisse condita manifestat; porrò lex ista lex est Sapientia, qua naturale eruditur ingenium, ut non aliunde sua velit capere peregrinationis solatium, quàm à suo atque omnium Conditore.* Creaturarum inopia impar est veræ lætitiæ invehendæ, & earum insufficientia vox est, quâ avocamur à terrenis voluptatibus, à lenocinijs creaturarum, & vocamur ad Creatorem fontem vivum, è quo dimanant rivuli singuli bonorum omnium, quæ à creaturis participantur. *In fascic. ol. amor. c. 9. 3.*

54. Ipsa enim animi nostri immortalitas iter sternit ad cœlum, viam aperit ad Deum, cùm enim nil sit in mundi rebus fluxis, quod casui, ac interitui non sit obnoxium, nil potest in mundo nobis obviare, quod animi nostri capacitatem explear: unde æquè animi immortalitas, ac spes certa resurgendi, ac corpus resumendi itidem immortale, agile, lucidum, inviolabile; ac desiderium, quo felicitati inhiamus nunquam periturae, iter nobis ad solum Deum pandunt, in quo solo possumus æterna donari

 beati.

beatitate, quia cùm morimur, ad ipsum transferimur, non extinguimur: Deus est, in quem solum vota nostra, ut quiescant diri. gi debent: & per hoc cæteris homo præfertur animalibus, ac specialior Dei cura est hominum, quàm cæterorum animalium, hæc enim de terra terrena suam post mortem repetunt originem; homo verò de cœlo cœlestis Numinis opitulantis fulcitur gratijs, munitur auxilio, quo ab hisce terræ inferioribus elatus sursum erigitur, & ad Deum, cujus præsefert imaginem, avolat: idque causæ, cur nobis Angelos destinet custodes; nobisque famulitio velit addictos, ut modis omnibus nostram res inter creatas demonstret excellentiam.

55. Ex animalibus quædam sunt homine robustiora, quædam velociora, alia sensibus vegetiora, sed nullum dignitate præstantius, nullum cujus par cura sit creatori; dedit ei frontem, & oculos, in quibus veluti in speculo animi relucerent secretiora consilia; dedit eidem lachrymas; dedit, & risum affectuum signa, illæ dolentium, hic lætantium: fletus tamen homini præcox, quia vix ortus, statim liquescit in lachrymas; & risus serus; cùm ante diem quadragesimum non ridest; id autem vel maximè prudens arguit animal futurorum præscium, cùm statim laboribus, & ærumnis se natum præsentiat, ne scilicet in hujus vitæ cursu in hac plorationis valle ullum speret verum gaudium, nisi quod de Deo oritur, & in Deum tendit: vacua enim, & larvata sunt gaudia, quæ mundi spondent voluptates, bracteata est lætitia, quâ mundus ridet, ut nobis arrideat: & licèt gaudeant plures cum mundo, non tamen verè gaudent: plurimum siquidem interest, unde quis gaudeat: gaudium enim malorum stultitia est; & risus, quo terrena voluptas eidem indulgentibus arridet plenus est lachrymis, & dolori duntaxat ingerendo idoneus: omnis extra Deum voluptas, nonnisi terroribus, lachrymis, &, doloribus est obnoxia.

56. Bonæ mentis initium, ac fundamentum est, non gaudere vanis, sed habere contemptui omnem lætitiam, quæ ex Deo non est, nec in Deum dirigitur, per hunc enim contemptum vera lætitia aditum sibi in mentem parat; vera enim voluptas est mundi omnes contemnere voluptates, ac gaudia. Caligant plures pravorum affectuum nebulis obscorati, ac fallaciarum tenebris impetiti, dum gaudia quærunt, ubi nonnisi lachrymæ sparguntur: sunt in mundo, qui ut mundi gaudia aucupentur, divitias aggerunt quasi veræ lætitiæ sint fomentum. Alij Magistratibus, primisque inhiant dignitatibus, quò præ cæteris fulgentes seneniùs gaudeant, cùmque variæ sint nostræ cupiditates, & diversa vota, non ad rationis normam vivimus, sed ad quandam duntaxat obliteratam quasi similitudinem; quo fit, ut ipsæ nostræ cupiditates sibimet adversentur, ac hostili conflictu se se expugnent: malæ, noxiæque adjicitur servituti, qui voluptatibus famulatur, ut verum ab ijsdem mercenarium extorqueat gaudium: sola virtus est, cujus jugum non premit, sed sublevat, hinc Seneca. *Libet itaque definire ut beatum dicamus hominem illum, cui nullum bonum, malúmque sit nisi bonus, malúsque animus, honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollunt fortuita, nec frangunt adversa, qui nullum majus bonum eo, quod sibi ipsi dare potest noverit, cui vera voluptas est, voluptatis contemptio.*

Virtutis cultura animum exercet, ac continet, neque divagari permittit extra se, causâ quærendi umbratiles, fluxásque voluptates; ex quibus aliquid hauriant lætitiæ, quæ cum vera non sit, sed larvata pedissequas semper secum trahit ærumnas, & malorum omnium amplam appendicem: virtus enim, tametsi ægri laboris acquiratur censu animum tamen firmat, & contra labores munit: idque causæ, cur mascula loricatus virtute supra metum quemlibet, & extra anhelam positus cupiditatem placidè quiescit, ac tranquillè requiescit; & licèt honores fugiat, non tamen potest ab ijsdem se eximere; honor enim perinde virtutem sequitur, cui famulatur; ac umbra pedissequa est corporis, cui adhærescit; hinc honoribus, qui inhiat, virtutum, necesse est, sit culturæ addictus, quia sicut nemo corpus umbra destitutum assequitur, ita neque virtutem consequitur sine honore, qui umbra est virtutis, quæ etiam reluctantes, invitos, ac refugos comitatur: qui suis finit se voluptatibus rapi; perinde ac vitiosus Ixion rotâ circumagitur earundem, & sursum, deorsúmque jugi volvitur agitatione; quis à Deo recedens vitijs circumactus exsgitatur, ac variis votorum æstibus raptus elidi- tur, & dum gaudia quærit se in ærumnas injicit acriores, quia vera lætitia à vitiorum regione extorris est, & solius virtutis incola; & quia per vitiorum indulgentias à Deo distamus, à quo avertimur; & per studia virtutum ad Deum accedimus, cui assimilamur, ideo quò propiùs quis Deo approximat, à luctu, & miseria longiùs exulat, fruitúrque deliciarum medollis, caret ærumnarum, ac molestiarum aristis. Divina providentia justis, ac virtutum addictis culturæ lautiorem construit mensam, & fercula apponit salubriora, quæque suaviùs palatum mulcent, & sanas, ac vegetas nutriunt in mente cogitationes. 57.

Moyses cum ante fluenta Jordanis terræ tractus divideret, eos longè, latéque diffusos designavit Ruben, & Gad, & dimidiæ Manâsse Tribui; cum Levitis nullas adscriberet possessiones; sed cur omissis, ac veluti neglectis Levitis terrarum tractus illos Tribui duntaxat Manasse voluit distributos? itáne qui sæculo inservit sæcularibus cumu- 58.

latur

latur bonis, ac terrenis donatur commodis; & Levitæ servitio altaris, cultui Numinis specialiter addicti nullis donantur terræ tractibus? An non uberiore sunt mercede digni, qui soli Deo sunt emancipati? quid igitur causæ, cur Levitis, qui Numinis obsequiis, cultuique altaris erant addicti nulla in iis terrarum tractibus fuerit assignata possessio? quia nimirum Deo mancipatis Deus ipse est possessio: *Tribui Levi non dedi possessionem: quoniam Dominus Deus Israel est possessio ejus*, quia Levitæ propiùs Deo propinquabant, altari inservientes ac divina tractantes in templo; his Deus fuit plena possessio, plenúmque gaudium: quòd si Levitas conferamus cum populo cæterarum Tribuum, liquebit statim, Deo mancipatos labore caruisse, non fructu; quia gaudium, quod ex Deo percipitur possessione omnem excludit laborem, omnémque anxietatem: Levitis quorum possessio Deus erat, decimæ fructuum solvebantur à populo, & in eorundem partem victimæ, & sacrificia numerabantur: cæteræ Tribus sententiam protoparenti Adæ à Deo latam exequebantur in laboriosa terræ cultura; vescebantur enim in sudore vultûs pane; terrarum illos tractus aratro proscindentes, & tellurem illam ligone, durisque laboribus evertentes: Levitæ verò quibus possessio Deus erat, cui in templo inserviebant hujus expertes laboris, & anxietatis, fructuum erant participes, non sudoris; quia lætitia, quæ ex Dei oritur possessione omnem excludit mixturam laboris, pura est, ac defæcata, a quavis molestia, & sollicitudine, & fructuum exundat copiâ, pascitúrque ac possidetur sine molestia: *Levitis* ait Abulensis: *non fuit data terra, in qua agros colerent, aut vineas plantarent, sed solùm haberent pascua pro pecoribus suis: & hujus causa erat, quia Levitæ recipiebant decimas Israelitarum*: aliæ tribus, quia servitio templi, & aræ non erant addictæ proprio frontis sudore eos rigabant telluris tractus, quos manu excolebant; eorum tamen fructuum participes Levitæ lætantes epulabantur, quia gaudentes Deo famulabantur; non incumbebant aratro, & lucro cumulabantur aratri; quia Deo, qui proximius appropinquant, longius à laborum molestiis abscedunt, & gaudio perfunduntur defæcatiore, quod nonnisi in solo Deo, ejúsque possessione radices agit, & fructus producit, nimirum verum gaudium à solo Deo est, ille solus est vera mentis lætitia, qui mentem condidit.

Josue c. 13. v. 33.

Abul. in Josue.

59. Vera lætitia est sola Dei possessio, quidquid à Deo abscedit, à gaudij veri discedit limitibus; & promptiùs è pumice aqua elicitur, quàm à mundi voluptatibus, rebúsque terrenis, aliisque extra Deum positis: verum gaudium est, quod in solum tendit Deum & in illo tantùm reperitur; quæ enim in mundo est lætitia, eos in exitium trahit, quos afficit, idque expertus prodigus adolescens in se tandem reversus desivit desipere, & digniora sapere, postquam, quæ mundi voluptates gaudia exhibent gustavit: cum enim inopiam tantùm, mendicitatem, mentis curas, cordis anxietates, stomachi vacuitatem, famem mordentem, sitim æstuantem, & plenam ærumnarum congeriem fuisset in ejsdem expertus, redire ad Patrem sibi proposuit: *Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenarijs tuis*: & quidem cum fame premeretur accelerato passu ad patrem ivit; & tunc tantùm se filium cognovit, cum dulcissimos inter ejus amplexus cœpit quiescere: *Pater peccavi in cælum, & coram te*, nimirum patrem vocat, non Herum, aut Dominum; quia non jam mercenarium, sed filium se noverat, paterni amplexûs dignatos gaudio: sed si antea fieri cupiebat tanquam unus ex mercenarijs; cur inter patris amplexus, quæ mente cogitaverat, voce non patefecit? præsertim cùm humilior fuisset pœnitentiæ confessio, si se numero addixisset mercenariorum, nec filii cupiisset adornari vocabulo: cur igitur famulitii tacet officium, & filij solum profert titulum? nimirum quia utrumque deserviebat ministerio: cùm enim sejunctus à Patre tristitia torqueretur, ac fame absumeretur, huic exsaturandæ cupiit accenseri paternæ domûs mercenariis, *fac me sicut unum de mercenarijs tuis*: cùm vero patris inter amplexus vero cœpit perfundi gaudio omnem expulit famem, quia vitium omne excussit, & per exercitia virtutum, amoris, & pœnitentiæ Deo appropinquavit.

Luc. 15.

60. Qui Deo fiunt proximiores sudore rustico mercenariorum carent, nec pane vescuntur siligineo; sed epulis nutriuntur Regiis, veróque suffunduntur gaudio; quapropter prodigus adolescens ex ærumnis terrenarum voluptatum ad patrem redux inter brachia paternæ charitatis præconceptæ oblivíscitur servitutis; quia gaudium verum, quo potiebatur omnem expulit mercenariorum laborem, & ingressus domum paternam famem expulit; & concentu suavissimo aures demulcente omnem excussit mentis tristitiam, puro, ac defæcato ab omni molestia, à quovis labore, donatus gaudio; apposítè D. Augustinus in catena: *Non addit, quòd in illa meditatione dixerat: Fac me sicut unum de mercenarijs tuis: cùm enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat, quod post patris osculum generosissimè jam dedignabatur*. Mercenarii famulitium tunc fuit dedignatus, cùm post osculum, amplexúmque patris verum præsentiis intus gaudium, quod omnes abegit solicitudines, exclusit labores: mercenarius erat sejunctus, ac remotus à patre, cum fame laboraret, sitíque aresceret; inter tamen patris amplexus, quia ejus etiam exceptus osc-

lo, cœpit verâ cordis diffluere lætitia, cui nullus est labor immixtus; rectè mercenarius esse noluit, qui mercenarij labores vero exundans gaudio abegerat.

61. Plures possent in Religiosorum ascetetiis recenseri qui quamdiu terrenis fuerunt in sæculo laxitatibus addicti, mercenariorum senserunt labores, & paria incommoda, quæ adolescens prodigus expertus & ipse fuit: qui tamen divino postea famulitio mancipati, & arctissimè Deo conjuncti mercenariorum dedignantur officia, eò quia eisdem divina providentia perinde ac olim Eliæ abundè alimenta suppeditet nullis acquisita anxietatibus, nullisque comparata sudoribus. In Deo igitur quærenda est sincera lætitia ab omnibus defœcata molestiis, quæ enim extra Deum sunt, paria non sunt veræ lætitiæ ingerendæ; neque molestiis excutiendis: unde David Deum alloquens aiebat: *Latabor, & exultabo in te:* signatè dixit *exultabo in te*, quia si in rebus extra Deum lætitiam quæsiisset, jugiter extra lætitiam fuisset divagatus, & nonnisi labores, solicitudines, & molestiæ eidem obviâssent: solus Deus sufficiens est veris gaudiis invehendis per interna lumina, quibus mœroris caligines discutir, & veræ lætitiæ tranquillam invehit serenitatem; scitè S. Augustinus expendit: *Latabor, & exultabo in te, videlicet in occultu filij, ubi signatum est in nobis lumen vultus tui.* (In Psal. 9.)

62. Gaudium quod extra Deum enixim quæritur, verum non est; sed larvatum, quod risum ostendit, & lachrymas elicit, bracteata est lætitia, quæ nonnisi labores extorquet, & curas exigit; adeo ut quamdiu elongatur homo à suo Conditore, eò plus distet à vero gaudio, quod tunc enanciscitur, cum Deo totius gaudij fonti indeficienti appropinquat. Ruth Moabitis puella decantatissima post metentium terga superstites colligebat spicas: *Colligebat spicas post terga metentium*; (Ruth. 2. v. 3.) & quidem labore anxio, æstu exardente, manu solicita, fronte sudore madida, horis pomeridianis acriori solis radio fervescentibus; sed illius laboris, æstûsque census pauculæ fuerunt superstites spicæ, quas sedula mulier collegit, domúmque adduxit: *Colligebat ergo in agro usque ad vesperam, & quæ collegerat virgâ cædens, & excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est tres modios.* (Ruth. 2.) Socrus verò Ruth puellam monet, ut celeri passu, gressúque solicitato pudicè ad Booz accedat; paruit puella socro præcipienti Ruth. 3. *Venitque; & discooperies pallium, quo operiris à parte pedum, & projicies te, & ibi jacebis: ipse autem dicet tibi, quid agere debeas:* Booz autem ne vacua reverteretur puella ad socrum sex modios munifica largitate dedit hordei, inquiens: *Extende pallium tuum quo operiris, & tene utraque manu, quâ extendente, & tenente mensus est sex modios hordei.*

63. Sed cur eodem pallio, quo puella operiebatur, agri divitias in messe reportat opulentiore ad socrum? ut inde discerent puellæ, pudoris velamen decoris esse integumentum, simúlque receptaculum divitiarum: puellæ pudicæ plus acquirunt velatæ, quàm libera oculorum procacitate, & curiosa divagatione; quæ causa fuit, cur Dina eum amiserit florem, qui semel deperditus nullo fit ampliùs pretio venalis; sed cur Ruth terga metentium in agro secuta, post plures exantlatos labores, meridianos toleratos æstus, fusos sudores, corporis decurvationes, paucas duntaxat superstites colligit spicas, quibus tres tantùm modios lucratur: cùm ad Booz ædes placito sopita somno quiescens annonam duplicavit; & incremento mensuræ opulentiorem quiescens messem detulit, quàm laborans collegerat in campo? quia Booz accessit pudicè, & culturà virtutis eidem adhæsit: idcóque plus fuit annonæ promerita quiescens pudicè ad Booz pedes, quàm laborans & æstuans meridiano sub sole acquisierit in campo servos insecuta messores; ut inde intelligamus plus fructus, & gaudii iis inesse, qui Deo appropinquantes ipsi strictiùs adhærent, arctiúsque colligantur; qui enim mundi voluptates secuti, gaudia insequuntur, non fructus lætitiæ, sed labores colligunt mœroris: fructus veri gaudij sola virtutum parturit cultura; mundi voluptates nonnisi sentes, & tribulos exhibent: non colligunt fructus veræ lætitiæ, nisi qui Domino appropinquant, hi enim sine labore ditescunt fructibus, hinc Glossa interlinearis *ingressa est Ruth civitatem ditata scilicet Christi donationibus, & virtutum ornata fructibus:* fructibus cumulatur sine labore Ruth, quæ pluribus detrita messorum exercitijs, nonnisi exiguas rusticano etiam sudore madidas collegit spicas, quæ verum gaudium non exhibuerunt, eò quia labores exegerint; fructus veri gaudij, adeo dulcescit, ut omnem excludat laboris angorem, omnésque exsiccet frontis sudores. Neque hos fructus gustant, nisi qui vero sunt gaudio perfusi, ac Deo strictiùs adhærescunt, ijs enim absque labore multiplicatur annona, quia Numini adhærentes rerum omnium copiam experiuntur.

§. VII.

Christi, qui vestigia sequuntur bona omnia assequuntur; quibus verâ perfusi lætitiâ, & mentem recreant, & ventrem reficiunt.

Per invia, ac inhospita deserti sœcerant turbæ Christum, cui adhæserant, secutæ, & adeo strictè ei, mente, animóque copulabantur, ut sejungi ab eo nollent, etiam ad sibi pro victu necessaria comparanda; adeò ab ejus ore suspensæ pendebant, 64.

bant, ut necessarijs etiam alimentis carerent oblitæ sui;cùm enim internâ pascerent animû lætitiâ, corporis externum neglexerunt alimentum; sed pius Dominus se turbis sequentibus mensam explicuit extemporaneam,qua simul & animum interno gaudio pascerent, & corpus externo cibo reficerent: *Accepit* Joan. 6, v. 11. *ergo JESUS panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus, quantum volebant*: qui enim Christum sequuntur bona omnia assequuntur; neque mundi curant fercula, neque sitiunt corporis solatia, quorum in suo fonte veram ebibunt gaudium, quo abundè cor reficiunt: hinc turbis Christum secutis, quæ corpus reficerent, non defuerunt; quia assueverant cœlesti gaudio animas pascere; & quia vera lætitia omnem excludit laborem; excutit solicitudinem, ideóque absque ullo labore prævio, sine solicitudine, quæ ad refectionem corporis necessaria erant ipsis abundè suppeditantur, cùm Deo adhærentes vero reficerent mentem gaudio.

65. Plura humanum pastum antecedunt, plura apparantur rusticanæ artis instrumenta, ligones ad fodiendum, palæ concavæ ad quisquilias ejiciendas, herbásque inutiles propellendas, rastra ad corradendum, rutrâ ad roncaudam tellurem, farcula ad sarriendam sevel, lendámque glebam duriorem; ut etiam aratra, quibus terra proscinditur, erares scirpeæ, quibus explanatur, & explanata, ac proscissa excepto semine pluvijs tellus madet, quæ tempestatum expectat vicissitudines, donec æstate flavescant segetes, maturiat messis; & tunc accersuntur messores, qui falcibus messoriis frumenta demetunt, & demessa manipulatim disponunt; manipulos colligunt in merges, colligúntque tomicibus, vel vinculis stramineis; & colligatos congerunt acervatim per denos, vel quindenos, & prehensos plaustris injiciunt, convehúntque in horrea spicilegio relicto egentibus, & stipula pascuis. Mox tritores frumentum bacillis, flagellisque triturant in area, & excussa grana subjactando ventilabris segregant, emundántque à paleis; pennatóque verriculo expurgant ab aceribus, cùm acerosus panis minimè sapiat, nec delectet, post trituram saccis grana purgata immittuntur frumentariis, mox molâ teruntur frumentariâ, & in farinam redacta grana aquâ immissâ farinæ panis conficitur, furno coquitur; ecce quot labores humanum antecedunt pastum, quot sunt obnoxii curis, solicitudinibus, qui è terra propriam exposcunt refectionem, laboribus franguntur, curis defatigantur, sudoribus madent; secus qui ex Dei adhæsione interno reficiuntur gaudio, ijs absque ullo labore, sine molestia externus corporis pastus incrementatus suppeditatur; ij enim absque retinm jactatione, sine fluctuum periculis sine aratri sudoribus, pane abundant, & piscibus exsaturantur. *Accepit ergo JESUS panes, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus quantum vo-*

lebant: discumbentibus, & quiescentibus, quæ ad corporis refectionem ducuntur necessaria, abundè adducuntur, scitè Basilius Seleuciensis: *Panes pariebant panes, & mensa* Orat. 28. *alimento extemporario referta erant: panes absque rusticano sudore parti non de spicis erumpebant; sed de Domini manu efflorescebant.*

Non laborant, qui panem à Christo accipiunt, non torquentur curis in sibi comparandis ad victum necessariis, qui intus vero gaudio reficiuntur in mente: sudâssent sanè, & ex prolixo itinere plurimum subjissent laboris, si turbæ à Christo panem non accepissent: sed à terra aratro proscissa illum exegissent: pergit enim Basilius: *Quàm multa humanum pastum anteeunt, velut aratio soli, aratorum satio, aëris in nubes conversio.* Agrorum cultores antequam favente sole, fovente solo spicas metant, & aristis excussis in panes conforment, multiplices debent labores subire, à quibus eximuntur, qui à Christo pascuntur, quia ex virtutum cultura efflorescit in corde vera lætitia, quæ nullum patitur laborem, omnem excludit mœrorem. 66.

Verum gaudium ab omni defœcatum molestia, & labore in solo Deo reperitur, in quo vera est quies, quam nec mundi voluptates, nec congestæ divitiæ, neque acquisiti honores, nec collatæ dignitates conferre possunt teste Salomone: *In omnibus requiem* Eccles. 24. *quæsivi, & in hæreditate Domini morabor*, quia licèt in omnibus, quæ in mundo sunt requiem quæsiisset in sola Domini fuit hæreditate commoratus, quia ibi duntaxat quievit; extra Deum semper quæsivit, sed nullibi fuit immoratus, quia requiem, quam quæsierat minimè invenit, ideóque vox est diligentis animæ & lætantis in Deo: *Ego dilecto meo, &* Cant. 6. *dilectus meus mihi*, quia qui Deum invenit, & in eo quiescit, Deus in ipso requiescit: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium,* Ibidem. *& qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*: quàm felix commercium? qui vero perfunditur gaudio in Deo lætatur, & in ejus commoratur hæreditate, & Deus in ejus requiescit tabernaculo; unde sponsa, quia hoc gaudebat sponsi commercio ait: *Ego dilecto* Cant. 6. *meo, & dilectus meus mihi*, quamvis in omnibus lætitiam inquisivisset sponsa, nusquam tamen eam invenit, proinde confugit ad sponsum, ut in eo solo lætaretur. 67.

Sunt plures, qui requiescunt in bonis temporalibus, & de eorundem gaudent possessione; sed isti non verè lætantur, nec veram cordis quærunt requiem, sed dignitates, opes, honores, delicias, quæ cùm quæruntur anhelo desiderio torquent, & spe dilata cruciant; & cùm possidentur, nullam ingerunt veram in corde lætitiam; sed curas, & solicitudines, timores, & anxietates: qui veram requiem quærunt in sola Domini requiescunt hæreditate: in omnibus requiem quæsivit, sed extra Deum non invenit sponsa, ubi moraretur, ac quiesceret; proinde ad 68.

suum confugit sponsum; ut ibi moretur, & requiescat, & de illius lætetur commercio. *Et in hereditate Domini morabor:* signatè dicit *morabor*, non *transibo*, quia extra Deum nullibi morari potuit, quia nullibi valuit quiescere, & requiem invenire, ideóque per fluxa omnia fluere, & transire potuit, sed non quiescere, & morari, sed quia in sola hæreditate Domini morari potuit, eam optavit, & tenuit, & quam concupierat, non dimisit. Sunt qui requiem quærunt præter quam in hæreditate Domini, sed isti in ea non commorantur, & ab illa excluduntur; quia terrenis, fluxísque bonis inhiantes, unà cum ipsis fluxilibus fluctuant, & ipsi, nunquam gaudentes, semper mœrentes; nunquam immorantes, semper transeuntes. O utinam? transeuntes per viam, pertransirent aliquando ad Dominum, visuri, num ibi sit, quod alibi anxio quærunt desiderio; non cuperent mundi delicijs diffluere, voluptatum lenocinijs demulceri, congestis opibus ditescere, honoribus insigniri, si Deum prægustarent; in eo enim statim invenirent, quod extra ipsum nullibi possunt reperire, quos propterea invitat David Psal. 33. ad Dei prægustandas delicias: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus;* hinc sponsa ascendens de deserto sponsum quæsitura, cùm primùm ejus dignata fuit aspectu; ejúsque prægustavit suavitatem, cœpit statim delicijs affluere: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum?* cùm primùm cœpit ascendere, & ad sponsum conscendere, & super ipsum inniti, ejúsque delibare suavitatem, cœpit tota delicijs affluere.

Cant. c. 8.

69. Quòd si quæras, quomodo sponsa de deserto ascenderit, sursúmque avolaverit ad sponsum, certè non alio munita subsidio alarum, quàm orationis, ac virtutum exercitio; ejus enim ope è deserto, ubi vel solitudo est, vel hominum desunt auxilia, sursum ascenditur, & anima ad suum avolat sponsum, & tunc exundant deliciæ, cùm tentat ascensum: & ideò sponsa ascendit de deserto delicijs affluens, quia suo innititur sponso; neque in sublime, sed deorsum fertur, qui non innititur super dilectum; seu suis fidens viribus, sponsi Dei non petit opem: sponsa ideò ascendit de deserto, in sublime avolat, salitque ab hisce inferioribus, & veris affluit deliciis, veróque diffluit gaudio, quia super dilectum innititur. Desertum tentatio quædam est, & in deserto nonnisi spinæ prodeunt, sentes crescunt, dumeta sylvescunt, serpentes tortuosis spiris itineri insidiantur; sed è deserto sponsa subsilit, cùm neque in cella vinaria, neque in horto, neque in colle thuris subsilire didicerit, è deserto ascendit: tentatio igitur deserti utilior sanè est, cùm non solùm ascensum doceat, sed & delicias pariat, ac exhibeat: quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?

Quæ in horto delicias nesciebat, quæ in cubiculo nonnisi myrrham distillaverat; aromatibus affluere cœpit in deserto; & quidem vix myrrhæ guttas enumerat in cubili, cùm in deserto redundantem experiatur gratiarum eluvionem, *ascendit de deserto delicijs affluens:* vel cœpit deliciis in deserto abundare, quarum inopia in lecto, & in horto laboraverat; quia in deserto cœpit ascensum tentare ad sponsum, quem inter aromata non attentaverat; scilicet etiam in deserto deliciis affluimus, si in deserto ad Deum ascendimus: si absit ascensus, desunt vel in horto deliciæ; ibi incipimus vero suffundi gaudio, verisque diffluere deliciis, ubi ad eum ascendere incipimus; nisi ascendamus, non delicias, sed sentes, & tribulos aucupamur. Sponsa in lectulo floribus consperſa, quia non ascendit, vel floribus stipata, deliciis se novit destitutam: secus in deserto, quia ascendit, & dilecto innititur, deliciis affluit, & vero suffunditur intus gaudio; adeo ferax gaudiorum est ascensus ad Deum, ut vel in deserto delicias ferat, lætitias inferat, & dilecto fruatur; sine ascensu vel lectus floridus sponsæ dilecto destituitur, & sterilescunt in horto deliciæ, evanescunt in floribus gaudia, & animæ deliciæ; solus est dilectus, cui si quis innitatur deliciis statim affluit, quia carere deliciis non potest anima, quæ dilectum tenet. Ascendamus igitur de deserto, ut soli Deo innitamur; ascendamus, sed non ut hericius spinis obsiti, sed deliciis affluentes.

E deserto ad Deum ascensus veris cumulatur gaudiis, affluitque deliciis, neque deserti senticeta, exesæ rupes, neglecta tellus, succrescentes spinæ, & reliqua, quæ horrorem potiùs incutiunt, obstant, quò minùs ascendens è deserto deliciis affluat, & vero diffluat gaudio, quia quæ in mundo risum simulant, luctum obtegunt, & lachrymas eliciunt, & quæ horrorem videntur incutere dumetis hispida, sentibus, & cautibus aspera, intus vel rosas excolunt, vel melleas distillant dulcedines: larvata sunt, quæ mundus scenico suo prodit in spectaculo, quibus si larvam detrahas hispida sunt, quæ lenia, & florida apparent: dulcia verò quæ extimo in cortice prægustata acerbitatem videntur præseferre. Appositè Seneca: *Illud ante omnia memento demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re sit: scies nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem. Quod videmus accidere pueris, hoc nobis quoque majusculis pueris evenit. Illi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident expavescunt. Non hominibus tantùm, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua.* 71.

Epist. 24.

Asperitatum rigorem exercitia videntur virtutũ præseferre, præsertim si abjectionem spectemus humilitatis continentiæ coërcitionem, pœnitentiæ squalorem, jejuniorum maciem, adversitatum molestias, tribulationum angores, obmutescentis patientiæ tolerantiam; verùm quæ exteriùs duntaxat ita appareat personatæ æ ... sunt, larvatæ 72.

asperi-

asperitates, ac inania puerorum terriculamenta, quibus si larvam detrahas; quæ squalore videbantur obsita, ac in luctu jacere, rident in flore, florent in rosa, si ijsdem animi nostri subtrahamus tumultum, & mente pacata ea toleremus, quæ fortunâ novercante, ad virtutum nostrarum immittuntur exercitia; ex hac virtutum cultura, quæ semina putabantur luctoum in plenam florum exurgunt lætitiam: ex hoc enim deserto, seu pœnitentiæ squalore, jejuniorum macie, patientiæ tolerantia ascendimus ad Deum, delicijs intus affluentes, veróque lætantes gaudio: non ex mundi volnptatibus, non ex fallacibus deliciarum nexnijs ascendimus ad Deum, quia quæ mundus spondet gaudia vera oon sunt, sed mentita, & fabulosa Psalm. 118. v. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*, quòd si quæras quænam sint hæ fabulæ, quas iniqui decantabant Regio Vati, respondet Augustinus, fucata esse gaudia, mentitas delectationes, divinæ legi adversantes: eleganter Augustinus *Narraverunt mihi iniqui delectationes suas, sed non ut lex tua*, & jure merito iniquorum delectationes fabulis accensentur, quia fictæ sunt ad gratiam, compositæ ad fallendum, & larvatæ, quia specie delectatioois mentiuntur; spondent gaudia, & lachrymas eliciunt; risum fingunt, & luctum apparant; dulcedinem ostentant, & venenum propinant: nec veræ sunt delectationes, quia fallaces, fugaces, volaticæ, phantasticæ, larvatæ, acemencitæ; proinde minimè divinæ sunt legi consonæ; non enim ita est lex Dei, seu virtutis disciplina, quæ in extimo cortice aspera, austera, & tetrica est, sed intus in nucleo, ac in iotima medulla hilaris, pacata, placida, & festiva; ideóque exercitijs addictus virtutum ascendit cum sponsa è deserto delicijs affluens; licèt enim desertum incolat refertum dumetis, sentibus, asperitatibus, quas exercitia videntur præseferre virtutum; quia tamen ascendunt, delicijs intus affluunt & vero exundant gaudio, non enim in hisce inferioribus vera gaudia florent, sed in solo Deo.

Serm. 4. de verb. Apost.

73. Hinc *Magi videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde*, quia cœperunt è deserto hujus mundi ascendere ad Deum, quem anhelo quæsierunt desiderio: *gavisi tunc sunt gaudio magno valde*, quia ut explicat Glossa: *Gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium:* lætitia, quæ à Deo non est, nec de Deo capitur, tristitia potiùs est: Deus enim solus defœcatæ lætitiæ fons est limpidissimus, & inexhaustus, à quo rivuli fluunt veri gaudij, & quæ aspera, austera, & tetrica apparent in virtutum exercitijs, sapiunt, ac delectant, adeo ut ascendenti ad Deum, vel ipsa corporis tormenta, mentis sint blandimenta, & ærumnæ in veras socrescant voluptates, & quidem beatas, & æternùm duraturas, unde Christus ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ingens sanè prœmium Sanctorum hic promittitur

Matth. 2.

calamitatibus, & virtutum studio addictis plenam felicitatem, pauperibus enim pollicetur Deus Regnum cœlorum: spondet mitibus terræ possessiooem, logeotibus consolationem, quà non solùm lachrymæ siccantur, sed, & flores veræ lætitiæ irrigantur. Imò uberior est, & locupletior, quæ lugentibus retributio datur, ut Glossat D. Thomas inquiens: *Major est retributio lugentis, quàm pauperis, & mitis, plus enim est gaudere in Regno, quàm habere, & possidere: multa enim cum dolore possidemus.* *Matth. 5.*

Inopia laborantibus spondet Christus Regna cœlorum, & mitibus terrarum duntaxat possessionem; sed lugentibus, & ærumnosis gaudium promittit in ipsa beatitudinis possessione: subtiliter & acutè possessio Regni cœlestis à gaudio distinguitur de Deo possesso: & in paupertatis prœmium visio Dei intuitiva assignatur, quæ possessio est ipsius Dei, ut qui à possessione omnium mundialium bonorum se abdicârunt pro Deo, mereneotur ditescere possessione summi boni, seu præmium accipere beatæ cognitionis, Deique possessionis; quæ per divinæ essentiæ habetur intuitiooem: quamobrem qui renuerunt coosolari, ac affluere terrenis deliciis, in cœlo munerantur summa voluptate, seu excellentissimo gaudio beatæ fruitionis, quæ illi correspondet in prœmium. Qui igitur per virtutum exercitia in hujus mundi deserto squalent pœnitentes, contabescunt jejunantes, tolerant patieotes, abstinent continentes, ascendunt ad Deum, & negotiantur jejuniorum macie, pœnitentiæ squalore, humilitatis abjectione, paupertatis mendicitate, asperitatum rigore, in cœlis divinæ fruitionis gaudia noudum interitura: hinc aiebat S. Franciscus: *Tanta est gloria, quæ me expectat, quòd omnis pœna me delectat.* 74.

Ut igitur veris valeamus gaudijs perfrui, opus est ab hisce volaticis, fluxis, ac personatis voluptatibus vanum duntaxat, & larvatum spoodentibos gaudium oculos, æquè ac cor amoveamus: omnis quippe voluptas, omne gaudium, quod è divino foote noo exilit, & extra Deum quæritur variis solicitudinibus, curis, ac molestiis cor occupat, & à vero retardat gaudio; quia à vera retrahit beatitate: appositè Seneca de vita beata: *stultos ostendam voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fatearis necesse est malos esse. Aspice Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris (ut isti vocant) bona acquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia:* Nulla supererant defluentis temporis fugacia momeota Apicio, quò ad cœlum oculos levaret, quia in conquirendis exoticis animalibus per siogulos, dissitósque terrarum tractus erat occupatus, totúsque huic deditus solicitudini, adeò ut denegaretur eidem etiã de acquisitis gaudere, & de possessis lætari; quia nimirum ejus animus implacabili 75.

Cap. 11.

bili sitiebat hidrope, & inflammatâ æstuabat ambitione; unde pergit Seneca. *Vide hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes; mollibus, lenibúsque fomentis totum lacessitur eorum corpus; & ne nares interim cessent, odoribus varijs inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur. Hoc esse in voluptatibus dices: nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.*

76. Non enim cœlestia valent meditari, qui nonnisi terrenis, volaticis, vanísque voluptatibus inhiant, & quorum animum rerum futilium oblectamenta distringunt; & quorum sensus spectacula detinent, oculos fucatæ mulieris vana occupat species, aures vanissimæ harmoniæ concentus demulcet: cùm terrena hæc nos totos occupant, animum procul dubio perturbant, mentem molestissimis implent cogitationibus, & anxietatibus, cor premunt, consequenter à vero gaudio prolixissimo distrahunt itinere: nisi nitamur hisce tricis expediri, nunquam è deserto ascendimus, ut veris affluamus deliciis, veróque perfruamur gaudio.

§. VIII.

Quamdiu mundi voluptatibus, divitiis, ac commodis inhiamus; tamdiu verâ destituimur lætitiâ; quæ nonnisi in Deo summo Bono efflorescit.

77. TUnc Bethsamitæ viderunt Arcam, cùm suos à demetendis messibus oculos amoverunt: *Levantes oculos suos viderunt Arcam*, quia quamdiu oculos ad terrena direxêre, Arcam minimè viderunt, neque ejus poruerunt aspectu gaudere; & quamdiu destituti referuntur arcæ intuitu, tamdiu vera non dicuntur lætitia suffusi; & tunc tantùm cœperunt oblectari, veráque interna gaudere lætitiâ, cùm primùm oculos elevârunt, quos in Arcam dirigerent: *Et gavisi sunt, cùm vidissent:* non suntantea gavisi, quia non viderunt, & tunc tantùm cœperunt gaudere, cùm oculos levantes Arcam inspexêre, seu cum oculos à terrenis messibus cœperunt avertere: ut enim notat Hugo expendens prætactum textum, *qui deprimunt oculos in terrenis non possunt videre Arcam*, nec vero suffundi gaudio: Arca non conspicitur oculis ad terrena pressis, sed elevatis; nisi ascendamus cum sponsa ex hoc deserto, deliciis non diffluimus, nec vero perfundimur gaudio: & quia plerumque homines humanis demetendis commodis insistunt, oculósque ab hisce metendis messibus non amovent; pauci sunt, qui vero lætentur gaudio; quia rari qui oculos à terrenis commodis avertant, & sursum elevent Dei Arcam visuri. Etiam Moyses, quò Dei vocem audiret, & divina ediscerct mysteria jubetur pedes nudare, imò & calceamenta projicere, *solve calceamentum de pedibus tuis*: sed cur jubetur Moyses Numinis auditurus vocem calceamenta solvere, & pedes nudare? cùm calceamenta non sint auribus impedimento, quò minùs æquè promptè calceatus, & excalceatus exteras audiat voces? Quid igitur obfuisset Moysi si calceatus accessisset, rubúmque crepitantibus coronatum flammis, ac innoxiè ardentem curiosus inspexisset? Plurimum obfuissent calceamenta, plurimúmque iniecissent visioni illi obstaculi, ait Theodoretus, quia calceamenta, quibus pedes vestiuntur humanæ sunt sollicitudinis argumenta, consequenter etiam visionis, seu contemplationis obstaculum, quia Moyses propiùs accessurus ad visionem Rubi, qui cum ureretur, non combureretur, debuit antea calceamenta deponere, & à terrenis expediri sollicitudinibus: pulchrè Theodoretus. *Quare jussus est Moyses calceamentum solvere? dicunt nonnulli, ut sollicitudines sæculares abjiceret*, quia sollicitudinibus curisque sæcularibus pressi mentem non elevant, sed in humum defigunt, ubi sua quærunt commoda, animus enim terrenis præpeditus occupationibus, se sursum erigere nescit, neque Deo appropinquare, ejúsque dignari visione, nisi priùs calceamenta, seu terrenas sollicitudines à se abjiciat: verum igitur gaudium, quod ex Dei visione, eique adhæsione veluti è suo dimanat fonte non dant terræ commoda, cùm animum potiùs prohibeant, præpediántque, ne ex hoc deserto cùm sponsa ascendat, ac veris affluat deliciis.

Fallimur dum credimus, ridente fortuna, divitiarum exundantiâ, deliciarum blandimentis, voluptatum lenociniis, ac terrenarum rerum copiâ arbitramur, verum posse gaudium enutriri, ac florere: non est verum gaudium, quod terrenis inhiantes deliciis in carnalibus satagunt voluptatibus aucupari, larvatum est gaudium, & quamvis foris rideat, intus tamen luget, & mentito nomine fallit, quos allicit; scitè Seneca: *Vulgò sic loquimur, ut dicamus magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptijs, aut ex partu uxoris percepisse, quæ adeò non sunt gaudia, ut sæpe initia sint futuræ tristitiæ: gaudio autem junctum est non desinere, nec in contraria verti:* Fugax est mundi lætitia suum nequit apud possessorem manere; volatile est mundi gaudium, ideóque nomen duntaxat gaudij præsefert, quo mundi voluptarios decipit: fugitiva sunt omnia hujus vitæ gaudia in volatu, & fuga consistunt, quorum symbolum rosa est, non ob brevitatem tantùm, qua efflorescit, sed quia spinis etiam circumsepitur, quibus carpentes manus fetiat; non enim mundi gaudia suis sunt vacua cutis, ac sollicitudinibus: non essent mundana gaudia, si diuturna forent, nequeunt durare, quia mundi sunt gaudia; vix sæculi lætitia efflorescit, & statim languet, & arescit; diu quæritur, diúque expectatur, 78.

sed

1. Reg. 6.6.

Lib. 1. Reg. cap 6.

Exod. 3. v. 5.

Quæst. 3. in Exod.

Epist. 59.

sed diu apud illum non stat, qui diuhumanam lætitiam expectaverat. *Lætitia sæculi*, ait S. Augustinus: *cum magna expectatione speratur, ut veniat; & non potest teneri, cum venerit.* Tract. 7. in Joan.

79. Teneri nequit mundana lætitia, cujus intenso amore tenentur sæculi cultores; suos statim sectatores dimittit, & si modico eos detinet tempore, id agit, ut quos tenet, poniat; quos demulcet, exterminet: parum erat in adventu lætitiæ homines torqueri; torquentur etiam cum gaudia discedunt: quæ caducis nituntur; stabile non habent fundamentum, quo innitantur, debili insident arena; & flatu venti acriùs adspirantis, facilè corruunt, vel avolant: hinc non abs re mundi risum Petronius Lunæ pariavit aspectui, inquiens: *Delectata illa risit tam blandum, ut videretur sibi plenum os extra orbem Luna proferre:* cohæret siquidem cum instabili Lunæ aspectu risus mundanorum, qui cùm instabilis sit, & varius, nequit subsistere, nisi in sua varietate, & fluxibilitate: etenim mundi gaudium, nonnisi ex cisternis dissipatis terrenarum voluptatum saliunt: & quia cisternæ sunt dissipatæ, quæ continere aquas nequeunt, citiùs arescunt, & deficiunt, quæ voluptuarij ex ijsdem gaudia ebibunt: nil in mundo stabile, cum ejus figura Euro citiùs fugiat, ac prætereat: instabilia sunt, ac fugacia, quæ mundus gaudia exhibet, quia fluxis innixa, nequeunt, & ipsa non fluere, ac desinere: scitè Joannes Eusebius lib. 1. de arte voluntatis. *Citò nostrum exsiccatur gaudium, quod è nostra nutrice nolumus, malumus de scopulis exprimere, malumus allumbere exterinsecus.* Satagimus ex mundi scopulis naufragio ingerendo idoneis gaudium exprimere, & nonnisi vanam inde haurimus auram. (In satyr. — Cap. 13.)

80. Verum gaudium à solo Deo est, qui fons est totius lætitiæ, quique nunquam exarescit: Deum adeamus, si veris cupimus delicijs affluere, veráque perfundi lætitia, ad veri gaudij perennem fontem properemus, ad Deum feramur, qui eò pleniùs veræ lætitiæ ad ipsum accedentibus impertit dulcedinem, quò ardentiùs amatur à suis: si igitur amamus verum gaudium, veri amemus authorem gaudij, ut monet D. Augustinus de salutaribus documentis, inquiens: *Vis in perpetuo gaudio esse? Deum reverere, & ama; nulla æquari illis gaudia possunt, quæ divinorum amor largitur, pura sunt, nullóque mœrore permixta, timore nullo: ama, gaudebis; quamdiu amor, tamdiu gaudium, inenodabili nexu hæc conjuncta sunt.* Sinus divini amoris centrum est veri gaudij, & hortus ille virtutum excultus exercitio, ubi vera lætitia suas agit radices, germinat, adolescit, & floret, & tam blanda est hæc lætitia, ut illius comparatione injucunda sit quævis alia jucunditas; nec propterea vel nomen ipsum mereatur jucunditatis, sitque merus mœror, mera tristitia, cujus risus foris frontem tantum remittit, non intus pectus implet; quia extra labiorum limites penetrat. (Cap. 11.)

Aliud igitur quærendum nobis est gaudium, ut veriùs lætemur, & cor nostrum vera perfundatur lætitia, est autem hoc gaudium, quæ mentem exhilarat, non ventrem esculentis implet: ex honesto nascitur amore, & ex virtutum germinat culturâ in solius innocentiæ solo, ubi adolescit, & floret. Súntque comites hujus gaudij desiderium sanctum, & spes cœlestis gloriæ, neque suas radices agit in hisce terræ bonis, fluxis, ac interitui obnoxijs, quæ nos speciosa, sed fallaci voluptate delectare potius putantur, quàm re ipsa delectent: non enim divitiæ, honores, dignitates, libido, gula, potentia, & alia sexcenta, quæ in mundo pluris fiunt ab amatoribus mundi, paria sunt veræ lætitiæ ingenerandæ: siquidem de sua duntaxat dulcescunt absentia, dum gratè sperantur, & jucundè ambiuntur, cùm verò possidentur nonnisi curas, solicitudines, & labores invehunt, quibus miserè suos distorquent possessores, plúsque propterea obsunt, quàm prosint; cúmque lubrica sint, ac incerta; dulces earum spes insuavi puniunt fastidio: neque unquam bene tenentur, cum possessores suos sagacissimè fugiant. 81.

Nostra desideria, nisi in Deum dirigantur, nunquam veram assequuntur lætitiam, neque Angeli ex alio fonte suum hauriunt gaudium; hinc D. Petrus: *Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere:* quia nimirum Angeli mirè delectantur in Deo, à quo tantùm totum suum hauriunt, quo lætantur gaudium, eo enim ipso, quòd Deum prospiciunt, eum possident, & desiderium in gaudium vertitur; cùm non feratur desiderium in ea, quæ possidentur, sed in res absentes, quæ possideri cupiuntur: desiderium enim rei desideratæ absentiam respicit, quæ si desit, jam desiderium ampliùs non est; sed si possideatur, de illa possessor gaudet, sine ullo angore. Mirum igitur videri debet, beatam visionem, quæ essentialiter, ut loquuntur Theologi, est possessio Dei, nomine nuncupari desiderij, *in quem desiderant Angeli prospicere:* sed voluit D. Petrus homines erudire, quàm sit delectabilis beata Dei possessio, dum eam desiderij nomenclatione voluit insignitam; ut nimirum ejus excellentiam esse supra cæteras rerum humanarum delectationes, ac gaudia, Ethnicos edoceret: etenim apud ipsos ita viluit rei optatæ possessio, ut fastidium, curas, & molestias ingereret, & ejus delectabilitas tota erat in spe, ac in solo dulcescebat desiderio: ut igitur D. Petrus summam beatitatis delectationem Ethnicis explicaret: eam non possessionem, sed desiderium maluit appellare, quia terrenorum possessioni gaudiorum, ac delectationum 82. (Petri 1.)

nonnisi mœrores, curæ, ac tristitiæ adoe-ctebantur, cùm eaundem desideria gaudio exundarent, & lætitiâ, ac jucunditate: sic explicat Galfridus desiderium, quo cœlesti beatitate donati desiderant, & lætantur: ait ipse de Beatis in cælesti patria: *Semper illic desiderant, & lætantur, ubi nulla sit anxietas in desiderio propter affluentiam gaudij, & propter juge desiderium nullum in delectatione fastidium:* considerat summam delectationem, quæ est in beata Dei fruitione, & loquens humano more, ut ab ea fastidium omne ablegec, desiderium eam vocat, sed absque ulla anxietatis mixtura, quò scilicet gaudij affluentiam, & summam delectationis exponat exuberantiam; eò quia anxietas, quæ desiderio rerum adnectitur humanarum, ab illo prorsus exulat desiderio, quo beati desiderant, & lætantur; quia beata possessio omnem excludit desiderij anxietatem, & ex desiderio gratiam tantùm participat sine fastidio placendi: quàm recondita, ac eminens est hæc desiderij, & gaudij mixtura absque anxietate, ac solicitudine! quia enim desiderium beatæ nectitur visioni, seu Dei possessioni, summam includit lætitiam, & omnem excludit anxietatem, sicque propterea gaudium, quod à desiderio mutuat gratiam placendi sine fastido: licèt desiderium futuræ felicitatis homines in terris delectet, ita tamen gratiam includit placendi, ut anxietatem non excludat desiderij; in cœlesti autem patria, quia gaudium est summum ex desiderio, nonnisi gratiam mutuat placendi ab omni immunem anxietate: quocquot veris cupiunt gaudijs perfundi, non in terræ commoda, divitias, & voluptates sua debent desideria dirigere, cum rerum terrenarum possessio mœrores ingerat, ac solicitudines; & gratiam placendi, quæ desiderio inerat, extinguat; sed in solum Deum, cujus possessio gratiam tantùm placendi retinet ex desiderio, & omnem excludit solicitudinem, & laborem: qui veris igitur cupit gaudijs perfundi, non debet io hæc mundi ludicra effundi, sed in solum Deum diffundi; decipit enim mundus pictis, fucatisque suis gaudijs: scitè S. Chrysostomus ad vera gaudia nos invitans, ait de

Serm. 8. festo Paschali. *Si vultis vera solemnitate uti, si veris gaudijs frui, gaudete, ut Apostolus ait, sed gaudete in Domino semper, sicut enim quædam, ut scitis, sunt turpia gaudia, ita qui in Domino vult gaudere flagitiosa oportet gaudia non requirat.*

83. Qui veris rapitur gaudijs, ab illis se surripit, quæ turpia sunt, & mundi voluptates spondent, non enim simul possunt hæc gaudia cohærere, nec simul misceri. Quæramus igitur verum gaudium, quod hujus vitæ pericula non inficiunt, nec in quod invidia livet, nec gladius sævir, nec furor flammescit, nec curæ torquent, nec morbi corrumpunt. Amemus illum, qui non in labijs suum collocat domicilium, sed in corde. Mille discriminibus obnoxios viros alloquebatur D. Paulus, cùm eos ad lætitiam hortaretur: *semper gaudete*: volebat enim primævos illos fideles hostes terreorum voluptatum, non sectatores, sed persecutores mondanarum illecebrarum, ad quos propterea sua dirigebat verba, & quibus mundus bellum indixerat; & eos à terrena avocat lætitia, & ad cœleste vocat gaudium, ex cujus desiderio aliquid etiam inter mundi hujus ærumnas experirentur solatij: sicut enim spinis circumseptæ florent rosæ; ita si desideria nostra in Deum dirigantur, etiam inter tribulos, & ærumnas hujus deserti præsentis vitæ possumus solatia experiri veri gaudij, quod à fonte bonorum omnium in nos redundat, non enim miseriæ, quibus hic affligimur, ac premimur, in nos deprimunt, ut evehi in Deum non possimus, & in eo gaudere.

Verum gaudium non est flos ita delicatus, ut inter vepreta germinare detrectet, & adolescere; imò tutiùs tunc floret spinarum munitus sepimento: semper enim gaudere possumus, sive nos procellæ fluctus exagitent, sive ventorum impetus diverberent, miseriæ premant, ærumnæ affligant, dolores torqueant, infirmitates absumant, calamitates opprimant, quia cum constans sit, ac firmum hujus gaudij objectum, in quod fertur, jugi possumus lætitiâ perfundi, quapropter nos hortatur Apostolus, ut semper gaudeamus, *semper gaudete*, quia hujusmodi lætitia ex mente S. Antonij telum est potentissimum contra dœmonem, & efficacissimum ad eum, vel fugandum, vel expugnandum; cum enim sit lætitiæ incapax, hanc vel maximè lætitiam odit; & eò acriùs, què novit nobis esse utiliorem, terretur tartareus hostis, cùm nos lætos videt in Dei obsequio; neque abludit à Philisthæis, qui tunc tristari, & terreri cœperunt, cum per Hebræorum castra gaudiorum exeurrisse exultationem auribus percepêre; Hinc Hugo Ca- *In Psal. 11.* rensis. *Lætitia spiritualis est armatura contra Diabolum, & multum roborat hominem, & confortat: hanc lætitiam multùm timent dæmones; unde & Philisthæi ingemuerunt, dicentes, væ nobis, non enim fuit exultatio tanta ab heri nudiustertius; væ nobis.* 84.

Cacodœmones sibi timent, terrentúrque, cùm nos hac perfusos cognoscunt lætitiâ, ex qua conjiciunt pro nobis Deum stare, ex quo ipsi desperant de victoriæ triumpho: siquidem in Dei obsequio plus valet laborantis lætitia, quàm pugnantis peritia; plura animo forti agit, qui quamvis viribus imbecillis hac afficitur lætitiâ, quàm qui corporeo est præpotens robore: imò id quoque boni secum adfert spirituale gaudium, quod operantis bona grandiora facit, Deóque eij sistuntur charrora; quia gaudium, quod labores efficit leniores, & gravamina leviora, 85.

leviora, laborum fructibus pondus adjicit: hoc gaudio perfusa Elisabeth senij gravamen
Luc. cap. 1. solatio ei fuit. *Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*; onus ventris levamen fuit mentis; Elisabeth Præcursoris fœta, quia hoc affecta gaudio mente solabatur, fructum ex ventre perceptura; & Præcursor adhuc in ventre, gaudium fuit parenti, & plebi, *& erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*: quia futurus erat Joannes coram Domino Magnus, summarúmque in deserto cultor virtutum; & vox prænuntians mundi Redemptorem: nulla à filijs expectanda est lætitia, nisi quæ de eorundem oritur exculta virtute: ait Angelus matri Joannis: *Et erit gaudium tibi, & exultatio*: hoc est, non tantùm gaudio perfunditur Elisabeth, eò quia in senectute sit filium paritura; verùm etiam erit illi gaudium, & exultatio, quia gaudium de innocentia, integritate, summísque virtutibus filij nascituri, novam pariet exultationem, uberioremque lætitiam.

36. Quæ enim de filiorum vanitate, & pompa futilis percipitur lætitia, non exultationem gignit, sed luctu, lachrymísque concluditur. Vapor est ad modicum pariens gaudia, cùm scilicet sursum solari radio trahitur; sed mox in nubem spissatus, caligines offundit tristitiæ, imbres effundit lachrymarum: vera lætitia est, quæ suas in corde radices agit, & virtutum germinat culturâ, adolescit exercitio, & floret jucunditate: ideo Joannes gaudium matri, & populo attulit, quia ex cultura virtutum fructus intulit pœnitentiæ: *Erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt, erit enim magnus coram Domino: & vinum, & siceram non bibet*: neque conjunctionem illam & otiosam censeas: causam siquidem reddit gaudij, & futuræ magnitudinis, quasi dicat: erit tibi gaudium, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt, quia vinum, & siceram non bibet, seu quia vino abstinebit, & sicera: quamvis sit homo plantæ similis, est tamen arbor inversa, quia cæterarum arborum in extremo sunt radices, quas in terræ agunt viscera; hujus verò arboris, seu hominis radices virent in capite; aliæ arbores rivulis, & fluminibus irrigatæ adolescunt vegetiores, crescúntque altiores: arbor verò, quæ in Joanne Baptista veri gaudij fructus parturit, nec vino irrigatur, nec sicera humectatur. Cùm virgulta humore potissimum adolescant, vir virtutibus excultus coram Deo vegetus est, cùm jejunat; germinat, cùm arescit, crescitque, quando est abstemius. Quòd si quæras, cur Joannes à mero, & sicera abstinuerit, non alia hujus fuit causa abstinentiæ, nisi quia plenus erat Spiritu sancto: inundante enim spiritu, nec vino, nec siceræ locus supererat, imò non ideò solum abhorruit à vino, quia divino redundaverit spiritu; verùm etiam maximè redundavit in ipso spiritus Domini ex eo, quia non erat vinum potaturus, quia ubi excoluntur virtutes pœnitentiæ, & abstinentiæ, ibi verum germinat, adolescit, & floret gaudium, illud nimirum, quod Deum sapit, quódque cultura virtutum parturit.

Qui Deo addictus virtutes excolit, gaudeat in Domino, cui alacriùs, ardentiúsque valeat famulari, ut per dilatationem jucundissimæ charitatis promptiùs, & expeditiùs ejus mandatorum viam currat, eíque sacrificium laudis, fragrantiámque votorum suorum puriùs valeat offerre. David, quia ad vera gaudia senserat se vocari, mentem suam à terrenis statim avocavit gaudijs, & Deum alloquens ajebat: *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi*. is à terrenis omnibus animam avocat, quem Deus ad se vocat, & elevatam superâ postulat lætitiâ perfundi, quia in rebus hisce terrenis nil est, quod veræ ingerendæ lætitiæ par sit; solus enim Deus est animæ verum gaudium, & aliundè quàm ab ipso hauriri vera lætitia non potest: hine Augustinus expendens præfata verba Davidis, ait: *Jucunda animam, quia ad te levavi eam, in terra enim erat, & in terra amaritudinem sentiebat: levavi eam ad te, jucunda eam apud te, solus enim tu es jucunditas, amaritudine plenus est mundus*. 37. In Psal.

DIS-

DISSERTATIO XXIV.

Nullum imodicâ Tristitiâ lethalius ulcus, hôc enim saucium cor mœrens omnem ad se congeriem accersit malorum: quia mœror cor extorquet, animam inficit, mentem fluctuantibus tetris cogitationibus exagitat, ossa exiccat, virtutum obest exercitio, & hostis tartarei prodest insidijs.

§. I.

Donantur explicatu proprietates, causæ, species, & effectus tristitiæ, ac mœroris.

1. Extrema gaudij luctus occupat; iis expensis, quæ ad affectum gaudij, seu delectationis visa sunt pertinuisse; superest dicendum de tristitia; quam oculis spectandam exhibet Mulier sedens, manu & cubito nixa, quem genu fulcit, neglecto, fusóque capillitio; fronte rugarum sulcis exasperata; oculis fletu turgidis, lachrymarum defluxu madidis; cujus toto ex ore color evanuit, & infuso pallore, gelúque irrepente per corporis membra consistit sanguis, rigescunt artus, angitur pectus, deficiunt sensus, cadunt vires, defluit animus præ nimia torquentis doloris acerbitate; & ipsa veluti exanimis adstantes repudiat consolatores, oblata respuit fercula; claudit immissis digitis aures; ne ullius audiat hortamenta, sed propriam duntaxat deploret conditionem. Hæc est illa angentis animi tristitia, quæ novercantis fortunæ filia, amissas opes, sublatos morte consanguineos, absumptas incendijs domos, contritas grandine segetes, disruptas, vel ad scopulos collisas naufragio naves, & alia id genus infortunia luget, deplorátque.

2. Affectus verò doloris, quem orator ex sacro suggesto excitat; & in quo ciendo videtur eloquentiæ industria triumphare, alterius est generis. Elicit enim orator ab oculis lachrymas, quibus labes eluantur conscientiæ; cordis deleantur fœditates, animæ purgentur maculæ: hisce abstergendis cordibus nullus fons aptior illo lachrymarum, quas elicere grandis est, ac felicis eloquentiæ, divinique auxilij; sine quo corruunt eloquentiæ vires, deficit Oratoris industria, & vanus est omnis labor. Duo sunt lachrymarum fontes, unus è cœlo scaturiens, latices habens pellucidos eluendis scelerum maculis aptos; hocce è fonte fluunt lachrymæ, puræ, cœlestes, gemmeæ; sive ob peccatorum detestationem, sive ob divini Numinis amorem dimanent: súntque hæ lachrymæ cœli margaritæ, adamantina stillicidia; roscidus Empyrei imber, pretiosæ è cœlesti thesauro pluviæ, duritiei cordis emolliendæ, ac sterilitatis amovendæ peridoneæ. Has qui excitare lachrymas conantur sacri Oratores, nisi divinis nitantur præsidijs, faciliùs aquas è silice, pluvias è sicco pulvere, imbres ab igne exigerent; non ab alio fonte hi rivuli scaturiunt, quàm è perenni divinæ gratiæ.

Aliæ sunt lachrymæ naturales, quas causæ naturales ab hominum eliciunt oculis, súntque humores ex calefactione humidi, ac tenelli cerebri distillantes per oculos; præludunt hisce lachrymis mala illa imminentia, quæ mentem turbant, pectus coarctant, cor premunt, cerebrum calefaciunt, animúmque torquent, & omnes illæ ingruentium malorum procellæ, casúsque quotidiani longam mœroris telam texentes; has enim ut allevaret natura graves tristitias, lachrymas dedit, quibus dolor mitescit, & quasi per oculos evaporat. Extant, & fictæ lachrymæ, quas tanquam ex vero affectu hypocritæ nonnunquam ciere consueverunt; cujusmodi fuerunt lachrymæ Polydori in Hecuba apud Euripidem; & Galliæ lugentis necem patris, cùm aliquis aderat, quam Martialis deridet. 3. Lib. 1. epigram. 34.

Amissum non flet, cum sola est Gellia, Patrem.
Si quis adest, jussa prosiliunt lachrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia quærit,
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Eliciuntur nonnunquam lachrymæ non ex vi doloris, sed amoris, ut cecinit ille

Expressâ tacitum lachrymâ testamur amorem,
Gignit amor lachrymas, quis putet? ignis aquas.

4 Cæterum dolor propriè est actus appetitûs, tametsi oriatur ex læsione corporis, ut ex vulnere inflicto; non enim dolor, seu tristitia, de qua loquimur, est in corporis parte læsa, sed inest soli appetitui formaliter, & subjectivè; quamvis pro objecto habeat malum, seu læsionem hujus, vel illius partis corporis, adeò ut, cùm quis dicit, doleo dentibus, stomacho, capite, sit tantùm locutio causalis, quatenus læsio capitis, dentium, & aliorum membrorum est causa objectiva doloris, qui inest appetitui insidenti cordi; vulgò tamen ipsa læsio corporis dicitur dolor sumpto effectu pro causa. Progressus autem animæ ad dolorem quibusdam veluti gradibus perficitur. Primò inducitur aliqua læsio in corpus; háncque læsionem sensus tactûs percipit, à quo per quandam sympathiam excitatur internus sensus renuntians appetitui sensitivo incommodum, quod ipse pereeperat à sensu externo: appetitus verò pro insita sibi aversione à malo, avertitur a tali læsione, seu incommodo; & ad hanc aversionem, si declinata non fuerit mali immissio, sequitur dolor, seu tristitia de malo præsenti. Primaria igitur radix doloris est objectum disconveniens, seu læsio corporis; quam anima ob inditam sibi à natura sympathiam ad ipsum refugit, ac aversatur, tanquam malum totius suppositi; ad quod pertinet.

5. Solet dolor multipliciter partiri. Primò in eum, qui sequitur apprehensionem sensitivam, communem etiam brutis; & eum, qui sequitur apprehensionem propriam potentiæ cogitativæ, qui propterea proprius est hominis, & proprio nomine vocatur tristitia. Secundò dividitur in interiorem; quia tametsi omnis dolor insit appetitui interiori, & sequatur etiam apprehensionem internæ potentiæ sensitivæ; nihilominus alia quadam ratione dividitur dolor in interiorem, & exteriorem: adeò ut ille dicatur interior; qui sequitur ad solam apprehensionem interiorem alicujus mali adversantis appetitui: exterior verò ille dicitur, qui sequitur ad apprehensionem sensitivam exteriorem alicujus mali lædentis nos. Tertiò dividitur dolor in eum, qui est proprius hominis, & propriè dicitur tristitia, quæ à D. Thoma dividitur in misericordiam, invidiam, anxietatem, & acediam. Potest enim tristitia esse de malo proprio, vel alieno, aut etiam de alieno bono: de bono proprio, ut sic, nemo tristatur. Tristitia de alieno malo vocatur misericordia, quâ quis apprehendit malum alienum, ut proprium: tristitia de proprio malo præsenti, si communis sit, retinet nomen tristitiæ: si affligit animum, dicitur anxietas, quæ si tanta sit, ut etiam corpori injiciat torporem, impediátque membrorum usum, vocatur acedia; tametsi hoc nomine pressiùs significetur peculiare vitium charitati oppositum. 1. 2 Quæst. 35, cap. 6.

6. Quia verò tristitia non est de bono sub ratione boni, cùm sit actus aversivus, de cujus ratione est, se avertere ab objecto: ideo bonum alterius, si apprehendatur sub aliqua ratione mali proprij adfert tristitiam, quæ invidia dicitur, quâ omnium pectora torquentur, eò quia quisque appetit cæteros antecellere: unde S. Augustinus: *Invidet par pari, quia illi coæquatur: invidet superior inferiori, ne illi non coæquetur: invidet superior inferiori, ne illi coæquetur.* Species tristitiæ censetur pœnitentia, quæ est dolor, ac tristitia de malo præterito. Tristitia de bono temporali alieno, quatenus judicamus alterum esse illo indignum, ab Aristotele vocatur Nemesis. Zelus itidem ad speciem revocatur tristitiæ. Est siquidem tristitia de bono alieno, quatenus illo caremus, ut innuit D. Thomas, adeò ut Nemesis, & zelus sint affectus affines invidiæ, à qua non multo differunt dilcrimine. 3 Rhetor. cap. 9. 2. 2 Quæst. 36. art. 2.

7. Causæ tristitiæ plures sunt, aliæ à natura insitæ; aliæ adscititiæ. Illæ sunt humores in homine tetri, ac fœculenti. Progignitur enim tristitia etiam ex melancholici humoris excessu; si enim quis frigida inficiatur qualitate terrea, densa; tetrior ex illo enascitur tristitia prona ad deliramenta, rigiditatem, pertinaciam, desperationem; & facilè ejulat, gemit, conqueritur, lamentatur, furore vestes dilacerat, implet omnia querelis, ululatibus. Sin verò humor melancholicus siccitate, & calore temperetur, ac defœcatus fuerit, colorem explicat ad niveum vergentem, & tranquillus est consilio, profundæ contemplationis est author; influítque gravitatem judicij, propositum stabile, ac elevatam ad altiora mentem; sed plerumq; æstuat, furit, coruscat.

8. Causæ ascititiæ ex malo appetitui adnexo, ac præcognito oriuntur; non quodlibet malum est objectum tristitiæ; sed illud tantùm quod est conjunctum aliqua ratione nobis; quo pacto appetitum movet ad tristitiam. Non tamen est necesse, quòd semper malum, de quo quis dolet, insit

dolenti; sed satis est, si alicui hæreat subjecto, ad quod dolens dicat habitudinem, vel connexionem aliquam, ratione cujus dolens dolet de alieno malo, perinde ac de proprio; & amicus dolet de malo amici. Malum verò, quod est objectum tristitiæ, non solùm complectitur, quod nobis positivè adversatur, læditque statum nobis congruum; verùm etiam carentiam boni. Quò tamen aliquid est majus malum, eò efficacior est causa doloris, & tristitiæ.

9. Ex eo quòd malum sit causa doloris, & tristitiæ, plures possunt esse particulares causæ mœroris. Primò solet quis tristari, si bonum, quod optârat, non assequitur; aut quod possedit, deperdit, tunc malum situm in carentia boni est causa tristitiæ, in quo sensu ait Augustinus *lib. 14. de civit. cap. 9. Amorem boni esse causam tristitiæ*, quia ex privatione illius boni,
2. Æneidos. quod amamus, mœremur. Virgilius

Vadimus haud dubiam in mortem, mediaque tenemus.
Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lachrymis æquare dolores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima pérque vias sternuntur inertia passim
Corpora, pérque domos, & relligiosa Deorum
Limina, nec soli pœnas dant sanguine Teucri.

10. Secundò oritur tristitia, cum quis nequit superare obicem aliquem, qui est illi impedimento, quo minus concupitum bonum assequatur, in quo sensu ait Augustinus *lib. de natura boni cap. 20.* voluntatem resistendi majori potestati sine illucente spe victoriæ, causare in animo tristitiam.
2. Æneidos. Virgilius

Venit summa dies; & ineluctabile tempus
Dardaniæ. Fuimus Troës, fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum, ferus omnia Juppiter Argos:
Transtulit incensa Danai dominantur in urbe:
Arduus armatos medijs in mœnibus astans
Fundit equus: victórque si non incendia miscet
Insultans, portis alij bipatentibus adsunt;
Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.

Tertiò ira; & desperatio sunt tristitiæ obstetrices, ut cum quis non valet opere complere appetitum vindictæ: vel desperet, se posse consequi, quod habet in voto; quo pacto ait D. Gregorius Nyssenus, paulò ante medium: *Ira inefficacia, itémque desperatio eorum, quæ concupiscuntur, tristem hanc, & tetricam affectionem ingerunt in mentem.* (Disput. de resurrect. & anima.) Excitatum dolorem ex urbis direptione, ac desperatione coërcendi licentiam militum exhibet Ammianus, inquiens: Tunc erat spectare cum gemito factam militum prædam Urbem; (Lib. 31.) attonitas fœminas metu flagris concrepantibus agitari, fœtibus gravidas adhuc immaturis antequam prodirent in lucem impia tolerantibus. Implicatos alios matribus parvulus, & puberum audire lamenta: puellarúmque nobilium, quarum stringebat fera captivitas manus. Póstque adulta virginitas, castitásque nuptarum ore affecto flens ultima ducebatur: mox profanandum pudorem optans morte (licèt cruciabili) prævenire: inter quæ cum belluæ ritu traheretur ingenuus, paulò ante dives, & liber de te fortuna, ut inclemente querebatur, & cæca, quæ eum puncto temporis brevioris extortum, & dulcedine charitatum, domóque extorrem, quam concessisse vidit in cinerem, & ruinas, aut lacerandum membratim, aut servitutum sub verberibus, ac tormentis, crudo devictis victori. Hactenus Ammianus Poëticè magis, quàm oratoriè.

Quartò dilatio itidem assecutionis ali- 11.
cujus boni, quod expectatur, dolorem, ac tristitiam ingerit; adeò ut eò mœror sit acrior, quò est dilatio diuturnior, & bonum expectatum excellentius; hinc habetur. *Spes, quæ differtur, affligit animam*, (Proverb. 13) & Regius Vates. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi, cum habitantibus Gedar, multum incola fuit anima mea.* (Psalm. 119.) Ubi Augustinus. Tædet enim me domine valde vitæ hujus, & istius ærumnosæ peregrinationis! Tota quippe vita ista intelligentibus tribulatio est; sunt enim duo tortores animæ, non simul torquentes, sed cruciatu altiores. Horum duorum tortorum nomina sunt timor, & dolor. Quando tibi bene es, times; quando malè es, doles.

Quintò memoria perpetrati flagitij, 12.
vel illatæ Deo injuriæ tristitiam excitat: siquidem pœnitentia, quæ ex tali memoria exoritur, quædam est tristitiæ species. Hinc homo, quem peccati pœnitet, excitans anteactæ vitæ dolorem ait: Heu me miserum! utinam me nunquam, quæ me genuit, lucis hujus dedisset usuræ! utinam me nunquam dies ulla vidisset, quia peccavi, méque averti à summo Bono lapsurus in miseriarum maximam; heu me infelicissimum, quia peccavi, & peccatum meum stylo ferreo in ungue adamantino perseverat scriptum. Miser ego! quis me liberabit à miseria hujus pudendæ servitutis?

ô custos hominum, cur posuisti me contrarium tibi; cur non prohibuisti, cur me non occidisti, ne peccarem? ahiu mihi non defuisti, ne me averterem à Te, sed ipsemet mihi defui, ut me converterem ad vanitatem, & relinquerem veritatem. Secutus sum vestigia iniquitatis, & à via probitatis erravi; fontem deservi aquæ vivæ, & è cisternis dissipatis petij viriaiam extinguere sitim: fastidivi mel, ut felle satiarer; & nunc in amaritudine moratur anima mea. Perveniat calix doloris ad me, conteratur cor meum in medio mei, tempestas doloris absorbeat me, deficiant in gemitibus oculi mei; corrumpantur defluentibus jugiter lachrymis genæ meæ, abscinthio repleatur venter meus, & timor configat omnia membra mea. Utinam in mare contritionis demergerer, & æquarem lachrymis potum; & cum fletu, ac singultu panem miscerem! Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte? si totus vertar in fletum, nunquam satis dignè flevero. Heu me, ut quid me mater mea genuit filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ! Da tu, qui palsmâsti me, oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum, pedúmque dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consummentium.

14. Sextò Eximij Benefactoris supplicium expressum per gravem aliquam figuram, quâ ad tristandum invitentur, qui ejus senserunt collata beneficia, ut si in nece Servatoris, ita creaturas alloquerer. Occidit sol justitiæ, logete sidera, & nox atra tristitiæ mundum funestet. Rubrum effusi cruoris mare sæviente Judaicâ procellâ Nauclerum demergit; ululate quotquot hujus fluctuantis vitæ pelagum trajicitis. Occumbit Deus exercituum, cingulum solvite dissipati milites. Speciosus præ filijs hominum cruentatur saucius, vulneratur exanimis; speciositatem abjicite venustæ puellæ. Sponsus in crucis thalamo emoritur; præficas agite amantes Virgines. Magister in fata concedit, mœrentes discipuli pluvijs madeant lachrymarum. Deficit desolatorum Patronus, cœlum miseri clamoribus impleant. Languet Medicus, lamentis resonent ægrotantium domus. Pater optimus agit animam cruci affixus, corrumpite fletu vestros oculos filij orphani. Princeps decedit, mœstissima edite subditi suspiria. Hominum Imperator vulneribus saucius, depalmatus, cruentatus vitam exuit, tristitiam induite, qui superstites vivitis, & acriori dolore corda comprimite.

15. Effectus pravæ tristitiæ varij sunt, atque teterrimi; propterea fugienda est, omníque nisu abjicienda tristitia, præsertim si immodica fuerit, quia ut scitè Tullius, *Cum omnis perturbatio misera sit, tunc carnificina est ægritudo: habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens; humilitatem mœstitia, sed ægritudo major est tristitia, talem cruciatum, & afflictionem habet, ut laceret animum, plenéque conficiat.* Tuscul. 3.
Tristitia enim non solùm gaudium omne eliminat, alacritatem adimit, & miserè dolentem lacerat: verùm etiam odium eidem ac fastidium rerum omnium humanarum immittit. Quoties tristitia est immodica, perinde ac nebula animum obducit, omnémque ab illo serenitatis lætitiam excutit.

16. Secundus effectus est animam, & corpus aggravare, premere, omnésque operationes plerumque cohibere; eas præsertim, quæ intelligentiæ officijs famulantur, adeò ut plerumque homo immodica pressus tristitia non potis sit quidquam addiscere, ac omnia fastidiat; & D. Thomas refert D. Gregorium ob irrepentem in animum tristitiam intermisisse explicationem in Ezechielem. Quæst. 37. art. 1. ad 3.
Idque infertur etiam ex *homilia ultima* S. Gregorij in eundem Prophetam, ait enim: *Jam cogor linguam ab expositione retinere. Jam nullus in me sacri eloquij studium requirat, quia versa est in luctum Cythara mea, & organum meum in vocem flentium.* Sin verò tristitia modica fuerit, mentis operationes non præpedit; sed potiùs ingenium acuit, ac studia promovet.

17. Tertius effectus teterrimus omnium est malorum fere omnium secum catervam trahere. Homo enim immoderatâ pressus tristitiâ censetur cor suum exedere, juxta vulgatum illud effatum *cor ne edito*; scilicet noli tristari; unde Clemens Alexandrinus ait. *Mystæ prohibent vesci corde, docentes non oportere, animam mordere, & exedere præcordia, & dolere propter ea, quæ præter consilium, & opinionem eveniunt. Miser ergo ille est, quem Homerus quoque dicit solum errantem suum animum exedere.* 5. Stromat. cap. 1.
Eò etiam est tristitia nocentior, quò dolentem subinde in rabiem, & desperationem agit; ut nullum sit tormentum tristitiâ majus, nec dolor mœrore gravior: ut ait S. Chrysostomus *Epist.* 7. Est tristitia veluti tinea non solùm ad ossa, sed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, sed vires animæ consumens: & jugis nox, ac tenebræ, & tempestas, & turbo, febris non apparens, omni igne validiùs incendens, pugna requiem non habens, & languor plurimos obscurans videntium. Hinc monet Siracides. *Tristitiam longè expelle à te multos enim occidit tristitia.* Eccles. 30.

§. II.

Producuntur pleráque alexipharmaca tristitiæ, vel lenienda, vel prorsus excutienda perapta.

18. ALexipharmaca tristitiæ pravitati sanandæ idonea plura solent suppeditari: omnium efficacissimum est perpendere causam inducentem tristitiam, ac pravè obstetricantem, quia plerumque causa ciens tristitiam, non tam est malum ipsum, quod urget, quàm nostra de ipso obliquata, falléns que opinio; quæ cum sit in nostra potestate, possumus, si velimus, eidem facilè obstare, ac tristitiam prohibere. Opinionem potiùs mali, quàm malum ipsum esse plerumque causam tristitiæ, adstruit Epictetus, inquiens: *Homines perturbantur non rebus, sed de ijs, quas de rebus habent, opinionibus.* Non debemus indagare, quales res sint, sed pensare potiùs debemus, qualis nostra sit de illis opinio. Quòd afficiamur dedecore, excipiamur verberibus, privemur bonis, plerumque in nostra non est potestate; cum externa violentia nostras superet vires, quibus non valemus obsistere, ut cum sæviente in mari procellâ, navis onusta mercibus ad scopulum allisa conteritur; cum delapsus è nube grando segetes in agro prosternit; subortum in contermina domo incendium nostras quoque absumit ædes; sed rectè de ijs sentire, ac judicare ea non esse mala; & ad nostram obtigisse eruditionem, ad virtutis excolenda studia, id nostræ est potestatis. Nunquam nos dolor premeret; neque torqueret tristitia, si à præsenti molestia averteremus avulsam cogitationem; & illuc converteremus, ubi vera sunt gaudia.

In Enchir. cap. 10.

19. Viro probo ex unanimi Sapientum suffragio nihil accidit mali, non quia non sentiat; sed quia ridet novercantis fortunæ minas, & adversa non pluris facit, quàm venti pertranseuntis flatum; quia quæ viro probo obtingunt noxia, & adversa, non sunt eidem exitio, sed exercitio virtutum; quarum excolit studia; hac, qui utitur, panacea à nulla tangitur ægritudine animi, nec miser esse potest.

20. Proderit etiam ad tristitiam leniendam prospicere tanquam futurum quidquid mali potest nobis obtingere, hac præoccupatione vir probus omnium malorum impetus emollit; jacula priùs contundit, quàm sentiat; procellas priùs declinat, quàm exitiali sæviant æstu; siquidem ut scitè Seneca. *Cogitanti malum mollis ictus venit; ideo sapiens assuescit futuris malis: & quæ alij diu patiendo levia faciunt; hic levia facit diu cogitando.* Viro, quem ratio regit, passio cedit; nec ejus unquam animus tristatur: si casus rerum suarum auferat dimidium, si domus ruat, si segetes comburantur, navis pereat, amici deserant, periclitetur fama; si per calumniam de gradu dejiciatur, privetur officio, demittatur exul à patria; dummodo comitem secum innocentiam ducat, non tristatur; quia mala hæc utpote extrinseca, nec extimam lædunt cutem; quam non tangunt; imò æquo, ac lubenti animo adversa amplectitur, ut occasiones exercendæ virtutis; quæ sola est eidem cordi, quia sola mortali huic vitæ dat pretium. Perinde vita nostra currit, ac Mimorum fabula: non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert.

Epist. 77.

Plurimum itidem juvat ad coërcendam tristitiam pravam, ac immoderatam, avocare quantum fieri potest cogitationem à præsenti molestia, quâ quis intus pulsatur, eámque ad illa bona dirigere, quæ quis jam possidet, vel sperat, se consecuturum; sic minuitur animi ægritudo, lenitúrque doloris acerbitas; éstque documentum Siracidis *In die malorum, ne immemor sis bonorum.* Perpendendum itidem est, humana esse quæcunque acciderint, proinde tolerabilia à viro virtutis culturæ addicto, qui cum homo sit humani nihil à se alienum putat; cum sit homo rerum vicissitudinibus obnoxius: debet paratus esse æquè adversa, ac prospera sereno animo, mentéque excipere tranquilla, præsertim cum adversa occasionem exhibeant excolendæ virtutis; animi prodant fortitudinem, ac patientiam. Non lactea palagi malacia, nec ventus obsequens artem probat Naucleri; sed excitata procella, obversantes Euri, Notíque, fluctúsque decumanis turbulentiores virtutem produnt gubernatoris, & navis firmitatem. Nullus magis est virtutis ornatu dignus, quàm qui adversis æquo animo tolerandis assuescit. 21.

Eccles. 11.

Idoneum leniendæ tristitiæ alexipharmacum est, oculos collyrio haud indigentes in alienas conjicere miserias. Plutarchus in *consolatione ad Apoll.* sub initium inter cætera pravi hujus affectus remedia, aliorum recenset calamitates, quibus premuntur; ægritudines quibus absumuntur, dolores quibus torquentur; & mala reliqua, quibus divexantur: adeò ut, qui tristitiâ premitur ex consideratione, quòd alij plures acrioribus vexentur miserijs aliquid inde hauriat lenimenti, quô dolor mitescit; hinc Constantinopolitanus Præsul non tam eloquentia, quàm exculta virtute aureus ait. *Alius ex uxore, alius ex filio, alius ex servo, alius ex amico, ex inimico alius, alius ex vicino, & alius ex quovis detrimento causam ducit mœroris, plurimaque sunt doloris causæ, atque differentes, prorsúsque neminem invenies à tristitia, & dolore omninò liberum, alius magis, minúsque alius dolea. Non itáque feramus graviter; neque nos tantummodo tristia pati arbitramur; neque enim fas est,* 22.

Homil. 1. in 2. ad Tim.

ne

ut homo, qui mortalis, mortalémque hanc agit vitam, doloris, angorisque sit expers.

23. Divina itidem in hominem beneficentia efficax est mœroris amuletum, si enim expenderimus tot beneficia, quæ Deus munifica sua largitate nobis contulit, causam potiùs eiendæ consolationis enanciscimur: jucundissimum siquidem est, mente tractare summi in nos opificis munificentiam, ac benignitatem; tam variam, támque amœnam in suis operibus sapientiam; tam locupletem, & ad agendum potentem virtutem: rationem ille inducit colloquentem, cum hominibus tristitiâ gravatis, ejúsque aculeos retundentem: dictat quippe recta ratio, decere hominem fortem adversa quæque æquo animo tolerare. Assuetudo itidem patiendi tristitiæ est lenimentum; qui enim aliquam est calaminatem expertus, ex qua emersit, faciliùs in spem erigitur superandi malum præsens. Ea itidem dolorem leniunt, quæ aliquam ingerunt delectationem, ut asserit Aristoteles, quævis delectatio ob contrarietatem, quam saltem secundum rationem communem habet cum quavis tristitia, mœrorem minuit, pellitque angorem; perinde ac quies defatigationem: est delectatio ex D. Thoma quædam veluti appetitûs quies; & tristitia ejusdem perturbatio, ac inquietudo; hæc ratio est, ait Aristoteles, cur Melancholici præ cæteris delectationes apperant; quia præsentissima sunt alexipharmaca contra tristitiam, quâ melancholici torquentur.

7. Ethic. c. 14.

1. 2. q. 32. art. 1.

24. Cantus etiam plurimum habet roboris ad leniendum mœrorem, quia mentem seducit, avertítque à cogitatione objecti tristis. Hinc natura quæ tristitiam, ut sibi noxiam aversatur, adeo delectatur cantu, & carmine, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si lugeant, ac tristentur, canticis sopiantur; ac à mœrore liberentur mediante sopore per cantum inducto. Nutrices dum in ulnis infantes gestant illacrymantes, sæpe abeuntes, & redeuntes, & quædam eis puerilia carmina decantantes eorundem lacrymulas hac arte exsiccant; pellúntque mœrorem. Viatores etiam interdum ducentes jugalia animalia itineris molestias vario solent cantu lenire, & onustis bestiis non modicum adferunt levaminis. Quinimò etiam Agricolæ terram excolentes, vel segetes colligentes, vel uvas in torculari prementes sæpius cantant, ut ab illo distracti labore molestiam minus sentiant. Nautæ æquora trajicientes molestias quiescentis malaciæ, ac tædium diuturnæ stationis expulsuri cantus instituunt nauticos; carmina itidem in transtris remos impellentes canunt. Mulieres itidem texentes, & confusa stamina radio discernentes, vel fila nentes, sæpe per se singulæ, vel etiam simul concordi concentu unam quandam concinunt melodiam, quâ non modicè susceptos leniunt labores, pellúntque mœrorem: hinc Chrysologus ait: *Omnes qui ardua opera sublevant, & ferunt angustias, probant ad solatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam: hinc Nautæ cantu superant marina discrimina: hinc immensa pondera adducunt levamine canticorum; hinc viantes colles arduos facit transcendere vox sonora: hinc præliatores ipsos præcedens cantus subire concitat amara bellorum; ac ne multis, omne, quod duri operis est, quod laboris dulcis vincit, ac efficit cantilena.*

Serm. 10.

Quia verò non semper eadem est tristitiæ causa, & origo; ita nec eadem semper est adhibenda tristitiæ curatio; sed expendendæ sunt in eo, qui tristitiâ malè afficitur, causæ mœroris. Plerumque obtingit originem tristitiæ esse melancholicam humorum complexionem, ad ingenerandum mœrorem proclivem; & tunc adhibenda sunt jucunda, quæ atræ bilis, atram faciem discutiant. Juvat etiam ad hunc levandum mœrorem spatiari per amœna vireta; per apricos colles, ubi Sol clarior nitet; aër lætiùs, latiúsque diffunditur; dulciùs flantes favonii adblandiuntur; defœcatiores currunt rivuli, pellucidiores scaturiunt fontes, suaviùs cantant aviculæ; vel alia adire loca, ubi tellus mox in planitiem extenditur, mox in collem assurgit, vel etiam rigidiùs in montem, ubi herbis, ac arbustis sponte natis vestitur, vel floribus pingitur discoloribus; tunc aspectus delectat, & jucunda rerum varietas mœrorem discutit; tetramque abigit tristitiam. 25.

Prodest itidem cibi, & potûs ratio. Vinum enim dicitur cor mœrentis lætificare; qua ratione ad ultimum supplicium damnatis apud Hebræos vinum exhibebatur generosissimum ac conditum, quod D. Marcus Myrrhatum vocavit, ut scilicet illo haustu eis admoveretur mœroris curatio. Hoc idem præstant alij humores calidi, quibus atra bilis tepescit. Quibus verò tristitia obtingit ex objecti tristis incursu, avocandus est animus à cogitatione mœrenti ad jucundiora; quò enim magis animus in tristi cogitatione figitur, eò altiùs mœror infigitur, cui veluti pabulum suppeditatur. Unde proderit mentem avertere à tali objecto; & cogitationes excitare jucundiores; tunc enim irrepens oblivio mœroris obliterat ægritudinem.

§. III.

Tristitia immodica ideo excutienda, quia virtutum obest exercitijs, & tartarei hostis prodest insidijs.

26. EXcutiendus omni solertia est mœror ex animo, ubi tristitiæ veluti nubes caliginosæ simul congestæ serenitatem surripiunt, fluctuantes excitant cogitationes, & plerumque procellas, quibus virtus naufraga perit. Est autem tristitia, quæ potissimum ex absentia provenit delectabilium; qua ratione potest faciliùs coërceri, quam ipsa delectatio, quæ sensum afficit, & animum inficit: siquidem efficaciùs agit res per suam præsentiam, quàm per suam absentiam; & quia materia, circa quam occupatur delectatio præsens est, fortiorem efficit impressionem; hinc major est facultas virtutis eam moderantis, quàm respectu tristitiæ ob absentiam objecti delectationem ingerentis.

27. Verùm quia tristitia non excitatur in animo nisi ex defectu delectationis, perspicuum est, delectationem principaliùs intendi, & virtutem temperantiæ coërcentis in eam ferri quasi primo impetu, & connaturaliùs, proinde principaliùs, quàm circa tristitias, quibus animus torquetur; adeò ut temperantia æquè feratur ad coërcendas delectationes, ac ad compescendas tristitias ex objectis gustabilibus, & actilibus, & præsertim ex istis, seu ex plena cibatione, aut commixtione corporum, aut universo apparatu actionum ad eas, vel spectantium, vel reducibilium. Licèt delectationes, & tristitiæ aliæ sint in corpore, seu appetitu sensitivo; aliæ eis proportionales in animo; temperantia, cùm sit virtus voluntatis immediatè immodicas coërcet delectationes, & tristitias, quæ in voluntate generantur, non quæ in appetitu inferiori stabulantur; quia cùm tristitia, & delectatio corporea appetitum afficientes inferiorem sint in objecto diverso ab eo, cui temperantia inest, nequeunt physicè ei esse adeo immediatæ, seu continentes, sicut tristitia voluntati, quæ ab eodem oritur subjecto, cui temperantia inest, quæ propterea nonnisi inconsultè adhiberetur ad coërcendum affectum ferocientem in subjecto externo, non compressa priùs immoderatione passionis in subjecto proprio tristantis, ac mœrentis, vel etiam exultantis contra rectæ rationis præscriptum.

28. Quò fit, ut coërcitio mœroris, & moderatio tristitiæ fiat per virtutem temperantiæ servato ordine quodam; adeò ut priùs hujusmodi coërcitio tristitiæ in voluntate fiat superiore; & postea veluti per quandam redundantiam in inferiore appetitu, quamvis moraliter utraque coërcitio videatur æquè primo fieri ob connexionem, quam affectus, seu tristitia appetitus inferioris, & sensitivi, servat, cum mœrore, vel tristitia voluntatis; uterque enim mœror inhærens voluntati superiori, & appetitui inferiori, si sit immodicus, compescitur à virtute temperantiæ, cui duntaxat materialiter, seu physicè tristitiæ voluntatis sunt proximiores, & viciniores. Cùm objectum formale temperantiæ sit illa mediocritas consona rectæ rationi, ac prudentiæ, in eo collimant hujus virtutis studia, ut ad eandem mediocritatis honestatem affectus tristitiæ, & delectationis exorbitantis reducant. Unde verò sumenda sit hæc mediocritas in affectibus temperantiam distinentibus, ac impedientibus; seu penes quid recta ratio dirigi possit in præscribenda mediocritate affectibus istis contentanea, non videtur esse modica difficultas; universè solet moderandæ delectationis, vel affectionis prosecutivæ regula peti à variis adjunctis respicientibus, tum personam, tum locum, unde Augustinus concludit, Christianam de *Lib. de mor. Eccles. c. 21.*
temperantia tractationem his verbis. *Habet vir temperans in rebus mortalibus, & fluentibus vitæ regulam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu:* hinc nonnulli à Clemente Alexandrino reprehenduntur, eo quia vivant, ut edant, ut saturentur: cùm è converso commendentur alij, qui ut vivant moderatè comedunt & *lib. 3. cap. 7.* hanc moderationem asserit usurpandam esse ab ipsa corporis exigentia, quæ est mensura rerum usurpandarum, perinde ac pes calcei est mensura. Clementi haud abludit Basilius docens corpori tantùm indulgendum esse, quantum ei opus est, ait enim: *Qui nimiam corporis gerunt curam, animam verò negligunt; nihil ab ijs differunt, qui sensibus tantoperè student, & per ipsos agentem spiritum contemnunt. Et itaque totum corpus castigandum magis, ac feræ cujusdam instar cohibendum, & ab ipso adversus animam tumultus orientes ratione, velut flagello, compescendi: ne frænum voluptati omnino laxando, mens vel auriga ab equis contumacibus, & minimè obtemperantibus miserè per devia, ac prærupta feratur, ac rapiatur.*

2. Pædag. cap. 1.

Homil. de cogend. cum fruct. libr. gentil.

Non solùm delectationes temperantia compescit, verùm etiam tristitias immodicas coërcet, & licèt id officii etiam fortitudini tribuatur, id tamen præstat sub diversa ratione formali; tota enim laus fortitudinis, & probrum timiditatis succumbentis tristitiæ, ex aliquo deducitur applicato læsivo: fortitudo siquidem versatur circa tristitias alacriter sustinendas, quatenus honestum est in perpessione malorum tristitiam inferentium tenere constantiam. 29.

Tem.

Temperantia verò non versatur circa tristitias, quas alacriter sustineat, quia nullum ei admovetur læsivum, sed tantùm abest delectatio, quia non admovetur delectabile, cujus absentiam sustinet temperantia; quæ propterea dicitur circa tristitias versari, diverso sanè modo ab eo, quo circa easdem detinetur fortitudo, quæ per se primò fertur in dolores, ac tristitias, velut in materiam propriam; cùm temperantia tantùm consecutivè ex occasione delectationum, quarum absentia tristitiam excitat, quâ animum discruciat, & appetitum torquet inferiorem: quòd si immodica sit, temperantia frœnum adhibet, quo immodicas coërcet tristitias, ne istæ limites transgrediantur mediocritatis.

30. Hinc ex eo, quòd tristitia ex absentia oriatur delectationum respicit hujusmodi absentiam veluti malum præsens, vel re ipsa, vel apprehensione; & hoc malum sic præsens apprehensum cum quadam perturbatione, & inquietudine, solet execrari, quia minimè conveniens. Plerumque acriùs rerum duntaxat opinionibus homines torquentur, quàm rebus ipsis; eò quia plerumque res ipsas velint indagare, non quales sunt in se; sed eas considerant, prout sunt in eorundem opinione; & ij obnoxij sunt propterea tristitiæ noxiis umbris, ac caliginibus, quæ totum infuscant, obscurántque virtutis decorem. Quapropter excutienda est tristitia hæc immodica, abigendus est è sinu mœror iste insolescens, & purgandus est animus à noxio hoc affectu, quò cæteri utuntur, quò propiùs, ac tutiùs feriant: etenim sine tristitia omne damnum infringitur, & sine mucrone quævis acies fit hebes, omne telum retunditur, & noxa ipsa fit innocens: est siquidem tristitia nocumentorum energia; virtutum titubatio, & malorum emphasis; & quia solemus ut plurimum non rebus, sed rerum opinionibus cruciari, fit, quòd census doloris à mœsta imaginatione plerumque oriatur, quòd si desinimus imaginari, cessamus tristari.

31, Quamobrem nulla tristitiæ nostræ sufficiens potest excusatio adferri, nulla potest mœror noster tergiversatione palliari, nisi ignominia dementiæ, eò quia ita flocci nostram æstimemus felicitatem, ut eam nonnisi in ijs collocemus quæ nobis deesse possunt, & nocere: & id nostræ datur dementiæ, quia nostram felicitatem ijs concredimus, quibus necessariò miseri sumus: si enim bona, quibus caremus, pensemus; tristes statim sumus, quia quæ absunt, non possidemus, & damnum ex tali absentia computamus, & eò acriùs tristamur, quò talem nolumus absentiam; & cùm læti esse possumus contenti de ijs, quæ adsunt; miseri, ac infelices esse malumus, quatenus tristamur de ijs, quæ absunt, concipimúsque ipsam absentiam, ut objectum præsens nobis dissonum; & quia hanc non valemus absentiam abjicere, nec ea possidere, quæ nobis desunt, acriter tristamur de damno, quod nobis fingimus, ideóque miseri volentes sumus, cùm nobis felicitas possibilis, miseria sit; tot enim numeramus mala, quot bona recensere possumus, & ideo semper intus turbamur, molestissimis affligimur cogitationibus; mœrore enim animi, & anxietate repleti exercitia negligimus pietatis, studia contemnimus virtutum: si enim immodicus dolor animum invaserit, mœstitudinis ægritudo mentem infecerit, tristitiæ caligines spiritum occupaverint, mœroris vepreta ingenium oppresserint, nec ulla menti tunc serenitatis suppetit claritas, neque malaciæ tranquillitas; proinde confectus mœrore, quasi exanimatus, capite demisso, vultúque multiplici crispato rugâ, perinde incedit, sedet, vel stat, ac Marsyas in statuis spectatus lapideis: debilitat vocem mœror, animum opprimit tristitia, & frequentes luctus verba intercludunt; & si loquatur, ejus oratio tardior est, veluti è torcularibus expressa, & nonnisi infesta, ac infortunata denunciat; lentè procedit, & tanquam è profunda producta verborum parsimonia plus tacere videtur, quàm loqui, miscens producta silentia narrationibus, oculis in humum dejectis, fronte pluribus rugis striata, capite perturbationibus attonito; adeò ut videatur ipse mœrore confectus omnium membrorum nexus, & vincula nonnisi ægrè sustinere, se ipsum etiam negligens. Et verè vix studijs vacat virtutum, qui sinit se mœstitudine occupari: est enim in ejus animo tantus dolorum concursus, tanta mœstitiæ copia, tamque enorme omnis solatii deliquium, quó sibi, & virtutum studio prorsus videatur deesse.

Hinc D. Paulus asserit, eos contristare Spiritum sanctum, qui sinunt se à tristitia occupari, ait enim: *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo* (seu per quem) *signati estis in die redemptionis:* Licèt Spiritus sanctus nulla possit tristitiâ pulsari, nulla tangi passione, nec immodico turbari affectu, cùm ejusdem prorsus sit naturæ, cum patre, & filio, sitque propterea verus Deus ab omni immunis dolore, & mœrore, dicitur nihilominus contristari à creaturis cùm graviùs, & sæpiùs offenditur; ut inde suæ subtrahat gratiæ influxum: unde quòd re ipsa Spiritum sanctum non contristemus, id non oritur ex defectu causæ, sed ex perfectione ejusdem Spiritus sancti, qui ab omni immunis est molestia, ac prorsus imperturbabilis summa fruitur mentis tranquillitate. Apostolus autem nos monet, ut nolimus Spiritum sanctum contristare, quia cùm per gratiam dicatur in nobis habitare, perinde ac in sua propria domo, quam sibi obsignavit; ideò nos voluit solicitos, quatenus in id incumbamus studij, quò anima 32. *Ad Ephes. 4.*

nostra

nostra fit Spiritui sancto gratum, ac jucundum domicilium; caveamúsque, ne quidquam ingeratur, quod tam beneficum hospitem possit contristare, si tristitiæ capax esset, & expellere: expellitur autem, cùm peccatum inducitur, cùm quo divina non cohæret gratia. Non me latet à sacris Interpretibus sedulò pervestigari, quódnam sit præ cæteris vitium illud, quod dicitur Spiritum sanctum contristare, D. Bernardus, censet hoc vitium nostram esse tristitiam inquiens: *homo tristis semper malitiatur, & contristat Spiritum sanctum sibi à Deo donatum: hoc enim docet Apostolus dicens: Nolite contristare Spiritum sanctum, qui habitat in vobis. Vide ergo, ne contristes Spiritum sanctum, qui habitat in te, ne fortè derelinquat te:* nostra siquidem tristitia, adeò est sceleribus fœta, & vitiorum fœcunda; ut vir mœstus semper malitietur, ac contristet Spiritum sanctum, quatenus id agit, ut ab eo derelinquatur, suámque subtrahat gratiam ab anima, in qua per semina depravatæ tristitiæ, sentes germinant vitiorum.

Serm. 11. de modo bene vivendi.

33. Ecce quomodo nostra tristitia per quandam veluti sympathiam dicatur contristare Spiritum sanctum, qui habitat in nobis; quia scilicet, subtrahit ab anima suam gratiam, eò quia in ipsa unà cùm tristitia vitia stabulentur; cùm enim sit tristitia putida illa radix, ex qua corrupti germinant vitiorum rami, dicitur tristis semper maliciari, ac contristare Spiritum sanctum, quia semper tristitia prona est ad malum, semper actuosa in acervandis criminibus. Cavendum igitur, ne nos Spiritus S. relinquat, ne ipsum contristemur, eò quia immodicam foveamus intus tristitiam; est enim hæc radix, ex qua pullulant vitia omnia, quibus Spiritus sancti gratiam à nobis abigimus: unde Siracides salubriter nos monet, ut omnem à nobis excutiamus tristitiam, ne nos Spiritus sanctus deserat, & per indulgentiam vitiorum mortem incurramus, inquiens: *Tristitiam longè expelle à te, multos enim occidit* (seu ut habet textus græcus) *multos perdidit tristitia, & non est utilitas in ea,* quia tametsi tristetur quis de malo vel præsente, vel imminente, non id circò illud à se abjicit, quin potiùs auget, ac multiplicat.

Eccles. 30.

34. Imò non solùm tristitia torquet; & intus, ut ait Salomon: *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Verùm etiam cordis invadens intima, hominem post plures cruciatus tandem interimit, tum quoad corpus, cùm quoad animam, seu uno vulnere inflicto duplicem adfert necem corporis, & animæ, temporariam, & æternam, fitque propterea tristitia, in homine eam fovente, carnificina non tantùm corporis fundens sanguinem, sed & animæ profundens vitam, abigens divini Spiritûs gratiam, quæ perinde est vita animæ, ac anima vita est corporis. Quòd si horremus carnifices esse aliorum; cur non etiam horreamus per tristitiam carnifices esse nostri? appositè D. Chrysostomus ait: *Tristitia animarum crudele est tormentum, dolor quidem inexplicabilis, & judicium omni judicio, vindictáque deterius, nam & vermi est similis venenato, non solùm carnem, sed & animam ipsam perimens: animam dilacerans, sed & vires animæ consumens: & jugis nox, ac tenebra profunda, & tempestas, & turbo: febris non apparens omni igne validiùs incendens, & pugna requiem non habens:* quia tristitia non solùm pugnat intus, & sus, deque omnia evertit, perinde ac turbo, marisque tempestas, quæ naves fluctibus exagitat decumanis; verùm etiam expugnat intus animam, quam inflicto lethali vulnere perimit: siquidem ut ait Sapiens *A tristitia festinat mors, cooperit virtutem, & tristis cordis flectit cervicem.*

Epist. 2. ad Olympiad.

§. IV.

Tetræ mœstitiæ nubes menti serenitatem adimentes, nullo validiori flatu excutiuntur, quàm illo precum, quæ Deo funduntur.

Nil est mentis serenitati, cordisque tranquillitati adeò noxium, sicut tristitia, quæ intus fovetur: sicut enim si vapores, & halitus è terræ humescentibus, cœnosisque tractibus, beneficio solaris radij sursum avolent, ac simul in nubem addensentur sub solarem mox radium discurrentes, omnem deorsum splendorem avertunt, serenitatem auferunt; ita dixerim quandam in nobis nebulæ speciem tristitiam præseferre; hæc enim mentis abigit serenitatem, turbidas nutrit cogitationes, & singula intus perturbat; imò & procellas excitat, quibus exagitata intus anima naufraga plerumque perit; quapropter S. Jacobus in sua Epistola nos monet; ut quoties nos spiritus tristitiæ occupat enixim Deum rogemus, ut nobis sua opituletur ope; & beneficio orationis, hinc obsistamus spiritui nequam inquiens: *Tristatur aliquis vestrum, oret:* nimirum hortatur nos, ut cum spiritu premimur tristitiæ, & mœrore confecti deficimus, non solatia aucupemur inter mundi delicias; non amicos adeamus animi relaxandi causâ, non ab epulis suppetias petamus, nnn in symposiis lenimenta quæramus mœroris, non potationibus indulgeamus, quibus vino madidi cor exultet, & mens exhilaretur: sed ut preces fundamus ad Deum, quem enixim rogemus, ut velit nobis præsto esse, suóque auxilio nos contra spiritum tristitiæ munire, ne succumbamus. *Tristatur aliquis vestrum, oret;* ab oratione igitur est solatium petendum 35.

Cap. 5.

petendum; ex colloquio cum Deo, est levamen captandum. Est enim tristitia in homine mœrente voluntarius quidam Dæmon: hoc autem genus dœmoniorum non ejicitur, nisi in oratinne: pulchrè Chrysostomus id edisserit inquiens: *[Serm. 2. & 1. in provid.]* *Dum ergo tristaris noli captare solatia ab amicis, ab epulis, à musicis, à fabulis, sed ab oratione, & colloquio cum DEO. Porrò omni Diabolica actione potentior ad nocendum est mœroris spiritus: Dæmon enim, quoscunque verè superat, per mœrorem vincit; enim si auferas, nemo à Dæmone lædi poterit.*

36. Quamvis avernales Megeræ omnes, totiúsque orci infernales potentiæ per extetam vim, sive per astum frandulentum armentur in hominem, si tamen is nulla fuerit tristitia pressus, nullo mœrore occupatus avernales ipsos hostes facilè prosternet, ut etiam si tristitiam precibus excusserit: perinde ac maligni Spiritus oratione præsertim abiguntur, & fugantur; ita etiam Spiritus tristitiæ: est enim mœror, sen tristitia in homine mœrente unus ex illis spiritibus, quorum genus non ejicitur, nisi in oratione. *[Luc 4, 33.]* *Erat in Synagoga homo habens dæmonium immundum (viso JESU) exclamavit voce magna*, ubi textus græcus legit: *Erat homo habens spiritum dæmonij immundi.* Quòd si quæratur, quisnam fuerit Spiritus iste dœmonij, qui miserabile hujus infelicissimi hominis corpus ita obsedit, inquinavit, depravavítque? censent plures, alium non fuisse Dœmonium hunc immundum, quàm internum mœrorem, ac rodentem & prementem intus tristitiam, vel cacodæmonem foventem tristitiam; adeò ut homo, qui ab Evangelista describitur, habens Dœmonium immundum, non fuerit solum dœmnniacus, sed etiam profundè melancolichus, tetriorique mœrore pressus, quasi hoc qui tetro occupatur affectu, ac mœrore premitur quadam æmulatione energumenum exprimat ab avernali spiritu feraliter obsessum; neque spiritus tristitiæ à spiritu abludit gehennali: quaptoptet D. Bernardus de modo bene vivendi alludens ad citat. text. ait: *[Serm. 11. Luc. 4.]* *Aufer à te tristitiam, quia ipsa est soror dubietatis, & animositatis. Certè tristitia sæcularis omnium malorum spirituum est pessimum receptaculum, & nocet servis Dei. Tristitia sæcularis lædit, & conterit, atque allidit servos DEI. Spiritus enim sanctus non sustinet tristitiam carnalem*, quia carnali qui intus occupatur tristitia, humoribúsque melancholicis per viscera irrepentibus, mœrorem in animo fovet, dœmnnium dicitur immundum habere, adeò ut qui carnali tristitia agitur, humoribúsque melancholicis angitur, divexari dicatur à spiritu immundo: quinimò tristitiæ spiritus omnium malignantium spirituum est pessimus, ac nequissimus, siquidem Spiritus avernalis ad unum præsertim vitij genus potenter movet; cùm sæcularis tristitia si radices in mente egerit ad omnia generatim vitia incitet, quorum mœror est fomes; ad quæ enim interna tristitia non impellit flagitia, non instigat ad vitia? impellit enim ad animositatem, mox invitat ad voluptatum illicia, mœroris levandi causâ, nunc ad illicitas mundi delicias viam sternit, aliquid inde hausura lenimenti, & modò præcipitat ad desperationem ex fastidio, tœdióque vitæ tolerandæ: & quia Spiritus sanctus tristitiam non sustinet carnalem, quæ vitia fovet; iden hac qui tristitiâ angitur, maligno, ac avernali obsidetur, spiritu, à quo miserè distorquetur.

Qui igitur tristitiam alunt sæcularem, quam non succutiunt; spiritum in sinu fuvent avernalem, à quo distorquentur, ac interimuntur, quin ut ait Salomon: *In mœrore animi dejicitur Spiritus*, seu ut alij vertunt: languescit Spiritus, infringitur, obscuratur; perinde ac à tetra caligine aër vespertinus: imò perit, & absolescit; & spiritum sanctum mœstitia ab animo excludit mœrentis, ejúsque extingnit gratiam, à qua vitam anima haurit; quæ propterea per internam tristitiam frangi dicitur, interimi, ac perire, hinc appositè Beatus Antiochus de tristitia ait: *Averte à te tristitiam, & ne contristes Spiritum sanctum, qui in te habitat, ne fortè recedat à te.* Nulla in avernali armamentario bellica machina reperitur validior hac carnali tristitiâ ad homines expugnandos: & licèt ad id variis utatur insidiis, & armis, si tamen ijsdem nil proficiat, mœrorem inducit, quo certiùs triumphet. 37. *[Proverb. 15. v. 13.]* *[Homil. 25.]*

38. Temerlanus orbis terror referente Genebrardo in sua Chronologia ad annum 1407. in urbibus pugnandis & expugnandis hunc consueverat ordinem servare; primo die obsidionis, loco ob eminentiam civibus, vel maximè conspicuo, candidum tentorium oculis urbis objiciebat obsessæ; quæ si deditionem detrectaret, die postero tentorium figebat purpureum; quòd si nec dum urbs se se dederet, tertia demum die vexillum nigrum exponebat: primo siquidem die obsessis significari jubebat, si in fidem ac deditionem se, suáque sibi traderent, indemnes omninò fore, ac omnem gratiam experturos. Sin verò persisterent, hostiliter repugnare, fundendum tunc esse sanguinem, ac capita demetenda, quam cruentam cladem tentorium præsignabat purpureum. Quòd si minas spernerent nigrum, atrúmque tentorium prænunciabat, omnia non tantùm sanguine miscenda, sed & flammis vastanda, ac in cineres redigenda: ita dixerim à Dœmone homines expugnari; primo tentorio albo, seu

per lenocinia voluptatum per blandimenta delicias eos invitat ad deditionem; quòd si plures detrectent, se illi dedere, adhibet tunc secundum tentorium purpureum concupiscentiæ flammas succendens, quibus acriùs intus præcordia expugnet, mentémque ad deditionem flectat. Quòd si nullam inde victoriam reportet; tertium, ac ultimum mox exponit tentorium atratum, ac nigrum, nimirum excitat spiritum tristitiæ, quo intimas cordis penetrat medullas, animíque miserè pervadit
Prov. 15. intimiores secessus; quia ut ait Salomon: *In mœrore cordis languescit Spiritus*, & viribus destitutus promptiùs prosternitur, non enim diu stare potest, qui languescit, est enim mœror, perinde ac tinea in vestibus, cor enim absumit, & mentem consumit, quatenus per cordis mœrorem, viribus de-
Lib. 9. cap. 3. Institution. stituitur, appositè Cassianus: *Vestimentum tinearum esu attactum nullius pretij usu poterit ulterius habere commercium. Itidémque lignum vermibus exaratum non jam ad ornatum, vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur adaptari: ita & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit, vel vestimento illi Pontificali, quod unguentum Spiritus sancti de cælo descendens priùs in barbam Aaron, deinde in oram suam solere suscipere sancti David vaticinio perhibetur, sicut unguentum in capite.*

39. Etiam Christus hac eadem arte visus est mortem expugnâsse vitam hominibus allaturus. Filius enim DEI nostra indutus humanitate, orbis terror licèt non fuerit, sed amor, ac humani generis solatium, & deliciæ, orbem à Satanæ servitute vindicaturus, jugóque subjecturus suavi, sub necis suæ tempus triplici itidem posuit colore tabernaculum: album scilicet in suprema cœna cum linteo se præcinxit, suúmque corpus, ac sanguinem panis candore tectum munifica porrexit largitate. Purpureum fixit in Pilati prætorio ad columnam cæsus, vepribus redimitus, sanguine proprio madens. Nigrum tandem
Luc. cap. 23. tunc exposuit cùm tetras, horrendásque orbi tenebras immisit. *Tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, & obscuratus est Sol.* Facta priùs tamen fuerat eclypsis in geminis lucidissi-
Luc. 22. mis stellis, seu oculis CHRISTI JESU: *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza quis est, qui te percussit?* Eclypsio, quam passæ fuerunt micantes in sereno CHRISTI vultu stellæ, subsecuta die postero fuit eclypsis solis, ac lunæ in cœlis, nimirum deficiente lucis authore defectio secuta est solis, & lunæ, qualem orbis nunquam vidit, & cujus defectionis oculati testes præ cæteris fuêre etiam Matthæus Levi Telonarius Hebræus, qui Jerosolymis hoc nunquam dixisset, nisi certissimum tunc omnibus fuisset. Marcus, qui Romæ scripsit, Lucas qui Antiochiæ; in Græcia hanc eandem vidit eclypsin Dionysius Areopagita, qui ad insuetam solis eclypsin ob diametralem oppositionem lunæ à sole, cùm fuerit illa tunc plena orbe corusca, consequenter per diametrum soli opposita extaticus erupit in verba illa: *Aut Deus naturæ patitur; aut mundi machina dissolvetur:* ut etiam se oculatos fateotur testes Apollophanes, & Phlegon Adriani Imperatoris Chronographus ait enim quarto anno 122. Olympiadis, dies hora sexta ita in tenebrosam versus est noctem, ut stellæ in cœlo sint visæ: & sanctus Martyr Lucianus ait: *Perquirite in annalibus nostris, & invenietis temporibus Pilati fugato sole interruptum tenebris diem.*

Consueverunt Hebræi in duodecim horas diem partiri, adeò ut hora sexta, qua Christus fuit cruci affixus, meridies fuerit: sub initium autem horæ sextæ Christus jam in cruce pendens, ex septennis priora tria protulit verba: his veniam suis hostibus, latroni paradisum, & matri filium dedit, hisce prolatis terræ caligines cœperunt lucem aëri, & terræ adimere. Mox dispulsis tenebris, exclamavit Christus: *DEUS meus DEUS meus, ut qui dereliquisti me?* hoc autem nigrum aëris, terræque tentorium horis tribus est visum, quibus Christus siluit, & silens oravit. Tristata fuit natura universa, quia seoserat Authorem suum morti addictum: sed si nigrum hocce explicuit tentorium mortem non hominibus erat allaturus, sed morti ipsi peccati, ut ex victa, & prostrata morte, surgerent homines, qui fuerant antea mortui morte peccati: nigrum explicuit in toto orbe tentorium infernum expugnaturus victor Christus, & homines redempturus. *Eramus*, ut ait Apostolus: *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, nimirum in tenebris olim paupertas, & virginitas, nec speciem, nec nomen habuêre virtutis: nunc autem in pretio est virtus. Cooperuerunt effusæ tenebræ singulos aëris, terræque tractus, quò ubique locorum cæcitatem redarguerent Judæorum, qui tenebras non valuerunt incredulitatis, ac perfidiæ excutere; pulchrè D. Leo excandescens in Hebræorum perfidiam ait: *In vos ò Judæi cælum, & terra sententiam tulit, vobis Sol virtutem suam, diémque subtraxit, vobis famulatum suum elementa denegaverunt, & recedente à legibus suis ministerio creatura, vestra obcæcatio, vestra est significata confusio:* quia lux veritatis & doctrinæ recesserat à perfidis Judæis

40. (right margin, beside "Consueverunt Hebræi")
Matth. 27. (right margin, beside "DEUS meus")
Ad Ephes. cap. 5. (right margin, beside "Eramus")
Serm. 1. de passione Domini. (right margin, beside "In vos ò Judæi")

eorum

eorum obtusæ mentes tenebræ Ægyptiacis crassiores, ac horribiliores obruerunt, & obcæcârunt. Quàm miseri, quàm cæci! cùm post tot patrata miracula sole clariora meridiano, quò illustriùs Christi proderent adventum, etiamnum Messiam expectent? nimirum obtusi sunt sensus eorum, omni lumine mens destituta, & crassissima circumfusus caligine animus.

41. Nata, & educata in tenebris Synagoga, nunquam cæcutire desuevit; & huic cæcitati detestandæ, ac Judæorum sceleri execranda Sol, & Luna defecerunt, ac si cœli sydera contestata fuerint toti mundo, se parricidio huic execrando, summóque sacrilego sceleri minimè consentire, eique propterea contradicentia, renuerunt tantum nefas spectare, ac horrendi sceleris testes esse. Cúmque per incrementa cæcitatis crevisset eorum pervicacia, & cùm divinitati hominis crucifixi asserendæ aspectus crucis, & miraculorum multitudo jam ipsis explorata esset; adhuc Christo suaserunt, ut de cruce descenderet, & ita se filium proderet DEI, sed tunc cœperunt sydera omnia expallescere, quati terra, ingemiscere elementa, disrumpi saxa, totúmque cœlum tristari. Quòd si Exodi *cap. 10.* Moyses divino jussu extendens manum in cœlum tenebras evocavit horribiles, quæ universam terram Ægypti tribus infuscârunt diebus; factæ sunt tenebræ tribus horis, non in Ægypto solùm, aut Palæstina, sed toto terrarum orbe, cùm enim extinguenda esset mundi lux; & justitiæ Sol in mortis occasum caderet, non potuerunt in mundo tenebræ non propagari; quod etiam prædixerat Ezechiel, inquiens: *Et operiam, cùm extinctus fueris cœlos, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te:* (c. 32.) & Propheta Amos vaticinatus etiam fuit hanc Redemptoris necem hora sexta diei, seu in meridie inquiens: *Et erit in die illa dicit Dominus, occidet Sol in meridie,* (Cap. 8. v. 9.) cúmque Sol justitiæ, & lux mundi, vel in ipso meridie occasum invenisset, non potuerunt reliqua sydera, ac elementa suo non parentare Conditori, hoc caliginoso, nigróque obducta peplo propriam non testari tristitiam: hoc enim atrum cœli vestimentum divini solis decebat funus.

42. Imò voluissent creaturæ omnes non tantùm Christo parentare, sed & pro Christo mori, quod observans S. Leo Papa ait: (Serm. 8. de passion. Dom.) *Debebat hoc testimonium suo mundus Authori, ut in occasu conditoris sui vellent universa finiri. Sed patientia DEI servat rebus, atque temporibus ordinem suum, nósque in illum potiùs vocat affectum, ut eorum salutem petamus, quorum crimen horremus:* Cùm igitur concessum rebus creatis non fuerit unà cum earundem Conditore mori, ei tamen parentare voluerunt, ejúsque mortem lamentari, funerisque prosequi exequias, ac tristitiæ internæ per externa prodere signa tetra. Quàm exitialis est mestitiæ tristitia! quæ non solùm rerum turbavit ordinem, sed & ipsum Dei filium ad mortem usque contorsit: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* (Matth. 26.) adeò acerba fuit tristitia, ut vitam ipsam obrueret, premeret, ac suffocaret: quemadmodum intensiori correptus dolore, vel pertinaci pressus fame in has solet gemebundus voces erumpere: *morior dolore, pereo fame:* sic immodicâ intus excruciatus tristitiâ, meritò dicit morior præ tristitia, sitque propterea hæc venenata affectio, quæ humores corrumpit, mentem tetris implet cogitationibus, & vitam ipsam interimit; apposité S. Basilius ait. *Alij in mortem prorsus collapsi sunt, ac si fulcimenta quopiam debili niterentur, subrutis eorum viribus, & diffractis immodico pondere tristitiæ. Namque quod cernere posses in flamma, quæ interclusione suffocatur proprij fumi, qui cùm liberè egredi nequeat, amplexam flammam suo opprimit ambitu.* (Homil. 4. de gratiar. action.)

§. V.

Nil tristitiâ ex iminenti orta malo in homine deterius: vires conterit, humores exhaurit, ossa exsiccat, cor premit, & sanguinem ipsum è Christi Domini corpore elicit.

EN quàm grave est malum profundus mœror, qui vires conterit, humores exhaurit, ossa exsiccat, cor premit, mentem perturbat, animum torquet, & demum vitæ ipsi insidiatur, quam etiam plerumque interimit; hinc Christus *Matth. 26.* oraturus Patrem Gethsemanî ingressus hortum, & ex imminente sibi objecta morte, tristitiâ pressus dixit *tristis est anima mea usque ad mortem,* quasi diceret, adeò cor meum premit, mentémque opprimit, qui in me irrepit mœror, ut ipsa tristitia mortem mihi adferre videatur. Cùm enim è cœnaculo pridie mortis suæ ad hortum prodiisset; non ibi colles oliviferi, non telluris vireta, non plantarum virescentes comæ animum relaxârunt Redemptoris, sed mœroris angustiæ oppresserunt, mœstitudinis tetræ caligines infestârunt, & intimi doloris aculei sauciârunt. Nimirum ingressus mundi Servator Gethsemani hortum non delicias fuit ibi aucupatus, sed anguistijs pressus, & occupatus; non animo laxatus jocantia inter vireta, sed corde oppressus ex concepti mœ- 43.

ris angustijs, ibi pavor, & dolor fuerunt ipsi pro voluptate, pro floribus catenæ, & vincola; pro rosis spinæ, & animi afflictiones, pro io sublime erectis arboribus tormenta cordis profundo penetrantia cruciatu; pro plantis fustes, lanceæ, faces; pro favoniis suspiria, pro fontibus exilientibus sudores è toto corpore dimanantes sanguinei: siquidem in hoc horto Magister humilitatis tristatur, orat, & cum morte jamiam imminente luctatur, totus liquescens in sanguineum imbrem, quem sola elicuit tristitia, & cogitatio tristis ex sacrilego scelere, quod Judas erat mox patraturus: adeò animo profundè insederat mœror, & adeò ingens incrementum subierat, ut per ampliatos totius corporis poros, veluti per spiracula exitum sibi quæreret, sangoineos fetum trahens sudores: & quadam nova ratione non corpus per inflicta sibi vulnera animom distorqueret, sed animi mœror corpus vulneraret, adigerétque ad sanguinem effundendum: solet humor iste, cùm pericula imminent, veluti præsidiarios miles ad cordis accurrere arcem, ne ab hoste occupetur: sed nunc ex immodica tristitia adigitur ex cordis direpta arce toto corpore per hiantes meatus foras erumpere, & membra singula cruentare. Nimirum tetræ timoris, ac tristitiæ nubes, quæ divinæ frontis serenitatem turbaverant, mentémque funestis oppleverant cogitationum caliginibus, & animi ademerant tranquillitatem, hactenus assuetæ in lachrymarum pluvias solvi; impendentis mox mortis gelo altiùs, ac rigidiùs concretæ sanguineum imbrem ex disrupto corpore perfundunt. Vel quia è cœno aquásque palustribos nostrorum scelerum sursum elatæ in cœlestem Redemptoris mentem evaporationes, & in tristitiæ nubes coactæ, mœrorisque undis excitatæ, nonnisi prodigiosam hanc fundere poterant pluviam: infoeto námque repente correptus metu non solùm membra interni mœroris pressa angustiis in sudorum imbres liquescunt, verùm & in sanguineas prodigiosè solvuntur lachrymas.

44. Vel quia cœlesti hoc rore cordis nostri perfusa tellos pristinæ oblita sterilitatis non ampliùs daret vitiorum (anticeta; sed flores tandem inciperet prodncere virtutom deciduo hoc irrigata imbre? & meritò pro sentibus & dumis rosas nobis, & lilia germinare debnerat à cœlesti mox exculta hortulano, & divino hoc imbre imbutus: non enim filij Dei sanguis potuit, nisi in flores adolescere, qoi cœlo benè olerent, cum terræ futurus esset solatio, imò & pretium, quo redimendus erat totom humanum genus; non potuerunt non concrescere in gemmas Deo dignas guttulæ illæ sanguineæ, quas tristitia è singulis membris Christi corporis in Inamœno horto elicuit. Verùm hoc imbre flamma romphex versatilis aditum intercludentis paradisi extinguenda erat, quo homines diu extorres eum tandem ingrederentur: tristatus fuit in horto, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, quia jam flagra, spinæ, clavi, crux, vulnera, dolorúmque agmina mœrorem accersierant ingentem, quo mens occupata, & pressa, spiracula per singula corporis membra sanguineos soluta in imbres quæreret: sed qoia adhuc tristitiam minimè excusserat, eam oratione fategit abigere, ac expellere; cùm nil tristitiæ excutiendæ oratione aptius; proinde cùm in horto non collegisset Christus flores expertus spinas; fundere preces voluit, ut simul nobis prototypon, atque ideam daret veræ orationis abigendo mœrori idoneæ.

Locum enim selegit fundendis precibus opportunum, hortum scilicet inter clivosa oliveta ab urbe, omnique tumultu, ac strepitu sejunctum; hunc ingressus secretiorem in eo sibi locum quæsivit, suam nimirum ipse servans legem de cubili claudendo ad preces fundendas. Cæteras itidem orationi vacandi servans circumstantias, tempus nocturnum ab omni precum impedimento liberum orationi destinavit. Corporis etiam sirom in fundendis precibus servavit. *Positis genibus procidit in faciem suam*: non enim perfunctoriè oraturus genua flexit, sed suam terræ allisit faciem. Neque semel, sed etiam iterum, & tertiò oravit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, & factus in agonia prolixiùs orabat*, neque ad unam duntaxat horam, sed ad tres orationem protraxit, ut disceremus, & nos diu insistere, ac perseverare in precum fusione absque mentis confusione, cordisque turbatione. Et quidem oravit Christus eo tempore, quo tristitiâ premebatur, mœrore affligebatur, cœperat quidem *pavere, tædere, contristari, & mœstus esse*. 45. Luc.cap.22. Matth.c.26.

46. Hisce affluens angoribus, pressus angustiis, totius tristitiâ ex sola oratione solatium quæsivit, & quidem eâ in Patrem reverentiâ oravit, eòque intenso affectu, quo totus arderet amore, dixeritque: *Pater mi, Abba Pater*, qoò inde disceremus & nos, non corde frigido, non mente ad alia distracta preces fundere, sed ea majore, qua possumus attentione, & intensione; quò enim preces fuut ferventiores, ac ignitiores promptiùs sursum avolant. Neque sine obedientia, ac omnimoda conformatione ad Patris voluntatem oravit, cùm Marc. inter orandum dixerit: *Non quod ego volo, sed quod tu. Non mea, sed tua voluntas fiat.* Christi in fundendis precibus vigilantia nostram excutiat somnolentiam, ejus fervor nostrum teporem, ejus attentio nostras animi divagationes, sudor ejus sanguineus nostram desidiam. Marc.c.14.

desidiam. Discamus exemplo Christi, cùm nos mœrores premunt, tristitiæ affligunt, & earum tetræ nubes mentem perturbant nostram, ex oratione suppetias poscere, ex precibus Deo fundendis aliquid enancisci solatij: discamus exemplo Christi rem nullam aggredi, nisi prævia oratio nobis viam sternat ad id, quod quærimus, ut illud invenire possimus: & quia nostræ plerúmque orationes destituuntur suis circumstantijs, infelicem etiam sortiuntur exitum, & pluries telam ordimur absque ullo fructu, & inani labore fatigamur.

47. Christus non oravit tantùm, sed adeò prolixè, adeò fervidè, ut in imbrem solveretur sanguineum: hæc enim oratio, & luctatio ad noctem mediam creditur duràsse. Jacuit toto eo tempore mundi Conditor, cœli Dominus in humum pronus, nostrorum scilicet peccatorum pondere gravatus, pressus, & depressus; mœroribus itidem, & angoribus tantis intus oppletus, ut exæstuans sanguis, non jam ad cor deflueret, sed per singulos corporis artos foras effueret, Proh quàm mira mutatio! in Taboris fastigio, cùm ejus vultus solis instar irradiaret; & instar nivis ejus albescerent vestimenta, quæ per candorem blandimenta exhiberent voluptatis; nunc in horti inamœnis delicijs, & pallor vultum afficit, & vestes cruor inficit, & mœror animum premit, & pavor cor comprimit.

48. Fuit mœror iste, qui cordis prœlum, & torcular compressit, quò botrum divini succi plenum exprimeret, & licèt vinum non elicuerit; imbres tamen expressit sanguineos, quibus nostra irrigarentur pectora, quæ & cum antea sterilescerent, tandem germina aliqua inciperent bonorum operum producere. Vel horti arenam suo respersit sanguine, quo deleret protoparentis scelus, quod hortum infecerat deliciarum: hoc enim in horto catenis voluit vinciri, quibus malè usurpatam ab hominibus libertatem probè ijsdem tribueret; hìc prægustata morte affectatam à protoparentibus immortalitatem luere voluit: & cum in horto Adam mortem incurrisset immortalitate exutus; in hoc horto mortem, quam nondum corpore complecti potuit, animo, & cogitatione delibavit; ut vitam, ac immortalitatem in cœlesti percipiendam patria ab hominibus deperditam hominibus restitueret: neque aliud fuit in horto illo tædere, pavere, mœstus esse, in terram prosterni, & cum spiritu exitum quærente luctari, nisi velle miserum esse ante miseriam; nisi futuras ærumnas tristibus antevertere cogitationibus, nisi mortem ipsam cunctantem incitare, accersere.

49. Vel cum ut victima esset in ara crucis Christus mactandus, sacrificium ut ritu administraretur solemni, quamvis sole esset mundior, nive candidior, serenitate purior, in colle tamen Gethsemani vivis voluit undis ablui, & in piscinam mergi, non aquæ, sed proprij sanguinis: cum enim aquam neque cœlum suppeteret, neque terræ fontes dare possent, quæ purgare, & consecrare victimam hanc valeret, ideo suo debuit ablui latice; non quo aliquid purioris, ac nitidioris ei accederet; sed ut sacrificium eò esset redondantius; quò apparatus fieret solemnior; quinimò sudorem hunc sanguineum internus mœror elicuit, quò acriùs de nostris tristaretur iniquitatibus, quàm de propria doleret imminente morte.

Primigenia labe pollutus à protoparente hortus, ac maledicto subiectus, nonnisi spinas, & tribulos, vultúsque sudorem, quò suo vesceretur pane eidem, & posteris produxit; sed mox secundus Adam, vir factus dolorum, nostris ut mederetur infirmitatibus, imbres effundit sanguineos, quibus cordis nostri hortus irrigaretur, & non ampliùs sentes, & spinas vitiorum, sed læta virtutum vireta, ac fructus daret operum meliorum. Sed mœror rerum invexit confusionem; siquidem verno sub sydere, florido anni tempore in Gethsemani horto non roscido imbre, non uberi pluvia è summo cœlo, sed ex Redemptoris membris singulis sanguine pluit: nimirum in dolorum ubertatem pluvium est ver, quo à consueta sua degeneraret amœnitate. Voluit imbre hoc sanguineo vernas dedicare delicias, ut frigidas nostrarum hyemes iniquitatum abigeret; rosas daturus, qui sanguinis purpura ver ipsum insigniret. Nec mirum si pluviæ visæ fuerunt sanguineæ? serenissimam Redemptoris mentem pavor, & tristitia conturbaverant, seu tenebræ factæ fuerant super faciem abyssi ipsius divinitatis, nubes mœroris caput illud cœlo sublimius occupaverant, & ex tristitiæ frigore, ac charitatis fervore facta intus antiperistasi pluvias exteriùs effuderunt: & licèt nox ingrueret, ex illa tamen mœroris nocte prima fuit lux nobis exorta, & nostra cœpit aurora purpurascere, non solis quidem radio, sed sanguinis rubore; tametsi liquor ille purpureus solari quovis radio illustrior esset. 50.

Exitialis igitur est immodica tristitia, quæ dum animum occupat, etiam corpus sævè discruciat, ex cujus membris sanguinem elicit, & dolores acuit, vitámque ipsam obruit. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Tribulationem, & dolorem inveni*; seu ut explicat D. Hieronymus; *tribulationem, & mœrorem; afflictionem, & anxietatem*: profundus mœror dolor dicitur mortis, quia sævè exasperat, dirè discruciat, crudeliter dilaniat animum, debacchantibus sævæ mœstitudinis furijs, quæ ferales ubique umbras, ac terrores spargentes, mortem videntur inferre. Quinimò mœror, qui intus arcem cordis premit, & mentem occupat, 51.

Psal. 114.

non solùm dolores mortis, sed & pericula secum trahit inferni, *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me*, seu ut expendit Lotinus, *angustia inferni*, vel *fovea sepulchri*: sed sive infernus sumatur pro sepulchro; sive pro ipsa gehenna: semper sensus luculentur rei adaptatur præsenti; siquidem adeò grave, ac peracerbum malum est vesanus mœror, ut ipsi mœrenti mortem adsciscat ob doloris acerbitatem, cruciatúsque sævitiem. Sin verò infernus pro gehenna usurpetur, uc plures sacri Codicis Interpretes, ac Commentatorum proceres intelligunt; jam tristitia ferali damnatorum mœstitudini, ac infernali cruciamento, quàmvis hyperbolicè comparatur, quo nil tetriùs, nil exaggeratiùs ad malorum extremum explicandum. Dicitur autem tristitia pericula secum vehere inferni. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me:* quatenus ipsa tristitia viam vitijs omnibus emollit, per quam mœrentes in gehennam trahit: non enim alijs tristitia associatur comitibus, quàm noxijs vitiorum turbis: siquidem exasperatus animus iracundiam parit; iracundiæ tristitia comes adsciscitur; & utriúsque soboles, turba est cæterorum vitiorum.

52. Præ cæteris incommodis animum exasperatum tristis occupat caligo, ac turbulentus furor; sítque propterea mœror non solùm quædam errandi quasi necessitas, sed amor erroris, ac libido insaniæ: est enim exasperata tristitia tacitus scelerum fomes, & ad peccandum iter declive: siquidem mens tristis, & exacerbata ferarum instar data quavis exigua occasione insolescit furibunda, furit turculenta, & in omne irrumpit flagitium: necesse enim est, multoa exasperet, qui ab aliquo exasperatur instigante tristitiâ ad insolescentia crimina, & ad fœda scelera, quæ procul dubiò proclivem ad gehennam viam sternunt.

§. VI.

Mœror immodicus quamvis mentem occupet, cor premat, suáque tetricitate animi serenitatem perturbet, nunquam tamen voluntatis evertit libertatem; quin coërceri possit.

53. ÆGrè tulit Cain suorum repulsam munerum; mœrore propterea confectus, & atra tristitiæ nube mente infuscatus, simúlque exasperatus in omne pronus fuit facinus; à quo Deus, ut eum averteret serena facie, quâ ejus discuteret nubes tristitiæ, apparuit, præmaturè volens imminentia crimina cohibere. *Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus, dixitque Dominus ad eum, quare* Genes. 4. v. 5. *iratus es, & cur concidit facies tua?* deinde verba addens emphasi plena, pluribúsque involuta difficultatibus subdit. *Nonne si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* O quam exasperatus fuit Caini animus duplici infestus tortore, flammante scilicet iracundia, & insana ac tetra mœstitudine, proptérea ut imminentia crimina præmaturè coërceret, Deus ei appatuit, & ulcus internum aperuit, quò ei mederetur, atrásque tristitiæ nubes è mente dispelleret, animúmque pristinæ restitueret serenitati: appositè Carthusianus ait: *Cur concidit facies tua? quasi dicat: non habes rationabilem causam harum detestabilium passionum, videlicet impatientia, indignationis, ac mœroris perversi.* In cap. 4. Genes.

Quàm opportunè animi exacerbationem, & tristitiam vocat perversum mœrorem, & detestabilem passionem, quia nimirum hujusmodi exasperatio, quâ animus ferocit; & tristitia, quâ exulceratur, ejúsque offusa tetrissima nube infuscatur, suóque destituitur lumine, sensum omnem pervertit, & insurgentibus passionibus, pravísque affectibus fomenta suppeditat, & utrúmque appetitum concupiscibilem, & irascibilem ad delinquendum stimulat; ut nullo coërciti freno in omne proruant scelus; quapropter statim Moyses mentionem ingerit appetitûs, ac si ira, & mœror novum intus in mœrente appetitum ingererent ad delinquendum proniorem, & ad scelus omne paratiorem, ut explicat Rupertus, ubi expendens præfatum textum Genes. 4. *Sub te erit appetitus ejus*, ait; *An nescis, quia si benè egeris, recipies: sin autem malè subauditur, & illud recipies: nam statim in foribus peccatum aderis, ut quocunque te verteris, quidquid agere volueris, tecum sit comes in itinere, Princeps in opere: & tunc quidem super te erit* (nimirum appetitus) *& dominabitur tui*, quia in Caino crimen insanientis mœstitudinis, & exasperatæ iracundiæ, altet veluti in ipso fuit vividior, & truculentior appetitus, quo Cainus incitabatur ad funestum, & execrabile perpetrandum fratricidij flagitium; ad quod geminâ invectæ mœstitiæ, & exasperatæ iracundiæ furiâ, ac gehennalâ Megerâ sic vividiùs incitabatur, ut neque redarguentis Numinis admonitione, neque interminatis graviſſimè minis potuerit coërceri; ac si novus hic truculentus mœstitudinis, & iracundiæ appetitus non infra esset Caini arbitrium, cui subjiceretur, sed supra, ac Caino dominaretur; & ne id perperam, sibi Cainus persuaderet, putarétque impunè posse in fratrem sævire, eò quia non ex arbitrij spontaneitate, sed ex prædominantis, ac veluti necessitantis appetitûs impetu in fraternam proruerer cædem dixit ei Deus: *sed sub te erit appetitus ejus*, Lib. 4. in Genes. cap. 4.

& tu dominaberis illius, quia neque invecta mœſtitudo, neque exaſperata iracundia libertatem aufert arbitrij, quamvis vividiùs inſtiget ad furores, & ad flagitia perpetranda.

55. Fertur enim homo præceps in inſanias delictorum, ruitque veluti cæcutientibus oculis in omne ſcelus, triſtitiæ aculeis ſtimulatus, & iracundiæ flammis accenſus; ſed quamvis pronior ſit, utráque occupatus paſſione mœſtitudinis, iracundiæ, ad quódvis patrandum flagitium, non propterea libertate deſtituitur arbitrij; libera enim adhuc perſeverat voluntas, quæ ſicut in ſcelus proruit, ita in gehennam proniorem ſibi viam ſternit, ut mœrore confectus repetere cum regio Vate poſſit. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.*

56. Nemo ſe fallat, nec ſibi perversè perſuadeat ex immodico mœrore, vel etiam exacerbata iracundia poſſe in fratrem citra piaculum delinquere, ac impunè ſævire, cùm dixerit Deus Caino mœrore confecto, & iracundia exacerbato, cum fratris præmeditaretur necem, *ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, nimirum mœror, quamvis immodicus, & ira exaſperata, non ita intus mentem occupant, ac dominium agunt, ut voluntatis evertant libertatem, quamvis enim urgeant, ſtimuléntque mœrentem, ſimúlque iratum ad ſcelus patrandum, non tamen adigunt. Unde ſe ipſum potiùs fallit, cum mœrens tœdio affectus in aliquod ſcelus proruit, huc acceſendus D. Auguſtinus, inquiens: *Nemo ergò vos fallat, quando fortè tœdium patimini*, quia ſcilicet, homo mœſtitiæ tœdio exaſperatus ſe ipſum fallit, cum effrœnis fertur ad vitia fomite incitatus tetricæ, ac malignantis triſtitiæ.

Tract. 7. in Joan.

57. *Matth. 25.* Regnum cœlorum decem pariatur virginibus, quæ accipientes lampadas ſuas exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ, ſed ex illis. *Quinque erant fatuæ, & quinque prudentes: ſed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum, prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* non parùm deſudant ſacri Interpretes diſquirentes, quidnam ſit evangelicum hoc oleum, quo quinque prudentes virgines ad virtutum prælucent ſtudia: & quænam ſit hæc olei vacuitas, qua virgines fatuæ, ac imprudentes adventum negligentes ſponſi à vitio fuerunt dementatæ. A quónam virgines oleo vacuæ fuerunt ad indulgentiam inſtigatæ vitiorum, cum prudentes lucernis ardentibus prævijs facibus itinera feliciter decurrebant virtutum? cur oleo deſtitutæ florem amiſerunt virginitatis, cum reliquæ non minus lampades oleo, quàm animum omnigena exornarunt virtute? explicat: quid hoc oleum fuerit D. Auguſtinus, inquiens: *per oleum ipſam lætitiam ſignificari arbitror ſecundùm illud. Unxit te Deus tuus oleo exultationis. Prudentes autem acceperunt oleum cum lampadibus, id eſt, lætitiam.*

Matth. 25. v. 6.

De verb. Domin. ſerm. 24.

Pſalm. 44.

58. Quòd ſi virgines oleo delibutæ interni gaudij prudentes dicuntur; conſequens eſt, ut eatenus oleo vacuæ fatuitatem incurrerint, quia lætitiâ deſtitutæ interno inficiebantur mœrore, quô ad vitia pronæ acceſſum neglexêre ſponſi, & vitijs coinquinatæ fatuitatem contraxerunt: prudentes igitur virgines oleo illinitæ lætitiæ, nec præſtigijs falluntur voluptatis, neque tœdioſi mœroris incitamento extimulantur ad vitia; ſecus imprudentes, quia oleo deſtitutæ lætitiæ, tædiíque dementia occupatæ, faſtidio inficiuntur mœroris, & ad virtutum infatuantur culturam, illecebríſque falluntur voluptatum, & libidine agitantur delictorum olei vacuitate, ſeu tetræ mœſtitiæ umbrâ fomitem exhibente ad delinquendum, quia triſtitia malorum omnium eſt putidus fons, ac ad omne ſcelus periculoſum incitamentum.

59. Non me latet à pluribus quæſtionem inſtitui, an Chriſtus in ultima cœna morti proximus corpus ſuum Judæ ad manducandum dederit. Plures enim ex Interpretibus ſibi perſuadent incongruum fuiſſe proditori jam molienti, ac maturanti nefarium facinus, amicè Euchariſticum Chriſti corpus porrigere. Cùm enim Chriſtum non lateret ſacrilegum, quod intus Judas ſcelus meditabatur, ac ipſum omninò indignum, ac imparatum cognoſceret, ad ſacram Synaxim cum cæteris ſumendam, ideò ne ſacrilegus communicaret, deſtituendus videbatur ſacro hoc epulo: & quamvis hiſce nitantur fundamentis, qui cenſent, Judam proditorem minimè in ultima cœna communicâſſe: nihilominus communis eſt Interpretum ſententia aſſerens; etiam Judam proditorem unà cum cæteris Apoſtolis communicâſſe, quia tametſi Judæ communio incongrua videretur, ſi tamen illi uni negatum fuiſſet, quod reliquis omnibus adſtantibus ubertim concedebatur, id procul dubio ſcandalo cæteris fuiſſet, quapropter D. Leo Papa palam fatetur, Chriſtum nulli Apoſtolorum Euchariſticam ſui corporis denegâſſe communionem: & reddens rationem, cur nec Judæ proditori, quem indigniſſimum noverat, voluerit eam denegare; ait. *Neque ab hoc quidem myſterio proditore ſubmoto, ut oſtenderetur Judas nulla injuria exaſperatus, qui impietate voluntaria præſcitus erat.* Nimirum noluit Chriſtus negare Judæ beneficium cæteris Apoſtolis commune, ne diſcipulus proditor injuriâ exaſperatus, & ob denegatam ſibi cum reliquis communionem, tetra, ac malignante occupatus triſtitia vividiùs inſtigaretur ad ſacrilegum, quod intus mente moliebatur, flagitium; & ne ad nefarium facinus, quod maturabat, præceps ſtatim rueret: ita pronus eſt ad flagitia quæque

Serm. 7. de paſſion.

pa-

patranda homo tetra occupatus tristitia, & truculenta exacerbatus iracundia, ut noluerit tunc Christus Judam quamvis prorsus indignum, solatio destituere communionis cum cæteris, ne ipsi invectæ tristitiæ ob denegatum sibi sacrum epulum tribueretur sacrilegum proditionis scelus.

60. Adeò profunda tristitia, furórque exasperationis mœrentem dementat, ut vel Deus ipse præcavere voluerit, ne tristitiæ tribueretur tetricitati scelus, quod ex vitiatæ voluntatis arbitrio oriebatur: prona enim est tristitia etiam ad horrendum quodcunque scelus, ac sacrilegum quodvis facinus. Voluit igitur Christus Judæ quamvis indignissimo sacrum impertiri epulum unà cum cæteris, ut pateret; nullâ exasperatum injuriâ, nullo occupatum mœrore, nec instigatum tristitiâ in sceleratissimum prorupisse proditionis flagitium. Refectis tamen æterno pane discipulis, & etiam Judâ; Christus nondum latur, quia nondum felleis lautitijs meridiatus ad mensam crucis; divertit in hortum Gethsemani, oraturus æternum Patrem, & imperaturus terræ, quia licèt novi Adami innocentiam reverita, spinas ibi germinare recusâsset, dolorum tamen Domino spinas præparavit, ibique ferocissimis animis tortoribus accersitis pavore, tœdio, mœrore, ac tristitia ad mortem usque cor illis ultrò tradidit discerpendum; ut ex interna pectoris carnificina sanguis ad perorandum erumperet, qui ideo sine vulnere toto diffluit corpore, quia sanguis vulnerum loquacissimus est ad ultionem vulnerantis; & sanguis Christi non ultionem, sed veniam, & panem mundo spopondit. Vel cum totus esset plenus oculis, divinus Argus, imò totus esset oculus, non aliter flere decuit, nec sanguineas emittere lachrymas, quàm ex singulis divini corporis membris. Nimirum avarus mœror hoc ab omni membro tributum exegerat, quo opulentior factus, acriùs distorqueret.

61. Hinc paulò post Judas ex discipulo, hostium nefarius Coriphæus cum latronis Christum, cujus fuerat corpore pastus, ad necem quærit, quem inventum osculo prodidit, quò caput Redemptoris pretium fieret proditoris: armis abusus amoris osculo sacrilegum perficit scelus, fictis enim subdolæ salutationis officijs, osculum in perniciem authoris vitæ temperavit, & sceleratissimus proditor fidei symbolum in tesseram convertens perfidiæ omnia perturbavit, & mundi Conditorem manibus tradidit nocentium satellitum; qui ad proditoris osculum, veluti ad ferale classicum se effuderunt in furias. Ad hujus sacrilegi sceleris patrationem citiùs tetra tristitia, si Judam occupavisset, ob denegatum sacrum epulum instigâsset: ideóque voluit, & ipsum participem fieri cœlestis epuli, quò saltem sacrilegam obtegeret Judæ proditionem: est siquidem immodica tristitia intestinus dœmon instigans, ac solicitans ad omne scelus, ut meritò Euripides eam dixerit Deam avernalem, eò quia multiplex sit ipsa, ac varium malum, imò non solum multiplex malum, eò quia ad omne scelus iter aperiat, sed etiam *multipes*, ut loquitur Posilippus *in Myrmice*, quia multis, ac diversissimis vijs, modisque varijs ad nos venit, & per plura itinera ad scelera omnia nos perducit, hinc dicitur varium malum, quia plura, ac innumera mala secum adfert immodicus mœror, unde Basilius ait: *Nimia autem tristitia author peccati esse solet, cùm mœror mentem submergat consilij inopia, vertiginem adferat penuria cogitationis, ingratum animum generet*; eo ipso, quòd tristitia mentem submergit, rationem obruit, animum premit, pravásque ejus passiones excitat ad peccandum fomitem suppeditat: & licèt absque arbitrij libertate non delinquat voluntas, nec homo in malum proruat; attamen, si mœstitudine intus prematur, & atra ejus caligine mens dejecta à sua serenitate infuscetur, incipit ratio rectis destituta consilijs, prava nutare vertigine; & suppeditante mœrore tacitum ad peccata igniculum, ac intestinum fomitem ad scelerum patrationem, voluntas liberè in hujusmodi fertur scelera, quamvis ab interno mœrore instigata; licèt enim immodica tristitia lumen infuscet rationis sua caliginosa tetricitate, ac libertatem extenuet arbitrij, quatenus vividiùs ad flagitia instigat atrociora, non tamen libertatem obliterat; neque ad delinquendum compellit, sed ad scelera viam sternit, & ad eadem voluntatem instigat, sitque propterea tristitia scaturigo omnium scelerum, ad quæ finit voluntas per mœrorem liberè se rapi. *Orat. 12. quæst. de mœror. & tristit.*

Imò non ad scelera tantùm, sed ad mortem perducit immodica tristitia, ex qua mors festinat, exsiccat enim intus ossa, cor premit, mentem perturbat, animum turbulentioribus exagitat cogitationibus, & totum hominem sus, déque evertit, donec perdat, ac in infernum pertrahat. In septennali communi illa sterilitate, licèt plurimum fuisset detrimenti passa familia Jacobi; hic tamen cunctantiùs renuit Beniaminum filium cum reliquis fratribus mittere in Ægyptum; amor enim non sinebat patrem à filio sejungi, nec hunc à patre separari, inquiens: *Non descendit filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos*: hoc est, si permisero vobis Benjaminum comitem in Ægyptum, & aliquid adversi eidem in itinere obtigerit, efficietis, ut ego duplici 62. *Genes. 42.*

con-

confectus morbo senectutis, & mœtoris moriar præ tristitia: erit enim supervenienś mœstitudo, quæ mortem accelerabit meam, unde Augustinus ait: *Et deducetis senectam meam cum tristitia ad infernum, & ideò ad infernum, quia cùm tristitia:* Ecce quàm perniciosus est tristitia morbus, cum non solùm ad scelera viam sternat, & mortem acceleret; verùm etiam, quod deteriùs ad infernum perducat, apposité D. Chrysostomus ait: *Diabolica operatione perniciosior est immodica mœroris magnitudo. Nam quos dæmon superat, per mœrorem vincit. Quòd si mœrorem sustuleris, nihil omninò mali, & incommodi tibi ab eo continget.* Rectè timet ab immodico mœrore infernum, qui noscit tristitiam omni diabolica operatione esse nocentiorem.

Quæst. 147. in Genes.

Lib. 3. de provid.

§. VII.

Mœroris tetræ caligines, nisi excutiantur, lumen infuscant mentis, & immodicâ pressos tristitiâ veluti caecutientes per devia trahunt, ne vias peramhulent salutis. Hilaris patientia beatitatem præsagit.

63. Excutiendæ sunt tristitiæ caliginosæ nubes, quæ nostram infuscant mentem, animo serenitatem forripiunt, cordi tranquillitatem eripiunt, lumen infuscant rationis, ut præceps in omne proruat homo scelus: & quidem abigendæ sunt, hujusmodi tetræ nubeculæ priusquam plus damni inferant, antequam per patrata scelera nos præcipites agant in tartara. Christus Deus in præloquio de funesto, ac ferali Jerosolymæ excidio fugam præmonet imminentis calamitatis declinandæ causâ. *Qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam, væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho, erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet:* præmonuit Christus, imminentem calamitatem fugæ beneficio declinandam esse, non tamen esse fugam protrahendam, ne calamitas priùs ingruat, nósque feriat, quàm fuga ab ejus nos abripiat flagellis: ideóque hortatur, ut per preces ad Deum fusas Numinis exposcamus opem, quâ possimus statim fugere, ne fuga nostra fiat in hyeme, vel sabbatho, quia neutro tempore opportuna censetur; non hyeme, quia hæc anni tempestas tristis est, rigida, immitis, lurida, pigra, aspera, deformis, in qua arbores suis destituuntur foliorum comis, virescente suo viduantur prata honore, exsiccantur enim vireta, arescunt plantæ, intereunt herbæ, squalent campi, lugent horti, concrescunt alta glacie flumina, nivibus obruuntur montes, valles, planities, sylvæ, tellúsque tota, in qua nulla se oculis segetum, aut speratæ messis produnt indicia; quin præfocatæ quasi in semine fruges, gelúque exanimatæ spem videntur futuri proventûs elidere, & iter non permittere.

Matth. 24.

Matth. 24.

Monuit igitur Christus, ne fuga in hyeme protrahatur suscipienda, quia tunc venti, tempestatésque grassantur, cœli facies semper turbida, minax, & irata, fugientibus minus favet, quibus propterea ob frigus, nives, pluvias, lutum, ventos, & alia tum aëris, tum viarum incommoda fuga est perdifficilis, & præsertim ægris, senióque confectis persæpe impossibilis, vel etiam lethalis. Præmonuit, ne fuga etiam in sabbatho fieret, quia eo tempore Judæis non licebat ultra mille, imò ultra septingentos passus ambulare. Huic tamen litterali expositioni aliam subdit mysticam, D. Augustinus inquiens: *Quòd ait: Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho, id est, ne impedimento aliquo detineamini: quia & hyeme imbribus, vel frigore; & sabbatho, in quo proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere*, & postea ad rem nostram apposité subjungit: *vel aliud ne in tristitia, aut lætitia rerum temporalium quis inveniatur à die illa:* noluit Christus, ut fuga fieret in hyeme, quia hæc anni tempestas nubila, tetra, lurida symbolum est tristitiæ ob inopiam rerum temporalium, & sicut hyeme ob frigus, nives, pluvias, lutum, ventos, & alia tum aëris, tum itineris incommoda fuga, vel est impossibilis, vel lethalis; ita qui sinit se immodica vexari tristitia, vix quæ imminent mala, & animi extidia fugæ beneficio erit declinaturus: immodicus enim mœror omnes evasiones, ac salutis occludit vias, & baratrum duntaxat oppandit perditionis. 64.

Lib. 1. quæst. evang. quæst. 37.

Mœror immodicus omnia occludit ad salutem itinera, omnésque impedit semitas; sed vias aperit, emollitque ad æternam perniciem: imò acsi glacie concretæ, simúlque declives essent viæ, quas mœror pandit; huic qui habenas laxat, per declivia hæc glaciata itinera præceps agitur deorsum, vel quasi in curru absque aurigatore ad virtutis ruinam, funestúmque vitæ exitum festinus ruit; unde Augustinus rectè explicat: *Orate, ne in tristitia, aut lætitia rerum temporalium, quis inveniatur à die illa*, quia mœroris tetricitas nisi ope divina excutiatur, quem occupat; perdit: excutienda itáque est hæc prava tetricitas, ne mentis serenitatem abripiat, & in profundum rapiat malorum, idque declinaturus Regius Vates, ait: *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum:* nimirum, ut explicat S. Athanasius apud Lorinum, quia David mœrebat, seu afficiebatur tristitiâ, hanc ut excuteret, suum 65.

Psal. 76. 7.

Bb bb sco.

patranda homo tetra occupatus tristitia, & truculenta exacerbatus iracundia, ut noluerit tunc Christus Judam quamvis prorsus indignum, solatio destituere communionis cum cæteris, ne ipsi invectæ tristitiæ ob denegatum sibi sacrum epulum tribueretur sacrilegum proditionis scelus.

60. Adeò profunda tristitia, furórque exasperationis mœrentem dementat, ut vel Deus ipse præcavere voluerit, ne tristitiæ tribueretur tetricitati scelus, quod ex vitiatæ voluntatis arbitrio oriebatur; prona enim est tristitia etiam ad horrendum quodcunque scelus, ac sacrilegum quodvis facinus. Voluit igitur Christus Judæ quamvis indignissimo sacrum impertiri epulum unà cum cæteris, ut pateret; nullâ exasperatum injuriâ, nullo occupatum mœrore, nec instigatum tristitiâ in sceleratissimum prorupisse proditionis flagitium. Refectis tamen æterno pane discipulis, & etiam Judâ; Christus nondum latur, quia nondum felleis lautitijs meridiatus ad mensam crucis; divertit in hortum Gethsemani, oraturus æternum Patrem, & imperaturus terræ, quia licèt novi Adami innocentiam reverita, spinas ibi germinare recusâsset, dolorum tamen Domino spinas præparavit, ibique ferocissimis animis tortoribus accersitis pavore, tœdio, mœrore, ac tristitia ad mortem usque cor illis ultrò tradidit discerpendum; ut ex interna pectoris carnificina sanguis ad perorandum erumperet, qui ideo sine vulnere toto diffluit corpore, quia sanguis vulnerum loquacissimus est ad ultionem vulnerantis; & sanguis Christi non ultionem, sed veniam, & panem mundo spopondit. Vel cum totus esset plenus oculis, divinus Argus, imò totus esset oculus, non aliter flere decuit, nec sanguineas emittere lachrymas, quàm ex singulis divini corporis membris. Nimirum avarus mœror hoc ab omni membro tributum exegerat, quo opulentior factus, acriùs distorqueret.

61. Hinc paulò post Judas ex discipulo, hostium nefarius Coriphæus cum laternis Christum, cujus fuerat corpore pastus, ad necem quærit, quem inventum osculo prodidit, quò caput Redemptoris pretium fieret proditoris: armis abusus amoris osculo sacrilegum perficit scelus, fictis enim subdolæ salutationis officijs, osculum in perniciem authoris vitæ temperavit, & sceleratissimus proditor fidei symbolum in tesseram convertens perfidiæ omnia perturbavit, & mundi Conditorem manibus tradidit nocentium satellitum; qui ad proditoris osculum, veluti ad ferale classicum se effuderunt in furias. Ad hujus sacrilegi sceleris patrationem citiùs tetra tristitia, si Judam occupavisset, ob denegatum sacrum epulum instigâsset: ideóque voluit, & ipsum participem fieri cœlestis epuli, quò saltem sacrilegam obtegeret Judæ proditionem: est siquidem immodica tristitia intestinus dœmon instigans, ac solicitans ad omne scelus, ut meritò Euripides eam dixerit Deam avernalem, eò quia multiplex sit ipsa, ac varium malum, imò non solum multiplex malum, eò quia ad omne scelus iter aperiat, sed etiam *multipes*, ut loquitur Posilippus *in Myrenice*, quia multis, ac diversissimis vijs, modísque varijs ad nos venit, & per plura itinera ad scelera omnia nos perducit, hinc dicitur varium malum, quia plura, ac innumera mala secum adfert immodicus mœror, unde Basilius ait: *Nimia autem tristitia author peccati esse solet, cùm mœror mentem submergat consilij inopia, vertiginem adferat penuria cogitationis, ingratum animum generet*; eo ipso, quòd tristitia mentem submergit, rationem obruit, animum premit, pravásque ejus passiones excitat ad peccandum fomitem suppeditat: & licèt absque arbitrij libertate non delinquat voluntas, nec homo in malum proruat; attamen, si mœstitudine intus prematur, & atra ejus caligine mens dejecta à sua serenitate infuscetur, incipit ratio rectis destituta consilijs, prava nutare vertigine; & suppeditante mœrore tacitum ad peccata igniculum, ac intestinum fomitem ad scelerum patrationem, voluntas liberè in hujusmodi fertur scelera, quamvis ab interno mœrore instigata; licèt enim immodica tristitia lumen infuscet rationis sua caliginosa tetricitate, ac libertatem extenuet arbitrij, quatenus vividiùs ad flagitia instigat atrociora, non tamen libertatem obliterat; neque ad delinquendum compellit, sed ad scelera viam sternit, & ad eadem voluntatem instigat, sitque propterea tristitia scaturigo omnium scelerum, ad quæ sinit voluntas per mœrorem liberè se rapi.

Orat. 12. quæst. de mœror. & tristit.

Imò non ad scelera tantùm, sed ad mortem perducit immodica tristitia, ex qua mors festinat, exsiccat enim intus ossa, cor premit, mentem perturbat, animum turbulentioribus exagitat cogitationibus, & totum hominem sus, déque evertit, donec perdat, ac in infernum pertrahat. In septennali communi illa sterilitate, licèt plurimum fuisset detrimenti passa familia Jacobi; hic tamen cunctantiùs renuit Beniaminum filium cum reliquis fratribus mittere in Ægyptum; amor enim non sinebat patrem à filio sejungi, nec hunc à patre separari, inquiens: *Non descendit filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos:* hoc est, si permisero vobis Benjaminum comitem in Ægyptum, & aliquid adversi eidem in itinere obtigerit, efficietis, ut ego duplici 62.

Genes. 42.

con-

confectus morbo ſenectutis, & mœroris moriar præ triſtitia: erit enim ſupervenìens mœſtitudo, quæ mortem accelerabit meam, unde Auguſtinus ait: *Et deducetis ſenectam meam cum triſtitia ad infernum, & ideò ad infernum, quia cùm triſtitia:* Ecce quàm perniciosus eſt triſtitia morbus, cum non ſolùm ad ſcelera viam ſternat, & mortem acceleret; verùm etiam, quod deteriùs ad infernum perducat, appoſitè D. Chryſoſtomus ait: *Diabolica operatione perniciosior eſt immodica mœroris magnitudo. Nam quos dæmon ſuperat, per mœrorem vincit. Quòd ſi mœrorem ſuſtuleris, nihil omninò mali, & incommodi tibi ab eo continget.* Rectè timet ab immodico mœrore infernum, qui noſcit triſtitiam omni diabolica operatione eſſe nocentiorem.

Quæſt. 147. in Geneſ.

Lib. 3. de provid.

§. VII.

Mœroris tetræ caligines, niſi excutiantur, lumen infuſcant mentis, & immodicâ preſſos triſtitiâ veluti cæcutientes per devia trahunt, ne vias perambulent ſalutis. Hilaris patientia beatitatem præſagit.

63. EXcutiendæ ſunt triſtitiæ caliginoſæ nubes, quæ noſtram infuſcant mentem, animo ſerenitatem ſurripiunt, cordi tranquillitatem eripiunt, lumen infuſcant rationis, ut præceps in omne proruat homo ſcelus: & quidem abigendæ ſunt, hujuſmodi tetræ nubeculæ priuſquam plus damni inferant, antequam per patrata ſcelera nos præcipites agant in tartara. Chriſtus Deus in præloquio de funeſto, ac ferali Jeruſolymæ excidio fugam præmonet imminentis calamitatis declinandæ cauſâ. *Qui in agro eſt, non revertatur tollere tunicam ſuam, væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbatho, erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet:* præmonuit Chriſtus, imminentem calamitatem fugæ beneficio declinandam eſſe, non tamen eſſe fugam protrahendam, ne calamitas priùs ingruat, nóſque feriat, quàm fuga ab ejus nos abripiat flagellis: ideóque hortatur, ut per preces ad Deum fuſas Numinis expoſcamus opem, quâ poſſimus ſtatim fugere, ne fuga noſtra fiat in hyeme, vel ſabbatho, quia neutro tempore opportuna cenſetur; non hyeme, quia hæc anni tempeſtas triſtis eſt, rigida, immitis, lurida, pigra, aſpera, deformis, in qua arbores ſuis deſtituuntur foliorum comis, vireſcente ſuo viduantur prata honore, exſiccantur enim vireta, areſcunt plantæ, intereunt herbæ, ſqualent campi, lugent horti, concreſcunt alta glacie flumina, nivibus obruuntur montes, valles, planities, ſylvæ, tellúſque tota, in qua nulla ſe oculis ſegerum, aut ſperatæ meſſis produnt indicia; quin præfocatæ quaſi in ſemine fruges, gelúque exanimatæ ſpem videntur futuri proventûs elidere, & iter non permittere.

Matth. 24.

Matth. 24.

Monuit igitur Chriſtus, ne fuga in hyeme protrahatur ſuſcipienda, quia tunc venti, tempeſtatéſque graſſantur, cœli facies ſemper turbida, minax, & irata, fugientibus minus favet, quibus propterea ob frigus, nives, pluvias, lutum, ventos, & alia tum aëris, tum viarum incommoda fuga eſt perdifficilis, & præſertim ægris, ſeniìque confectis perſæpe impoſſibilis, vel etiam lethalis. Præmonuit, ne fuga etiam in ſabbatho fieret, quia eo tempore Judæis non licebat ultra mille, imò ultra ſeptingentos paſſus ambulare. Huic tamen litterali expoſitioni aliam ſubdit myſticam, D. Auguſtinus inquiens: *Quòd ait: Orate, ne fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbatho, id eſt, ne impedimento aliquo detineamini: quia & hyeme imbribus, vel frigore; & ſabbatho, in quo proficiſci non licebat, impediebatur quis ab itinere,* & poſtea ad rem noſtram appoſitè ſubjungit: *vel aliud ne in triſtitia, aut lætitia rerum temporalium quis inveniatur à die illa:* noluit Chriſtus, ut fuga fieret in hyeme, quia hæc anni tempeſtas nubila, tetra, lurida ſymbolum eſt triſtitæ ob inopiam rerum temporalium, & ſicut hyeme ob frigus, nives, pluvias, lutum, ventos, & alia tum aëris, tum itineris incommoda fuga, vel eſt impoſſibilis, vel lethalis; ita qui ſinit ſe immodica vexari triſtitia, vix quæ imminent mala, & animi excidia fugæ beneficio erit declinaturus: immodicus enim mœror omnes evaſionis, ac ſalutis occludit vias, & baratrum duntaxat oppandit perditionis. 64.

Lib. 1. quæſt. evang. quæſt. 37.

Mœror immodicus omnia occludit ad ſalutem itinera, omnéſque impedit ſemitas; ſed vias aperit, emollitque ad æternam perniciem: imò acſi glacie concretæ, ſimúlque declives eſſent viæ, quas mœror pandit; huic qui habenas laxat, per declivia hæc glaciata itinera præceps agitur deorſum, vel quaſi in curru abſque aurigatore ad virtutis ruinam, funeſtúmque vitæ exitum feſtinus ruit; unde Auguſtinus rectè explicat: *Orate, ne in triſtitia, aut lætitia rerum temporalium, quis inveniatur à die illa,* quia mœroris tetricitas niſi ope divina excutiatur, quem occupat, perdit: excutienda itaque eſt hæc prava tetricitas, ne mentis ſerenitatem abripiat, & in profundum rapiat malorum, ídque declinaturus Regius Vates, ait: *Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum:* nimirum, ut explicat S. Athanaſius apud Lorinum, quia David mœrebat, ſeu afficiebatur triſtitiâ, hanc ut excuteret, ſnum 65.

Pſalm. 76. 7.

scopebat spiritum: seu ope divina, & gaudio spirituali, veluti scopâ Propheta verrebat, ac purgabat spiritum suum; ne quidquam sordescentis mœroris supereffet: quia ubi mœror stabulatur, ibi domicilium non est Spiritus sancti, hic enim utpote mundissimus nonnisi purgatum, ac mundum inhabitat domicilium nostri cordis, hinc Hermas Pauli Discipulus ait: *aequanimis esto, & patiens, & omnium operum nequissimorum dominaberis, & operaberis omnem justitiam. Quòd si patiens fueris* (seu urgentibus tribulationibus, & ingruentibus calamitatibus tristitiæ atras excusseris nubes) *Spiritus sanctus, qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu, sed gaudens dilatabitur, & epulabitur in vase, in quo habitat, & apparebit Domino hilaris in pace magna.*

Lib. 2. pastoral. mandat. 5.

66. Sicut igitur cordis munditiæ, & spiritûs nitor à gaudio oritur spirituali, ac interna cordis hilaritate, quæ allicit Spiritum sanctum ad domicilium cordis nostri inhabitandum: ita si ab immodica mundana tristitia domicilium nostrum inquinetur, spiritus squaleat, mens obscuretur, & cor nostrum sordescat, à nobis longiùs recedit divinus Spiritus; & quia David ægrè hujus divini hospitis absentiam tulerat, ideò per spirituale gaudium, scopebat nocte intempesta, seu purgabat spiritum suum, hoc est, excutiebat omnes mœroris tetricitates, luridásque tristitiæ caligines, animúmque in Deo exhilarabat; *quia Spiritus sanctus*, ait Hermas, *qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur, sed gaudens dilatabitur.* Non enim lætitia, quâ animus intus in Deo exhilarescit, res est vitij; sed virtutis jugis hæreditas, hæc autem mundanæ voluptati indulgentibus interscinditur, quia in voluptuosis delicijs, minimè est inquilina; secus in viris sapientibus, culturæ addictis virtutum, agnata contexitur lætitia, quæ nullo interrumpitur casu, nullâ fugatur fortunâ, quia animus perfectus virtutum studio excultus semper tranquillus est, ac hilaris; non enim lætitia, quæ virtutis est fœtus, ex alieno pendet arbitrio, nec favorem hominum quærit, nec minas expectat novercantis fortunæ: intrinseca est nobis, perinde ac virtus, quâ animus exornatur; & licèt nobis non sit innata; est tamen nobis agnata; hanc enim parturit, quæ in nobis residet virtus obstetricis gratiæ beneficio, & quia in nobis efflorescit, mentem pacatè tranquillat, nec finit etiam in calamitatibus, animum turbari, nec tristari ærumnis, neque dedecore dehonestari mœroris, quin potiùs ex calamitatibus exterius ingruentibus fomenta inde sumit, quo intus uberiùs exhilarescit; imò beatur ærumnis, ac calamitatibus animus hac affectus lætitia, quia verbera, & calamitates utpote quid extrinsecum pulverem excutere quidem possunt è cute extima corporis, non intus mentem pulsare, cui potiùs sunt solatio, quia inde ansam sumit, magis gaudendi.

Hinc S. Zeno vocat *beatas calamitates.* 67. Asserit calamitates, & corporis cruciamenta beatitudinis participes, beatas calamitates, quia hæ sunt, quæ viris probis virtutum studio addictis viam ad æternam sternunt beatitatem, sunt binæ alæ, quibus vir pius excusso quovis mœrore, munitus sursum avolat, quia non sinit mentis serenitatem à tetris mœstitiæ fœdari nubibus, hinc Tertulliano quærenti. *Quæ igitur negotiatio patientiæ in corpore?* præmaturè respondet D. Paulus. *Gloriamur in tribulationibus*: quia viro forti, ac pio calamitatum, ac tribulationum procellæ mentis jucundam serenitatem non abripiunt per invectam mœstitudinis tetricitatem; non enim sæviens calamitas, anxia tribulatio, dolor ærumnosus, infame dedecus, probrosus labor in ijs, qui christianas excolunt virtutes, sollicitant mœrorē, nec lachrymas cient, quin potiùs festivum pariunt gaudium, gloriásq; negotiantur beatas; quapropter Tertullianus sermonem instituens de primævis Christianis Martyribus, qui suo sanguine sibi purpuram tinxêre, pluribus eos laudibus commendat, cum suis rapti domibus in carcerem traherentur, ac in ejus detruderentur cæca, & humescente tetricitate; móxque è carcere ad patibulum educerentur pædore squalidi, inedia emaciati, fame sumpti, macie titubantes, barbâ, & capillis intonsi, pallore deflorati, diuturno carcere flaccidi, execrationibus turpes, & ad omnia sævitiæ cruciamenta destinati; ait ipse. *Producitur Martyr ad experimentum felicitatis ad ipsum divinæ sedis ascensum*, quia per cæcas carceris tetricitates ad gloriæ martyres vehebantur splendorem; vinculis ferreis, quibus detrusi detinebantur carceribus, veram sibi libertatem negotiabantur; inediâ, qua absumebantur corporis membra, vegetior nutriebatur spiritus; pædore, quo vultu squalebant, intus animum reficiebant; inflictis sibi vulneribus in perpensione Martyrii viam spiritui per corporis patentia spiramenta aperiebant ad cœlestem gloriam, quæ fuit negotiatio patientiæ in corpore, pluribus tortto cruciamentis: *Gloriamur in tribulationibus*, quia semper mente hilares, spiritu jucundi, animo læti, nullam admiserunt mœroris tetricitatem, nec atræ tristitiæ caliginosam nubeculam, quâ animi inficeretur arridens serenitas, & ideò corporis cruciamenta æternæ felicitatis fuerunt experimenta: *producitur Martyr ad experimentum felicitatis, ad ipsum divinæ Sedis ascensum.*

Lib. 2. de patient. c. 1. *Ad Rom. 5.* *Loc. cit.*

68. Mundi deliciæ, carnis voluptates, concupiscentiæ lenocinia, ac reliqua, quæ in mundo sunt blandimenta, quia fugitiva, nugatoria, & fallacia mœroris potiùs inducunt

ducunt

ducunt tetricitatem, quàm ullius gaudij adducant jucunditatem; ideóque mundi assueti delicijs dolent, mœrent, tristantur, quia umbratiles, ac fugitivæ mundi deliciæ nonnisi interni mœroris adferunt cruciamenta. Cùm è converso, qui crudelioribus supplicijs pro Christo libenter destinantur; in ipsis corporis cruciamentis, incipiant animo experimentum cœlestis gloriæ in terris prægustare, sibique ad sublimem empyream felicitatem auspicari ascensum, adeò ut jucundi, ac læti martyrio purpurandi ad cruciatus, lanienas, cruces, eculeos, secures, gladios, ignésque voraces, patibula, & mortem irent; nec unquam starent ita intrepidi, & securi, quàm cum sub securi cervices flecterent, quasi in martyrio non corpus torqueretur Martyris, sed fides puniretur exultantis martyrio: cùm enim Christiana fides tyrannorum periclitatur persecutionibus, Martyres cruciatuum gloriantur felicitate, qui propterea non tam producuntur ad martyrij cruciamentum, quàm ad felicitatis experimentum.

69. Non enim irremuneratos dimittit Deus labores, qui in virtutum cultura, spiritu exultante, corde hilari, læto animo, menteque serena tolerantur. Job Post sævientes procellas, diverberantes tempestates, affligentes calamitates, opprimentes ærumnas, quas invictâ patientiâ, loricato pectore, læto animo, inturbatê mente pertulit, tandem non solùm pristinæ fuit fortunæ, sed pinguiori etiam restitutus. *Et addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job duplicia:* quia calamitatibus obrutus, ulceribus scatens, ærumnis obsessus nullam admisit mœstitudinis tetricitatem, sed læto jugiter animo, mente jucunda, spiritu hilari singulos jugiter retudit ictus hostis insultantis, districtósque elusit mucrones, irritósque effecit assultus, ideo multiplicavit Agonotheta Deus Jobo armenta, greges, censum, prædia, ætatem, domos, gloriam; sed non ita filios duplicavit, sed tantùm tot accepit, quot in calamitatibus domûs ruinæ oppressêre, ac vivos sepeliêrunt. Quid? quòd cum cætera duplicentur, armenta in campis, greges in agris, segetes in montibus, vallibus, ac planitiebus; census, divitiæ, pecuniæ, gemmarum nitores, auri pondera, ætatis dies: *Et addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job duplicia*, filios tamen non duplicat? quid? quòd cùm cætera bona duplici aucta fœnore, ac numero acceperit, soboles non etiam in ampliorem excreverit numerum? non me latet, plurimum impendisse laboris SS. Interpretes, in hac solvenda quæstiuncula, sed unus cæteris mihi videtur præferendus Tertullianus, inquiens: *Jobus, quæ amiserat, reduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur, sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij. Sustinuit hanc voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret:* recuperavit igitur Jobus aucto numero bona, quæ sæviente procellâ perierant: non ita ei, quam susceperat, proles duplicatur, quinimo ultro recusat redivivâ dilectæ sobolis restaurationem, malens voluntariam sustinere orbitatem, ne scilicet absque aliqua patientia deinceps dies protraheret suos: quapropter recusata duplicatæ sobolis restauratione, *maluit in die illa reddi sibi tantum gaudij.*

Job cap. 42. v. 12.

Lib. de patientia c. 14.

Neque quid aliud fuit hoc gaudium, quàm lugubris filiorum orbitas, quæ per patientiæ exercitia, ac sanctioris fortitudinis culturam, fructus duplicavit lætitiæ: non enim ex sola pristinæ felicitatis restauratione excrevit Jobi lætitia; verùm etiam ex lugubri filiorum orbitate, quia viro pio virtutum cultori, etiam ærumnæ, tribulationes, & orbitates, fomenta suppeditant gaudij; imò inter primas lætitiæ causas funestè recensentur filiorum funere, cum noluerit sibi filios restitui, ne sine aliqua viveret patientia, *sed*, ut ait Tertullianus: *maluit in die illo reddi sibi tantum gaudij:* nimirum luctuosam dilectæ sobolis orbitatem. 70.

Ærumnæ igitur, & calamitates, quibus viri pij premuntur, secta sunt ænigmata, quæ in extimo cortice aliud videntur indicare, quàm quod intus magis significent: externis sensibus angores intimant, dolores inducunt, contumelias invehunt, cruciatus adferunt, sed intus spirant in animo blandimenta lætitiæ, prosperitatis delicias, ac gloriam beatitudinis; hæc est ænigmatica humanæ calamitatis felicitas extrinsecùs gaudio destituta, sed intus delicijs effluens, ac solidiori diffluens lætitiâ, ideóque rectè ajebat Apostolus. *Gloriamur in tribulationibus*, quia hæ licet viris improbis, mundique assuetis voluptati tetras mœroris adferant caligines, quibus mens obnubilata tristatur, viris tamen pijs virtutum exercitio illustribus, lætitiam duplicant, ac mentis promovent serenitatem. 71.

Ad Roman. 5.

Ostensurus Christus arcanæ suæ beatitudinis gloriam præaltum Thaboris verticem conscendit, ubi cœperunt ejus vestimenta nivali candore albicare, facies fulguribus coruscam scintillare, & singula corporis membra dotibus prænitere beatitudinis. Oculati testes adfuerunt Discipuli, ac Judaicæ gentis Proceres. Quidni dum intensissimi splendoris jubare circumfusum Christi corpus emicat, suspicitur in cœlo nubes lucidissime opaca, quæ novo Regi novum adaptat solium, novúmque intra blandimenta candoris thronum felicitatis, verùm nescio quis fragor, veluti ex imminentis nubis disrupto sinu auditur, fuitque vox Dei 72.

Matth. 17. Patris dicentis. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

73. Sed cur Patris vox audita in Thaboris vertice fuit? an quia Deus Pater cognatum filium in gloria agnoscere voluit, quem in dedecore, in opprobrijs visus fuerat quasi ignoràsse? sed si vertex Thaboris, vestium candor, frontis splendor, & totius corporis summa claritas divinam Christi filiationem illustri ostenderunt testimonio? cur cum filius esset, Deus Pater in Christi calamitatibus, quasi mutus tacet, nec filium fatetur in ignominia, quem dilectum unigenitum agnoscit in gloria? etenim nascitur Christus rigente hyeme, exclusus à diversorio, reclinatus in caula, qui ab Angelis cœlesti adoratur in aula; medius jacet inter bruta animalia, cui cunæ sunt paleæ; integumenta linteola detrita; mox susceptâ fugâ adit Ægyptum ferociam declinaturus Herodis ad internecionem persequentis, impetitur maledictis, conviciatur contumelijs, alapis dehonestatur, sputis contaminatur, verberibus cæditur, injurijs lacessitur, columnæ alligatur, cruci affigitur, & tamen tot inter ærumnas, ac prementes calamitates præclara Patris vox audita non fuit, & tunc tantòm magnifica voce divini filij gloriam buccinat os Patris, cùm in Thaboris secessu, in montis vertice gloriosus apparet. Quid hoc? nisi quia post exantlatos labores, hilari animo, mentéque læta post perpensas ærumnas, tolerata opprobria, ac superatas procellas, tandem serenitas succedit arridens, & cœlestia gaudia hujus vitæ auspicantur ærumnæ? tormenta corporis semina sunt deliciarum, quibus exultat spiritus; labores enim, & calamitates beatitudini præludunt. Nimirum dum Christus atrociter torquetur, contumeliosè dehonestatur, satis prospicuè commendabatur à lenta patiendi gloria, quia ipsa virtutum exercitia satis deprædicabant patientis Christi divinitatem, quapropter ait Ad Rom. 5. Apostolus. *Gloriamur in tribulationibus*, quia tribulatio in homine intrepido, læto, & jucundo, vel gloriam supponit internam, vel eam ponit; nec indiguit Christus, cum pateretur alio suæ divinitatis, & gloriæ testimonio, quàm ipsa inconcussa patientia; cum primùm verò tantisper patiendi intermittitur exercitium in Thaboris secessu, tunc adest æterni Patris vox, quasi substituta gloriæ patiendi, quæ divinam Christi manifestaret filiationem.

74. Calamitates igitur, & ærumnæ, ubi mœroris non invehunt tetricitates, ibi produnt æterni gaudij quandam veluti prægustatam felicitatem; & in Christo abundè divinitatem manifestârunt, quæ secum consociatam trahut æterni gaudij felicitatem. Hæcque ratiò, cur Judæis petentibus à Christo in cruce pendente, ut ex cruce gloriosè descenderet, sponsione facta eum pro vero Deo suscipiendi, noluerit importunis eorum satisfacere petitionibus: quærebant nimirum descensum è cruce testimonium divinitatis, cujus ascensum eum declarâsse filium Dei testata sunt elementa ipsa, terra motibus quassata, lapides scissuris disropti, aër insueta caligine obductos, sol suo viduatus jubare, luna eclypsin passa, sydera suo Conditori parentantia: & cum Christi in crucem ascensus ejus proderet divinitatem, quam creaturæ etiam sensibus destitutæ sensêre, soli Judæi petentes è cruce descensum agnoscere noluerunt, pulchrè Tertullianus. *Hinc vel maximè o Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam ejusmodi nemo hominum perpetraret.* Lib. de patient. cap. 3.

75. Cùm igitur ex ipso in crucem ascensu, se perspicuè Deum probâsset, supervacaneus erat è cruce descensus, quem anhelo desiderio petjêre Judæi; supervacanea etiam erat Dei Patris vox, quæ opportunior audita fuit in Thaboris vertice, in montis secessu. Calamitates, & ærumnæ, ubi mœrores non invehunt, nec mœstitiæ tetricitates, æternæ beatitatis, verique gaudij sunt externa indicia; hinc de Dei ecclesia dicitur. *Nigra sum, sed formosa filia Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis:* Cant. 1. v. 5. Nimirum ecclesia exercitijs addicta summarum virtutum extrinsecus apparet quidem denigrata, squalida, & emaciata ob exercitia patientiæ, & pœnitentiæ in tolerandis æquo animo, mentéque hilari calamitatibus, tribulationibus, laboribus, persecutionibus, ac ærumnis; intus tamen læta, & jucunda nitet, ac ridet: sic fatur S. Zeno Veronensis de tribus pueris in æstuante fornace securis à tutela periculi, ait enim de Daniele. *Ubi jactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos devotè cupidus ignis excipit. Lambunt roscidos flamma blandientes. Mira res! opacitas intus, incendium foris est. Intus hymnus canitur, foris ullulatus auditur:* Serm. 5. quia tota tristitia extrinsecus obstrepebat in flamma, cùm intus gaudium mentem exhilararet; si enim mœror mentem occupâsset, vel ipse solus tortor fuisset, quia nullum tormentum acerbius tristitiâ, quæ intus fovetur.

§. VIII.

§. VIII.

Internus mœror vermis est viscera corrodens, tinea cor exedens, serpens animum suo exitiali veneno inserimens. Qui sapit, improbam omnem à se mœstitiam abigit.

76. Est internus mœror, qui mentem obtundit, & cor distorquet, vermis, qui viscera rodit, tinea quæ cor exedit, & animi gehenna. Quilibet depravati appetitûs interior motus vulnus est animæ, quæ propterea ex inflicto vulnere saucia languescit; verùm inter affectus pravos nullus est, qui fœdiùs animum turbet, quàm interna tristitia, cor enim corrodit, & viscera exedit, ut ait Salomon: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi:* est enim animi tristitia vermis edax, qui pectus corrodit; fellea amaritudo, quæ animum inficit; si tinea est mœror, viscera corrodit, & consumit; si tetra, & opacata nebula, mentem obscurat, ejúsque abigit serenitatem; si truculenta tempestas, spiritum turbat, & tetrarum cogitationum fluctibus exagitat; si gladius, vulnera infligit, viscera transfigit, & pacem cordis destruit; si animi spina esse dicatur, pungit, cruciat, & vulnerat; si teterrimus fumus ex flamma iracundiæ evaporans, lachrymas elicit, & luctus spargit; si ignis, pectus succendit, cor inflammat, animúmque stimulat ad omne flagitium; si pestis serpens in animum, hunc coinquinat, inficit, corrumpit, at tandem interimit; si venenum, vitæ tœdium ingenerat, & intima viscera inficit; si fel, à cibis ablegat saporem; si tetra caligo, lucem aversatur, & à rebus aspectu jucundis gratiam eliminat; si confusa mentis tempestas, naufragia minatur, & apparat; si fluctus, mentem perversè commovet, & turbat; si feralis umbra, splendorem abigit virtutis; si obstrepens nubes, mentis adimit serenitatem; & tandem si tristitia noctis filia dicitur, diem abigit, & solas quærit tenebras, quibus sua contegat flagitia.

Proverb. 25. num. 21.

77. Quis igitur tristitiam non dixerit, cruciatuum gehennam, quâ Deus impios, etiam dum adhuc vivunt, mirè torquet, ac distruciat: etenim de impio cujus animum sua mœror occupat tetricitate, ait Job: *Anima illius super semetipso lugebit*, quia nimirum intra se ipsum habet peccator mœrore confectus, unde crucietur; quia intra se habet, unde mœreat: quia terrenis voluptatibus, gaudiísque indulgens mundanis non à Deo, sed à creaturis lætitiam venatur, quæ vera non est, sed personata, cui si larvam detrahas tristitia, & luctus est; ideo cùm non vero gaudio lætetur, sed sub larva lætitiæ mœrorem foveat, ac proprium nutriat intus tortorem, ejus anima in se habet, quo lugeat. Vir pravus liberius ut delinquat, si non lætetur in scelere, gaudium tamen simulat, sed suæ simulationis pœnas luit, cùm mœrorem intus alit, quem scelera ipsa gignunt; satis enim torquetur, qui intus mœret, ideóque gaudia, qui quærit inter mundanas voluptates, ac scelera, mœrores invenit, quibus acriter intus punitur, ut proprii sceleris pœnas luat, ait enim D. Gregorius: *Dignum est ut in se semper homo mœrores inveniat, qui derelicto creatore in se gaudium quærebat.*

Cap. 14. 22.

Lib. 3. moral. cap. 13.

78. Est igitur impius proprij sui cruciatûs author, & absinthium amaritudinis intra pectus nutrit, cujus corrosione, morsúque assiduo jugiter dilaceratur. Non enim immunis est à vulnere, qui tristitiam intus fovet; est enim hæc acutissimus gladius, quo Deus vindex scelera punit, & præcordia transfigit improborum, & prætertim superbientium; qui si aliquid contra spem sibi accidisse senserint, affliguntur, & mœrore contabescunt. Etenim ingenti militum copia fretus Rex Antiochus, ac numeroso munitus exercitu animo moliebatur, Hebræos suo proprio sanguine extinguere, ac ultima internecione delere: cúmque superbo fastu tumidus nuntium expectaret, qui delatam à suis militibus victoriam narraret; suorum cruentam audivit stragem, & non sanguine Judæorum Hebræos delevit, sed Judæi Antiochi milites, ac exercitum fregerunt, ac prostrârunt, & eò gloriosiorem de victo Antiocho celebrârunt Hebræi triumphum, quo sperabat Antiochus fore, ut uno conflictu gens cuncta Hebræa periret; cúmque per nuntium audivisset Rex cruentam stragem suorum militum fusam ab Hebræis, qui non ut homines sed ut ferocientes leones irruerunt, pugnârunt, simúlque hostes prostrârunt tristatus est Antiochus, qui spem in mœrorem mutavit, quo pœnas daret propriæ superbiæ: *Factum est, ut audivit Rex sermones istos, expavit, & commotus est valde, & cecidit in lectum, & in languorem præ tristitia, quia non factum est ei, sicut cogitabat:* & dupliti propterea expugnatus conflictu, externo in prostrato exercitu, & interno in invecta in animum tristitia; si non cecidit in castris gladio, cessit tamen intus in animo mœrori; fuit enim hic pugio, quo intus vulneratus, miserè periit; cùm enim sibi ex voto conflictus non contigisset in campo, & bellum non speratas sibi attulisset palmas, sed ferales intulisset cupressus, à tristitia dilaceratus, succubuit, ac miserè periit; & quem non prostravit ferrum in campo, vulneravit mœror in animo: & quia non stetit ejus exercitus, ut vinceret, cecidit ipse mœrore confectus, ac debellatus, *cecidit in lectum, & in languorem præ tristitia:* est siquidem internus mœror gladius, qui viscera transfigit, animum sauciat, & hominem interimit.

1. Machab. 6. num. 8.

79. Non est à procellis, ac tempestatibus liber terrâ, qui intùs exagitatur tristitiâ,

Mare mens hominis est, ait D. Gregorius lib. 12. moral. cap. 2. *& quasi fluctus maris cogitationes mentis:* perinde ac pelagus suis obnoxius est animus tempestatibus, & sicut naves æquora trajicientes tempestatum furore, fluctuúmque decumanis tumidiorum agitatione ad naufragia trahuntur; ita homo tristitiæ exagitatus procellâ inter fluctus, flatúsque turbulentissimarum cogitationum periclitatur; & sicut oborta in mari tempestas cœli adimit serenitatem, nubium tetricitatem advehit, diem surripit, & singula tetra, ac confusa caligine opplens sus, déque omnia evertit; ita qui fluctibus exagitantur tristitiæ, ventorúmque, seu pravorum affectuum mœroris aguntur flatibus, omnem abigunt ex animo, ac mentе serenitatem, omnémque veri gaudii lucem, quia nullo acerbiori quassantur turbine, quàm tristitiâ, quâ solâ Deus satis pœnas ab impijs exigit, propterea spondet

Osee, c. 12. per Osæam; *Cessare faciam omne gaudium ab eis:* Mare cernimus procellis commotum ab imis usque gurgitibus, undique revulsum, navis dissolutas partes, nautarum cadavera summis undis fluctuantia, ex nautis superstitibus alios pessum euntes, viribúsque jam destitutos fluctibus cedere, ac obrui, alios arreptis dissolutas fractæ navis tabulis, cum marinis fluctibus luctari, ac sursum, deorsum agi; cernimus innatantia aquis tabulata, prærupta dilacerata vela, conscissa arborum carbasa, effractos malos, remósque è nautarum manibus dilapsos, naucleros non ampliùs ad clavum sedentas, sed tabulatis insidentes; & cùm omnia sus, déque eversa sint, non audiuntur nisi gemitus, & ejulatus.

80. Idem, contingit homini mœroris procella, ac tristitiæ fluctibus intus exagitato ejus enim mens acerbo quassatur turbine, fluctibus agitatur decumanis, seu tetrissimis cogitationibus trahentibus ad scelera, quibus fœdum patitur naufragium, quia recedentes à Deo refugiunt ab omni hilaritate, in procellas incidunt tristitiæ, & fluctuantibus tetris cogitationibus exagitati ad naufragium volentes pertrahuntur: & hæc interna animi fluctuantis tetra tempestas, quam mœror inducit pœna est, quâ Deus improbos torquet.

81. Est siquidem mœror tortor, qui intus pœnas exigit scelerum; hinc Deus improbi Caini tortorem tristitiam posuit, à qua sola torqueretur acriùs, quàm à quovis alio externo carnifice interfectore. *Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*, nec aliud fuit hoc signum, quàm tristitia, quæ ejus frontem occupabat extariùs, & animam torquebat interiùs: cúmque tortorem internum pateretur mœrorem, scilicet dirè torquentem; alio non indiguit externo carnifice; mens enim, quam mœror occupat, satis intus torquetur, & quidem acriùs, quàm à quovis alio externo tortore; ipse enim tetræ, ac flagitiosæ cogitationes cruciatus sunt, quibus animus torquetur: idque causæ, cur plerumque, qui mundi gaudiis, ac voluptatibus indulsêre, alio, dum hìc vivunt, non puniantur supplicio, quàm interno mœrore, qui semper appendix est mundanæ voluptatis: faciliùs enim mœrent, promptiúsque tristantur, qui cæteris proniores fuerunt in mundi gaudia: cùm enim deliciis diffluant, mundi illecebris vacent, & humano gaudio læti, omnia à se nitantur molestiæ lenticeta abigere, non tamen internum possunt mœrorem excutere quò diriùs configuntur, ac languescunt.

Idqua experti fuêre in aula Pharaonis Eunuchi, qui cùm sibi pollicerentur conferri Regis beneficia, nonnisi hilares, ac jucundi inter poculenta, & esculenta Regi suo ministrabant. Sed ipsa jucunditas tristitiam ijsdem propinavit, & mœrorem ex lætitia hauserunt, feliciores fortassis futuri, si non fuissent ita jucundè lætati; cùm enim gaudere, & ridere assueverint ad mensam Regiam, & recessissent ab illo obsequio, quod tenebantur Regi præstare, è mensæ ministerio projecti in tetrum fuêre detrusi carcerem, & spe destituti inde evadendi miserrimos inter tristitiæ, & carceris tetricas tenebras dies ducebant quavis nocte tetriores intus excruciati, quia mœrore contecti: hinc Joel *Flete, & ullulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro lætitia, & gaudium*, quæ verba expendens Cyrillus Alexandrinus ait: *Consuetos vivere in jucunditatibus, lachrymas fundere oportebit*, quia personata sunt humana gaudia, & fictæ lætitiæ; quibus si larvam detrahas, nonnisi luctus, mœrores, & lachrymas deprehendis; sub mundi falsa lætitia vera latet miseria, & si personam, quam fingit, deponat, nonnisi luctus, & mœrores spectatoribus imponit, quia ut scitè D. Bernardus *Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia*, & quò magis falsa ast mundi lætitia, eò major, & verior ast miseria; & miseriæ adjicit miseriam, qui se miserum nescit, cùm verè miserrimus sit: quia per accessum ad mundanas lætitias à Deo recessit, qui recessus summa est miseriarum. 82.

Joel cap. 2.

Lib. de gratia & libero arbit.

Quamvis omni ex parte deliciis obsopiantur, mundique lenociniis ad risum mundani provocentur; cùm tamen ridere videntur, non verè gaudent, sed risum simulant à vera lætitia prorsus alienum, similes salicibus dixeris mundi lætitias, adolascunt, crescúntque salices fluentis irrigatæ; sed fructibus stariles, pomia viduatæ, & amaritudinis duntaxat fœcundæ; mundi siquidem gaudia fluxis delectantur voluptatibus, sed ut salices prorsus sterilescunt, cùm nullum dent virtutis fructum, & mœrorem ingerant, cujus amaritudine inficiuntur, & torquentur; miscet enim Deus felle mundana gaudia, ut desuescant homines terrenis inhiare 83.

hiare

hiare deliciis, quarum pedissequæ tristitiæ sunt, quæ animam affligunt, enervant, ac distorquent: ubi enim tristitia mentem occupat, ibi malorum omnium genera suas exerunt vires, quibus acriùs sæviunt, non igne, nec ferro, nec veneno, sed malorum omnium invectâ tristitiâ, cujus ope plagæ omnes Ægyptiæ cor Pharaonis dicuntur ingressæ:
Exod. 9. v. 14. *Mittam omnes plagas super cor tuum:* punit Deus peccatores, quandóque acriùs interno mœrore, quàm externo tortore. Parêre Numinis jussui detrectaverat Pharao, cujus cor induratum flexile ampliùs non fuit, ad
Exod. 9. parendum Deo imperanti: *Induravit Dominus cor Pharaonis*, quia nimirum suæ fuit voluntati obstinatæ relictus, induratur enim, qui à Deo suæ voluntati permittitur, & gratia ab eo subtrahitur, quâ cor emollitur: perinde ac Sol dicitur lutum indurare subtrahendo, & attrahendo humorem, qui duritiem luti temperabat, ac emolliebat; hinc cor induratum est, ut ait D. Bernardus
Lib. de consid. ad Eugenium. *quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis; quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futurorum improvidum, & ut brevi cuncta complectar, cor durum est, quod nec DEUM timet, nec homines reveretur.*

14. Ubi cor semel in vitiis, & pravitate induruit, consilia sana non audit, imò ut ait
Eccl. 2. Salomon: *Lætatur cùm malè fecerit, & exultat in rebus pessimis*, & Proverb. 18. *Contemnit, cum venerit in malitia profundum:* siquidem proscribit pudorem, nescit sanum consilium, emendari recusat; mala, quæ imminent non videt, conscientiæ stimulos non sentit, vitiorum catenam ex consuetudine nectit; turpia hominem delectant, & mala ipsi placent, & arrident; & ideo mali putredini non prosunt alexipharmaca, & quæ priùs vitia fuerant, ex insolita prava consuetudine transeunt in mores: talis fuit Pharao, cum nec Dei mandatis obsequi voluit, neque ad flagella flecti, quæ non solùm exteriùs corpora, verùm, & acriùs intus animum, & cor Pharaonis torserunt, *mittam omnes plagas meas super cor tuum*, hoc est mentem tuam meis obruam plagis, cædam flagellis. Sed quomodo plagæ mentem potuerunt Pharaonis torquere, si vix ejus corporis membra pulsârunt? scimus enim has plagas utpote corporeas spiritum minimè per se affecisse, decem siquidem fuerunt hujusmodi plagæ, quarum prima Nili undas infecit: Percussit enim Mosea virga Nili fluenta, quæ spissum illicò conversa sunt in cruorem, cujus infecta qualitate piscibus, & crocodillis extinctis putrescens aqua ad potum inhabilis effecta fuit Ægyptiis, cúmque hæc plaga cæteras quoque aquas lacustres, pluviales, & fontanas infecisset, corpora duntaxat, potuerunt siti torquere denegatâ frigidâ, quâ ejus ardor extingueretur.

Hæc igitur prima plaga corpori potiùs torquendo, quàm menti affligendæ fuit accommodata. Ut etiam secunda, quæ fuit ranarum immensis producta multitudo, quæ coaxatione, lue, sordibus, saltúque invenusto, quidquid in Ægypto publicum fuit, & penetrale replevit, infecítque. Idem præstitit tertia plaga, quâ ciniphes, seu culices è telluris educti pulvere turmatim nubium instar sursum per aëra avolârunt, solem abripuerunt, diem imminuerunt, quatenus eorum examina, perinde ac extensæ nubes totam obumbrârunt Ægyptum, aculeatis stimulis corpora terebrantes: & quamvis nares, aurésque pervaderent, & in oculos molestè involarent, non tamen mentis recessus penetrârunt. Ciniphibus muscæ successêre, & quidem omnis speciei, quarum copiæ volatu, proposcide, morsu, fœdóque tactu, corpora quidem mordebant, & mensas, fercula, dolia, vina pervagantes omnia inquinabant, & molestiæ Ægyptiis erant. Post muscas pecorum, ac hominum pestis singulos Ægypti tractus enectis opplevit cadaveribus. Ulcera itidem turgentia, corpora corruperunt, hominum membra torserunt, & necem plerisque intulêre. Aliæ etiam ad denarium numerum complendum successêre plagæ, cecidêre siquidem è cœlo insuetæ, ac inauditæ magnitudinis grandines, fulminum mixtæ decursu, quibus successerunt locustarum in campis molestissimi exercitus, & post locustas, secutæ sunt densissimæ triduanæ tenebræ, quæ totam funestârunt Ægyptum, & tandem ultima plagarum cædes fuit primogenitorum; hæc enim plaga districtis divini Imperii romphæis quidquid in tota Ægypto natum primò fuerat sive jumentorum, sive hominum interemit; & hac postrema plaga Pharaonis etiam cecidit filius in spem destinatus imperii, & in fulcimentum familiæ. 15.

Scio hisce decem plagis puniri à Deo etiam alios peccatores si symbolicè sumantur: per sanguinem enim dissidia intelliguntur, quæ humanum semper sanguinem sitiunt; aquæ enim potabiles Ægyptiis in sanguinem conversæ discordiam signabant repentem in intima Reipublicæ viscera. Per ranas rixas, & tumultus, qui ex dissidiis manant significari, perspicuum est. Ut etiam per culices, solicitudines, quæ peccatores mundi inhiantes commodis, ac divitiis pungunt, & torquent. Muscæ caninæ pravos itidem produnt affectus iræ, & odij. Sunt enim hæ pravæ passiones, quæ muscarum instar mordent, & laniant. Per animalium pestem oblectamenta produntur in rebus terrenis, quæ dolores potiùs, & tormenta, ac tandem necem inferunt, quàm ullum ingenerant gaudium. Ulcera viscerum stimulos produnt conscientiæ; solent enim 16.

quasi

quasi ulcera dolorem simul, pudorem, ac horrorem adferre, Grandine obstinata duritiies indicatur in scelere: ut etiam locustis inquietudo, & tyrannis concupiscentiæ; tenebris mentis cæcitas, & morte primò generorum animæ interitus, & damnatio.

87. Exod. 9. Superest tamen difficultas, quomodo denæ hæ plagæ intelligantur immissæ super cor, seu animum Pharaonis: *Mittam omnes plagas meas super cor tuum* si corpori excruciando fuerunt adaptatæ, quomodo diruntur spiritum, & mentem subjisse; cor enim animam in homine prodit, quomodo igitur ranæ, muscæ, locustæ, sanguinei Nili fluctus, ulcera, grandines, ciniphes, cor, seu spiritum dicuntur penetrâsse Pharaonis? appositè respondet Cajetanus, fuisse decem prærecensitas plagas missas super cor Pharaonis, quatenus singulæ, tristitiâ, & mœrore cor ejus affecerunt, ac infecerunt, ait Cajetanus: *singula affecerunt cor ejus tristitiâ.* Fuit enim una in animo Pharaonis tristitia omnium plagarum compendium; & quia de singulis plagis tristitiam Deus immiserat in cor Regis, rectè intelligimus, plagas omnes super cor Pharaonis misisse. *Mittam omnes plagas meas super cor tuum.* Æquè tristitia intus Pharaonem deterrebat, ac exteriùs cæteros Ægyptios tonitrua, & fulgura; perinde corrodebat Regis præcordia immissus mœror, ac roderet locusta segetes; perinde terrebat Pharaonis mentem exortus mœror, ac offusæ divinitùs tenebræ Ægyptios populos omnes; perinde tristitiæ curæ viscera torquebant Pharaonis, ac grandines messes, & arborum palmites conterrerent; perinde importunè mœroris internus tortor animum divexabat, sicut ranæ, & muscæ manui, ac vultui erant exteriùs molestiæ; ideóque unus mœror plagas omnes in animum introduxit, quibus acriùs torqueretur. *Mittam omnes plagas meas super cor tuum,* nimirum ut ait Cajetanus; *quia singula affecerunt cor ejus tristitiâ:* eatenus plagæ singulæ ingressæ fuerunt cor Pharaonis, & animum torserunt, quia mœror de omnibus ejus infecit mentem, cruciavitque spiritum.

§. IX.

Immodica tristitia morborum omnium in unum est collecta congeries, omnique est ægritudine noxior, partim, quæ hominis nobiliorem invadit; & nisi excutiatur necem infert.

88. Est immodica tristitia cruciatuum omnium ferale compendium, & morborum omnium in unum collecta congeries; nulla enim ægritudinum adeò noxia est, sicut tristitia; cæteræ enim ægritudines, vel corpus torquent, vel humores corrumpunt; tristitia verò partem hominis nobiliorem invadit, & torquet, & faciliùs quos inficit interimit, quia ut ait Siracides; *Multos occidit tristitia;* imò adeò noxia est, ut vel ipsa infausta nuntia plus adferant doloris intus in mente, quàm exteriùs inflicta vulnera in corpore. Idque causæ cur fratres Josephi noluerint ejus necem patri nuntiare, sed famulos conduxerint, qui tunicam Josephi recenti sanguine madidam Jacobo deferrent: *Mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent, hanc invenimus. Vide utrum tunica sit filij tui, an non.* Quid? quòd non aliquis ex tot fratribus Josephi tunicam ad Patrem Jacobum detulerit, sed potiùs per servos eam miserint recenti sanguine madentem? Quid? quòd in dubium revocent, an Josephi sit tunica, cùm certò sciant, ad ipsum duntaxat spectâsse? *Vide utrum tunica sit filij tui, an non?* nimirum ausi non fuerunt per se ipsos hoc de nece filij triste nuntium deferre patri, ne summum eidem dolorem ingererent; cùm scirent nonnisi molestissimam potuisse contingere inopinam hanc Josephi filij necem; & per ingestum intus mœrorem, seu animi sæviorem tortorem, arctiores fuisse experturum cruciatus; ne igitur per invectum mœrorem vulnera hæc dolorifera paternis infligerent visceribus, maluerunt per famulos Josephi necem inopinam patri nunciare, ut de servis potiùs ansam sumeret dolendi tristia gerentibus, & mœrorem intus ingerentibus, quàm de reliquis filijs occasionem caperet sinistrè suspicandi, qui propterea ne ab ipsis crederet pater immissos servos, eos etiam instruxerunt, quò à Jacobo patre quærerent, num tunica esset illa Josephi: *Vide utrum tunica sit filij tui, an non?* scilicet ingesta dubitatione fategerunt, omnem è mente patris dubitationem delere, quòd fratres Josephi aliquid mali fuerint in ejus perniciem moliti.

Ecclesiast. 30. Genes. 37.

89. Tametsi lethali odio Josephum somniatorem fuissent reliqui fratres aversati, non tamen ansam mœroris Jacobo patri dare voluerunt, scientes invectam tristitiam sævissimum esse animi tortorem: hinc etiam Samson fortissimus hominum, cùm luctatus in campo fuisset cum leone, quem etiam compresso jugulo strangulavit; ne ullam parentibus tristitiam adferret ob periculum, in quod se injecerat luctando cum leone, noluit ijsdem egregium facinus, delatámque victoriam nuntiare, si enim conflictum cum leone parentibus retulisset, utique recurrente in eorum præcordia filij periculo mœstitudine excruciati fuissent; ideóque ne tormento ijsdem esset, & dolori, maluit de victoria insigniter delata silere; quàm levem occasionem præbere tristitiæ; siquidem non solùm tristitia ipsa mentem torquet, sed & ipsa tristia nuntia animum feriunt; sítque propterea vel solùm tristitiæ nomen cruciatus, ac doloris omen, imò & plerumque ipsius mortis, ut Lepido victoriis insigni con-

contigit, de quo refert Plutarchus in vita Pompei: *Timore Pompei fugit Lepidus, qui morbo correptus est Sardinea. non tantùm ad versa fortuna actus, quàm quia ad litterulas inciderat, ex quibus intellexerat uxorem suam adulterium commisisse.*

90. Feriunt enim quocunque gladio lethaliùs tristia nuntia, quorum ictus eos duntaxat retundunt, qui ope divina, Deique speciali patrocinio incedunt loricati: de solo homine siquidem, quem Deus protegere pollicetur ait David: Psalm. 11. *Ab auditione mala non timebit*, ubi D. Basilius apposité subdit: *Non dicit; malum nuntium, non audiet; sed non timebit, etiamsi audiat*, quasi necessarium ducat David, fidejussorem Deum, & protectorem, ut quis audito tristi nuntio mœrore confectus non succumbat. Hinc Angeli in cœlesti edocti schola nonnisi læta consuevêre hominibus nuntiare omissis tristibus, quæ mœrorem ingerunt, & vulnera intus infligunt, Archangelus Gabriel è summo cœlo nuntius mittitur ad Virginem MARIAM in domo Nazarea, Christum Redemptorem nuntiaturus, & ejus humanitatem ope divini Spiritus ex puriori ejus formandam sanguine, & puerum magnum fore, ac regnaturum in domo Luc. 1. n. 32. Jacobi: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Simeon verò senex in templo puerum natum inter ulnas complectens, ac Luc. 2. n. 35. virgini matri futura vaticinans dixit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius:* Quid? quòd hoc vaticinium non prædixerit Gabriel Archangelus, sed Simeon? quia Simeon homo erat, & Gabriel Angelus, Angeli autem tristia nuntiare dedignantur, nisi fortè à Deo jubeantur: secus homines, utpote novercanti fortunæ obnoxii tristia, quibus assuescunt, facilè nuntiant; Angelorum verò indoles est tristia reticere, & tantùm læta nuntiare.

91. Septem miserat Deus Jerisolymam Angelos, quorum sex jussi fuerant, pueros, & senes cruenta clade trucidare, & septimus duntaxat, jussus fuit crucis signo, seu typo *Thau* eorum frontes signare, qui percutiendi non erant, neque eorum sanguis fundendus: & tametsi omnes septem obsecuti Numinis mandato munus adimpleverint suum: septimus ex illis duntaxat ad Deum revertitur nuntians suo se functum Ezechiel. 9 officio fuisse: *Feci sicut præcepisti:* quid? quòd non etiam sex alij reversi, perinde ac septimus, ad Deum fuerunt; cùm & ipsi officium adimpleverint sibi demandatum? septimus nonnisi læta erat nuntiaturus, seu incolumitatem superstitum, quos crucis signum servaverat incolumes; reliqui quia nonnisi strages, cruentas clades, violentas neces, & prematuræ mortis funera potuissent nuntiare; maluerunt reticere demandatum sibi munus obitum, & officium adimpletum, quàm tristia nuntiare: satis ipsis fuit, divino fuisse mandato obsecutos, & tristia reticuisse, rati id angelicam dedecere dignitatem, si à Deo non quæsiti hominum cruentas strages nuntiâssent: id enim cacodœmonis potiùs censetur officium, cùm tartareæ umbræ incola nonnisi tristia moliatur, & nuntiet per malos, ac impudentes homines, qui funesti ad id duntaxat nati videntur, ut veluti garrulæ cornices nonnisi infausta crocitent.

Tales fuerunt, quos hostis tartareus nuntios adhibuit, legavitque ad Jobum. 92.
Primus cum ad ipsum accessisset festinato gressu impatiens moræ dixit Job. 1. *Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos; & irruerunt Sabei, tulerúntque omnia, & pueros percusserunt, & evasi ego solus, ut nuntiarem tibi:* nimirum ut Jobi afflictionibus tristitiam ingereret, quà acriùs intus cruciaretur. Primo nuntio successit secundus incrementa additurus mœroris inquiens: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oves puerósque consumpsit, & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi:* hunc secutus fuit tertius inquiens: *Chaldai fecerunt tres turmas, & invaserunt Camelos, & tulerunt eos: & ego fugi solus, ut nuntiarem tibi*, & æquè tristia, ac infausta nuntiârunt cæteri impudentes, qui ad id solum visi sunt venisse, ut sinistra, tristia, & infausta nuntiarent; si enim læta contigissent, non ita celeres ad Jobum accessissent: ex Dœmonis suasu cucurrerunt impudentes homines funesta nuntiaturi, quò per incrementa tristitiæ acriùs intus discruciaretur Jobus.

Infausta qui nuntiat, vel tetram, lividam naturam prodit, vel cacodœmonis obsequitur jussui; hinc Lycurgus lege cavit, ne quis alteri tristia, infausta, ac sinistra nuntiaret, ni vellet suæ etiam tristitiæ nuntius esse: Dœmon autem in tristibus recensendis ordinem servavit, ut series cladium tristitiæ augeret cruciatus: licèt clades illæ funestæ in familia Jobi anthore cacodœmone contigerint, ejúsque ductu impudentes homines festinato gressu ad Jobum accederent nuntiaturi funestas strages bovum, ovium, armentorum, ac tandem puerorum; Primus tamen nuntius de solis bobus prædatis; secundus de bobus consumptis; tertius de camelis à latronibus captis mentionem fecêre; cùm quartus cæteris tetrior collapsam domum, ac sepultos in ejusdem delabentis ruinis filios, ac mortuos non siccis oculis, nec sine voce singultu repetito fractâ nuntiaverit, ut Jobus ex præcedentibus infaustis nuntiis mœrore præoccupatus acriùs discruciaretur ad postremum durissimum nuntium, quo de interitu filiorum, domóque collapsa certior fieret: enecti enim filij vehementiùs non poterant paterna viscera non torquere per summum invectum tristitiæ incrementum: quò plus 93.

mœror subit incrementi, eò acerbiùs intus torquet, appositè S. Gregorius Papa: *A minimis incipiens graviorem in ultimum nuntiat, ut dum gradatim deteriora cognosceret, in ejus corde doloris locum omne vulnus inveniret.* *Lib. 7. Moral, cap. 15.*

94. Verebatur fortassis cacodœmon, ne si priùs necem Jobus filiorum audivisset, præ doloris vehementia lethargo quodam sopitus rigesceret, & sequentes non audiret legationes; proinde ordinem servavit, quo leviora præmitteret nuntia, quæ per invectam tristitiam intus viscera roderent, & tetriora postrema esse voluit, ut doloris excresceret acerbitas ad augmenta nuntiorum tristiora semper narrantium; & ne Jobus de interitu filiorum dubitaret, ac dolorem intus remitteret, omnes recensuit circumstantias loci, prandij, diei, horæ, quò ex prolixiore narratione acerbius subiret cruciatûs incrementum Job. 1. *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repentè ventus vehemens irruit à Regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruit, & oppressit liberos tuos, & emortui sunt:* sed cur diem convivij selegerat cacodœmon ad inopinam præmaturam, ac funestam filiorum necem? & per nuntium patrem monitum voluit de die convivij? ut si audivisset Job, filios unanimes, & concordes, eósque simul lætantes, fraternúmque foventes amorem, & postea repentina morte è vivis deletos, sepultos priùs ruinis collapsæ domûs, quàm mortuos, acriùs discruciaretur, ut notat Titelmanus expendens præcitatum Jobi textum, ait enim; *Diabolus ideo videri potest hanc elegisse diem, ut tantò fieret dolor sancti Job audita morte gravior, quantò tunc erat de filijs securior, & nihil suspicans mali.*

95. Verùm quia Jobus virtutis erat clypeo munitus, omnes illusit Dœmonis conatus, ictúsque retundens propriæ voluntatis cum divina conformatione, dejici non potuit ab illo interno gaudio, quo de divina lætabatur voluntate; est enim lætitia virtutis exultæ jucundus partus, sítque propterea naturale virtutis gaudere, ac lætari: angi enim non ex dignitate oritur virtutis, sed ex læsa conscientia ob patrata scelera; conscientia enim morsibus dilacerata, ita animum flagellat, ut omne vestigium deleat gaudii, omnisque lætitiæ ableget blandimenta, ait enim D. Gregorius: *Inter multiplices humanæ anima tribulationes nulla est major afflictio, quàm conscientia delictorum:* est enim conscientia læsa vermis, qui non moritur, & pectus jugiter rodit, animum corrodit, & totam vitam reprehendit, mœrorémque fovet; qui tortor crudelis internas de reo pœnas exigit: ideóque pincerna, & pistor Pharaonis tetro detrusi in carcere mœrore conficiebantur, acriúsque invectâ tristitiâ intus discruciabantur, ut vultûs macies, orisque pallor, animi satis proderent mœrorem: siquidem ut ait Basilius homil. in divites: *Res tristes animum, sicut ignis aurum arguunt.* Interrogati fuêre à Josepho quænam causa esset tetricitatis, ac mœstitiæ, *Cur tristior est hodie solito facies vestra?* An ratio tristandi accusatorum excitarat memoria? plerumque siquidem contingit, quò plures non tam de commisso scelere irascantur, quàm de misso sceleris delatore. Causa verè tristitiæ viscera torquentis pincernæ, & pistoris recordatio erat delicti: *Accidit, ut peccarent*, illud idem crimen, quod Pharaonem in iras compulit, Eunuchos in torquentis tristitiæ dejecit pressuras: semel quòd peccaverint, omne à se gaudium abjecêre. Delictum lætitiam eliminat è corde, quod torquet, pallebant Eunuchorum ora, squalebant vultus, luridæ erant frontes, obnubilatæ genæ, pavidi oculi, quia mœror intus torquebat viscera.

In Psalm. pœnitent. *Genes. c. 40.* *Ibidem.*

96. Ex pravis affectibus nullus est, qui æquè animum turbet intus, & exteriùs faciem conturbet sicut tristitia, quam mala conscientia fovet; & patrata ingessêre delicta; hinc quoties ad carcerem adveniens nuntius à Pharaone missus pulsabat fores, toties Eunuchorum pectus tundebat, putantium jamjam sententiam de nece subeunda sibi imminere. Tristes repererat Joseph detrusos in carcere Eunuchos Pharaonis, cùm antea reliquis in aula viderentur esse terrori; quia ea est culpæ conditio, ut vel Principum prægrandes animos infringat, vires enervet, tristitias ingerat, & pavidum enutriat timorem, qui patrati sceleris solet partus esse; neque alia debebatur tam deformi filio mater; timor æquè, ac mœror fratres sunt ex eadem enixi genitrice, culpa scilicet: suo congruit stipiti proles, similitudinem induunt filii parentum.

97. Transgreditur Numinis præceptum protoparens Adam, & statim timore correptus, mœrore confectus, tristitiâ discruciatus latebras solicitus quærit, ne delictum ejus pateret, & eum fugeret, quem meritò timeret; *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui*, licèc antequam vetitum gustâsset pomum impavidus stetisset leonibus, tigridibus, universísque bestiis circumseptus, ac ijsdem imperâsset; mox post pomi esum, ac violatum divinum præceptum timore correptus pavet, mœrore tortus discruciatur, & interna pressus formidine in latebras se recondit, quia ingressa unà cum deglutito pomo pectus Adæ culpa, geminos statim peperit filios, timorem, & mœrorem. Eosdem etiam fœtus in Adæ primogenito Caino culpa peperit: *Qui invenerit me, occidet me*, neminem metuisset, si peccatum non admisisset; sed quia peccavit, pavit, ac mœruit: conscientia, quam culpa læsit; dolorem celare nescia, exteriùs etiam prodit, quod intus torquet: de fratricidio quæsitus Cain: *Respondit nescio, Num fratris mei custos sum ego:* ignorare

Genes. 3. *Genes. 4.* *Genes. 4.*

dissimu-

diſſimulabat fratricidium intus conſcientiam torquens, quod exteriùs pallor vultûs, tetricitas frontis prodebant, appoſitè D. Ambroſius Cainum alloquens ait: *Non habes teſtimonium conſcientiæ, aut te ipſum potes effugere, & conſcientiam declinare? conſcientiam inquam, apud quam non moritur omne, quod gerimus: quæ nos in factis noſtris nos accuſat, & judicat, quæ cum non habeat loquendi uſum, nequit tamen tenere ſilentium*, qui ſcelus patravit, admiſſi delicti morſus non amittit, nec declinat; & quamvis è memoria ejiciatur, quod fuit patratum, revertitur tamen ſtatim, ad cordis pulſans fores, conſcientiam ingreditur, quam morſibus dilaniat, mentémque ſubit, quam acriùs torquet; hinc Deus ad Cainum: *Nonne ſi bene egeris, recipies? ſi autem malè ſtatim in foribus peccatum aderit*, quia ſcilicet quòd ſemel eſt patratum delictum, non ſemel clamat, ſed jugiter pulſat conſcientiam, & ad ejus oſtium hæret ingreſſura: ſunt enim patrata flagitia, quæ ad noſtri cordis fores excubant, pulſántque ad oſtium, ſeu cordis cogitationes, & tamdiu pulſant, clamántque, quamdiu delinquens vivit; diſcruciatúrque propterea perpetua tortura quisquis peccato implicitus vivit. Quin graviùs læſa conſcientia animam flagellat; quàm flagella corpus tundant: huc accerſendus eſt Ambroſius de vita beata inquiens: *Vita juſti quieta eſt, injuſtus autem inquietudinis, & perturbationis, plenus eſt; itaque amplius ſuis cogitationibus affligitur impius; quàm alienis pleríque verberibus; majoréſque vibices in ejus animo ſunt quàm in eorum corpore, qui ab alijs verberantur.*

Lib. 1. de pœnitent.

Geneſ. 4.

§ X.

Mœſtitia læſæ conſcientiæ filia deformis, & lurida, veluti avernalis Megera ſævit, ac multiplici cruciatu animum torquet, quem occupat.

98. Eſt mœſtitia, læſæ conſcientiæ filia, veluti avernalis Megera, vel triſtis Erinnys quæ flagello armata, torquet, flagellat, vulnerátque, quos occupat, & ſive dormiant, ſive vigilent inflicta ſibi experiuntur vulnera, ſentiúntque dolores, quia tametſi potis ſit quisque hoſtes fugere, non ita læſam ſubterfugere conſcientiam, non enim liberi ſunt, qui ſemel victi æquè, ac vincti ceſſêre peccatis: delinquentes enim in carcerem Deus detrudit conſcientiæ, ut nullis humanis viribus extrahantur; hinc Job. *Si incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat:* quæ verba expendens D. Gregorius ait: *Quia omnis homo per id, quod malè agit, quid ſibi aliud niſi conſcientia ſua carcerem facit? ut tunc animi reatus premat, etiam ſi nemo exteriùs accuſet. Qui enim præſente DEO in malitia ſua cæcitate relinquitur, quaſi intra ſe ipſum clauditur.*

Cap. 12.

Lib. 11. moral.

Tetricus igitur eſt conſcientia carcer, ubi anima delinquentis vincta noxis, torquetur 99.
mœrore, diſcruciatur pavore; in hunc carcerem tamdiu Deus juſtus Judex peccantes condemnat, quamdiu in culpa perſeverant: & perſeverantes ex tetrico hoc carcere ad æternum ſupplicium Dœmonum ſtipati ſatellitio trahuntur; hinc torturam conſcientiæ, & mœroris ſequuntur mentis perturbatio, & animi furor: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cùm pax ſit, inſidias ſuſpicatur*, ſicut innocentis prœmium mentis eſt ſerenitas, animíque ſecuritas; ita impij pœna trepidatio eſt cordis, & conſcientiæ laceratio: *Nil ſimplici corde felicius* ait D. Gregorius in Job: *at contra mens prava ſemper eſt in laboribus, quia aut molitur mala, quæ inferat; aut metuit, ne hæc ſibi ab alijs inferantur.* Reus eſt, qui per ſcelera injuriam Deo intulit, dignum ſe ſupplicio novit; proinde omnes ſuæ cauſæ ſuſpicatur Judices, ſimul, & ultores, Deo æquiſſimè id permittente, ut qui conditorem ſuum offendere non verentur, creatoras ſingulas, ut Dei vindices, & ſceleris ultrices vereantur: & quamvis riſum ſimulent, non tamen verè rident, cùm intus triſtentur; perſonata eſt eorum lætitia, larvata felicitas, cui ſi larvam detrahas nonniſi mœrores, & cruciatus, luctúsque ferales intus deprehenduntur.

Job. cap. 15.

Ibidem.

Quamvis potentem in ſæculo videamus criminibus involutum absque ſupplicio, ſine 100.
carceris metu, non tamen liber eſt, cum in ergaſtulo detineatur læſæ conſcientiæ, & tortorem experiatur internum mœrorem, quo veluti è patibulo pendet, ſicut de Abſolone ſcripſerat D. Chryſoſtomus, quòd longo tempore pependerit à conſcientiâ flagellatus, & quidem per diuturniora tempora è patibulo conſcientiæ, quàm è ramo quercûs; ſiquidem crinibus implicatus Abſolon per pauculas horas appenſus è quercu pependit, cùm e conſcientiæ patibulo ſuſpenſus per plures annos tortorem fuerit ibi expertus ingeſtum mœrorem. Quamvis rideant, qui peccant; gaudeant, qui delinquunt; ſecuritatem deprædicent, jucunditatem oſtentent, hæc tamen omnia larvata ſunt, & ipſi mentiuntur, cùm flagellati, & ſuſpenſi pendeant è patibulo conſcientiæ, quia, ut pulchrè S. Chryſologus: *Ruit, deſtruitur, ſtare non poteſt, quem conſcientia diruit, reatus impellit.* Ipſa enim iniquitas reprehenſio eſt conſcientiæ Jeremiæ 2. v. 19. *Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te*, neque in hac tantùm vita, verùm & in futura, præſertim ante Dei tribunal iniquum ipſa iniquitas accuſabit, ac redarguet, imò & ſententiam proferet ipſa conſcientia, ac impius peribit: intuetur proditor Judas ſuum in conſcientia ſacrilegum ſcelus, & ab ipſa convictus conſcientia veluti patibulo ſuſpenſus affligitur,

Serm. 72.

& officium fungens Judicis in se ipsum damnationis fert sententiam; pulchrè S. Ambrosius: *Suâ ergo sententiâ Judas proditor condemnatur, omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia condemnatur. Hoc sacrilegio solet judicium esse, ut sui conscius facti ipse se damnet*, quam enim alius Judex de patibulo subeundo sententiam tulisset, hanc Judas contra se ipsum protulit, & sui carnifex fuit per se ipsum executus. Serm. 80.

101. Est itidem, quæ animum intus discruciat tristitia, pavida mater timoris, quem generat, sibíque adscit ad acriùs torquendum, quem ipsa occupat, nec Cainus fratricida hunc evasit animi tortorem post ex patrato delicto invectam tristitiam; dixit enim: *Qui invenerit me, occidet me*, sed si in toto terrarum orbe nullus tunc homo extiterat, nisi unicus Adamus Caini parens, à quo filius formidare non debuerat, cur ab aliis timet, qui nondum extiterant? *Qui invenerit me occidet me*, si nullus aderat, à quo occidendus esset? cur insolenti correptus timore expavat, ne à quovis sibi obvio occidatur? & quamvis multi essent postea nasciturí, nemo ex posteris ausus fuit in eum insurgere, non enim nepotes fuissent ejus moliti internecionem: unde igitur metus iste? certè non aliundè quàm à culpa, hæc enim, & ex ea præconceptus mœror, ita animum torquent, ut etiam sine timendi occasione, timorem ingerant: hinc David loquens de iniquis ait: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, quæ verba expendens D. Basilius ait: *Instar leonum audentes fuerunt, & more leporum timuerunt. Cùm enim Deum non timuerint, hominem timuerunt*: Odium quod ob susceptam injuriam quis in suum proximum intus animo fovet, plura audet perniciosa moliri, ut è vivis eum deleat, ignescit audacia, & pericula contemnit, donec districto gladio in ipsum irruat, & inflictis vulneribus interimat. Sed qui ante patratum delictum audax ferociebat, mox admisso scelere, & amissâ audaciâ timore correptus fugit, & non homines tantùm, sed eorundem expavet umbras; lepore timidior dat terga fugæ, qui ut impavidus leo immoto pede, quem occideret, expectavit: meritò tamen fugit pavidus, qui antea audaciâ ferociens omnem à se timorem abegerat, quia innocens non habet, quem timeat; culpâ verò gravatus, quem fugiat, semper videt, quia adventantem formidat Judicem. Genes. 4. Psalm. 13.

102. Quinimo timor individuus tristitiæ comes, colorem immutat vultûs, pallorem immittit ori, tetricitatem inducit fronti, oculos corrumpit pavore, vires adimit, sanguinem frigefacit, cor premit, mentem opprimit, spiritus sopit, totúmque hominem adeò viribus, & humore destituit, ut qui antea pinguesceret, viribúsque polleret, mox macilentus jaceat, viribus destitutus. Cùm olim Jerichontinus Rex jussisset inquiri de exploratoribus populi Israelitici in domo Rahab, dicitur, *ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domûs suæ, operuítque eos stipula ligni*, sed in codicibus Hebræis habetur, *Cepit duos viros, & abscondit virum*, sed si duo fuerunt exploratores, & quidem viri procera statura, cur unus tantùm dicitur absconditus? quia adeo timor viros duos illos oppresserat, ita attenuaverat, ut in unum visi sint quasi coaluisse; quia enim timuerunt potuit locus unus ambos capere, qui si non timuissent bina exegissent loca laxiora. Imò ea est mœroris, & pavoris vis, ut mentem ipsam dementat, ut dementati credantur, qui mœrore corripiuntur, & pavore. Confugerat Sisara mœrore confectus, & pavore confusus in tabernacula Jahelis, cùm enim Sisara pugnam contra Hebræos inivisset, victúsque, plures ex suis cecidissent, alij præcipiti se fugæ dedissent, & ipse frustra turbatam aciem conatus fuisset restituere; siquidem surdas præsertim in bello semper consuevit timidus pavor aures habere: hinc desperatis omnibus, fugæ consilium & ipse cœpit, & ne insequentibus innotesceret victoribus, aureo statim desiliit curru, & abjecto paludamento Regio, aliísque regiis insignibus, pedestrem, & incomitatam init fugam, in qua defertur ad tentorium cujusdam Haberi natione Cinæi, cujus uxor Jahel, cùmque maritus cum servis abesset, & ipsa currentium pedum extita sonitu, Sisaram conspexisset, ac suspicata eum è malè pugnato prælio illuc fugisse, jussit metum omnem deponere, invitavítque blandissimis verbis in tentorium pellibus compactum ad solis æstus arcendos, aërisque pluvias excludendas. Demulsus Sisara blandimento verborum, fœmineíque sermonis urbanitate, tabernaculum intravit, in quo tutius ut lateret, in abstrusiorem fuit locum deductus, & stragulo etiam coopertus spondente Jahele, excubias ipsammet ante fores tentorii esse acturam. Priùs tamen, quàm Sisara se in somnum componeret producti itineris exhaustus viribus, sitíque per fugæ obitos labores exiccatus, potionem petiit frigidæ, qua & sitis temperaret ardorem, & oris refrigeraret siccitatem: *Da mihi obsecro paululum aquæ, quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere*. Quid? quòd petenti aquam Sisaræ lactis Jahel propinavit pinguedinem? Non vacuum id mysterio fuit, ut observat Abulensis inquiens: *Alij dicunt, quòd fecit hoc Jahel ad experiendum de Sisara, an esset extra mentem; & quia dedit ei lac, cùm petiisset aquam, & ille non consideravit, an esset lac, vel aqua, sed bibit, putans esse aquam, propterea apparuit esse extra mentem. Ideo tunc accepit Jahel securam opinionem de occidendo illum*: tristitiâ correptus ob susceptas in conflictu strages, fugatúmque exercitum, & timore perculsus, ob insequentes victrices Hebræorum phalanges, adeò sani consilii factus est inops, ut à mente alienus non viderit, nec Josue 2. Judic. 4. q. 19. in cap. 4. Judic.

sense.

senserit, haustum sibi à fœmina propinatum, num aqua esset, sicut petierat, vel alius non petitus humor; imò & præ mœrore, & timore adeò viribus fuit destitutus, ac imbecillis factus, ut summus totius exercitus Præfectus, vel ab imbelli fœmina deceptus
Judic. 5. v. 26. miserè perierit, hæc enim *aquam petenti lac dedit*, lactis scilicet florem, & pinguedinem propinavit. O quàm incautè, ac stultè vitilis salus mulieri concreditur improbæ! quam noxia sunt fœminarum blandimenta! sitienti, ac frigidam petenti; lac, & mollitiem butyri porrigere videatur, sed lactea sub dulcedine excogitatæ mortis amaritiem obtegunt.
Psal. 54. *Molliti sunt sermones ejus sicut oleum, & ipsi sunt jacula*, lac bibisse idem fuit, ac perijsse. Non solùm tristitia immodica vires adimit, virtutem hebetat, vitia sufflammat, verum & ipsam mentem à mente dejicit, cogitque extorrem abire.

103. Est immodica tristitia, quæ intus animum subit malorum omnium putida scaturigo, est tristitia pravitatum omnium fœcunda mater, & vitiorum fœtidum conceptaculum, quid non audet Cain mœstitudine obrutus? nefanda ejus scelera fœtus fuerunt mœroris, neque ab ignobili & funesta matre quid aliud expectari potest, quàm infausta scelerum proles. Tristitia è castæ Susannæ repulsa salaciter concepta insanientes juveniliter senes, ad quæ non adegit scelera, non compulit flagitia? perversi enim Judices Susannæ nitebantur innocentiam damnare, ut propria impudica scelera absolverent; lapidibus obruendam judicârunt Susannam, qui de illius erant conscij innocentia: scilicet hæc scelera profundi mœroris, quem repulsa Susannæ in salacibus excitaverat, stipendia fuêre. Quàm noxius est mœror, quam feralis tristitia! quæ nonnisi vel cædes, vel scelera molitur.
1. Reg. 1. 2. Elcana duas duxit uxores Annam illiberem, quam maritali deperierat amore, & Phenennam liberis auctam, cúmque dies accessisset, quâ Elcana immolavit, dedit Phenennæ uxori suæ, & cunctis filijs ejus, & filiabus partes. Annæ verò unam dedit partem tristis, quia Annam diligebat, seu ut septuaginta Interpretes explicant *tristis secundùm faciem*, & Rabbi Joseph vertit, *partem irarum, & tristitia*, ac si tristitia, quæ in facie finitur apparere, perinde sit, ac intus furor, quò mœstus insanè sui impotens fervescit, quia vultûs tristitia index est animi intus vitiati, vel furore exagitati: una enim tristitia omnium malorum secum trahit catervam, & ubi hæc stabulatur, cætera insolescunt vitia.

104. Pergit sacer historicus, & Phenennam feliciter fœcundam, & inde accipientem plures partes insultantem inducit Annæ improli, eò quia unam duntaxat partem accepit, & sicut insultatio probrum redarguens sterilitatis aures Annæ sauciavit, ita & lachrymas ex oculis elicuit, & adeò mœror excreverat, ut esculenta ad vitam sustentandam necessaria prohiberet, dixit enim ei Elcana vir suus, *Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum*, seu ut plures vertunt ex Hebræo, *quam ob rem malignatur cor tuum*, quasi, perinde sit, cor affligi, seu tristari, ac cor malignari, sitque propterea mœroris tetricitas, cordis malignitas, & synonima sint tristitia, & malignitas. Quòd si mœror, qui intus fovetur, cordis est malignitas, nil certè scelerarius, nil nocentius tristitiâ mentem occupante, & in corde intus malignante; quid enim tetra mœstitudine nequius? quid cordis malignitate nocentius? cùm sit malignitas, quæ suas in corde radices agit, fons putidissimus, ex quo scelera scaturiunt omnia: quid enim ex tristitiæ corrupto succo non ebibitur nequitiæ? quid non hauritur sceleris? suum malignitas noxium succum propinat mœrorem foventibus per accersitam tristitiam, veluti pincernam.

Est tristitia tetra illa radix, ex qua omnia pullulant scelera, est infelix illa tellus, quæ ope excultæ malignitatis nonnisi sentes producit, & tribulos. Cùm totius census malitiæ in una coarctetur cordis malignitate; immodicam qui tristitiam non cohibet, jam cordis exambit malignitatem, ex qua perinde ac lernæa ex hidra septena surgunt scelerum capita. Excutienda è corde est mœstitudo, ne in nos sæviat, ne suo veneno nos inficiat. Hinc David Deum non rogavit, ut ab ærumnis, ac tribulationibus liberaretur, sed à sola tristitia, quæ suas in corde radices agens, malignatur; & exauditus, cùm Deum per fusas preces in sua flexisset vota, dixit. *In* 105.
tribulatione dilatâsti mihi: laborant SS. Psal. 4.
Interpretes, ut explicent, quænam fuerit hæc dilatatio, quâ Deus in tribulatione Davidem ampliavit, ejúsque cor tribulationis inter angustias laxavit. D. Thomas censet, hanc Davidis dilatationem ampliorem fuisse potestatem, perinde ac si Regni dilatatio anxiam cordis temperâsset tribulationem. Lyranus magis ad litteram, hanc dilatationem putat fuisse respectu loci, eò quia tunc David, cum antea fuisset hostili circumseptus exercitu, & hostes fuerint alibi castra metari, potuit David per ampliorem locum sibi relictum, huc, illúcque discurrere, perinde ac dissipatis, fugatísque hostibus, solent victores, quibus adversarij campum cessêre per loca discurrere ampliora ovantes, & epinicia canentes. D. Chrysostomus in catena, hanc Davidis dilatationem asserit, Donum fuisse magnanimitatis, cujus beneficio æquo animo, mentéque serena adversitates, ac tribulationes potuit sustinere; cùm enim magnanimitas patiens sit, ærumnas lenit,

& tribulationes exarmat; ut perinde ſit dilatari in tribulatione, ac ictus retundere adverſitatum, & mente ſerena, cordéque tranq[illegible]lo novercantis fortunæ fluctus, ac procellas eludere. Græcus commentarius cenſet, hanc dilatationem excultæ virtutis fuiſſe incrementum; virtus ſiquidem ita animum dilatat, ut de rebus aſperis, ac adverſantibus non triſtetur, ſed gaudeat: tunc enim anguſtiæ tribulationum dilatantur, cùm per exercitia patientiæ retunduntur, & æquo animo adverſa tolerantur. Putarem igitur hanc dilatationem indultam Davidi tribulationum anguſtijs preſſo, aliud non fuiſſe, quàm ipſum gaudium, quo læto animo ærumnas, & adverſitates toleravit, & quia ubi gaudium exultat, ibi lurida excluditur mœſtitudo, & tetræ fugantur mœſtitiæ, nubes mœroris diſrumpuntur, anguſtiæ laxantur, quibus cor coarctatur, ideò perinde eſt cor dilatari, ac anguſtias abigere mœroris: non petjit David, ut à tribulatione liberaretur; benè tamen ut omnis triſtitia ab ejus corde diſcuteretur: & ita cenſent græci Patres in Paraphraſi apud Corderium, ita explicantes præfatum textum. *In tribulatione dilatâſti mihi. Non dixit, tranſtuliſti tribulationes, ſed ijs manentibus dilatationem mihi præbuiſti. Tribulatio enim animam contrahit, gaudium verò diffundit*, cui conſonat D. Chryſoſtomus, inquiens: *Non dixit, non adduxiſti afflictionem, neque ſuſtuliſti tentationes; ſed ſtare permiſiſti, & dilatâſti mihi*, quia tametſi adverſitatum anguſtiæ Davidem premerent, hoſtes coarctarent, calamitates vexarent, ærumnæ cingerent, tentationes urgerent, tribulationes pungerent, ab hiſce ærumnarum, ac tribulationum non petjit anguſtijs liberari, ſed à ſola triſtitia, quæ aſſolet cor invadere, & anguſtiùs contrahere, & ideò dixit David. *In tribulatione dilatâſti mihi*, quia tametſi tribulatio animam contrahat, gaudium tamen diffundit, ac dilatat, ſi enim ab anguſtijs ærumnarum mœrores abigantur, ſi à tribulationum coarctationibus triſtitia abſit, dilatatur anguſtia, quia cor jucundatur; tametſi David tribulationibus anguſtaretur, ærumnis premeretur, tentationibus urgeretur, ſi tamen dilatatio triſtitiæ excuſſerit anguſtias, tunc dilatatur cor, quia adeſt alacritas, & abeſt triſtitia: adeò noxia eſt animæ triſtitia, adeò pernicioſus profundus mœror, ut David per fuſas enixim preces non petjerit à preſſuris eximi tribulationum, ſed à ſola triſtitia, quâ cor coarctatur, premitur, & torquetur: maluit triſtitiam excutere, quàm ab anguſtijs liberari tribulationum.

Pſalm. 4.

In citatum Pſalm.

❋ (o) ❋
❋

§. XI.

Nullum triſtitiâ lethalius ulcus, quo ſaucium cor omnium ad ſe congeriem trahit malorum. Ideóque excutienda eſt quævis mœroris nubes, ne lucem divinæ gratiæ nobis ſurripiat, retrahátque in vitiorum tetras caligines.

PRofundus in corde mœror omnium malorum eſt ſcaturigo, ut enim ait Siracides: *Omnis plaga triſtitia eſt cordis*, ſcilicet omne malum ab una tetra triſtitiæ radice pullulat, hinc Biblia Tigurina habent, *ſumma plaga eſt mœror animi*, quia nullum eſt vulnus lethalius, quódque intimiùs penetret, quàm triſtitia, quæ propterea antonomaſticè, ut habet textus Syrus, *Plaga dicitur vulnus, ſeu animi vulnus*: adeò noxium eſt hoc vulnus, ut cætera omnia includat vulnera, ſítque propterea omnis plaga cordis triſtitia. 106

Eccleſ. 25, v. 17.

Videtur tamen explicatu difficile, quomodo triſtitia ſit ulcus adeò horrendum, quò ſumma, & omnis plaga eſſe dicatur. Verùm omnis plaga triſtitia eſſe dicitur, quia homines, qui in cœno volutantur vitiorum, ac mundi diffluunt delicijs, non tam re ipſa, quàm rei triſtantur opinione, perturbantur, anguntúrque non rebus, verùm etiam de ijs opinionibus, quas de rebus habent; hinc triſtitia aculeus eſt plagarum omnium; nec viſcera morderet, ac dilaceraret, ſi hoc deſtitueretur aculeo, quo per ingeſtas opiniones, ſetricáſque cogitationes animum pervadit, quem intimiùs vulnerat, ſauciátque; & quia triſtitia animum, ſeu hominis nobiliorem partem impedit, ferit, diſcerpítque, rectè omnia plaga triſtitia dicitur eſſe cordis, quia vulnus animi ſumma plaga eſt, quæ partem rationalem durè ſauciat, & dirè cruentat, appoſitè S. Paulinus ait. *Deus triſtitiam præcidit, quòd immoderato, & irrationali cruciatu mentem noſtram configit, quodque diutiùs fragilitas noſtra non valet ſuſtinere.* Quæ corporis dilacerant membra, dolores quidem invehunt, ſed quia mentem, ac partem in homine rationalem non ſauciunt, diritatis non redarguuntur: triſtitia verò, quia irrationali cruciatu partem in homine rationalem, ſed nobiliorem inficit, & cruentat; rectè ſumma, & omnis dicitur eſſe triſtitia cordis plaga, cùm ſummam in homine partem inficiat, cruentétque, & quidem *Irrationali cruciatu*, ut loquitur S. Paulinus, quia triſtitia ab homine ſpontè acceſſitur, quoties mœrendi causâ ultrò affectat, aut conſideratione non minuit, quò anſas excutiat mœrendi, ideóque immodica, qui triſtitiâ premitur, à rationalitate videtur deſciſcere, & cùm brutis animantibus obbruteſcere, ac triſtitiæ irrationali cruciatu 107

Epiſt. ad Pammachium.

angi;

angi: cùm enim tristandi ansas posset homo
à se abigere, ne vulnus subiret in mente mœ-
roris; non ratione ductus, sed brutali ap-
petitu conductos, mœroris, ac tristitiæ intus
fovet tetricitates, quibus irrationali crucia-
tu distorquetur, ac molestissimè angitur:
Eccles. 30. quapropter Siracides monet, ut omnem à
nobis mœroris tetricitatem excutiamus:
*Tristitiam ne dos animæ tuæ, & non affligas
temetipsum in consilio tuo*; monet, ne si-
namus animam nostram tristitiâ occupari,
nec cordi nostro dominari, idque fit, si
omnes tristandi ansas à nobis abigamus, &
per tetras cogitationes, non permittamus,
ut mentem tristitia nostram pervadat, suís-
que penetret aculeis: & quia tristitia, quæ
intus animum vulnerat, ex omnibus coale-
scit tetris cogitationibus, quæ ex ansis tri-
standi in mentem inducuntur, rectè *omnis
Eccles. 22. plaga tristitia cordis est*, quia omnem com-
prehendit molestam cogitationem, quâ a-
nima discruciatur. Infelices igitur sunt,
qui mœrorem intùs in animo fovent, & tri-
stitiæ veluti laxantes habenas eò deveniunt,
ut eidem libentiùs incumbant, videantúr-
que suos adamare mœrores, ac in ijs læ-
tari. Non de immodica, & mundana
mundi tristitia debet Christianus deliciari,
sed gaudere de lachrymis, quibus culpæ de-
lentur, ut appositè ait S. Macharius, in-
quiens: *Habent Christiani consolationem
spiritus lachrymas, luctum, & planctum;
suntque illis, & lachrymæ deliciarum loco*:
nec ulla est jucunditas, quæ huic pariari
possit: gaudium, quod ab hoc emergit lu-
ctu, veram inducit mentis serenitatem, cor-
disque invehit malaciam, totúmque ani-
mum exhilarat. Flos est lætitia, & lætiùs
vernat, si in exculta cordis nostri tellure vir-
tutum exercitijs germinet, quòd si pluvijs
madeat flos iste lachrymarum, adolescit ad
omnem jucunditatem, quia ut scitè D.
Homil. 24. in epist. Chrysostomus ad Ephes. *Nulla res est aquè
jucunda, atque luctus, qui est ex Deo*, &
id est, quòd promiserat Christus. *Beati,
Matth. 5. qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*,
quæ verba expendens S. Chrysostomus ho-
mil. 15. ait: *Ubi verò, dic mihi, consola-
buntur? & hic profectò, & quod est am-
pliùs in futuro. Itáque, si vis consolari, lu-
ge, neque putes ænigma esse, quod dixi.
Quando enim consolatur Deus, etiam si mil-
lia mœrorum irruant, cunctis superior ex-
istis.*

108. Sed si mœror, quem resipiscentia, &
conversio in Deum excitat in detestationem
aversionis à summo bono per blandimenta
terrenarum voluptatum, semen est, ex quo
germinant, & adolescunt flores virtutum:
tristitia immodica, & mundana è converso
Proverb. 15. vitia fovet, & animam deprimit: hinc Sa-
lomon nos erudiens ait: *Cor gaudens ex-
hilarat faciem*: (seu ut explicat Pagninus,
decorat, seu ut habet textus Syrus, *pulchrum
reddit corpus*) *in mœrore animi dejicitur
spiritus*, seu ut in textu hebraico legitur,
obscuratur spiritus, nervosa sanè antithesis;
gaudium clarificat, & mœror obscurat; læ-
titia faciem decorat, quam tristitia coinqui-
nat, & fœdat; jucunditas decorem invehit,
& tetricitas turpitudinem adfert; gaudium
serenam, jucundam, ac arridentem, secum
diem trahit, tristitia verò nubilam, turbi-
dam, & luridam noctem secum ducit; mœ-
ror distortæ est fœditatis lenocinium, tur-
pitudinis magnes, & dedecoris fautor, quo
spiritus deturpatus deprimitur, ac dejicitur,
in mœrore animi dejicitur spiritus, est enim
mœror pondus animi, quo & premitur, &
opprimitur; quia ut explicat Vatablus,
*In mœrore animi frangitur, perítque spiri-
tus*, frangitur quidem, quia viribus fra-
ctus à suo dejicitur vigore, & per pressuram
mœroris angustatur, & perit. Est tristitia
internus vermis, qui intima rodit præcor-
dia, & non solùm ossium pervadit medul-
las, verùm etiam mentis penetrat recessus
intimiores; ubique vestigia imprimens lu-
ctuum, animique vires labefactans; pulchrè
S. Chrysostomus ait: *Tristitia tinea est non* Epist. 3. ad Olympiadem.
*ossium tantùm, verùm etiam mentis; &
perpetuus carnifex non latus fodiens, sed a-
nimi vires labefactans.* Hujus tineæ mor-
sus, qui timet, prementis mœroris tetri-
citates excutiat, animo invicto, strenuóque
vigore violentas impressiones, assultúsque
devitet tristitiæ, ne spiritus frangatur, &
pereat per torquentis tristitiæ violentiam.
Heu! mœrorem, qui fovet, perpetuum alit
carnificem, & suo peremptori favet, quia
ut vertit Vatablus, exponens illud Prover-
biorum 15. *In mœrore animi dejicitur spi-
ritus*: ait ipse; priùs enim obsolescit, seu
inveterascit, & deficit, & tandem perit,
quia ut scitè S. Basilius Magnus. *Nimia
tristitia author peccati esse solet, cum* Orat. 12. de mœror.
*mœror mentem submergat, consilij inopiâ
vertiginem adferat, & penuriâ cogitationis
animum ingratum generet.*

Nullum igitur malum mœrore dete- 109.
rius, nulla pestis tristitiâ lethalior, cùm
genetrix sit hæc culpæ, & ille author pecca-
ti; an non mœror mentem, quam occupat,
susdéque evertit, ac subvertit? fluctuant
tristes cogitationes in animo tristitiâ exagi-
tato, procella exoritur ob cujus violentiam
divitiæ probarum cogitationum dejiciuntur,
quia mœror *penuriâ cogitationis animum
ingratum generat*: & tetricarum cogitatio-
num æstus vertiginem inferunt, qua sano
consilio mens destituitur, *cum mœror con-
silij inopiâ vertiginem afferat*, & confuso
nauclero mens manum removet à clavo, seu
navis gubernaculo, & tandem submergitur:
*nimia tristitia author peccati esse solet, cùm
mœror mentem submergat.* O quàm perni-
ciosa est hominibus tristitia; est hæc una
totum armamentarium, quo solet tartareus
hostis homines impetere, & expugnare.
Nam quos dæmon superat, ait S. Chryso-
stomus

Lib. 3. de Provid. stomus, *per mœrorem superat. Quòd si mœrorem sustuleris, nihil omninò mali, & incommodi tibi ab eo continget:* ita tetras Dœmonum phalanges mœstitiæ tetricitates obarmat in hominum perniciem, in animarum exitium, ut ablato mœrore impotenter exermes fiant ad lædendum.

110. Quòd si unâ excussâ tristitiâ singula armorum genera dœmoni subtrahuntur, quis neget, totum tartarei hostis armamentarium tristitiam esse, & singula armorum genera ab uno dœmonis suppeditari mœrore? ergo hoc unico funestissimo, tragicóque affectu mœroris omnis infligitur ab Orcinis hostibus plaga, in quo sensu rectè Siracides ait: Eccles. 25. *Omnis plaga tristitia est cordis*, quia cum excusso mœrore inermis sit dœmon ad vulnera infligenda, sequitur, omnem plagam per unam infligi tristitiam, quæ propterea efficienter est omnis plaga, quæ à dœmone infligitur; etenim avaritia, quæ vulnus est animi de inopiæ nascitur tristitia: de servandæ castitatis mœrore libido ad voluptates fœdè armata ferocit: de mœstitudine illatæ sibi injuriæ tolerandæ æstuat intus iracundia, & furit ardor vindictæ: de vitæ ingloriæ, ac privatæ tristi impatientia, & mœsta cogitatione, fomes accenditur gloriæ, & tumidæ ambitionis excitatur aura vanida, quâ turget mens, & animus disrumpitur inhians dignitatibus: ecce quomodo ab unica tristitia omnis in animo plaga; ecce quomodo unicus in homine mœror totum est dœmonis armamentariũ ad homines expugnandos. Est igitur tristitia immodica dœmonis tetra officina, tentationum fomes, vitiorum seminarium, flagitiorum scaturigo, scelerum putida radix, malitiæ opifex, peccati parens, virtutis carnifex, facinorum illecebra, & vivum ad omnem nequitiam lenocinium: hinc si mœrorem sustuleris, nihil omnino mali à dœmone continget, quia quos dœmon superat, per mœrorem vincit.

111. Est tristitia, quæ æstus, & flammas intus accendit in perniciem virtutum, quarum flores arescunt, exiccantur, & decidunt; unde David ait: Psal 9. v. 23. *Dum superbit impius, incenditur pauper:* non me latet, incendium pauperis à pluribus Interpretibus tribulationem mœrentis intelligi: sunt enim incendij hujus flammæ illæ calamitates, ærumnæ, tribulationes, oppressiones, angustiæ, quas pauperes, seu invalidi à superbis patiuntur divitibus, húcque posset accersiri illud Isaiæ 54. *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum:* censent enim Interpretes, fabrum hunc dœmonem esse, qui fœtido halitu suo gehennales prunas succendit, facitque ardere, & vasa fingit, seu homines potentes superbos instigat, quibus veluti suæ invidiæ, ac improbitatis utitur instrumentis, ad incendium, & excidium invalidorum. Quale verò sit hoc calamitatis genus, quod dicitur à Diabolo halitu suo excitari, per sufflationem in igne, non conveniunt Interpretes; placet tamen explicatio Theodoreti in catena Græcorum Patrum, ubi expendens illud Davidis: *Dum superbit impius, incenditur pauper*, appositè ad rem nostram ait: *Admodum concinnè hoc verbum incenditur mœrentibus accommodavit. Nam ardentibus similes sunt, qui dolore afficiuntur, & veluti quendam fumum per os gemitum, & singultus emittunt, & per oculos lachrymas.*

Est mœror in corde veluti ignis gehennalis, è quo quasi de vaporario fumidi halitus ubertim exiliunt, sursúmque volvuntur, mentem tetra caligine obruentes, omnem subvertentes serenitatem animi, & pluviam excitantes lachrymarum; mœrentes enim ardentibus pares sunt fumum emittentes in propriam perniciem: *Dum superbit impius, incenditur pauper*, scilicet peccator mœroris æstu intus excruciatus; est verò pauper, quia cœlestium bonorum inops, virtutum delicijs destitutus, censu bonorum operum vacuus; is igitur pauper mœrore incenditur, nimirum æstuat flammâ, quâ uritur, & inarescit. Qui igitur tristitiæ igne intùs ardet, præcoquam gehennam in corde fovet, & dum per impatiens os gemitum funestè emittit, incendij fumum exhalat perversè evaporante mœrore; adeò gravis, & durus est tristitiæ angor, ut flammas, cruciatúsque gehennales æmuletur, imò & mortem accersat, hinc Siracides ut excutiat mœroris tetricitates ait: *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit cervicem.* Quia tristitia, quæ intus præcordia corrodit, humores corrumpit, ossa exsiccat, & mortem accersit prœmaturam, unde Salomon, *Spiritus tristis exsiccat ossa*, est enim mœror gehennalis ignis, quo intus flores exarescunt virtutum; & medullæ exsiccantur ossium. 112. Eccles. 38. Proverb. 17.

Quòd si ignis est tristitia, non credas alio innutriri fomite, quàm senticetis, spinísque, quæ intus pungunt, & vulnerant, est enim tristitia veluti spina intus pungens, & torquens, neque id diffitetur Hipocrates, inquiens: *Cura* (seu tristitia) *in visceribus veluti spina esse videtur, atque mœrentem acriter pungere:* huc etiam videtur spectâsse David; cùm dixit. *Conversus in ærumna mea, dum configitur spina, id est tristitia*, ut exponit Salazar: imò adeò dirè tristitia cordi infixa pungit, sauciat, cruentat, ut tormentorum videatur gehennam ingerere; hæret enim fixa cordi spina, & vulnus, què acriùs discrucietur. Imò non desunt, qui mœrorem spiritum vocent perversum, quo infeliciter divexatur mœrens, sitque propterea spiritus tristis exsiccans ossa dœmon ipse, qui intus malignatur in homine, hinc Hermas in pastorali ait. *Tristitia omnium spirituum nequissimus, & pessima servis Dei, & omnium spiritus exterminat, & cruciat Spiritum sanctum.* 113. Lib. 2. de morb. Psalm. 31. Mand. 10.

Imò

114. Imò hominem profunda occupatum mœstitudine, altóque pressum mœrore similem dixerim energumeno spiritu perverso, ac nequissimo exagitato, in quo sensu tristitia spiritus est perversus, & omnium spirituum nequissimus, & spiritus tristis; seu homo profundo pressus mœrore spiritus est perversus, qui mœrentem miserè intus divexat, & exagitat, flectitque ejus cervices, quatenus mœrens curvus, ac tristis incedit, tetris semper excruciatus cogitationibus, ut explicat

38. v. 19. Jansenius illud Ecclesiastici. *A tristitia festinat mors*, *& cooperit virtutem*, *& tristitia cordis flectit cervicem*, ait ipse: *Ipsáque tristitia vires hominis teget*, *ita ut se non prodant*, *sed obscurentur*, *& supprimantur*; *flectitque cervicem hominis*, *ita ut curvus*, *ac tristis incedat*, *eique omnem fiduciam eripiat*: quia tristitia, & ossa, & virtutes in homine exsiccat, omnémque eripit fiduciam, hominémque ipsum in barathrum omnium malorum pertrahit. Quis igitur neget immodicam tristitiam putidam esse malorum omnium scaturiginem? cùm non solùm hominem intus discruciet, sed præmatura etiam morte interimat, *A tristitia festinat mors* eccles. 38. hinc tristitia triumphus est Dœmonis, quatenus hac sola armatus bellum mœrentibus, & profundo mœrore correptis indicit, & expugnat.

115. Unde Apostolus: Cum acri reprehen-

2. Corinth. 2. sione quendam contristâsset delinquentem, & postea tristitiæ alexipharmacum adhibuisset, ait: *Sufficit illi objurgatio hæc*: *itaut è contrario magis donetis*, *& consolemini*, *ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur*, *qui ejusmodi est*, quæ verba expendens D. Am-

lib. de pænitent. c. 17. brosius ait: *debemus cavere*, *ne remedium nostrum fiat satanæ triumphus. Circumvenimur enim ab eo*, *si per nimiam tristitiam pereat*, *qui potest liberari per indulgentiam.* Cautè igitur adhibenda est tristitia, ne remedium hominis peccantis, trophæum fiat diaboli triumphantis: est enim mœror artifex ille, qui satanæ triumphum construit; hinc tristitia, quamvis non mundana, nec perversa exiguo clauditur tempore: pulchrè scribit D. Paulinus ad Pamachium, inquiens: Scriptura divina, quæ producere nos lachrymas, quasi evaporando dolori permittit, termino quóque designato describit tempora, cum dicit, Amaritudinem luctûs uno ferendam die, ò divitiæ bonitatis Dei! quàm pia id ipsum solicitudine nostri caveat; non pietatis propensæ invidus, sed infirmitatis nostræ conscius. & omnis immodici temperator lachrymas in mortuo produci jubet, amaritudinem verò lugendi unò tantùm die claudit. Illud porrigi sinens, quo relaxatur dolor, & anima respiret: istud verò præcidens, quod immoderato, & irrationali cruciatu mentem nostram conficit, quódque diutiùs fragilitas nostra non valet sustinere. Sed hoc plenius ipsa suo verbo pietas Dei explicat, subjicit enim, & consolare maturè propter tristitiam: ita Paulinus commendans in nos Dei bonitatem, quà nostras coërcet amaritudines, ut gaudia laxet. Suspiciona non est vacua tristitia, quamvis non perversa, si immodica fuerit, quia facilè, quod est remedium hominis peccantis, trophæum potest fieri diaboli triumphantis. Quòd si tristitia perversa, seu mundana fuerit, ac immodica gehennalis est officina, in qua mala omnia cuduntur in hominis perniciem.

Excutienda est igitur immodica tristitia, 117. quæ nonnisi perniciem ingerit, ac spiritum nequissimum secum trahit, quo mœrens diriùs torqueatur, cavendum est ab immodica tristitia perinde, ac à gehennali spiritu 1. Reg. 16. postquam Samuel Dei instinctu in Regem Israël clanculum inaugurâsset Davidem, dicitur, quòd *directus est Spiritus Domini à die illa in David*, *& deinceps*, *Spiritus autem Domini recessit à Saul*, *& exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, ex quo textu insignis oritur quæstio, quisnam fuerit hic spiritus nequam à Domino, qui Saulem exagitabat: cùm enim dicatur à Domino autumant plures, spiritum fuisse bonum missum à Deo, ut Saulem excruciaret, pœnásque ab eo exigeret violati præcepti. Verùm communis Patrum, Doctorúmque sententia docet: Energumenum tunc Saulem fuisse à Dœmone obsessum, & intus à nequissimo spiritu exagitatum. Alij censent, hunc spiritum morbum quendam fuisse ex atra bile in corpore Saulis exortum, qui & in furorem eum ageret, & à mente dejiceret, turbidósque cieret affectus, & ita censet Cajetanus, inquiens: *Quemadmodum spiritus* ibid. *bonus in Davide non significat Angelum sanctum*, *ita spiritus malus in Saule non significat dæmonem*, *sed spiritum melancolicum*: adeò noxia est tristitia in homine, quem perinde divexat, ac spiritus nequam energumenum; est igitur internus mœror intestinus, ac familiaris ille dœmon, qui mentem occupans, humanum etiam obsidet corpus, quò totum hominem torqueat, exagitet, & divexet: etenim fœda suggerit, & ad turpissima instigat, & homo de mentis fastigio ejectus in dœmoniacum agit furorem domestici dœmonis instinctu.

Qui igitur immodica occupatur tristi- 116. tia energumeno haud dissimilis est, cùm à spiritu nequam interna semper divexetur agitatione: hinc Saul hoc agitatus spiritu audacissimè cœpit prophetare, ut notat Cajetanus, inquiens: *Invasit spiritus Do-* 1. Reg. cap. *mini malus Saul*, *& prophetabat. Hoc est*, 18. v. 10. *invasit ad similitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium*, *& dicentium. Et hoc erat primum nocumentum*, *consequens commotionem spiritûs melancolici*, quia hoc spiritu tristi, qui agitatur, energumenos æmulatur; plura effutit, sed nonnisi umbras spargit suspicionum, &

in terras tantùm, ac vanas prophetias evaporat, cùm nihil tam sit à prophetia alienum, quàm tetricitas mœroris. Audiendus est Samuel, qui loquens cum Saule, quem in Regem unxit, ait: *Cum ingressus fueris urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso; & ante eos Psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes*, lætis duntaxat, & jucundis datur spiritus prophetiæ, non tristibus, ac profundo mœrore occupatis.

118. Non igitur Saul prophetat mœstus, qui lætus non prophetaverat. Cùm igitur arcana sit cognatio tristitiam inter, ac spiritum immundum de infernalibus duntaxat furijs prophetat mœstus, & inferno proximus dicitur tristis. *Genes. 42.* Filij Jacob enixim à patre jam ultima senectute confecto expetunt, ut suum Benjaminum in Ægyptum mittere velit, quo impunè proficiscentur frumenti emendi causâ; verùm rogantibus illis respondit Jacob, *Non descendet filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi contigerit in terra, ad quam pergitis; deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, ubi D. Augustinus explicat: *Et deducetis senectam meam cum tristitia ad inferos*, [In quæst. in Genes.] quia immodica occuparetur tristitia, si quid sinistri obtingeret Benjamino in Ægyptum proficiscenti; ad inferos putâsset statim se deduci, quia immodica tristitia fores aperit gehennæ, & tormenta inducit inferni. Quàm igitur periculosa est immodica tristitia, quæ & ipsos viventes ad infernum deducit.

119. Hinc Jacob percharum suum Josephum à dilectissima susceptum Rachaële, quem à truculenta putaverat bestia dilaniatum tragicè lugebat mœrens, ac tristitia pressus lachrymis doloris duritiem liniens, ac emolliens, aiebat: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*: [Genes. 32] quia nimirum immodico correptus mœrore se jam putabat inferni cruciatibus damnatum ob immodicæ tristitiæ dolores. Interim tamen Josephus Ægyptijs præficitur, & cum honoris, & gloriæ fastigium teneret, se tandem fratribus perhumanissimè cognoscendum exhibuit, quibus etiam currus, & animalia præmisit, ut patrem senem cum tota familia in Ægyptum ducerent. Cùmque Jacob Josepho obviâsset filio, irruit statim super collum ejus, & inter amplexus, & oscula flevit. *Dixitque pater ad Joseph, jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* [Genes. 46] Cùm Jacob mortuum putâsset Josephum, dixit, descendam ad filium meum, lugens in infernum, quia tristitia ejus occupaverat spiritum: cùm primum verò Josephum vidit, non dixit ampliùs, lugens descendam in infernum, sed duntaxat *moriar ex nunc* (scilicet præ gaudio) *quia vidi faciem tuam*: adeò tristitia dirus est tortor, ut quos occupat in infernum trahat.

DISSERTATIO XXV.

Lachrymæ, quas miserentis, ac resipiscentis animi dolor elicit; ridentis, ac arridentis Empyrei roscidi sunt imbres sordibus eluendis, ac nostræ sterilescentis siccitati rigandæ pares.

§. I.

Expenduntur affectus Miserationis, & Compassionis, donanturque explicatu eorundem natura, causa, & proprietates.

1. Lib. 2 Rhetoric. cap. 8.

ARistoteles definit affectum misericordiæ: *dolorem quendam ex apparente malo corruptivo, ac dolorem inferente in indignum pati, quod ipse putabit se pati, vel suorum aliquem, idque sic ut propinquum videatur.* S. Augustinus, omittens aliquod ab Aristotele indicatum; & aliquid addens ab eodem omissum describit affectum misericordiæ. *Esse alienæ miseriæ in nostro corde compassionem, quâ utique si possumus, subvenire compellimur:* Asserit Augustinus, hunc affectum esse talem compassionem, ex qua, si facultas suppetat, compellamur succurrere alienæ miseriæ, quod ab Aristotele omissum fuerat. Rursus Augustinus ex Aristotelica definitione omisit verba illa *de malo inferente dolorem in indignum*, ut etiam illud *de malo, quod videatur propinquum:* ut etiam illud aliud positum ab Aristotele: *debere miserentem putare se ipsum pati:* scilicet misericordiam debere esse de malo, ut proprio, quæ omnia præterivit Augustinus. Cæterum cum Aristoteles dixit, misericordiam esse de malo, quod videatur *propinquum:* non ita intelligitur, quasi misericordia sit de malo, quod hic, & nunc urgeat, ut præsens, ac imminens; sed quia ordinariè non solet misericordia excitari, nisi malum præsens sit, ac propinquum. Perspicuum enim est, misericordiam plerumque excitari etiam circa mala, quæ pluribus abhinc sæculis obtigerunt; ut cum meditantes Christi passionem compatimur ejus doloribus, quos pro nobis ipse tulit, hunc fuisse sensum Aristotelis conjicitur ex ejusdem verbis, ait enim. *Afflictiones tunc miserabiles sunt, quando præsentes cernuntur; quæ à mille annis ante fuerunt, vel futuræ sunt, vel omninò non miserantur, vel non similiter;* scilicet ordinariè, non tam intense, neque tam vehementer sicut solent præsentes.

Lib 19. de civit. cap. 5.

D. Thomas ex utraq; præexpensa definitione tradita ab Aristotele, & D. Augustino ita misericordiam definit: *Est dolor, sive tristitia de malo alieno involuntario existimato ut proprio; & aliquo modo contra personæ miserabilis dignitatem, cui subvenire velit miserans, quantum in ipso sit, & commodè possit.* Est siquidem miseratio species quædam doloris, seu tristitiæ, à qua duntaxat discriminatur, quia tristitia est de malo proprio; miseratio autem de alieno existimato, ut proprio; quia cum dolor propriè sit erga se ipsum, debet miserans putare veluti proprium malum illud alienæ personæ, cui miseretur. Dupliciter potest malum personæ miserabilis fieri proprium miserentis. Primò per solam unionem affectivam; quia cum amor habeat vim unitivam, persona amata fit quid unum affectivè cum amante, quo pacto sicut amans respicit tanquam proprium bonum illud, quod possidet persona amata, ita vicissim malum personæ amatæ fit quodammodo proprium amantis: unde Aristoteles ait; amici officium inter cætera esse condolere de malo amici, perinde ac de proprio. Secundò per communicationem realem ejusdem mali sive actu, sive potentiâ; si miserans eidem sit malo obnoxius, quo afficitur, & affligitur persona miserabilis; vel saltem possit illud incurrere. 2.

Cum verò intercedit communicatio realis actu, vel potentia ejusdem affectûs, tunc misericordia magis concitatur; quapropter Deus, ut magis suam erga nos charitatem ostenderet, ac misericordiam commendaret, 3.

nostram assumpsit humanam naturam, ut per ipsam posset re ipsa fieri particeps nostrorum defectuum, magisque nostri misereretur: 2. ad Hebr. hinc D. Palus loquens de Christo, ait: *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est, & tentatus potens est, & iis, qui tentantur auxiliari.* Illi enim proclivìores sunt ad miserendum, qui in statu, & conditione vitæ sunt similiores personæ miserabili, quatenus existimant posse etiam ipsos in idem incurrere malum; qua ratione sapientiâ insigniti, senióque confecti, quia humanæ vitæ pericula imminentia perspectiora habent, faciliùs solent misereri, opémque alienæ miseriæ suppeditare, ac miseris opitulari: è converso, qui se felices putant, neque hujus delabentis vitæ verentur discrimina, difficiliùs ad miserationem excitantur. Ij etiam, qui animo sunt elatiori, vel occupantur aliqua passione tendente in ardua, cujusmodi sunt irâ correpti, vix miserationi dant locum, ut alienæ opitulentur miseriæ; in quo sensu D. Thomas interpretatur Aristotelem dicentem. 8. Rhetoric. cap. 8. *Eos, qui sunt in contumeliandi dispositione, sive affectu non esse solitos misereri.* Idque desumitur ex illo Proverb. 27. *Ira non habet misericordiam.*

4. Liquet igitur, misericordiam esse animi affectum, quo inclinamur ad alienam miseriam benevolè sublevandam, ac esse virtutem; tametsi ex Ethnicis aliqui id inficias iverint, inter quos Plautus, cujus est vulgare illud effatum: *De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat, aut quod bibat. Nam & illud, quod dat, perdit; & illud producit vitam ad miseriam:* quam sententiam meritò Lactantius *lib. 6. Instit. cap. 11.* vocat detestandam; monétque prolatam fuisse ab homine comico, jocos è scena ad populum effutiente, & inconsultò blaterante quæstûs causâ. Manichæos pro eodem habuisse, stipem mendico porrigere, & homicidium perpetrare testatur S. Athanasius *epistola ad solitariam vitam agentes:* putabant, stipem pauperi erogatam in subsidium, incrementum esse illius miseriæ, quam execrabantur, ut profectam à malo principio. Cæterum si Plautum excipiamus hominem comicum, jocosum, nullius probitatis, & Manichæos, quos S. Basilius Ecclesiæ *Marcorem* vocavit; nullus fuit, cui inhonestum videri potuerit miseris opitulari; cum sit opus honestum redundans in beneficium proximi in miserijs constituti.

5. Neque obstat, plerósque de plebe infima non excutere torporem, ac malle mendicatò vivere; quàm proprio labore, ac industria sibi ad vitam sustentandam necessaria comparare. Quia tametsi hi seligant otio potiùs marcescere, quàm labores in Reipublicæ commodum subire, sibíque consulere; nihilominus alienæ opitulari miseriæ semper honestum est in miserente; cui propterea vitio minimè vertendum, quia illi prodest. Imò sicut Luctatores olim oleo perungebantur, ne ab Antagonistis caperentur, ac prosternerentur; ita Christianus misericordiæ oleo debet illiniri, ne à diabolo capiatur, captúsque dejiciatur, ut scitè monet S. Chrysostomus, inquiens: *Non sic oleum corpus hominis roborat, ut animam misericordia stabilit, adeóque confirmat, ut superari à diabolo nequeat.* Homil. 6?. in Math. Si militia est hæc mortalis vita, & pugiles, seu Athlethæ homines; ne in hac lucta devicti cadant; néve ab Antagonistis prosternantur, oleo misericordiæ perungantur; oleum hoc aquis innatat, nec sinit viros misericordes fluctibus adversitatum obrui; flammas hoc oleum nutrit charitatis; ignémque extinguit insanæ voluptatis: oleum enim cum castitate quandam dicitur cognationem sortiri, flammásque extinguere libidinis, castóque igni pabulum suppeditare, ut olim apud Vestales Virgines, quarum præcipua lex erat, ignem perpetuum oleo enutrire; & si fortè castus ignis extingueretur, cædi à Pontifice Maximo juberentur.

6. Imò tantus apud Ethnicos misericordiæ in egenos exercendæ cultus fuit, ut eidem Athenis ara splendidè constructa fuerit, cui Præfecti populi litarent, ut misericordiæ exercendæ assuescerent. Neque obstat, Platonem *11. de legib.* severè sanxisse, ne pauperes mendici in urbe permitterentur, sed eos extorres dimitterentur, quia hujusmodi Platonis edictum in id tantùm collimavit, ut scelera ab urbe arcerentur, in quæ solet plerúmque ignava mendicitas proruere, ut liquet. Non igtur vetuit Plato, misericordiam egenis impendendam; sed ne scelera in civitate grassarentur. Lib. 8. de Repub. Etiam Lycurgus apud Zenophontem in Republica Laconum vetuit suppeditari pauperibus consuetam stipem, non ad misericordiæ abigenda officia, sed ad egenorum industriam augendam; excutiendúmque torporem; quâ ratione collovies illa Ægyptiorum, seu Cingarorum, quæ vagari confictis prætextibus finitur per plures Europæ provincias, è Germaniæ finibus jussa jampridem fuit exulare. Cæterum misericordiæ officia nunquam Ethnici vetuerunt; imò est observatu dignum, quod de Lacedemonibus perhibetur; consuevisse istos hospitibus, & peregrinis ad umbram in spectaculis sedes locare, causâ misericordiæ exercendæ in exteros. Et cum non lateret Julianum Apostatam quantum hospitalitas Christianam commendaret religionem, summum impendit studium, quo eam abolitam instauraret: priscos imitatus Ethnicos, qui Nosocomia, & Xenodochia construxerunt recipiendis, alendisque exteris peridonea.

7. Quod autem ad nostrum attinet institutum, sumitur miseratio pro illo miserentis animi affectu, quo dolemus de malo alieno existimato ut proprio, & aliquo pacto contra

per-

personæ miserabilis dignitatem, & cui opitulari volumus, quantum in nobis est; plerumque excitatus de aliena miseria dolor est tantus, ut lacrymas eliciat; eò quia dignitas personæ non mereatur has miserias; ut cum meditantes Servatoris Christi cruciatus, nequimus ex compassione lacrymas coërcere. Hunc miserationis affectum ciere non modicæ est industriæ, nec mediocris ingenij. Plerosque audivi ex sacro suggesto omnem moventes lapidem, ut lacrymas elicerent; cum se potius ridendos flebili illa monodia exhiberent, quàm fletus excitarent, lacrymas elicerent.

8. Miserationis affectus non importunis cietur clamoribus, neque frequenti movetur ejulatu, præsertim si Auditores jam lacrymis maduerint; sed ad id opitolantis Dei requiritur auxilium, quo leniter tangatur cor hominis, & in Oratore efficax ratio movens, & rei per hypothiposim repræsentatio. Neque opus est monere auditores, ut fleant; quia lacrymæ injussæ exiliunt, sensimque sine sensu turgent in oculis, suopte ingenio in genas defluunt. Si moveatur introrsus auditor leniter eliquatur affectus, ad quem ciendum nonnunquam plus habet efficaciæ una, vel altera sententia cum affectu pronunciata, quàm diuturni clamores flebiles, & ejulatus inconditi. Ut aliàs innuimus, excitet priùs Orator affectum in se, quem movere in aliis cupit, fleat sincerè, si aliis vult lacrymis madere. Licèt nil lacryma videatur esse tenuius, cum sit humoris guttula, facilè exarescens; vim tamen habet plurimam, ut intimos sensus, mentésque permeet, ut etiam prædura corda emolliat; frangatque, quæ priùs flecti haud poterant.

§. II.

Christi patientis cruciatus uberem suppeditant materiam parem affectibus commiserationis, & compassionis ciendis, lacrymisque eliciendis.

9. SOlent hunc miserationis affectum excitare illa omnia, quæ perimendi vim habent, vel hominem in statum dejiciendi sua conditione deteriorem; & generatim omnia illa mala, quæ hominem torquent, corrumpunt, perdunt; cujusmodi sunt ægritudines, morborum colluvies, fames, sitis extrema, paupertas summa, desolatio, supplicia, cruciatus, tabes, inflicta vulnera; mentis alienatio, insania; & alia malorum agmina in animum, corpus, & bona fortunæ perversè irruentia. Huic malorum segeti plurimum adferunt subsidij adjuncta personarum, locorum, temporum, aliarúmque circumstantiarum; quæ rem solent concomitari: etenim si qui multiplici torquetur cruciato, sit persona innocens, ac in summa dignitate constituta; morum candore insignis; nobilitate cæteris elatior; virtutum decore ornatior; affabilitate sermonis mitior, nulli dubium, quin plus habeat efficaciæ ad miserationis affectum ciendum.

Hinc si orator Christum Servatorem 10. repræsentet diris cæsum flagellis, ut affectum commiserationis excitet, lacrymásque eliciat; omnes, ac singulas debet circumstantias percurrere, ac per hypothiposes recensere simili modo. Quis ita siliceus, ac corde saxeus, ut non liquescat in lacrimas? cum speciosus præ filiis hominum multiplici vulnere saucius sanguineas solvatur in pluvias, probrum nostræ sterilitatis deleturus? Ducitur ad columnam, qui mundi est fulcimentum; ligatur saxo, qui vincula solvit omnia; vincitur ut reus, qui innocens tartara vincit; nudantur cyclopum lacerti, innocens, ac delicatissimum Christi corpus vibicibus, ac vulneribus sauciaturi. Heu spectaculum non siccis spectandum oculis! flagellorum grandine conteritur suavissimus flos, quem Virga Jesse a caduceatore Gabriele salutata concepit in vere, & peperit in hyeme; lilium convallium sanguineis obruitur pluviis, non ut purpuream efflorescat in rosam; sed ut mulier cordis ager dediscat sentes, ac veptes producere; & fœcundo imbutus imbre flores incipiat dare virtutum. Feruntur toto impetu flagellorum procellæ in tenella Servatoris membra, in quibus inflicta tument vulnera, & madescunt sanguine, neque oleo liniuntur; sed alijs, atque aliis conscissa cute priora recrudescunt. Tonsum crudeliter dorsum impendente scuticâ contremiscit; nec pavet tortor; sed acriùs invalescit in plagas, recrudescit in vulnera; quorum numerus ad nullius legis revocantur præscriptum; sed furor exitialis, & rabies exasperata jus sibi faciunt ex inaudita barbarie. Tantúmne licuit projectæ sævientium hostium audaciæ? Hoccine ratum erat oraculis, ut loris etiam ac fustuariis Deus subjiceretur? ac præposteris consilijs Princeps à subditis, Herus à mancipiis scuticâ ad plenam cruoris cæderetur effusionem?

Natabant pavimenta cæsi Servatoris 11. divino sanguine; invalescebant tortores absque intermissione, sine interjecta mora ulla, & flagellorum procellâ sæviebant acriùs in Dei filium, mediis in ictibus, crepitúque plagarum, ne minimam quidem, præ nimio dolore edentem querelam; nullum emittentem gemitum. O scelus execrabile! nuda, ac multiplici vulnere saucia, fusóque madida cruore conspiciuntur membra virginea lapideæ illigata columnæ. Diruant, deleántque Scythæ columnam ex Pyladis, & Orestis Historia: veri Magister amoris Deus nobiliora suæ charitatis emblemata ad eruditionem omnium gentium in columna altera statuit. Amorem nactus Euristheum cœlestis Alcides, nullam sibi indulgens labo-

rum metam, ibidem plus ultra sibi aperuit; ubi alius non plus ultra clausit. Mundus Adami lapsu corruerat; erigi, ac instaurari sine columnis vix poterat. Firmiùs ut staret nostra salus, hâc nititur columnâ; quæ meliorem Dei populum, è duriori ereptura Pharaone, indicem se præbuit itineris nostri, quò tutiùs ad promissam nobis cœlestem patriam duceremur.

12. Sed quæ vox, quæ lacrymæ, qui sensus exprimere possunt tolerantiam; sacri cruoris effusionem; patientis Christi æquanimitatem, mansuetudinem, clementiam, silentium, plagarum numerum, cruciatuum acerbitatem; ubique sanguis in sacrosanctis Christi membris, ubique vulnus, & cum non sit ulteriori vulneri locus, vulnera ipsa iterum recenti vulnere vulnerantur; licèt desit vulneribus locus, non tamen ipsa deficiunt vulnera; licèt deficiant lictoribus vires, non tamen deficit rabies, nec cessat crudelitas: eh quis siccis spectare oculis potest speciosissimum Christi corpus dehonestatum impressis altiùs virgarum sulcis, vibicibúsque inustis cæsum? quis non lugeat oculos injiciens in sacratissimos Christi humeros innumeris conscissos vulneribus cœlestium orbium oneri pares? Itane gloriæ Dominus vapulat? Rex beatarum mentium, perinde, ac vile mancipium virgis excipitur, fitque cruentum ferulis carnificinæ spectaculum? Ah sistite immanes tortores, sistite, si quis pietatis vobis inest sensus, parcite innocentissimo vestro conditori: satis lævitum; si quid humani vobis superest, id vestras coërceat manus, ne tam innocenti sanguine ulteriùs, ac scelere violentur sacrilego.

13. Sed non satiatur sacro sanguine lictorum rabies; imò quasi civicam coronam esset relaturus, qui primus, aut valentiùs feriret, aut immaniùs verberaret, certatim toto impetu plagas infligunt, teneros artus sauciant, pectus perfodiunt, membra lacerant, totúmque corpus proscindunt. O spectaculum à tota posteritate lugendum! cæditur virginale corpus, solvitur templum non manofactum, diripitur regia divinitatis; & flagellationum procella obrutus deficit, viresque exuit, qui roborat universa. Ubi estis cœlorum virtutes, quæ ex ara divinitatis cœlesti Numini odores lodesinenter incenditis: ubi estis Angelici chori, qui exultanti carmine ter sanctum perpetuò concinitis: ubi estis armatæ cœli legiones, quæ Cœlestis Regis Throno adsistitis; moras rumpite, huc accurrite, Regem vestrum defendite eum subtrahite à sævientibus lictoribus, qui in Dominum Majestatis insiliunt, manúsque impuras injiciunt, eúmque cædunt, lacerant, cruentant innocentem, & benefactorem: ego citius hic mihi velim, in oculis lachrymarum fontem erumpere; & copiam omnem dicendi in ore exarescere, quam linguâ tantum facinus ulteriùs prosequi & inflictas refricare plagas, quibus per ludibria lusit furor sævientium virgarorum in speciosum formâ præ filiis hominum; malo la rymis, quàm voce sacrilegum prosequi facinus. Tu interim mitissime Domine columnam complecteris, quam purpureis sacratissimi tui sanguinis scribis notis, amorem in ea tuum in nos descripturus, quem tota posteritas legeret, simúlque lugeret.

Miserationis affectum pulcherrimè excitat Theagenes lugens Charicleam, ut mortuam, quæ tamen nondum mortalitatem exuerat; quia verò lamentatio plena est commiseratione, ac eloquentiæ nitoribus; placet eam hîc attexere; poterit siquidem Orator illam imitari in graviori argumento, cui facilè potest accommodari: ait prætactus Author incipiens per exclamationem. O dolorem intolerabilem; ô calamitatem divinitus immissam! quænam adeo insanabilis furia in nostris bacchabatur funeribus? quæ exilium nobis à patria imposuit, sexcentis maris, prædonúmque periculis objecit, omnibus fortunis spoliatos. Unum erat pro omnibus relictum solatium, sed & hoc ereptum est. Jacet Chariclea, & hostili manu dilecta perempta est: haud dubiè pudicitiam propugnans, & mihi se asservans. Nihilominus tamen jacet infelix, neque ipsa quemquam ex forma fructum cæpit, neque mihi ulli usui fuit. Cæterum ô dilecta alloquere me, jam ultimo solito more: manda quidpiam; si quid adhuc spiras. Heu me miserum! taces? fatidiculum illud, & divino lepore præditum os silentium premit? caligo igniferam, & ex sacrario Deorum ministram, chaos occupavit? oculi verò lucis expertes, qui nuper gratissima pulchritudine fulgurabant? hos non vidit interfector, certo scio; cæterum quo te nomine quispiam appellet? sponsæne! at desponsata non es: an pronuptæ? enim verò expers es conjugii. Quam igitur appellabo? quam novissimis verbis alloquar? An omnium suavissimo nomine Chariclea? o Chariclea, adesto animo, fidum habes amatorem: haud ita multo post me accepturu es; jam enim tibi inferias peragam mea ipsius cæde, amico tibi sanguine faciam, & ambos capiet nos hæc spelunca; rude, & tumultuarium monumentum. 14.

Augetur etiam miseratio si persona, cujus miseremur ab indignissimis hominibus injuriis afficiatur, ac ab illis, quos beneficiis devinxerat, damna patiatur; & præsertim si innocens sit, nobilis, elementiâ, patientiâ, comitate, aliisque virtutibus insignis; si persona speciosa corpore, si morum candore præclara, si eloquij gratia commendabilis, si assueverit omnibus benefacere, si nocuerit nemini. Si eos habeat spectatores miseriæ propriæ, quos beneficiis cumulaverat, & ab iisdem contumeliis, convitiis impetatur, hæc omnia affectum augent 15.

com-

commiserationis. Ab hisce adjunctis, & circumstantiis orator è sacro suggesto ciere facilè potest affectum commiserationis in Christum Dominum spineo redimitum serto, coronâ donatum spinis obarmata. O barbariem execrabilem! ô supplicium ab Erebi furiis inventum! itáne vallatur, obsidetur, vulneratur, cruentatur spinarum dirissimo exercitu placidissimum illud caput, quod solem coronavit radiis, sidera illustravit splendoribus, gemmas pretiosis ornavit nitoribus? Itane spinis transfigitur sacratissimus vertex, qui floribus ridentia prata vestivit; rosis, liliis, aliísque discoloribus Floræ fœtibus hortos locupletavit? Itáne pro florum deliciis, spinarum rependuntur supplicia; pro ridente, ac arridente in floribus voluptate, insuetæ dolorum acerbitates? Non reverentur insani lictores in patientis Servatoris vertice divinæ Sapientiæ sacrarium; sed spinis divinum caput obruunt, vepribúsque desæviunt in frontem, quæ fontem apperuit, à quo omnia bona in nos derivârunt. Regium caput non auro redimitur, non gemmis illuminatur, non floribus coronatur, sed horrendis obruitur dumetis; acutissimis transfigitur spinis, vepribúsque sepelitur acerbissimis. Dediscite spinis florem cruentare horti paradisiaci. Nolite vepribus sævire in caput illud, quod sidera coronant. Parcite innocenti vertici, qui gloria est regnorom.

16. Sed facilius est cribrô aquam hantire; quàm sperare, ut genus humanum Deo, cui nunquam pepercit in culpis, parcere nunc velit in pœnis: in id studio rabie correpti lictores sacrilegè incumbunt, ut Rex Angelorum spineo donatus diademate adjectâ humeris purpurâ, insertáque dexteræ arondine fictis imaginibus regni, per ludibrium traducatur in scenam; ferales siquidem lanistæ ex protracta verberatione defessi, quasi requiem aliquam interjecturi, à virgis transeunt ad spinas, quibus lilium pulcherrimum circumsepiunt: & quia audierant mitissimom Christum, semivivum Dominum affectati regni esse reum, regiis illum Insignibus per ludibrium, jocúmque non siccis spectandum oculis ornant, salutántque Regem; & accito lictorum satellitio Regem suum ambiunt, supplices in genua procumbunt, timidi venerantur; mox mutata veluti scena personante atrio conviciis, veluti ambitiosum scurram exsibilant, explodunt. O sacrilegam scenam! itane dignum illud sideribus caput, manus illæ divinitatis sceptro pares; ille Rex gloriæ, ante cujus Thronum curvantur, qui portant orbem, fit militaris licentiæ ludibrium; & contumeliis impetitur, per quem Reges omnes terræ honore afficiuntur? Ah spineo serto cruentatur Christi vertex, ut discerent Principum capita spinas tolerare in purpura.

17. Haud me latet, consuevisse populos in acie pugnaturos, sagittas in diadematis specie capiti circumponere, & inde promptiora in hostes jacula contorquere; etiam cœlestis pugil tartareas expugnaturus legiones hoc telorum voluit serto coronari, lecturus in spinis palmas. Bellator fortis, radiato hocce aculeis capite, in calvariæ colle Principi obviaturus tenebrarum, victoriæ prælusit in luce sagittarum, ac splendore fulgurantis hastæ. Decuit Dominum virtutum, Regémque gloriæ serto circumcingi dumorum; quippe in stadio virtutis, & in regno patientiæ, nil feliciùs coronat, quàm quod cruciat; nil illustrius ornat, quam quod onerat: scio spinarum Deum effinxisse Ethnicos, ne detrectarent homines spinas amplecti etiam cruentantes, cum & ipsæ divinum qoid redoleant: sed Judæi factum dederunt, quod fictum alij duntaxat exhibuerunt.

Non horreamos spinas, neque ab earundem abhorreamus aculeis, cum in radios mutentur divini Numinis, splendentes in sanguinis purpura. Sertum ex acutissimis compactum spinis per vim in sacrosanctum Redemptoris caput infigitur, ut sanguis inde flueret, & ex eodem succo, quo tincta porpura erat, purpurascerent flores, ac nativæ rosæ divinam induerent stirpem; & spinarum supplicia, pretia fierent humanæ redemptionis. O divinum caput, candor lucis æternæ, & nunc flagrantissimum in ter spinas lilium, à quo spinæ sanguinem elicientes, nos docent, etiam è summæ puritatis lilio summæ charitatis prodire rosas; non tamen spinæ rusas cingunt, sed rosæ defluentis sanguinis spinas muniunt, quas coronant. 18.

Hactenus spinæ humi renentes hominum tantum assueverant pedibus insidiari; sed nunc Angelorum capiti rosatum contexerant diadema; nimirum nobilitatem nactæ ex divini contactu verticis triumphales flectontur in coronas, quæ antea in veprera obriguerant. O quanta virtus in patientis Christi vertice! cum vel ipsæ spinæ eidem infixæ purpurâ vestiantur, abeántque per guttas sanguineas in rosas; ut assuescamus, & nos inter dolorum spinas flores colligere meritorum; vel de spinis dare uvas sincerioris dilectionis; cum vepres inoculentur in vite, cujos nos palmites sumus. Solum Christi Regnum stabile non est, nec ulli obnoxium vicissitudini; illius unius corona tot agit radices, quot in sacro illo vertice figuntur spinæ. Quàm meritò dicuntur arbores olim in Regem Rhamnum elegisse, cùm in divini capitis flectendum erat coronamentum. 19.

Sed si divinum caput defluentis sanguinis madet imbre, liquescant oculi nostri in lacrymarum pluvias; non aspiciamus siccis oculis cœlestem verticem, non rore ampliùs conspersum, sed sanguineis stilicidiis scatentem. Non impleamus mentem volupta- 20.

lupta-

luptatum cogitationibus, postquam fidere. ùm caput sentibus ad extremum dolorem obruitur: ornamenta omnia capitis abjiciamus, ex quo divinus Christi vertex solis obtegitur spinis: sine phaleris videri voluit Veritas, ac sentes potiùs tolerare, quàm frondibus exornari: Magister dolorum, hos aculeatis spinis proprio infixit capiti, quibus firmiùs adhærerent, nósque faciliùs eos doceret, exemplo fortiùs, quàm voce. In horto voluptatis flores omnes collegerant homines, & filio Dei non nisi spinæ superfuerunt, quibus frontem, & oculos obduxit, ne humanarum fieret spectator impuritatum: maluitque flos campi malè cultus ab hominibus progerminare in vepres, quàm in flore voluptatis vernare. Maluerunt divina Christi tempora non stellis, sed spinis radiare; ut ijsdem nos pungeremur, ac compungeremur, ne ampliùs delicata membra sub spinoso capite voluptati adhæreremus.

§. III.

Exhibentur pleraque illustriorum Oratorum exempla, quibus affectus compassionis, & commiserationis excitantur, lacrymaque eliciuntur per lugubres monodias.

21. EXpeditior miserationis, lacrymarúmque concitatio habetur, si eum ipsi miseri nobis obviant, in ipsos oculos injiciamus, nobis suas produnt miserias, calamitates ostendunt, vulnera detegunt, & ea doloris edunt signa, quæ solet natura talibus pressa angustiis egerere; sed quia miseri haud semper, & ubique locorum adsunt, quos valeamus populo exhibere, ac in eosdem affectum eiere commiserationis, in id debet Orator incumbere studij; ut per luculentam saltem Hypothiposim miseri describat statum, eúmque oculis subjiciat adstantium, ac si præsens adesset; quòd si Hypothiposi adnectatur Gradatio, vim obtinet oratio majorem ad faciliùs eiendum affectum, ut in illa Ciceronis narratione pro Quintio *num. 95.* Miserum est exturbari fortunis omnibus? miserius est injuriâ. Acerbum est ab aliquo circumveniri? acerbius à propinquo. Calamitosum est bonis everti? calamitosius cum dedecore. Funestum est à forti, atque honesto viro jugulari? funestius est ab eo, cujus vox præconis quæstum prostitit. Indignum est à pari vinci, aut superiore? indignius ab inferiore, atque humiliore. Luctuosum est tradi alteri cum bonis? Luctuosius inimico. Horribile est causam capitis dicere? horribilius priori loco dicere. Omnia circumspexit Quintius, omnia periclitatus est, C. Aquilij, non prætorem modò, à quo jus impetraret, invenire non potuit, atque adeo, ne unde arbitratu quidem suo postularet; sed ne inimicos quidem Sext. Nævij, quorum sæpe, & diu ad pedes jacuit stratus, obsecrans per Deos immortales, ut aut secum in re contenderent, aut injuriam, sine ignomina sibi imponerent. Denique ipsius inimici vultum superbissimum subiit: ipsius Sex. Nævij lacrymans manum apprehendit in propinquorum bonis perscribendis exercitatam; obsecravit per fratris sui mortui cineres, per nomen propinquitatis, ut ætatis suæ, si non hominis, aut humanitatis, rationem haberet: ut secum aliquid integra sua fama, qualibet, dummodo tolerabili, conditione transigeret; ab ipso repudiatus, ab amicis ejus non sublevatus, ab omni magistratu vexatus, atque perterritus; quem præter te appellet, habet neminem; tibi se, tibi suas omnes opes, fortunásque commendat; tibi committit existimationem, ac spem reliquæ vitæ, multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis, non turpis ad te, sed miser confugit. Hactenus Cicero: Vides quâ energiâ, & expressione per hypothiposim, & gradationem suam ostendit calamitatem, ad excitandam commiserationem, res ipsa per se luctuosa est, cum obsecraverit etiam per fratris mortui cineres.

22. Plurimum habet roboris ad commiserationem ciendam, dolorémque excitandum illa hypothiposis, quâ Julius Bassus reum exhibet in convivio à Flaminio occisum. Inter temulentas reliquias sumptuosissimæ cœnæ, ac fastidiosos sub ebrietate cibos; modò exeisum caput humanum fertur, inter purgamenta, & jactus cœnantium, & sparsam in convivio scobem, humanus sanguis evertitur. Si quis autem est, Judices, qui desideret, ut Prætoris referam crudelitatem, quot Prætor hic jugulaverit, quot innoxios damnaverit, quot carcere incluserit; huic me satis factum polliceor, uno convivio, cum sua prætura reum evolvam: instituuntur ab ipso in provincia epulæ, & magnifico apparatu extruitur convivium. Quid multa? è carcere in convivium Prætoris; cui stupenti misero meretrix arridet, interim virgæ promuntur, & victima crudelitatis ante mensam, ac Deos trucidatur. Me miserum, imperii Romani terrore Insisti! ô qui crudelitate superâsti omnes Tyrannos, soli tibi inter epulas voluptas fuit morientium gemitus? Hic ultimos apparatus cœnæ fuit. In eodem triclinio video Prætorem, amatorem, scorta, cædes; Meretrix Prætori, prætor Provinciæ imperat. In convivio constituitur catenatus. Quicunque in codē triclinio accumbebat, alius ubertim demisso capite flebat; alius avertebat ab illa crudelitate oculos; alius ridebat: quò gratior esset meretrici. Hic iste inter varios convivarum vultus submoveri jubet: miserum stare ad præbendas cervices immotum. Interim distinguitur mota poculis; nec sobrii quidem carnificis manu, civis Romanus occisus est. Non peto quo minus securi percutiatur; illud rogo, legi potiùs, quàm scorto

scorto cadat. Memento, terrorem imperio quæri, non oblectamenta mulierculis. Quid ego nunc referam. Judices ludorum genera, saltationes, & illud dedecoris certamen, Prætórne se molliùs moveret, an Meretrix? exsurgite nunc Bruti, Horatij, Decij, & cætera decora imperij. Vestri fasces, vestræ secures, in quantum prô bone Jupiter, dedecus reciderent; istis obscœnæ puellæ jocantur. Quid si per Deos immortales nullo solemni die, populo inspectante in foro convivium habuisses, non minuisses majestatem imperij nostri? At quid interest convivium in forum, an forum in convivium attrahas? (mox describit, quomodo in foro decolletur) Ascendit Prætor tribunal inspectante Provincia; noxiæ post terga ligantur manus, statim intento, ac tristi omnium vultu, fit à præcone silentium. Adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte classicum. Nunquid vobis videor describere convivales jocos? Heu! quàm dissimilis exitus initija est. Accusavit te; quis? judicârunt te, qui? te Prætor damnatum pronunciavit, occidit meretrix.

23. Frequens etiam, & efficax est miseratio, quæ ex rerum humanarum excitatur vicissitudinibus, ut cùm quis ex splendida, pinguique fortuna dejectus miser jacet in paupertatis squalore, cum maximum sit infortunij genus, fuisse aliquando felicem. Ubi quis ab excitata florenti fortuna in non modicas delabitur miserias; optimam tunc rationem, efficáxque argumentum suppeditat hæc status variatio excitandi affectum commiserationis; præsertim si utraque fortuna per insignem antithesim conferatur, ut in Bellisarij miserabili casu. O quales rerum vices! Bellisarius paulò antehac divitiis affluens, armis præpotens, victoriis clarus; nunc squalore sordidus, veste luridus, pecuniâ destitutus, morbo confectus, lacrymis madidos, ac mœrore perditus hominum implorat misericordiam, supplex rogat, obolum petit. Hic qui mendicus jacet, luridus, squalidus, hispidus, fame pressus, siti exsuccus, ille est toto orbe celeberrimus Bellisarius, regnorum eversor, urbium expugnator, populorum domitor: qui profusis thesauris exercitus aluit armatorum; nunc fusis lacrymis, quærit, ne fame pereat, quo deficiens corpus reficiat, sitimque extinguat: stipem petit is, cujus armis vitam Principes precariam debent; rogat à miseriis sublevari is, cujus virtute Martiâ in bello innumeri ceciderunt; jacet, per quem fortuna imperij stetit. O rerum vices! qui regnum purpuras superbo quondam pede calcavit, seminudus, quo tegatur, caret. Spectatur solus, ac mendicus, quem antea militum innumera multitudo cingebat, undique affusa lateribus; jacet turpis, squalore obsitus, exhaustus siti, consumptus fame, oppressus dedecore, sine re, sine lare, extorris, penéque ab hominum consortio exclusus, qui splendor fuit Orientia, gloria imperij, Principum deliciæ, populorum amor, hostium terror. O fortunæ temeritatem! itáne ludit in Ducum capita? quis posthac tibi fidat? si quos erigis, ita deprimis? cum felicitatis apicem videretur Bellisarius attigisse, in imum protruditur miseriarum; altiùs eum extulisti, ut lapsu rueret graviore. Extempore à rerum omnium pingui affluentia ad egestatis angustias adigistis; à triumphis ad funera, à palmis ad ferales cupressus, à splendore ad caliginem ab acclamationibus ad opprobria, ab honoribus ad ignominiam Bellisarium traduxisti. Quò se miser vertet? ibitne extorris ad eos populos, à quibus fuerat antea cum plausu exceptus, ac publicis gratulationibus acclamatus, ut quem viderant, laureatum, recipiant nunc sordidatum, lugentem, ac ignominia deturpatum? Ibit miser in exilium? sed quò? ad orientis partes, in quibus antea victrices demessuit palmas, exercitus duxit, & res maximas gessit? at ibi recrudescet doloris acerbitas, & memoria præteritorum, præsentes augebit calamitates: habet enim acerbissimum dolorem, unde cum honore quis discesserit, eodem cum ignominia reverti.

Gravis, ac vehemens est Hegesippi monodia lamentabilis; & quia plures continet antitheses, pluráque eloquentiæ ornamenta, non abs re fore duxi eam hic subjicere; deflet Hegesippus dirutam Hierusalem inquiens. 24. Ubi ubi es maxima civitas Hierusalem? ubi decora Sion? ubi templum admirabile? ubi sanctitatis illud sacrarium, quod semel in anno summus Pontifex rem divinam facturus, ingrediebatur? Proh dolor, nunc id ipsum in cineres conversum, sceleratis vestigiis hostes polluerunt. Ubi es civitas referta populis? venerabilis Regibus; Dei domicilium; gratiarum omnium sedes? Parietum tuorum splendori pavimentorum respondebat nitor; incrustata marmoribus tecta fulgebant, partim auro, partim argento radiabant portæ: tibi uni omnes ornamentorum deliciæ efflorescebant: nunc nudata, à culminibus jaces eversa, cremata ab ipsis diruta fundamentis, & qui ex omni terrarum plaga ad te confluxerant, tecum occubuerunt: mortui cum civibus inquilini, ut non dubium sit, totum in una urbe mundum periisse. Cui nos scenæ fata servatis? quo diutius pertinacem animam trahitis? Duri oculi! qui hæc videre possunt; immites animi! qui velle possunt vitam tot funeribus superstitem, nisi fortè eò videntur sibi felices, quòd jam miseriores esse non possunt. Quocunque oculos circumferimus, ubique occursant funera. Urbs tota vacua civibus, plena cadaveribus, mortuorum sepulchrum est, & ferale quoddam bustum, è quo excitatæ favillæ solem ipsum mœstitia confundunt. Hunc patriæ communem tumulum soli nunc incolunt macilenti senes, instar larvarum cinerulenta canitie, scissa veste, squalore, & lacrymis obruti, nudis prope filiorum mortuorum offi-

bus incubant: si fortè avium rapacitatem cohibere possint: mulieres paucæ, incolumes è patrio solo abducuntur, quas miles non ad vitam, sed ad libidinem servavit: ut lacrymis parcam, cætera reticeo, quæ sine fletu, nec recenseri possunt, nec audiri; hoc unum repetam jacere nunc umbram, & cinerem, quæ splendor erat urbium, mundique ornamentum.

25. Pulcherrima extat apud Sophoclem lugubris monodia, quâ Electra tenens, ut arbitrabatur in vasculo, fratris Orestis cineres, lugens conqueritur excitans affectum miserationis. Fingitur Electra vasculum, quo cineres includuntur Orestis intueri, fléns que in hæc lamentationis erumpere verba, O dulcissimæ fraternæ animæ reliquiæ! si tamen reliquiæ sunt, ubi ex Oreste nil superest, quàm feralis umbra, cinísque inanis. Non enim ullum mihi vestigium apparet dilectissimi fratris, quem ex paternis ædibus florentem dimiseram. Ecce quem Gratiæ venustissimum effecerant, ipsa infelix superstes istis porto manibus nunc cinerem, fabulam, nihil. Utinam potiùs te in patriis ædibus vita defecisset, quàm ista te infelici pietate, me, & te his funeribus reservassem. Occidisses nondum tot miseriarum conscius, & te innocentissimam animam paterni manes, ac cineres comitem accepissent: nunc jaces in aliena terra post mortem etiam extorris, ac fugitivus, tam longè è tua sorore, quæ misera, nec morientis spiritum excepit, nec mortui cadaver lavit, nec dilectis manibus inferias tulit; sed te peregrini tumultuario sepulchro, & perfunctoria humanitate condiderunt. O spes inanes! ô infelicem educationem meam! quid mihi profuit infantiæ tuæ, & matris, & gerulæ vices reddidisse, tibi cibos meo ore mansos ingessisse, tecum lusisse, & tibi tenellis lusibus fatigato amanter accubuisse? Heu quot delicias una mihi dies, instar infesti turbinis abstulit; tecum enim omnia vitæ meæ solatia perierunt; tecum in eodem sepulchro jacent tumulata. Quid aliud sperem à ego cruentis doloribus confecta, lacrymis amarissimis madida, tu quasi somnium evanuisti, & tot spes irritæ ceciderunt; nunc in nostris funeribus tripudiant inimici, gaudent de nostris fletibus, lætantur in nostris lacrymis. Spondebas te paternarum, & mearum injuriarum ultorem affuturum. Hiccine est Orestes, quem pollicebaris? umbra; & is, qui tribus digitis defertur cinis. Heu te miserum! heu me infelicem! ô corpus miserabile! ô frater! quàm infausto hinc itinere ablegatus es! ô frater amantissime! ut te perdidisti? amantissime frater, ut me perdidisti? Actum est, suscipe me unà tecum in idem vasculum: quid enim aliud sum, quàm umbra, & cinis? Noli sororem in morte spernere, quam tam piè in vita coluisti. Tecum mihi una sors, unus animus, una omnia semper extiterunt; & nunc unà amborum cineres miscebuntur; nec ulla nos temporum injuria divellet. Hactenus Sophocles apud Caussinum. Certè hæc Apostrophe, quâ regia puella cineres alloquitur mortui fratris Orestis affectum excitat commiserationis; imò & lacrymas elicit, intueri nobilissimam, lectissimámque illam virginem extremo confectam mœrore vasculum, quo fratris cineres includi existimabat, toties osculantem, fusisque lacrymis perfundentem.

26. In cienda commiseratione præcipua Oratoris cura in id debet collimare, ut totum artificium occultetur, ne videatur Orator ex arte loqui, sed ex quodam duci naturæ impetu. Oportet, ait Aristoteles *lib. 2. Rhet.* artem ita obscurare, ut non ex ullo apparatu, sed omnino naturaliter dicere videamur. Etenim si quædam inserantur figuræ nimis molles, quæque non videantur naturaliter fluere, sed affectatè poni, statim ars deprehenditur, & affectus languescit; hinc scitè monet Dionysius in Isocrate, orationem nimis elegantem, ac festivam in ciendis affectibus intempestivam esse, & miserationi advertantem. Alia est ratio Pöetarum, qui omnia ad aures demulcendas construunt, ac delectatione metiuntur: & alia ratio Oratorum præsertim in affectibus ciendis, in quibus plus habet roboris naturam quàm totius eloquentiæ apparatus.

§. IV.

Resipiscentium lacrymæ sunt lætum vitæ auspicium, Flammas extinguunt gehennæ vitiorum delent sordes lugentes aggratiant Deo, quem emolliunt, flectúntque in vota plorantium.

27. Sicut risus impiorum nonnisi luctûs & lachrymarum est fœcundus; ita resipiscentium lachrymæ gravidæ sunt veri gaudij quo serenitas animi accersitur, mentis tranquillitas adducitur, & cordis jucunditas inducitur. Neque luctus, quem lachrymæ invehunt resipiscentium ullo à vera lætitia differt discrimine, si nomen gemitus, & lætitiæ idem sit, ac utrique commune: esse autem idem astruunt Hebraicam, qui linguam callent; nomen siquidem *ach* æquè de gemitu dicitur, ac de lætitia, non solùm quia lachrymis referta mundi gaudia sunt; verùm etiam quia lachrymæ, quas dolor de injurijs Deo irrogatis ex corde elicit resipiscentium, & in detestationem anteacti sceleris ad Deum fundit gravidæ sunt veræ lætitiæ, quam parturiunt, alúntque lachrymis, perinde ac lacte nutritur, quæ intus in corde vera adolescit lætitia: hinc David, *Memor fui Dei, & delectatus sum*, seu ut aliqui vertunt ex Hebræo *Memor fui Dei, & ingemui*, quia nimirum David deliquerat contra Deum, à quo se averterat per patrata flagitia adulterij, & homicidij, revertens mox ad Deum per resipiscentiam in lachrymas liquescit, ut abluat, simúlque deleat flagitiorum sordes, sed quia lachrymæ erant à corde resipiscente, & contrito effusæ, gaudium, & delectationem Psalm. 9.

nem

nem pepererunt, dixeritque propterea *memor fui Dei, & delectatus sum*, seu cùm me avertissem à Deo, meique fuissem conditoris oblitus, cùm primùm Deus memoriam iterum subiit, & dexterâ suæ gratiæ pulsavit cor meum, statim lachrymis madens, simúlque gaudio exultans delectabar: *memor fui Dei, & delectatus sum*, simúlque ingemui: sunt siquidem lachrymæ resipiscentis felicia semina, quæ in conscissa, ac contrita doloris vomere resipiscentis cordis tellure germinant in veri gaudii vireta, & adolescunt in exultantium flores virtutū: hinc Christus, ait
Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, eò quia spe beatitudinem antevertunt, & lætitiâ gloriosæ beatitatis æmulâ intus per-
28. fruuntur.

Sed si lachrymæ vel instantis ærumnæ sunt indicia; vel futuræ, ac imminentis calamitatis prænuntiæ præsagiunt, indicántque dolorem intus jam torquentem, vel calamitatem mox imminentem; quomodò gaudij dicuntur fœcundæ genitrices? si enim lachrymæ animum serenant, & cor beant, quomodo calamitatum sunt prodromæ, ac infortuniorum infausta præsagia? malè felicitat, quod felicem torquet. Verùm tametsi temporalibus muliebriter illachrymari calamitatibus res prorsus indigna sit, eò quia mundi lachrymæ omnem extinguant lætitiam, & in ijsdem veluti procellosis in fluctibus gaudium demergatur; attamen quas è corde resipiscente eliciuntur lachrymæ felices sunt pluviæ, quibus conscissa cordis tellus irrigata efflorescit in gaudium: mundi cultores rident in vultu, & plorant in corde; secus qui aratro doloris sterilescentem cordis tellurem, & sentibus vitiorum pressam excolunt, exteriùs lachrymis madent, sed simul intus lætitiâ perfunduntur, sintque propterea in istis lachrymæ internæ lætitiæ testes; & in illis extimus ri-
29. sus internæ tristitiæ indicium.

Rident intus resipiscentes, qui lachrymas foras emittunt, quia beneficio lachrymarum Deo conglutinantur, & proscissa cordis tellus feliciter irrigatur, ut non ampliùs sentes, & vepreta vitiorum, sed vi-
b Matth. 5. reta, & flores in ipsa germinent virtutum, apposité S. Chrysostomus: *Nihil ita conglutinat, atque unit Deo, ut illa lachryma, quas, & peccati dolor, & amor virtutum effundit*, qui autem hoc lachrymarum glutino Deo nectitur à vera nequit lætitia deneсti. Quòd si fusus è materno utero recèns infans, & hujus lucis usuræ particeps prævijs lachrymis, anticipatóque doloris sensu futuras præsagit calamitates: qui per contriti cordis resipiscentiam, Deo renascuntur, lachrymis quidem madent, sed vero ut perfruantur gaudio: fusis enim lachrymis jucundioris vitæ auspicantur lætitiam; sintque propterea lachrymæ vitæ auspicium, simúlque faustum jucundæ omen felicitatis, ac indicium sublimioris sancti-

tatis; idque causæ, cur lachrymæ à D. Petro Damiano: *dicantur pietatis adeps, qui* Serm. 28.
intus latitat, & foras per oculos emanat; sicut enim enormiora scelera, ac fœdiora peccata ex adipe dicuntur fluere iniquitatis: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*, Psalm. 72.
ita ex pinguiori probitate stillant, eliciuntúrque piæ lachrymæ, & per pluvios oculos evaporatur latentis conscientiæ adeps: huc accersendus S. Chrysologus inquiens: *Pœnitentia medicina succurrat, ferrum com-* Serm. 167.
punctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientia fervor evaporet; tunc reatûs ulcera lachrymis abluan-
tur. 30.

Sunt lachrymæ saluberrima alexipharmaca, quibus opportunè animi succurritur morbis, & quod vitiatum, corruptúmque est, ferro exscinditur compunctionis, & doloris adustione apertum ulcus exsiccatur, sigillóque cicatricis clauditur, ne pus, saniémque ampliùs effundat: fomenta suspiriorum cordis languoribus opitulantur, & quidquid noxij per vitiorum indulgentiam fuerat intus inductum, mox per tumentis conscientiæ fervorem liquefcens in lachrymas, foras evaporat, ut nil supersit noxij, quo lachrymas effundens compunctionis intus inficiatur: quia tunc singula reatûs ulcera balsamo redintegrantur, sanantúrque lachrymarum; qua de causa Basilius Seleucienfis Orat. 6.
nos opportunè hortatur, ut vitiorum fœditates lachrymis abluamus, ac purgemus, pravósque concupiscentiæ æstus lachrymarum pluvijs extinguamus, & vitia omnis beneficio deleamus lachrymarum, ait ipse: *vitia lachrymis extinguamus*, ut nimirum nil supersit noxij, cùm non tantùm peccata, sed & ipsa vitia, quæ radices sunt peccatorum, ex oculis exilientes fontes lacrymarum extinguant; non enim mirum est, fœdas scelerum flammas lachrymis extingui, cùm tanta sit harum efficacia, ut non solùm flammas extinguant vitiorum, sed & incendia obruant, ac sopiant gehennalia.

Sunt lachrymæ efficax, & potens illa 31.
aqua, de qua aiebat S. Maximus: *Qua-* Homil. 1. de eleemosyna.
nam est illa aqua, qua non sumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehenna consumit incendia? quàm efficax, & potens est vis lachrymarum, quæ etiam ipsum inextinguibile gehennæ incendium potis est interstinguere, ejúsque urendi vim acrem retundere. Imò non solùm gehennales extinguunt lachrymæ resipiscentium flammas, sed & mortem ipsam arcent, toërcéntque, ut ait Tertullianus, & Lib. de Bapt. cap. 8.
licèt ipse de lustrali loquatur lavacro, quo homo fidei, & Deo generatur; adaptari tamen potest lavacro lachrymarum, quo homo vitiorum immersus cœno, emergit beneficio hujus lavacri è mortis naufragio, quo vitiorum fluctibus obrutus perierat, & Deo regeneratur: ait Tertullianus: *Nonne*

mirandum, & lavacro dilui mortem? squalida, lurida, ac sordida mors est peccatorum, & labe præsentis vitæ, & futuræ gehennæ squalore; hæc autem sordidissima mors extergitur, emaculatur, ac undis diluitur lachrymarum: quinimo ubi resipiscens cordis sui doloris vomere proscindit tellurem, quam lachrymis irrigat, gemmanteque statim venustate, viretisque vestita tellus amœnis, vere veluti redivivo germinat,
Sequent cap. & efflorescit, unde exclamat Tertullianus loquens de hoc lavacro, & aqua: *Quanta vis ejus, & gratia, & ingenia, quot officia.*

32. Sin verò quæras, quæ sint hæc lachrymarum ingenia, certè arbitrium emendationis, artificium reconciliationis, ingenium gratiæ, & animæ resurrectio: hæc sunt lachrymarum ingenia, vitiorum delere fœditatem oppositâ excultæ virtutis pulchritudine; quàm ingeniosæ sunt lachrymæ com peccata ipsa venustent, fœditates ornent, & per pœnitentiæ metempsyeosin, umbras transforment in lucem, sordes in gemmas, & senticeta vitiorum, in flores virtutum: imò, & mortem diluunt, quam planctus emaculat lacrymarum lixivio, & gratiæ decorat ornamentis. Quàm ingeniosæ sunt lachrymæ; quarum lavacro mors ipsa tetra lethalibus exuta umbris auram spirat vitalem, & è fœdo, putidóque emersa cadavere ovans resurgit! noverat hocce lachrymarum ingenium D. Ambrosius in-
Lib. 6. in Lucam. quiens: *Bona lachryma, in quibus est redemptio peccatorum:* quasi sint lachrymæ fluxi argenti pretium, quo è tartarei hostis famulitio mancipia redimuntur peccantium; & quasi vicariæ passionis Dominicæ, cùm & ipsæ perditarum sint redemptrices animarum.

33. Adaptare possumus beneficis hisce lachrymis, quod de saliva Christi arguté, &
Serm. 176. acutè dixit S. Chrysologus in illud Joan. 9. *Expuit in terram, & linivit super oculos ejus* ingeniosè ait: *Divino ore luciferam dat salivam, ut sancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris:* quia nimirum lachrymarum guttæ oculos baptizant, & frontis, & mentis: solent oculi ut depravatæ concupiscentiæ geminæ tædæ ardere in animæ exitium; imò sunt oculi patulæ illæ fenestræ, per quas vitia omnia in animam ingrediuntur, quam fœdant, deturpántque; suntque propterea ferè omnium peccatorum prodromi: oculi siquidem sævè irascuntur, furiosè minitantur, lascivè scortantur, concupiscentiam accendunt, virtuti insidiantur, castitatem insequuntur; cúmque vitiorum omnium sint putidissimi fontes, piis lachrymis baptizari indigebant, quibus & fomes concupiscentiæ extingueretur, & flamma iracundiæ coërceretur: lachrymæ enim, quas dolor elicit resipiscentis, æstus temperant singulorum vitiorum, & eorundem compescunt licentiam: imò fletus, quem dolor extorquet non solùm oculos baptizat corporis, verùm & illos mentis, ut ait Hugo Cardinalis inquiens: *Luctus est mentis* In cap. 5. Matth.
humana baptisterium.

Neque enim aliud est lavacrum lachrymarum nisi secundus baptismus, quo 34.
non solùm corpus, verùm & anima reviviscit: hinc præfatus Hugo allegat illud S. Gregorii: *mens lachrymis baptizata videt limpidiùs:* quia detersis vitiorum caliginibus, & sublatâ peccatorum lippitudine mens serenata perspicaciùs semoto obice videt. Neque mentis tantùm caligines lachrymæ excutiunt, & ulcera sanant; verùm etiam Dœmonem ipsum acerrimum humani generis hostem vulnerant, ac profligant: & sicut, ut ait Tertullianus: *Viperæ, & aspides,* Lib. de bapt. cap.
ipsique reguli serpentes arida, & inaquosa sectantur, adeò ut in aquis torqueantur, & pereant juxta illud Psalm. *Contribulâsti capita draconum in aquis:* quia venenata vitiorum capita aqnis obruuntur lachrymarum, & evertuntur, ac occiduntur, atque delentur peccata; sunt lachrymarum pluviæ, veluti telorum imbres, quibus vitia vel fugantur, vel inflictis vulneribus sauciantur; si peccans resipiscas, & lachrymis sordes diluas scelerum, *contribulâsti capita draconum in aquis:* Dracones vitiorum hisce obruuntur, & suffocantur aquis; contribulantur hisce in aquis draconum capita, quia veluti procellosis exagitantur fluctibus, & ad naufragium impelluntur.

Nil est, quod magis tartareus hostis ti- 35.
meat, quam lachrymas resipiscentis, sunt enim hæ blanda quidem, & mollia jacula, quia aquea, sed durè feriunt, cruentántque tartareas legiones, & obstinatas vitiorum turbas vulnerant, profligántque, quapropter nos monet S. Clemens Alexandrinus, ut hisce armis lachrymarum vitia omnia prosternamus: ait ipse in exhort. ad gentes: *Confligamus instructa acie adversus malum, ignita mali jacula extinguamus aqueis muniti cuspidibus:* sunt lachrymæ, quas resipiscentis dolor effundit peracuta tela, quæ licèt aqueis instructa cuspidibus, nonnisi ad certum triumphum in hostes avolant; licèt mollescant aqueo telo, duritiem tamen evertunt tartaream, & vitia vel fugant, vel prosternunt: diceres, tela lachrymis illita, quasi veneno medicata, quò sæviùs malignos Tartari spiritus feriant: *aqueis igitur cuspidibus*, ut loquitur Clemens Alexandrinus, *confringamus capita infernalium Draconum in aquis:* sunt enim lachrymæ veluti semina, quæ in palmas germinant, & in victorias adolescunt: hinc D. Ambrosius scribens ad juvenem, qui vitæ prioris pertæsus ad meliorem anhelus suspirabat frugem perduci, ait: *Dilecte fili dilige lachrymas, noli* Epist. 5. lib. 6.
differre eas: tantum promptus esto ad

lamenta

lamenta, quantum fuisti ad culpam; nimirum timuit Ambrosius, ne Florianum resipiscentem, & ad quem suam direxerat epistolam, insequeretur communis animarum hostis, & perderet: unde suadet illi, ut lachrymas fundat, quibus labes immergantur culparum vitæ anteactæ; & de hoste simul triumphet tartareo, cui nil nocentius, nil funestius, quàm hic lachrymarum beneficus imber.

36. Naufragium lachrymarum fluctus æquè vitijs, ac tartareis hostibus apparant. Exibant lætantes ex Ægyptiaco famulatu Israëliticæ gentis multiplicatæ tribus, à Deo vocatæ ad promissionis incolendam tellurem: iter instituerunt summa perfusi lætitia, quia à tergo nonaginta trium annorum duram, & acerbam relinquerent servitutem; & à fronte diu concupitæ libertatis janua ijsdem pateret. Proficiscentium oculos illucens densa nubes in columnæ præcelsæ speciem erecta alliciebat, animósque interno perfusos gaudio recreabat; præsertim cum statim ab initio profectionis jussa divinitùs fuerit Israëlitas Ægypto exeuntes præire, & veluti præambula fax itinera præsignare, ne à recta deflecterent via: & si die lucis, ac spissitudinis temperamento dux itineris nubes præibat; nocte flammante fulgore conspicua tenebras vincebat, ut gens Israëlis omnem excuteret umbram mœroris: non tamen recta via Palæstinam populus petebat, sed Angelus nube insidens Israëlitas per ambages, ac loca deserta retrorsum expeditione flexa circumduxit.

37. Cúmque Pharao suum contra fugientes Israëlitas exercitum eduxisset, in quo erant sexcenti falcati currus terrore quadrigarum, ac rotarum strepitu timorem ubíque spargentes, & referente Josepho scutati Ægyptiorum pedites ducenta numerarentur millia, & equitum quinquaginta millia; Angelus in columna nubis medium se locavit Hebræorum fugientium inter terga, frontémque insequentium Ægyptiorum, illos longè, latéque diffussos antrorsum corusco jubare illustrans, quo certo gradcrentur vestigio: in Ægyptios verè tenebras, ac cæcutienses umbras è columnæ dorso spargens, ac interpositu spissæ caliginis, fulgurúmque terroribus viam præpediens. Cúmque duce, & propugnatore Angelo ad littora appulisset Israëliticus populus Erithrei maris; hortatus est Moyses fugientes tribus, ut omnem conceptum pavorem excuterent, timorem deponeret, totámque in solo Numine fiduciam ponerent: & consuetam sibi virgam maris extendens super fluctus; æquor statim facto medijs in fluctibus divortio in geminum discessit latus, séque utrinque in formam, ac altitudinem erexit murorum, suspensis ex utróque latere fluctuum vorticibus, ut per sicca vestigia in Erithrei sinu transeuntibus Israëlitis tuta paterent itinera; trepidantem multitudinem præivit Moyses, quem Aminadabus Princeps Judææ tribus, & reliqui cum ipso certatim fuêre subsecuti.

38. Cúmque omnis populus incolumis marinum tractum illum pertransiisset, & Pharao cum suo exercitu per eadem itinera Israëlitas insequeretur, cœpit conglobatis spississimis nubibus mugire cœlum repetito tonitru, & inferiùs fremere mare, fluctúsque suos, qui antea steterant, iterum ad naturalem suam vocare sedem, ac totum Pharaonis obruere exercitum, qui vel in ipso matutino solis ortu, suum in aquis invenit occasum, conjunctisque enim iterum fluctibus omnes Arabici sinus vorago deglutivit, sepelijtque Ægyptios cum omnibus bellici furoris instrumentis, nè uno quidem nuntio è tanto naufragio emergente superstite.

39. Si rem velimus intimiùs introspicere Israëlitæ è servitute Ægyptiaca ad promissionis vocati terram peccatores præsignant; Ægyptus symbolum est sæculi, ubi vitia omnia stabulantur. Pharao cum toto suo exercitu Israëlitas proficiscentes insequens Luciferum cum tartareis suis legionibus adumbrat. Prævia Populo Israëlis columna nubis divinam indicat gratiam; quæ & resipiscentiū inter hujus, vitæ ac viæ tenebras mentes illuminat, iter salutis, ac libertatis monstrat, simúlque dirigit, ne erremus, ac ne per devia euntes à recto deflectamus itinere: aquarum verò fluctus, ac marini gurgites lachrymas præsignant, quas reduces ex Ægypto, seu à vitijs sæculi per veram resipiscentiam fundunt: sunt enim hæ lachrymæ, quæ salutis portam resipiscentibus aperiunt, & naufragium dœmoni, ac vitijs viam apparant. Pulchrè S. Bernardus: comparans Pharaonem cum dœmone, & Ægyptum cum sæculo ait: *Populus eductus est de Ægypto, hic homo de sæculo: ibi prosternitur Pharao; hic Diabolus: ibi subvertuntur currus Pharaonis; hic carnalia, & sæcularia desideria; quæ militant adversus animam subruuntur: illi in fluctibus, isti in fletibus: marini illi, amari isti. Puto & nunc clamare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam.* Serm. 39. in Cant.

40. Pharao igitur cum exercitu suo à tergo urgens Israëlitas ex Ægypto egredientes, & ad terram proficiscentes promissionis dœmonem cum suis tartareis nebulonibus adumbrat, qui fugientes è sæculo varijs insequuntur tentationibus: sed si perijt Pharaonis potentia inter marinos Erithrei fluctus, per quos sicco pede liberi Israëlitæ omnes evaserunt, perjit itidem Lucifer, ejúsque exercitus lachrymarum inter undas, per quas resipiscentes, & ex Ægypto vitiorum ad Deum reduces, salvi efficiuntur. Jussus etiam fuit Moyses virgâ fluctus percutere marinos, ut ingredienti populo Dei invecto divortio sicca aperirent itinera, ac cederent transeuntibus, & statim voluntati divinæ

liquida elementa fuêre obsecuta: & aquarum vortices immodico scissu sejuncti munimen exhibuerunt viam aperientes; coguntur enim in cumulum fluctus, & marinæ undæ in semetipsas pressæ curvantur; soliditatem recipit liquor, & maris sinus arescit in pulveres, quos sicco pede populus Dei pertransiret: quia resipiscentibus, ac obsequentibus divinæ voluntati, ejúsque legem sequentibus, ipsa elementa etiam propriæ obliviscuntur naturæ, quò promptiùs serviant. Quàm benefica, & efficax est lachrymarum vis, quâ non solùm de sæculi, ac vitiorum Ægypto ad Deum reduces per tuta incedunt salutis itinera, verùm & per dissequæ vitiorum, ac pravorum affectuum turbæ ineluctabili obruuntur naufragio, & eorum delentur sordes.

§. V.

Adeò ingens est lachrymarum pretium, ut resipiscentes fluxum hocce solventes argentum, regnum ipsum cæleste sibi coëmant.

41. NOn solùm plurimum habent lachrymæ efficaciæ ad vitia obruenda, & eorum fœditates abluendas; verùm id continent pretij, quo lugentibus venale fiat cœlum ipsum, & solventes fluxum lachrymarum argentum Regnum sibi cœleste coëmant *Matth. 5.* Beatitatis participes dicuntur, qui proprijs suis illachrymantur sceleribus: *Beati, qui lugent.* Eandem scilicet beatitudem æquè peccatoribus resipiscentibus, ac lugentibus spondent, ac justis virtutum splendore ornatis: adeò pretiosæ, & gratæ sunt Deo lachrymæ, ut deplorata vitia inter choros virtutum admitti quodammodo videantur. Paupertas Matth. 5. beatitudine donatur: *Beati pauperes*, ut etiam Mansuetudo, *Beati mites*, sed ne minoris essent lachrymæ conditionis, beati etiam dicuntur, qui lugent.

42. Imò adeo beatus est, qui luget, ut cæteris ptior cœlum ingrediatur, ac cœlesti donetur beatitudine: etenim Abel è mundo ejectus cum acquisito jure cœlum ingrediendi post reseratas à Christo empyrei fores, ac delatum de devicta morte triumphum, primus mortalium jus ad gloriam mediante soluto à Christo redemptionis nostræ pretio habuit: sed Abel interpretatur luctus: pulchrè Rupertus Abbas. *Abel interpretatur* In Matth. 5. *luctus, quia primus illorum est, de quibus dicitur: Beati, qui lugent:* quasi non solùm quia innocens; verùm quia & lachrymarum typus fuerit Abel, primus omnium mortalium veluti cœli pignus suo tempore ascensurus in cœlestem patriam eligitur, & in tuto collocatur. Quis neget resipiscentium lachrymas pretiosas esse, cùm earum solutione Regnum ipsum cœleste sibi lugentes emant, quis eat inficias gratissimas Numini lachrymas esse, cùm primitiæ fuerint, quas cœlum de terra collegit? Abel interpretatur luctus, & primus cæterorum mortalium jus ad cœlestem patriam habuit, ut essent lachrymæ primitiæ, quas de mundo cœlum colligeret; & quia quanti sint lachrymæ pretii Davidem non lateret in gymnasio luctus apprimè edoctus suas satagebat lectiones frequentare, proinde ajebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum:* didicerat pretio lachrymarum, non solùm peccata redimi, verùm & cœli Regnum emi, & cum sciret se peccatorem, tributum non neglexit lachrymarum solvere, ut & veniam impetraret, & cœleste Regnum sibi compararet: meminerat David patrati adulterij, ideóque lectum, quem die polluerat, nocte lachrymis abluebat; meminerat effusi cruoris in patrato homicidio, & ad fluxus recorrit lachrymarum, quibus & sanguinis sisteret vindictam, & ejus ablueret superstites maculas, quibus coinquinata conscientia sordescebat Deo: lavare per singulas noctes lectum suum consueverat David, ut locus, in quo sordes contraxerat adulterij, fluctibus purgaretur lachrymarum; & quem peccator adulterio fœdavit, resipiscens fletibus repurgaret. Psalm. 6.

43. Davidem æmulata celebris peccatrix Magdalena, cùm se unvisset scelerum sordidatam immunditie, ad fontem & ipsa currir lachrymarum, & ut de ipsa ait D. Bernardus: *Magnitudinem scelerum lachrymarum multitudo condemnat:* nimirum contra scelera peccatricis oculi flentes sententiam proferunt, & lachrymæ etiam peccatricem deprædicant innocentem: quia licèt insorduerit anteactæ vitæ sceleribus, lachrymis mox madida, & salubri irrigata imbre in novum reflorescit germen virtutis, quia lachrymæ non solùm sordes abluunt, & maculas omnes abstergunt vitiorum, sed & veniam impetrant, ac si nunquam scelera fuissent quoad pœnas luendas, eò quia annexam sibi veniam lachrymæ habeant, ut observat D. Ambrosius, inquiens: *Lachrymæ tacita quodammodo preces sunt veniam, non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur:* fluxæ sunt lachrymæ, & aqueæ, sed Deum ipsum emolliunt, flectúntque in vota lugentis, qui beneficio lachrymarum non solùm sordes, quas contraxerat, abluit; verùm & à Deo ipso veniam consequitur: tametsi lachrymæ, quia tacitæ, causam non dicant, misericordiam tamen consequuntur. Ad feriam 5. major. Hebdom.

44. Neque D. Petrus post trinam negationem ad meliorem redux frugem ullum efficacius protulit verbum, quo veniam exposceret ipsis tacentibus lachrymis, non enim legimus locutum fuisse; sed amarè flevisse; officium linguæ nervosiùs suppleverunt oculi; & efficaciam verborum, taciturnitas vicit

vicit lachrymarum: nervosiori eloquentia Deum flexerunt in vota lugentis oculi lachrymis madentes, quàm præstitissent centenæ linguæ disertâ diffluentes eloquentiâ: non enim tacent oculi, cum lachrymas fundunt; efficaciùs tunc loquuntur, quia nervosiùs movent, & quod exposcunt, consequuntur, *causam non dicunt*, ait Ambrosius, *& misericordiam consequuntur*; mollescunt lachrymæ, fluúntque, ut promptiùs, quos rogant, emolliant, flectántque in sua vota, ut quæ petunt, obtineant: hinc *Threnor. 2. v. 18.* monemur; ne desistamus à fletu, si exaudiri cupimus. *Neque taceat pupilla oculi tui*, quia ut apposite exponit D. Hieronymus, *quando lachrymas ad Deum fundimus, eo tempore pupilla oculi nostri clamat ad Dominum.*

45. Veniam a Christo Magistro post trinam negationem pejerant Petri lachrymæ, cum lingua taceret; imò adeò immodico intumuit fletu, ut ampliùs Magistrum, quem negaverat, non videret; verum qui præ lachrymis videre Christum non valuit ad solatium, à Christo videri meruit ad indulgentiam; & quem Deus tacitis lachrymis audit precantem, exiccatis mox oculis exaudit exultantem. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum:* prima quidem Dei cura circa resipiscentes est, eorum abstergere lachrymas, ut inde constet, priùs lachrymis maduisse, & fletu intumuisse oculos illos, qui Deum non visuri erant, oculi enim, quos lachrymæ abluunt, veluti defœcatiores, paratiores fiunt ad Deum videndum. Adeo sunt lachrymæ Deo gratæ, ut earundem sacrificio vel maxime delectetur; súntque lachrymæ tributum illud, quod à peccatoribus exigit Deus; & dum præmittuntur à nobis lachrymarum solutiones, delictorum nobis debita remittuntur, & extinguuntur, quia ubi legimus. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*, textus hebræus habet, *lachrymas tuas non tardabis reddere:* & sicut piaculo non est vacuum decimas non solvere, ita crimen non exiguum est, lachrymas non fundere; & intus admissas per [illegible] labes fonte non abluere, & absterg[illegible] lachrymarum.

Apocal. 20.

Ind. 22.

46. Imò ea est vis lachrymarum, ut non solùm superstites delictorum labes expurget; verùm & ipsum Deum quasi compellat, cogátque ad indulgentiam largiendam. Cùm Jacobus per Provincias Mesopotamiæ, & Chananitidis profectus cis torrentem solus mansisset occiduo jam sole, totámque noctem precibus ad Deum fusis insumpsisset, spectabilem habuit sub diluculum virum specie decorum, viribus validum, staturâ præaltum; à quo ultrò ad luctam provocatur, & quamvis sub initium luctam detrectaret, Jacobus, videns tamen ob repetitas provocationes adversarij, necessitatem sibi impositam cum eodem congrediendi; descendit in arenam, manúmque conserit manui, pedem pedi, ut luctatores solent, & quidem ea virium contentione, ut cœlestis colluctator videretur Jacobo palmas concedere, verùm ostensurus Antagonistæ suo, quis esset is, cum quo certamen Jacobus inijsset, os ei femoris luxavit, nervúmque distorsit: non tamen huic doloris acerbitati virtus succubuit Jacobi, quin magis, magísque se colligens, virésque excitans injectis brachijs adversarium implicat, arctóque stringit complexu, & tamdiu eum detinet, donec illucescens dies aperuerit, luctationem illam non cum homine, sed cum Cœlite commissam fuisse, & tunc colluctator Jacobum rogavit, ut eum dimitteret. *Dimitte me*, quæ verba explicans, D. Ambrosius ait: *Desine flere*, quasi idem prorsus sit illachrymari, ac Deum obstringere, ut id impertiat, quod quis rogat. Genes. 32.

47. Verùm ut lachrymæ vim habeant flectendi Deum in vota lugentis, non pro amissione filiorum, bonorúmque temporalium fundendæ sunt lachrymæ, sed pro peccatorum remissione, quia ut ait D. Gregorius lib. moral, cap. 6. *Fructum non habent lamenta, quæ student cum gemitu desiderare peritura*, petenda est cum Jacobo benedictio: cum enim novisset, colluctatorem hominem non fuisse, sed supra hominem, subeunte mox animum metu, ne parum reverenter dimicatio suscepta fuisset; petit ab Angelo in signum benevolentiæ illatæ, ut sibi benè precetur, velitque adesse præsidio, & ei benedictionem impertiri: & in hoc imitari debemus Jacobum lugentem, non verò in dispertiendis lachrymis pro Josepho mortuo; parum siquidem laudabiles Jacobi lachrymæ fuissent, si pro sola filij jactura fusæ fuissent; non enim omnes lachrymæ semina sunt interni gaudij, & quietis.

48. Bis scimus luxisse Davidem, lachrymásque fudisse: scilicet cum de scelere angeretur, & cum morituro filio cordis dolore premeretur, sed dispari exitu, primæ enim quietem attulêre. *Lavabo per singulas noctes lectum meum:* neque enim fieri potuit, ut non quiesceret in lectulo, qui lachrymas funderet, quibus adulterij, & homicidij sordes abstergeret: tempestas hæc lachrymarum, quâ felici naufragio delicta pereunt, & eorum sordes absterguntur, pacata est tranquillitas; & pluvia lachrymarum arridens serenitas; quia nusquam tutior mentis statio est, quàm in ipsis vorticibus pœnitentiæ; siquidem lugenti portum in hiatu charybdis exhibet, dummodo in luctu hiat: quia ibi quies; ubi luctus sordes, quas lugens contraxit in Babylone, seu mundi confusione, abstergit cum Petro Hierosolymæ: ducunt hæc flumina lachrymarum ad cordis tranquillitatem, & quietem. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus*, flebant enim quia exules adhuc, & in terra aliena; sed Psalm. 6. Psalm. 136.

Si

simul sedebant, quia lachrymæ, quæ pro sordibus emundandis effunduntur, veram inenni animi quietem, & ideo David in lectulo quievit; dum flevit, *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, non enim jacuisset in lecto, nisi quievisset. Non ita tamen in lecto sedit, sed super terram jacuit, cùm lachrymas fudit ob præmaturam filij mortem.
2. Reg. 12. *Ingressus seorsum super terram*, quia vera quies illis tantùm irrigatur lachrymis, quas Dei timor, & horror criminis eliciunt; cæterum ubi caro, & sanguis luctum inducunt, fletu potiùs obruimur, & nec in ipsa pluma quietem invenimus, quæ tamen etiam inter leones reperitur.

49. Non potuit Assuerus in plumeo suo lectulo quiescere, cùm David inter leones quasi mollissimo in gramine decubuerit.
Daniel 14. *Venit ergo Rex, & introspexit: & ecce Daniel sedens*: non igitur omnes lachrymæ quietem nobis advehunt, nec sessionem parant; sed illæ duntaxat, quas Dei timor, & criminis horror eliciunt; hisce solis delectatur Deus, cui adeo obtingunt gratæ, ut quamvis exulent à cœlesti patria, earum tamen aliquam saltem imaginem voluit ibi
Genes. 1. residere. Dixit mundi Conditor, *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*, mirum sanè videri potest, quòd Deus cœlum condiderit non propter sydera, sed ut aquæ eidem incubarent: sed miranda magis est aquarum fœcunditas, cum ijs rigata tellus, flores pariat virtutum, & ijsdem irrigatum cœlum sydera germinet, quæ veluti micantes rosæ ibi jugiter vernant. Non igitur otiosas dixeris aquas, quæ supra cœlos sunt.

50. Quòd si aquæ lachrymarum sunt imago, non poterat firmamentum diu syderibus carere, cum supra ipsum imminerent, & extarent aquæ. Quid ni? etiam ipso cœlo altior est imago lachrymarum, & eadem Dei, & aquarum sedes est, cœlum scilicet; cui incubant aquæ. Nimirum Deus adeò lachrymis oblectatur, ut cùm sciret intra beatorum confinia eas non futuras, earundem imagines recipi voluerit in cœlis; cum enim suapte natura infra aërem deberent aquæ jacere, terræque hærere; supra cœlum eas Deus collocatas voluit suæ studiosior voluptatis, quàm aquarum naturæ solicitior conservator: & cùm urbis suæ januas ex margaritis extruxisset; in ipsis etiam gemmis non tam pretiositatem, quàm effigiem voluit inseri lachrymarum, cum formâ, crassitie, sphæricitate, via margaritæ, & uniones à lachrymis abludant. Sed si lachrymæ sont ita pretiosæ, ut margaritas adæquent, cur David tantùm nocte eas fudit; cum interdiu potuisset iisdem ornari: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, præsertim cum Nehemias interdiu fleverit,
2. Esd. lib. 2. cap. 1. *Sedi, & flevi. & luxi diebus multis*: an ita gemituum parcum Davidem credimus, ut nunquam perdius suis fuerit delictis illachrymatus? & è contra adeò appetens quietis nocturnæ, somnique fuit Nehemias, ut nunquàm gemeret pernox? Putârim utrumque flevisse die, ac nocte scaturiginum tamen ob diversitatem, dixit David: *Lavabo per singulas noctes lectum meum; lachrymis meis stratum meum rigabo*, quia Davidis plorantis adeò intumuêre oculi præ nimio fletu, ut caligine opprimerentur, quâ vel lux ipsa meridiana tetra ac turida ei nox videretur, cum enim, & patratum adulterium, & jussum homicidium elugeret, tristis, & contritus, non potuit, vel de die, non opprimi caligine: secus Nehemias cùm alienis duntaxat indoleret, ac illachrymaretur ærumnis luce perfundi, vel nocte ipsa intempesta potuit: lugebat David propria delicta, quorum contagium etiam ipsum lugentem infuscat, ut tempus omne nocturnum esse videatur: sed Nehemias, cum non propria scelera, sed ærumnas lugeret aliorum, & charitate exæstuans in proximum liquesceret in lachrymas; hæc splendida charitatis aurora nocturnas lachrymarum pluvias in roscidos matutinos imbres converterat: hinc Nehemias lætus, & jucundus, quia diurna luce perfusus, & charitatis splendore illustris ait, *sedi, & flevi, & luxi multis diebus*. Sed si semel dixit, *flevi*, cur addit, *& luxi*, an dubium esse poterat luxisse, cùm jam flevisset? si fleat quis, procul dubio luget, cùm lachrymas fundat, an non videtur hic in lege jota unum redundare? verùm non censeas, quidquam hic superfluere, non absque arcano mysterio dixit Nehemias, *flevi, & luxi diebus multis*, quia postquam ploravit, ita sibi visæ sunt lachrymæ sapere, ut exinde statuerit lugere per plures dies.

51. Qui ridet cum mundo, citò vappam pertæsus in falerno; ait cum Salomone.
Eccles. 2. *Et gaudio dixi, quid frustra deciperis*; quia larvata sunt mundi gaudia, quæ cor non imbuunt, sed tenui duntaxat colore frontem pingunt, ut ementita facie suos decipiant spectatores, & deceptos interimant: secus earum lachrymarum color, quamvis luridus, tristis, & minimè gratus, adeò tamen sapidus est earum gustus, ut qui semel eas prægustet, labia ab eorum calice removere via amplius velit, quapropter meritò Nehemias dixit. *Sedi, & flevi, & luxi multis diebus*: prægustaverat sapidissimum lachrymarum nectar Magdalena, & ideo inter suorum criminum angues torta gemuit in domo Pharisæi, & non contenta lachrymas fudisse, & sordes suas abstersisse, quia tamen nectar prægustaverat lachrymarum, eas sitire non destitit, quas ut ebiberet uberiùs, fudit etiam inter Angelos de Christi resurrectione certior facta, & ne à lachrymis cessaret juxta sepulchrum animæ suæ mortuo sponso parentatura in pluvias, etiam lachrymarum collicuit; nimirum jam est constans in amando charitas, ut nunquam de-

desinat, & amoris fovere flammas, & pluvias fundere lachrymarum.

§. VI.

Lachrymæ resipiscentium donis imbutæ cælestibus, lugentes martyribus, cæterisque beatis pares efficiunt, quibus in amore non sunt dispares. Lepram mundant vitiorum.

42. DUlces lachrymæ sunt, eóque dulciores, quò majori peccatorum amaritudini junctæ mentem vero gaudio rigant, dum effluunt; & quamvis ex culparum ortæ dolore, de fonte tamen suo nil referunt, cùm dolore careant, & voluptatem secum vehant: finxêre Poëtarum commenta Venerem ex aquis natam; sed sanam, verámque voluptatem ab aquis lachrymarum suam originem trahere veritas est ineluctabilis, imò dixerim, voluptatem è lachrymis emersam etiam Martyrum choros beare, neque dissentitur D. Bernardus, cùm *in serm. de S. Andrea* dicat: *Fratres, si Martyrium sanguinis non habemus, quæramus, vel testimonium aquæ, & neminem quidem despiciet Deus.* Hinc vel ex ipso Christi latere unà cum aqua, etiam sanguis exivit, quasi ex eodem fonte sanguis fluat, & aqua, ut æqua sit conditio, & lachrymas fundentium, & sanguinem profundentium, & sicut beantur Martyres sanguine purpurati; ita beatitate donantur lugentes lachrymis irrigati: lachrymæ videntur quasi mentem perforare dolore compunctionis, *ut ab eorum oculis quasi quidam sanguis animæ decurrant lachrymæ*, ut ait D. Gregorius, (Homil. 20. in Evang.) ideóque meritò beati dicuntur, qui lugent, quia sanguinem animæ per oculos stillantes Martyribus pares fiunt, quibus in amore non sunt dispares.

43. Quamvis quandam videantur lachrymæ amaritudinem ingerere, earum tamen amarorem amâsse Spiritum Domini ex eo conjicitur, quia in mundi primordijs super aquas ferebatur, quas & cubabat; adeò ut non terram, non aërem, non ignem, sed solas aquas foverit. (Genes. 1.) *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, adeò delectabatur lachrymis; ut ijsdem statim voluerit inhærere, & sanctitatem ijsdem impertiri, ne de sanctitate dubitaremus lachrymarum, cùm spiritus Domini eas statim à mundi primordiis sanctificaverit, ut appositè notat Gulihelmus Pepinus, inquiens. (In cap. 1. Genes. claus. 3.) *Super aquas lachrymarum fertur Spiritus Domini, id est, Spiritus sanctus fertur super aquam per gratiam, ecce quantum placent tales aquæ Spiritui Domini.* Fovet beneficas has aquas Spiritus Domini, ne viduæ sint cœlestibus donis: fletus iste verum non inficit gaudium, nec mentis turbat serenitatem, quin potiùs invehit, ac hilaritatem promovet; turbidus non est, nec fœculentus lachrymarum torrens, quin ab omni impuritate mentem purgat, à quavis fœditate conscientiam lavat, & ab omnibus spurcitijs cor abstergit.

44. Hoc utantur balneo, quorum animæ vitijs pollutæ sordescunt, currant ad hunc lachrymarum fontem, si lavari, ac mundari cupiunt; fluenta lachrymarum paria sunt Jordanis undis, expurgant à lepra peccatorum. Laborabat Naaman toto corpore diuturna infectus lepra, cúmque mundari cuperet, jussit eum Eliseus, ut septies se in Jordane ablueret, cùm enim ivisset ad Eliseum recepturus lepræ pharmacum, audivit, aliud non esse opportunius alexipharmacum lepræ curandæ septena in Jordane ablutione. *Venit Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisei, misitque ad eum Eliseus nuncium, dicens, vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua; atque mundaberis:* (4. Reg. 5.) sed cur septies jusserit Naamanum ablui in Jordane? quia nimirum fluenta Jordanis lachrymas præsignant, & Naamani lepra peccata indicat, quibus anima fœdatur, & languescit: ad hanc emundandam peccatorum lepram nullum est lavacrum aptius fluentis lachrymarum; & quia humana fragilitas post emundatam lepram beneficio lachrymarum, iterum eandem contrahit, quia liberè peccat, ideóque ad septenarium numerum voluit Eliseus, repetendam esse ablutionem, hoc est pluries, & pluries, ut quoties homo peccat, pharmacum inveniat; posuit enim Eliseus certum numerum pro incerto, in sacris enim litteris numerus septenarius pro multis adhibetur, ubi legimus, *Et quæ multos habebat filios infirmata est:* (1. Reg. 2.) alij legunt, *quæ septem habebat filios.* Est tamen tota hæc lotio, quâ à peccatorum lepra beneficio lachrymarum emundantur peccatores resipiscentes, opus Dei: idque causæ, cur Eliseus obviam Naamano Syro non iverit per se ipsum, sed tantùm per nuntium jusserit ei nuntiari, ut septies in Jordane se ablueret; ne scilicet hanc Naaman à lepra purgationem ipsi tribueret Eliseo, & non Deo, ut notat Lyranus, inquiens ad rem nostram, (in 4. Reg. 5. 3.) *misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens, vade, & lavare septies in Jordane. Hoc autem ei mandavit per nuntium, ne Dei potentia attribueretur miraculum, eò quòd Propheta locutus non fuerit cum eo, nec eum tetigit, sicut cœperat Naaman, credens, quòd in ipso Propheta esset aliqua virtus curandi ipsum.*

55. Mos est iste justorum, qui virtutum studijs incumbunt, ut tam gloriam, honorémque fugiant ab hominibus oblatum, quàm injusti sectantur, sibique usurpant: totum quem homines deferre possunt honorem à solo dimanat Deo, & ipsi soli tribuendum est, quidquid gratiæ, sanitatis, & honoris nobis obtingit: unde enim exeunt gratiarum flumina, illuc reflexo cursu, opus est, revertantur: sed cur ad Jordanem potiùs, quàm ad aliud flumen Eliseus Naaman miserit? non me latet, varias à sacris Interpretibus adferri
Quæst. 9. rationes; Abulensis tamen hîc quæstionem solvit, dicens: *Respondendum, quòd noluit Eliseus mittere Naamen ad aliquam aquam terræ Israël; Ne si mitteret eum ad aliquam aquam terrarum longinquarum, nollet ire illuc Naaman, & non sanaretur, quod autem miserit eum intra terram Israël ad fluvium Jordanis potiùs, quàm ad aliam aquam, fortè fecit hoc, quia minus verisimile erat de aqua Jordanis, quòd sanare posset, quàm de alia aqua, eò quòd fortè erat turbida, & lutulenta propter ablutionem, nam quolibet anno in principio messis hordeaceæ, scilicet circa principium Aprilis Jordanis intumescit liquefactis nivibus Libani, ad cujus radices est caput Jordanis. De hoc Ecclesiast. 24. & Josuè 3. ibi declaratum, & fortè in illo tempore ivit Naaman ad Eliseum:* aliam etiam adfert rationem, cur ad Jordanem non ad pellucidum fontem, vel ad flumen aliud Naamanum miserit Eliseus, ut nimirum ejus probaret obedientiam. Putârim tamen fuisse Naamanum ad fluenta missum Jordanis, quia hæc perinde ac lachrymæ sacranda à Christo erant, respiciebat Eliseus mente tempora ea futura, in quibus Dei filius humana carne indutus erat in Jordanem descensurus, ut ejus potiùs aquas ablueret, quam ab ijsdem ablueretur, fuerunt enim fluenta Jordanis per Christi contactum, non solùm abluta, verùm & sanctificata. Ad Jordanem Christus descendit, & Jordanis aquis baptizari voluit.

56. Verùm quamvis aquis soleant corpora ablui: hic è contra corpore suo Christus aquas abluit, quas & sanctificavit; huc
Serm. 1. in Epiphan. accersendus S. Bernardus inquiens: *Acquievit Joannes, & obedivit, baptizavit agnum Dei, & aquas lavit, nos abluti sumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ:* sicut igitur Christus per contactum fluenta abluit Jordanis; ita & lachrymas purgatas voluit, & sanctificatas per contactum, quatenus flens eas fundere voluit, & ijsdem perinde madere, ac fluentis Jordanis *lachrymas fudit*,
Orat. 36. ait S. Gregorius Nazianzenus. *Ut lachrymas laudabiles efficiat*, seu sacratas constitueret; ideò par est lavacrum Jordanis, & lachrymarum; illo per baptismum sanctificantur abluti, & isto à lepra peccatorum madidi liberantur à Deo adjuti. Hanc autem laudem, quam lachrymis dedit; risui minimè impertivit, proinde legimus, flevisse Christum, non verò risisse, *Serm. 4 in Adventu.* quod etiam adnotabat S. Bernardus, inquiens: *Christum, & super Lazarum, & super civitatem flevisse, & in orationibus pernoctâsse legimus, risisse verò, aut jocâsse unquam,* quia ad lachrymas nos vocatos voluit, cum fleverit ipse: à risu verò avocatos, dum aut non risit, aut risisse non legatur.

57. Idque causæ, cur Christi exemplum derivari in omnes velit Salvianus, ut discant homines fletum præferre risui, eò quia sit fletus animæ punctio, & cordis compunctio, & contra morbos omnes spiritûs præsentissimum alexipharmacum; sicut risus Disciplinæ est corruptio, ita fletus sani- *Lib. 6.* tatis introductio, ait ipse de gubernatione Dei: *Christus, ut ait scriptura, pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus, ergòne vestigia Salvatoris sequimur in Circis? vestigia Salvatoris sequimur in theatris? Tale nobis Christus reliquit exemplum? cùm eum flevisse legamus, non ita risisse? & hoc utrúmque pro nobis, quia fletus punctio est animæ, risus corruptio disciplinæ:* legimus igitur flevisse Christum, & risisse non legimus, ut nimirum fletum eligeremus, non risum amaremus, & faciliùs lachrymas effunderemus, quàm in risum diffunderemur; hanc Christi mentem induit D. Paulus, cùm se ejus mancipâsset obsequijs; scripsit quidem se flevisse, non verò meminit, se risisse, rem urget S. Chrysosto- *Homil. 6. in Matth.* mus, inquiens: *Quòd & Paulus fleverit quidem, & per triennium noctibus id fecerit, ac diebus, & alij de illo, & ipse de se ipso testatur: quòd verò riserit neque ipse usquam, nec de eo quisquam alius ostendit: sed nec ullus sanctorum, vel de se ipso, vel de alio quopiam tale quid aliquando significâsse narratur. De sola sanè Sara legimus hoc dictum, sed illud Dei voce correpta est; & de filio Noë, sed propter illum risum servus factus est ex libero*, & quamvis risisse etiam Abrahamum legamus citra reprehensionem: ridens tamen in faciem suam cecidit, ac si occultare risum vellet; & ob risum verecundiâ premeretur.

58. Ad lachrymas igitur duntaxat nos vocant exempla Sanctorum, & à risu avocant eorundem monita, quia per lachrymas excultam cordis nostri tellurem, glebásque contritas, doloris vomere, & compunctionis rastro, irrigamus, ut vireta, ac flores ibi germinent virtutum: per risum verò arescunt, quæ bona in nobis germina adolescunt: lavacro lachrymarum, quas per immodicum risum, pérque patrata scelera labes contraximus, abluimus, & ema-

emaculamus: sunt lachrymæ obobalsami pretiosæ guttæ, quibus, quæ per peccata fuerunt nobis vulnera inflicta, felici sanantur earundem oblinitu, dummodo ijsdem insistamus, quia si in lachrymis persistamus, non solùm vulnera curantur, quæ contraximus peccando, sed & ciratrices vulnerum prorsus abolemus in fletu perseverando.

59. Joan. 21. post Christi passionem Petrus unà cum reliquis Discipulis officium resumpsit piscationis, eúmque totam laborissent noctem, nihilque prendidissent, manè stetit JESUS in littore, tametsi Discipuli eum minimè cognoverint, jussit Magister Christus piscatores naviculas in altum ducere, & in dextram navigij retia jacere, cùmque paruissent, vellèntque retia trahere, vix poterant præ piscium multitudine: tunc dixit Discipulus ille, quem diligebat JESUS Petro; *Dominus est*, Petrus autem, cum audivisset, adesse Dominum, *tunicâ præcinxit se (erat enim nudus) & immisit se in mare*, quid? quòd cùm nudus in navi esset, in mare indutus se demersit; an quia sicut olim Adam, ita nunc Petrus post culpam suam tegere nuditatem satagit, cùm uterque fuerit ante culpam lanctâ insignitus nuditate? innocentia enim nuditate gaudet, quia reatibus caret, quos velamine tegat; & quia Petrus jam per trinam negationem triplici se reatu notatum noverat, tunicâ præcinxit se, misitque se in mare, ut marini fluctus reatus diluerent, quos trina negatio induxerat, ut ingeniosè notat S. Chryso-

Ser. 78. logus, inquiens: *Misit se in mare, ut mare dilueret, quod negatio taliter sordidaverat.* Petrus igitur succedaneis delicto lachrymis, & incessante amaro fletu, quem dolor per oculos animitùs expresserat contractas in trina negatione maculas, ac superstites culpæ turpitudines pulchrè diluerat: & quia etiamnum quasi culpæ maculis adhuc sordesceret, uberiori expetit lavacro dilui, quò mundiorem hauriret puritatem, ideóque *misit se in mare, ut mare dilueret, quod negatio taliter sordidaverat*, ut loquitur Chrysologus, quasi enim parum fuisset trinam negationem rivulis statim diluisse lachrymarum; adhuc uberiora quæsivit lavacra, ut si quæ superstites adhuc essent labes marinis abstergerentur fluctibus: æmulatus fuit Petrus Davidicæ pœnitentiæ perseverantiam

Psalm. 50. dixit enim David. *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, seu ut in textu græco legitur: *lava me plus quàm, hactenus lavisti*, ut habetur apud Corderium *in Psalm.* 50. imò & in textu Hebraico habetur; *Multiplica lavare me*, nimirum ut delicti sui proderet magnitudinem; & licèt intellexerit ex Nathano peccatum fuisse sibi condonatum, adhuc tamen uberiorem expetjit lotionem, quâ sordes, si quæ superstites essent, pefectiùs abstergerentur.

Insistendum igitur est sacro huic lavacro lachrymarum, ut perfecta donemur puritate, & plenè abluti Deo adhæreamus, eique vitam nostram, perinde ac victimam emaculatam offeramus cum Regio Propheta sic modulatè Deum alloquente: *Vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, seu ut Patres Græci in Paraphrasi exponunt: *Ecce enim omnem vitam meam tibi consecravi*, quia posuerat in conspectu suo Deus lugentis Davidis lachrymas: quamvis enim eius vita fœdissimo fuisset adulterio constuprata, & Uriæ cæde obscœniùs cruentata, quia tamen lachrymis abluta, idonea facta fuit, quo Deo consecraretur, ac dedicaretur. Quam efficax virtus est lachrymarum! cùm vitam etiam pluribus fœdatam sceleribus ad tantum evehat puritatis incrementum, quò dignè Deo sacrari, & dedicari possit; quia scilicet lachrymas Davidis in conspectu suo posuerat Deus: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, lachrymis, qui ita madent, tametsi priùs sorduerint, plurimo inquinati scelere, adeò emaculantur, ut sacrari possint Numini; quia David scelera sua imbre abstserserat lachrymarum certus veniæ impetrandæ vitam suam statim Deo dicavit, *vitam meam annuntiavi tibi*, non eum latuit tantæ esse lachrymas efficaciæ, ut vel Deum ipsum flectant in vota lugentis, ideóque præcipua prædictione, prophetat vitæ suæ sacrificium Deo acceptum iri: *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, seu ut profundè interpretatur Symachus: *posuisti lachrymas meas intra te*, quia adeò lachrymis hisce delectatur Deus, ut non sinat illas perire, sed intra se eas velit habere, ut nimirum eas exaudiat; Deus enim plorantium lachrymas in conspectu suo, & intra se ponere dicitur, cùm in vota se flectit lugentium, & eorum explet desideria: hoc pacto dicitur Deus lachrymas accipere; quas suo foveat in sinu, ac intra se eas ponere dicatur.

Hinc conjicimus, quàm sint apud Deum hominum lachrymæ acceptæ, quasi enim parum foret eas in conspectu ponere, etiam intra se, quasi suo in sinu eas complectitur, ac fovet, ut inde vegetiores factæ uberiores divinæ munificentiæ fructus nobis pariant. 61.
Nemo madidis oculis aliquando ad Deum accessit, qui, quod postulavit, non acceperit; nullus in luctu jacens, & squalore veniam petiit peccatorum, quin eã impetraverit vocali lachrymarum silentio; & lætus nemo peccando cecidit, quin mœrens lugendo surrexerit vegetior; nullus peccatorum pondere pressus gemens alleviari à Deo petjit, quin ab omni fuerit pressura liberatus; quia Deus est, qui consolatur flentes, exhilarat lugentes, informat pœnitentes, curátque dolentes; sunt

enim lachrymæ electus animarum cibus, corroboratio sensuum, mentis jucunditas, spiritûs refrigerium, charitatis fomes, sanctitatis fulcrum, vitiorum exterminium, lavacrum sordium, culparum naufragium, ac scelerum omnium obliteratio.

§. VII.

Ea est vis lachrymarum, quas dolor elicit resipiscentis, ut Magdalenam in civitate peccatricem, in domo Pharisæi piscatricem effecerit piscatricem divina gratia. Aquas fudit lachrymarum, capillos in retia expandit, & veniam fuit criminum expiscata. Ut & Esau Isaaci benedictionem.

61. Discumbente JESU in convivio Pharisæi, ingreditur domum mulier, quæ erat in civitate peccatrix, non jam venerem, sed mentem refectura; attulitque
Luc. 7. alabastrum unguenti: *Et stans retro secus pedes ejus, & lachrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat*: tametsi Magdalena in civitate peccatrix importuna visa fuerit convivio, opportuna tamen veniæ ad pedes accessit Christi, quos unguento simul, & lachrymis ablutos tersit: sed lachrymis, quibus Christi madebant pedes, quas ipsa in civitate libidinum labes contraxerat, abstersit; capillos fudit, & simul vanas omnes cogitationes, ac peccandi desideria è mente effudit, excussitque è capite: pulchrè S. Gre-
Homil. 33. gorius in Evangel. de Magdalena ad pedes Christi procumbente ait: *Oculis enim terrena concupierat; sed eos jam per pœnitentiam conterens flebat, capillos ad compositionem vultûs exhibuerat; sed jam capillis lachrymas tergebat*: iisdem lachrymis Magdalena pedes Christi tersit, simulque è suo capite lugens vanas omnes extersit cogitationes; lachrymas ad pedes Christi fundebat, quas aucto fœnore recuperaret, suáque contractas per fœdas concupiscentias abstergeret labes: fluxum ad pedes Christi lachrymarum solvit argentum, quo regnum sibi coëmeret cœlorum; capillos perinde ac retia expandit, lachrymarum effudit fluctus, aquásque, ut non ampliùs peccatrix, sed piscatrix facta veniam peccatorum felici piscatu in aquis lachrymarum sibi expiscaretur: abluit Magdalena lachrymis pedes Christi, sed abstersit Deus omnia ejus delicta: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, quia flamma exæstuabat amoris, colliquescere illicò visa est in lachrymas. Hoc prodigium charitas exhibet, ut è flammis amoris fontes scaturiant lachrymarum, quibus sordes omnes abstergantur. Non mirum, si Magdalena lachrymas fudit; cùm mortua hactenus fuisset peccato, jure lachrymas dare cœpit, renasci inceperat vitæ gratiæ: non tamen hæ lachrymæ sunt, ut illæ cæterorum nascentium ærumnarum prophetiæ, sed professæ jam sunt felicitatem; non præsagiunt procellas, sed malaciam invehunt, & tranquillitatem. Magdalena ad pedes procumbens Christi nubes erat prope solem, lachrymarum fudit pluvias fœcundatura cordis solum, datura virtutum flores; neque enim nisi flores, & fructus virtutum dare potuit, tam benè exculta tellus doloris vomere, & etiam salubri rigata lachrymarum imbre. Sagax mercatrix emptura ingenti fœnore cœli gaudia, fluxum solvit lachrymarum argentum. Sed si nubes prope solem pluit, in iisdem etiam venustatur discolorem, non fictis, sed veris ornatam nitoribus, cùm in ea, & colorem rubeum charitatis, & viridem spei, & candorem sinceritatis, & pallorem pœnitentiæ divinus amor pinxerit. Non enim tales post pluvias aliud expectari poterat, quàm subsecutura novæ vitæ tranquillitas, ac defœcata serenitas. Sunt, qui credunt Æthnam unicum jocantis naturæ prodigium, eò quia videantur in ipso simul colludere flammæ, & nives; sed Magdalenæ oculi liquescunt in lachrymarum aquas, quæ ex flammis scaturiunt amoris. Quòd si in præcelsis Æthnæ jugis, fastigiisque editioribus impunità cum nivibus miscentur incendia, majus exhibent prodigium Magdalenæ oculi, in quibus ignis aquam, aqua ignem parturit; nimirum aqua, & flamma discordes olim rivales, socordes modò contubernales in oculis Magdalenæ, vinculo confœderantur maritali. Grandis erat amoris flamma, quæ è Magdalenæ corde sursum avolans per pluvias lachrymarum ex oculis evaporavit, Magistri pedes fortan mersissent juges Magdalenæ lachrymæ, nisi flammæ pluvias exsiccassent; adussisset flamma, nisi unda temperâsset incendium; nimirum Magdalena facta sibi piaculum, & expiatrix, profanum cordis fanum igne purgat, & aqua; flumine lustrat ac flamine. Tametsi una non esset de Virginibus, sumpsit tamen oleum secum, nè nuptijs excluderetur, imò arctiùs sponso adhæsura, sponsi pedibus crinium vinculis se ipsam alligavit; quia tamen conscia proprij fœtoris, spiritûsque olentis peccatorum turpitudines, non fuit ausa sine antidoto odoroſissimi balsami ad Christi pedes accedere, ubi Paranymphus amor geminas exagiravit lampades oculorum, in quibus amoris lychnum aquæ fovent, nutriuntque lachrymarum: Ludum diceres hunc esse amoris, miscentur cum undis flammæ, quasi ad antiquum chaos Magdalenæ amor mundum revocet muliebrem, & iterum discretis naturæ primordijs ex igne, & aqua defœcatiorem, ac mundiorem hunc suum instaurat mundum. Insani Cupidinis versata diu inter flammas, lachrymarum effundit aquas, venereas omnes extinctura scintillas, ut quæ habuit in aquis natale Venus, haberet & tumulum; turgent, cum lachrymis madent Magdalenæ oculi, & fletu

fletu obruti, nil ampliùs vident in mundo, cui adhærescant, & quasi lachrymis extincta lumina essent, non ampliùs splendent mundi vanitatibus; nimirum prope divinum solem erat Magdalena, debuerant gemina suæ frontis sydera eclypsin pati, nec ampliùs suos emittere in terras nitores; sed quia luget, non ampliùs carnis concupiscentiæ lucet illecebris; & lachrymas, quas fundit uniones potiùs diceres, quibus pretiosiori vinculo suo unitur Numini, ac lumini. Sunt lacrymæ gluten, quo arctiùs resipiscens Deo unitur, eique adhærescit; has Deus ipse propria abstergit manu, quia per contactum Conditoris sanctitatem enactæ ad salutis evehunt portum hinc B. Bernardus in declamationibus ait: *Felices lachrymæ, quæ peccatorum maculas abstergunt, ac delent, & quas Dei manus abstergit: & beati oculi qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt.* Parum scilicet videbatur Magdalenæ, quòd ejus cor æstuans amore liquesceret in lachrymas, & per oculos evaporaret; nisi aliqua etiam pia, sive ambitione, sive avaritia lachrymarum, illas suo exhiberet amori, & Conditori abstergendas: quàm beatæ sunt lachrymæ, quæ sola Dei manu attractæ absterguntur; ideò decorantur, quia Omnipotentis manu tanguntur.

63. Non solùm lachrymæ, quas dolor elicit resipiscentis, labes abstergunt, delentque delictorum, sed ad Deum veluti totidem alæ

2. Corinth. 12. flentem elevant. D. Paulus ait: *Si gloriari oportet, non expedit quidem, veniam autem ad visiones, & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum, & scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio; DEUS scit, quoniam raptus est in paradisum* excellens quidem fuit Pauli prærogativa, de qua si gloriari oportet, de re utique singulari, & ultra hominum fastum sublimissima posset quis gloriari, cùm sive in corpore, sive extra corpus nesciens mira extasi in cœlum rapiatur. Quòd si quæras, quibus Paulus suffultus alis sursum conscendens tertium etiam cœlum penetraverit? non ab alio deprehendes fuisse Apostolo alas suppeditatas, quàm ab ipsis lachrymis, ut pulchrè asserit

Tom. 1. tract. de extrem. judic. & compunctione. S. Ephrem, qui lachrymas huic ecstasi, quâ Paulus raptus fuit usque ad tertium cœlum dissimulanter videtur pariare inquiens: *Certè scitote fratres non fore in terra quid dulcius gratiâ lachrymarum. Si quis vestrum expertus lachrymarum dulcedinem mediante oratione desideraverit elevari è terris; totus hic extra corpus in cœlum fertur. Et quid dico extra corpus; imò extra saeculum universum totus est, nec amplius conversatio ejus invenitur in terris.* Nil certè Apostoli ecstasi aptius potest accommodari; qui enim resipiscens lachrymis madet, quas internus dolor elicit ex oculis, is ex terræ cœnosis fœditatibus elevatur, & sursum ascendit, sive id contingat in corpore, sive extra corpus; quia homo est, qui surgit; & totus homo, ut à cæteris distinguitur animantibus, rationalis est, proinde spiritus, in quo solùm viget ratio: & quia mens virtute lachrymarum sursum in Deum elevatur; totus homo sive in corpore sive extra corpus sursum ascendit, penetrátque usque ad tertium cœlum cum Apostolo; imò extra corpus in cœlum evehitur homo resipiscens, ex cujus oculis cordis dolor lachrymas elicit, veluti enim præproperè corporis expers, & corporearum passionum; veluti virtute lachrymarum spiritualizata carne sursum avolat, nobilis ut fiat homo resipiscens cœli inquilinus.

Qui è Babylone revertitur humanæ confusionis, & à carnis illecebris, voluptatúmque terrenarum blandimentis se avertit, & verè resipiscens per lachrymas Deo agglutinatur, is extra sæculum universum totus esse dicitur, nec ampliùs ejus conversatio videtur in terris esse, neque enim terris immoratur, qui Deo per veræ resipiscentiæ lachrymas annectitur, Paulinæ igitur ecstases in officina cuduntur lachrymarum, quæ licèt descendant ex oculis in terram, elevant tamen lugentes cum D. Paulo in cœlum, ubi sola est lugentium conversatio: *Beati qui lugent*, quia lacrymæ si non re, saltem spe beatitudinem antevertunt; quia lugentes interna cordis lætitia gloriosæ beatitatis æmula perfruuntur. Vim patitur beatitudo, & tantùm violenti eam occupant, hinc Christus hanc quærendæ beatitudinis daturus regulam ait: *Regnum cœlorum vim patitur, violenti rapiunt illud*, seu ut habetur in Syro textu, *Regnum cœlorum cum violentia accipitur*, seu ut vertit Vatablus *vi invaditur*; non tamen credas, hanc vim, & violentiam, quâ Regnum cœlorum invaditur, & occupatur aliam esse, quàm lachrymarum efficaciam; non enim tormentis bellicis, globisque excussis invaditur cœlum, sed corde resipiscente, & lachrymis effusis, apposité S. Ambrosius in Lucam ait: *Vim facimus Domino non compellendo, sed flendo, non provocando injurijs, sed lachrymis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem merendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur, beata inquam violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de injuria nemo causatur; vi admittitur, & religio propagatur.*

64. (margin, beside "Qui è Babylone")

Matth. 5. (margin, beside "Beati qui lugent")

Matth. 11. (margin, beside "Regnum cœlorum vim patitur")

Lib. 5. (margin, beside "S. Ambrosius in Lucam")

Quàm valida, & efficax est vis lachrymarum, quâ Regnum cœlorum, si invaditur occupatur! grata tamen est hæc lachrymarum violentia, quâ à nobis rapitur Christus, nobisque cœlestis thesauri donantur divitiæ: quia mundi vitia, & contractas noxas contriti cordis lachrymis abstersimus, ac delevimus: sunt lachrymæ quas dolor elicit globi ferreis valentiores, non è tormentis 65.

tormentis excussi bellicis, sed è corde contrito per oculos emissi, ac dimissi: suos habent oculi globos bellicos, quos ejaculantur in perniciem quidem vitiorum, sed in commodum lugentis feriunt; quatiuntque globi lachrymarum cœlestis Regni propugnacula, & veluti per murorum ruinas, ac hiatum viam sibi aperiunt, per quam lugentes lachrymarum violentiâ Regnum occupant cœlorum, quia ut pulchrè ait Idiota: *Regnum cœlorum Dominus rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur; nihil enim Domine conglutinat tantoperè tibi, ut illa lachryma, quas peccati dolor, & amor virtutis effundit*, tanta est vis lachrymarum, tanta fletuum virtus, ut peccatores flagitiorum enormitate scelestos non solùm Deo reconciliet, verùm & arctissimè Deo conglutinet.

De octo beatit. cap. 4.

66. Non solùm lachrymæ excussis è bellicis tormentis pariantur globis, quorum violentia propugnacula aperiuntur Regni cœlorum, per quæ ovantes ingrediuntur, qui resipiscentes lugent: verùm etiam seminibus æquiparantur, quæ in exculta vomere doloris tellure cordis germinant in vireta, & maturiunt in flavescentes manipulos, uberem gaudiorū messē adferentes: ait David:

Psalm. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, semina in exculta, & occata tellure cum fœnore jaciuntur, prius enim tellus, gremio vomeris, & aratri vi emollito, ac subacto sulcis spatiosum excipit semen, non sine usura restituendum, idque occatum cohibet, tabefactum benigno fovet in sinu, ex quo herbescentem mox elicit viriditatem, quæ fibris innixa stirpium sensim incipit adolescere Deinde sublimior erecta, quasi pubescens vagi nis veluti cunabulis includitur, è quibus quasi è carcere nititur in libertatem; frugémque virescentis spicæ spondet, ejúsque spem alit, quam incolumen ut fervet, tueatúrque, à minutarum avium morsu exalperata cingitur ac munitur spica à sagaci natura vallo aristatum, donec falx rusticella campotum obtundeat comas, & in horrea servanda asporteтur collecta inde annona. Verùm semina antequam maturiant benignis aluntur syderum aspectibus, cœli imbribus lactantur, nutriuntur, crescunt, adolescunt, ventorum flatibus & solis æstu assurgunt in cumulum. Ita lachrymas, quas dolor resipiscentis elicit ex oculis, semina dixeris, quæ proscissa, & exculta, vomere doloris contriti cordis tellus excipit; & divinæ gratiæ influxibus ibi foventur, germinántque, adolescunt, donec efflorescant in virtutes, & tandem maturiant in fructus.

67. Hæc semina, qui jaciunt, aucto fœnore fructus colligunt; ne tamen casus spem eludat seminantis, lachrymæ sæpius cordis tellurem rigent plorantis; quia ubi lachrymæ affluenter cum seminibus cadunt, ibi manipuli indubitanter assurgunt. Colligit uberem messem; qui jacta doloris semina imbre irrigat lachrymarum; quia ubi lachrymæ semina non irrigant, spes arescit messis: *Exiit, qui seminat seminare semen suum, & dum seminat aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud*, quia ubi lachrymæ irrigantes non penetrant, rapacium volucrum procax audacia grana deprædatur, ac devorat: secus si lachrymis sint semina irrorata in uberrimæ messis germinant, crescunt, ac flavescunt manipulos: uberem in segetem tunc semina adolescunt, si suas in exculta tellure radices agant, crebrisque madeant imbribus: ariditas enim noxia seminibus, non sinit ea ad optatam excrescere messem: & sicut camporum semina, quæ exculta, & occata tellus fovet pluviis indigent, quarum beneficiis germinant, ita, quæ excultæ cordis resipiscentis telluri concreduntur proborum desideriorum semina, nisi imbre lactentur lachrymarum, non adolescunt, nec maturiunt in fructus, quia ut ait Euthymius *Quemadmodum frumenti semen indiget pluviis, ita & hujusmodi spes semen ad ferendos fructus indiget lachrymis*: copiola lachrymarum pluvia semina fovet, germina lactat, flores incrementat, & fructus promovet.

Luc. 8. v. 5.

In Luc. 8.

68. Imò non spirituales tantùm fructus, sed & temporales, lacrymæ suppeditant: Axa agrum à patre in dotem acceperat, sed sterilitate laborantem, neque proventibus respondentem labori, & culturæ; ut autem sterilescere desisteret, & viretis inciperet uberioribus se vestire, ac fructus dignos saltem labore spondetet, suppetias ex suspiriis, lachrymisque exegit; & lachrymæ statim probrum absterserunt sterilitatis, & fœcunditatem invexêre, Josue; *Suspiravit, ut sedebat in asino: cui Caleb, quid habes inquit, at illa respondit, da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, junge & irriguam: dedit itaque ei Caleb irriguum superius, & inferius*: ergo lachrymæ eam impetrârunt fœcunditatem, quæ jure filiationis minimè potuit obtinere: terram australem, atentem, ac sterilescentem jure dotis filia acceperat; sed suspirans, ac flens fœcunditatem agro indidit, à quo ventus suspiriorum probrum abegit sterilitatis, & pluviæ lachrymarum benedictionem ingesserunt fœcunditatis; adeo efficax est lachrymarum vis, ut etiam temporales fructus promoveat: ita cœlestis patet dolenti, & illachrymanti nil scit denegare; auxilia suppeditat gratiæ, quibus fructus bonorum operum producuntur, foventur & maturiunt, & conducibilius nobis à lachrymis præstatur auxilium, quàm ab impenso quovis alio labore. Petamus igitur opem à Deo Patre, ut cor nostrum senticetis hispidum, & pro sterilitatis incultum lachrymis irrigetur, suspiriis foveatur, ac seminibus pro-

Cap. 15.

borum

borum desideriorum locupletetur, quæ feliciter germinent, & cum fœnore succrescant in fructus; lachrymæ enim Deum emolliunt, flectúntque in vota illachrymantis, & ea obtinent, quæ jura denegant filiationis. Petrexerat venatum Esau per campos, sylvásque, benedictionem à patre suscepturus, si aliquid venationis detulisset, quo patrem in lecto decumbentem reficeret, quia verò morosiùs, quàm par erat, feras fuerat insecutus, fratri tempus concessit, paternam præripiendi benedictionem: quamvis serus accessit & Esau, qui cognitis fratris artibus, quas etiam pater ei indicavit:
Genes. 27. *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*; cœpit tunc suspiriis efficacius instare, enixiúsque patrem rogare, ut vellet, & sibi benedictionem impertiri inquiens: *nunquid non reservâsti, & mihi benedictionem*, cúmque pater reposuisset, non esse suæ potestatis ulteriori benedictione ditare filium; alia paternus Isaaci amor exhibebat roganti filio. *tibi post hac fili mi ultra quid faciam*, sed iteratæ filij preces decumbentis patris dirè præcordia torquebant; non tamen hic Esau destitit; sed in clamores uberiores effusus iterum, atque iterum toto nisu, totísque lateribus rogabat ut eum concupita locupletaret benedictione, additis etiam clamoribus, ejulatibus, ac lachrymis; & tunc ad lachrymas filij cœpit patris durities emollescere, & quæ non potuerunt repetitæ instantiæ, neque eloquentiæ vires, suæ statim præstiterunt lachrymæ, quæ duritiem patris denegantis in vota flectere valuerunt filij illachrymantis;
Ibidem. *Cum ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum in pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* O quantum nobis conducibilius à lachrymis præstatur auxilium, quavis diserta eloquentia efficaciores sunt tacitæ lachrymæ ad præduta etiam corda flectenda; non potuit Esau patrem movere ad benedictionem sibi impertiendam, licèt omnes adhibuisset naturalis eloquentiæ vires; sed cùm primum cœpit lachrymas fundere, tunc patrem emollivit, eúmque in sua vota flexit; sed cur distulit Isaac benedictionem petenti Esau impertiri, donec lachrymas funderet? cur afflictum non antea fuit solatus, ne desperatus lugeret, vel in fratrem aliquid auderet noxium? quia impertita semel Jacobo benedictione omnia bona cum ipsa fuerat ei elargitus, cúmque non haberet, quod ulteriùs daret petenti Esau, distulit benedictionem, donec accederent lachrymæ, quæ deferrent fructus, quos filio Esau munifica novæ benedictionis largitate daret aucto fœnore multiplicatos, *Cùm ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum in pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua*, quia lachrymæ suos proferunt fructus etiam temporales, & de pinguedine terræ; simúlque de rore cœli irrogatos, quos Isaac benedixit, dedítque Esau paterna benedictione munitos; anxium patris studium non potuit benedictionem impertiri, quam tamen filius fletu, & lamentis sibi laxiorem procuravit, & lachrymarum pluviis terræ impetravit pinguedinem, quam à patre iteratis non potuit precibus obtinere: ergo lachrymis vel ipsa fluxa mundi bona debentur, huc accersendus est D. Chrysostomus apud Lippomanum: *Vidit patrem,* Genes. 27.
consilio destitutum, & non posse, neque velle revocare, quæ facta sunt, & clamori etiam adjecit ploratum ad majorem compassionem: nimirum à lachrymis mutuatur auxilium, quod à paterno amore preces filij non valuerunt extorquere; terræ pinguedinem solæ dederunt lachrymæ, quibus terra rigatur, viretis vestitur, & uberrima ditatur messe; hinc Lippomanus ait: *In bonis tem-* Loc. cit.
poralibus non eris inferior fratri tuo obveniet possidenda tibi gleba pinguis, & fertilis terra pro pascendis animalibus pastuosa, cœlum, & terra officium suum tibi non negabunt: Jure negaverat pater habere se benedictionem impertiendam; sed quam non habebat amoris studium, fletûs sibi comparavit lamentum; bona omnia Jacobo dederat, quem primùm benedixerat; nil superat de fructibus terræ, ejúsque pinguedine dandum; sed quia lachrymæ suis non destituuntur etiam terrenis fructibus, cùm & ipsæ terræ promoveant pinguedinem, ideò cùm primùm hæ accessêre, quia suos detulerunt fructus, hos statim Isaac unà cùm benedictione filio dilargitus est illachrymanti.

§. VIII.

Ad Deum nulli possunt è terra ab hominibus legati gratiores lacrymis mitti. Habeèt tacita quavis tamen eloquentia efficaciores Deum emolliunt, flectuntque in vota lugentium, & petita feliciter obtinent. Súntque humani generis redemptrices.

PEctoris lamenta, cordis suspiria, oculo- 69.
rum lachrymæ, nullius apud sæculum videntur pretij esse, præcipuè si lachrymas fundant egenorum oculi; suspiria, & lamenta edant pauperes: secus apud Deum ad benedictionem obtinendam, labésque diluendas plurimum habent efficaciæ, cùm ei vim gratam inferant, eúmque ad gementis trahant arbitrium, patronum igitur hi habent solertissimum, qui lachrymas habent sibi obsequentes, non patiuntur repulsam lachrymæ, duritiem emolliunt elargiri detrectantis.; apud Deum nulli possunt è terra ab hominibus legati gratiores, ac efficaciores lachrymis mitti: propriæ vecordiæ, & oscitationi tribuat, qui petita à Deo non impertiunt, eò quia lachrymas non mittant, quæ officio defungantur legatorum

gatorum

gatorum; qui decem millibus obarmatus venienti cum viginti millibus occurrere se non posse providè cognoscit, legationem quavis disruptâ morâ mittit, & ea rogat, quæ ad pacem, fœdúsque ineundum desiderantur; (Luc. 14.) *adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt*, nimirum legationem mittit, qui hostes fortiores se timet, sed plerumque fortior, rogatam non admittit pacem, eò quia armatorum stipatus agminibus, opimis ardenter spoliis inhiat: Deus verò rogatam à resipiscente pacem, quia non spoliis, sed nostris inhiat animabus, nunquam denegat, si legati ei præmittantur lachrymarum; quidquid enim lachrymæ petierint, non dubium, quin sint impetraturæ: amaras ad Deum legare lachrymas perinde est, ac petita statim impetrare: hinc D. Gregorius ait: (Homil. 17. in Evangel.) *Cum adhuc longè est Rex legationem mittat lachrymarum, eleemosynarum, hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit, qui portari non possit iratus; quod adhuc moram facit, venire legationem pacis sustinet.* Legandæ sunt igitur lachrymæ, ut petita impetrentur; idem est amaras legare lachrymas, ac dulcedinem prægustare petitorum, & præsertim pacis cum Deo ineundæ, ubi enim lachrymæ præmittuntur, pectoris extinguuntur iræ, ne reverendus quidquam denegetur lamentis.

70. Non modicam igitur adstruamus lachrymis efficaciam inesse, cùm vel tacitè ea omnia consequantur, quæ petunt, & licèt molles, ac aqueæ, fortissimos tamen etiam virorum vincunt, prosternúntque: neque à vero me divertere sinit Samson, hic mulierculam fœdè deperierat, quam utpote alienigenam cavere debuisset; impensius tamen amor infidæ mulieri virorum fortissimum illigavit non ferreo, sed igneo amoris impudici vinculo, cúmque Philisthæi Samsonem prosternere haud potuissent, polliciti sunt, se mulieri parum fidæ pecuniam daturos mille, & centum denarios, si illecebris delinitum Samsonem proderet, vel saltem roboris causam sciret, quam Philisthæis aperiret; cúmque mulier oblatæ se prostituisset pecuniæ, astuta sagacitate cœpit summis laudibus ejus commendare, ac extollere fortitudinem; ut facilius causam tanti roboris ei proderet: sed vir mulieris experturus fidem dissimulavit asserens vim totam roboris in ligaminibus sitam, tunc mulier illecebris, ac blandimentis Samsonem demulcens sua inter genua somno sopivit, & sopitum vinxit; sed expergefactus Samson, viribúsque integer funes, quibus se vinctum sensit, brachia, ac reliqua corporis distendens membra perinde fregit, ac tenuissima fila. Sed non destitit procax mulier arctiùs auri cupiditate victa simul & vincta, alia lenocinii, ac illecebrarum retia tendere, quibus arcanum fortitudinis tandem aucuparetur; & cùm pluries se contra fidem amoris delusam fuisset experta, tandem erupit in lamenta, & lachrymas, quibus tandem cessit Samson, & qui fortissimus steterat agminibus cinctus Philisthinorum, fœdè cecidit, cùm primum lachrymæ cœperunt, & ipsæ ab oculis procacis mulieris cadere: quem vincere non valuerunt Philisthinorum phalanges; vincere, ac vincire potuerunt modicæ lachrymæ, quas mulier fudit; cùm enim importunis virum querelis mulier lugens ursisset, animi, ac fortitudinis manifestavit secretum, dixit ad eam: *Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazareus id est consecratus Deo sum de utero matris meæ, si rasum fuerit caput meum recedet à me fortitudo mea.* (Judic. 16.)

71. Mirum tamen, Samsonem, licèt dolosas fuisset mulieris artes expertus, reserâsse tandem procaci, ac insidiosæ mulieri cordis arcanum, & radicem suæ aperuisse fortitudinis? Mirum sanè, quòd cum toties fuerit fraudulenter ligatus, aliisque dolis irretitus, ut suæ arcanum fortitudinis mulieri ediceret, & omnes dolosas semper evasisset insidias, ac mulieris blandimenta frustrâsset, lenocinia infregisset, tandem succubuerit, ac propriæ fortitudinis mulieri secretum reseraverit! satius fuisset si lenocinantem fœminam impensiùs adamatam Samson hostibus tradidisset, quàm ei arcanum aperuisset sui roboris. Quid? quòd cùm toties mulieris obstitisset assultui, ac semper intrepidus stetisset, mox roganti annuerit mulieri, quam deperierat? Quid causæ? quod ejus constantia tandem cesserit, & ipse licèt inconcussa loricatus fortitudine fœdè ceciderit? Non Philisthæi ad prælia, pugnásque instructi Samsonem prostrârunt; non mulierculæ lenocinia; non voluptatum blandimenta, non concupiscentiæ irritamenta, non sensuum illicia Samsonem vicerunt; sed pauculæ, quæ ex oculis lugentis mulieris fluxêre lachrymæ constantiam adamantinâ fortiorem emollierunt; & inconcussam Samsonis fortitudinem, quam lenocinantis Dalilæ non potuerunt blandimenta inflectere, plorantis lachrymæ infregerunt.

72. Cùm mulier procax nil profecisset dolosis suis artibus; neque suarum retibus blanditiarum secretum valuerit fortitudinis aucupari; ad lachrymarum auxilium confugit arcanum venatura secretum; molles, aqueásque effudit lachrymas, quibus inflexilem Samsonis constantiam, & inconcussam pectoris fortitudinem emolliret; Samson siquidem dolosas expertus mulieris artes, ne quid denegaret lachrymis, maluit se periculis subjicere, quàm lachrymis non cedere. Quàm efficax igitur vis est lachrymarum, quibus hominum cessit fortissimus! quem cædere, ac vincere non valuerunt Philisthæorum obarmati exercitus; inconcussæ fortitudini prostrandæ pa-

res

res sunt pauculæ lachrymæ, cui profligando impares fuerunt armatorum phalanges: pulchrè S. Ambrosius: Lib. 5 Epist. 84. *Cum illusam sibi toties procax mulier deplora visset indignam se habitam, dolens, cui committeret arcanum dilecti, & id, quod pro remedio quæreret ad proditionem suspectari videret, lachrymis fidem coëgit*, cum toties frustratam se dolosis suis artibus mulier novisset, erubuisséque se tot post adhibita blandimenta, instructas insidias semper retusam; ex lachrymis suppetias, auxiliúmque petiit, & lachrymarum aqueis globulis Samsonis fortitudinem expugnavit, vicitque, quam expugnare armati, & ad pugnas instructi Philisthæi non potuerunt: Samson defuit, quia fletus adfuit mulieris, lachrymis obsistere non potuit, qui de prostratis pluries hostibus excellentiores retulit triumphos, & maluit notam imprudentis subire, quàm lachrymis refragari plorantis mulieris. quæ *lachrymis fidem coëgit*.

73. Non solùm virilem hominis fortitudinem emolliunt, vincúntque lachrymæ, sed & ipsum DEUM in sua flectunt vota emollitum imbre lachrymarum. Delegaverat DEUS ad Ninivitas Jonam, ut civitatis prædiceret eversionem, ac populi illius excidium: & quamvis Propheta variis excusationibus studuisset se ab illa subtrahere legatione, ac DEI minax imperium declinare, ac irati Numinis minas distrahere, adactus tamen fuit DEO parêre præcipienti, & imminens denuntiare Ninivitis excidium: Jon. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, ad quas voces timore simul, & terrore perculsi Ninivitæ, initis, collatísque consiliis suppetias decreverunt è lachrymis petere, quas auxiliatrices contra Numinis justas iras accersivêre. Jussit Rex saccis vestiri populos, cinere spargi, & lachrymis madere, quarum fluxu Numinis, vel temperarent, vel extinguerent indignationem; ait Rex: *Operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum.* Et quamvis post decretam à Numine ruinam sera censeri potuisset cineris aspersio, & lachrymarum profusio; tantæ adhuc fuerunt lachrymæ efficaciæ, ut flectere DEUM potuerint ad misericordiam, *misertus est DEUS super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.*

74. Sed si civitas erat evertenda, & excidii sententia à DEO Judice jam lata, & divina veracitas, nec falli potest, nec fallere, cur miseretur DEUS super malitiam Ninivitarum, nec suam, quam tulerat sententiam fuit executus? Si DEUS seriò excidium statuit civitatis; cur decretum retractavit? Si decreta divina mutabilitati non sunt obnoxia, nec divinæ veracitatis excellentia potest ullo modo criminari, cur DEUS promulgatum Ninivitarum excidium, non exequitur? Sciunt Theologi in hisce DEI decretis conditionem latere, decreverat DEUS Ninivitarum excidium, ac civitatis eversionem, adjectâ tamen conditione, nisi cineres pœnitentiæ, & lachrymarum fluxus accessissent; quia adeo efficaces lachrymæ sunt, adeo potentes, ut DEUM emolliant, flectantque ad veniam; gaudet DEUS latam retractare sententiam, ut lachrymarum nobis innotesceret energia. Huc vocandus Basilius Seleuciensis inquiens: Orat. 14. *Divina sententia retrocedere non erubescit, & solvit decretum DEUS, & abolet periculum, DEI námque in homines proclivior aspectus accedentem suspicit pœnitentiam; supplicanti paret, cedit lachrymanti, lamentanti condolet, denique victoriam reportare jubet:* Nimirum lachrymæ, quas resipiscens fundit, totum Acheronteum Regnum confundunt, quia & delicta abstergunt; & DEUM ad veniam flectunt: *homines lachrymantur*, addit Basilius, *Et DEUS immutatur; lugent mortales, & decretum solvit immortalis.*

Ad bella instructæ lachrymæ obarmantur etiam contra divina decreta, & victoriis assuetæ, triumphis coronantur, cum DEUM in vota flectunt lugentium: homines lachrymantur, & DEUS immutatur; lugent mortales, & decretum solvit immortalis, lachrymis pugnat homo, & DEI sententiam expungit, ejúsque decreta expugnat; quatenus DEO adeò gratæ obtingunt resipiscentium lachrymæ, ut ipsis veniam non deneget. 75. O quam efficaces sunt vires lachrymarum! quando & ipsum DEUM emolliunt, flectúntque ad veniam; & Jacobum colluctantem effugiunt: *Invaluit ad Angelum, & confortatus est: flevit, & rogavit eum:* Osea 12. Nimirum cœlestis colluctator, cùm è Jacobi manibus elabi non posset ad lachrymas confugit: *flevit, & rogavit eum:* scilicet ut cessaret lucta, eò quia roseo suo nitore jam inciperet aurora horizontem pingere: sed cur lachrymas fudit cœlestis colluctator, ut dimitteretur, cessarétque lucta?, an quia plus lachrymis fidit, quàm propriis viribus? *videtur* ait Oleaster, *quòd Angelus fleverit, rogans Jacob, ut eum dimitteret.* O quàm validæ sunt justorum lachrymæ, quæ etiam ipsis cœlitibus vim gratam inferunt, imò & cœlites ipsi suppetias è lachrymis exigunt, quibus homines emolliant, flectántque in propria desideria: faciliùs ut cœlistis colluctator Jacobum in sua vota flecteret lachrymas fudit; *Videtur, quòd*

Angelus fleverit, rogans Jacob ut eum dimitteret.

76. Nullum purgaodis, abstergendísque animi sordibus aptius est lavacrum illo lachrymarnm, hæ siquidem sordes omnes abstergunt, conscientiam emundant, cor diluunt, mentem serenant, totúmque hominem purgant, & quod Tertollianus dixit de Baptismo, id lavacro puteſt commodè aptari lachrymarum, ait ipse; *Felix Sacramentum aqua nostra, quâ abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. Nam feræ, viperæ, & aspides, ipsique Reguli serpentes arida, & inaquosa sectantur, sed nos pisciculi secundum JESUM CHRISTUM in aqua nascimur, neque aliter, quàm in aqua permanendo salvi sumus:* [Lib. de bapt. cap. 1.] & revera nisi DEI gratia duritiem emolliret nostram, petrámque cum Moysis virgâ percuteret cordis nostri, & fluenta eliceret lachrymarum, non essent, qui post lapsum à gehennæ liberarentur incendiis: siquidem avaritiæ febris, vindictæ furor, concupiscentiæ æstus, libidinis fervor, iracundiæ flammæ, nisi lachrymarum fluentis extinguerentur, ad gehennalem nos mortem traherent: lachrymæ sunt, quæ gehennæ ignes extinguunt, & januas cœlestis patriæ nobis reserant: hinc de Christo se se pro mundi redemptione in ara crucis offerente cœlesti patri scribit Apostolus: [ad Hebr. 5.] *Cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Quid, quòd Christus fleverit? An non ad mundi redemptionem sufficiebat, proprium sanguinem in cruce effudisse? Quid, quòd effusum cruorem fusis miscet lachrymis? An quia lachrymæ sunt pellucidus cordis sanguis, quo amor viget, ideóque effuso reliqui corporis cruori, lachrymas, seu cordis, & amoris sanguinem adnectit, ut non minus Christi sanguinem, quàm ejus lachrymas nostras cognosceremus redemptrices? quia ut scitè ait Augustinus: [Serm. 2. ad fratres in erem.] *Lachryma passionis Domini est vicaria:* ita est: Christi lachrymæ sanguini miscentur, ut nos doceant, qualis nostris lachrymis virtus insit, cùm vicarias dominicæ passionis obeant vices: suis Christus lacrymis nostram voluit redemptionem exundare duplici auctam gurgite sanguinis, & lacrymarum, promptiùs, ut non solùm felix operaretur delictorum naufragium; verùm & portus nobis æternæ salutis aperiretur.

77. Nostram fuerunt istæ lachrymæ, perinde ac Christi sanguis, redemptionem operatæ, ut virtute corroborarentur, non solùm conscientias abstergendi, & delicta; sed etiam vitam ipsam impertiendi. Decumbenti, gravíque morbo laboranti Ezechiæ Regi imminentis mortis infaustum nuntium detulit Isaias Propheta jussu DEI, quo audito Rex turbatur, & timore perculsus; mentéque confusus, humanique consilii inops cœpit preces, & lachrymas accire adjutrices, preces enim ad DEUM fudit, lachrymas in terram effudit, supplicationes, rogationésque gemitibus, ac singultibus vivificans, ut fortiores fierent ad DEUM flectendum ad indulgendam veniam. *Flevit itaque Ezechias fletu magno:* [4 Reg. c. 20.] sed lachrymæ ex oculis lugentis Ezechiæ, cùm in terram dilaberentur, sursum cœlum jam penetraverant, Deique sententiam deleverant, vix enim egressus Isaias, ad mediam cum pervenisset atrij partem, vocem audit Numinis dicentis sibi: *Revertere, & dic Ezechiæ, audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanavi te,* [Ibidem.] fuerunt lachrymæ lugentis Ezechiæ, quæ vitam Regi morituro impetrârunt: non fuit ausa mors corpus ingredi Ezechiæ, è quo salutares lachrymæ exierant. Mortem ipsam valuerunt coërcere fluxæ lachrymæ, vitæ productrices, & refectrices. Gemino revivilcit homo lavacro, aquæ, & lachrymarum, illo à morte originalis criminis surgimus ad uberrimam vitæ supernaturalis, seu gratiæ usuram: sed secundo lachrymarum lavacro è sepulchro actualium delictorum resurgimus vividiores; pulchrè Tertullianus: [Lib. de Bapt. cap. 5.] *Primis aquis præceptum est animas proferre, primus liquor quod viveret, edidit, ne mirum sit, si baptismo aqua animare noverunt; cùm hoc idem, & fusa præstent lachrymæ. Nam ipsius quoque hominis figurandi opus socialibus aquis absolutum est de terra genetrice, non tamen habilis, nisi humecta:* quàm ingeniosæ sunt lachrymæ! quæ luto immixtæ animam impertiunt, suo vivificantes humore: imò & lutum in cœlum transvehunt, ut de terra terrenus homo cœlestis fiat; quia lachrymis madidus, fletúque, ac suspiriis animatus: fluunt in terram lachrymæ resipiscentium, gratiam è cœlo in terram adducunt. En quanta in Ezechia Rege fuit lachrymarum vis, quot ejus fuêre officia, quot ingeniis prædita fuere in præmatura morte compescenda, premente ægritudine abigenda, Deóque ipso in vota flectendo lachrymas fundentis; in lutea materia imbuenda, ac in cœlum transvehenda; meliorique vita lugenti impetranda?

❋ (o) ❋
❋

§. IX.

§. IX.

Lacrymæ vocales sunt, & flexanimæ, rem misericordiæ jure sibi vendicant; & veniam, quam de patratis delictis exposcunt pia, ac grata violentia à Deo extorquent.

78. VOcalis est lachryma, quamvis tacita; rem misericordiæ jure suo sibi vendicat, cœlestem accersit vitam, & gehennæ incendia lugentibus extinguit; vocalis est, cùm vel tacens è summo cœlo audiatur, simúlque exaudiatur: hinc David ærumnis pressus, ac calamitatibus sustinendis defessus madentibus oculis suas ad Deum
Psalm. 39. preces dirigit inquiens: *Exaudi orationem meam, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas*, ea fuit in Davide confusa doloris vehementia, quæ vel sensus ipsos perverteret, ac immutaret; quapropter enixim Deum rogat, ut auribus suas velit lachrymas percipere: si visu sunt aures destitutæ, & perinde excutiunt, ac manus, vel pedes ad videndas lachrymas, eásque percipiendas, cur enixim Numen rogat, quò auribus suas percipiat lachrymas? Si cæcæ sunt aures ad lachrymas videndas; cur non potiùs oculis vult lachrymas suas à Deo percipi? an quia non guttatim ex oculis Davidis modico fluxu lachrymæ per genas caderent, sed pleno gurgite exilientes aquarum ruentium murmura ederent, ut auribus percipi etiam lachrymæ possent? Ita est, vocalem sonum lachrymæ edunt, aurésque divinas pulsant exaudiri satagentes: *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas*, vocales sunt lachrymæ, quas oratio sursum in cœlum evehit; preces Deo fusæ. & lachrymæ à resipiscente effusæ aures simul, & oculos percellunt, & quidquid exposcunt dulci extorquent violentia, audiuntur lachrymæ, quamvis tacitæ, & flexanimæ exaudiuntur in cœlo, quamvis in terram delapsæ; non oculis vult David lachrymas suas percipi, sed auribus audiri,
De perfect. monast. opusc. 13. cap. 12. simúlque exaudiri, *auribus percipe lachrymas meas*, quæ verba expendens Petrus Damianus de lachrymis ait: *Qui enim non oculis attendi, sed auribus percipi lachrymas postulat, voces inesse lachrymis, manifestè designat: Lachrymæ nempe cùm in conspectu pij Judicis supplicant, nihil hæsitant; sed sic misericordiam, tanquam rem quamlibet proprij juris sibimet vendicant, & impetrâsse se, quod petierant confidenter exultant.*

79. Lachrymarum defluxus vocalis est, imò & clamor adeò potens ad impetrandum, ut rem misericordiæ jure suo sibi vendicet; & veniam, quam de patratis delictis exposcit pia, ac grata extorqueat à Deo violentia: lachrymæ dum pio supplicant Judici, misericordiam tanquam rem proprij juris sibi vendicant; quòd si non rei cujuslibet, veniæ tamen dominium pretio semper acquiritur lachrymarum: hinc fletus de venia, pro qua rogat, ac si eam jam possideret, confidenter exultat, sibique exultim gratulatur.

Veniam petierat mulier peccatrix, & 80.
condonationem fluxu obtinuit lachryma- Luc. 7.
rum; lautiora Pharisæus Christo fercula apparaverat; sed Magdalena suis pocula lachrymis adornaverat; & in lachrymas liquescens, & ad pedes usque exundans, cordis particulas per oculorum vaporaria, in lachrymas solutas, pedésque Christi rigantes roscidos veluti imbres effuderat, *& stans retro secus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes ejus*, sed cur dum mulier sua plangit peccata, retro accedit, & adstantium oculos fugit? *Et stans retrò secus pedes ejus*, si veniam sitiebat, cur mensæ non sedet cum cæteris; si famelica divinæ inhiabat gratiæ, cur dapes potiùs mensæ appositas à Christo non exposcit? exardens amore, æstuans pio affectu, sitim quâ angitur, non lachrymis extinguit, sed reficit, & incrementat. Rectè tamen stat retrò secus pedes, quia mulier quæ pluries ceciderat, firmiùs ut staret lachrymis pedes rigat: quæ pluries fœdis cogitationibus suam fœdaverat mentem, è pedibus Christi munditiem sui capitis sperans, lachrymis pedes rigat, quæ sui capitis labes omnes abstergerent, & concupitum veniæ fructum darent: timuit mulier, ne si ejus scelera cæteris adstantibus paterent, iisdem scandalo essent; noverat enim lachrymas, perinde ac pellucida specula scelera, ac delicta prodere lugentis, ideóque retro stans secus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes ejus, pulchrè Cæsa-
rius ad rem nostram ait; *Sunt autem efficaces gemitus, qui peccata in ossibus scrutentur, qui in medullis persequantur, nil intactum fletus, nil incuratum medicabilis pœnitentia dolor relinquat, quod contra nos in die discussionis assurgat.* Homil. 17.

Venaticos æmulantur canes, feras tum 81.
per camporum planities, tum per sylvarum secessus pervestigantes venatrices lachrymæ, delicta in intimioribus cordis recessibus, ac viscerum abditis, ossiúmque medullis, hostiliter scrutantes, & ad necem persequentes: diffluunt ex oculis lachrymæ, sed peccatorum inquisitrices feras persequuntur vitiorum, non eas capturæ, sed interempturæ: siquidem scrutantur lachrymæ peccata, non ut ea prodant, sed deleant; non ut ea capiant, sed perdant; non ut telo ea pungant compunctionis tantùm, sed ut penitus expungant: peccata lachrymæ cùm fluunt, insequuntur, non ut consequantur, sed ut ea interimant, ac prorsus deleant, & ut quasi non facta reputentur

tentor, ut ait Cæsarius subdens: *Noc igitur, quibuc adhuc conceditur curare maculas, lavare culpas, subvenire prateritis, consulere futuric, & facere infecta de factis*; nimirum beneficio lachrymarum nobis concessum est, maculas abstergere delictorum, labes emundare criminum, & cordi impressa vitia fluentis delere lachrymarum, ac de factis infecta facere. Quamvis Magdalena fuerit antea obscœnè peccatrix, & antequam lachrymis inciperet pedes rigare Christi, retrò accesserit stans retro secus pedes ejus; postquam tamen decursu lachrymarum sua in ossibus scrutata est delicta, eáque etiam in medullis intimioribus plorando iosecuta, & persecuta; mox vitiorum feras divini amoris jaculo interimit, monstra abigit peccatorum; & ocolorum fluentis, lachrymarúmque pluvijs pedes irrigat Christi, & propriam abluit conscientiam, delétque flendo, quas peccando, & ridendo labes contraxerat, & dum lacrymæ cadunt, surgit ipsa ad gratiam.

Loc. cit.

82. Imò ea est vis lachrymarum, ut non solùm labes deleat criminum, sed & ipsas extinguat Gehennæ flammas *Luc. 16.* purpuratus ille, qui divitijs affluens, vitijs indulserat, lautísque convivijs, quibus deliciosè saginatus Lazarum exulceratum contemptui haboit; cum jam esset tormentis, flammísque gehennalibus addictus, vidit à longè Abraham, & in ejus sinu Lazarum, & voce quâ potuit altiore inclamans dixit: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma:* sed quænam fuit hæc tam potens aqua, quæ potis esset, vel unicâ duntaxat guttulâ linguam refrigerare, sitim arcere, & flammas ipsas gehennales extinguere? Certe non petijt dives ad extinguendos cruciatus guttam aquæ fontalis, nec fluvialis, aot marinæ, cùm & fontes, & flumina omnia incrementandæ potiùs, quàm miouendæ gehennali flammæ aptiora forent; petinde ac modica, quæ injicitur in grande incendium aqua illud non minuit, sed auget; gutta igitur, quam Dives io tormentis petierat alia oon fuit, quàm vel una lachryma olim ulcerosi Lazari, & mox deliciosi in sinu Abrahæ; ratus vel unâ lachrymarum guttulâ posse gehennæ flammas restinguere, sitímque propriam reficere, séque à tormentis gehennalibus unius lachrymæ soluto pretio redimere: novit in tormentis pretium lachrymarum, quarum beneficium in convivijs neglexit; exposcit unicam saltem lachrymarum guttulam ad gehennales extinguendas flammas, cruciatúsque sopiendos, quibus acriùs divexabatur: oeque avaritiâ laboravit Dives unicam duntaxat exposcens Lazari lachrymam; noverat in restinguendis gehennæ flammis ejus efficaciam; ideóque guttulâ contentus eam petijt, quâ torquentes gehennæ flammas ablueret, & extingueret. Quærit S. Maximus quænam fuerit hæc Divitis gutta aquea, quam ad attemperandos saltem, vel extinguendos suos cruciatus enixim petierat; ait ipse: *Quænam est illa aqua, qua consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus; sed gehenna consumit incendia?* certè non aliam censuit fuisse oisi guttam lachrymarum, cum lachrymæ io officina charitatis, & ex torculari doloris expressæ gehennæ consument incendia, & refrigerent bonorum cœlestium sitim: hanc lachrymarum guttam, si damnatorum aliquis sitiret proprios, quibus torquetur, ardores refrigeraret, & si eadem madetet, flammas ipsas extingueret gehennales, & damnata conscienria hisce respersa lachrymis perenni donaretur beatitate, quam fluxo lacrymarum argento sibi resipiscens coëmit.

Homil 2 de eleemosyna.

Adeo excellet pretium lacrymarum, ut videatur lilium excedere innocentiæ: Christus mulierem defendens peccatricem in ejus Apologia illam adiecit clausulam: *cui autem minùs dimittitur, minus diligit:* Magdalena siquidem quia exardens amore tota visa est colliquisse in lachrymas; & quia plus dilexit; plura etiam fuerunt ei dimissa peccata; hinc D. Ambrosius inducens eos alloquentes DEUM, qui fluentis lachrymarum proprias satagunt abstergere sordes, & delicta purgate, totámque conscientiam lavare ait: *Plus aquisivimus, qui plus peccavimus; quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra innocentia, tantam enim gratiæ abundantiam profusa lachryma comparant, ut excedant aliquando flentes peccata sua, eos, qui nunquam peccaverunt, nec gratiam amiserunt*, sunt enim lachrymæ pretiosa monilia, quæ in hac officina cuduntur charitatis, & quò largiores lacrymæ profunduotur, eò ex uberioti prodeunt charitatis incendio. Id ioditom à natura igni elementari aquarum guttas exsiccare, eásque depasci: sed incendia charitatis pluvias lachrymarum pariunt; súotque propterea aquæ lachrymarum, & flammæ charitatis contubernales, mutuísque complexibus se se fovent, juvántquo citra omnem læsionem; cùm aquæ lachrymarum flammas foveant charitatis, & istæ fluenta promoveant fletuum, imbrésque eliciant lachrymarum, quibus resipiscens irroratus in veroantes amoris rosas feliciùs floreat, ac cæterarum virtutum flores promoveat, quibus & venustiùs oroetur, & ornatiùs floreat; síntque propterea pluviæ lachrymarum, quæ probrum sterilitatis abstergentes è conscientia sentibus pecca-

83.

Luc. 7.

peccatorum obsitâ, virtutum flores fovent, *ut excedant aliquando flentes peccata sua, eos qui nunquam peccaverunt, vel gratiam amiserunt*, ut ait. D. Ambrosius.

84. Talis fuit Magdalena, quæ cum propriæ conscientiæ maculas vidisset, has ut Christus lavaret, aquas non è fonte haustas, sed ab oculis elicitas ministravit: volens nimirum sponsum, quem diligebat, ad sui culturam allicere, lachrymis eum in radicibus pedum cœpit rigare, quò se ostenderet hortum irriguum, quem hortulanum prænoverat, & tandem flores, & fructus daret, quos enixim expetierat. Non me latet insano olim igne perculsas puellas Erycino se templo devovisse, Cupidinem rogaturas, quò genita aqua flammarum æstus temperaret: sed Magdalena licèt antea amens, quia profane amans ad verum nunc properavit amorem, non solùm molestos extinctura ignes; verùm & flores rigatura virtutum, rosasque excultura amoris. Quod si finxerint Poëtæ Venerem in aquis natam; non quid fictum, sed factum dixeris, si eandem in aquis edixeris denatam lachrymarum, quas resipiscens Magdalena ubertim fudit; quibus impuras quásque præfocaret, ac extingueret profani amoris flammas. Utinam debiles juvenum piraustæ ad hæc vaporaria oculorum Leucadio fonte longè salubriora accederent, ubi balneator amor Christus est; non ita certè noxijs æstuarent flammis, quibus non ut phœnices redivivi, sed infelices papiliones uruntur ad excidium: quin hisce, qui madent lachrymis, sanctiores alunt hisce aquis flammas, è quibus redivivi phœnices ad vitam resurgunt auspicatiorem; nec minus profuerunt lachrymæ Petro, quam Magdalenæ; post patratum delictum trinæ negationis, purior & ipse è lavacro emersit lachrymarum, ut eleganter asserit D. Maximus, inquiens: *Videte, quantum fletus profuit Petro; antequam fleret, lapsus est, postquam flevit, erectus est: & qui ante lachrymas prævaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est.* Homil. 3. de latron.

85. Felices, qui post cœnosas vitiorum voluptates, luteásque delictorum paludes, in quibus se volutarunt, has sitiunt aquas, quarum lavacro sordes expurgant, quibus sorduerunt, simúlque arescentem cordis tellurem omnibus destitutam virtutum viretis feliciter irrigant cum Regio Vate, qui Deum alloquens ait: *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi*; seu ut explicat D. Hieronymus: *Anima mea quasi terra sitiens ad te*; perinde se abluit, rigavítque arefacta anima Davidis, post patratum cum Betsabæa adulterium, sicut terra arescens omni spoliata ornatu floris, & vireti, ac enixim sitiens cœli, seu divinæ gratiæ beneficos imbres: sicut enim terra arescens expectat è bajulis nubibus imbre irrigari; ita anima Davidis exarescens divinæ gratiæ imbres sitiebat, quibus reficeretur: neque alij sunt hi imbres, quos resipiscentes anxiè sitiunt, ac hiante appetentia concupiscunt, quam Numinis gratiæ, quibus irrorata cordis tellus, quæ sterilescebat, aliqua incipiat virtutum depromere vireta, ut modulatè cecinit Claudius Marius Victor. Psal. 142. Lib. c. in Genes.

Tum se de coctis tellus pinguissima glebis.
In fœtus movit varios, quos imbre marito.

Anima siquidem bonis destituta operibus, ac virtutum spoliata viretis, quasi terra sine aqua, sitit lachrymarum imbrem, quo maritata in fœtus prorumpit varios, quos pinguis gleba aucto fœnore, proventúque repetito gignit.

Sunt lacrymæ veluti pietatis adeps per oculos eliquatus; cordis particulæ, quæ amoris vi in lachrymas solutæ per oculos in terram prolabentes plorantem in cœlum evehunt; sunt benefici imbres sterilescentem cordis tellurem reficientes, ac fœcundantes; peccatorum diluvium, charitatis evaporationes, auspicium pœnitentium, eruditio proficientium, & consummatio perfectorum: unde non sunt lachrymæ pro rebus caducis fundendæ; sed pro Deo ad peccata extinguenda uberiùs profundendæ; qui enim pro terrenorum amissione lugent, & lachrymas spargunt, hi infeliciter pretiosas margaritas prodigunt, perdunt, proculcant: & hi procul dubio errant, & lavacro abutuntur lachrymarum; cum enim sordes deberent abstergere, novas potiùs contrahunt sordes ex immodico affectu ad res interitui obnoxias; & hi sunt, de quibus dixit Regius Vates. *Erraverunt ab utero*, homo enim vix materna egressus ex alvo ad hujus lucis usuram, suam à lachrymis infantiam auspicatur, & futuras ærumnas præveniens lachrymis præcoqui doloris præsagit, quas erit miserias subiturus, pulchrè Tertullianus. *Mentior*, ait, *si non statim infans vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse, atque intellexisse, quòd natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus. Ita prima illa vox de primis sensuum votibus, & de primis intellectuum pulsibus cogitur. Plus est, quòd de prospectu lachrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, quod etiam præsciens habenda sit ab ingressu vitæ, ne dum intelligens.* 86. Psalm. 57. Lib. 1. de anima c. 19.

Videmus infantulum vix natum flebili vagitu, iteratis lachrymulis præsentis vitæ ærumnas, quas præsentit lugere; & lachrymas emittere futurarum prodromas calamitatum. Prodiguntur tamen præmaturè hæ lachrymarum divitiæ, cùm nec ad crimina 87.

redimenda solvantur; nec ad cœlum coëmendum perfundantur; cùm non lachrymis, sed lavacro emundentur baptismi à culpa, qui nascuntur pueri. Satiùs ac utiliùs dixit Job. Cap. 16. *Ad Deum stillat oculus meus*, eò quia lachrymas funderet, non pro gregum amissione, domus delapsæ ruinis, sobolis extinctione, corporis afflictione, valetudinum defectione, dolorum acerbitate, calamitatum acervatis cumulis, amicorum increpatione, uxoris exprobratione, quia hæc omnia Jobus siccis oculis spectavit, neque pro hisce ullam potuit ex oculis lachrymulam fundere, sciens, quàm exiguum sit, hoc muliebre lachrymarum levamentum, quod non laxat curas, nec imminuit tormenta; sed potiùs animum arctiùs premit, & cruciatus auget: unde flevit Jobus, ut per stillicidia lachrymarum cor suum Deo arctiùs agglutinaret, *ad Deum stillant oculi mei:* quasi diceret, cùm nubes calamitatum, procellæ ærumnarum circum me sævirent, méque exagitarent, pluvias emiserunt lachrymarum oculi mei, sed quæ sursum avolarent, & arctiùs me Deo adglutinarent, *ad Deum stillant oculi mei*, tametsi in sinum descendere, & in terram cadere imbres videantur lachrymarum, quæ è sinu nubis roridæ sancti Jobi exiliêre; non tamen in humum cecidêre, ut pulveri maritatæ lachrymæ lutum adgenerarent; sed moto opposito, cùm ex oculis descenderent, sursum lachrymæ ascendebant, cum oculi Jobi ad Deum stillarent; lachrymarum enim stillicidia cœlos ipsos emolliunt, excavant, penetrant, & resipiscentibus viam aperiunt, sternúntque ad cœlestem patriam.

88. Ea est solis indoles, suis in terram demissis radijs vapores indito suo calore tepefactos sursum evehere: lustrat sol cœnosas, luteásque paludes, quas & illustrat, & sursum in cœlum attrahit, ut quæ in squalore jacuerant neglectæ, ac putidæ evaparationes, sursum evectæ, & aëris sublimioris incolæ accersitæ, ac concretæ in nubes pluviarum bajulas beneficos imbres, húcque, illúcque asportent sitientes rigaturæ telluris tractus: perinde, ac sol palustres halitus; etiam Deus resipiscentium ferventes à charitate lachrymas excitat, elevátque sursum ad se; sícque propterea in resipiscentibus lachrymarum ex oculis descensus felix in cœlum ascensus, hinc Siracides. Eccles. 35. c. 18. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt? à maxilla enim ascendunt usque ad cælum:* hæc miracula resipiscentium perpetrant lachrymæ, quæ in terram cadentes in cœlos relabuntur? *Ad Deum stillant oculi mei*, quia nimirum sursum ascendebant, cum deorsum viderentur descendere. Ascendunt autem, quia fletus resipiscentis gaudium est Angelorum, Luc. 15. ait Christus. *Dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

§ X.

Lachrymæ resipiscentium gaudium excitant in cælis, quia in terris superstites abstergunt noxarum sordes; delêntque vitiorum fœdas reliquias, & animas lugentium floribus exornant virtutum.

89. Lachrymæ resipiscentium gaudium excitant in cœlo, quo lætantur Angeli Dei, imò gaudet Deus ipse, qui est animarum amator, quarum sitit salutem, & lachrymas expetit, quibus sitim refrigeret, non enim Deus in resipiscente quid aliud sitit, quàm eius lachrymas, quibus labes absterguntur delictorum; & arescens nostri cordis tellus, incipit virtutum ornata germinibus virescere: sunt enim lachrymarum pluviæ, quæ sordes omnium abluunt, & abstergunt, ac ad profecenda virtutum vireta, arescentia nostri cordis fœcundant arva: suæ est vicissitudini obnoxius nostri cordis hortulus, ut mox pruinali glacie concretus, ac nivali frigore obsitus, comas foliorum, ac virentium herbarum, seu virtutum gliscentium ornamenta deponat: & recedente Numinis gratia sibimet relictus, totus arescat, & decidentium florum nudetur decore. Verùm ut mox verno veluti redeunte tepore calidæ lachrymarum pluviæ delabuntur, quæ sterilescebat tellus novo animata virore, lætantibus iterum reviviscit induta germinibus; & perinde, ac *arbor verni austri fomite recalescens*, ut loquitur S. Petrus Opuscul. 19. cap. 12. Damianus, *redivivo virtutum suarum flore vestitur:* Oculorum luctus gaudium est cœli; & mador lachrymarum viror est animi, ac irriguus fomes, quo flores virtutum adolescunt, & fœcundi succrescunt earundem proventus; & quam lachrymæ cordis resipiscentis floridam promovent virtutum amœnitatem, gaudium etiam movent, excitántque in cœlis, quia ut ait D. Bernardus. Serm. 61. in Cant. *Delitia Angelorum lachrymæ sunt resipiscentium*, has Angelorum delicias, quas oculis pœnitens peccator propinat, Deus sitit ad nobile incrementum Angelicæ in cœlis lætitiæ.

90. Nil est, quod magis Angelos in cœlis delectet, quàm cordis in homine mundities post patrata delicta: & hanc munditiem lachrymæ adferunt, quæ conscientiam lavant, & concupiscentiæ rebellantis fœdas extinguunt flammas, quarum fumum cœlites exhorrescunt: hinc David ingemiscens nil avidiùs expetebat, quàm lachrymis iteratò ablui, inquiens. Psal. 50 *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* & subdens causam, cur enixim cuperet lachrymis lavari subdit. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper:* tametsi fle-

visset,

vissset, & imbre lachrymarum, quas peccatorum sordes contraxerat, abstersisset, adhuc cupit iterum lachrymis madere, quibus vestigia quæque abstergeret iniqoitatum, *ampliùs lava me ab iniquitate mea*, tametsi lachrymis conscientiam suam purgâsset, quia tamen adhuc peccatorum memoria mentem refricabat; aliud non petebat ulcerum lenimentum, quàm quod restpiscentis lachrymæ exhibent: quamvis sciret, peccatum sibi à benefica Dei munificentia condonatum, quia tamen oblivione illud non deleverat à lachtymis suppetias expolcit, quibus plenè deleatur, pulchrè S. Chrysostomus, inducens Prophetam Deum alloquentem, ac veluti in pictura mulierem, quam adulterio corruperat, respicientem ait: *Et peccatum meum contra me est semper: Ego illud video, tu Domine illud ne videas: Ego litteris mando, tu illud oblitera: vide enim, quid fiat, si tu illud memoria teneas, Deus è memoria abjecit. Si te illius oblivio capiat, Deus illius meminit. Ego enim sum, ait ipse per Prophetam, qui deleo iniquitates tuas, & earum non recordabor.*

Homil. in Psal. 50. post medium.

91. Non excidat peccatum à memoria peccantis, ut à mente excidat Dei miserentis; si quæ semel peccata patravimus, mente tristi eadem revolvamus ad pœnitentiam, illorum Deus obliviscitur, & plenè lavacro delentur lachrymarum: exponens enim D. Chrysostomus, quomodo obliterentur, quæ commisimus peccata, & quo sint instrumento delenda, subdit: *Peccata tua in libro scripta sunt, spongia autem instar sunt lachrymæ tuæ. Lachrymas mitte, & obliterantur; lachrymas mitte, & purus ille liber invenitur. Magna peccatorum spongia sunt lachrymæ.* Madeat hæc spongia, & doloris contritu abstergantur labes, quas cor nostrum contraxit iniquitatum; sicut spongia humoris bibula illum ad se attrahit, sensimque absumit; ita & lachrymæ ad se se flenda attrahunt peccata, quæ etiam absumunt, & obliterant, perinde ac spongia telam delet; in nostra siquidem conscientia, veluti in membrana lachrymæ, quas dolor elicit, peccata diluunt, peccatorem lavant, ac purè emaculant. O quàm salutaris est lachrymarum spongia, quàm idonea delendis criminibus, abstergendis sordibus, munditiei invehendæ; est enim hæc spongia malitiæ expunctio, & conscientiæ nuper squalidæ nitor putissimus: flenda peccata hæc spongia ad se attrahit, combibit, non ut foveat, sed diluat, & expungat.

92. Hac spongia usa mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix, omnes feliciter suas emaculavit, expunxit sordes, extersit maculas, lavítque labes, cùm ad Christum accessit importuna convivio, sed veniæ opportuna, & pudica inverecundè, piè impudens, & ne suarum libidinum fœtor convivas inficeret alabastrum attulit odoratissimi unguenti, licèt sponsi divini amore, quo intus æstuabat, pravam omnem deleret fœtoris suspicionem. Ingressa mulier domum convivij pedes quæsivit, non caput Christi; ut tandem disceret per recta ambulare vestigia, ut ait D. Augustinus. *Accessit non ad caput Domini, sed ad pedes, & quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat.* Lachrymas fudit, ut non solùm delicta posset lavare, sed & Verbi divini rigare vestigia; scitè D. Ambrosius. *Quàm bonæ sunt lachrymæ, quæ non solùm nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cælestis rigare vestigium, ut gressus in nobis ejus exuberent.* Et fortassis, cum lavisset Magister Christus suorum pedes Discipulorum, à suis tamen lavandis forsan studiò abstinuit expectans, ut & nos cum Magdalena eos lachrymis lavemus. si enim Christi pedes nostris abluimus lachrymis, recta nobis vestigia pandimus, per quæ in cœlum conscendimus, sed non solas debemus lachrymas fundere, sed & capillos diffundere; seu omnes excutere vanas cogitationes, ac mente pura pedes Christi abstergere, ut eodem & nos mundemur fonte, ut pulchrè S. Petrus Chrysologus expendens verba illa. *Et capillis capitis sui tergebat,* ait: *In peccatricis caput purgandis criminibus resinebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum:* prodiga erat hæc mulier in profundendis largiùs lachrymis; plenis siquidem lachrymarum rivulis ex oculis profusiùs profluentibus Christi pedes largiter irrigabat: sed in ipsa lachrymarum effusione tam pretiosas esse lachrymas experta est, ut illas, cum funderet, ac maculas extergeret, simul resumeret, *Capillis capitis sui tergebat, in peccatricis caput purgandis criminibus resinebat aqua.*

Homil. 18. & 50.

Serm. 94.

Quam laudabilis fuit in muliere furax 93.
hæc lachrymarum avaritia! lachrymas, quibus Christi pedes ablueret, largiter profudit, sed ne unam quidem perderet omnes in suum satagebat caput refluere; quatenus cum Christi pedes ablueret, proprias abstersit sordes, quas peccando in civitate contraxerat; aucto fœnore lachrymas solvit ad pedes munditiem suscepturа capitis; hoc amoris ingenio effusas ad Christi pedes lachrymas in suum caput refluere aucto proventu studuerat, ne fortassis unquam capiti suo fons deesset lachrymarum; quas & ornatui, sordibúsque abstergendis idoneas noverat: in caput suum refluere lahrymas è Christi pedibus sategit, quibus non ampliùs ad vanitatem, frontem concinnaret; sed ad pietatem caput exornaret: pretiosiora margarita virtute, elegantia, & pretio excedebant lachrymæ, quarum pretio Regnum ipsum cœlorum resipiscentes sibi comunt: mulier ad pedes Christi procumbens lachrymis eos lavit, & capillis capitis sui abstersit, quo in suum ipsius caput, fluenta

re-

refluerent lachrymarum; ne fortassis fons hic in capite exaresceret, in quod, ut perennaret, lachrymarum rivulos retorsit, reconduxit: exinde lachrymas capillis suis tersit, ut in suum ipsius caput unda reflueret lachrymarum, ne unquam cum Propheta
Jerem. 9. dicere adigeretur. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte.*

94. Fudit quidem lachrymas Magdalena pedes Christi ablutura; sed amantis mulieris avaritia, quas sparsit lachrymas capillis abstergens Salvatoris pedes, recollegit, ut unde venerant, refluerent; & sordes, quas in pedibus non invenerant abstergendas, in suo delerent capite, & quæ denata gratiæ erat, quià in civitate peccatrix, nata iterum gratiæ novo baptizaretur lavacro la-
Tract. de ablut. ped. chrymarum: pulchrè S. Cyprianus. *Usa est capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo: cor contritum erupit in lachrymas, fides lavit, charitas unxit: caput pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit, & tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit;* sed quomodo hæc mulier nihil sibi de se retinuit, sed se totam Christo impeodit lachrymis, tametsi lachrymas fuderit, quibus Christi pedes rigaverit, effusas tamen ex oculis lachrymas capillis iterum collegit; avara scilicet lachrymarum, quas ex oculis undas sparserat, sedulò capillitio bibulo resumit, & ad se attrahit; quo fons in se perennaret lachrymarum. *In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum.* Tametsi, quas sparserat pia avaritia, iterum lachrymas collegerit, nil tamen sibi de se retinuit, quia se totam, quæ antea fuerat peccatrix, à se prorsus abegit nil in se retinens de pristina labe, quod effusæ lachrymæ non abstergerent, ac delerent: cùm igitur nil de se ipsa peccatrice manserit post Christi ablutos pedes, nihil de se retinens, totam se Deo devovit.

95. Quis non lubens lachrymas fundat, ut per has aquas feliciter valeat cœlestem appellere portum? O quàm felix hæc navigatio, quâ animæ navigium ad litus cœlestis patriæ per undas fertur lachrymarum, quas nulli infestant pyratæ, cui nullæ nocent procellæ, nulli eas turbant fluctus, sed fletus serenant, ac perpetuam progignunt lætitiam? non enim luctus iste verum gaudium tantùm parat, verùm & sibi comparat; spargendæ hic sunt lachrymæ cum resipiscente Magdalena tanquam semina æternæ lætitiæ; si uberem gaudiorum messem velimus colligere, lachrymas seminemus, ait D. Chryso-
Homil. 66. ad populum. stomus. *Multam seminantes voluptatem.* Quàm felix est hæc lætitia, quæ suos beare hic incipit seminatores æterna donandos beatitate: jucundi sunt luctus, & lætæ lachrymæ, quæ veram advehunt lætitiam, verúmque inferunt gaudium; quis non dicat jucundos fletus, hilares lachrymas, lætantes luctus, cùm gaudium sibi emant immortalitatis, & quidem non alio pretio, quàm sui exhibitione. Non possunt non esse dulces lachrymæ, quæ omnis amaritudinis radicem, peccatum scilicet abstergunt; non possunt non inferre lætitiam, quæ tristitiæ, ac mœroris causam, scilicet culpam auferunt; non possunt non esse in summo pretio, cum earum solutione venale fiat cœli Regnum, & per earundem ondas ad beata cœlestis patriæ litora trajiciant resipiscentes. Pluviæ cœli deorsum ruunt terrarum tractus rigaturæ; sed terræ imbres, quos oculi effundunt resipiscentium sursum avolant in cœlum, ut semina æterni gaudij, sicut argutè observat. S. Chrysologus, ubi loquens de lachrymis Magdalenæ, ait: *En* Sermon. 93.
mutatur ordo rerum, pluviam terra cœlum dat: ecce nunc rigat terra cœlum: imò super cœlos, & usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lachrymarum: ut juxta Psalmistam, & de aquis fletuum cantetur illud Psal. 148 Et aqua, qua super cœlos sunt, laudent nomen Domini. O quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt. extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divinæ promulgationis sententiam.

Adeò potentes sunt lachrymæ, quas 96.
oculi resipiscentium fundunt, ut gehennalia ipsa extinguant incendia, rigent cœlum, terram diluant, deleant gehennam, & omnia retundant nequissimi hostis tela. Innoxia
Sara sævè divèxatur à Cacodœmone, qui Tobiæ 8.
septem ex ordine maritos luxuriâ incensos interemerat, eámq; fœdo hoc incendio involvere frustra moliebatur; potuit quidem Cacodœmon contra Saram pugnare, nunquam tamen eam expugnare; premere potuit, nunquam opprimere; tela in ipsam ejaculari, sed vulnus haud infligere: sed quo munita clypeo credas retudisse tartàrei hostis tela? non alio fuit duro calybe loricata fœmina, quàm mollibus lachrymis, quibus maduit. *Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lachrymata est:* in officina excultæ pietatis, lachrymarum udore sibi scutum conflaverat, quò faciliùs potuit ignea tela nequissimi hostis extinguere; sunt enim lachrymæ, quæ non solùm tela retundunt nequissimi hostis, verùm & penitus extinguunt; nec aliud est scutum, quo nos munitos vult Apostolus, quô possimus, ut ipse scribit. *Om-* Ad Ephes. 6.
nia tela nequissimi ignea extinguere, quàm
lachrymæ, ad quæ verba alludens Clemens In adhort. ad gentes.
Alexandrinus subtiliter ait: *Ignita mali jacula extinguamus aqueis à verbo tinctis cuspidibus*, quæ hisce lachrymis madent pectora, non solùm peccati fomitem extinguunt, sed & ignita hostis tartarei jacula retundunt: si aquea fuerit nostri pectoris lorica, seu lachrymarum udore conflata; non erit, cur nequissimi hostis tela debeamus ignea expavescere.

Fortes

97. Fortes sunt lachrymæ, hæ non solùm Saram, sed & Juditham munjêre, ut de Holopherne triumphos posset eò gloriosiores referre, quò imbellis mulier Præfectum totius exercitûs prosterneret: dederunt lachrymæ vim fœminæ, ut in tam magno discrimine castitatem servaret, ac pudicitiam incontaminatam tueretur; quæ in Principum cubiculis sæpe naufraga perit: *Lachrymæ*, ait S. Petrus Damianus, *contulêre Judith, ut caput abscideret Holophernis; & intra cubiculum luxuriantis illecebræ florem non amitteret pudicissima castitatis, & castissima pudicitia.* Non solùm incendia extinguunt lachrymæ gehennalia, & tela retundunt nequissimi hostis, verùm & cœlestem beatitatem eis spondent, qui lugent. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, est enim luctus ille non in mundo insipientium, sed in Deo resipiscentium: opponitur enim luctus ille futili mundi gaudio, sicut & lugentes ridentibus, ac mundana diffluentibus prosperitate; quibus ut beatis mundus quidem applaudit, sed Christus eis minatur æternum excidium, unde Augustinus ait: *Lugentes & beatos dicis? videlicet beatos in se, sed lugentes in re*, quasi dicat: qui luget, est extra se, & à se peregrinatur, & sui profugus, aut exul in re, qua angitur, luget; in se autem jucundè beatur, dum fletu flebilia declinat, cœlum oppignorat, ac beatum redimit gaudium, pulchrè Chrysologus. *Jucunda sunt lachrymæ, quæ gaudium emerunt immortalitatis.* Eant nunc mundi, qui gaudijs inhiant, sibique de suo risu eblandiantur; in rectè sentientis lance unicum unius resipiscentis suspirium, una unius amantis animæ lachrymula cunctis cunctorum mundanorum risibus, & exultationibus longè præponderat, plus enim veri gaudij ingerit una resipiscentis cordis emissa lachrymula, quàm fucatæ lætitiæ effusissimi theatrorum clamores, quibus mundi indulgentes voluptatibus delectantur: tanti ponderis est vel una lachrymula, quàm oculi emittunt resipiscentis, ut longè omnia superet deliciarum fluenta, & mundanorum gaudiorum plenum oceanum.

Opuscul. 19. cap. 12.

Matth. 5.

In Psal. 85.

Serm. 97.

Muniri solent urbium propugnacula profundis fossis, aquisque ijsdem incubantibus ad hostes, & adversarios arcendos. Muniamus, & nos propugnaculum cordis nostri hisce lachrymarum aquis; nil est, quod tartareus hostes magis exterreat, quàm hæc unda, quâ si cor nostrum madeat, non rident tartareæ legiones, sed procul ne insidias nectant, abiguntur; imò non solùm dœmones fugat, sed & eorum arma; flammásque gehennales extinguit. Cum in Persidem Dei populus capitivus duceretur, sacerdotes acceptum de altari ignem conturati sunt in puteo alto, & sicco. Redux verò post aliquot annos Nehemias cum Nepotibus sacerdotum ignem inibi quærunt, *& non invenerunt ignem, sed aquam crassam* cúmque jussisset eos haurire aquam illam, sibique adferri sacrificia; quæ jam parata erant, jussit Nehemias aspergi ipsâ aquâ. Idque factum cum fuisset, & tempus affuit, quo sol refulsit, *accensus est magnus ignis, ita ut omnes mirarentur.* Res sanè mira! quòd ex aqua crassa ignis accendatur? quænam fuit hæc aqua, quæ tam ignem magnum accendit, & quinam hic ignis, qui ex aqua redivivus renascitur? Putârim in hac aqua, quæ ignem accendit, aquam symbolicè adumbrari lachrymarum, ut scitè observat S. Macharius, qui suos in asceterio fratres ad fundendas lachrymas hortatus, ait, ut in ejus vita legitur: *Ploremus fratres, & producant oculi nostri lachrymas, antequam eamus hinc, ubi lachrymæ nostra corpora comburunt:* & hoc est lachrymarum totum mysterium, si enim oculi resipiscentium eas effundant, gehennam extinguunt; & quò uberiùs est hæc aqua effusa, eò vi etiam arcaniore tartareos adurit, torquétque spiritus, imò & damnatorum comburit, cruciátque corpora: acriùs enim infelicia damnatorum corpora ustulantur, cùm noverint potuisse, & ipsos hâc undâ gehennales suos ignes extinguere; & soccordi segnitie sibi consulere neglexerunt. 98.

2. Machab. 1.

2. Machab. 1.

DISSERTATIO XXVI.

Invidia præcoqua suppliciorum gehenna de alieno bono tabescit, se ipsam torquet, estque sui pœna, & culpa.

§. I.

Æquè Invidia tristatur de bono alterius, ac letetur de illius malo; estque propterea noxius odij fœtus, qui neminem tolerat sibi parem, vel superiorem.

1. INvidia ut putidus rivulus è fonte exitiali scaturit odij, cujus est fœtus ooxius, cui proprium est tristari de bono alieno, ut & gaudere de malo alterius; habet siquidem mens humana sublime quidquam, & ita erectum, ut aliũ se superiorem non patiatur, quasi qui se supra modum extollit, credatur alterum, qui inferior est, premere, ac dispicere. Idque causæ, cur in dignitate constituti, vel divitijs affluentes, vel honoribus supra reliquos affecti scopus sint invidiæ, quam ad se trahunt: nam hoc vitium eos torquet, qui ægrè ferunt alios sibi, vel pares, vel superiores; quia ab illis æquentur, & ab istis superentur: mens siquidem hominis præesse reliquis vellet, & nulli subesse; hinc invidet par pari, quia ei æquatur, invidet inferior superiori, quia illi non coæquatur, imò & invidet superior inferiori, ne sibi coæquetur; & in quemcunque suum invidia livorem evomat, se ipsam semper torquet, & invidentem excruciat: sitque propterea invidia sui vindex, eò quia priùs in propria sæviat viscera, quàm in proximi bona.

2. Quòd si reliqua vitia pœnam secum pedissequam trahunt; invidiæ solet pœna præire, quia invidus alienam felicitatem suum constituit supplicium, de alienis divitijs ipse pauperie affligitur; & de vicini pinguedine macrescit, adeò ut sit invidia simul noxa, & supplicium, quia invidus dum alteri invidet, plectitur, & dirè torquetur: quòd si ultrix pœna nonnisi à tergo alia sequitur vitia, supplicium invidiæ, vel associatur, vel eam præit, quapropter Aristoteles definit invidiam esse
a Rhetor. cap. 10. *dolorem ex eo, quòd similes aliquid boni adepti videantur, non ut quidquam sibi, sed propter illos:* quia invidus dolet, non quia bono careat, quod in alio cognoscit, quia his actus zeli potiùs esset affectus, & æmulationis effectus: neque dolet, eò quia quidquam eidem acciderit adversi, sed quia is, cui invidet, & potitur bono aliquo invidum æquat, vel superat.

3. Cùm invidia tristitia sit quædam animum torquens invidentis, necesse est, sit de malo aliquo, ut invidus agnoscat in bono alieno rationem aliquam sibi dissonam, ac derogantem; quæque propterea induat rationem mali; quapropter quidam confundentes æmulationem cum invidia, asserunt, hanc versari circa bonum alienum prout à nobis minimè participatur; nec nobis videtur bonum, quòd ab alio participetur, cui bonum tale invidemus: idque non alia de causa, nisi quia per ejus possessionem melius se habeat, quàm nos, vel saltem æquè benè, & quia satagimus eidem præeminere, ejus bonum apprehendimus, ut quid nostræ dignitati derogans, proinde ut quid induens respectu nostri rationem mali, qua sub ratione, invidia, & æmulatio dicuntur in illud ferri.

4. Cæterum si pressiùs velimus invidiam definire, ac intimiùs ejus naturam introspicere, versatur circa malum, quatenus bonum illud alienum, quo alia potitur persona, malum apparet invido, eò quia sit aliena persona ei exosa, censeátque propterea, talem personam indignam tali bono, vel quia intulit invido damnum aliquod, vel sit eidem illatura; idque causæ, cur eam sibi exosam habeat, déque illius bono tristetur, veluti de aliquo sibi malo; vel quia putet, posse bonum alterius proprium minuere bonum; vel derogare propriæ excellentiæ; quo pacto objectum invidiæ est semper aliquod malum, seu alienum bonum non simpliciter, sed prout connexam præsefert rationem mali proprij; quapropter Angelicus Doctor definit, invidiam esse 2. 2. Qu.
tristitiam de alieno bono, prout bono obest 36. art.
invidi, cujus excellentiam vel æquat, vel minuit, adeò ut alienum bonum, in quod

fertur

fertur invidia, apprehendatur ab invido, ut sibi noxium, non quidem directè, quasi quidquam ei auferat, sed quia aliena persona cui invidet, nimis splendeat, ac videatur obscurare personam invidi, qui propterea ex tali invidia intus torquetur, ac moltiplici dilaceratur cruciatu; ait D. Hieronymus. *Invidum secretis quibusdam conscientiæ ungulis ab ipso livore discerpi*; eò quia invidia ex aliena felicitate, patibulum sibi construit, quo torqueatur, & alienam prosperitatem propriam faciat miseriam, & tormentum: idque causæ, cur Philosophus velit, invidum dolere de alienis bonis, non ut quidquam sibi prosperum accidat; quia tunc invidia non esset, sed æmulatio: sed quia sunt bona eorum, quos invidus habet sibi invisos, & exosos: siquidem ex eo, quòd invidus odio habeat personam aliquam, tristatur, ex eo, quòd eidem bonum accidat; sitque propterea invidia odij frutex, si rem physicè spectemus; dimanat enim invidia ex odio, perinde, ac frutex à planta, effectus ex causa; quamvis si invidia moraliter spectetur in ordine ad rectam rationem, & honestatem, vel inhonestatem; ejusdem sint rationis odium, & invidia, pertineántque ad idem vitium: & id causæ, cur putent plerique, ad invidiam spectare etiam gaudium de aliena calamitate & pressura.

3. Verùm quia invidia tristitia est quædam, perspicuum est, hocce gaudium physicè spectatum longè diversum esse ab invidia. Quia tamen ejusdem inhonestatis est tristari de bono alieno, ac gaudere de malo alieno, rectè in genere moris, & vitij ejusdem dicuntur esse rationis, seposita physica diversitate. Physicè igitur dicitur odium invidiæ radix, tametsi affectus sit specie distinctus: affectus siquidem odij, & invidiæ se habent, sicut præmissæ, & conclusio; & sicut illæ fundant assensum conclusionis, à qua tamen specificè differunt, eò quia disparem sortiantur rationem formalem assensûs: pari pacto invidia cum tristitia, ad quam appetitus per odium terminatur, est in diversa specie physica ab odio: quia invidia tristatur de bono alterius, quatenus est bonum personæ, quæ odio habetur: odium verò avertit unam personam ab alia sub alia ratione; scilicet, vel quia nocuit, vel quia creditur nociturus: vel quia cognoscitur turpis, fœda, ac indigna, ut ametur. Licèt invidum pudeat suam prodere ægritudinem, & dolorem, quo torquetur; vultus tamen, qui index est animi, internum detegit livorem: etenim oculi arescentes tabidi intra palpebras, & excavatas, recedentes; supercilium contractum, ac demissum, aspectus aridus, & obscurus, gena subtristis, manuum explosio, angor cogitationum, crebra suspiria, tetricitas oris satis exteriùs produnt, quo intùs livore intima excrucientur præcordia. Invido acerba est mensa, focus subtristis, aures paratæ obtrectantibus, lingua expedita, ad illius detrahendum honori, cui invidet. Hinc virus, quod invidia intus cor rodens foras evomit, describens Ovidius, ait. 2. Metamorphos.

—— Monstri nunc audi, quæ sit imago,
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi movêre dolores;
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescítque videndo,
Successus hominum, carpítque, & carpitur unà,
Suppliciúmque suum est.

Antiquum est invidia in mundo malum cum suos natales ab ipso traxerit mundi exordio. Vix condiderat Deus Spiritus Angelicos, seu mentes à quavis materiei defæcatas crassitie, ab omni corporis concretione separatas, & in tres Hierarchias, seu principatus diviserat, ac in novem ordines, seu choros partitus fuerat: & in suprema Hierarchia *Seraphinos* collocaverat divinitatis amore ferventissimo flagrantes; *Cherubinos* scientiâ DEI profundissima splendentes; *Thronos* rebus pacatè continendis, & ut solium, sedémque quodammodo quiescenti Deo præbentes. In media Hierarchia *Dominationes*, adjuvantes cæteros Spiritus cœlestes ad gloriam Dei promovendam: *Virtutes* ordinatas ad corpora tuenda, promptásque, & expeditas ad opem largiendam Angelis inferioribus circa divinū obsequium occupatis: *Potestates* ad diabolicas irruptiones retundendas: & in infima, *Principatus* destinatos ad naturam universam humanam juvandam, veluti primos duces in hujus rei executione. *Archangelos* celsioribus nuntiandis, ac Provincijs ministrandis præfectos: & *Angelos* mittendos Nuntios ad homines particulares, eosdémque privatim dirigendos: & ita hos constituerat Angelorum ordines, ut superiores, mentes illuminarent inferiorum, cum ijsdem cogitationes communicarent, & affectiones: essentque omnes acerrima vi instructi intelligendi; & inflammata in amorem divinæ bonitatis voluntate, quibus accessêre egregia naturæ ornamenta & præsidia, potentia, scilicet, & robur admirandum: agilitas, ac celeritas incredibilis: imò & dona longè majora virtutum, & gratiæ, quibus constituebantur filij Dei, regníque cœlestis legitimi hæredes; cùm essent divinæ mentis veluti purissimæ quædam scintillæ de sempiterni Luminis accensæ facibus; quibus unicum 4

duntaxat defuit ad consummandam felicitatem, scilicet perseverantia, quam invidia interrupit; plures enim ex ijsdem sola invidia è summo cœlo in imum detrusit Tartari. Lucifer siquidem invidiâ stimulatus, ac interno torius livore iniquissimè tulit hominis dignitatem in æqualem gloriæ cum Angelis possessionem venturam, ac propterea stimulante invidiâ fuit Lucifer unà cum suis asseclis è cœlo depulsus.

7. Scindebatur tunc cœlum in factiones, seu mentes angelicæ in duos exercitus, sed pars melior, ac sincerior peracriter in Luciferianos irruit Duce prœlij Michaële, uno ex Seraphinis. Duravitque conflictus arbitro Deo, quoad ei visum est; non tamen jaculis vel hastis, aut gladijs, sed mutuis odijs pugnârunt perduelles, donec fulminante spectantis Numinis decreto, fulguris more præceps actus fuerit è cœlo Lucifer in Orcum unà cum suis commilitonibus; adeò ut cum incentore corruerint ejus asseclæ, seu pars tertia mentium Angelicarum. Ecce quales invexit, vel inter Angelos ipsos invidia calamitates; quot vel in ipso mundi exordio aperuit præcipitia. Invidia Luciferum obscuravit, & è venustatis miraculo, ex elegantię prodigio in teterrimum deformavit cacodæmonem, ex cœli splendore in gehennæ convertit titionem: unica invidia tot milliones Angelorum, nobilissimorúmque spirituum aulæ cœlestis principum in æstuantes ignibus præcipitavit voragines. Nec ullus pœnitentiæ, nec misericordiæ, nec gratiæ recuperandæ relictus est locus. Quis non ingemisceret obstupescens, si plures Regum, ac Imperatorum filios ob unicam invidiæ noxam securi videret subjici, & capite damnari? & nullæ essent preces, quæ Reges, vel Imperatores ad clementiam flecterent; nullæ lachrymæ, quæ duritiem emollirent? Quid ni ait Zacharias. *Quia ceciderunt Cedri, non ululet Abies?* Cap. 11.

8. Quia invidia sui vindex priùs propria sævit in viscera, & est præcoqua suppliciorum gehenna de alieno bono tabescens, est sui culpa, & pœna; secum trahit supplicium, à quo, quia non sejungitur, est eadem sibi supplicium, & scelus; idque causæ, cur lachrymæ, nec preces avertere, ac sejungere ab invidia supplicium possint: alia vitia ultrix pœna à tergo sequitur, sed huic præire etiam solet, ait Christus. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Luc. 10. Ecce quàm noxia fuit Lucifero invidia, quem repente è summo cœlo fulguris instar in imum detrusit tartari, lapsus Luciferi fulguri pariatur, tum propter volocitatem descensûs, eò quia momento ruat; tum propter brevitatem lucis, cùm vel in ipso ortu extinguatur, & unà cum casu in tenebras convertatur. Inter homines si superbia primum, seu Adamum ejecit extorrem è paradiso: invidia secundum, seu Cainum infecit, torsit; adeò ut vel in sua primæva mundi infantia invidia adoleverit, neque inter fratres secura fuerit innocentia; nec inter sacrificia tuta pietas; neque inter oblationes indemne obsequium: invidia secundi hominis aras profanavit, sacrificia fœdavit, & ipsum immolantem victimam constituit immolatam non Deo, sed invidiæ; quæ religionis, & naturæ violatæ rea in fraternum sanguinem audax, in uno Abele tertiam hominum partem trucidavit; adeò malignantis est invidia naturæ, ut mundus totus alioquin hominibus vacuus, duos non valuerit sine livore fratres capere, invidiam altero fovente.

Erat Abeli jam à teneris indoles comis, placida, placabilis, & mansueta, observantiam in fratrem servavit, in patrem, & matrem reverentiam, ut & in Deum religionem, cui quoties per victimas supplicavit, quidquid optimum, maximúmque in gregibus, ac frugibus possideret, in sacrificium Numini offerret; cum Cainus nonnisi perfunctorius in cultu Dei deteriora dedicaret, & quia ob discretos utriúsque divinitatis cultus, discreta fuerunt prœmia consecuti, ideo super Abelis victimas divinus ex altu favor perpluit, & ejus immolatis, priùsquam humana manu subderetur ignis, cœlestis flamma submissa victimas concremavit; hícque cœlestis favor cum Caino non obtingeret, fraterna felicitas invidiam accendit, livorem excitavit, odium peperit, quo Cainus clandestina detestatione Abelis cœpit internecionem moliri, omnésque posthac victimas contumaciter ejurare; & quam in pectore fovebat invidiam, mœrore vultûs, tristitiâ frontis, & capitis dejectione innuebat: & cum cœlestis favor, quo Deus sacrificia Abelis prosequebatur, ansa debuisset Caino esse resipiscendi, ac paribus officijs Numinis gratiam sibi demerendi, teriori mœrore, odio, ac invidia in fratrem contabuit; cujus cædem peracturus prætextu amicitiæ Abelem nil sinistri suspicantem in agrum pertraxit, ubi sceleris aggrediendi nactus occasionem, fuste caput priùs innocentis fregit, mox pectus percussit geminatis plagis, donec animam efflaret. 9.

Ussit Cainum ignis è cœlo delapsus, & 10.
unde concipere debuisset scintillas pietatis, flammas arripuit livoris, odij, & invidiæ; torquetur corde, & excruciatur animo ob fratris felicitatem, suspirat, fremit, & cædem anhelat; primósque morti in mundum aditus per vulnus facit fraternum. Infelix fuit Cain non proprijs malis, sed alieno bono, ex mœrore, odio, ac invidia in Abelem fratrem contabescens, internos cruciatus prodebat externi vultûs dejectione. *Dixitque Dominus ad eum: quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Genes. 4. v. 6. nimirum prius quàm fraterno sanguine proprias fœdaret manus, jam undabat felle pectus; pallor sedebat in ore, tremor in labijs, stridor in dentibus, macies in corpore, mœror in fronte, tristitia in oculis, & tabificum venenum in totis visceribus: quia quod est vermis ligno, rubigo ferro, tinea

vesti.

vestimento, hoc est invidia animo; quæ totius orbis latitudinem primis fratribus angustam effecit; non enim quid aliud tantas in Caino invidiæ faces accendit, quàm eximia fratris virtus, divino comprobata testimonio.

11. Id improbis proprium, lucem odisse virtutis, quâ alij splendent; quemadmodum vespertiliones, & nocturna animalia solem formidant, diémque aversantur serenum, & splendidum, & ad primam ejus ortum stupent, & timore alienæ lucis abduntur in sylvis: ita & invidi alienæ virtutis non patiuntur nitores, quibus feriuntur, cruentantur, & quos propterea aversantur; & virtutis lucem, quam non capiunt, carpunt; in id enim incumbit studij invidia, ut virtutis candorem denigret, splendorem infuscet, nitorem extinguat illustrium virorum nominibus vitiorum; temerarium enim vocat, quem fortitudo commendat; degenerem à nobili spiritu, quem modestia componit; superbia inflatum, quem magnanimitas ad præclara agenda stimulat; versipellem, quem prudentia cautum constituit: neque à lividis hisce dentibus ulla est in orbe tuta virtus; neque ullum est propugnaculum, quo quis potis sit se ab hoc hoste tueri; nullus clypeus, quo ejus telâ retundat; nullum alexipharmacum, quo ejus venenum excutiat; imò nullus est secessus, ubi virtutum ornatus delitescat, quem invidia non ingrediatur; nullum montis jugum, quod non conscendat; nullæ sylvarum latebræ, quas non penetret.

12. Lividis, ac venenatis invidiæ dentibus obnoxij sunt omnes homines, sive in Republica virtute, ac dignitate cæteris antecellant; sive in Academiis ingenij gloriâ supra alios splendeant; sive in asceteriis virtutum culturâ supra cæteros emineant; sive in eremo, & solitudine mores instituant, componántque Angelis similiores, quàm hominibus, quia ut cecinit Poëta

Summa petit livor perflant altissima venti.

Reliqua vitia certo alicui bono adversantur, sed hoc omnium bonorum est inimicum; totámque rerum omnium pervertit naturam, quia in optimum quemque, ac præstantissimum suos exacuit invidia dentes, & quidquid in omni genere laudis, ac virtutis eminet, corrodere satagit; & quæ cæteris sunt sublimiora deprimere adnititur. Hinc invidia ferale est monstrum, quod divinæ etiam adversatur bonitati, cui cum proprium sit omnia bona sua communicare, id invidia ægrè patitur: contrariatur statui beatorum, qui aliorum felicitate, perinde ac sua potiuntur: fremit contra Christianam charitatem, eò quia de bonis etiam inimicorum lætetur: & leges totius naturæ adnititur delere, eò quia nos edoceant omnia bona, quæ possidemos etiam alijs exoptare: & sicut ophthalmiâ, seu vitio oculorum laborantes, torquentur, si aliena videant, (est siquidem ophthalmia vitium, quo rubet oculi pars candida, ac cilia extolluntur, quo fit ne possint sine dolore conjungi palpebræ) ita invidus non sine dolore, & cruciatu alinam videt felicitatem, quam adnititur venenoso suo dente corrodere, ac corrumpere: & sicut hoc vitium reliquis omnibus est deterius, ita reliqua omnia præcessit; & non solùm primos homines ejecit è paradiso; verùm & mala omnia accersivit in mundo, & morti ipsi aditum stravit, januámque adaperuit.

Produxerat rerum Conditor Deus primum hominem, quem Adamum vocavit, ex cujus sopiti costa etiam Evam vitæ, thorique consortem effinxit: in alimenta mensam apparavit amplissimam, totum scilicet terrarum orbem, fructibus diteícentem, & ad culmen felicitatis impressit ijsdem imaginem sui, impertijtque animum morti minimè obnoxium, quem ornavit virtutibus tum naturalibus, tum quæ limites excederent naturæ; scientiarúmque notitiâ erudivit, & gratiam addidit, quâ vel ab ipso ortu Deo grati, justi, amici, familiares, imò & filij constituerentur, dedítque corpus vividum, robustum, nullo morborum vitio infectum, nullo corrupto humore tabescens; sed sanum, succo vitali vegetum, membrorum omnium compage, sensuúmque perfectione absolutissimum, eximia itidem venustate præditum, nulli vulneri, nullíque ægritudini, ac dolori obnoxium, imò nec morti. Adjecit innocentiæ primigeniæ beneficium, seu spiritum liberum, suique arbitrij, cui affectus omnes utriúsque appetitus concupiscentis, & irascentis obsequerentur, & ut tamdiu essent hac felicitate donandi, quamdiu fuissent unico duntaxat Dei præcepto obsecuti: ea siquidem munera, ac primæva ornamenta tali obtinuerunt Protoplasti pacto, ut si in Dei obsequio perseverarent ea posteris suis veluti hæreditate transfunderent, sin verò divinum essent mandatum transgressuri, quidquid bonorum, & dotium erat ijsdem impertitum ex Numinis munificentia amitterent, tam sibi, quàm suis posteris; séque cum omnibus à se genitis, vel gignendis in moriendi deturbarent necessitudinem. 13.

Verùm sicut invidia cœlum in factiones scidit, mentésque angelicas infecit, quæ Lucifero coriphæo præcipites è summo cœlo in imum fuêre Tartari detrusæ: ita & primos homines è primigenia deturbavit felicitate, & extorres è paradiso exclusit: cùm enim jam dudum invidia suo livore cacodæmonem torqueret, qui hominem pati non poterat tanta felicitate, rantisque donis, ac prærogativis in terris donatum, serpentem animal omnium sagacissimum ingressus eum artibus sibi notis vocalem effecit; qui arbo- 14.

ri scientiæ boni, & mali genitrici circumvolutus Evam illac perambulantem expectavit, quam & mirâ sermonis illecebrâ illexit, & in sua vota inflexit; suasitque, ut vetiti pomi dulcedinem gustaret; & cum mulier Dæmoni annuisset ad maritum cucurrit, cui vim pomis illis insitam, ac dulcedinem, promissámque scientiam laudavit, eúmque pellexit; donec & ipse avido dente pomum morderet prohibitæ arboris, & quia maluit Adam Deo, quàm uxori displicere, momordit oblatum pomum, & cum ipso mortem deglutivit; & tunc cùm antea non vidissent propriam nuditatem, oculos cœperunt aperire; séque spoliatos noverunt primigenia innocentia, ac cæteris ornamentis, quæ supra naturam in Protoparentibus splenduerant.

15. Ecce quot damna invexit invidia; non solùm mentes angelicas è cœlo exclusit, & in oreum detrusit; verùm etiam homines è paradiso ejecit, & in baratrum omnium calamitatum, ærumnarum, ac cædium detrusit. Fuit hæc cacodæmonis invidia, quæ omnia scelerum portenta, supplicia, calamitates, ærumnas, morbos, dolores, cruciatus, & mortem ipsam in terram vocavit: hæc invidia causa fuit, cur in cœlo nunc cudantur fulmina, accendantur fulgetra, obstrepent tonitrua, ruant grandines, excitentur procellæ, & turbines. Est igitur invidia malum vetustum, malorum omnium origo, fons calamitatum, radix dissidiorum, occasio cædium, sæculorum venenum, antiquum virus, causa primi funeris, felicitatis deturbatrix: hæc enim Angelos cœlo ejecit, primos homines paradiso exclusit, & prima cæde fraternam manum cruentavit. Seitè D. Gregorius Nyssenus: *Invidia est malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium, mucro reconditus, telum lethale, flamma cordis, ignis intestinorum, pectoris tortor, & supplicium invidentis.* *in vit. Moys.*

§. II.

Miser est invidus, quem non solùm mala propria, verùm & aliena bona miserum esse adigunt; & eò miseriorem, quò aliena felicitas crescit uberior.

16. NUlla funestior in orbe pestis invidiâ, quæ rudem adhuc, ac virginem mortem erudit. Quòd si Adam mortem induxit superbiens, Cain invidens eidem primus omnium januam aperuit; flamma siquidem cœlitùs depascens Abelis victimas livorem excitavit in Caini pectore, & obstetricante invidiâ exarsit furor, foras erumpens in exitium innocentiæ à Deo honoratæ, & invidiâ stimulante hominem occidit, ut Numen irritaret. Primus ex Adamo natus, mortem primus mundum edocuit. Primus filius, primus & malus frater fuit, primus homicida, imò & quod scelestius, primus parricida, fratrem enim per invidiam occidit, ut si fuerit superbia mortis genitrix, foret invidia obstetrix, Cain intus invidiâ tortus, ne fraternæ victimæ Numini forent gratiores, victimam effecit fratrem, séque primum scelerum institorem fecit: & quamvis horreret mors expiandis sceleribus nata, primos tamen aditus per cæsi fratris vulnera, cruentósque hiatus invidia aperuit, quæ tertiam in hominibus orbis partem orbavit uno ictu, quo fratris jugulum fregit. Quid invido miserius? quid scelestius? quid injustius, ac funestius? miser est invidus, quem non solùm mala propria, verùm & aliena bona miserum esse adigunt: scelestus est invidus, cùm non minus suis doleat malis, quàm alienis bonis; injustus est invidus cum mala appetat aliena, nec propriis gaudeat bonis; & propterea ulcus invidiæ difficilis est curationis, cùm suam, ex alieno bono originem trahat, quam nec impedire, nec delere valet; quò fit, ut hæc animi ægritudo Medicum non admittat, & medicinam spernat. Cui enim caput dolet, vel morbo aliquo divexatur suam Medico aperit ægritudinem, pharmacum eidem depellendæ opportunum suscepturus. Qui verò invidiâ ægrotat inverecundo quodam pudore erubescit, Medico propriam aperire ægritudinem, & pessimi morbi qualitas naturæ ipsi repugnant. Nemo est, qui dicat: angunt me proximi bona; aliena felicitas me dirè torquet, fortuna alteri arridens me crudeliter divexat; & licèt hæc vera sint, erubescunt tamen invidi hæc fateri, quos non tam proprium malum, quàm bonum alienum affligit, ideóque fit malum proprium incurabile, quia alienum bonum nequit coërcere, nec impedire; non enim quia invidus malus est, cessat alius bonus esse, nec potest sibi salutem parare, cum de salutis materia faciat sibi perniciem. Hinc D. Chrysostomus ait: *Invidia pestiferum est malum occultum curari detrectans, hominem in diaboli conditionem, ac in Dæmonem immitissimum convertit. Per eam mors venit in mundum, propter ipsam Abel est interemptus, David cædis periculum subiit, & Judæi Christum interfecerunt. Invidi adversa aliorum fortuna, & scarabæi alieno stercore nutriuntur:* ait enim S. Cyprianus *Judæi inde perierunt, quòd Christo maluerunt invidere, quàm credere,* & postea addit: *Mala cætera habent terminum: invidia autem est malum jugiter permanens, & sine fine peccatum. Quantóque ille, cui invidetur successu meliore profecit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata* *in Homil.* *Sermon. de livore.*

convi-

convicia, manus ad cadis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua, odio tamen futuræ cadis armata. Non solùm invidia in homines, quos nulla sanguinis necessitudo nectit, dirè furit; verùm etiam inter ipsos germanos: siquidem ut solus Regno potiretur fraterno sanguine nascentis urbis mœnia fœdavit Romulus teste Floro *lib. 1. cap. 1.* Et si Statio credimus, solium unicum angustum fuisse Thebanis fratribus Ethocli, & Polynici, eorum restantur rogi in funere discordes. Quin & totius orbis latitudinem primis in orbe fratribus adeò coarctavit invidia, ut unus pati alterum non valuerit.

Lib. 12. Theb.

17. Neque alius ignis odij faces accendit in Josephi fratribus, quàm invidia: *Videntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Fecitque ei tunicam polimitam*, seu ut legunt septuaginta Interpetes *variegatam*, vel ut legit Aquila *tunicam talarem*, vel ut vertit Symmachus *tunicam manicatam*, quæque ad talos usque descenderet, & manibus artificis mira esset varietate distincta, atque in pignus amoris Jacobus filio suo donavit tunicam hanc discolorem, seu diversis variegatã coloribus, quæ non levis causa invidiæ erga fratres fuit; ægrè enim tulerunt, quòd elegantiore veste Josephus ornaretur, proinde videntes quòd à Patre plus cæteris amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Nequivit Jacobus sui flammas abscondere amoris; splendor enim flammæ se ipsum prodit. Ex fumo, qui rectior in cœlum ex sacrificio ab Abele Numini oblato dirigebatur, conjecit Caia Dei specialem in Abele amorem, ac favorem, ut nonnulli opinantur: & sicut ex fumo conjecit Cainus amoris flammam; ita ex veste polymita, seu variegata, & cæteris elegantiore conjecerunt cæteri filij Jacobi specialem amorem in Josephum; lincæa solet invidia esse, affectus introspicit aliorum: *videntes quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum*, doluerunt enim præferri sibi fratrem natu minorem, & quem prædilectum vident odio persequuntur.

Genes. c. 37. v. 4.

18. Neque Josephus quidquam intulerat damni fratribus, nec in minimo eosdem læserat, ut in eum sævirent fratrum tum odium, tum invidia. Sed impensus Jacobi patris in unum Josephum filium amor stimulos ad odium suppeditavit reliquis filijs, qui tunicam polymitam, cæterisque elegantiorem videntes in fratre minore natu, cœperunt invidiæ corrumpi livore, ejúsque venenatô dente corrodi. *Nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, quia lingua, quam livor invidiæ inficit, etiam à communibus desuescit salutationibus. Fuit Josephus Patris sui Jacobi ocellus, ac delicium, eò quia in senectute eum genuerit. Sexdecim erat annorum adolescens, cùm in odium incidit, & invidiam suorum fratrum, nonnisi innocentis sanguine extinguendam. Odium excitavit incusatio criminis nescio cujus, pessimi tamen, ut sacræ loquuntur paginæ, cujus ipsi ad patrem à Josepho erant delatis exulceravit enim hæc accusatio fraternos animos, qui lethali odio cœperunt in eum contabescere: *Accusavit autem Joseph fratres apud patrem de crimine pessimo*, seu ut nonnulli interpretantur, eò quia assiduis diem litibus, ac rixis prodigerent; vel ut alijs placet, quia Numinis immemores verecondiam non haberent, ut pene in bestias degenerârint.

Genes. c. 37.

19. Invidiæ verò fomes triplex fuit, vestis polymita, & duplex imago ei per somnium objecta, seu duplex somnium agreste unum; & cœleste aliud; cúmque ipse de sua innocentia alios metiens puerili candore aperuerit fratribus se per quietem vidisse, se & fratres suos ruri colligare manipulos, & suum duntaxat manipulum ex illis stetisse erectum, ac vidisse eundem à fraternis manipulis circumstantibus adorari somnium hocce invidiam excitavit fraternam, quam auxit secundum somnium, quod itidem aperiens dixit, *vidi à sole, & luna, ac venerabundis undecim syderibus me coli.* Quas narrationes reliqui fratres intolerabilem arrogantiam interpretantes indignabantur, eò quia puer inter viros auderet dominatum affectare. Quamobrem invidorum oculos ussit tum vestis polymita, seu togula multicolore filo eleganter contexta, quam Josepho fieri parens curauerat, ac ferendam dederat in tesseram specialis amoris: tum duplex somnium agreste unum, cœleste aliud à Josepho fratribus narratum: *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum invidiæ, & odij fomitem ministravit:* Est invidia felicitatis pedissequa, & veluti umbra, quæ obscurare illã adnititur; licèt splendoribus felicitatis alatur invidia, veluti viperinus fœtus matrem dilacerat: responderunt fratres Josepho somnia sua enarranti: *Nunquid Rex noster erit, aut subjiciemur ditioni tuæ:* in enarratis somniis Josephi felicitatem, & præeminentiam agnovêre, ideóque adnixi sunt eandem evertere, ac mendacij fratrem redarguere, quasi dixissent; ex arrogantia somnij mendax convinceris, ut notat Abulensis: *dicentes quasi eum mentiri, & fingere somnia:* nimirum quem indignum sceptro ostendere satagunt, mendacẽ dicunt: mendax enim à gloria dejicitur nobilitatis, & à throno excluditur Regni, ac in miseram detruditur servorum conditionem, quia ut ait Salomon; *Non decet Principem labium mentiens,*

Ibidem.

Proverb. 17. v. 7.

20. Itaque probaturi fratres, Josephum Somniatorem neque in Regem, neque in Principem posse unquam eligi, mendacii redarguunt, dicentes ut ait Abulensis *quasi eum mentiri;* ut in cœtum eum detrudant

servo-

servorum mendacij labe infectum, ac sycophantam deprædicant. Ecce fraterna invidia, quàm livido dente Josephi mordet, ac corrodit felicitatem, quàm funditus evertere satagit? aureos Josephi mores denigrare adnituntur fratres, dum mendacem produnt: siquidem mendacii reus virtutum omnium destituitur supellectili, ait Salo-
Prov. 12, mon: *Qui mentitur testis est fraudulen-*
v. 17. *tus*, seu ut legunt Septuaginta Interpretes *testis est dolosus*, sub dolosi autem nomine tota series comprehenditur iniquitatis, quia ut scitè ait D. Chrysostomus, *dolosi dicuntur, quia nihil recti, aut sani in pectore gerunt*; adeò efficax est mendacij pestilens contagium, ut totiùs honestatis corrumpat decora, obliquet rectitudinem morum, totúmque hominem veneno inficiat iniquitatis, ac veneno aspergat proterviæ, quo virtutum omnium delet ornatum. Neque virtutum omnium supellectile putes mendaces solùm destitutos, sed vitiorum etiam omnium labe aspersos.

21. Hinc de impijs graviter conquestus David eorum depravatos mores ad unguem descripturus ait Psalm. 11. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*; hoc est viri mendaces, omnem à se veritatem excussêre, & quid sperandum, nisi ut vitijs omnibus sit cor eorum illitum? est siquidem mendacium veluti magnetica imbutum vi, qua cætera ad se attrahit vitia, quapropter ait Euthimius: *Mentiuntur assiduè ut fallaces, & inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni*: & revera malignantur, qui mendacijs assuescunt; imò nullum est scelus, quod in officina mendacij non cudatur, quia mentientes inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni.

22. Hinc infamiæ nota mendax inuritur, quin & inter scelera, quæ infamiâ depravantur primatum sibi mendacium comparat: un-
Eccles. 20. de Syracides: *Potior fur, quàm assiduitas*
v. 27. *viri mendacis*. Quòd si leges civiles infamiæ notâ fures inurunt, adhuc longè gravius est mendacij dedecus; furtum enim si mendacio comparetur decus potiùs esse videtur; *Potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*, quia ut scitè expendit Eutimius: *Furi præter opes cætera fidere possumus, mendaci nihil*; hoc est, si furi præter opes, reliqua committas, eum deprehendes tibi fidelem; mendacijs verò effutiendis assuetum, non tantùm circa opes, verùm & circa reliqua omnia invenies fallacem; sitque proptereà eò infamiæ proximior, quo à fide est remotior. Ecce quo rabido, & canino dente momorderit fraterna invidia Josephi præeminentiâ somniatâ, quam ut funditùs fratres everterent, mendacij notâ eum innsserunt; crudeliores se exhibuêre in Josephum dum somnia confingere, & mendacia construere edicunt, quàm dum Ismaelitis postea vendiderunt in servum: siquidem venditus ærumnis duntaxat corporis subjicitur, sed dum mendacij redarguitur animæ constituitur
occisor: *Os, quod mentitur occidit animam*, Sapient. 1.
hoc est sui efficitur carnifex, & in se ipsum v. 11.
sævit, qui mentitur; quapropter occisorem animæ produnt fratres Josephum, dum mendacem asserunt: non potuit invidia pestilentius, ac nocentius evomere venenum ad corrumpendam somniatam Josephi felicitatem, ejúsque deprimendam eminentiam: ait enim D. Ephrem. *Versutus, & versipellis est homo mendax.*

23. Nullum est mendacio majus in anima vulnus, nullúmque dedecus gravius. Si fraterna invidia Josephum cruenta cæde interemisset, corpus duntaxat occidisset, & invidos sceleris parricidos effecisset; sed dum mendacem deprædicavit, in ejus animam desævit, seu in nobiliorem hominis partem: quos sanguinis necessitudo arctiùs jungit, eos invidiæ morsus crudeliùs dilaniat; & plerumque invidiæ rabidis dentibus magis obnoxij sunt, quos fraterna charitas deberet jungere, quam quos nullum amicitiæ vinculum nectit. Eisdem uberibus plerumque lactantur cognatio, & invidia, quæ inter Cainum, & Abelem nata, inter fratres enutrita fuit; inter quos & adolevit, *Est invidia*, ait D. Petrus Chrysologus, *quæ pugnat adversus domesticos*, quia Josephus ea, qua erat innocentia insignitus fratribus suis somnia enarravit, eorum in se livorem acuit, &
Cant. 1. v. 5. invidiam excitavit. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*. Sed quæ fuit hæc dissidij causa, quódnam crimen patravit sponsa, ut in se unam fraternas moverit iras, & manus in suam armaverit perniciem? non ullius fuit rea criminis; sed quia fuit cæteris prælata, aliorum invidiam, & livorem in se acuit: *posuerunt me custodem in vineis*, & ideo filij matris meæ pugnaverunt contra me: quia ad regimen vocata fuit, ipsa prælatio in crimen vocatur, quia prælaturam, quam vident fratres in sorore odio prosequuntur. Persæpe quos experimur extraneos, sentimus benevolos; fratres verò habemus infensissimos; si invidia eos pungat, ut fratres pupugit Josephi, cùm ijsdem somnia enarravit sua;
Genes. c. 37 *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum invidiæ, & odij fomitem ministravit*; fraternam non incurrisset Josephus invidiam, nisi felicitatem, & præeminentiam somniâsset, ubi se fortunatiorem fore prædixit; odij pariter, & livoris se scopum constituit, ait enim D. Cyprianus: *Acriùs divitibus, quàm pauperibus fratribus, quàm exteris invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva bonorum*. Fraternum exuerunt amorem, dum Josephum se ipsis majorem intellexerunt futurum, quia ut scitè ait D. Hieronymus: *Difficile est facta gloria virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas.*

24. Odio, & invidiâ Josephum fratres prosequebantur, quia futurum sibi præcellentem audierant: sed dum livore innocentem carpunt, ipsi semetipsos livore discerpunt,

mor-

morſúque viperino propria priùs corrodunt viſcera, quàm aliena tangant, ſcitè D. Gregorius Nazianzenus : Orat. 27. *Solus ex omnibus affectibus iniquiſſimus ſimul, & æquiſſimus invidia eſt ; iniquiſſimus quia bonis omnibus adverſus eſt ; æquiſſimus quia dominos ſuos vexat, & conficit.* Nullum ex vitijs eſt, quod arctiùs legibus inhæreat juſtitiæ, quàm ipſe livor, quem intus invidia evomit ad viſcera corrodenda, promeritas enim illico pœnas exigit proprij ſceleris, quod juſtum æquúmque eſt, pulchrè D. Proſper : *Invidiâ nihil juſtius, quia protinus authorem perimit, & excruciat*, & ut ait Seneca de reliquis vitijs, *Malitia maximam partem veneni ſui bibit*, ſed invidia integrum ſuum haurit venenum : totum, quem invidia livorem effundit, in proprium aſſumit ſupplicium, quo eò diriùs intus torquetur, quò ſe exteriùs non effundit.

25. Qui hoſtium viſcera transfoſſa cupit, livore hoc infecta deſideret ; ſiquidem invidiæ mucrone ſe ipſum invidus interimit ; dum invidiam concipit, gladium in ſe acuit ; & dum ejus effundit intus livorem ſe ipſum cruentat. Hinc David ſuos gladium in hoſtes noluit ſtringere, ſed petijt ut proprio ſe ipſos gladio jugularent, *Gladius eorum intret in corda ipſorum :* nimirum invidiam impijs imprecatur, quia quos invidos ſupponit, gladio putat transfixos ; ait Lib. 3. de morte. Idiota : *Invidia eſt gladius Goliæ, qui proprium Magiſtrum occidit ; quia invidi antequam alios interficiant, invidiæ gladio torquentur, ut meritò dicatur gladius eorum intret in corda ipſorum.* Vocat invidiam Goliæ gladium ; quia quo Gigas gladio paraverat Davidem occidere, eodem ipſe jugulatus fuit ; invidia enim invidum torquet, ferit, excruciat, & enecat.

26. Viperinus eſt invidiæ livor, cùm in propriam ſæviat genitricem ; quæ dum livorem parit, ipſa perit. Divitijs noverant Genes. 26. v. 14. Palæſtini Iſaacum affluere : *Ob hoc invidentes ei Palæſtini omnes puteos, quos foderant ſervi Patris Iſaac Abraham, illo tempore obſtruxerunt implentes humo.* Sed cur cùm Palæſtini ex iiſdem puteis aquas haurirent ad ſitim extinguendam, mox eos exſiccant, & ſibi ſubtrahunt ſiti refrigerandæ ſolatium ? Invidia tunc torquebantur, eò quia Iſaaco pinguior arrideret fortuna, ideóque invidi effecti, quo Iſaaco ſubſidia auferant, ſibi nocent, ac damna inferunt, quia alienæ invident felicitati, pulchrè Lippomanus : *Puteolos obſtruunt utiles tam ſibi, quàm alijs ; non curant, ſui noceant, tantùm ut invidiæ zelo ſatisfaciant*, ecce ſolatia ſiti extinguendæ in puteis parata, ſibi Palæſtini ſubtrahunt : & ſiti æſtuare malunt, & ſe ipſos torquere, quàm ut Iſaacus & ejus familia, ac pecora inveniant, quò ſatisfaciant ſiti, ejúsque extinguant æſtus : ecce proprio ſe gladio cruentat invidus, & livor arma ſua in invidum acuit, quem vulneret. O quàm lethale eſt invidiæ venenum, quod viſcera etiam corrodit invidentis ! apud Geraræ fines favente Numine, auſpice cœlo opulentior factus fuerat Iſaac : putáſne plauſus, an ſibilos deberet inde ſperare ? putáſne à finitimis populis eſſet encomijs excipiendus ? Cum antequam tot divitijs afflueret eſſet amicitiâ devinctus Abimelecho, mox invidia vinculum diſrupit charitatis, juſſitque Rex Abimelechus Iſaacum procul abire è ſuis ditionibus : *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus eſt valde*, Genes. 26. v. 16. cùm primùm pinguior fortuna Iſaaco arriſit, invidia in Abimelecho nata amicitiam abegit, & livorem effudit, quo Abimelechi viſcera torqueri cœperunt ; cùm primùm cœpit Iſaacus divitijs affluere in diſcrimen ſe injecit, grave aliquod damnum ab invidia incurrendi Abimelechi ; quia ſi eò tutior, quò pauperior ; mox periculo magis obnoxius, quia potentior ; ſcitè Chryſoſtomus : Homil. 52. in Genes. *Neque Rex, qui in tanta poteſtate erat, invidiam continere poterat, ſed dixit : abi à nobis, quia potentior nobis factus es ;* nullum eſt pectus adeo illuſtre, quod ſuo invidia livore non corrumpat, nulla dignitas adeò clara, cujus ſplendorem invidia non denigret.

27. Quinimo invidi veluti veſpertiliones alieno cæcutiunt ſplendore, & libentiùs ferunt res proprias minui, quàm famam augeri aliorum ; propriæ faciliùs ſubeunt detrimenta felicitatis, quàm alienæ patiantur incrementa proſperitatis : accenſus zelo Chriſtus, eò quia videret templum emporium factum, & domum orationis verſam in forum negotiationis, manus funiculis armavit, ut opprobrium illud excuteret, ac foras abigeret. *Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*, Matth. 21. ubi Abulenſis ait : *Sciendum quòd iſti nummularij erant poſiti à ſacerdotibus, & de familia ſua, ut ipſi iſta lucra exercerent, quia avari nimis erant.* Quæſt. 67. Sed interim pueri Hebræorum Chriſtum laudibus proſequuntur, & publicis acclamationibus excipiunt, canentes *Hoſanna filio David*, ſed expendendum eſt, quod ſacer textus ſubdit num. 15. *Videntes autem Principes ſacerdotes, & Scribæ mirabilia, quæ faciebat, & pueros in templo clamantes, & dicentes Hoſanna filio David, indignati ſunt, & dixerunt, audis quid iſti dicunt ?* De lucro amiſſo non conqueruntur Sacerdotes, qui tamen de laudibus Chriſto ab innocentibus attributis excruciantur. Quid ? quòd de negotijs proprijs deſtructis, & nundinationibus ſublatis non doleant ? qui tamen pati nequeunt Chriſtum debitis excipi laudibus ? invidia eos poſſederat ; ideóque ægriùs tolerârunt Chriſti plauſus, quàm lucri amiſſionem, ac negotiorum deſtructionem,

servorum mendacij labe infectum, ac sycophantam deprædicant. Ecce fraterna invidia, quàm livido dente Josephi mordet, ac corrodit felicitatem, quàm funditus evertere satagit? aureos Josephi mores denigrare adnituntur fratres, dum mendacem produnt: siquidem mendacii reus virtutum omnium destituitur supellectili, ait Salomon: *Qui mentitur testis est fraudulentus*, seu ut legunt Septuaginta Interpretes *testis est dolosus*, sub dolosi autem nomine tota series comprehenditur iniquitatis, quia ut scitè ait D. Chrysostomus, *dolosi dicuntur, quia nihil recti, aut sani in pectore gerunt*; adeò efficax est mendacij pestilens contagium, ut totiùs honestatis corrumpat decora, obliquet rectitudinem morum, totúmque hominem veneno inficiat iniquitatis, ac veneno aspergat proterviæ, quo virtutum omnium delet ornatum. Neque virtutum omnium supellectile putes mendaces solùm destitutos, sed vitiorum etiam omnium labe aspersos.

Prov. 12, v. 17.

21. Hinc de impijs graviter conquestus David eorum depravatos mores ad unguem descripturus ait Psalm. 11. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*; hoc est viri mendaces, omnem à se veritatem excussère, & quid sperandum, nisi ut vitijs omnibus sit cor eorum illitum? est siquidem mendacium veluti magnetica imbutum vi, qua cætera ad se attrahit vitia, quapropter ait Euthimius: *Mentiuntur assiduè ut fallaces, & inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni*: & revera malignantur, qui mendacijs assuescunt; imò nullum est scelus, quod in officina mendacij non cudatur, quia mentientes inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni.

22. Hinc infamiæ nota mendax inuritur, quin & inter scelera, quæ infamiâ depravantur primatum sibi mendacium comparat: unde Syracides: *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis*. Quòd si leges civiles infamiæ notâ fures inurunt, adhuc longè gravius est mendacij dedecus; furtum enim si mendacio comparetur decus potiùs esse videtur; *Potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*, quia ut scitè expendit Eutimius: *Furi præter opes cætera fidere possumus, mendaci nihil*; hoc est, si furi præter opes, reliqua committas, eum deprehendes tibi fidelem; mendacijs verò effutiendis assuetum, non tantùm circa opes, verùm & circa reliqua omnia invenies fallacem; fitque propterea eò infamiæ proximior, quo à fide est remotior. Ecce quo rabido, & canino dente momorderit fraterna invidia Josephi præeminentiâ somniatâ, quam ut funditùs fratres everterent, mendacij notâ eum innsserunt; crudeliores se exhibuêre in Josephum dum somnia confingere, & mendacia construere edicunt, quàm dum Ismaelitis postea vendiderunt in servum: siquidem venditus ærumnis duntaxat corporis subjicitur, sed dum mendacij redarguitur animæ constituitur occisor: *Os, quod mentitur occidit animam*, hoc est sui efficitur carnifex, & in se ipsum sævit, qui mentitur; quapropter occisorem animæ produnt fratres Josephum, dum mendacem asserunt: non potuit invidia pestilentius, ac nocentius evomere venenum ad corrumpendam somniatam Josephi felicitatem, ejúsque deprimendam eminentiam: ait enim D. Ephrem. *Versutus, & versipellis est homo mendax*.

Eccles. 20. v. 27.

Sapient. 1. v. 11.

Nullum est mendacio majus in anima vulnus, nullúmque dedecus gravius. Si fraterna invidia Josephum cruenta cæde interemisset, corpus duntaxat occidisset, & invidos sceleris parricidos effecisset; sed dum mendacem deprædicavit, in ejus animam desæviit, seu in nobiliorem hominis partem: quos sanguinis necessitudo arctiùs jungit, eos invidiæ morsus crudeliùs dilaniat; & plerumque invidiæ rabidis dentibus magis obnoxij ij sunt, quos fraterna charitas deberet jungere, quàm quos nullum amicitiæ vinculum nectit. Eisdem uberibus plerumque lactantur cognatio, & invidia, quæ inter Cainum, & Abelem nata, inter fratres enutrita fuit; inter quos & adolevit, *Est invidia*, ait D. Petrus Chrysologus, *quæ pugnat adversus domesticos*, quia Josephus ea, qua erat innocentia insignitus fratribus suis somnia enarravit, eorum in se livorem acuit, & invidiam excitavit. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*. Sed quæ fuit hæc dissidij causa, quódnam crimen patravit sponsa, ut in se unam fraternas moverit iras, & manus in suam armaverit perniciem? non ullius fuit rea criminis; sed quia fuit cæteris prælata, aliorum invidiam, & livorem in se acuit: *posuerunt me custodem in vineis*, & ideo filij matris meæ pugnaverunt contra me: quia ad regimen vocata fuit, ipsa prælatio in crimen vocatur, quia prælaturam, quam vident fratres in sorore odio prosequuntur. Persæpe quos experimur extraneos, sentimus benevolos; fratres verò habemus infensissimos; si invidia eos pungat, ut fratres pupugit Josephi, cùm ijsdem somnia enarravit sua. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum invidiæ, & odij fomitem ministravit*; fraternam non incurrisset Josephus invidiam, nisi felicitatem, & præeminentiam somniâsset, ubi se fortunatiorem fore prædixit; odij pariter, & livoris se scopum constituit, ait enim D. Cyprianus: *Acriùs divitibus, quàm pauperibus fratribus, quàm exteris invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva bonorum*. Fraternum exuerunt amorem, dum Josephum se ipsis majorem intellexerunt futurum, quia ut scitè ait D. Hieronymus: *Difficile est facta gloria virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas*. 23.

Cant. 1. v. 5.

Genes. c. 37.

Odio, & invidiâ Josephum fratres prosequebantur, quia futurum sibi præcellentem audierant: sed dum livore innocentem carpunt, ipsi semetipsos livore discerpunt, 24.

mor-

morsúque viperino propria priùs corrodunt viscera, quàm aliena tangant, scitè D. Gregorius Nazianzenus: Orat. 27. *Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus invidia est: iniquissimus quia bonis omnibus adversus est; æquissimus quia dominos suos vexat, & conficit.* Nullum ex vitijs est, quod arctiùs legibus inhæreat justitiæ, quàm ipse livor, quem intus invidia evomit ad viscera corrodenda, promeritas enim illico pœnas exigit proprij sceleris, quod justum æquúmque est, pulchrè D. Prosper: *Invidiâ nihil justius, quia protinus authores suos perimit, & excruciat*, & ut ait Seneca de reliquis vitijs, *Malitia maximam partem veneni sui bibit*, sed invidia integrum suum haurit venenum: totum, quem invidia livorem effundit, in proprium assumit supplicium, quo eò diriùs intus torquetur, quò se exteriùs non effundit.

25. Qui hostium viscera transfossa cupit, livore hoc infecta desideres; siquidem invidiæ mucrone se ipsum invidus interimit; dum invidiam concipit, gladium in se acuit; & dum ejus effundit intus livorem se ipsum cruentat. Hinc David suos gladium in hostes noluit stringere, sed petijt ut proprio se ipsos gladio jugularent, *Gladius eorum intret in corda ipsorum:* nimirùm invidiam impijs imprecatur, quia quos invidos supponit, gladio putat transfixos; ait Lib. 3. de morte. Idiota: *Invidia est gladius Goliæ, qui proprium Magistrum occidit; quia invidi antequam alios interficiant, invidiæ gladio torquentur, ut meritò dicatur gladius eorum intret in corda ipsorum.* Vocat invidiam Goliæ gladium; quia quo Gigas gladio paraverat Davidem occidere, eodem ipse jugulatus fuit; invidia enim invidum torquet, ferit, excruciat, & enecat.

26. Viperinus est invidiæ livor, cùm in propriam sæviat genitricem; quæ dum livorem parit, ipsa perit. Divitijs noverant Genes. 26. v. 14. Palæstini Isaacum affluere: *Ob hoc invidentes ei Palæstini omnes puteos, quos foderant servi Patris Isaac Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo.* Sed cur cùm Palæstini ex ijsdem puteis aquas haurirent ad sitim extinguendam, mox eos exsiccant, & sibi subtrahunt siti refrigerandæ solationem? Invidia tunc torquebantur, eò quia Isaaco pinguior arrideret fortuna, ideóque invidi effecti, quo Isaaco subsidia auferant, sibi nocent, ac damna inferunt, quia alienæ invident felicitati, pulchrè Lippomanus: *Puteolos obstruunt utiles tam sibi, quàm alijs; non curant, cui noceant, tantùm ut invidiæ zelo satisfaciant*, ecce solatia siti extinguendæ in puteis parata, sibi Palæstini subtrahunt; & siti æstuare malunt, & se ipsos torquere, quàm ut Isaacus & ejus familia, ac pecora inveniant, quò satisfaciant siti, ejúsque extinguant æstus: ecce proprio se gladio cruentat invidus, & livor arma sua in invidum acuit, quem vulneret. O quàm lethale est invidiæ venenum, quod viscera etiam corrodit invidentis! apud Geraræ fines favente Numine, auspice cœlo oppulentior factus fuerat Isaac: putásne plausus, an sibilos deberet inde sperare? putásne à finitimis populis esset encomijs excipiendus? Cum antequam tot divitijs afflueret esset amicitiâ devinctus Abimelecho, mox invidia vinculum disrupit charitatis, jussitque Rex Abimelechus Isaacum procul abire è suis ditionibus: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus est valde*, Genes. 26. v. 16. cùm primùm pinguior fortuna Isaaco arrisit, invidia in Abimelecho nata amicitiam abegit, & livorem effudit, quo Abimelechi viscera torqueri cœperunt; cùm primùm cœpit Isaacus divitijs affluere in discrimen se injecit, grave aliquod damnum ab invidia incurrendi Abimelechi, quia si eò tutior, quò pauperior; mox periculo magis obnoxius, quia potentior; scitè Chrysostomus: *Neque Rex, qui in tanta potestate erat, invidiam continere poterat, sed dicit: abi à nobis, quia potentior nobis factus es;* Homil. 52. in Genes. nullum est pectus adeo illustre, quod suo invidia livore non corrumpat, nulla dignitas adeò clara, cujus splendorem invidia non denigret.

Quinimo invidi veluti vespertiliones alieno cæcutiunt splendore, & libentiùs ferunt res proprias minui, quàm famam augeri aliorum; propriæ faciliùs subeunt detrimenta felicitatis, quàm alienæ patiantur incrementa prosperitatis: accensus zelo Christus, eò quia videret templum emporium factum, & domum orationis versam in forum negotiationis, manus funiculis armavit, ut opprobrium illud excuteret, ac foras abigeret. *Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*, Matth. 21. ubi Abulensis ait: *Sciendum quòd isti nummularij erant positi à sacerdotibus, & de familia sua, ut ipsi ista lucra exercerent, quia avari nimis erant.* Quæst. 67. Sed interim pueri Hebræorum Christum laudibus prosequuntur, & publicis acclamationibus excipiunt, canentes *Hosanna filio David*, sed expendendum est, quod sacer sextus subdit num. 15. *Videntes autem Principes sacerdotes, & Scribæ mirabilia, quæ faciebat, & pueros in templo clamantes, & dicentes Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt, audis quid isti dicunt?* De lucro amisso non conqueruntur Sacerdotes, qui tamen de laudibus Christo ab innocentibus attributis excruciantur. Quid? quòd de negotijs proprijs destructis, & nundinationibus sublatis non doleant? qui tamen pati nequeunt Christum debitis excipi laudibus? invidia eos possederat; ideóque ægriùs tolerârunt Christi plausus, quàm lucri amissionem, ac negotiorum destru-

servorum mendacij labe infectum, ac sycophantam deprædicant. Ecce fraterna invidia, quàm livido dente Josephi mordet, ac corrodit felicitatem, quàm funditus evertere satagit? aureos Josephi mores denigrare adnituntur fratres, dum mendacem produnt; siquidem mendacii reus virtutum omnium destituitur supellectili, ait Salomon: Prov. 12. v. 17. *Qui mentitur testis est fraudulentus*, seu ut legunt Septuaginta Interpretes *testis est dolosus*, sub dolosi autem nomine tota series comprehenditur iniquitatis, quia ut scitè ait D. Chrysostomus, *dolosi dicuntur, quia nihil recti, aut sani in pectore gerunt*; adeò efficax est mendacij pestilens contagium, ut totiùs honestatis corrumpat decora, obliquet rectitudinem morum, totúmque hominem veneno inficiat iniquitatis, ac veneno aspergat proterviæ, quo virtutum omnium delet ornatum. Neque virtutum omnium supellectile putes mendaces solùm destitutos, sed vitiorum etiam omnium labe aspersos.

21. Hinc de impijs graviter conquestus David eorum depravatos mores ad unguem descripturus ait Psalm. 11. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*; hoc est viri mendaces, omnem à se veritatem excussêre, & quid sperandum, nisi ut vitijs omnibus sit cor eorum illitum? est siquidem mendacium veluti magnetica imbutum vi, qua cætera ad se attrahit vitia, quapropter ait Euthimius: *Mentiuntur assiduè ut fallaces, & inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni*: & revera malignantur, qui mendacijs assuescunt; imò nullum est scelus, quod in officina mendacij non cudatur, quia mentientes inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni.

22. Hinc infamiæ nota mendax inuritur, quin & inter scelera, quæ infamiâ depravantur primatum sibi mendacium comparat: unde Syracides: Eccles. 20. v. 27. *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis*. Quòd si leges civiles infamiæ notâ fures inurunt, adhuc longè gravius est mendacij dedecus; furtum enim si mendacio comparetur decus potiùs esse videtur; *Potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*, quia ut scitè expendit Eutimius: *Furi præter opes cætera fidere possumus, mendaci nihil*; hoc est, si furi præter opes, reliqua committas, eum deprehendes tibi fidelem; mendacijs verò effutiendis assuetum, non tantùm circa opes, verùm & circa reliqua omnia invenies fallacem; sitque propterea eò infamiæ proximior, quo à fide est remotior. Ecce quo rabido, & canino dente momorderit fraterna invidia Josephi præeminentiâ somniatâ, quam ut funditùs fratres everterent, mendacij notâ eum inusserunt; crudeliores se exhibuêre in Josephum dum somnia confingere, & mendacia construere edicunt, quam dum Ismaelitis postea vendiderunt in servum: siquidem venditus ærumnis duntaxat corporis subjicitur, sed dum mendacij redarguitur animæ constituitur occisor: *Os, quod mentitur occidit animam*, Sapient. 1. v. 11. hoc est sui efficitur carnifex, & in se ipsum sævit, qui mentitur; quapropter occisorem animæ produnt fratres Josephum, dum mendacem asserunt: non potuit invidia pestilentius, ac nocentius evomere venenum ad corrumpendam somniatam Josephi felicitatem, ejúsque deprimendam eminentiam: ait enim D. Ephrem. *Versutus, & versipellis est homo mendax*.

23. Nullum est mendacio majus in anima vulnus, nullúmque dedecus gravius. Si fraterna invidia Josephum cruenta cæde interemisset, corpus duntaxat occidisset, & invidos sceleris parricidos effecisset; sed dum mendacem deprædicavit, in ejus animam desæviit, seu in nobiliorem hominis partem: quos sanguinis necessitudo arctiùs jungit, eos invidiæ morsus crudeliùs dilaniat; & plerumque invidiæ rabidis dentibus magis obnoxij ij sunt, quos fraterna charitas deberet jungere, quam quos nullum amicitiæ vinculum nectit. Eisdem uberibus plerumque lactantur cognatio, & invidia, quæ inter Cainum, & Abelem nata, inter fratres enutrita fuit; inter quos & adolevit, *Est invidia*, ait D. Petrus Chrysologus, *quæ pugnat adversus domesticos*, quia Josephus ea, qua erat innocentia insignitus fratribus suis somnia enarravit, eorum in se livorem acuit, & invidiam excitavit. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*. Cant. 1. v. 5. Sed quæ fuit hæc dissidij causa, quódnam crimen patravit sponsa, ut in se unam fraternas moverit iras, & manus in suam armaverit perniciem? non ullius fuit rea criminis; sed quia fuit cæteris prælata, aliorum invidiam, & livorem in se acuit; *posuerunt me custodem in vineis*, & ideo filij matris meæ pugnaverunt contra me: quia ad regimen vocata fuit, ipsa prælatio in crimen vocatur, quia prælaturam, quam vident fratres in sorore odio prosequuntur. Persæpe quos experimur extraneos, sentimus benevolos; fratres verò habemus infensissimos; si invidia eos pungat, ut fratres pupugit Josephi, cùm ijsdem somnia enarravit sua. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum* Genes. c. 37 *invidiæ, & odij fomitem ministravit*; fraternam non incurrisset Josephus invidiam, nisi felicitatem, & præeminentiam somniâsset, ubi se fortunatiorem fore prædixit; odij pariter, & livoris se scopum constituit, ait enim D. Cyprianus: *Acriùs divitibus, quàm pauperibus fratribus, quàm exteris invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva bonorum*. Fraternum exuerunt amorem, dum Josephum se ipsis majorem intellexerunt futurum, quia ut scitè ait D. Hieronymus: *Difficile est facta gloria virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas*.

24. Odio, & invidiâ Josephum fratres prosequebantur, quia futurum sibi præcellentem audierant: sed dum livore innocentem carpunt, ipsi semetipsos livore discerpunt,

mor-

morsúque viperino propria priùs corrodunt viscera, quàm aliena tangant, scitè D. Gregorius Nazianzenus: *Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus invidia est: iniquissimus quia bonis omnibus adversus est; æquissimus quia dominos suos vexat, & conficit.* Nullum ex vitijs est, quod arctiùs legibus inhæreat justitiæ, quàm ipse livor, quem intus invidia evomit ad viscera corrodenda, promeritas enim illico pœnas exigit proprij sceleris, quod justum æquúmque est, pulchrè D. Prosper: *Invidiâ nihil justius, quia protinus authorem perimit, & excruciat*, & ut ait Seneca de reliquis vitijs, *Malitia maximam partem veneni sui bibit*, sed invidia integrum suum haurit venenum: totum, quem invidia livorem effundit, in proprium assumit supplicium, quo eò diriùs intus torquetur, quò se exteriùs non effundit.

Orat. 27.

85. Qui hostium viscera transfossa cupit, livore hoc infecta desideret; siquidem invidiæ mucrone se ipsum invidus interimit; dum invidiam concipit, gladium in se acuit; & dum ejus effundit intus livorem se ipsum cruentat. Hinc David suos gladium in hostes noluit stringere, sed petijt ut proprio se ipsos gladio jugularent, *Gladius eorum intret in corda ipsorum:* nimirum invidiam impijs imprecatur, quia quos invidos supponit, gladio putat transfixos; ait Idiota: *Invidia est gladius Golia, qui proprium Magistrum occidit; quia invidi antequam alios interficiant, invidia gladio torquentur, ut meritò dicatur gladius eorum intret in corda ipsorum.* Vocat invidiam Goliæ gladium; quia quo Gigas gladio paraverat Davidem occidere, eodem ipse jugulatus fuit; invidia enim invidum torquet, ferit, excruciat, & enecat.

Lib. 3. de morte.

86. Viperinus est invidiæ livor, cùm in propriam læviat genitricem; quæ dum livorem parit, ipsa perit. Divitijs noverant Palæstini Isaacum affluere: *Ob hoc invidentes ei Palæstini omnes puteos, quos foderant servi Patris Isaac Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo.* Sed cur cùm Palæstini ex jisdem puteis aquas haurirent ad sitim extinguendam, mox eos exsiccant, & sibi subtrahunt siti refrigerandæ solatium? Invidia tunc torquebantur, eò quia Isaaco pinguior arrideret fortuna, ideóque invidi effecti, quo Isaaco subsidia auferant, sibi nocent, ac damna inferunt, quia alienæ invident felicitati, pulchrè Lippomanus: *Puteolos obstruunt utiles tam sibi, quàm alijs; non curant, cui noceant, tantùm ut invidiæ zelo satisfaciant*, ecce solatia siti extinguendæ in puteis parata, sibi Palæstini subtrahunt; & siti æstuare malunt, & se ipsos torquere, quàm ut Isaacus & ejus familia, ac pecora inveniant, quò satisfaciant siti, ejúsque extinguant æstus: ecce proprio se gladio cruentat invidus, & livor ar-

Genes. 26. v. 14.

ma sua in invidum acuit, quem vulneret. O quàm lethale est invidiæ venenum, quod viscera etiam corrodit invidentis! apud Geraræ fines favente Numine, auspice cœlo oppulentior factus fuerat Isaac: putásne plausus, an sibilos deberet inde sperare? putásne à finitimis populis esset encomijs excipiendus? Cum antequam tot divitijs afflueret esset amicitiâ devinctus Abimelecho, mox invidis vinculum disrupit charitatis, jussitque Rex Abimelechus Isaacum procul abire è suis ditionibus: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus est valde*, cùm primùm pinguior fortuna Isaaco arrisit, invidia in Abimelecho nata amicitiam abegit, & livorem effudit, quo Abimelechi viscera torqueri cœperunt; cùm primùm cœpit Isaacus divitijs affluere in discrimen se injecit, grave aliquod damnum ab invidia incurrendi Abimelechi; quia si eò tutior, quò pauperior; mox periculo magis obnoxius, quia potentior; scitè Chrysostomus: *Neque Rex, qui in tanta potestate erat, invidiam continere poterat, sed dicit: abi à nobis, quia potentior nobis factus es;* nullum est pectus adeo illustre, quod suo invidia livore non corrumpat, nulla dignitas adeò clara, cujus splendorem invidia non denigret.

Genes. 26. v. 16.

Homil. 52. in Genes.

Quinimo invidi veluti vespertiliones alieno cæcutiunt splendore, & libentiùs ferunt res proprias minui, quàm famam augeri aliorum; propriæ faciliùs subeunt detrimenta felicitatis, quàm alienæ patiantur incrementa prosperitatis: accensus zelo Christus, eò quia videret templum emporium factum, & domum orationis versam in forum negotiationis, manus funiculis armavit, ut opprobrium illud excuteret, ac foras abigeret. *Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*, ubi Abulensis ait: *Sciendum quòd isti nummularij erant positi à sacerdotibus, & de familia sua, ut ipsi ista lucra exercerent, quia avari nimis erant.* Sed interim pueri Hebræorum Christum laudibus prosequuntur, & publicis acclamationibus excipiunt, canentes *Hosanna filio David*, sed expendendum est, quod sacer textus subdit num. 15. *Videntes autem Principes sacerdotes, & Scribæ mirabilia, quæ faciebat, & pueros in templo clamantes, & dicentes Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt, audis quid isti dicunt?* De lucro amisso non conqueruntur Sacerdotes, qui tamen de laudibus Christo ab innocentibus attributis excruciantur. Quid? quòd de negotijs proprijs destructis, & nundinationibus sublatis non doleant? qui tamen pati nequeunt Christum debitis excipi laudibus? invidia eos possederat; ideóque ægriùs tolerârunt Christi plausus, quàm lucri amissionem, ac negotiorum destru- 87.

Matth. 21.

Quæst. 67.

 ctionem,

servorum mendacij labe infectum, ac sycophantam deprædicant. Ecce fraterna invidia, quàm livido dente Josephi mordet, ac corrodit felicitatem, quàm funditus evertere satagit? aureos Josephi mores denigrare adnituntur fratres, dum mendacem produnt: siquidem mendacii reus virtutum omnium destituitur supellectili, ait Salomon: *Qui mentitur testis est fraudulentus*, (Prov. 12. v. 17.) seu ut legunt Septuaginta Interpretes *testis est dolosus*, sub dolosi autem nomine tota series comprehenditur iniquitatis, quia ut scitè ait D. Chrysostomus, *dolosi dicuntur, quia nihil recti, aut sani in pectore gerunt*; adeò efficax est mendacij pestilens contagium, ut totiùs honestatis corrumpat decora, obliquet rectitudinem morum, totúmque hominem veneno inficiat iniquitatis, ac veneno aspergat proterviæ, quo virtutum omnium delet ornatum. Neque virtutum omnium supellectile putes mendaces solùm destitutos, sed vitiorum etiam omnium labe aspersos.

21. Hinc de impijs graviter conquestus David eorum depravatos mores ad unguem descripturus ait Psalm. 11. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*; hoc est viri mendaces, omnem à se veritatem excussêre, & quid sperandum, nisi ut vitijs omnibus fit cor eorum illitum? est siquidem mendacium veluti magnetica imbutum vi, qua cætera ad se attrahit vitia, quapropter ait Euthimius: *Mentiuntur assiduè ut fallaces, & inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni*: & revera malignantur, qui mendacijs assuescunt; imò nullum est scelus, quod in officina mendacij non cudatur, quia mentientes inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni.

22. Hinc infamiæ nota mendax inuritur, quin & inter scelera, quæ infamiâ depravantur primatum sibi mendacium comparat, unde Syracides: *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis*. (Eccles. 20. v. 27.) Quòd si leges civiles infamiæ notâ fures inurunt, adhuc longè gravius est mendacij dedecus; furtum enim si mendacio comparetur decus potiùs esse videtur; *Potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*, quia ut scitè expendit Eutimios: *Furi præter opes cætera fidere possumus, mendaci nihil*; hoc est, si furi præter opes, reliqua committas, eum deprehendes tibi fidelem; mendacijs verò effutiendis assuetum, non tantùm circa opes, verùm & circa reliqua omnia invenies fallacem; fitque propterea eò infamiæ proximior, quo à fide est remotior. Ecce quo rabido, & canino dente momorderit fraterna invidia Josephi præeminentiâ somniatâ, quam ut funditùs fratres everterent, mendacij notâ eum innsserunt; crudeliores se exhibuêre in Josephum dum somnia confingere, & mendacia construere edicunt, quàm dum Ismaelitis postea vendiderunt in servum: siquidem venditus ærumnis duntaxat corporis subjicitur, sed dum mendacij redarguitur animæ constituitur occisor: *Os, quod mentitur occidit animam*, (Sapient. 1. v. 11.) hoc est sui efficitur carnifex, & in se ipsum sævit, qui mentitur; quapropter occisorem animæ produnt fratres Josephum, dum mendacem asserunt: non potuit invidia pestilentius, ac nocentius evomere venenum ad corrumpendam somniatam Josephi felicitatem, ejúsque deprimendam eminentiam: ait enim D. Ephrem. *Versutus, & versipellis est homo mendax*.

23. Nullum est mendacio majus in anima vulnus, nullúmque dedecus gravius. Si fraterna invidia Josephum cruenta cæde interemisset, corpus duntaxat occidisset, & invidos sceleris parricidos effecisset; sed dum mendacem deprædicavit, in ejus animam desæviit, seu in nobiliorem hominis partem: quos sanguinis necessitudo arctiùs jungit, eos invidiæ morsus crudeliùs dilaniat; & plerumque invidiæ rabidis dentibus magis obnoxij sunt, quos fraterna charitas deberet jungere, quàm quos nullum amicitiæ vinculum nectit. Eisdem uberibus plerumque lactantur cognatio, & invidia, quæ inter Cainum, & Abelem nata, inter fratres enutrita fuit; inter quos & adolevit, *Est invidia*, ait D. Petrus Chrysologus, *qua pugnat adversus domesticos*, quia Josephus ea, qua erat innocentia insignitus fratribus suis somnia enarravit, eorum in se livorem acuit, & invidiam excitavit. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*. (Cant. 1. v. 5.) Sed quæ fuit hæc dissidij causa, quódnam crimen patravit sponsa, ut in se unam fraternas moverit iras, & manus in suam armaverit perniciem? non ullius fuit rea criminis; sed quia fuit cæteris prælata, aliorum invidiam, & livorem in se acuit: *posuerunt me custodem in vineis*, & ideo filij matris meæ pugnaverunt contra me: quia ad regimen vocata fuit, ipsa prælatio in crimen vocatur, quia prælaturam, quam vident fratres in sororeodio prosequuntur. Persæpe quos experimur extraneos, sentimus benevolos; fratres verò habemus infensissimos; si invidia eos pungat, ut fratres pupugit Josephi, cùm iisdem somnia enarravit sua. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum invidiæ, & odij fomitem ministravit*; (Genes. c. 37.) fraternam non incurrisset Josephus invidiam, nisi felicitatem, & præeminentiam somniâsset, ubi se fortunatiorem fore prædixit; odij pariter, & livoris se scopum constituit, ait enim D. Cyprianus: *Acriùs divitibus, quàm pauperibus fratribus, quàm exteris invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva bonorum*. Fraternum exuerunt amorem, dum Josephum se ipsis majorem intellexerunt futurum, quia ut scitè ait D. Hieronymus: *Difficile est facta gloria virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas*.

24. Odio, & invidiâ Josephum fratres prosequebantur, quia futurum sibi præcellentem audierant; sed dum livore innocentem carpunt, ipsi semetipsos livore discerpunt,

mor-

morsúque viperino propria priùs corrodunt viscera, quàm aliena tangant, scitè D. Gregorius Nazianzenus: [Orat. 27.] *Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus est invidia est: iniquissimus quia bonis omnibus adversus est; æquissimus quia dominos suos vexat, & conficit.* Nullum ex vitijs est, quod arctiùs legibus inhæreat justitiæ, quàm ipse livor, quem intus invidia evomit ad viscera corrodenda, promeritas enim illico poenas exigit proprij sceleris, quod justum æquúmque est, pulchrè D. Prosper: *Invidiâ nihil justius, quia protinus authores suos perimit, & excruciat*, & ut ait Seneca de reliquis vitijs, *Malitia maximam partem veneni sui bibit*, sed invidia integrum suum haurit venenum: totum, quem invidia livorem effundit, in proprium assumit supplicium, quo eò diriùs intus torquetur, quò se exteriùs non effundit.

25. Qui hostium viscera transfossa cupit, livore hoc infecta desideret; siquidem invidiæ mucrone se ipsum invidus interimit; dum invidiam concipit, gladium in se acuit; & dum ejus effundit intus livorem se ipsum cruentat. Hinc David suos gladium in hostes noluit stringere, sed petijt ut proprio se ipsos gladio jugularent, *Gladius eorum intret in corda ipsorum*: nimirum invidiam impijs imprecatur, quia quos invidos supponit, gladio putat transfixos; ait Idiota: [Lib. 3. de morte.] *Invidia est gladius Goliæ, qui proprium Magistrum occidit; quia invidi antequam alios interficiant, invidia gladio torquentur, ut meritò dicatur gladius eorum intret in corda ipsorum.* Vocat invidiam Goliæ gladium; quia quo Gigas gladio paraverat Davidem occidere, eodem ipse jugulatus fuit; invidia enim invidum torquet, ferit, excruciat, & enecat.

26. Viperinus est invidiæ livor, cùm in propriam sæviat genitricem; quæ dum livorem parit, ipsa perit. Divitijs noverant Palæstini Isaacum affluere: [Genes. 26, v. 14.] *Ob hoc invidentes ei Palæstini omnes puteos, quos foderant servi Patris Isaac Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo.* Sed cur cùm Palæstini ex jisdem puteis aquas haurirent ad sitim extinguendam, mox eos exsiccant, & sibi subtrahunt siti refrigerandæ solatium? Invidia tunc torquebantur, eò quia Isaaco pinguior arrideret fortuna, ideóque invidi effecti, quo Isaaco subsidia auferant, sibi nocent, ac damna inferunt, quia alienæ invident felicitati, pulchrè Lippomanus: *Puteolos obstruunt utilos tam sibi, quàm alijs; non curant, cui noceant, tantùm ut invidiæ zelo satisfaciant*, ecce solatia siti extinguendæ in puteis parata, sibi Palæstini subtrahunt; & siti æstuare malunt, & se ipsos torquere, quàm ut Isaacus & ejus familia, ac pecora inveniant, quò satisfaciant siti, ejúsque extinguant æstus: ecce proprio se gladio cruentat invidus, & livor ar-ma sua in invidum acuit, quem vulneret. O quàm lethale est invidiæ venenum, quod viscera etiam corrodit invidentis! apud Geraræ fines favente Numine, auspice cœlo oppulentior factus fuerat Isaac: putásne plausus, an sibilos deberet inde sperare? putásne à finitimis populis esset encomijs excipiendus? Cum antequam tot divitijs afflueret esset amicitiâ devinctus Abimelecho, mox invidis vinculum disrupit charitatis, jussitque Rex Abimelechus Isaacum procul abire è suis ditionibus: [Genes. 26. v. 16.] *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus est valde*, cùm primùm pinguior fortuna Isaaco arrisit, invidia in Abimelecho nata amicitiam abegit, & livorem effudit, quo Abimelechi viscera torqueri cœperunt; cùm primùm cœpit Isaacus divitijs affluere in discrimen se injecit, grave aliquod damnum ab invidia incurrendi Abimelechi; quia si eò tutior, quò pauperior; mox periculo magis obnoxius, quia potentior; scitè Chrysostomus: [Homil. 52. in Genes.] *Neque Rex, qui in tanta potestate erat, invidiam continere poterat, sed dicit: abi à nobis, quia potentior nobis factus es*; nullum est pectus adeo illustre, quod suo invidia livore non corrumpat, nulla dignitas adeò clara, cujus splendorem invidia non denigret.

27. Quinimo invidi veluti vespertiliones alieno cæcutiunt splendore, & libentiùs ferunt res proprias minui, quàm famam augeri aliorum; propriæ faciliùs subeunt detrimenta felicitatis, quàm alienæ patiantur incrementa prosperitatis: accensus zelo Christus, eò quia videret templum emporium factum, & domum orationis versam in forum negotiationis, manus funiculis armavit, ut opprobrium illud excuteret, ac foras abigeret. [Matth. 21.] *Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*, ubi Abulensis ait: [Quæst. 67.] *Sciendum quòd isti nummularij erant positi à sacerdotibus, & de familia sua, ut ipsi ista lucra exercerent, quia avari nimis erant.* Sed interim pueri Hebræorum Christum laudibus prosequuntur, & publicis acclamationibus excipiunt, canentes *Hosanna filio David*, sed expendendum est, quod sacer textus subdit num. 15. *Videntes autem Principes sacerdotes, & Scribæ mirabilia, quæ faciebat, & pueros in templo clamantes, & dicentes Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt, audis quid isti dicunt?* De lucro amisso non conqueruntur Sacerdotes, qui tamen de laudibus Christo ab innocentibus attributis excruciantur. Quid? quòd de negotijs proprijs destructis, & nundinationibus sublatis non doleant? quâ tamen pati nequeunt Christum debitis excipi laudibus? invidia eos possederat; ideóque ægriùs tolerârunt Christi plausus, quàm lucri amissionem, ac negotiorum destru-

servorum mendacij labe infectum, ac sycophantam deprædicant. Ecce fraterna invidia, quàm livido dente Josephi mordet, ac corrodit felicitatem, quàm funditus evertere satagit? aureos Josephi mores denigrare adnituntur fratres, dum mendacem produnt: siquidem mendacii reus virtutum omnium destituitur supellectili, ait Salomon: Prov. 12. v. 17. *Qui mentitur testis est fraudulentus*, seu ut legunt Septuaginta Interpretes *testis est dolosus*, sub dolosi autem nomine tota series comprehenditur iniquitatis, quia ut scitè ait D. Chrysostomus, *dolosi dicuntur, quia nihil recti, aut sani in pectore gerunt*; adeò efficax est mendacij pestilens contagium, ut totiùs honestatis corrumpat decora, obliquet rectitudinem motum, totúmque hominem veneno inficiat iniquitatis, ac veneno aspergat protervitæ, quo virtutum omnium delet ornatum. Neque virtutum omnium supellectile putes mendaces solùm destitutos, sed vitiorum etiam omnium labe aspersos.

21. Hinc de impijs graviter conquestus David eorum depravatos mores ad unguem descripturus ait Psalm. 11. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*; hoc est viri mendaces, omnem à se veritatem excussêre, & quid sperandum, nisi ut vitijs omnibus sit cor eorum illitum? est siquidem mendacium veluti magnetica imbutum vi, qua cætera ad se attrahit vitia, quapropter ait Euthimius: *Mentiuntur assiduè ut fallaces, & inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni*: & revera malignantur, qui mendacijs assuescunt; imò nullum est scelus, quod in officina mendacij non cudatur, quia mentientes inutilia semper, & vana cogitant, ut maligni.

22. Hinc infamiæ nota mendax inuritur, quin & inter scelera, quæ infamiâ depravantur primatum sibi mendacium comparat: unde Syracides: Eccles. 20. v. 27. *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis.* Quòd si leges civiles infamiæ notâ fures inurunt, adhuc longè gravius est mendacij dedecus; furtum enim si mendacio comparetur decus potiùs esse videtur; *Potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*, quia ut scitè expendit Eutimius: *Furi præter opes cætera fidere possumus, mendaci nihil*; hoc est, si furi præter opes, reliqua committas, eum deprehendes tibi fidelem; mendacijs verò effutiendis assuetum, non tantùm circa opes, verùm & circa reliqua omnia invenies fallacem; sitque propterea eò infamiæ proximior, quo à fide est remotior. Ecce quo rabido, & canino dente momorderit fraterna invidia Josephi præeminentiâ somniatâ, quam ut funditùs fratres everterent, mendacij notâ eum inusserunt; crudeliores se exhibuêre in Josephum dum somnia confingere, & mendacia construere edicunt, quam dum Ismaelitis postea vendiderunt in servum: siquidem venditus ærumnis duntaxat corporis subjicitur, sed dum mendacij redarguitur animæ constituitur occisor: *Os, quod mentitur occidit animam*, Sapient. 1. v. 11. hoc est sui efficitur carnifex, & in se ipsum sævit, qui mentitur; quapropter occisorem animæ produnt fratres Josephum, dum mendacem asserunt: non potuit invidia pestilentius, ac nocentius evomere venenum ad corrumpendam somniatam Josephi felicitatem, ejúsque deprimendam eminentiam: ait enim D. Ephrem. *Versutus, & versipellis est homo mendax.*

Nullum est mendacio majus in anima vulnus, nullúmque dedecus gravius. Si fraterna invidia Josephum cruenta cæde interemisset, corpus duntaxat occidisset, & invidos sceleris parricidos effecisset; sed dum mendacem deprædicavit, in ejus animam desævijt, seu in nobiliorem hominis partem: quos sanguinis necessitudo arctiùs jungit, eos invidiæ morsos crudeliùs dilaniat; & plerumque invidiæ rabidis dentibus magis obnoxij ij sunt, quos fraterna charitas deberet jungere, quam quos nullum amicitiæ vinculum nectit. Eisdem ubetibus plerumque lactantur cognatio, & invidia, quæ inter Cainum, & Abelem nata, inter fratres enutrita fuit; inter quos & adolevit, *Est invidia*, ait D. Petrus Chrysologus, *quæ pugnat adversus domesticos*, quia Josephus ea, qua erat innocentia insignitus fratribus suis somnia enarravit, eorum in se livorem acuit, & invidiam excitavit. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Cant. 1. v. 5. Sed quæ fuit hæc dissidij causa, quódnam crimen patravit sponsa, ut in se unam fraternas moverit iras, & manus in suam armaverit perniciem? non ullius fuit rea criminis; sed quia fuit cæteris prælata, aliorum invidiam, & livorem in se acuit; *posuerunt me custodem in vineis*, & ideo filij matris meæ pugnaverunt contra me: quia ad regimen vocata fuit, ipsa prælatio in crimen vocatur, quia prælaturam, quam vident fratres in sorore odio prosequuntur. Persæpe quos experimur extraneos, sentimus benevolos; fratres verò habemus infensissimos; si invidia eos pungat, ut fratres pupugit Josephi, cùm ijsdem somnia enarravit sua. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum invidiæ, & odij fomitem ministravit*; Genes. c. 37 fraternam non incurrisset Josephus invidiam, nisi felicitatem, & præeminentiam somniâsset, ubi se fortunatiorem fore prædixit; odij pariter, & livoris se scopum constituit, ait enim D. Cyprianus: *Acriùs divitibus, quàm pauperibus fratribus, quàm exteris invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva bonorum.* Fraternum exuerunt amorem, dum Josephum se ipsis majorem intellexerunt futurum, quia ut scitè ait D. Hieronymus: *Difficile est facta gloria virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas.*

24. Odio, & invidiâ Josephum fratres prosequebantur, quia futurum sibi præcellentem audierant: sed dum livore innocentem carpunt, ipsi semetipsos livore discerpunt,

mor-

morsúque viperino propria priùs corrod unt viscera, quàm aliena tangant, scitè D. Gregorius Nazianzenus: *Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & aquissimus invidia est: iniquissimus quia bonis omnibus adversus est; aquissimus quia dominos suos vexat, & conficit.* Nullum ex vitijs est, quod arctiùs legibus inhæreat justitiæ, quàm ipse livor, quem intus invidia evomit ad viscera corrodenda, promeritas enim illico pœnas exigit proprij sceleris, quod justum æquúmque est, pulchrè D. Prosper: *Invidiâ nihil justius, quia protinus authorem perimit, & excruciat*, & ut ait Seneca de reliquis vitijs, *Malitia maximam partem veneni sui bibit*, sed invidia integrum suum haurit venenum: totum, quem invidia livorem effundit, in proprium assumit supplicium, quo eò diriùs intus torquetur, quò se exteriùs non effundit.

Orat. 27.

25. Qui hostium viscera transfossa cupit, livore hoc infecta desideret; siquidem invidiæ mucrone se ipsum invidus interimit; dum invidiam concipit, gladium in se acuit; & dum ejus effundit intus livorem se ipsum cruentat. Hinc David suos gladium in hostes noluit stringere, sed petijt ut proprio se ipsos gladio jugularent, *Gladius eorum intret in corda ipsorum:* nimirùm invidiam impijs imprecatur, quia quos invidos supponit, gladio putat transfixos; ait Idiota: *Invidia est gladius Golia, qui proprium Magistrum occidit; quia invidi antequam alios interficiant, invidia gladio torquentur, ut meritò dicatur gladius eorum intret in corda ipsorum.* Vocat invidiam Goliæ gladium; quia quo Gigas gladio paraverat Davidem occidere, eodem ipse jugulatus fuit; invidie enim invidum torquet, ferit, excruciat, & enecat.

Lib. 3. de morte.

26. Viperinus est invidiæ livor, cùm in propriam sæviat genitricem; quæ dum livorem parit, ipsa perit. Divitijs noverant Palæstini Isaacum affluere: *Ob hoc invidentes eì Palastini omnes puteos, quos foderant servi Patris Isaac Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo.* Sed cur cùm Palæstini ex jisdem puteis aquas haurirent ad sitim extinguendam, mox eos exsiccant, & sibi subtrahunt siti refrigerandæ solatium? Invidia tunc torquebantur, eò quia Isaaco pinguior arrideret fortuna, ideóque invidi effecti, quo Isaaco subsidia auferant, sibi nocent, ac damna inferunt, quia alienæ invident felicitati, pulchrè Lippomanus: *Puteolos obstruunt utiles tam sibi, quàm alijs; non curant, cui noceant, tantùm ut invidia zelo satisfaciant*, ecce solatia siti extinguendæ in puteis parata, sibi Palæstini subtrahunt; & siti æstuare malunt, & se ipsos torquere, quàm ut Isaacus & ejus familia, ac pecora inveniant, quò satisfaciant siti, ejúsque extinguant æstus: ecce proprio se gladio cruentat invidus, & livor acuma sua in invidum acuit, quem vulneret. O quàm lethale est invidiæ venenum, quod viscera etiam corrodit invidentis! apud Geraræ fines favente Numine, auspice cœlo oppulentior factus fuerat Isaac: putásne plausus, an sibilos deberet inde sperare? putásne à finitimis populis esset encomijs excipiendus? Cum antequam tot divitijs affluerct esset amicitiâ devinctus Abimelecho, mox invidia vinculum disrupit charitatis, jussitque Rex Abimelechus Isaacum procul abire è suis ditionibus: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus est valde*, cùm primùm pinguior fortuna Isaaco arrisit, invidia in Abimelecho nata amicitiam abegit, & livorem effudit, quo Abimelechi viscera torqueri cœperunt; cùm primùm cœpit Isaacus divitijs affluere in discrimen se injecit, grave aliquod damnum ab invidia incurrendi Abimelechi; quia sit eò tutior, quò pauperior; mox periculo magis obnoxius, quia potentior; scitè Chrysostomus: *Neque Rex, qui in tanta potestate erat, invidiam continere poterat, sed dicit: abi à nobis, quia potentior nobis factus es;* nullum est pectus adeo illustre, quod suo invidia livore non corrumpat, nulla dignitas adeò clara, cujus splendorem invidia non denigret.

Genes. 30. v. 14.

Genes. 26. v. 16.

Homil. 52. in Genes.

Quinimo invidi veluti vespertiliones alieno cæcutiunt splendore, & libentiùs ferunt res proprias minui, quàm famam augeri aliorum; propriæ faciliùs subeunt detrimenta felicitatis, quàm alienæ patiantur incrementa prosperitatis: accensus zelo Christus, eò quia videret templum emporium factum, & domum orationis versam in forum negotiationis, manus funiculis armavit, ut opprobrium illud excuteret, ac foras abigeret. *Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*, ubi Abulensis ait: *Sciendum quòd isti nummularij erant positi à sacerdotibus, & de familia sua, ut ipsi ista lucra exercerent, quia avare nimis erant.* Sed interim pueri Hebræorum Christum laudibus prosequuntur, & publicis acclamationibus excipiunt, canentes *Hosanna filio David*, sed expendendum est, quod sacer textus subdit num. 15. *Videntes autem Principes sacerdotes, & Scriba mirabilia, qua faciebat, & pueros in templo clamantes, & dicentes Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt, audis quid isti dicunt?* De lucro amisso non conqueruntur Sacerdotes, qui tamen de laudibus Christo ab innocentibus attributis excruciantur. Quid? quòd de negotijs proprijs destructis, & nundinationibus sublatis non doleant? qui tamen pati nequeunt Christum debitis excipi laudibus? invidia eos possederat; ideóque ægriùs tolerârunt Christi plausus, quàm lucri amissionem, ac negotiorum destru-

27.

Matth. 21.

Quast. 67.

ctionem, maluerunt sibi imminui lucrum, quàm Christi famam adaugeri; & proprij amissi lucri immemores in laudes invehuntur à pueris Christo tributas, argutè D. Petrus Chrysologus (Serm. 171.): *Quis tibi malorum finis? ubi alterius bonum pœna est, ubi cruciatus est aliena felicitas? malum multiplex: quot sunt prosperitates hominum, tot sunt tormenta invidorum.*

28. Quid miserius, quàm aliena salute ægrotare? quid infelicius, quàm alieno solatio torqueri? quid indignius, quàm alieno splendore, ac luce cæcutire? quid insanius, quàm aliena felicitate infelicem esse? Adeo torquentur invidiæ alumni, cùm alios vident ad sublimiora evchi, ut se ipsos deprimant in imum ærumnarum, patiantúrque libentiùs proprij honoris jacturam, quàm alienæ incrementum felicitatis, scitè D. Gregorius (In Moral.): *Invidus nihil latum de proprijs libat, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena: & quantò operis in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis livore profundiùs suffoditur, ut quò alij ad meliora properant, eò ipso deteriùs ruant.* Crudele est invidia vitium, cum nec sibi ipsi parcat, & supplicium, quo se intùs torquet, exteriùs prodat; hinc in invido vultus minax, aspectus torvus, in facie pallor, in labijs tremor, stridor in dentibus, ex ore erumpunt verba rabida, effrænata convicia; manus expeditæ sunt ad cædis violentiam; tametsi gladio sit invidia vacua, odio tamen futuræ necis armatur.

29. Non tamen credas, ab animo prodire invidiam magno; quin potiùs imbecillem prodit, & inertiam sequitur, & Livius (Lib. 35.) causam etiam assignat, *quia nulla ingenia tam prona sunt ad invidiam, quàm eorum, qui genus, & fortunam suam animis non æquant:* quia hi virtutem, & bonum alienum oderunt; hoc ad splendorem suum pertinere arbitrantes, si aliorum laudibus nebulas offuderint; & in parte felicitatis suæ ponentes si quid alijs adversi contigerit. Quemadmodum Medici, avaritiæ studentes id unum habent in votis, ut quamplurimi per urbem morbi grassentur, de quibus proptereà fert parœmia, rem malam esse Medicum, cui nunquam bene est, nisi cum alteri est malè, ait Seneca (Lib. de tranquil. cap. 2.): *Alit livorem infelix inertia, & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere: & ex hac deinde aversatione alienorum processuum, & suorum desperatione obirascens fortunæ animus, & de sæculo quærens, & in angulo se retrahens, & pœnæ incubans suæ.* Odio, & invidiâ Josephum fratres insequebantur, quia sibi conjiciebant præcellentem, sed cum de livore innocentem carpunt propriam produnt inertiam, ac imbecillitatem, & se ipsos livore discerpunt, morsúque viperino propria corrodunt viscera.

§. III.

Invidia sibi culpa, & supplicium, quæ alijs mala in odij cudit officina, in se retorquet; gehennámque accersit, quâ eò acriùs torquetur, quò alius, cui invidet uberiori donatur felicitate.

30. Est sibi invidia culpa, & supplicium, quia cum quis alteri invidet, in proximum peccat, & promeritas dat simul pœnas se ipsum excruciando: livoris supplicium in se ipsum priùs sævire incipit, ut alios discerpat. Intuebantur Pharisæi laureatorum coripheum Stephanum splendoribus circumfusum, ejúsque audiebant verba divinam redolentia Sapientiam (Actor. 7. n. 54): *Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis:* ut sævirent in Stephanum se ipsos priùs torquent, & propria viscera corrodunt: quia hæc est natura invidiæ in se ipsam sævire, & invidum acriùs torquere, & in hoc tantùm justitiæ legibus studet, quia propriæ noxæ pœnas à se exigit, & tela, quæ in alios jacit, in se prius vibrat, ut pulchrè notavit Valerianus inquiens de invidis (Serm. de invid.): *Bene istos tela puniunt, ut videatur mihi invidia aliquid discretionis habere, dum authoris suo cor repercutit, & malè conscium pectus crescente jugiter livore consumit.* Parœmia est, quâ invidia in aulis nasci dicitur, enutriri ac adolescere, sed nunquam mori; sed veriùs dixerim, hanc furiarum Megæram ab Erebo originem trahere, cùm ipsius æmuletur sævitiam aiente Salomone (Cant. 8.): *Dura sicut infernus æmulatio*, non solùm inflexilem Libitinæ duritiem æmulatur invidia, quæ perinde ac mors nemini parcit, neque sibi ipsi, quam dirè torquet; verùm etiam inferni supplicia imitatur; adeò dirè se discruciat: parum ei fuit mortis æmolari inexorabile fatum nisi acriora gehennæ in se supplicia excitaret. Tametsi ut cecinit Venusinus Poëta (Lib. 1. Od. 4.): *Pallida mors æquo pulset pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Moriatúrque eodem modo Sutor, ac Rex, & frustra cœlum ullulatibus impleant, qui ejus falcem declinare satagunt; ita tamen mors hominem persequitur, ut licèt corpus corrumpat, & absumat, non tamen animam extinguit, quia amputato corpore ex Libitinæ unguibus fugit anima: infernus verò non solùm corpus, sed & ipsam animam prædatur, ac discruciat, & ignis tartareus in spiritus sævit.

31. Quis non dixerit, invidiam esse unam ex furijs in Erebo natis? cum ejus flammantes tædæ non solùm corpora torqueant, sed & animam excrucient, ejus

dotes

dotes denigrent, intentionem damnent, & in ipsos Spiritus sævientes eosdem, rodant, incendant, torqueántque? sed dum invidia gehennam suppliciorum in alios se prodit, interni supplicia etiam in se retorquet, & pœnas dat, quas invidiæ livor exigit, idque causæ, cur Regius Psaltes dixerit: *Dolores inferni circumdederunt me*; (Psalm. 17. v. 6.) quòd si quæras quinam sint hujusmodi dolores adeo atroces, ut gehennæ æmulentur supplicia respondet D. Augustinus in enarratione in Psalm. 17. (In Psal. 17.) *In hisqui circumdederunt me, ut perderent me, erant dolores invidiæ.* Invidi siquidem tartareis cruciatibus oppressi Davidem persequebantur, ideóque dolores invidorum, dolores ijsdem fuêre inferni, quia ut scitè notat Alanus: Invidia est humanæ mentis infernus, & id fortassis causæ, cur Deus nulla alia graviori pœna invidos plerumque puniat, quia internus invidi cruciatus officio fungitur sævioris tortoris; adeo acre est invidorum supplicium, quo intus excruciantur, ut graviorem pœnam ab ijsdem subinde non videatur Deus exigere.

32. Invidebant Ægyptij Hebræis, eò quia per multiplicatas proles uberiora semper incrementa subirent, quapropter ait David: (Psalm. 104. v. 25.) *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus.* Qua igitur pœna erant Ægyptij mulctandi, eò quia invidentes Hebræorum incrementis dolosè in eosdem se gerant? Deus vindex non reliquit Ægyptiorum invidiam suum impunè venenum effundere in Hebræorum perniciem; sed livorem punivit, non Ægyptios mulctando, sed Hebræis benefaciendo: scitè Augustinus (In eund. Psalm.) *Numquid istorum gravium peccatorum author est DEUS? in eo quòd populum suum multiplicavit hoc beneficio malos, ad invidendum convertit: non itaque cor eorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo spontè malum convertit ad odium.* Quos Deus vult acriùs punire, eos permittit invidiæ torqueri livore, ac odio excruciari, quia invidus in se ipsum sævit, & arma cudit, gladios acuit, patibula erigit, incendia excitat, & ferales accendit flammas in proprium supplicium, & sui ipsius tortor se ipsum excruciat, ac punit; quapropter ait Job. c. 3. *Parvulum occidit invidia:* non tamen credas solos infantes ab invidia enecari; in heroes hæc furia etiam sævit, quos & interimit: sed eatenus parvuli nuncupantur, quia alijs invidentes propriæ derogant authoritati, dum livoris ferulæ se subdunt, ac instar puerorum sinunt se ab invidia virgis excipi: appositè D. Gregorius: *Invidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse testimonium perhibet, quòd eo minor sit, cujus invidia torquetur. Parvulus itaque est, qui occiditur invidiâ, quia nisi ipso inferior exsisteret de honore alterius non doleret.*

Imò non solùm propriæ derogat invidus authoritati; sed sui ipsius tortor plus sibi nocet, quàm cui invidet: dum alterius felicitatem, & fortunæ incrementum, nollet videre, se ipsum torquet; & quo telo ferire alium cupit, se ipsum interimit: hinc homo non tantùm est homini lupus, sed & Dœmon, cum gehennæ cruciatus excitet, nec propterea ullus est Diabolorum ita metuendus sicut homo insidiator, & invidus. Daniele in lacum dejecto leonum, Rex proprio suo annulo ostium obsignavit caveæ, ne ullus esset Danieli opem præstiturus. Daniel. c. 6. *Rex annulo suo, & Optimatum suorum os speluncæ signavit, ne quid fieret contra Danielem.* (Cap. 6. v. 17.) Qui cùm tutus esset famelicos inter leones; securitatem non invenit apud homines, à quibus fuisset per invidiam lapidibus obrutus, vel telis confixus, vel gladijs confossus: & quem dentes, ac ungues leonum servârunt indemnem, rabies invidiæ canino dente dilacerâsset. Quòd si reliqua vitia plurimum secum damni adferunt, & *ambitio* juxta Basilium in Epistolis, *Sit dæmon pessimus:* imò calamitatum fœcundissima parens, sivè aulas Principum subeat, sive curias Judicum ingrediatur, sive ad castra militum egrediatur; humilitate tamen curatur hæc ægritudo, & ejus tumor deprimitur; imò est humilitas, quæ promovet ad eminentiores dignitates; cum ambitio in imum detrudat miseriarum; Saul enim dum parentis sui asinas quærit, regnum invenit Israelis. Josephus nunquam in Ægypto ad fastigium fuisset Proregis evectus, nisi priùs dejectus in puteum fuisset à fratribus. Sed invidia ægritudo est, cui medendæ nullum est pharmacum aptum; morbus est insanabilis, adeò ut solius sit divinæ Omnipotentiæ, eidem curando remedium adhibere; imò est adeò audax invidia, ut suis morsibus nec ipsi videatur Numini parcere, & solus Deus sit, qui invidiâ non pulsatur, & nullus eum tangat livor: ait D. Nazianzenus: *Invidia non solùm multos, sed optimos tangit; ita ut solius Dei sit, ab ea inexpugnabilem esse:* licèt quis se invido submittat, non propterea eum sibi conciliat, & invidiam extinguit, mititatem dedicit omnem invidia, in omnes ferocit, & vix uni, vel alteri parcit: & quamvis feræ omnes sylvis innatæ, ac innutritæ assuetudine, ac beneficiis mansuescant: invidus tamen nullis delinitur artibus, nullisque cicuratur beneficijs. Hinc Deus Israelitis prævaricantibus irascens ait per Jeremiam: *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* (Cap. 8. v. 17.) Quòd si quæras, quinam sint hujusmodi reguli serpentes, respondet Cassianus: *Invidia est lues, de qua dicitur per Prophetam: mittam* (Collat. 18. cap. 17.)

tam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio. Quòd si invidus serpens est regulus nullis concentibus cicuratur, nullis precibus flectitur, nullis verbis mitescit, nec ulla mollitur arte, cùm sint serpentes reguli, quibus non est incantatio.

34. Invidiæ natura est sævire in invidum, eúmque torquere, & priùs debet propriæ oblivisci naturæ, quàm à pœnis infligendis desuescere. Hinc apud Pelascos parœmia fuit: *Plurimi habent in horto suo arborem Thimonis*, fuit is Atheniensis, vixitque temporibus Peloponensiaci belli (ut ex Aristophanis, & Platonis liquet poëmatibus) invidus, ac prorsus inhumanus, qui propterea cùm omnibus invideret, omnium arrodebat actiones, & nullorum erat hominum homo, dictus propterea, *Misanthropos* seu osor hominum, eò quia misanthropiâ laboraret seu vestigia, ac consortia effugeret hominum, uni duntaxat adolescenti Alcibiadi familiaris, quòd cum fuisset id visum intuetum & mirum; placuit aliquibus causam sciscitari, cur cum solo Alcibiade amicitiam foveret; & ferunt respondisse: quia hic adolescens suo tempore ingens erit malum Atheniensibus conflaturus. Ideo amicitiam cum Alcibiade inivit, quia invidiam ejus fovit, dum malo ganderet alieno; idque causæ, cur demortuo Thimone Athenienses hoc curaverint ad maris litus Epitaphium insculpi: *Hic sum post vitam, miserámque, inopémque sepultus. Nomen non quæras, Dij, lector, te malè perdant.* Semel duntaxat, cùm viveret in concionem ascendisse fertur, ac dixisse cunctis admirantibus facti novitatem: est mihi ò viri Athenienses post ædes hortulus, in quo ficus coaluit quædam, in qua permulti nostri cives se suspenderunt. In eodem nunc ego loco ædificare volo, quamobrem operæ pretium duxi vos publicè admonere, si quis ex vobis fortè sit, qui se priùs velit in eadem suspendere arbore, antequam ficus excidatur: Cùm enim bona quæque reliquis invideret, nonnisi malum ijsdem imprecabatur.

35. Non solùm Athenæ suum habuerunt Thimonem, sed nulla est civitas, nullus pagus, imò nulla domus, quæ suo careat Thimone: plenus est orbis Thimonibus, quia invidiæ ubique livent, & invidorum innumerus est numerus. Quin beneficij suscepti oblitus invidus in quosque sævit, & in id incumbit studij, ut vel è culmine sperati honoris, & dignitatis alios deturbet; vel id agat, ut eorundem morte proprium extinguat odium, vel eorum sanguine sitim; ringit, indignatur, omnésque odij, & iræ flammas oculis, ore, animo concipit, & eructat. Nil est integrum, quod non frangere, nil tam sanctum, quod non violare, nil tam munitum quod non expugnare invidia conetur. Eleganter D. Bernardus carpens invidos ait sub initium: *Erraverunt in solitudine, in inaquoso. Solitudo hæc superborum est, quia solos se se æstimant, se solos appetunt reputari. Litteratus est? odit socium. Astutus est in negotijs secularibus? Neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est? si ditescere viderit alterum, cruciatur. Fortis, aut formosus est? Da ei parem, & contabescit. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine suâ. Cor ei elatum, durum, expers pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiâ cælestis. Quis facilè potest, quale sit hoc malum, verbis exprimere, quo invidus odio hominis prosequitur divinum munus in homine. Tantos porrò invidus pœnâ justâ habet tortores, quantos invidiosus habet laudatores. Siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati. Nec ei ab homine potest remedium adhiberi, cujus est occultum vulnus. Considerate, obsecro, qualiter invidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Ubi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali? aut quando malis bene usuri sunt, qui malè bonis uti non desinunt.*

Lib. de nimia fallacia præsentis vitæ.

Invidia ambitionem sibi contubernalem adsciscit, & utroque qui vitio inficitur alios non patitur, nec sibi pares, nec superiores, sed admititur supra cæteros eminere, ac reliquis præesse. Invidia torquebatur Core, & ambitione inflabatur: erat is ex Levitica propagine, & accersitis Datane, & Abirone consilia cum ijsdem inivit de Aarone supremo sacrorum Pontifice, & Moyse Judice causarum civilium, ac divinæ voluntatis internuntio, ac Interprete de supremis hisce deturbandis dignitatibus; quod perversum consilium, ut exequerentur, homines potentes, ac factiosos ex populo sibi adjunxerunt, qui plures ad se traherent populi partes ad dejiciendos validioribus viribus è supremo gradu, Aaronem, & Moysem. Simul convenerunt conjuratorum ducenti, & quinquaginta Patritij generis omnes, publicique consilij Senatores, quorum vota eò redibant, ut Aaron supremam deponeret pontificiam dignitatem, ac sacrorum renuntiaret præeminentiæ; & Moyses è gradu depelleretur supremi Judicis, cui Core subrogaretur, & Aaroni quicunque alius ex conjuratis, prout consultiùs visum esset; & reliqui sortibus inter se jactis minora acciperent sacerdotia quotquot Leviticæ essent stirpis: aliarum verò stirpium tribules populi, præturas, præfecturas, ac tribunatus inter se se dividerent. 36.

Cúmque spes novas enanciscendi dignitates conjuratos ad rebellandum allicerer, intra tentoria sibi omnes clanculum acerras, ac thuribula præparari curârunt; ut cùm primùm tempus exigeret progrederentur ad adolendum. Rebus ea majori celeritate, ac silentio, quo fieri potuit, compositis cœperunt 37.

ingenti

ingenti cum tumultu simul convenire, ac misceri Coritæ, & thuribulis instructi æneis ad fores accedunt tabernaculi, ubi aderat Aaron veste indutus Pontificali cum thuribulo aureo, ut etiam Moyses virgâ supremi Judicis munitus, qui coram populi frequentia exposuit omnia à se dicta, & facta Numinis præcepto dixisse, ac fecisse, & non ambitionis suæ commento, & tunc sacro accensus zelo dehiscentis terræ sepulchrum, ignitùmque inferorum supplicia cœpit rebellibus interminari, nisi à conjuratione desisterent, eósque etiam oravit, & obsecravit, ne in cœptis nefarijs progrederentur, ni vellent Dei vindicis experiri supplicium: sed Coritæ acriùs in Moysem, & Aaronem stendentes in pervicaci seditione perseverârunt, ac protestati sunt, se non destituros, donec Moyses officio se abdicet supremi Judicis, & Aaron dignitati renuntiet supremi Pontificis. Horrendum sanè visu, & dictu formidandum! postquam jussu Dei, & Moysis pars populi proximè ab impiorum recessit tabernaculis; tunc illic ubi Datan, & Abiron, tum alibi ubi Core cum suis constiterant disrupto terræ gremio vasta, & horribilis deducta est vorago, ac amplissimus terræ hiatus, in quem præcipites eodem tempore ceciderunt, quotquot cum Core, Datane, & Abirone aderant, ac ijsdem adhæserant rebellantibus: & discissæ telluris verago immani cum fragore absorbuit non solùm homines rebellantes, sed tentoria, ac eorum uxores, liberos, familias, pecora, totámque rei domesticæ supellectilem. Core duntaxat tres filios parentis impietatem detestatos vis divina in aëre vacuo pendulos tantisper sustentavit, donec discissa terra se iterum recomponeret, suúmque clauderet hiatum.

38. Exterruit hoc Dei vindicis supplicium reliquos superstites. Tempore autem, quo terra inopino hiatu contumaces absorbuit; ducenti illi, & quinquaginta viri, qui cum acerris ad tabernaculum accesserant, dum forcipibus ab altari rapta pruna incendere thus, & adolere parant, incenduntur ipsi, & absumuntur flammâ, vel de cœlo lapsa, vel ab ara prosiliente, vel ut fortassis probabilius ex ipsis singulorum thuribulis in ora pervolante succendentium; cùm enim vim ignis restinguere non possent, nec cœlesti punitioni obsistere, ceciderunt ipsi extincti ad aram, in qua ignem accendere, & thus adolere cogitaverant; & dum sacerdotio fungi cupiebant flamines, infeliciter ceciderunt facti victimæ; imò & æs thuribulorum incendio colliquefactum productum in laminas fuit, & aræ suffixum in perenne monumentum prodigiosi supplicij rebellium. Ecce quale exitiale incendium flatus ambitionis, & flammæ invidiæ accenderunt.

39. Corem omnium primum invidia torsit, eò quia Aaron pontificatu insignitus ei præesset; & ambitio eum stimulavit, ut eadem ipse potiretur dignitate. Mox turbidæ secutæ sunt cogitationes; quæsita clandestina conciliabula, & accersiti non dispares pravitatis nefarij homines, cùm quibus fuére consilia inita de deturbando à principatu Aarone; hisce accessit feralis fax linguæ calumniatricis, ac libido criminandi geminos fratres Aaronem, & Moysem, quos perduelles satyritè persequebantur; ac demum supervenit extremum malorum; seu concors tot millium adversus legitimos Principes hostilis conjuratio; quæ tamen congregatio rebellantium nil aliud fuit, quàm universitas iniquitatis, quæ terræ hiatu supplicium sibi aperuit, quo æternùm perduelles cruciarentur in gehenna. Ecce quot malorum incentiva una accersivit invidia, quot feræles flammas accendit! incendium concepit ambitio; peperit invidia, fovit livor, enutrivit odium; circumtulit lingua calumniatrix; proflavit conspiratio, dispersit seditio, dilatavit pertinacia, donec gehenna suo illud igne extingueret.

§. IV.

Invidus nec pares patitur, nec superiores tolerat, errátque propterea in solitudine, in inaquoso: quia nonnisi sentes, & vepreta, quibus pungitur, & torquetur, sua experitur in solitudine.

Perniciosissima est invidiæ arbor, quæ nisi succidatur, ac radicitùs evellatur suis sub initijs fructus parit exitiales. 40.
Plurimi interest, si vel ab incunabulis quis assuescat huic vitio à se longiùs abigendo: David suam inchoans Psalmodiam ait, *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Psalm. 1. 3
Exorditur Regius Vates præconia à Satione plantæ felicioris, eò quia, sciret maturitatem frugum à positione dependere radicis: quæ cum laude gesta à nobis sunt in infantia, hæc ut plurimum perseverant in adolescentia, juventute, & senecta, quæ enim suas fixerunt in mente infantis radices difficiliùs divelluntur, & abscedunt. Quamvis ab eodem parentis utero in lucem edantur infantes, pro morum varietate, ac studijs, quibus postea assuescunt indolem, & studia sortiuntur diversa. Ab eodem quasi fonte scaturiunt in Arcadia Alpheus, & Arethusa, & tamen excrescentes in amnes, eo viarum, cursúmque divortio sejunguntur inter se se, ut ex Arcadia in duos diducti alveos prorunt unus in Jonium, alter Siracusas. Duos Rebecca ex Isaaco gemellos concepit fœtus Esavum, & Jacobum, quos uno etiam, eodémque partu in lucem edidit; habitu tamen corporis, & indole animi perdissimiles: fuit Esau naturâ ferocior, ingenio agresti, venatui addictus, & fratri infensus: Jacobus verò moribus

elegans, ingenio facilis; mitioribus assuetos studijs, & animo virtutum exercitijs excolendo aptior, quàm telluri aratro proscindendæ. Sed quæ tanti discriminis causa? cum eodem tempore, eodémque ex patre, & matre geniti fuerint, & etiam simul lucis usuræ editi? quia nimirum Esau, vel in ipso matris utero invidiæ assueverat, qua fratri simul cum ipso genito fuit obluctatus stupente natura, quòd in illa teneritudine stadium, & palæstram in matris utero fuerint priùs enacti, quàm nati; sæcœperint simul pugnas inire, ac frater fratri adversari. Quid ni? quæ in infante vagiverat invidia, eadem cœpit in adulto rugire; & quem in matris alvo Esau pugnis Jacobum tutuderat, in patris postea tentorio eundem non ampliùs pugnis, sed impugnato gladio, cruentáque cæde delere moliebatur. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.*

Genes. 27. v. 41.

41. Adeò protervum est invidia vitium, ut nec temporum diuturnitas, nec munerum varietas, neque squalor sepulchri valuerint compescere. Cœpit Esau vel in matris utero fratri invidere, quem parem noverat sibi asciscì, ideóque erravit adhuc in utero velut in solitudine, in inaquoso: est enim solitudo hæc invidorum, qui pares non patiuntur, nec superiores, cupiúntque reliquis omnibus præesse, ac præeminere. Da invido parem, & contabescit, quia solitarius vult esse, ac errare in sua solitudine: *Invidus*, ait D. Bernardus de nimia fallacia, *neminem vellet sibi parem inveniri*: quia invidia Esavum priùs torsit, quàm nasceretur, pati sibi parem in matris utero non valuit, & in maternorum viscerum latebris, quia Jacobo invidere cœpit, pugnis eum impetere incepit, & quæ nata fuit cum Esau invidia, cum eodem adolevit, crevit, & insenuit. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*, invidis enim nil magis volupe, quàm errare in solitudine, in inaquoso; desiderant soli præminere, dominari, divitijs affluere, honoribus insigniri.

42. Hinc cùm primùm cœpit invidia Alexandrum Macedonem pulsare, cœpit & pares sibi Reges aversari, & se solum Regem desiderare; cum enim ei Darius in amicissimum fœdus notabilem regni sui partem, ac talentorum auri triginta millia obtulisset, fertur respondisse Dario, cœlum duos non pati soles, nec unam Asiam Reges duos: erravit certè Alexander in solitudine præeunte invidia, quâ Reges alios sibi pares, nec pati voluit, nec amico fœdere sibi devincire: invidi enim in sua solitudine soli volunt regio coronari diademate, nec pares in throno patiuntur, quia invido perinde est parem habere, ac tortorem sibi asciscere, à quo discrucietur, ait sanctus Prosper. *Invidus certè alienum bonum suum facit invidendo supplicium*: itáque tortorem ut abigat, pares, & superiores sibi delere adnititur, quia & sibi inferiores, quia si invidet pari, quia is ei æquatur; si superiori, quia illi non coæquatur; invidet etiam inferiori, ne illi coæquetur: hinc Job invehens in invidos ait: *Ergo vos estis soli homines: & vobiscum morietur sapientia*: soli esse vellent invidi, ideóque ut ait Regius Vates. *Erraverunt in solitudine in inaquoso*, & certè in utróque erravit Alexander Macedo, qui cum in Oceano post innumeras propemodum victorias ultra consuetudinem proveheretur, & ad Insulam ventorum impetu navis plenis velis appulisset, hoc unum Neptuno votum fecit, ac expetijt: ne quis mortalium ultrò progrederetur; invidum sanè votum, & simul insanum fuit; cum hominibus nondum natis maris inviderit trajectum. Hæc est invidiæ rabies, quæ non solùm vivis, sed & nondum natis invideat: & cùm Aristoteles Alexandri Magister mundum docuerit æternum, credibile est, ejus Discipulum Alexandrum id sensisse, quòd à Magistro didicerat, hinc invidia, quâ pulsabatur, infinita erat, cum innumeros sæculis futuris homines adnixus est ab ulteriore progressu in Oceano arcere, ne ubi appulit ipse, alius veniret; & propterea parem non haberet in illa maris trajectione; *ideóque erravit in solitudine, in inaquoso*.

Prosent. vit. sub init. — *Cap. 12. v. 2.* — *Psalm. 106. v. 4.*

Non tamen invidia, quæ invidum torquet, ullum infert damnum, cui invidet, quin potiùs, quò acriùs invidum torquet, eò illustrius, eum commendat, cui invidet: scitè D. Chrysostomus. *Invidia clariorem facit eum, cui invidetur; nec ad principium eorum, quibus invidetur, sed ad finem respice, & attende: quia malitia invidentium eos, quibus invidet, clariores efficit.* Non igitur invidiam pati est malum aliquod pati; neque est quispiam malus ex eo, quòd alter ei bonum invideat, quod possidet: imò magna est illi gloria dignum esse invidiâ alterius, cùm nemo sit, qui misero, ærumnoso, & pannoso invideat; nisi is fortassis, cui est minor, quàm invidentis miseria; sídque causæ, cur doctus docto, figulus figulo, felix felici invideat, quia ipsa felicitatis æqualitas fomes est invidiæ, quæ nonnisi in alienum bonum fertur. Hinc Bion Pelascus sapiens, cùm homini obviâsset invidiâ intus torto, eúmque fuisset conspicatus vultu tristi, ac dejecto, dixit: *nescio, an tibi quidquam mali, an quid boni alicui alteri obtigerit*: quia invidus de alieno bono proprium sumit supplicium, & in officina alienæ felicitatis gladium sibi cudit, quo se ipsum transfigit. 43.

Tom. 1. homil. 46. in Genes.

Si noveris te invidos habere, indè conjice aliquid boni te jam fuisse assecutum; non conqueraris, quòd alij tibi invideant; sed lætare, quòd virtutem enactus sis, cui alij invident. Quòd si neminem tibi compereris invidere, dic cum Themistocle adhuc ado- 44.

adolescente: *praclari nihil hactenus feci, mihi quippe nondum invidetur.* Invidus illius bono contabescit, quem se superiorem agnoscit, vel parem, vel à quo timet æquari, vel etiam superari. Qui insons invidiam patitur, Deum habet sibi faventem, & pro se stantem: & invidus Deo exosus à suismet miserè corroditur vermibus, & proprio contabescit livore consumptus; nec quidquam aliud ipsum manet, quàm avernale supplicium: se ipsam invidia deprimit, cùm eum, cui invidet, attollit. Nunquam Joseph ad sublimissimam Proregis dignitatem ascendisset, nisi eum fraterna invidia ad culmen illud honoris ac dignitatis extulisset: tunc ad sublimiorem post Regem invidi fratres Josephum evexerunt, quando in puteum depresserunt; tunc purpurâ eum induerunt, quando polymita veste exuerunt; divitias ei congesserunt, quando venalem Madianitis concesserunt.

45. Invidet homo homini, sed Deus insontes promovet: illa arbor fœcunda est, cujus fructus vermes vellicant, corrodúntque; si enim probro laboraret sterilitatis, vermium non experiretur corrosiones, quorum dentes fructibus insidiantur delicatioribus: invidia testis est virtutis, argumentum laudis, & signum innocentiæ: quis invideat vitiorum cœno immerso, & naufrago? quis invideat misero, exulcerato, & pure scatenti? quis invideat pannoso misero, & ærumnis presso? Vermis est invidia, fructus corrodit delicatiores, non sterilescentes vellicat arenulas: parœmia fuit, quâ misers dicebatur fortuna, quæ inimico careret; ita & miser est, qui nullum habet invidum: virens victrix est veluti palma, quæ sub pondere premitur invidiæ, felicior crescit, & altior evehitur: si hostibus destituatur, & invidis, necesse est, deficiat, & marcescat; invidorum enim dentibus limatur, ac perpollitur, ut illustrior splendeat.

46. Non est, cur malevolorum nos debeat invidentia turbare, dolent invidi aliens laude, non alterius dedecore; mœrent alienis bonis, non verò alterius tristantur miserijs: quæ invidiam excitant, fovéntque, sunt honores, quibus alij nos prosequuntur; dignitates, ad quas promovemur, virtutum ornamenta, quibus fulgemus; opes quibus affluimus; fortuna, quæ nobis arridet: hæc autem, quæ malevolorum invidentiam fovent, eámque acuunt, nobis non debent quidquam adferre molestiæ, cùm plurimum inferant boni, ac decoris; non enim in invidiam rapiuntur, nisi qui meliores creduntur. Quòd si cultor virtutis flores duntaxat cupiat legere omni spina vacuos, se ipsum fallit: in rebus cæteris, ubi mel, ibi & fel; ubi uber, ibi & tuber; cùm & ipsa dulcia faciliùs vertantur in bilem. Si Joseph minus Jacobo parenti charus fuisset, minúsque castus, fratrum invidia carnisset. Quâ tamen noluisset carere, si rerum se se consequentium seriem prænovisset: invidia vel nolens, & invita, tunc aperuit ad primam in Ægypto dignitatem januam, cùm in exsiccata cisterna eum clausit.

47. Apologus est, quo fortuna, & invidia manicis ligneis finguntur simul colligatæ, perinde ac geminæ vulgati corporis fœmellæ. Invidia oculata est, imò & lincæa, cùm fortuna cæcutist oculis destituta, aut velata: mirabile sanè par noxiarum mulierum, sed ideò simul vinciuntur, quia cæca sine oculata minimè posset incedere: cæca est ipsa fortuna, sed ei adhærescit oculata, & lincæa invidia: nemini fortuna favet, quin eundem sua invidia livido dente corrodat. Invidorum sermones, obtrectationes, ac technæ magis prosunt, quàm obsint; invidia aliena est nobis decori, cautioni, profectui, commendationi, & emolumento. Qui invidorum petitur linguis, sibi attendit, cautus est, ne nudum hosti præbeat latus: qui plures habet invidos, & æmulos, is plures etiam aperit oculos, quibus & sibi cantiùs vigilat. Cæterum si mente percurras omnium terrarum tractus, regnorum spatia, si evolvas omnes omnium ætatum historias, vix quempiam invenies, quem virtus commendaverit, vel dignitas in sublime evexerit, vel eidem fortuna plurimum arriserit, qui invidiam declinaverit; ab hac enim peste inficiuntur, quotquot virtus commendat; vel natura suis exornat dotibus. Ideóque satiùs est, & optabiliùs, Achilem esse cum invidia, quàm sine illa Thersitem.

48. Vix ex sexcentis unum reperies, qui bina hæc mala invidiam, & contemptum evaserit: siquidem invidiam non declinat quispiam nisi vel desidia torpescat, vel miseriâ angatur, cum nullus sit, qui misero invideat: sed dum sic invidiam declinat, in aliud incidit malum, sitque contemptibilis, quia miseria, & ignavia contemptui est; sitque propterea fuga invidiæ, miseriæ affectatio; & perinde invidiam declinare, ac in miseriam prolabi. Cum igitur alterutri ex his malis sit quis obnoxius, consultius est invidiam pati, quàm contemptum; si enim comperimus non deesse, qui nobis invideant, jam quod nobis gratulemur, habemus; aliena invidia aperta est nostræ felicitatis confessio, ubi enim incipit, quis præ cæteris eminere; pericula utrinque necesse est, eidem immineant invidiæ; neque extra teli jactum se constitutum noverit: non tamen invidorum tela vulnus ullum infligunt; neque plus cui invident, lædunt, quàm araneorum tela.

49. Quòd si velis invidiâ carere, necesse est, omni te bono spolies, quia quamdiu in te aliquid aderit boni, alienam in te invidentiam trahes. Is etiam invidiæ à se excutit livorem, si sentiat ejus se dente corrodi,

eo

eò quia alter eam fuerit dignitatem assecutus, vel honorem, ad quem ipse aspiraverat, quia necesse est, spernat hujus mundi fluxa bona, & sols diligat æterna, at stabilia. Solus cœlestis beatitudinis amor mors est invidiæ, non enim, qui sola duntaxat æterna concupiscit, bona temporalia alijs invidet: nec ullus est Princeps, qui sutori, aut sarcinatori artium suarum vilia servitia invideat: nec ullus Cresus tibi obviabit, si singulos terrarum tractus perambulares, qui pannoso invideat Codro. Felix non est, quem felicior cruciat, nec supra cæteros eminet, qui nulli subest invidiæ. Scitè Seneca: *Ars prima regni est, posse te invidiam pati.*

50. Neque viri Principes immunes sunt ab invido dente hujus vermis. Cato Censorinus licèt Phœnix Romanorum, prudentiâ insignis, moribus, & vita optimus non evasit invidiam: quæ nullum acriùs exagitavit, nec frequentiùs divexavit, ac ipsum Catonem; quadragies sexies accusatus, & in jus vocatus absolutus semper fuit, & eò ejus gloria uberiori semper crevit incremento, quò invidia multiplex fuit. Nulla est virtus, nulla felicitas, quæ invidiæ morsus possit declinare: est invidiæ livor tinea, quæ purpuræ præsertim nitorem corrodit, & si quid est præcellentis in ipsum dentes acuit, quo fit, ut quibus lenocinatur fortuna, ij adhuc infortunio sint obnoxij, eò quia invidia fortunatos insectetur, quibus se comitem adnectit: neque prosperas inter sortes potest quis malignorum dentes evadere: siquidem nullum est propugnaculum, quo contra invidiam possit quis se tueri; nec ullus secessus, in quo delitescat; nulla alpium juga, in quæ ascendat, nulla sylva, in cujus latebris lateat, nulla navis, in qua æquora trajiciat, neque quidquam aliud, quod tueri possit ab invidia eum, cui fortuna prospera arridet: adeò est invidia maligna: adeò fortuna omnibus noxia, ut nullus fuerit, aut futurus sit, quem suis non mordeat dentibus, unguibus dilaniat, pedibus proterat, veneno inficiat. Neque contra invidiam ullum invenitur pharmacum; est pestis adeo noxia, ut eidem extinguendæ impar sit quodvis humanum remedium, sitque propterea malum insanabile, ut in Saule pertinacissimè invido liquet. Tametsi impius Rex non solùm statuerit: verùm etiam promiserit, ac juraverit se se ampliùs non nociturum Davidi; adhuc tamen Saulis invidia in ipsum dentes acuit, ac sua evibravit tela postquam puellarum chori epinicion cecinêre Davidi. *Percussit Saul mille, & David decem millia*, tunc nonnisi lividis oculis Davidem Saul aspexit.

1. Reg. cap. 18, v. 7.

51. Non solùm exteros sibi invidos fuit David expertus, sed etiam proprios germanos fratres: venerat in castra David jussu parentis; & statim Eliab frater natu maximus invidiæ livorem in eum evomuit, inquiens: *Quare venisti. & quare dereliquisti pauculas oves in deserto? ego novi superbiam, & nequitiam cordis tui; quia ut videres prælium, descendisti.* Eum illico reprehendit, eò quia cùm ibi nihil haberet negotij, causâ solius curiositatis oves reliquerit, & illac descenderit, ut castra videret. Exclamat hic D. Chrysostomus. *O zelus! ò invidia! omni malitia cumulata!* est invidia exitialis ignis nullo extinguendus latice; & draco pervigil, nullo sopiendus beneficio. Verùm sicut teredo lignum est, & tinea vestem corrodit, ita hominem invidia exedit, quem occupat: & in hoc tantùm virtuti adhærescit justitiæ, quia ipsa à suo exigit authore pœnas, qui eò est miserior, quò non solùm malo proprio, sed & bono etiam alieno torquetur. Quid infeliciùs, ac miseriùs, quàm puniri propter aliorum merita, excruciari ab aliena felicitate, torqueri in alieno solatio? quid scelestius, quàm minus dolere suis malis, & alienis bonis acriùs excruciari? Quid funestiùs, quàm odisse omnes se meliores? quid perversiùs, quàm abominari, quos virtus ornat, dignitas munit, & fortuna evehit? quod si alij proprijs duntaxat calamitatibus dolent: invidus, & à proprijs miserijs, & ab alienis prosperitatibus geminato torquetur cruciatu, adeò ut verus fuerit, qui dixit. *Invidum invidiâ comburi intùs, & extra.* Hinc si optio daretur eligendi consultius foret eam optare sortem, quâ inimici nobis inviderent, quàm nos illis: nulla sunt ingenia ad invidiam tam prona, quàm eorum, qui genus suum, & fortunam animi dotibus non æquant; hi enim virtutem, & bonum oderunt alienum. Non tamen studio declinandæ invidiæ, ab exercitio est discedendum virtutis, quæ invidiæ alieno in pectore stabulanti fomitem suppeditat.

§. V.

Nil est, quòd graviùs invidum torqueat, quàm aliena felicitas, & virtus. Is tantùm invidia caret, qui nulla virtute claret.

Refert Homerus suo ævo duos in Græcia homines vixisse, quorum quilibet suo fuit instituto insignis; unus improbitate famosus Thersites, cui nemo unquam invidit: alter Achiles ob res in bello præsertim præclarè gestas illustris, sed invidiæ cæterorum obnoxius. Quòd si optio daretur conditionem eligendi alteriusutrius, quis non potiùs sortem eligeret Achilis invidiæ obnoxij, quàm Thersitis à quovis invidiæ livore immunis? Non est, quod vir probus tristetur, si reliqui illi invideant, imò indè plurimum debet gaudij hau- 52.

haurire, quod tantùm in se boni habeat, quod alienam exciter, nutriátque invidiam. Filij sumus invidiæ, cum qua & nascimur, vivimus ac morimur: nascitur divitijs affluenti filius, cui hæreditario jure debetur, quidquid pater possidet; illicò fit scopus odij, & in ipsum invidia suum effundit livorem, qui enim ex sanguinis agnatione, ac necessitudine ijsdem inhiabant divitijs, ægrè ferunt, spem sibi præcidi, eas enancscendi: vivir, & eò uberiora suppeditar invidiæ fomenta, quò ipse pinguioribus ditescit bonorum incrementis: & quò ampliores divitias moriens relinquit, eò major illum invidia sequitur, & persequitur, etiam inter Manes.

53. Quamvis satagant invidi nos lædere suo livore, multò tamen magis nobis nocet amicus invidus, quàm inimicus apertus: tacitæ siquidem, & occultæ inimicitiæ magis timendæ sunt, quàm indictæ, & apertæ. Si hostes nobis insultent, amicos possumus accersere, quos ijsdem opponamus, sed contra amicum invidum nullum est auxilium. Nullibi frequentiùs spatiatur invidia (non tamen nuda, & aperto pectore, sed larvato vultu personatæ amicitiæ) quàm in aula Principum, in qua si invidiæ moschum olerent, nemo reverà reperiretur, qui tam gravissimi odoris assiduum posset afflatum ferre tota suffitu hoc oleret aula: nullus in eo angulus, qui moscho non redoleret, & is felix, qui verè posset dicere, nil hujus moschi mecum fero, quia is esset, cui reliqui omnes inviderent, & ipse nulli. Quòd si invidi non solùm externa bona, quibus alij ditescunt, verùm etiam interna gaudia, & solatia viderent, usque de omnium torquerentur felicitatibus, & quot felicium essent gaudia, totidem eorundem essent gemitus.

54. Nil est, quod graviùs invidum torqueat quàm aliena felicitas, & virtus, quâ clarescit. Is tantùm invidiâ caret, qui nulla virtute, & bono claret; uni soli invidia parcit miseriæ, in quam nec dentes suos acuit, nec suum effundit venenum; hinc Socrates rogatus, quid bonis viris molestum esset, reposuit; Malorum felicitas: quid malis intolerabile? nisi bonorũ prosperitas. Fumus gloriæ invidia est, & cum quis incipit flamma gloriæ splendescere, plurimum ad se trahit hujus fumi invidiæ: non accenditur flamma, nec splendescit, nisi multus eam fumus comitetur; ubi nullus fumus, ibi nullus flammæ splendor; & ubi nullum lumen, ibi nec ulla umbra est: siquidem lux est, quæ ex corporibus opacis umbras projicit; perinde gloriæ splendor umbras livoris excitat in invidis: ut enim muscæ vulneribus, & scarabæi stercoribus insident: sic invidi alienam virtutem suo insequuntur livore. Hinc invidus est sui ipsius tortor, & carnifex, & varia commentando se ipsum eviscerat, & haurit, consumit, ut verè dixerit D. Gregor. Nazianzen. *Invidia tabes est possessorum, virus, ac rubigo eorum, qui eâ agitantur; sola æquissima simul, & iniquissima.* Invidere, & non dolere rarissimum est. Et Anacarsis invidentiam serram animæ esse dixit, eò quia animum miserrimè non tantùm in multas partes dividat, sed etiam dilaceret. Socrati autem invidia est ulcus animi, quod nunquam suppurat; & eò est invidus miserior, quò alius, cui invidet felicior, quia & malis proprijs, & bonis excruciatur alienis: & Salomon multa paucis complexus ait. *Vita carnium sanitas cordis: putredo ossium invidia*, adeò noxius est livor, ut non carnes tantùm corrumpat, sed & ossium medullas inficiat: eleganter D. Augustinus carpens invidiam ait: *sicut erugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit, & consumit: & sicut aiunt, viperas dilacerato, ac disrupto illo ipso materno utero, in quo concepta sunt, nasci; ita & invidia natura illam ipsam animam, à qua concepta est, & consumit, & perdit. Qualis hæc animi tinea est? qua cogitationum tabes? pectoris quanta rubigo? zelare in homine donum DEI, & in mala opprobria bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam; velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent*, & tamen licèt livor sit tam noxius; nil in civitatibus, locisque omnibus hac peste magis frequens.

Verani de Affectibus Tom. II.

Proverb. 14. v. 30.

Tom. 10. Serm. 83. de tempore.

55. Quemadmodum iter facientes per solem necessariò umbra aliqua comitatur, ita per gloriæ splendores incedentibus comes semper est invidia; & sicut rubigo ferrum; ita invidia eos inficit, ac corrodit, qui eâ afficiuntur; & in hoc sunt invidi brutis animantibus deteriores, quia canes nutricatione cicurantur, & leones cultu mansuescunt; sed invidi ad obsequia, quæ ijsdem præstantur, magis efferantur. *Invidus*, ut scribit D. Augustinus ad Julianum, *similis est navi fluctibus jactata, semper enim perturbatur, & ut lupus rapax insatiabilis manet: invidus enim in miseria semper detinetur, & tabescens ad nihilum redigitur, semper furore plenus.* Epist. 111.

56. Quòd si invidos apibus pariaveris, à vero non errabis, apes quidem infigere aculeum manui possunt, sed eodem relicto, etiam ipsæ pereunt; & invidi dum alios linguâ dolosâ feriunt, lædúntque, propria ipsi malignitate contabescunt; & seipsos interficiunt. Nil est, quod magis suo noceat authori, quàm invidia, & tamen ubíque hoc venenum diffunditur, plúsque damni infert, quàm venenum ipsum, quodque ubíque locorum non semper præstò habetur. Creta enim, ut ferunt nullum habet venenum præter phalangium, éstque araneigenus; sed nullus est locus adeò sacer; nullum asceterium adeò sanctum, in quo suum invidia venenum plerumque non spargat;

quia

quia sicut una domus duos difficulter canes alit; ita nec pares eadem domus, nec duos Reges idem regnum, nec Principes ipsi, & Reges immunes sunt ab hac animi ægritudine: Alexander Macedo, quamvis viribus præpotens, virtute bellica fortissimus, delatis victorijs felicissimus, adhuc Perdiceam oderat, eò quia virtute bellica claresceret; Lysimachu invidebat, eò quia consilijs bellicis multum valeret; ut & Seleuco, quia magni esset animi; Attalo quod imperatoria dignitate polleret; Ptholemæo, eò quia omnia ei prosperè succederent, ut refert Elianus.

Lib. 12. de var. histor.

57. Quinimò invidi non solùm odio sunt virtute illustres prosecuti, sed etiam ad internecionem insecuti, ut teste Plutarcho *in præceptis politic.* Simmias Periclem, Alcmæon Themistoclem, Clodius Pompejum, Meneclides Epaminundam; quia ut vulgata fert parœmia. *Edentulus vescentium dentibus invidet*, & ijs congruit, qui alijs invident, quod ipsis non contingit. Caligula Imperator pulchros, & comatos, si quos haberet in plateis, vel foro obvios, occipitio raso eos præ invidia deturpabat, referente Suetonio; Agatocles Syracusiorum tyrannus Gelonis Regis sepulchrum, quod ei ob res præclarè gestas populus extruxerat, ex invidia diruit teste Diodoro *lib. 11.* Majora beneficia major semper corrodit livor. Rem Romanam sustinuit Publicula, ejus hostes prostravit, Hetruriam bellator fortissimus subegerat, & cum Romani ob tot beneficia Reipublicæ præstita suæ libertatis assertorem, ac vindicem debuissent appellare, ac epinicio prosequi, invidia occupati eum objurgârunt, eò quia familiæ suæ consueto altiorem domum construxerit; & & licèt collabentis patriæ fortunam fulserit, ne rueret, imò & erexerat bellica sua virtute; potis tamen non fuit imperum coërcere invidiæ: non sustinuêre Romani videre altiore in æde commorantem, qui omnium domus sustinuerat, omnium vitam defenderat, & communem patriam tutatus fuerat. Ubi incipit quis altiùs eminere, invidiæ tela ad se trahit.

58. Jacobi filij dentes non acuerunt invidiæ contra Josephum fratrem, quando hic de crimine pessimo eos apud parentem accusavit, nec exarsêre in eum iracundiâ; sed tunc cum somniatam à se præeminentiam eis indicavit. *Accidit autem, ut visum somnium narraret fratribus suis. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum:* in textu hebraico habetur: *Et ecce surrexit manipulus meus, & etiam stabat:* nimirum surrexit; quò indicaret proprijs meritis, non alieno favore ad dignitates, & præeminentias esse hominem promovendum. Quòd autem Josephi manipulus, postquam ex se nulla externa ope adjutus steterit, nos edocet, non debere honores mores mutare, sed semper virtutum studio esse incumbendum: sunt enim, qui blandioris fortunæ aurâ afflati pristinâ exuût mititatem, & qui virtutum culturâ didicerant florere, ac benè olere, mox dignitate insignitos arrogantia cogit fœtere. Erectus Josephi manipulus, & stans symbolum est viri, qui idem est in principatu, ac fuerat, antequàm dignitate insigniretur: & revera textus hebræus maximi fecit, quòd Josephi manipulus surrexerit; & cùm surrexisset, steterit; rari enim sunt, qui erecti ad dignitatem præeminentem cæteris stent in eadem animi moderatione; quâ principatum sibi promeruêre.

Genes. cap. 37.

59. Tametsi Josephi manipulus erectus supra cæteros staret, parem tamen se dixit fratribus, non enim se myrrhæ fasciculum dixit, nec liliorum fascem, sed eodem nomine, & proprium, & manipulos fratrum appellavit: audi, quid purpurâ indutus, qui fuerat polymita veste exutus, dicat, sedens in solio. *Ego sum Joseph*, nomen retinet dignitatis, ne fraternæ oblitus videretur charitatis, ideó surrexit Josephi manipulus, & stetit. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare*, difficulter in aula hæc duo confœderantur, surgere, & stare: qui ad dignitatem surrexit, non cogitat, quomodo debeat in eadem stare, sed quibus medijs possit ad sublimiora evehi: vix ullam invenies in aula dignitatem, quæ semen non sit amplioris honoris, Josephi verò manipulus simul surrexit, & stetit.

Genes. cap. 37.

60. Neque credas, manipulum hunc sine labore surrexisse, non enim flos campi fuit, qui surrexit, sed manipulus; quia si ille spontè germinat, sine labore coloni adolescit; hic nonnisi labore seritur, & imbre sudoris rigatur: non consurgit manipulus, nisi priùs impenso labore tellus excolatur; adolescit quidem, sed soli clementia, & solis benefico radio; neque flavescens metitur, nisi frons, & manus messoris sudore madeant: hinc discimus, dignitatem nobis symbolicè ostensam per Josephi manipulum surgentem, & stantem non desidiosis, sed laboriosis esse deferendam: non coronatur florum regina rosa, eò quia suam explicet foliorum pompam, cum & plures alij flores uberiori censu id præstent; sed quia dumetis cingitur.

61. Sed si dignitas præfiguratur in manipulo, cur non potiùs frumento pariatur? An quia dignitate in aula insignitus invidorum trituræ sit obnoxius? manipulus, & virgis, & ventilabro vapulat, conteritur, & agitatur. Notandum, Josephum non dixisse simpliciter manipulum suum surrexisse; sed quasi surrexisse: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare*, quia cum quis ad dignitatem evehitur, non consurgit, sed quasi consurgit. Placet, quòd non sese erexerit manipulus, sed quòd erectus fuerit,

quia

quia nemo sibi sumit honorem, sed expectanda est cum Aarone aquæ motio, fluxisque eruptio.

61. Sed si surrexit Josephi manipulus unà cum ipso etiam consurrexit invidia, quæ fratres suo livore cœpit intus torquere. *Responderunt fratres ejus: Nunquid Rex noster eris?* (Genes. cap. 37.) sed cur in fratrem invehunt? vel enim censent, eum Regem futurum; vel non putant evehendum ad solium? si censent esse promovendum, cur potiùs non student regnaturi benevolentiam sibi captivare? non enim quid faustius audiri à famulis potest, quàm proprio Domino principatum portendi, cum inde sperent, fore, ut & ipsi unà cum Hero sint ad pinguiorem provehendi fortunam: sin verò non censent evehendum esse ad principatum, cur tanto in ipsum fremunt livore? quia nil acerbiùs nuntiari potuit Josephi fratribus, quàm eidem subesse, qui erat natu minor: sed cur destinatum Imperio oderunt? quia fratres erant natu majores. Quàm truculentum igitur est invidia monstrum, eum suo livore dissociet, quos natura sanguinis necessitudine arctiùs colligaverat? maluissent imperij omen audire in Hemor, quam in Josepho fratre, qui fomentum invidiæ addidit, cùm secundum ijsdem somnium aperuit. *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* (Genes. cap. 37.)

62. Tametsi audirent Josephi fratres se syderibus adscitos, & inter lucentes stellas recenseri; nihili tamen pendunt hunc nitorem syderum, cùm fratrem audiant supra ipsos eminere: sed si patrem solem, matrem lunam, fratres stellas vocat, & planetas hosce, ac stellas sua eidem præstare obsequia, quis futurus erit Josephus; si sol, & luna, & soli pares stellæ suum ante solium provolvuntur in obsequium? An sole major, qui uno minor erit in Ægypto Pharaone? si nec Pharan sydus est in universa Ægypto, quomodo Joseph Pharaone minor, à sole, luna, & stellis exiget obsequia? an quia erit cæteris in Ægypto imperaturus post Pharaonem, soli, & lunæ, aliisque stellis nitore antecellet? sed in cœlo non effulget, qui imperat, sed qui incurvatur; unde ex quo pronuntiat se regnaturum, potiùs desinit inter astra lucere. Non se fratribus prætulit Joseph in solio; sed & Joseph, & frater mansit, sicut antea; & suos duntaxat fratres splendidiores edixit, cum stellis pariavit; non enim pastores sunt fratres ante Josephi pedes, sed astra, *Vidi per somnium stellas undecim adorare me*; dignitas a pristinæ moderationis statu Josephum non dimovit, cum honores non valuerint ejus mores immutare, sed fratres beneficijs cumulaturus syderibus ascivit; sed licèt recensiti inter sydera, flocci faciunt syderum nitores, quibus splenderent stellis pariati, audientes fratrem supra se eminere.

63. Tametsi dum somniat Josephus beneficus sit in fratres; hi tamen, dum vigilant, invidi sunt in Josephum: siquidem tam ægrè patiuntur stellæ ab eo nuncupari, quàm dolerent, si carbones ab eodem vocarentur: invidus enim dentes acuit in eum, cui invidet, & quidquid agat, quidquid moliatur, ac cogitet, mordet; quin & beneficium sibi præstitum injuriam reputat sibi irrogatam, quòd si beneficia gratum animum obstringunt, invidum pungunt: non mitescit invidia exhibitis muneribus, sed acriùs exasperatur, & beneficio sibi impertito in ruinam abutitur benefactoris. Saul in spelæo à Davide in eodem latente repertos non interimitur; sed regiæ chlamydis frustum David abscidit in solum impertiti beneficij, ac servatæ vitæ testimonium. Egresso è spelunca Saule David quoque in apertum progressus Regem inclamat, qui cum ad agnitam vocem se convertisset, sategit David submissa veneratione infensi sibi Principis exacerbatum animum mellitis delinire verbis; deinde modestè conqueri, quòd adversarium habeat Saulem, cùm ipse in spelunca noluerit ejus sanguine manus fœdare, nec justæ indulgere ultioni, cùm non majori negotio potuisset caput Regis amputare, quàm vestis regiæ laciniam præscindere; postea Deum imploravit justissimum Judicem, ut palam faceret, uter æquiore causa nitatur, simúlque ora abscissæ chlamydis exhibuit.

64. Hisce auditis, & oculo lustratis, Saul vehementer obstupuit, & dixit. *Justior tu es, quàm ego.* (1. Reg. cap. 24.) Et verum dixit, quia Saul Davidem quærebat, quem perderet, David verò repertum Saulem non interemit, sed servavit. Verùm, qui Davidem se justiorem dicit, credis non esse ulteriùs Davidem persecuturum? certè post tam insigne beneficium præstitum, post delinitum Saulis animum, non debuisset David ampliùs timere; & tamen timorem non excussit: cur enim citiùs à Saule se surripuit, ac subduxit. *David, & viri ejus ascenderunt ad interiora deserti:* (1. Reg. cap. 25.) fugæ se dedit David post præstitum beneficium, quia sciebat Saulis pectus invidiâ ardere, & livore intus corrodi, ideóque censuit David, plus timendum Saulem post susceptum ab æmulo beneficium: quia invidus gratitudinis immemor, acriùs dolet de alterius virtute.

§. VI.

Invidia, qui intus livore inficitur, propriam non curat vitam tueri; dummodo, cui invidet, exitium inferat.

65. ADeò sævum est invido ingenium, ut minus curet de propria vita tuenda, dummodo æmulus percat. Micholem sibi promissam in uxorem à Saule petit David, ubi respondet Saul Davidi petenti in uxorem Micholem. *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum praeputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis.* Promiserat Saul filiam suam Micholem Davidi in uxorem, eò quia Goliathum interfecerit, & opprobrium abstulerit ex Israël: sed mox non contentus de prostrato Goliatho, adhuc cædem petit Philisthinorum centenam. Quid quòd Saul suo non steterit promissu? quid quòd adhuc cruentam exigat Philisthinorum cladem? An ut bellica virtute splenderet David clarior; fieretque Philisthinorum cæde illustrior Micholis sponsus? Non gloriæ laudem quærebat Saul; sed necem moliebatur Davidis, cui invidebat epinicion à choris eidem compositum puellarum, fuit hæc Davidis gloria, quæ exitiale invidiæ accendit incendium in pectore Saulis. *Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum*, nimirum cupiit, ut David cum Philisthinis confligeret, non ut ex conflictu gloriæ hauriret splendorem, sed violentæ necis ferales inveniret umbras: sed si David iterato citharæ pulsu Saulis levavit infirmitatem, & mærore sepultum lætitiæ restituit, ac sanitati: quomodo nunc audet medicum suum vitæ discrimini exponere? si David Saulem iteratis beneficijs cumulavit, cur Saul tam malignè ferocit in Davidem benefactorem? quia nimirum invidiâ magis excruciabatur Saul, quàm ulla alia inficeretur ægritudine.

1. Reg. 18.

1. Reg. cap. 18.

66. Non curat invidus propriam salutem, dummodo cui invidet, damnum inferat; abstinuit ab ultione tametsi justa David, in spelunca Engadea, & capiti pepercit Saulis, contentus frustum chlamydis abscidisse, quò testem omni exceptione majorem propriæ mititatis in Saulem exercitæ haberet. Tametsi commilitones suasissent Davidi necem Saulis, præteritorum memoriam, futurorum formidinem, & patrandi justi homicidij facilitatem propoluissent; noluit tamen David ad veniam pronior, quàm vindictam, Saulis sanguinem fundere, maluit ei parcere, & pro gloriosissimo trophæo hastam erigere hostilem, eique laciniam chlamydis Regiæ abscissam pro vexillo appendere, eleganter S. Chrysostomus commendans virtutem, & mansuetudinem Davidis ait. *Saul egressus est è spelunca, egressus est autem post illum & David, liberis oculis cælum intuens; ac tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath dejecisset; ac barbari caput amputâsset. Siquidem hac illa præstantior erat victoria, hæc munificentiora spolia, hæc præda illustrior, hæc gloriosius trophæum*, postea subdit. *Itaque rediit, non barbari illius caput gestans; sed animi commotionem superatam, sed iram enervatam; neque has spolia reposuit Jerosolyma, sed in cælo, inque superna illa civitate: nunc haudquaquam in choris obviam veniebant fæminæ excipientes illum suis laudibus: sed Angelicus populus è sublimi applaudebat, admirans ejus philosophiam, & humanitatem:* quia mansuetudini studuit David, omne ultionis, quamvis justæ, desiderium à se excusserat: siquidem ulciscendi, & nocendi cupido procellosos in humanis pectoribus fluctus, decumanis perniciosiores excitat: est enim affectus vindictæ plenus perturbationis, & nunquam sine sui supplicio violentus.

Homil. 2. de Davide, & Saule.

67. Nobilius vindictæ genus est parcere etiam nocentibus, ac insidiantibus vitæ; quod licèt negotium videatur difficile, est tamen, si fas est dicere, divinitati similius. Si quæras, cur David Sauli pepercerit persequenti, & Saul Davidi benefacienti fuerit insidiatus, non putes aliam hujus discriminis causam esse, nisi quia David mansuetudini assueverat, & Saul invidiam intus fovebat; cujus livor nemini parcit, omnes inficit. Est invidia internus tortor, quo invidus excruciatur; proinde ultionem cupit, & eum, cui invidet delere; & ideo invidus, quia ultor abjecti est semper animi, perinde ac is, quem arrogata injuria, vel intortum convicium ad ultionem stimulat, scitè Seneca. *Ultio doloris confessio est. Non est magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit; si imbecillior parce illi; si potentior, tibi;* quia ait Juvenalis. *Minuti semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas ultio.* David à Saulis cæde abstinuit, eò quia religionis injuriam duceret Regem à Deo constitutum, & unctum occidere: quò nos edoceret Principes etiam improbos, nobisque adversantes esse reverentiâ prosequendos: siquidem impietate non vacat, in Principem quamvis impium insurrexisse.

Lib. 3 de ira.

Satyr. 13.

68. De C. Julij Cæsaris percussoribus ait Suetonius; *Percussorum autem ferre nec triennio quisquam amplius supervixit, neque nemo sua morte defunctus est; damnati omnes, alius alio casu perijt: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem pugione, quo Cæsarem violaverant, interemerunt.* David igitur, quem nulla invidia pulsaverat, nullus corruperat livor, mansuetudinem, cui ab adolescentia assueverat, etiam in persequentem exercuit: Secus Saul, quia invidia inflammatus nil moliebatur, post tot suscepta beneficia, quàm Davidis necem; adeò est invidus gratitudinis immemor, ut sanguinem sitiat benefactoris. Raro suas invidia in pecto-

in pectore invidi radices agit, quin frutex odiorum erumpat in labijs: centum præputia Philisthinorum exegit à Davide invidus Saul, non ut ultio fieret de inimicis Regis, sed ut David ipse, quem ex invidia oderat ferro occumberet Philistinorum. Videtur invidus præsertim aulicus mella eò uberiora ex ore distillare, quò nocentius in corde venenum recondit; & quò plus habet in ore dulcedinis, eò plus fellis in corde fovet, sævit invidia, sed in morem fulminis; lucet & grassatur, & tunc obstrepit, cùm suam explet sævitiem, syrenem dixeris invidiam vitiorum, eò enim cannrior, quò rapacior; eò nocentior, quò blandior.

69. Ea etiam est invidi indoles, ut minus doleat de injuria sibi illata ab eo, cui invidet, quàm de aliena felicitate: Joseph suos de crimine pessimo fratres accusaverat apud Jacobum parentem: deinde somnia fratribus suis aperuit, à quibus sub stellarum emblemate se adorari somniaverat: quid putas, magis eos torsisse, accusationis memoriam, an somnij recordationem? Certè somnij recordatio eos diriùs sauciavit, ac torsit: ex eo, quòd Joseph ad patrem detulerit crimen pessimum suorum fratrum, hi nihil contra Josephum fuerunt perniciosi moliti, sed cùm primùm somnia audierunt, noveruntque fore, ut ei subjiciantur, tunc ad necem fuère innocentem fratrem persecuti: Gen. 37. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Non dixerunt, ut læsi in honore, ecce accusator venit; sed ut invidi, *ecce somniator*, nimirum minùs eos torsit accusatio de crimine pessimo, quàm somnium de Josephi natu minoris præeminentia; quæ adeo fratres excruciavit, ut de injuria accusationis immemores, solùm doluerint, quòd frater somniaverit se ab illis adorandum: & tametsi fratres non ut pastores procumberent ante pedes somniantis Josephi, sed ut astra splenderent nitidiora, *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me*, adhuc tamen ex invidiâ cæcutierunt, nec curârunt syderibus accenseri, dummodo fratri natu minori non subessent.

70. Oritur tamen difficultas, quòd cum gemina fuerint Josephi somnia agreste unum, & cœleste aliud; cur si filij Jacob non messores, sed pastores erant, in somnio rurali fratris principatus, & generis decus, non in vellere ovium, sed in manipulo adumbretur spicarum? Genes. cap. 37. *Putabam nos ligare manipulos in agro*: tondendis ovibus, non spicis colligendis assueverant pastores, cur igitur non in vellere indicatur principatus ijs, qui Rectores erant ovium? Rectè non in vellere, sed in manipulo adumbratur principatus, quo inde doceremur honorum culmina à Dei nutu pendere, non humano possideri consilio; siquidem per ea, quæ non egerunt, ad ea, quæ optare vix poterant, pervenerunt. Frustra igitur rigando pascua, oves deducendo, ad culmen enititur quis principatûs, quem Deus manipulis destinat: *Putabam nos ligare manipulos in agro*, non humana consilia ad dignitatum culmina homines evehunt, sed sola Numinis providentia, eos erigit. Gedeon non districto gladio pugnando, sed contritos manipulos cribrando cohortibus præficitur. David non suo muneri incumbendo oves pascendi, sed à grege digrediendo gradus ad Thronum Israelis sibi construxit, viámque ad Regnum stravit. Moyses, quamvis omni esset eruditionis genere instructus, & Sapientiæ supellectile ornatus principatum enactus est, non quia natus in aula ex regia stirpe; non quia populum edocuit ut Magister, sed rusticando, & ad pascua ducendo armenta, & pecora; cùm enim duxisset gregem ad interiora deserti, tunc Deus eum constituit suum Vicarium, ac in Deum Pharaonis. Elisæus cùm tellurem aratro proscinderet, campósque exoleret, prophetiam sibi portentosè infusam adgratulatur. Matthæus è telonio defertur ad Evangelium. Saul spirans minarum dum ad cruentas anhelat cædes in perniciem fidelium, impetu quodam cœlesti equo deturbatur, cui insidebat & eo lapsu surgit ad Apostolatum: unde non humanæ datur industriæ beneficio, sed divinæ providentiæ arcano, hos non alios quamvis merentes ad sceptra tractanda vocari, ad purpuram induendam: *putabam nos ligare manipulos in agro*, non solus Joseph manipulo suo illigando occupatus erat, sed & cæteri fratres eodem detinebantur labore, nullus otiabatur, omnes operabantur, & tamen solius Josephi manipulus erigitur & stat, cùm manipuli suorum fratrum proni incurventur adoraturi manipulum stantem.

Omnes fuère Discipuli à Magistro 71. Christo interrogati, sed unus loquitur Petrus Matth. 6. v. 16. & respondet, *Tu es Christus filius Dei vivi*, & propterea ex Petro fit petra fundamentum Ecclesiæ; & ex piscatore fit princeps Apostolorum, & cœli claviger. Filij omnes Jesse natu grandiores descenderant cum cæteris Israelitis pugnaturi contra Philisthiin: sed ex Jesse filijs unus duntaxat David natu minor gigantem non expavit, ad singulare certamen cum eo descendit, non ferro cataphractus, nec gladio armatus, sed fundâ, & lapide munitus, quo Goliathum media vulneravit in fronte, impetu tam vehementi ut excussus è funda lapis fracto hæreret cerebro, & molem prostraverit giganteam, & ideo victor David Micholem duxit in uxorem, & Sauli in Regno successit. Non igitur proposita fuit Josepho corona, eò quia suum alligaret manipulum, cum & reliqui fratres in id incumberent laboris, & quisque suum devinciret fascem; & ne suspiceris ob frumenti copiam, aut præstantiam fuisse Josephi manipulum delectum

ad imperandum; non eligitur, cùm demetitur, sed cùm illigatur manipulus, quò conjiceres in sola manipuli ligatura, quæ nec à soli ubertate, nec à cœli clementia, sed à studio dependebat laborantium, & à cura illigantium collectas spicas aleam fuisse præfecturæ repositam; non igitur si nobiliora aggrediaris, ac superatu difficiliora Regno potiris; sed si accuratiùs præ cæteris tuum adimpleas officium, munusque tibi injunctum exequaris.

72. Idque fortassis causæ, cur Regnum cœlorum modò virginibus conferatur prudentibus, & modò negotiatoribus; quæ affinitas lilij cum metallo; virginitas lilij culturæ est unicè addicta, cùm negotiator congerendis pecunijs, sit totaliter intentus; puella si virgo est, latet; mercator pecunijs inhians divagatur: illa preces fundit in domûs recessu, hic in foro nundinatur: illa respuit auri acervos, quos iste quærit; illa abdicat margaritas, quas hic explorat, & tamen non virginibus tantùm, sed & negotiatoribus Regnum confertur cœlorum, quò inde discamus, sive nundinemur sive Psallamus, sive mercaturam exerceamus, sivè lilium excolamus posse nos cœlesti donari gloria dummodo probè quispiam eam agat personam, quam induit, dummodo in suo quisque statu Deo adhæreseat, à quo nunquam se per noxam lethalem avertat, & virtutum culturæ impensam navet operam, proximo prosit, nemini obsit; suam qui taliter personam agit, non est cur cæteris, vel in eremo solitudini addictis, vel in asceterijs virtutes excolentibus faccum, aut cidarim invideat; & licèt vitæ austeritate eos non antecedat, præstantiâ tamen sanctitatis potest ijsdem præesse.

73. Hinc Regnum cœlorum mox sagenæ, mox synapi pariatur, quamvis illa pisces maris prædetur; hæc verò volucres cœli suis foveat ramis, ulnisque amplexetur; licèt fuisset Josephus suo intentus manipulo illigando: quia tamen ejus duntaxat manipulus surrexit, & stetit, cùm cæteri proni in humum procubuerint stantem adoraturi; fomes hæc erectio, & statio fuit invidiæ, quâ cæteri fratres ad internecionem inceperunt Josephum persequi: *Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere.* Genes.c.37. Ubi Josephus patris obsecuturus mandato fratres convenit in Dothain, non fratres invenit; sed agnus ad rabidas tigrides venit. Licèt innocens, nec intet fratres tutus fuit: virtus enim alienam habet invidiam sibi pedissequam, cujus virus cùm primùm eminus Josephum vidit venientem efferbuit, ac ebullit, nec vulnera tantùm meditatur, sed funera architectatur.

74. Non tamen stragis tyrocinium ponit invidia, nec suo præludit furori, sed illicò ad cruentas cædes prorumpit, *antequam accederet cogitaverunt illum occidere*: reliqua vitia sua præmittunt præambula, antequam pleniùs grassentur. Luxuria in Davide Uriam priùs accersivit ad aulam, demulsit convivio, eique suasit, ut è castris redux propriam repeteret domum, & sua conquiesceret cum uxore: sed livor statim Principis affabilitatem dehonestat, perimit, sanguinem fundit. Luxuria triumpho militem obruit; sed invidia in cadaver sævit fratris, nec funere expletur innocentis, nisi dedecore saturetur. Leo violati jejunij reum Prophetam occidit in via, sed illæso cadavere: invidia autem lenne quovis ferocior etiam in jacentes enectos furit, sævitque: *Dicemusque fera pessima devoravit eum.* Genes.c.37. Mendacium cogitantes veritatem proferunt; quia vix ullum invenies scelus, quod non obstetricante mendacio in lucem prodeat. Quia parricidium invidi fratres moliebantur, suppetias exigunt è mendacio, cujus ope suum obtegant scelus. Etiam Absolon Amnoni necem, & Davidi fugam paravit, modò voti, ac religionis, modò epuli simulatione; & Amnon simulando ægritudinem sororem constupravit Thamarem.

75. Prolusit semper mendacium cuilibet sceleri etiam primo, quod fuit in mundo perpetratum mentiente invido cacodæmone: *Nequaquam moriemini*, quid ergo mirum, si tot ex una mendacij scaturigine profluant scelera, cùm sit mendacium criminum pater? Genes.3.v.4. Adeò exarserat fratrum invidia in Josephum ob somniatam præeminentiam, ut internum livorem non putaverint posse à se excutere, nisi fraterno sanguine illum abstergerent, seque fœdarent: hinc licèt plura cojerint contra Josephum scelera, invidia tamen supergressa est omnia; licèt detulisset Joseph apud parentem fratres suos de crimine pessimo, non tamen, ullo auditi sunt odio tabuisse, quos tamen acriùs somniata præeminentia impulit in parricidium. Invidia ex somniata celsitudine nata cædes statim fuit enacta, & fratris internecionem illicò excogitavit; cùm tamen reliqua scelera non cruentas proruant in clades. Verùm sicut nitente sole reliqua hebescunt, cæcutiuntque sydera, ita dixetim invidiam reliqua omnia obruere vitiorum monstra.

76. Non efferantur fratres maculis, quibus eos inspersit; sed fulgoribus contabescunt, quibus Josephus, se cæteris præeminere prædixerat. Accusati fratres de crimine pessimo apud Patrem, silent, non loquuntur, qui tamen uni posthabiti fratri minori necem minantur, & cruentas clades moliuntur: tutus fuit Joseph inter fratres, licèt eorum probra parenti detulerit, sed cùm primùm illis se prætulit, invidia suos in ejus necem exacuit dentes.

Non

Non virgis, quibus conciduntur, sed astris, quibus pariantur, & simul fratri subjiciuntur, laqueos somniatori innectunt, & caveam fodiunt. Quòd frater natu minor debeat dignitate majoribus præcellere invidiam accendit, non alio extinguendam latice, quàm fraterno sanguine.

77 Nunquam Caino invisa fuit Abelis pietas, nec natu majori fratris prodigi impietas, qua bona obligurierat; nisi cùm primùm sensit Cain sibi fratris pietatem prælatam, tunc agnos intuens Cain fratris cœlesti igne absumptos, & à se Numini oblata omni destituta favore, cœpit efferari in fratrem, & flamma cœlitùs depascens Abelis victimas invidiam succendit in fratricidæ pectore; unde enim concipere debuisset scintillas pietatis, flammas arripuit livoris, & odij exitialis: torquetur Cain fratris felicitate, fremit, quia cœlesti favore ei præferatur, cædem anhelat, primósque morti aditus per inflicta fratri vulnera aperit. *Egrediamur foras* ait Cain ad Abelem, quasi diceret laxandi animi gratiâ, ac studio solatij egrediamur in agrum: nimirum hac verborum fallacia Abelem demulsit, quem in campum pertraheret, seu lanio agnum ad macellum perduceret. Filij itidem prodigi frater natu major fratri reduci non irascitor quamvis abligurierit bona, sed cum primùm videt vitulum saginari, ac epulas apparari lautiores, quæ sibi nunquam fuerant instructæ; tunc cœpit ipse ot taurus mugire: si prodigus filius substantiam suam duntaxat dissipasset, & eum pater lautiori illu non excepisset convivio, odio non exarsisset frater natu major; & si Abel preces jugiter fudisset, & opima quæque in sacrificium obtulisset, Cain nullo in eum livore contabuisset; sed cùm primùm vidit Cain ignem de cœlo demissum victimas depascere Abelis, non suas; & novit pietate, & Religione se Abeli posthaberi in invidiam exitialem, & clandestinam detestationem fuit prolapsus, ut nihil jam nisi cruentam cædem, fraternam cladem animo volveret. Est cor hominis veloti mare in modum stagni refusum, quod inter turbines sua non destituitur malacia, sed cùm primùm æmulatio exoritur, sævit & ipsum in procellas, suósque ad astra fluctus instituit.

DIS-

DISSERTATIO XXVII.

Invidia est fons putidus, ex quo corrupti latices omnium vitiorum, ac scelerum scaturiunt, & ejus aquæ in fluctus tumescunt decumanis procellosiores, quibus innocentia perit immersa.

§. I.

Invidia lethali suo livore etiam proprium sanguinem inficit, quò fratres fratris extingunt splendorem.

1. TOt invidia fluctus excitat in corde invidi, quot sunt scelera, quæ catervatim post se trahit: est enim invidia basis, cui cætera nituntur vitia; fons putidus, è quo plura scaturiunt scelera: Invidiam concitârunt in Jacobi filijs singularis Patris amor in Josephum, vestis polymita, & narrata somnia: ex hac invidia pullulârunt superbia, odium, homicidium mentale, mendacium, simulatio, impietas, injustitia, ait Augustinus Tom. 10. de verbis Domini: *Invidia filia est superbia, sed ista mater superbia, nescit esse sterilis; ubi fuerit, continuò parit.* Audierant fratres Josephi narrata sibi somnia, quibus suam prædixerat supra reliquos fratres eminentiam, ac dignitatem, & quia fratrum superbia has narrationes ægrè tulit, ut sibi derogantes invidiam peperit, quæ prolixam scelerum secum traxit catervam. Serm. 53. c. 6.

Vitia enim catenata sunt, facilè simul nectuntur, & unum alteri viam emollit; non enim Josephi fratres unum duntaxat perpetrârunt flagitium, sed facili compendio plura invidiæ vitia nexuerunt; nimirum hæc est vitiorum indoles, ut vitium vitio agglutinet; perinde ac in catena annulus annulo cohæret. Amandaverat Jacob filium suum Josephum, quem singulari prosequebatur amore ad fratres gregibus pascendis occupatos, cui injunxit, ut observaret, quid agerent, & num greges pingues essent, ac probè vegeti: Josephus paterno obtemperaturus jussui illicò montes pervagatur, non tamen fratres, sed carnifices insciux inventurus. Vix eminus venientem fuêre ejus fratres intuiti, & illicò collatis consilijs de cruenta illius cæde deliberârunt dicentes Genes. cap. 37. *Ecce somniator venit, occidamus illum, & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua*, & ut patri conquerenti os clauderent, decrevêrunt Josephum asserere à fera infeliciter discerptum. Ecce quot scelera una peperit invidia? lethale scilicet odium fraterni sanguinis sitiens; *Omnis qui odit fratrem suum homicida est*, licèt non statim gladium nudet, siccam expediat, vulnera infligat, mortem inferat, hæc tamen omnia exitiale odium mente molitur, & animo volvit, sitque odium homicidij prodromus, cui præludit, perinde ac animi libido adulterio. Homicidium etiam peperit invidia: *Venite occidamus eum, & mittamus eum in cisternam veterem.* Ecce consensus expressus in fratricidium, quod fuissent executi, nisi Ruben inter fratres natu major pro vita saltem intercessisset Josephi, quamvis non multum visus fuerit acerbitatem pœnæ delinivisse, cum eum demiserint in cisternam veterem fame, sibi, & frigore interimendum. Invidia enim etiam in puteis alio non delectatur balneo, quàm sanguinis, nec alios sitit latices, quàm cruoris. Joan. 1. ep. 3. v. 15. Genes. c. 37. v. 20.

2. Mendacium etiam lethale, & multiplex genuit hæc vitiorum fœta parens invidia, quot enim non fuerunt mendacia architectati? polymitam Josephi vestem hædino sanguine tinxerunt, quam & Jacobo parenti misère per hominem sceleris minimè conscium, cui & injunxerunt dicere: *Hanc invenimus*, & qualênam mendacium apertius? non eam invenerunt, sed eam vi fratri detraxêre. Prodiit etiam ex invidia simulatio; ad patrem enim accesserunt, cui ut dolorem linirent, cœperunt & ipsi valde dolere discerpti à fera fratris interitum; Genes. c. 37. v. 32.

occa

ecce ſimulatores proprium nituntur ſcelus doloris larva obtegere, & lachrymis quaſi abſtergere, quia ut ait Auguſtinus: In Pſal. 63. *Simulata aquitas non eſt aquitas, ſed duplex iniquitas.* Prodiit etiam impietas in patrem, cui jam ſenio confecto luctum creârunt viginti trium annorum. Graviſſimum ei obtigerat filiorum amiſiſſe chariſſimum, & quidem taliter ut ferino dente fuerit diſcerptus, & in ventre ferino ſepultus. Veſtis cruenta dolorem acuebat, & acerbiſſimo dolore animum excruciabat, ut dixerit: Geneſ. 37. v. 35. *Vadam ad filium meum lugens in infernum.* Imò prodiit & injuſtitia, quia Jacobi filij Joſepho invidentes præeminentiam, turpiſſimum commiſêre plagium: ſiquidem quem furati fuerant hominem fratrem exteris vendidêre mercatoribus vero plagiarij nomine contra divinam legem prohibentem hominis furtum, ac venditionem: Exod. 21. v. 17. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum convictus noxa morte moriatur.* Et lex Fabia apud Romanos capitis plagiarios damnavit.

3. Ecce quanta facilitate vitia vitijs nectuntur, & unum alteri viam emollit: neque quid novi eſt vitio, quod cum primùm mundo comparuit, non unicum apparuit, ſed aliorum comitatu primos homines aggreſſum eſt, quos & extorres excluſit è paradiſo, Eva ſiquidem ſerpentem allocuta triplex mendacium ſtruxit, primum quia de fructu ligni dixit, *quod eſt in medio paradiſi*, cùm tamen non arbor vetita ſcientiæ boni, & mali, ſed arbor vitæ in meditullio fuerit paradiſi locata. Secundum quia dixit: Geneſ. cap. 3. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*, quod & mendacium fuit, quia licèt prohibuerit Deus, ne comederent de fructu arboris ſcientiæ boni, & mali, non tamen inhibuit, quin poſſent arborem illam tangere. Tertium, quia quaſi hæſitans dixit Geneſ. cap. 3. *Ne fortè moriamur*, cùm tamen certum ſit, quod Deus non dubie, ſed certè, & ſeveriſſimè id prohibuerit ſub pœna mortis incurrendæ. Geneſ. 2. v. 17. *In quacunque die comederis ex eo morte morieris* Ecce quot vitia in uno delicto, quot ſcelera in uno violato præcepto? idque cauſæ, cur David enixim cupierit ab occaſione liberati ſceleris perpetrandi; Pſalm. 50. v. 16. *Libera me de ſanguinibus Deus ſalutis meæ.* Memoriam retricabant plura, quæ ex uno vitio ſcelera prodiêre, fuit illud otium pomeridianum noxarum ſeminarium, libidinum fomentum; ab otio enim effluxit curioſitas, ab hac libido, & cupiditas, à cupiditate adulterium, & ab adulterio homicidium, à quo etiam & plura alia promanârunt.

4. Ex una temulentia, quot non profluunt ſcelera, hinc enim dimanant jurgia, petulantia, immodeſtia, inverecundia, procacitas, libido, imò vulnera plerumque, & cædes cruentæ, ut enim ait D. Ambroſius: *Primum ebrietatis malum pudicitiæ eſt periculum.* Lib. de virg. & tom. 4. lib. de Elia & jejunio cap. 12. Quis unquam adulterium audivit abſque multiplici ſcelere, illud plura comitantur vitia, quorom princeps eſt, injuria tam in proprium, quàm alienum thorum; cui annectuntur injuſtitiæ horribiles, ſuppoſititij hæredes, mendacia, & juramenta falſa, Numinis contemptus, clandeſtina homicidia, & multiplex malorum ſeries. Uni igitur invidiæ multiplex ſemper ſcelus aſciſcitur; cùm primùm præexcellentiæ Joſephi cœperunt ejus fratres invidere odium lethale in ipſum conceperunt, mendacia plura invenerunt, homicidium deliberârunt, ſimulationem, hypocriſin, impietatem, ac injuſtitiam perpetrârunt: Geneſ. 37. *Cùm vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos cogitaverunt illum occidere, & mutuò loquebantur, ecce ſomniator venit, venite occidamus eum. Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum.*

5. Mitior cæteris fratribus fuit Ruben, qui ſategit, ne fraterno ſanguine manus fratrum fœdarentur: ne fratrem inquit jugulemus; ſed potiùs eum ciſterna deglutiat, fuit Ruben inter fratres natu major, cui propterea præ cæteris inviſa debuerat eſſe ſomniata Joſephi felicitas; cùm fraternâ præeminentiâ primogenituræ celſitudo deprimeretur; & nihilominus primogenitus & Princeps totius familiæ obſcurari non timuit à ſplendore dignitatis, quâ erat Joſeph inſigniendus; imò & ei patrocinatus fuit: tametſi ſuſpicio futuræ magnitudinis, & præexcellentia Joſephi natu minoris Rubeni debuiſſet invidiam præ cæteris augere; adhuc tamen princeps familiæ, & jure inſignitus primogeniti ſtuduit ſervare, quem cæteri fratres occiſum cupiebant. Quid hoc? niſi quia invidiæ rubigo ferrum corrodit, non aurum? quò quis vilior eſt, eò ad invidendum eſt paratior, Ruben ut familiæ Princeps auri ſplendorem, & pretium æmulabatur, quia ſicut aurum metallorum princeps reliquis præeſt metallis, ita & Rubenus cæteris fratribus; hinc rubigo livoris non Rubenum, ſed reliquos fratres filios ancillarum, quos nulla ſpes affulgendi erigebat, infecit: non enim auro, ſed ferro rubigo innaſcitur. Judas itidem & Ruben, quia familiæ principes non inſurrexerunt invidi contra manipulum Joſephi cæteris altiorem, quin omni conatu ſategerunt, ut incolumis ad patrem remitteretur; ideo Ruben curavit in ciſternam dimittendum, quò inde extractum immunem ſervaret; cùm enim ciſterna ſicca eſſet, deglutito fratri grave non attuliſſet damnum. Judas etiam è lacu eum eduxit, ne in pulvere periret.

6. Sed cur Ruben & Judas qui Joſepho fuête patrocinati non ſategerunt fratrem omnino impunitum ad patrem remittere? licèt uterque ſolicitus fuerit, ne fratris ſan-

sanguis funderetur; neuter tamen ab omni poena liberum fecit, dixerunt enim: *Manus vestras servate innoxias. Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum? frater enim & caro nostra est.* Neuter fratrem servavit, quia uterque meticulosè innocentiam propugnavit; neuter livori ausus est palam obluctari, neque innocentiæ ita patrocinari, ut immunis dimitteretur à quavis poena; tametsi nollent fratrem jugulatum, eum tamen voluêre cisternâ deglutitum. Cur igitur fratres natu majores, & principes familiæ reliquis adamantina fortitudine non se opposuêre, cùm clamârunt sævientes, *venite occidamus eum*, an quia sævè clamantibus, blandè acclamabant? certè uterque peccavit, quia neuter innocentam ab omni poena liberavit: aliquid invidiæ etiam in ipsis pullulavit, & quia perniciosum germen radicitùs evellere initio neglexerunt; ideò etiam in ipsos aliquid effudit sui veneni invidia, quæ erumpens fovetur, & non statim abigitur: frustra reprimitur adulta, quæ fota adolescens fuit: nisi vultures suo illaqueentur in nidolo, insitæ sibi feritatis non obliviscuntur, neque rapacitatem amplius dediscunt, si semel rapinæ assueverint, cruor si semel prægustetur, sitim acuit, non extinguit.

Genes. 37.

7. Livor si semel funus præconcipiat, tametsi abortiat, catenas tamen cudit, & parit, quibus si is non perit, cui invidet; non tamen victor, sed vinctus, seu livori detinetur obnoxius, cujus immanitas aliquid semper truculenti ferit, dum sævit: *Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt tunicâ talari, & polymita, miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* Ecce quam expeditè & quâvis disruptâ morâ irruat in fratrem fraternus livor? cœlum antequam fulminet, fulgurat; tormentum bellicum antequam ferreum globum excutiat, flammam emittit; & leo rugit ore, priusquam ungue sæviat & discerpat; sed invidia statim in Josephum insilijt, quem & tunica spoliavit polymita, ut eâdem præconceptum involverent fratres parricidium; detrahunt fratri tunicam, quâ proprium scelus tegant; erubuisset fortassis livor coram Jacobo patre, nisi polymita filij tegeretur veste: nudatur Josephus tunicâ, ut invidorum fratrum pallietur scelus; nimirum adeò sagax est invidia, ut sua etiam arma desumat ab eo, cui invidet; quibus se ipsam tueatur; ideo invidi fratres fratrem nudant innocentem, ut nocentes fraterna veste integant fratricidium. Certè miserior sponsâ, & deterior viatore fuit Joseph, cùm illa à militibus nudata fuerit; & hic cùm peregrè descenderet in Jericho spoliatus à latronibus; Joseph enim non ab exteris, sed à proprijs fratribus. Sponsæ, & viatoris vestes nuditatem texerunt raptorum; sed Josephi polymita non scelestium verecundiam, sed sceleris obtexit enormitatem. Quin & hœdino sanguine polymitam fratres tinxêre, ut non ipsi coram patre erubescerent; sed vestis, in quam propriam refuderunt erubescentiam, simúlque suum eâdem texerunt scelus. Quòd si in regia Divinitatis asseruntur Martyres; suas in sanguine agni stolas dealbârunt invidi fratres; & in orchestra invidiæ, ne Rei apparerent apud Jacobum, vestem polymitam Josephi tinxêre, quò ejus rubore stolas proprias portentosè dealbarent; non tamen in sanguine agni, sed in hædino cruore, quo fratris polymitam imbuerant.

Ibidem.

8. Quamvis Rubeni suasu, & precibus jugulatus non fuerit Joseph à fraterno livore, demissus tamen in cisternam fuit veste exutus polymita: *miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam, & sedentes comederunt panem.* Ecce quomodo de alieno supplicio invidia gaudeat, epulatur post dejectum in cisternam fratrem. Id visa fuit invidia præstitisse, post deperditum fratrem, demersum Josephum, quod amor paternus recuperato filio præstitit. Cùm enim reducem in paternam domum prodigum filium perhumaniter pater excepisset convivium instruxit, quod causa fuit, cur filius nato major minori invideret: convivium hîc etiam instruunt Josephi fratres non ob recuperatum, sed perditum adolescentem, quem proturbârunt ac detruserunt in cisternam: sicut exultat redivivo filio charitas; ita oppresso fratre livor triumphat, qui post lanienam deliciatur. Imò non tantùm sedent, & comedunt, verùm & oculorum illecebris studentes, hac, illácque libero vagantur aspectu, non enim in caverna, vel specu, sed aprico epulabantur in loco, quò viatorum ultro, citroque commeantium recrearentur spectaculo. Viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum. Tunc Judas Josephum è cisterna liberaturus, ne fame, & siti periret, dixit, *quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum? melius est ut venumdetur Ismaelitis, & manus nostra non polluantur;* quàm delicatula, ac religionis amans esse videtur invidia; veretur dexteram inquinare suam, quæ destinata Josephi cædi cor pólluerat. Quæ necem molitur cruentam, & animum funesto parricidij scelere corrupit, mox veretur manus polluere: *meliùs est ut venumdetur Ismaelitis, & manus nostra non polluantur:* etiam cutem timent inquinare invidi fratres, qui in pectore præconcepto fratricidio, omnem spurcitiarum, ac flagitiorum cumulaverant colluviem.

Genes. c. 37.

Ibidem.

9. An non dexteræ ipsæ polluebantur, quæ venum innocentem fratrem Ismaelitis dabant?

dabant? tam pingui est livor religione imbutus, ut quidquid citra cædem steterit blanditias esse putet: impollutas testantur velle manus, qui tamen mentem stimulante invidia enormissimo fœdant scelere.

9. Sed cùm verentur manus polluere eas fœdè coinquinant, dum innocentem fratrem venalem exhibent exteris mercatoribus, ac pretium instituunt viginti argenteos; minori vendiderunt pretio fratrem, quàm invidi Judæi Christum: & revera decuit, ut famulus minori pretio venum daretur, quàm Dominus; Joseph famulus viginti, & Christus triginta argenteis venditus est, quia ut ait D. Hieronymus, *Non decuit tanto servum, quanto Dominum vendi pretio.* Argenteus idem fuit ac siclus, cujus valor quatuor æquabat Romanorum julios, & Hispanorum reales.

10. Adeo truculenta est invidia, ut invidus nec proprio parcat sanguini, quem in fratre nititur vel fundere, vel radicitùs delere. Invidit Onan nomini Her, cui propterea noluit filios excitare, etenim *Genes. c. 37.* occiso Her fratris supplicio minimè deterritus Onan à crimine pessimo, cùm ingressus ad Thamarem esset, maluit perire, quàm generare. Primum etiam filiorum Davidis flagitium incestus fuit Amnonis cum Thamare sorore *2 Reg. cap. 13.* Erat Amnon maximus natu filiorum Davidis, qui cùm primùm conjecisset oculos in Thamarem sororem eam cœpit non solùm amare, sed & deperire. Nefariæ libidinis fomes venustas erat puellæ regiæ, quam ausus fuit frater tentare, cum nec cogitare quidem licuisset, eam impudicè tangere: sed vicit pudorem libido, timorem audacia, & sanguinis necessitudinem improbitas. Morbum simulavit, quo minimè laborabat, cùm non febri, sed libidine ureretur; sororem accersivit, à qua sorbitiunculam, vel jusculum sibi parari rogavit: flagitium licèt reluctanti obtulit, quod & patravit; sed peracto scelere, quæ amoris exarserant tædæ in faces accenduntur exitialis odij, vertuntur in feritatem blanditiæ, & expellitur fraternis ex ædibus constuprata regia puella, tantò miserior, quantò ob amissum pudorem verecundiâ cumulatior: nimirum ut ira, ita etiam amor brevis est furor; amara dulcedo, & blanda mors.

11. Inconstans est, qui ex libidine amor exoritur, licèt Amnon sororem deperierit, & maciem contraxerit: patrato scelere odisse illicò incepit, quam amaverat, & à se etiam procul abegit; nimirum ubi dux est luxuria, ibi comes est tristitia; & ubi vernat rosa, ibi & spinæ pungunt: initia illicitæ voluptatis mel, & saccarum gustandum exhibent, cùm ejus extrema in absynthium desinant. Exclusa igitur constuprata puella à fratris Amnonis domo cœpit sortem suam lamentari, amissæ pudicitiæ illachrymari, capiti cinerem inspergere, & vestes ingentium more discindere, lugubrique clamore, & ploratu, urbem totam implere. Thamaris querelæ ad aures pervenerunt fratris Absolonis, qui cùm Amnoni invideret principatum, ejusque odoratus libidinem, statuit rem tacitè quidem pati, donec opportunior ei daretur ultionis occasio: sororem interea in domum recepit suam longo quidem luctu tabescentem, sed de fratris injuria non conquerentem. Absolon sicut invidiâ in Amnonem intus cruciabatur, vindictæ desiderium toto biennio fovit, donec opportunitatem enactus Amnonem extra urbem Solymæam traheret, & quidem in locum tanto insidijs aptiorem, quantò à conspectu Davidis, & aulicorum sagacitate remotiorem.

Tempus accesserat ovium tondendarum, quem diem solemni consueverant Hebræi convivio habere genialem, & larva amoris fraterni livorem tegens, & odium, quod intus fovebat, Amnonem ad paratum invitavit convivium: inter epulas injungit Absolon hospitibus, ut Amnonem tanquam convivij Regem largioribus poscerent poculis, simúlque suis præcepit, ut eum temulentum, multóque vino jam madidum signo à se constituto interficerent. Propinant igitur, quotquot aderant, laxioribus calicibus Amnoni, qui propinantibus sibi cùm responderet, multo statim vino gravatus, cœpit, & capite, & pedibus vacillare; & cùm nil cogitaret de imminente sibi morte, nisque de admisso à se flagitio victima cadit multiplici vulnere saucia invidi Absolonis; cujus proprerea livor nisi fusione fraterni sanguinis extingui potuit. 12.

Onam noluit fratri filios excitare, ne in successoribus ejus superviveret nomen; ex quo conjicimus, quanta sit invidentiæ feritas, quæ non solùm in fratrem sævit & viventem insequitur; sed ne defuncto prosit, obest etiam nascituro. Quòd si pudor plerumque abortit, ac efficit, ut præmaturè mori discat, qui nasci nondum didicerat; livor ne dum nasciturum præfocat, verùm & ipsum prævertens infantis conceptum; non solùm elidit in germine florem, sed etiam evertit in semine spem. O quàm exitialis est invidia! quæ homines persequitur, antequam materno concipiantur in utero, & antea occidit, quàm nascantur: *Dixitque ergo Judas ad Onan filium suum: Ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo, ille sciens non nasci sibi filios introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram; ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, eò quod rem detestabilem faceret.* Sed unde tam noxius livor in Onan? certè non ab alia radice, quàm à Juda patre ejus; facilè virus à stirpe in surculos proserpit. Invidit Juda Josepho fratri, ne quam somniaverat felicitatem, assequeretur. 13. *Genes. 38. v. 8.*

§. II.

Ubi suum invidia livorem fundit, ibi cuncta confundit; nec suscepti beneficij recordatur invidus, qui cæco impetu in eum irruit, cui invidet.

14. UBi invidia serpit, ibi omnia inficiuntur, & corrumpuntur, neque suscepti beneficij recordatur invidus, qui cæco impetu in eum irruit, cui invidet. Prostraverat Goliathum David, qui & opprobrium abstulit ex Israel; sed victoris Davidis triumphus invidiam excitavit, qua Saul suum assertorem, gentisque Hebraicæ propugnatorem persequi cœpit ad necem; cùm enim puellæ Hebreæ festivis cantibus, lætisque chorcis victores salutarent, & epinicion illud occinerent: *Percussit Saul mille, & David decem millia*; sicut felicitatis comes semper est invidia, eo minus temperato puellarum studio laudandi, in aliud pertrahitur David bellum, priore longè molestius, quia diuturnius; fuit hoc bellum non armis, sed affectibus odij, aversionis, timoris, & iræ præeunte invidia cum Saule ineundum: ægrè tulit Saul, quòd puellæ Hebreæ decem millia David tribuerint, & Sauli non nisi mille: quem parem sibi noluisset invidus Saul persequitur majori insignitum honore, & octo ipsis annis in varia vitæ discrimina per omnes Chananitidis regiones Saul Davidem traxit. Vox illa
1.Reg.c.18. puellarum adgratulantium: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, scintilla fuit, quæ exitiale excitavit odiorum incendium; adeò verum est, nullum sine sale sacrificium esse, nullúmque sine umbra splendorem, & nullam sine invidia felicitatem; licèt melleam effudisset dulcedinem, & rosas sparsisset triumphus Davidis, faustas tamen inter acclamationes, lætásque gratulationes, quibus omnia relonabant; effudit livor felleos imbres, quibus communem corrupit hilaritatem, animúmque Saulis excitavit contra Davidem, A quo cum fuisset David præmio donandus, invidia, & persecutione divexatur.

15. Progressus fuerat contra Goliathum David, pugnavit, & hostem expugnavit, & non arma duntaxat, sed & caput ademit adversario, quod cum ingenti plausu, omniúmque gratulatione ad Saulem detulit: sed quia victorem reducem satagebant omnes amplexari, & exosculari, omnésque ei obviasent festivis cantibus; Regnum Saulis videbatur melle diffluere, cui tamen adfuit, & fel invidiæ. Crus ægrum, cùm non fine voluptate fricásset Socrates, & mox dolorem sensisset, dixit: *non mirum, quia natura nil admittit gaudij absque mærore*, nec ullus est fortunæ ritus sine lachrymis: prostrato Goliatho triumphat David, sed simul invidetur, cùm debuisset à Saule summis affici honoribus; siquidem Goliatho in terram lapso, acsi cervix Gigantis caput esset totius exercitûs Philisthæi, cecidit iste unà cum Goliatho, quia ita fuit pavore consternatus, ac si omnes, & singuli Philisthæi unum ac idem habuissent Goliathi jugulum; quod populo Romano exoptavit postea Caligula, ut uno ictu omnium amputaret capita; & revera cæso in capite Goliatho cervix totius Philisthæorum exercitus videbatur præcisa, quia ut legitur: *Videntes Philisthiim, quòd mortuus esset fortissimus eorum, omnes fugerunt*; 1.Reg.c.17. v.51.
in effusam se fugam dederunt attoniti, insequentibus tamen Hebræis terga tanta strage cædentibus, ut teste Josepho Hebræo concisi ferè omnes fuerint, vel capti; pulchrè D. Ambrosius ait: *Unius fortitudo facta est universorum victoria*.

De Lacedæmonijs refert Ælianus in bello eos sagulis usos fuisse puniceis, ne sanguis ex inflictis fluens vulneribus, pavorem incuteret. Eadem de causa Romani olim Imperatores consueverant non alias in acie vestes induere, quàm purpureas, ut de Lucullo memorat Plutarchus. Idque ut, qui præest exercitui, nunquam ob sibi inflicta vulnera animo cadat; dependet enim totius exercitus salus ab erecto, ac virili animo Ducis. Asaële jugulato ab adversario Abnere, unà cum Duce singulorum militum animi cecidêre. Et uno prostrato Holopherne ab invicta Juditha totus Assyriorum exercitus pariter corruit: *Intolerabilis timor, & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde, & factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum, túmque omnis exercitus decollatum Holophernem audivisset, fugit mens, & consilium ab eis, & solo tremore, ac metu agitati fuga præsidium sumunt; ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite relictis omnibus evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audierant.* Nimirum Bethulienses, qui obsessi ab Holopherne lepores erant, prostrato Assyrio leones fiunt; pari pacto prostrato à Davide Goliatho totus Philisthæorum exercitus præcipiti se fugæ dedit, ac terga cædentibus Hebræis insequentibus; refert Josephus in illa fuga occisos fuisse Philisthæorum triginta millia, & vulneratos sexaginta millia, cùm Hebræi fugientes insecuti fuerint usque in Geth, & Acharon & inde reversi relicta a fugientibus castra spoliaverint.

16. (right margin beside "De Lacedæmonijs"); 2.Reg.c.2. (beside "versario Abnere"); Judith.c.14. (beside "ruit: Intolerabilis timor"); Lib.5.antiq. cap.11. (beside "cisos fuisse")

Mirum tamen dictu, quòd Saul post prostratum à Davide Goliathum ac excussum terrorem Hebræorum, quasi David excidisset memoriâ, petierit ex Abnere Duce, quisnam esset adolescens ille, qui Goliathum prostravit: *De qua stirpe descendit hic adolescens? interroga, cujus filius sit iste puer.* Vix annus effluxerat, 17. 1.Reg c.17. v.55.

cum David Saulis armigerum agens Goliathum vicit, & fidium etiam sono, & cantu à Dœmonis insultu Saulem ipsum sæpius liberavit; timuit Saul ne Davidis victoria suæ derogaret gloriæ, quod expertus etiam fuit, cùm à puellarum choris epinicion illud audivit, *Percussit Saul mille, & David decem millia:* tametsi multa Saul in castris jam præclarè præstitisset, adhuc majora gessit David, licèt adhuc adolescens, adeò ut Saul manu, & consilijs mille tantùm jugulaverit, cum David decem millia prostraverit; in uno enim jugulato Gigante tot millia perjêrunt Philisthinorum, quot in turpi fugâ ceciderunt ab hebræis insequentibus cæsi; neque obstat, unum duntaxat Goliathum fuisse à Davide prostratum; etiam qui unam arboris excindit stirpem, plurimos eodem ictu ramos abscindit. Verùm hocce puellarum epinicion invidentiæ fuit scaturigo, ac Lerna plurium malorum; scintilla fuit, quæ odiorum excitavit incendium. Feliciùs saluti consuluissent, ac fortunæ Davidis, si cantatrices puellæ Davidis victoriam, cum prostratis à Saule non contulissent: & ab epinicio illo abstinuissent, omnis quippe comparatio etiam inter pares odiosa est, & invidiæ fomes, & longè odiosissima, quando inferiores superioribus vel æquantur, vel præferuntur.

18. Quantum invidiæ non excitârunt voculæ illæ: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit:* collapsa fuerant ex terræ motu Constantinopoli ædificia quamplura, quæ restaurationem exposcebant. Cyrus Princeps Architectorum vir pace, & bello insignis aulæ Præfectus, belli dux, Patritius, & Consularis, referente Baronio ad annum Christi 441. quidquid intra urbem ex quassata terra conciderat, non tam instauravit, quàm in formam excitavit elegantiorem, & augustiorem: & hoc ob præstitum patriæ beneficium; sicut gratiam, ac benevolentiam sibi concivium conciliavit, ita initium excitavit invidiæ in Theodosio juniore, qui cum ludis præsideret equestribus, pugnisque umbratilibus, & populus nova, & eleganti urbis delectatus specie acclamaret. *Constantinus condidit, Cyrus instauravit:* voces istæ fuerunt, quæ non solum invidiam excitârunt in Theodosio, verùm & gladium acuerunt contra Cyrum, quem Theodosius non solùm publicatis bonis in ordinem redegit, verùm etiam in Clericum attonsum Smyrnam misit eo animo, ut per speciem Episcopum ibi ageret, sed revera ut ab improbo populo mactaretur, qui præcedentes præsules occiderat. Laus quam populus Cyro dedit, gladium cudit, acuitque invido Imperatori. Ægrè ferunt Principes sibi inferiores æquari, vel etiam in rebus clarè gestis præferri.

19. Quæsivit Saul, quisnam esset David, quamvis ante annum, & suum viderit armigerum in castris, suúmque expertus fuerit in aula musicum. Latet procul dubio in hac Saulis oblivione monitum nobilissimum, quo nemo speret, gratiam consequi singularem ob impensa hominibus beneficia. Adeò tenuis est, ac labilis præstiti beneficij memoria, ut euro citiùs fugiat, vel ingratitudinis spongià deleatur. Si qua tamen affulgeat spes gratiæ consequendæ, hanc levis quæque offensiuncula obliterat; quia ubi invidia suum spargit virus, singula inficit, ac corrumpit. Quin & alienam felicitatem in proprium supplicium suo livore transmutat; & alienum gaudium proprium facit mœrorem, ut & prosperitatem miseriam; quapropter supra omnem nequitiam livor insolescit, & invidiæ virus effunditur, quia ut apposité ait D. Ambrosius. *Improbus suo delectatur bono. invidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit: ut propè tolerabilior sit, qui sibi vult benè, quàm qui malè omnibus.* 2. offic. cap. 30.

20. Invidus, ut asserit Socrates apud Xenophontem de ejus dictis, & factis, eorum plerúmque bono tabescit, de quorum calamitate lætatur, quòd maximè tribuit stoliditati, cum non excludat summam nequitiam in eo sitam, quòd ex alieno bono aversio prodeat, & ex aliena prosperitate summa emergat miseria, ex aliena hilaritate lurida tetricitas oriatur; ex gaudio tristitia; & ex bono odium eliciat, & alium sibi invisum, & noxium statuat non alia ex causa, nisi quia à Deo bonorum omnium Largitore uberiori cumulatur favore, & plus altero ametur per collationem illius boni, quod invidum torquet, & miserum facit, quod perinde est, ac Thermachiam giganteam instaurare, ac de Dei iudicijs judicium ferre, ut notant D. Chrysostomus, & D. Prosper. Hinc Palladas apud Stobæum serm. 30. exclamat. *O maximam invidiæ improbitatem! invidus cadit fortunatum, quem Deus amat, adeò stolidè per invidiam erramus, adeò facilè servimus stultitia. Nos graci homines sumus; nihili mortuorum sepultas spes habentes, res omnes perversa jam sunt. Si quis odit hominem, quem Deus amat maximam stultitiam sibi inducit; manifestè enim contra Deum ipsum pugnat, maximam iram ex invidia recipiens.* Lib. 3. In epist. ad Rom. Lib. 3. de vit. contemp. cap. 9.

21. Talis fuit in aula Assueri Amanus inter Proceres, & purpuratus nemini secundus nisi soli Regi; vir tamen tumidus, ac invidus, imò & sævus in eos, qui auderent ejus adversari arrogantiæ. Hic origine Amalecita fuit, quamvis maternum genus à Persis traheret, ac propterea in consuetudinem, ac familiaritatem Persarum irrepsit, & in regiam aulam sibi aditum aperuit, usque ad sanctiora consilia, adeo ut apud Assuerum omnia posset, patrisque no-

mine à Rege appellaretur; ex quo tam vecors libido, tam insolescens superbia hominem occupavit, ut à quocunque non adoraretur cultu, qui soli Deo debetur, pœnas lueret; perinde ac si reus enormis esset flagitij. Id temporis inter excubitores prætorianos custos regij palatij Mardocheus aderat, cujus fores cum cæteris excubitoribus servabat, vir insigni in Deum pietate, & in Regem fide; hic recusavit honorem, ac cultum soli Deo debitum Amano præstare, qui indignatus, nil aliud mente moliebatur, nisi extremum Judaicæ stirpis excidium: decretum impetravit à Rege de universa stirpe Judaica per omnes Persici juris terras extirpanda; & deleta fuisset universa stirps Judaica, nisi Estheris reginæ lachrymæ cor Regis emollivissent, & impium delevissent decretum; quod non solùm Susis pendebat toti Judæorum genti fatale: verùm etiam per totam Persidem, per quam festinabant Cursores, Regijs litteris decretam Judæorum internecionem Magistratibus locorum denuntiaturi.

22. In hac luctuosissima rerum constitutione Esther post triduanas preces Deo fusas, variásque corporis afflictationes plena in Deum fiducia, naturalem-otis resumpsit venustatem, mundo muliebri se ornavit, & eleganter induta petjit ad Regem ingredi, quem blandâ sermonis suadâ in sua flexit vota. Non solùm ad abolitionem crudelis edicti Asserum induxit, verùm etiam ad epulum ab ea apparandum invitavit, cui adfuit etiam Amanus à Rege ipso accersitus; sed quantum hausit lætitiæ ex regia invitatione, tantum concepit indignationis in Mardocheum ad fores aulæ excubantis, cum enim ingredienti palatium Amano genu non flexisset, nec in humum se demisisset, felle miscuit Amanus quidquid dulcedinis ex Estheris convivio gustare poterat: adeo honoris cupiens se ipsum torquet, ut etiam in summa felicitate, vitæ sentiat acerbitatem, quam ut à se excuteret, initis cum Zare uxore consilijs deliberavit, patibulum erigere ad contumaciam plectendam Mardochei. Surrexit crux in sublime quinquaginta cubitorum altitudine, ut supplicium tantò esset ad terrorem atrocius, quantò ad ignominiam apertius, ac patentius. Sed ex Numinis providentia obtigit, ut Assuerus eam noctem insomnem ducurreret, quæ inter suspendium intercedebat, cùmque Rex insomnis suorum sibi gestorum historiam perlegi jussisset, didicit ex ea capiti suo per Eunuchos insidias fuisse structas, & indice Mardocheo detectas, nulla relata in benemerentem, vel gratia, vel præmio.

23. Circa id temporis mane horis antelucanis consueto maturiùs aulæ adfuit Amanus, quem Assuerus interrogans, quónam afficiendus esset honoris genere, quem Rex percuperet insigniter decoratum. Putans Amanus id ad suæ incrementum dignitatis pertinere; consilium suggessit tam suo plenum dedecore, quàm Mardochei refertum gloria: dixitque hunc regio esse ornatu vestiendum, & equo itidem regio vectum per urbis plateas circumducendum, frœnos tenente satraparum Principe, qui præconis instar proclamaret: *sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* Placuit Regi consilium, jussitque executioni demandari, & Mardocheum regio palludamento indutum, torque aureo fulgentem, diademate ornatum, & equo generosissimo vectum præeunte Amano Procerum primo, ac præconem agente circumvehi per singulas urbis plateas, & fora. Cúmque jussu Regis fuisset Mardocheus circumductus in modum triumphi præeunte suæ felicitatis præcone Amano, hic confusione plenus, & verecundia suffusus, & præsertim invidiâ excruciatus revertitur in domum suam. *Aman festinavit ire in domum suam lugens, & operto capite.* Esther. 6.

24. Quid? quòd superbus hactenus ex hilari, ac serena fronte modò submisso capite in imbres solvitur lachrymarum? quid? quòd despectus à Mardocheo non flevit, nec operto capite erubuit; sed mox erubescentia vultum tingit; & faciem tegit, quasi se indignum humano fateatur conspectu? invidia has rerum vicissitudines dedit, invidia caput cooperuit Amani, verecundiam excitavit, cor torsit, cùm primùm à Rege audivit Mardocheum tanto afficiendum esse honore: ægriùs toleravit, quòd æmulo suo plauderetur, quàm quòd sibi injuria irrogaretur: quia invidus magis dolet alterius plausum, quàm proprium damnum, plus ipsi displicet aliena gloria, quàm injuria sibi irrogata: *Invidia*, ait Cyprianus, *radix est malorum omnium, Sors cladium, seminarium delictorum, materia culparum*, & nonnullis interjectis describens invidum subdit: *Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata convitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua odio tamen futura necis armata.* Invidiæ color pallore inficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt, & ipsa dentibus stridet, livore tabescit, & ex alieno gaudio proprium hauriens mœrorem, misera efficitur ex aliena prosperitate. In serm. de livore.

❦ (o) ❦
❦

§. III.

Adeò exitialis eſt invidia malignitas, ut vel ipſius Bonitatis naturam ſuo nitatur livore corrumpere: ſibique tantùm adſtiſcere, quod pluribus Bonitas ſui diffuſiva fecit eſſe commune.

25. ADeo aperta eſt invidi malignitas, ut ipſius bonitatis naturam ſuo nitatur livore corrumpere & bonum, quod ad plures naturali propenſione diffunditur, adnitatur ad unum duntaxat, ſeu ad ſe ipſum coarctare, quod eſt naturam totius bonitatis invertere, & naturæ dotes evertere. Appoſitè D. Auguſtinus ait, loquens de invido: *Nullo modo fit minor accedente, ſeu permanente conſorte, poſſeſſio bonitatis. Imò tantò fit latior, quantò concordior tam individua ſociorum poſſidet charitas. Non habebit denique iſtam poſſeſſionem, qui eam noluerit habere communem. & tantò eam reperiet ampliorem, quantò ampliùs ibi potuerit amare conſortem.* Imò licet magis obſtringamur Deo per beneficia communia, & omnibus impenſa, ut nervosè probat Salvianus *lib. 2. ad eccleſ. non longè ab init.* Invidus tamen nititur hanc ſuo livore corrumpere communionem, & vinculum ſolvere, quo Deo arctiùs obſtringimur, quod eſt ſcelus ſceleri agglutinare. Hinc S. Cyprianus ait: *Non eſt, quòd aliquis exiſtimet, malum iſtud una ſpecie contineri, aut brevibus terminis, & anguſto fine concludi. Latè patet Zeli, & Invidiæ multiplex, & fœcunda pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Avaritiam Invidia inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem Zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente. Dei timor ſpernitur, Magiſterium Chriſti negligitur; judicij dies non providetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferveſcit, nec ſe jam poteſt cohibere, vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur; hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes, atque ſchismata proſilitur; dum obtrectatur ſacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, dum quis aut queritur, non ſe potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre Præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de Zelo ſuperbus, de æmulatione perverſus, animoſitate, & livore, non hominis, ſed honoris inimicus.* Sub nomine Zeli invidiam comprehendit, quæ ſcelera omnia ſecum trahit, ac fovet, non alia ex cauſa, niſi quia rerum proſperitas alteri favet.

Lib. 12. de Civ. cap. 1.

Lib. de Zel. & livore, num. 18.

26. Pati non poteſt invidia Principis favorem alteri impertitum, quàm ſibi. Subſiſtente Cyro Babylone, Darius ejus Socer in Mediam profecturus, ac curaturus, ne quid per Regis abſentiam turbaretur, Danielem voluit ſibi itineris comitem adſciſcere, quem centum viginti Mediæ Satrapis, totidémque Principibus præfecit. Tres duntaxat erant conſtituti, ſummi Principes, quibus à ſubjectis Dinaſtis reddenda ratio erat, & hos inter triumviros Daniel etiam eminebat Regi proximior, cùm ab eo veluti ab Oraculo penderet Darius, cui regimen injunxerat provinciarum, quas fide illibata, ſapientia ſingulari, & ſumma integritate adminiſtravit: quod materiem, ac fomentum ſuppeditavit invidiæ. Splendor, quo apud Regem fulgebat Daniel, clarior virtutum nitore, quam dignitatis præeminentiâ, malignos oculos perſtrinxit, in quorum pectore invidiam accendit innocenti exitialem Danieli, quem odijs cœperunt invidi ad internecionem perſequi; neque tantùm exarſerunt invidiâ in hominem exterum, & alienigenam, Judæum genere, & conditione captivum, & mox dominantem regno; verùm etiam venenatum livorem in ejus exitium moliebantur effundere varijs machinationibus, & modis id efficientes, ut Regem à Daniele abalienarent: & quia id erat factu perdifficile cum ea integritate, ac innocentia, regia ageret Daniel negotia, ut nullam noxæ ſuſpicionem ingereret; invidia tamen non deſtitit materiam calumniæ quærere, quam tandem ſtuduit invenire accerſito à religione diſcrimine, eò quia Daniel hebraico ritu Deum coleret.

27. Quia tamen inventum invidiæ potuiſſet Regi innoteſcere, ſategerunt ambagibus obtegere, ac politicum nequitiæ palliolum eidem injicere; imò & larvam regiæ venerationis præconcepto ſceleri imponere. Ineunt igitur Proceres conſilia, conſpirationem deliberant, & impium à Rege decretum extorquent, quo omnes Regem colerent, nilque ab alio peterent, quàm à ſolo Rege. *Omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo, & homine uſque ad triginta dies, niſi à te Rex mittatur in lacum leonum.* Hoc fuit decretum nequiſſimum, quod invidi extorſêre à Rege, ut Danielem Judæum perderent, cui favorem invidebant, & gratiam Regis; cùm enim Darius Babylone captâ totum Chaldæorum regnum Perſis ſubjeciſſet, inſteterunt Satrapæ aſſentatores, quòd cùm Perſæ non tam piè, quàm prudenter Reges ſuos Numinibus accenſeri vellent, ac inter Deos colerent, eò quia Rex inter homines Deum agat; non minorem vellet Darius à ſuis cultum exigere, quàm Nabuchodonoſor, ac Balthaſar victi Reges exegerint: eò quia poli-

Daniel c. 6.

politicum regimen exposcat, ut Majestas tota regia se subditis prodat, ejúsque divinitas splendeat illustrior; idque futurum, si decretum edatur, ne quispiam in toto regno intra triginta dies quidquam nisi à solo Rege petat; & decreto non parentes, regique non obsequentes, leonibus objiciantur.

28. Quamvis impietas decreti Dario Regi innotesceret, cùm per ejus sanctionem inhiberetur filio à patre, inopiâ locuplete, ægro à Medico, lapso ab erecto opem poscere, contra naturæ leges dictantes sui conservationem, & expulsionem miseriarum, quas non poterat Rex abigere, nec omnibus opitulari, cum ubique præsens esse non posset, nec omnibus occurrere necessitatibus; nihilominus ad arcendum seditionis metum assensum præstitit decreto, quod per tumultum postulabatur: Daniel tamen motis, & religionis suæ tenacissimus statas precandi vices minimè neglexit, ter per dies singulos in sublime ædium conclave ascendit, Deum ex genibus adoraturus: & ea constantia, ac libertate, ut per patentes fenestras potuerit à vicinis observari regij decreti transgressor.

29. Cœperunt tunc invidi proceres Danielem incusàre reum læsæ Majestatis. Tunc cognovit Darius, quas technas invidia Danieli construxerit, & quàm temerarium ediderit ipse decretum, per quod tam se, quàm Danielem fidissimum administrum in discrimen injecerat; de cujus innocentia non minus certus, quàm de viri jactura tristis toto studio incubuit, quo valeret à supremo eum discrimine eruere; sed id perinde erat, ac contra torrentem niti; Dinastæ siquidem invidi cum Regis animum, ejúsquem conatus animadvertissent, seditione facta Regem adjerunt, cui inculcàrunt legum Persicarum vim haberi sacrosanctam, & nulla immutatione, vel mitigatione esse infringendam, & una erat omnium vox, *Daniel legum transgressor ad leones.*

30. Tunc cessit Rex, vel invitus alienæ invidiæ, ac ferociæ, & Daniel in lacum demittitur leonum. Nonaginta tunc erat annorum senex Daniel, cùm leonibus fuit objectus. Ecce in quot scelera invidia Darij proceres traxit, idololatriam invidi accersiverunt, innocentiam oppresserunt, homicidium decreverunt, Deo derogârunt, cùm homo Deus fuerit constitutus, ac jussus dare, quod non habet; quid enim si à Rege omnia peterentur, ergóne ab uno homine omnia speranda? Mille fuerunt tunc in regno miseriæ, mille & indigentiæ, nec poterat Rex miseris omnibus opitulari, nec potuit quispiam Darium fingere Herculem Alexicacon malorum omnium depulsorem; neque cum propemodum essent innumeræ subditorum necessitates scire poterat, quid negare, quid concedere deberet.

31. In invidiæ officina omnia cuduntur scelera, confinguntur errata. Et nonnisi excidia, cædes, & præcipitia intentantur, oculus livore suffusus alienum non intuetur splendorem, nisi ut eum vel obscuret, vel extinguat: & de alieno solatio dum tristatur invidus, se ipsum etiam torquet, & de aliena felicitate est ipse infelix, sitque propterea miser & parvulus: tunc enim incipit alter invidere, cum majorem se illum judicat, ideóque quia illi non æquatur, sed infra detinetur propriam dolens exiguitatem, alterius invidet magnitudini, pulchrè S. Gregorius. *Invidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putâmus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod ee minor sit, cujus invidia torquetur. Hinc est, quod hostis callidus primo homini invidendo beatitudinem surripuit: quia amissâ beatitudine minorem se immortalitate illius agnovit. Hinc est, quòd Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit, & quem meliorem se esse exhorruit; ne utcunque esset, amputavit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen pro esu lenticula ipse vendiderat, minorem se eo, quem nascende præibat, ingemuit. Hinc Josephum, fratres sui Ismaëlitis transeuntibus vendiderunt, quia cognito revelationis mysterio, ne se fieret melior, ejus profectibus obviare conati sunt. Hinc Saul David subditum lanceam intorquendo, persequitur, quia quem magnis quotidiè augeri virtutum successibus sensit, ultra se excrescere expavit. Parvulus itaque est, qui invidiâ occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.* Cap. 11.

Nititur invidus inæqualitatem evertere, de qua tristetur, quòd est mundum velle subvertere, ac penitus delere, non enim ulla major potest mundo, & hominibus perversitas accidere; quàm inæqualitatem statuum, ac conditionem in humano genere abolere. Etenim si urbes, quas homines incolunt, hac destituerentur inæqualitate, omnésque pari essent conditione insigniti, gradúque æquali, & sorte viverent; vel omnes essent ex ordine equestri in dignitatibus constituti, & divitijs affluentes, & tunc exularent omnes famuli, excluderentur Opifices, nullus esset agricola, qui campos excoleret, plantas sereret, fructus colligeret, messem in horreis reponeret. Vites apricis non florerent in collibus, nec rustica falce putarentur in vere, nec autumno despumantem exhiberent vindemiam, nec nllis vestirentur pampinis, nec fertis coronarentur uvarum: nullus in sylvis feras venatu persequeretur, nullus auceps in campo volucribus insidias tenderet, nullus in mari, & aquis retia jaceret, nec hamum in piscium capturam. Jugarius boves non duceret ad 32.

agros

agros excolendos; nullus ſutor calceos efficeret; & nullus barbitonſor tonſtrinam aperiret; nullus ſarcinator veſtes conſueret, nullus coquus cibos, & fercula appararet; nullus Eſſedarius equos dirigeret; nulla pediſſequa heræ inſerviret; & artes omnes ceſſarent, & officia, quibus inferiores ſuperioribus inſerviunt, & utrinque ingentia exorirentur incommoda.

33. Nil enim infeliciùs, nilque miſeriùs, quàm omnibus propè vitæ commoditatibus deſtitui; artium, & famulorum defectu. Quid ærumnoſius eſſet, quàm ad excolendos campos, & ad reliquas peragendas functiones, quemque per ſeipſum adigi, ſi omnes in dignitate eſſent conſtituti; divitijs æquè affluerent, & æquali nobilitate inſignirentur, utique nobilis per ſe ipſum, ut viveret munus adigeretur ruſticelli obire, per ſe ipſum terram excolere, ſemina jacere, plantas ſerere, fructus colligere, & ſibi conſulere vitæ neceſſaria, ſicque eſſet quilibet agricola, ſartor, ſutor, piſcator, coquus, quo nil ærumnoſius excogitari poteſt. Non igitur utilis tantùm, ſed & neceſſaria eſt hæc conditionum, ac ſtatuum inæqualitas, quam invidus ſuo livore delere adnititur: ſicut contrarietates elementorum, diſparitas ferarum, varietas plantarum harmonicum inducunt in mundo concentum: ita & in humano genere inæqualitas ſtatuum, varietas conditionum, miram conſtruit ad rectum mundi regimen harmoniam, & eſt id, de quo diſputat Scipio apud Tullium in opere de Repub. referente D. Auguſtino.

De civit. cap. 21.

34. Sicut enim in fidibus, ac tibijs, cantúque ipſo, & vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum, ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt: & ex diſſimillimarum vocum moderatione, ac ex concordi diſcordia concentus exſurgit harmonicus, qui aures demulcet, & animo ſolatium ingerit: pari pacto ex varijs in humano genere ſtatibus hominum, & conditionibus ſummis, medijs, & infimis interjectis ordinibus, veluti ſonis diſparibus, ſed concordibus harmonicum oritur in Republica regimen: quæ enim à muſicis in cantu harmonia dicitur; hæc in Republica eſt concordia, qua infimi medijs, & medij ſupremis cohærent: Invidus igitur, quia hanc vellet inæqualitatem ſtatuum, & conditionem delere, Reipublicę adnititur harmoniam obliterare, quò nil infeliciùs, nil ærumnoſius poſſet humano generi obtingere: hac enim ſublata inæqualitate omnia ceſſarent commoda, & quiſque inops in ſuis divitijs, & miſer in ſua felicitate eſſet.

35. Sed quam miſeriam vellet invidus mundo invehere, eandem ad ſe trahit, nil enim tam infeliciter miſerabile eſſe poteſt, quàm aliena felicitate miſerum eſſe. Et id tantum ineſt invidiæ boni, quia de ſuo ſcelere promeritas exigit pœnas, quas & ſibi maturat, dum præproperè eſt aſſiduus ſui carnifex. Quid enim tam præpoſterum, quàm homines non ſuas flere miſerias, ſed de aliena torqueri proſperitate, & miſeriam propriam ex aliena haurire felicitate, odit enim invidus bonum quodvis, quod alteri impertitur. Conduxerat paterſmilias operarios in vineā ſuam, & quidem alios ſummo mane, alios ſub meridiem, & ſub veſperam alios. *Ite, & vos in vineam meam*, & inclinata mox die omnes denario diurno donatos dimiſit, ac æquè dedit ijs, quos ſummo mane conduxerat, quique portaverant pondus diei, & æſtûs, ac alijs, qui unà duntaxat hora in vineæ cultura laborârunt; ſed qui diutiùs in agricolatione deſudârunt, nonniſi cum invido murmure, & queruli pactam ſibi mercedem acceperunt dicentes: *Hi noviſſimi unâ horâ fuerunt, & & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.* Sed Paterfamilias eorum uni probè retorſit, reſponditque. *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? tolle, quod tuum eſt, & vade. An non licèt mihi, quod volo facere, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Matth. 20. v. 4.

Matth. 20.

Oculus nequam eſt oculus lividus, ac invidus, qui livore ſuffuſus alienam lucem intuetur, ſed ut obſcuret alterius felicitatem; inſpicit, ſed ut inficiat, & cum bonitate alterius uratur, invidiâ depravatur, tabeſcit, & nequam fit. Quam improba eſt invidiæ nequitia, quæ ex aliena felicitate propriam haurit miſeriam! quàm ferale eſt invidia monſtrum; quam perniciosa, & virulenta eſt planta, quam vix uno die exculta vinea protulit; quæ ut pampinos egerat, uvas ad vindemiam deſpumantes exhibeat, & meſſem flaveſcentem falci ſubjiciat, plures debet menſes excoli, proſcindi aratro, ſeminibus ditari, occari, & ſi degeneres depromat herbas, hæ evelli debent, ne probis ſeminibus ſuccum ſurripiant, & nutrimentum ſubtrahant: invidia illicò germinavit in vinea, nec poſt multum impenſum laborem fructus deprompſit ſuos, & livorem ſparſit. 36.

Sed non miror, ſi tam procax invidiæ partus in vinea germinavit, cum vel in ipſo cœlo vix Angelicis ſpiritibus creatis eò inſurrexit impetu, ut unà cum Lucifero tertiam Angelorum partem in imum detruſerit Tartari; & in terris vix orbe condito ſuccreverit etiam in paradiſo conſita agricolante cacadæmone, quem cum protoplaſtorum felicitatis invidia torqueret, ſerpentis halitu in hominum inſufflavit felicitatem, quam extra paradiſum abegit: plenus enim inſidiarum occaſionem enactus perdendi hominis Evam decepit, quâ ejus virum proſtraret, qui quam meruit pœnam, in omnes diffudit poſteros. 37.

Non ſolùm in paradiſo ſuccrevit invidia, verùm & extra ejus limites exitiali propagine ſe illicò diffudit: ope ſiquidem 38.

Caini etiam inter ignes, & victimas fumum effudit virus: ignis de summo cœlo delapsus, & victimas depascens Abelis, non suas, invidiam succendit in Caini pectore, ut nihil jam nisi cædem fratris animo volveret, omnésque posthac victimas contumaciter ejuraret. Nullus est locus ab hac peste tutus, cum nulla ætas quamvis tenella, nullus felicitatis flos incaparit sive in cœlo, sive in terris germinare, cujus venustatem livor invidiæ non corruperit.

38. Quatuor possumus in invidia perpendere; nimirum quòd ubique locorum nascatur; citò succrescat; rarò emoriatur; & jugiter noceat, suúmque effundat in hominum perniciem venenum. Ubique nascitur invidia, quia nec loci reveretur sanctitatem, nec vigilantium timet excubias, neque facies jejunio emaciatas, nec corpora cilicijs, saccísque pœnitentiæ induta exhorret, ubique suum effundit livorem: & quia ut vulgata fert paræmia, *Alta petit livor, perflant altissima venti*, primas suas in cœlo radices invidia Lucifero germana egit, ubi & pullulavit: in terrestri paradiso Adæ coæva non recusavit serpentis ali ubere, ore gigni, mendacijs enutriri, versutijs, ac fallacijs succrescere. In ara justi Abel monstrosè prodijt, ubi ne minor videretur Salamandrâ, flammis usa pro pulvinari, ibi quievit, non ut sacrificia splenderent Abelis, sed sacrificantem ut mactaret, & victimam constitueret livoris; ex flammis è cœlo delapsis, quæque in ara Abelis oblatas depascebant victimas, ferales umbras invidia hausit prœmaturæ mortis, fraternique excidij.

39. Imò non solùm aram contaminavit invidiæ livor, sed & mannæ medirullium corrupit in deserto, ut censet D. Augustinus: Invidia nauseam movit, & cœleste corrupit edulium. Quid mannâ sanctius? quod Angelorum fuit manibus confectum, ac syderum rore veluti fermento subactum? quid manna sacratios? cùm fuerit Angelorum opificium, sacerdotum pabulum, Christi imago, & deliciarum omnium compendium? & tamen in manna vermis abullijt invidiæ; etiam hanc è cœlo demissam in solatium hebræorum ferculorum abundantiam, livor invidiæ infecit, ejúsque saporem corrupit: quia invidia tunc crescit robustior, cùm felicitas augetur pinguior. Quid innocentius, & sanctius Josephi manipulo? quem stantem, reliqui omnes in terram procumbentes adoraverunt, & tamen hujus stantis manipuli gloriam invidiæ flatus dejecit in potaum, & livor vili pretio vendidit mercatoribus. Quid sacratius Jonæ hœderâ? quam Deus ipse ad Prophetæ solatium excoluerat, quo citiùs procenderetur, ramos dilataret, folia emitteret, ac umbriferum Jonæ construeret domicilium, quo Propheta urentis solis non sentiret æstus: sed Augustino teste, & hanc Prophetæ felicitatem invidia prostravit: vermis, qui dente famelico medullam plantæ corrosit, livor fuit, & vermis invidentiæ, qui intra noctem umbratiles illas delicias, Dei agriculturam, & Jonæ hederaceam dissipavit hæreditatem. Quid eremo illa sacratius, ubi Deus ipse factus homo aderat, & quam sua præsentia sacraverat? & tamen ibi igneus invidiæ serpens populum prostravit Israëlis.

§. IV.

Invidia veluti Phœnicis æmula, sui carnifex se ipsam interimit, licèt non moriatur; quia se parit, cùm suo livore perit; torquet se, non ut pereat, sed vivat.

40. Ubique nascitur invidia, & citò adolescit etiam in agro Domini, in quo mixta frumento succrevere zizania inimicorum, Judaicæ invidiæ seges æquè citò pullulavit, ac electorum frumentum christianorum: sed si in agro æquè citò cum frumento creverunt zizania; in vinea tamen tardiùs effloruit vitis, quam invidia vindemiaret. Cùm primùm excoli cœpit Christi vinea, maturuit in ipsa botrua fellis; invidiæ livor venenatos suos dedit fructus. *Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus.* Vix cœperant Operarij per paucas horulas suum in vineæ cultura laborem impendere, & illicò invidia germinavit, effloruit, adolevit, & fructum dedit livoris; adeo parata est ad nocendum, ut illicò foras erumpat, & moras quásqua disrumpat. Imo & nondum natos adoritur, & sternit, testis est Rebeccæ uterus, in quo priùs nata fuit invidia inter fratres, quàm isti nati, lucis essent usuram enacti. Ad singulare descenderant certamen filij Isaac, arenam materno nacti in utero, & priùsquam nati artem edocti luctandi cœperunt inter se sa pugnas aire, non alijs armati gladijs, quàm invidiæ. Unum fratribus hospitium erat, una & sanguinis necessitudo, quæ simul ambos materno in utero colligavit, sed invidia mentem unius à mente sejunxit alterius; tametsi eodem alerentur cibo, diverso tamen furebant ardore, nitebantúrque Rebeccæ matris uterum in mortis sepulchrum vertere, pugnârunt invidiâ armati, quò eorum alter priùs moreretur, quàm n[illegible]eretur; rixantur enim pueri, antequam in campum prodeant, séque mundo prodant: gladiatoria palæstra uterus fuit; rixarum excitatrix invidia, ne alter alteri præesset.

Matth. 20. v. 12.

41. Non solùm materno in utero gemellos fratres invidia dissociavit, sed & primos urbis Romæ fundatores fratres jugulavit, quasi nimis angusta fuisset Roma duobus, quæ vix uni videbatur posse sufficere, & nisi invidia alterum ex fratribus sustulisset, non

non potuiſſet orbs ſuperſtitem capere, quæ totius orbis terrarum communis deſtinabatur patria. Quòd ſi Romanos fratres lac à lupinis hauſtum uberibus minus ab invidia tutos effecit; lac Rebeccæ unà cum fratribus invidiam enutrivit, quæ cum iisdem adolevit. Et ubi non eſt invidia timenda, cum fraternis etiam in pectoribus ſtabuletur, ſuúmque fundat livorem? Quinimò invidia non ſolùm Romulo, & Remo urbem anguſtam, ut duos non caperet, effinxit, ut alterum ex fratribus interficeret: verùm & primis in mundo fratribus orbem totum nimiis arctatum anguſtiis Caino repræſentavit, qui ut viveret, Abelem fratrem ſuſtulit: adeò dilatatur in mundo invidia, ut totius orbis latitudo anguſta viſa fuerit invido fratri. Utinam invidia ſicut citò naſcitur, & ſtatim diffunditur; ita etiam citò moreretur, ne diutiùs noceret; ſed lues hæc, quamvis citò naſcatur, difficulter, imò nunquam extinguitur; éſtque vitæ appetens, quò vitæ inſidias nectat, videtúrque pactum cum morte iniviſſe, quam in mundum introduxit, ne unquam à mundo excluderetur; hinc non defuêre, qui invidiam phœnici pariaverint; quia perinde ac phœnix, eſt ſui carnifex, vitámque ſuppliciis emit, ſéque à morte moriendo redimit, ſéque parit, dum in rogo perit; invidia torquet ſe, non ut pereat, ſed vivat, quò ejus vita eò ſit noxior, quò diuturnior.

43. Hinc arduum eſt invidiam ſuperare, cum ſuppetias exigat à ſuppliciis. Idque fortaſſis, cur Jacob ſuccumbentem in lucta Deum fortiſſimum nuncupaverit. *Invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël;* non quia os ei fœmoris luxaverit, nervúmque in lucta diſtorſerit, ſed quia occurrentem ſibi Eſavum mitigaverit, ejúſque invidiam coërcuerit: adeò arduum eſt monſtrum profligare invidiæ, & virus declinare livoris. Recluſerat Deus Patriarchæ cœlum, Jordanem coërcuerat, ut baculo trajici poſſet, ovium conduplicaverat fœturas, nec tamen fortem Jacob Deum adhuc dixit; ſed tunc cùm primùm Eſau inhibuit livorem, invidiam compeſcuit, fortiſſimum vocavit. *Invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël*, hoc eſt ſuper odium ex invidia emerſum Eſau; quia invidiam compeſcuiſſe opus eſt fortiſſimi, etenim difficiliùs eſt frœnum invidiæ injicere, quàm flumina cohibere, cœlum perrumpere, elementis obſtare, & ventorum impetus compeſcere.

Gen. cap. 32.

44. Sed cur Dominus à Jacobo non fuit fortiſſimus appellatus, cùm furentem Labanum ſocerum à cruenta cæde deterruit, ſed tunc tantùm cum Eſau invidiâ excruciatum, ac livorem evomentem cohibuit, ac mitigavit occurrentem fratri in patriam reduci? ſi Labani ira imbecillior non fuit Eſau invidiâ; cum tam ira in Labano, quàm livor in Eſau cruentam moliretur Jacobi necem, cur non vocavit Deum fortiſſimum, etiam quando Labani cohibuit furorem, & iram repreſſit? quia nimirum longè difficilius eſt invidiam in fratre, quàm iram in ſocero coërcere, tametſi ferocior Laban fuerit, ſocer tamen erat; Eſau licèt blandior, quia tamen frater invidiam alebat nocentiorem. Gliſcit enim exitiale odium, ſi eodem nutriatur ſanguine, & nunquam debacchatur immanius, quàm cum in proprium furit genus. Licèt Labanus rabidiùs irrueret in Jacobum, quàm Eſau, quia tamen hic frater erat, ſeu ſanguine proximior, & ille ſocer; longe valentior erat in fratre invidia, ac ſuperatu difficilior, quàm in Labano ſocero furor, qui ad internecionem Jacobum perſequebatur, ideóque Jacob tunc tantum Deum Iſraël fortiſſimum dixit, cùm Eſavum fratrem occurrentem ſibi in patriam reduci mitigavit. Rarò audimus diſſutam ſemel fratrum concordiam iterum coaluiſſe; & extinctam fraternam charitatem ſuo è cinere redivivam ſurrexiſſe: ſicut nulla truculentior eſt rabies, quam quæ inter fratres adolevit; ideo invidentiam, ac odium fraterno innutritum ſanguine compeſcuiſſe, non fortis cujusquam eſt opus, ſed fortiſſimi. Socer iram deponit, odium excutit, & genero placatur, ſeu Laban Jacobo reconciliatur: ſed ubi neceſſitudo eſt potior, & ſanguis proximiori vinculo arctiùs fratres illigat; nonniſi ſolo ſanguine ferales ſuas ira & invidia extinguunt flammas; neque ſolum ſitiunt ſanguinem, niſi & vitam ipſam noverint cum ſanguine fudiſſe.

Nero non contentus inflictis vulneribus matrem trucidâſſe, ejúſque uterum ſeccuiſſe poſt fuſum ejus cruorem etiam interemit, nec propriæ ſatisfeciſſet ſævitiei, & odio, niſi vulnerata mater unà cum ſanguine etiam vitam evomuiſſet. Abſolon non Amnonem fratrem tantùm confodit, ſed & jugulavit. Cain Abelem fratrem, cui ſacrificia invidebat Numini gratiora, non perduxit in campum, ut torqueret, ſed mactaret. Et David fortaſſis vibratam in ſe Saulis haſtam non declinâſſet, ſi non ejus gener, ſed frater fuiſſet: quia odium, & invidia, ſi fraterno alantur ſanguine, fiunt magis exitiales, ac valentiùs irruunt in cædes; ſítque opus Fortiſſimi invidiam fraterno ſanguine paſtam coërcere. Idque igitur cauſæ, cur Jacob Deum Iſraël tunc fortiſſimum vocaverit, cum non Labanum ſocerum ei iraſcentem, ſed cùm fratrem Eſavum illi invidentem compeſcuit. Nec mirum quia ad Generum perſequendum ſola avaritia Labanum impulerat; ſed ad Jacobum in patriam reducem occidendum invidia Eſavum urſerat; & licèt tam avaritia, quàm invidia nocentiſſimæ ſint, ſuáſque ferales tœdas ab orco videantur mutuare; faciliùs tamen fax extinguitur cupiditatis, quàm noxia ſopiatur invidiæ flamma. 45.

Licèt Matthæus ſederet in telonio divitiis inhians ad unam tamen vocantis Do- 46.

mini vocem surrexit ; pecuniarum cupiditatem à se abegit, & mensas omnes dimisit: non ita Josephi fratres æquè citò livorem deposuêre, & invidiam à se abegerunt ; cruentam fuêre ejus cædem moliti, in siccam cisternam eum dimiserunt, fame, & siti enecandum ; nec ullis lachrymis potuit fraterna invidia emolliri, nec livor deleri ; sed extractum è puteo & vinculis compeditum exteris dederunt mercatoribus venum. Non absque admiratione perpendunt SS. Patres inhibitum à Josuë solem stetisse, ne staret Amorrhæus ; occasuro námque soli inclamat invictissimus Josuë. *Sol contra Gabaon ne movearis*, paruit planetarum Princeps castrorum duci, ut periret Amorrhæus ; exhibuit se stationarium militem, quò stativam in castris Amorrhæorum fortunam prosterneret, metámque distulit diei attingere, quò dux fidelis inimicorum palmas ad postremum usque demeteret. Mirantur inquam SS. Patres, quòd cum sol stetisset à Josuë inhibitus, non tamen steterit coërcita à Deo avaritia. Quòd si Josuë non solis cursum, sed cupiditatis impetum debuisset coërcere, non ei fuisset cupiditas obsecuta, ut princeps planetarum ; nec Dei milites scelus inito conflictu prostrâssent, sed illud in dies exaggerando desperatiùs cumulâssent.

47. O quanta est invidiæ perversitas, quam nonnisi fortissimus omnium potis est prosternere! nec mirum si superatu sit invidia difficilior, quæ fœcundior est scelerum mater, quia teste Jacobo Apostolo. *Ubi zelus, & contentio ; ibi inconstantia, & omne opus pravum :* est hic zelus livor invidiæ, & hæc malorum omnium matrix esse perhibetur : siquidem ex una invidia, veluti è putido fonte vitiorum omnium scaturiunt rivuli, profluunt rixæ, emanant contumeliæ, erumpunt odia, exeunt pugnæ, cædes, rapinæ, schismata, hæreses, sacrilegia, & scelera omnia, quæ unica invidia suo fovet livore, quapropter ait Cyprianus de zelo & livore : *Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur : invidia terminum non habet permanens jugiter malum, & sine fine peccatum.* Quia scilicet una invidia omnia scelera suo livore fovet. In hoc tamen justitiæ patrocinatur, quòd promeritas pœnas à se ipsa exigat, & invidum eò diriùs torqueat, quo alteri invidet se feliciori ; hinc eleganter Cyprianus *eod. tract. de zel. & livor.* æquiparat invidiam tineæ, ac rubigini ferrum, cui inhæret, corrodenti, inquiens : *Qualis verò est animæ tinea? quæ cogitationum tabes? pectoris quanta rubigo? zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia divina ; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, & torqueant.*

3. v. 16.

Quid calamitosius, quàm se ipsum perpetuum habere tortorem? quid miserius, quàm ex alieno solatio mœrorem haurire : quid detestabilius, quàm ex aliena felicitate proprium accersere infortunium? & aliena pinguedine proprium enutrire livorem, quò eò acriùs torqueatur, quò alterius fortuna pinguescit uberiùs? appositè S. Chrysologus. *Invidia suorum carnifex semper exstitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit, quid plura? hanc quo receperit, sua sustinet sine fine supplicia ; quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est? ubi cruciatus est aliena felicitas.* Imò tam immaniter invidum livor torquet, quàm opulentius est alterius bonum ; & faciliùs damnum tolerat proprium, quàm alterius, cui invidet prosperitatem. *Collegerunt ergò Pharisæi, & Principes concilium, & dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* sed juvat meminisse, Christum Dominum mendaces appellavisse Pharisæos, & Diaboli filios Joan. 8. *Vos ex Patre Diabolo estis*, & *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* Nulli dubium, quin utrumque effatum Pharisæi pro gravi injuria sibi irrogata reputaverint ; ut ex iræ flammis, in quas erupêre clarè conjicitur : sed si congregantur in concilio deliberaturi de Servatoris factis, & dictis, cur non potiùs injuriarum, quas ab ipso fuêre perpessi reminiscuntur? cur solum ei miracula, ac prodigia, quæ tunc operabatur, ei objiciunt ad nocendum Joan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Quòd Christus cæcis visum, claudis gressum, mutis loquelam, malè valentibus sanitatem ; imò & mortuis vitam restitueret, non erat quidquam, quod Pharisæis noceret ; cùm omnibus id prodesset ; cur non potiùs conqueruntur, quòd mendacis notâ inusti fuerint? quia nimirum despumantes felleo livore Pharisæi minus cruciabantur de proprijs contumelijs, ac injurijs ; quàm de Christi Domini gloria, & plausu, qui ex patratis miraculis ei accreverat : injuriarum, quæ ipsis fuêre illatæ, non meminerunt, & eas vindicare neglexerunt ; dummodo gloriam, auràmque popularem, quam fuerat sibi Christus enactus ob patrata miracula, vel extinguerent, vel minuerent ; quia invidus magis dolet gloriam illius, cui invidet, quàm injuriam propriam ; in quo similes dixeris diabolo, quod Christus edixit. *Vos ex patre diabolo estis.*

48. Serm. 172. Joan. 11. Numer. 55. Joan. 8.

Non

49. Non curat invidus proprio mederi ulceri, dummodo alteri vulnus infligat. Scitè Lib. 2. Offic. cap. 30. D. Ambroſius ait: *Improbus ſuo delectatur bono, invidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit; ut prope tolerabilior ſit, qui ſibi vult bene, quàm qui malè omnibus.* Et ex eo, quòd invidia admitatur alienam proſperitatem vel minuere, vel abigere, & dentes acuat in alterius virtutem, vel felicitatem, Valerianus felicem Homil. 13. conjicit eſſe, in quem invidia ſuum effundit livorem, ait ipſe: *Felicem planè illum judico, cujus glorioſam vitam torvo oculis alter aſpexit. Nam ſatis bono loco eſt illius cauſa, qui aliena laborat invidia: quia non livet homo niſi melioribus; nec invidiæ ſubjacet, niſi quem ad celſiora melior vita profectus evexerit. Illos verò plus, quàm miſeros puto, quos lucra alìena felicitatis exagitant, & iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis jaculis inquietat. Bene iſtos ſua tela puniunt. Ut videatur mihi ipſa invidia aliquid habere diſcretionis, cùm authoris ſui cor repercutit, & malè conſcium pectus cruento ſemper livore conſumit.*

50. Dum promeritas invidia à ſe pœnas expoſcit malum eſt juſtiſſimum, adeò ut in adjuncta ſimulationis pravitate, nonnihil virtutis foveat, quapropter Nazianzenus *Orat.* 27. ex eo juſtam eſſe invidiam dixit, quia in artificem ſuúmque parentem ſæviat; nimirum, viperinum vitium propriam dilacerat genitricem, & mortem infert, à qua vitam mutuat. Hæc verò exercita in proprium authorem ſævities ex eo oritur, quia cùm pudeat invidum ſui livoris; non audet, quod intus ſentit ulcus putridum, ac lividum viſcera dilaniare, foras exprodere, ac fateri ſe alteri invidere; & quia affectum hunc non audet invidus retegere, eundem intus fovet in corde; ubi neceſſe eſt fiat compreſſio ſpirituum, ex qua plura corpori emergunt incommoda, pallor in vultu, lividitas in ore, macies in corpore, profunditas in oculis, obliquitas in aſpectu; & clauſis, cohibitiſque in animo turbulentiſſimis affectibus invidiæ, & odij eò torquetur intus acriùs, quò foras alius, cui invidet, bonis cumulatur uberioribus; & quia hoc tormentum inde diriùs invidum torquet, quod res alienæ ei ſemper grandeſcant, turgeantque ſupra verum, ideo lepidè Actius apud Jovinianum Pontanum coram Fe- Lib. 6. de serm. cap. 2. in diſceptatione Medic. derico Rege Neapolitano propoſuit, quidnam magis oculorum vim in perſpiciendo juvaret; alijs alia proferentibus reſpondit per jocum, invidiam eſſe, eò quia grandiora ſemper, ac pleniora videri faciat bona alterius, cui invidet, juxta illud Poëtæ

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in arvis,
Vicinúmque pecus grandius uber habet,

Adeo eſt parvulus, qui alteri invidet, ut aliena ſemper appareant grandiora. Et hæc etiam cauſa, cur tam facilè ſe prodat invidia in ſupplicium invidentis; quia ſi quid boni, vel præclari in alio videt; inde fomentum ſumit, quò eò acriùs urit, quò grandius ſibi bonum illud alienum imaginatur; & occaſiones criminandi nititur enanciſci, ubi nulla adeſt; quia ſicut invidia fomitem ſibi fingit, quo ſe torquet; ita in alio, cui invidet ſatagit anſam aucupari ſcelus aliquod redarguendi, quo ejus obſcuret gloriam.

§. V.

Invidia Veſpertilionis naturam ſibi uſurpans, alienæ gloriæ ſplendores non patitur; & eò cucutit turpiùs, quò alius, cui invidet, ſplendet illuſtriùs.

Acceſſit ad Chriſtum cæcus à nativitate lumen à Divino Sole recepturus; expuit Chriſtus in humum, & ex ſaliva immixta pulveri lutum confecit, quo oculos linivit cæci, ſimúlque viſum, lumenque impertivit: ſed cùm primùm invidi hoc à Chriſto audierunt patratum miraculum tragædias excitârunt, & Servatorem accuſant de violato feſto: *Dicebant ergo ex Phariſæis quidam; non eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit.* Non miraculi commendârunt magnitudinem, ſed Sabbathi accuſarunt tranſgreſſionem: adeo cæcutiebant ipſi, ut ſingularitatem patrati miraculi, non videntes, quia caligine involuti invidentiæ, ſcelus tantùm quod redarguerent viderunt; nimirum cæcutiebant, ubi nonniſi virtutis emicabat ſplendor: Phariſæi Chriſtum odio perſequebantur, non quolibet, ſed invidentiæ; hinc non mirum ſi ſategerunt gloriam obſcurare miraculorum, omnémque extinguere virtutis nitorem accerſitâ, & accuſatâ Sabbathi violatione; ſcitè Zeno Veronenſis de livore, & invidia: *Judæorum odium adverſus Salvatorem ex invidia deſcendit: & quæ erat invidiæ cauſa? mirabilia ſignorum: cujuſmodi verò erant mirabilia? ſalus animæ, & corporum ſanitas. Paſcebantur eſurientes, & quia paſcebat, impugnabatur, vita mortuis reddebatur, & is, qui vitam tribuebat, inſidias vitæ per invidiam ſuſtinebat: Dæmones fugabantur, & imperanti dæmonibus, doli ab hominibus tendebantur: leproſi mundabantur, claudi ambulabant, ſurdi audiebant, cæci videbant, & qui hujuſmodi gratiam largiebatur, ab hominibus fugabatur.* Torquebat livor Phariſæorum pectora, & in invidiæ officina malevoli cauſas cudebant, quibus vel ipſa criminarentur miracula, & in ſcelus detorquerent prodigia.

51. (Joan. 9. v. 16.)

52. Pravus invidiæ affectus, oppanſa eſt in mente nebula, & in oculis caligo, quæ non

finit clara luce alienas virtutes conspici, sed mentem falsis plerumque eludit imaginibus, & commenta fingit, quibus alienos nitores vel extinguat, vel obscuret. Adeo cæco impetu, & præmatura pronitate in vitia tendimus; ut ratio, & intellectus ambitiosa perversitate officia antevertat voluntatis, & quæ in nobis laude proseqnimur, alijs damus vitio; & veritas suam patitur fortunam, & non semel ab ore inficitur proferentis. Pallium, quod in suis extulerant Carthaginenses laudibus, in alijs incusabant improbitatis, ac damnabant novitaris; & idem amictus, qui ut tegens Carthaginenses, honestatem induebat, ac probitatem, potis non fuit eorundem tegere invidiam; quæ in eundem amictum suum effudit livorem, qui exteris materiam suppeditabat probri, cùm in iisdem multiplici laude cohonestaretur; quapropter Tertullianus palliatam Carthaginensium redarguens invi-

Lib. de pal. 5o cap. 1. diam ait: *Pallium generaliter vestrum immemores etiam denotatis.* Idem pallium, quod ornatui, & decori erat Carthaginensibus, exteris fuit probro de novitate suggillatum; quia nimirum cum fine livore pallium quo tegebantur Carthaginenses aspicerent, nil improbi in ipso deprehenderunt; sed quia invidiæ nebula mens infecerat, & caligo oculis erat obex, ne honestatem pallij in alijs viderent, ideo eundem amictum suggillant; damnántque in alijs, quem in se ipsis commendant; & quia nil sceleris secum trahebat pallium illud, tamen qui oculo aspiciebant invido de novitate suggillârunt, quod de nulla valuerunt sceleris enormitate damnare.

53. Quod in nobis approbamus; invidi in alijs reprobamus, & technas fingimus, quibus aliena redarguamus. Sepulto Christo post peractum redemptionis nostræ opus, mulieres fragilitate, ac conditione fœminea exutæ, & mascula virtute corroboratæ viriliter audent etiam inter milites Dominum quærere, pericula adeunt impavidè, nec ab ærumnis, injuriisque subeundis se subtrahunt, quò Magistri resurrectionem Apostolis nuntiarent. Non viri, sed mulieres cucurrerunt primæ ad sepulchrum, quia eùm primo homini porrexerit fœmina in terrestri paradiso pomum gustandum, ut unà cum fructu mortem deglutiret, æquum erat, ut per mulierem nostræ vitæ, ac salutis audiretur resurrectio; & compensaret mulier fidei nuntio, quod perfidiæ ademerat verbo; esséique ministra vitæ resurgentis, quæ interpres fuerat mortis interimentis. Sed mulieris nuntium Apostoli deliramentum arbitrantur esse, neque fidem præstant Magdalenæ, quam Magister verbis suis, antequam mor-

Luc. 24. v. tem subiret, ratam habuit: *Visa sunt ante illos tanquam deliramenta verba ista, & non crediderunt illis*, rejecta mulierum assertione duo ex Discipulis adhuc fluctuantes ex tempestate Emaus contenderunt; quibus se socium itineris Christus adjunxit, quem & urbanè receperunt, & comiter invitârunt ad exiguum obsonium, eùmque unà sederent, quem in itinere non noverant in profusione verborum, sedentes agnoverunt redivivum in fractione panis: sed cur sedentibus tantùm innotescit? an quia veritas non per transitum, & perfunctoriè delibanda est, sed per quietem, & stationem sedulò perpendenda, quò altiùs suas menti radices figat? agnito redivivo Magistro ad suos festinato gressu revertuntur condiscipulos, quibus quæ ipsis contigêre in itinere, & in refectiuncula ad vires restaurandas detritas referunt; quibus plenam reliqui Apostoli fidem præstitêre: *Et ipsi narrabant, quæ gesta erant, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Luc. 24.

54. Quid? quòd eùm mulieres Dominum nuntiaverint redivivum, eis Apostoli fidem non præstitêre, quia & deliramenta putârunt fœta mendaciis, quæ verba erant veritatis? quid, quòd idem pronuntiatum in ore mulierum putetur esse delirium, cùm in Apostolorum ore censeatur esse mysterium? fuerunt mulieres testatæ triumphâsse Magistrum de morte prostrata, & surrexisse testantur; & nihilominus nullam fœminis adhibent Apostoli fidem, qui tamen illicò credunt Condiscipulis idem testantibus, putantes verissimum condiscipulorum nuntium, quod falsissimum in fœminis crediderant. Quænam fuit hujus discriminis causa? idem effatum ut prolatum à mulieribus delirium creditur, & mendacium; & ut pronuntiatum à condiscipulis veritas putatur irrefragabilis. Causam discriminis audi à Petro Chrysologo: *Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nuntiantibus, aut non credidisse, aut deliramentum judicâsse referuntur.* Et paucis interjectis subdit: *Ubi duo ex Discipulis, qui post resurrectionem Christum meruerunt itineris habere collegam reversi nuntiabant se Dominum vidisse, Apostoli, quod audiunt, non delirium judicant, sed virile, dant aures, ora figunt, aperiunt oculos, corda pandunt, & quæ dicuntur, sic commendant sensibus, ut post cunctationis æstus sitienter bibant, auditum fidei de flumine, quod collegarum lingua fundebat.* Lingua collegarum verax statim judicata fuit à reliquis Apostolis, quia lingua fuit collegarum, hoc est pertinentium ad idem collegium, eundem cœtum, & ordinem, seu ad idem corpus, cujus erant collegæ membra: quia verò fœminæ ad idem minimè pertinerent corpus, & ordinem, ideò ipsæ visæ sunt Apostolis delirâsse, quamvis idem referrent, ac collegæ; alienam gloriam nonnisi in caligine invidi aspicimus & nebula; qui propria, & quæ ad nos pertinent attentiùs, clariùsque intuemur, quapropter reliqui Apostoli ut ait Chrysologus *sitienter bibunt auditum, quod* Serm. 77.

colle-

collegarum lingua fundebat, cùm tamen idem pronuntiatum effusum non è lingua collegarum, sed ex ore fœminarum in delirium degeneret; ait enim idem Chrysologus *mulieribus nuntiantibus aut non credidisse, aut deliramentum judicâsse referuntur*. Ecce idem effatum ut prolatum à collegis fidei est mysterium, quod pronuntiatum à mulieribus delirium est mentientis, cui assentiri piaculum esse videatur.

55. Ita dixerim de invidentibus, qui quæ in suis approbant, in alijs reprobant, & in ipsa veritate probrum expiscantur mendacij, scitè D. Ambrosius ad rem nostram: In Apoc. cap. 14. *Invidiosi cùm vident aliquos, aut dignitatibus sæculi, aut Sapientia, aut aliquibus artibus præpollere, eos despicere, & subsannare non cessant, seque ipsos illis præferre, ut ipsi clariores apud eos, qui eorum mendacijs credunt, videantur.* Et post nonnulla subdit: *Derident sæpe, semper invidi facta meliorum, & quibus coæquari non possunt.*

56. Detrusus detinebatur tenebricoso in carcere Baptista procaci, ac saltanti puellæ præmium destinandum, & ad Christum antequam capite minueretur legationem instituit sciscitaturus, num verè Messias esset; Matth. 11, v. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Quid? quod Baptista anceps hæreat de nato Redemptore? Quidquod in carcere protrusus, & Herodis compede præpeditus non cognoscat, quem materni adhuc uteri clausus in carcere, & præsentem senserat, & saltu fassus fuerat sibi faventem? An quem tenellus agnoverat, adultus ignorat? An quem nondum natus fassus fuerat, diffiteatur provectam enactus ætatem? Non hæsit Baptista anceps, Dominum fuisse verum Messiam; cùm ejus doctrina, & miracula divinitatem, humanitatis sub cortice latentem prodierint; sed dubios Discipulos ad Scholam misit Magistri veritatis, ut per interrogationis speciem ad Christi Scholam viderentur, & ipsi quodammodo pertinere, & invidiam omnem ibi deponerent, ac livorem excuterent, ubi nonnisi vera poterant doctrina instrui; scitè D. Chrysostomus loquens de Discipulis à Baptista ad Christum delegatis ait: Homil. 37. in Matth. *Non poterant æquo animo ferre crescere in dies JESUM videntes, Joannem verò quotidie minoris æstimari.* Baptistæ Discipuli sui amantes Magistri torquebantur; eò quia ejus gloria Christi doctrinâ, & miraculis minueretur; nec tantum sibi laudis acquireret apud populum, sicut Christus, quem propterea quasi dubitantes interrogant: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

57. Sed cur Joannes ancipites hærentes Discipulos ad Christum misit, quos potuisset ipse in carcere, perinde ac in Schola edocere veritatem, & aperire mysterium divinitatis nostræ divino connubio junctæ humanitati, ut terrenus homo cœlestis fieret, & cœlos conscenderet, sicut Deus in terras descenderat? Noluit Baptista Discipulos suos edocere, quos noverat invidia in Christum turgere, & livore aduri: sed maluit eos ad Christum delegare, ut oculis mira captantibus discerent è mente livorem abigere, & è corde invidiam excutere; appositè Basilius Seleuciensis: *Cùm videret domesticos Discipulos ad Christi documenta non emendari, imò ex cupidine gloriæ ijs obviam ire, quæ Dominus annuntiabat, & nonnunquam ex Christi invidia ad criminationem procedere;* Orat. 34. *legationem instituit, ac si diceret: ite, & discite, Christum cognoscite, & cognito servite. Omisso famulo Dominum cognoscite. Non jam Discipuli mei, sed condiscipuli mei estis constituti.* Quos invidiam noverat Baptista adussisse, eos ad excutiendum livorem Christi constituit Discipulos; ut in tanti Magistri Schola, invidiæ totam abstergerent rubiginem, & puriore imbuerentur virtute. Studuit Joannes quos livore infectos cognoverat, Christi adsciscere Discipulis, ut omnem à se abigere invidiam discerent: sciebat enim, quòd si aliam fuissent Scholam professi, JESU doctrinam suggillâssent ex cupidine gloriæ, ut saniorem viderentur ipsi doctrinam è Magistro Baptista hausisse; ne igitur invidi JESU calumniarentur doctrinam ad ipsum eos delegavit, ut præmissa interrogatione: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Inciperent se discipulos profiteri Christi, à quo doctrinâ imbui exoptabant, ut non ampliùs Baptistæ, sed Christi fierent Discipuli; & quem Baptistam habuerunt Magistrum condiscipulum agnoscerent.

Ubi suum invidia livorem effundit, ibi omnia inficit, ac corrumpit. 58. Pharisæi dirissimo in Christum adurgebantur odio, ac corrupto livore furebant, ac invidiâ rabidissimâ, ut ex quavis exigua occasionis umbra ejus niterentur criminari miracula, denigrare splendorem, infamare doctrinam, abrodere sanctitatem; & cùm per id temporis ex plebe quidam filium suum à cacodæmone vexatum Christi Discipulis obtulisset, à quibus filius pristinæ restitueretur incolumitati, & dœmon abigeretur: quia Discipuli Dœmonem non fugârunt, nec puerum ab ejus liberârunt divexatione, cœperunt acriùs Pharisæi Christi doctrinam criminari, & canino dente ejus virtutem abrodere: *Respondens unus de turba dixit Magister attuli* Marc 9. v. 16. *filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dixi Discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Autumat Chrysologus his verbis, patrem filij à dœmone vexati Christi suggillâsse virtutem, ac Scribarum invidiæ, & Pharisæorum livori fuisse adulatum: cùm enim suum duxerit ad Discipulos filium, & audierit Christi Discipulos

los virtute potiri Dœmones abigendi; morbósque à corporibus infirmis excutiendi, & nil horum, quæ audierat, fuerit in filio expertus, cœpit & ipse cum Pharisæis doctrinam Christi, & virtutem Discipulorum criminari, ac invido oculo observare, quæ in alijs agerent, qui in proprio filio nil effecerunt; appositè Chrysologus: *Dixi Discipulis tuis, ut ejicerent eum, & non potuerunt; hoc est dicere, esse Diabolum, qui Christo non cederet; esse dæmonem, qui parvi possit Christi nominis habere virtutem. Discipuli non suo, sed Christi nomine dæmones de obsessis corporibus effugabant. Quòd ergo dæmon discipulis imperantibus non cedebat; iste ad infirmitatem Christi nominis, non discipulorum trahebat ad culpam.*

Serm. 52.

59. Sed cur pater divexati filij petiturus à Christo medelam injuriam infert? potiùs ejus debuisset opem implorare, & virtutem commendare: injuria lacessere eum, à quo beneficium exposcimus, perinde est, ac nolle ejus beneficia experiri; cur igitur injurius est pater Christo, ad quem accesserat, filij incolumitatem petiturus? scitè Chrysologus: *Impossibilitatem Discipulorum Magistri imperitia assignans; judaico livori, invidia scribarum talem satisfaciens per clamorem.* Ecce ubi invidia sanitatem invenit tantisper dilatam; ubi non vidit dœmonem ab Apostolis statim repressum; ubi non novit filium optatæ statim restitutum incolumitati, exertis clamoribus, non Discipulorum publicavit imbecillitatem, sed Magistri deprædicavit infirmitatem, cum Discipuli ejus nomine non valuerint cacodœmonem à filio abigere. Quàm perversum est invidia monstrum, cùm ad discerpendam Magistri virtutem, & doctrinam occasionem enancisc[a]tur ex non præstito à Discipulis beneficio? Ut Christi nomen rabido dente morderet oculos in ejus Discipulos direxit: *Impossibilitatem Discipulorum Magistri imperitiæ assignans, judaico livori, invidia scribarum talem satisfaciens per clamorem.* In id incumbit invidia studij, ut occasionem enanciscatur in defectu Discipulorum Magistri criminandi virtutem, si hujus nequeat splendorem obscurare: oculus livore suffusus, quem in uno defectum videt, alteri tribuit, cui invidet; quamvis nullam noverit in eo noxam, quam reprehendat.

§. VI.

Adeo malignantis est invidia natura, ut vel in suscepta beneficia dentes acuat, suúmque effundat livorem, quò lethaliùs benefactorem mordeat, at inficiat.

Festa lautioribus epulis instituerat Kalendarum Saul, ut laxioribus poculis, lætioribus indulgerent convivæ hilarijs. 60. Noverat David à multiplici experimento edoctus Saulis Regis ingenium, & præconceptam invidiam, cujus propterea latentem dolum, & paratas insidias declinaturus honestam quæsivit causam, quâ à luxu illo abesset epularum. Ægrè id tulit Saul, cùm suas technas novetit frustratas; sed Saulis invidia absentiam criminatur Davidis, & quia Jonatas asservit, causam absentiæ Davidis fuisse solemne sacrificium, quod id temporis in Bethlehem civitate Davidis supremo Numini offerebatur; hac excusatione magis exasperatus, mortis reum protulit, & capite damnavit: *Adduc eum ad me, quia filius mortis est*, seu ut interpretatur Lyra *dignus est morte*, sed si mortem fuit promeritus, necesse est crimen aliquod præcesserit; cùm pœna sceleris sit pedissequa: si Jonatas causam absentiæ refundit in solemne sacrificium Deo instituendum, non potuit id Davidi verti culpæ, cum nil sanctius, nilque justius, quàm Deo sacrificia offerre, eique immolari: quòd si Saul non aliam censuit Deo victimam mactandam, quàm Davidem, jam ipse non Deo, sed proprio livori victimam immolabat innocuam cùm foret iple nocentissimus.

61. Cur igitur si abfuisse à luxu epularum, quò Numini sacrificaret, non potuit culpæ ulli dari Davidi, Saul eum mortis reum asserit? cur ob just[illegible], & legitimam absentiam uno ictu nititur Saul tot præclara gesta amputare, quæ Davidem eximiè commendabant? tot splendores indigna morte extinguere, tot virtutes tumulare, tot facinora sepelire? si David gigantem fundâ prostravit; si opprobrium abstulit ex Israel, si dœmonem cantu & lyra abegit: cur nunc morti addicit, à quo tot fuerat beneficijs cumulatus? Mortis sententiam non protulit, nisi invidia, quâ Saul ferre non potuit, ut à puellis Hebræorum plus laudis daretur Davidi, quamvis nil detogatum fuerit Regiæ Saulis dignitati; cùm nemo Davidem à cæde Goliæ reducem salutaverit Regem, nec dignum dixerit, quo regnaret in Israel, ut indemnis Sauli tum regius titulus, tum honos servaretur: sed quia puellarum sistra paulò hilariùs, laxiùsque Davidi accinuêre recèns de prostrato Goliatho, de sublato à populo Israelis opprobrio, de fugatis, enectisque Philisthæis victori, ac triumphatori,

tori, dentes Saul acuit livoris, quibus ad internecionem Davidem à puellis largiùs laudatum morderet: nec ejus livorem potuit David præstitis obsequiis, vel delatis victoriis ampliùs delere, Dixit Saul: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solùm regnum? non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa, & deinceps.* 1 Reg. c. 18, v. 8.

62. Tametsi suum Sauli integrum servaretur regnum, quamvis nil suo detraheretur honori, nec quidquam demeretur de gloria; quia tamen puellarum carmina paulò fuerunt in Davidem fustora, & lætiora; id quasi gloriam obscurâsset Saulis, ejúsque honorem depressisset mutuatâ ab Erebo face flammas in suo pectore accendit feralis invidiæ, quâ ad necem fuit Davidem persecutus: dentes livore Saul acuit, ut lethaliùs morderet rabido dente Davidem; causam non habuit irascendi, cùm ferrum Saul non strinxerit in gigantem, nec ipse opprobrium ex Israel abstulerit; & tamen quia inertiæ suæ laurus non subdebatur triumphantis, ita excanduit, ut relictum sibi à Tribubus Regnum respueret, solúmque sitiret Davidis sanguinem, quo proprio satisfaceret livori; & licèt causa defuerit mortis indicendæ, quia tamen non defuit in Saule livor, absentiam prætexuit, ut scelus fingeret, & mortem infligeret: eleganter S. Zeno Veronensis de livore, & invidia ait: *Pietas quidem, & misericordia Davidis magis clarescit, & Saul malitia, vel crudelitas manifestiùs declaratur: nil ergo his inimicitijs difficilius, quæ ex invidiæ amarissimo fonte descendunt, quoniam quidem his, qui ex alijs occasionibus inimici sunt, si alter fortè aggrediatur alterum beneficijs vincere, continuò ferocitas mitigatur.* Nimirum aliæ inimicitiæ, quæ vel ex irrogata injuria, vel illato convicio, aut etiam inflicto vulnere oriuntur, & incenduntur; præstitis defervescunt obsequiis, & humillimis extinguuntur officijs: quæ verò ex invidia emergit malevolentia utpote livore innutrita, non mitescit obsequijs, sed recrudescit acerbior, & inardescit etiam ex causis exiguis perniciosior.

63. Quamvis David lyræ sono, & cantu à Saule impurum abegisset Dœmonem, fuissétque cantus præsentissimum alexipharmacum curandæ infirmitati peridoneum: 1. Reg. 16, v. 23. *Refocillabatur Saul & leviùs se habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus*, quià tamen acriùs interno vulnerabatur David invidiæ telo, eò quia puellæ cecinerint; *percussit Saul mille, & David decem millia*; acuerunt hæ voces Saulis lanceam, quam livor in Davidem evibravit: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset David cum pariete.* Quamvis esset cantus Davidis medela Saulis, cùm sine cantûs medicamine acriùs dœmon eum divexaret; quia tamen livore torquebatur ipse diriùs; dum dolorem à dœmone excitum confert cum tormento ab invidentia inflicto; mavult à dœmone divexari, quàm ab interno invidentiæ torqueri vulnere: ne Davidem audiret acclamatum, dœmonem maluit habere tortorem, & ejus supplicia sustinere: opportunè Basilius Seleuciensis: Orat. 16. *Saul ipse victoriam haud secus ac belli offensionem dolet, & trophæum luget, & communem lætitiam deplorat, & institutam victoria causâ celebritatem per invidentiam reputat calamitatem.* Sic prudentiam livor impedit, & rationis lumen ita infuscat invidia, ut de mentis acie hominem deturbet, malitque supplicijs torqueri tartarei hostis, ac gehennalibus accersiri furijs, quàm livorem excutere, invidiam abigere.

64. Imò invidentia hominem ab homine dejicit, quem in gregem detrudit brutorum, quia belluæ sicut rationis experres sunt, & prudentiæ incapaces: ita livore infecti, & invidiæ laborantes phrenesi, lugenda metamorphosi transmutantur in feras; & ferale induunt ingenium humani sanguinis sitiens, cujus documentum haud obscurum dedit in Ægypto Herodes. Ubi enim stella prævia insueto situ, & nitore Magos duxit ad Natum in terris cœlestem Regem, vocibúsque, ac tot plaudentibus epinicijs, quot emittebat ipsa splendores natum promulgaret Israelis Regem; turbatur illicò Herodes, & tota viscerum concussione percellitur, timens ne, cui sydera, propria exhibebant obseqnia, suísque radijs promulgabant in mundo clariorem; tametsi adhuc vagiret tenellus in fascijs, ne propriam minueret gloriam, eúmque deturbaret è regno; invidiâ armatus, & livore turgidus, quasi una ex Megæris ex Erebo emersa geminam furoris, & livoris quatit facem, quâ admititur pueros omnes extinguere: *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus.* Matth. 2. v. 16. Sed cur livor suum effundit in propriam perniciem venenum? cur invidia dentes, & arma in proprium acuit damnum? si enim Herodes omnes interfecit pueros in suis ditionibus natos, utique in proprium populum sævit, quem minuit cruenta clade. Sed non mirum si Herodes propriam intentat perniciem, & quæ in livoris officina arma cudit, in proprium acuit damnum: invidet Herodes cœlestis Regis in terris nati magnitudini, quam & sydera ipsa mundo deprædicant, ideóque insidias & necem ei molitur, quamvis recèns nato: pati mavult diminutionem proprij populi, quàm acclamati Regis tolerare splendorem. Huc accersendus Chrysologus, invehens in invidiam eleganter ait: *Sic agit Minister mali, minister doli, iræ artifex, inventor sceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, malus omnibus, suis peior, pessimus sibi.* Serm. 152. Fuit invidus Herodes sibi pessimus, dum sanguinem

fudit sui populi, quo splendores extingueret nati Regis, cujus nitore timuit potuisse obscurari. Maluit proprium perire populum, ne cœlestis Rex fulgeret in terris illustrior. Tale est livoris ingenium, ut propriam contemnat felicitatem, ne is, cui invidet præemineat.

65. Quia in mundi primordijs viderat dœmon è summo cœlo in imum detrusus gehennæ, hominem, licèt ex luto plasmatum ex pulvere effictum ad Dei imaginem, & similitudinem elevatum, implacabili cœpit invidiæ æstu exardere, & ne suæ innotescerent technæ serpentinam induit faciem non absque rationabilis naturæ injuria. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ,* (Gen. 3.) *quæ fecerat Dominus DEUS. Qui dixit ad mulierem: nequaquam moriemini.* Quò enim hominem faciliùs ad terram dejiceret, didicit ipse terram verrere, nec erubuit in bestiarum accenseri censum, dummodo hominem, cui invidebat à propria deturbaret felicitate, & è sublimi deprimeret eminentia, ait S. Cyprianus: *Diabolus hominem ad imaginem DEI factum impatienter tulit, unde & perijt primus, & perdidit.* (Lib. de patientia.) Scilicet ut perderet hominem, perijt ipse; imò & perire cupijt, ut posset hominem à sua deturbare felicitate.

66. Quærit Tertullianus, an Lucifer priùs fuerit invidus, vel alio malitiæ genere infectus? (Lib. de patient. cap. 5.) & censet, fuisse impatientiam unà cum invidia in eodem pectore fotam, & infelicitatem cum invidia etiam simul enutritam, inquiens; *Decepit eum, quia inviderat: inviderat autem, quia doluerat; doluerat quia patienter utique non tulerat. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis malus, an impatient, contemno quærere, palam cùm sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam: deinde inter se conspirâsse & individuas in uno patris sinu adolevisse.* Causam livoris retundit Tertullianus in eo, quia patienter non tulerat, hominem prærogativâ imaginis præeminentem; cùm tamen patienter tulerit tellurem abjectè verrere, ac serpentem non sine probro agere; ac bruti conditionem non sine dedecore assumere; non fuit veritus proprium subire dedecus, dummodo à suo decore hominem dejiceret; in id suum invidia ingenium acuit, quo inveniat unde, cui invidet aliquid obtingat noxij.

67. Non sine acumine perpendit Chrysologus, cur Evangelicos dives æternæ inopiæ in gehenna addictus, & flammis excruciatus, prætextu pietatis petierit Lazarum è sinu Abrahæ ad se delegari: (Luc. 16, v. 24.) *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma:* sed cur potius non petijt se ad Lazarum duci, cùm inde aliquid ipse solatij percepisset è loco extractus supplicij? Verùm quia invidia torquebatur, eò quis aspiceret Lazarum, quem ulcerosum, & pure scatentem à se dimiserat impastum in sinu Abrahæ præeminere, felicitate donatum, honorum culminibus insignitum, omnique perfusum solatio: quo Lazarum deturbaret à propria beatitate petijt eum ad se mitti; quia livor plus solatij percepisset de deturbato Lazaro à propria felicitate, quàm ab extracto divite à gehennæ supplicijs, acutè Chrysologus: *Non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.* (Serm. 122.) Invidia, quâ dives excruciabatur sic dolosâ malitiâ ratiocinata fuit; si ad Lazarum ducar, quamvis è loco extrahar supplicij, adhuc Lazarum videbo Abrahami in sinu prælatum, ac nitore redimitum splendidissimo, plenáque donatum felicitate: sin verò ipse venerit, quamvis ego flammis torquear, supplicijs urgear, pœnis extrucier, adhuc id mihi supererit solatij; quia Lazarus suam mihi è sinu Abrahæ ampliùs non objiciet felicitatem, quâ atriùs torqueor, quàm crucier flammis, pergit Chrysologus: *Mitte Lazarum: ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed antiqui livoris: & zelo magis incenditur, quàm gehenna.* Maluit Lazarum cui invidebat è sinu Abrahæ, è sua deturbari felicitate, quàm è gehennalibus ipse erui supplicijs, & è loco abscedere tormentorum.

68. Nititur invidia totis viribus stantem subruere, & satagit dignitate insignitum, ac felicitate donatum contemptim proculcare, quia sentit se ab alieno infuscari splendore, ab aliena sauciari felicitate, ac perstringi à laxata alterius lætitia: & dum putidum inde concipit livorem, ardentissimum parturit odium, quo in alienam debacchatur felicitatem. Christus, ejúsque Discipuli magni à cunctis populis fiebant, adeò ut ubique locorum faustæ, ac repetitæ resonarent acclamationes. Pharisæi verò Christo invidentes eò acriùs intus cruciabantur, quò uberiores exteriùs ejus laudes resonabant, fategerunt propterea pallio religionis contectam invidiam in campum producere, & Baptistæ aliquot Discipulos Christi itidem Discipulis invidentes sibi associare, & in austeritatis officina arma procudere, quibus præmuniti accesserunt ad Christum, & sine supercilio ejus redarguunt Discipulos, quòd ventri indulgeant, quòd cum Publicanis, & peccatoribus mensas misceant, ac ijsdem propinent; carnem jejunijs non emacient; & per abstinentiam corporis non satagant virtutum exercitiis spiritum innutrire: *Pharisæi dicebant Discipulis ejus: quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? tunc accesserunt ad eum Discipuli Joannis dicentes: quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, Discipuli autem tui non jejunant.* (Matth. 9. v. 11.) Quos vitæ institutum, & morum diver-

diversitas discordes effecerat, invidia copulavit, ut eò potior videretur eorum causa, quò multiplici erat fulta suffragio.

69. In officina austeritatis invidia malorum omnium artifex arma procuderat, quibus æquè Pharisæos, ac Baptistæ Discipulos invidos armaret in Christi Discipulos; ventris objicientes indulgentiam, non mentis interpretantes charitatem, quam invidia negligit, ut vitium quærat: non igitur jejunij promotores, sed vitij accusatores ad Christum accedunt, cujus Discipulos incusant læsæ austeritatis: fuco religionis turpitudinem obtegentes livoris, & larva austeritatis malitiam palliantes invidiæ; huc vocandus Chrysologus *serm. 31.* inquiens: *Et cùm Discipulis Joannis, quæ societas Pharisæis? nisi quia junxerat invidia, quos disjunxerat Disciplina: hic jam sua perdidit jura zelus: junxit disjungere consuetus: Judæi postponi Moysen Domino non ferebant: Discipuli Joannis Christum nolebant Joanni allatenus anteferre, sic in Christum fremebant utrique livore communi*: scilicet dum quisque partes satagit sui propugnare Magistri, & imprudenti ardet studio, cæco debacchatur in Christum odio, quem cùm cæteris arbitrentur celsiorem; invidia moribus discordantes, & vitæ instituto dissonantes unà nectit, ut auctis viribus validiùs insurgat, & suum in Christum effundat livorem, cujus saltem infuscet nitorem: sicut charitas fœcunda est virtutum genitrix, ita malitia putidus vitiorum fons; & perinde ac virtutum est gloria comes, ita vitiorum est confusio socia: quapropter Christus utpote summarum cultor virtutum sanctè agebat, sincerè loquebatur, purè cogitabat, omnes beneficijs cumulabat; docebat ut Magister, arguebat ut Judex, sanabat ut Medicus, opitulabatur miseris ut Dominus: secus Pharisæi, quia germen viperinum, receptaculum invidiæ, stabulum livoris, adulabantur linguâ, insidias nectebant, dolos cudebant, venena fundebant, quibus vel Christi gloriam corrumperent, vel infuscarent, quem propterea ut ait Chrysologus: *persequebantur insidijs, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, impetebant contumelijs, & tota cupidi simulatione vallabant, objiciebant curandos Sabbatho, ut si non curâsset, fieret de impossibilitate contemptus, de lege manaret calumnia, si curâsset.* O quam perniciosus est invidiæ livor! qui gloriæ insidiatur excultæ virtutis, ac sanctitatis, cujus nitorem extinguere admititur, & virtutem obliterare.

❀ (o) ❀
❀

§. VII.

Invidi à Regulis serpentibus haud abludunt, sui veneno livoris alios quosque, vel virtutum gloriâ præminentes, vel dignitatum splendore clariores polluunt, ut extinguant.

Cominatus Deus genti peccatrici promeritas pœnas ait per Jeremiam 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Regulus interprete Cornelio à Lapide latinè idem est, ac græcè Basiliscus, qui serpens est semipedalis, alba veluti corona caput deferens lineatum, quasi mithrula redimitum: nec hominibus tantùm est regulus serpens noxius, sed & cæteris animantibus exitialis; imò & ipsi terræ, quam suo polluit veneno, inficit spumâ, & exurit herbulas, plantásque, ubi suum constituit hospitium: suo enim halitu herbas enecat, plantas deveoustat, flores corrumpit, & ipsum etiam inficit aërem; quem si alites circumvolantes ebibant, pestilenti inficiuntur spiritu: imò est adeo noxius, ut solo afflatu etiam homines interimat, solo spiritu adstantia quæque inficiat, & solo sibilo reliquos omnes fuget serpentes, quapropter regulus, seu Rex serpentum appellatur: cùm movetur media corporis parte serpit, & altera media erectus incedit: & si quid morsu suo enecavit, nulla est fera, quæ illud depascatur, & corvi ipsi cadavera aversantur morsu interempta reguli. 70. Ibidem.

Exitiales reguli invidi sunt, qui dentes suos acuunt, ut alios mordeant, livoris veneno inficiant, & nemini parcant, non Principibus diademate redimitis, non Dynastis purpurâ splendentibus, non Consulibus digoitate insignitis, non viris doctis varia eruditione ornatis, non Philosophis multiplici ditatis scientia, non divitibus auro affluentibus, sed in omnes suum effundit livorem: appositè Cassianus, quasi invidia morbus sit curatu impossibilis ait æquiparans invidos regulis, quibus nulla est incantatio. *Sciendum sanè est, invidiæ morbum difficiliùs ad medelam, quàm cætera vitia pervenire. Nam eum, quem semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio. Ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos*, accinit Cassiano Cyprianus, ubi vocat invidiam calamitatem omni destitutam remedio, ait ipse: *Calamitas sine remedio est odisse felicem*: regulus est igitur invidus, qui in alios dentes acuit, ut morsu immedicabili mordeat, & invidi sunt reguli, quibus non est incantatio; lues est invidia adeo exitialis, ut difficulter alexipharmacum sustineat. 71. Collat. 13, cap. 17. Lib. de zelo & livore. Loc. cit.

72. Hinc percussurus Deus sceleftos vulnere insanabili, minatus est, serpentes mittere regulos, quibus non est incantatio, ut venenato dente reos scelerum mordeant; & ideo reguli serpentis morsus medicinam non sustinet, quia venenum fundit, quod statim è vulnere inflicto serpit, & singula corporis penetrat viscera, quæ inficit: & in hoc veneno Galfridus Abbas asserit, pestem figurari invidentiæ, quæ sicut facilè glicit, ita difficulter medelam sustinet, fitque invidia Circe illa non à Poëtis ficta, sed à vitio genita; quæ homines in bruta cogit transmigrare, & invidos in serpentes regulos. Regulus solo visu enecat, solo sibilo attaminat, solo dente vulnerat, solo morsu enecat: & invidus visu alienum splendorem carpit, voce alienam dignitatem contaminat, dentibus alienum honorem dilacerat. Mutuatur igitur invidus à regolo oculos necem spirantes, linguam venenum despumantem, dentes vulnera infligentes. Rectè igitur mortifero Basilisci veneno morbus invidiæ comparatur; quia primus ille omnium venenorum artifex, & princeps hoc invidiæ veneno perijt, & alios peremit. Invidus alienam fascinat felicitatem, mordet honorem, venenat dignitatem, deotibus enim lacerat, linguâ venenum spuit, & per prolata verba jacula intorquet in aliorum perniciem, unde ait Deus: *mordebunt vos*, ò quàm venefica est iovidia Circe, quæ suo livore homines in venenatos cogit transmigrare basiliscos! Invidus enim serpens est truculentissimus humana facie personatus; ut humanitatis larva suæ obtegat crudelitatis insaniam.

In Allegor. Ghiman.

73. Idque causæ, cur cacodœmon primis in paradiso terrestri hominibus felicitatem invidens, serpentem induit, hominis larvâ personatum; *Dixit serpens ad mulierem, nequaquam morte moriemini.* Alloquebatur, ut socius sociam, ut homo mulierem; sed si extima specie hominem induit facie larvatus humana, cur non etiam toto corpore se hominem finxit? cur serpentis potiùs, quàm hominis membra assumpsit, speciem induit? quia nimirum cùm invideret tunc felicitati hominis personam agebat invidi in belluam ac serpentem degenerati: ob invidiam, quâ hostis tartareus torquebatur à nobilitate rationis dejectus fuit, & in repentem humi serpentem, quem invidia è cœlo excluserat in terrestri paradiso transmutavit, ut scitè notat D. Basilius Seleuciensis inquiens de cacodœmone. Suadente primæ fœminæ esum pomi vetiti: *totus invidia serpentem efferatus induit*: quem Numinis gratia, & favor felicitate cumulaverat cœlesti, livor in gehennam detrusit suppliciorum; & invidia etiam in bruta transmigrare coëgit. Reliqua vitia, quamvis truculentissima vulnera infligunt, sed propriam non exuunt naturam, & ita

Genes. cap. 3. v. 4.

Orat. 3.

in alios sæviunt; ut sibi videantur eblandiri cum vitia vitiosos oblectent: invidia verò non solùm in alios, sed acriùs in se ipsam dentes acuit, & cor exedit invidentis: eleganter Chrysologus: *Invidia suorum carnifex semper existit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit.* Rectè nequit invidus ambulare, nec in ullam se virtutem erigere, idque edocuit Dœmon hominis invidens felicitati: quia invidus serpentem tantùm assumpsit, speciem induit, eò quia sit pedibus destitutus, *Super pectus tuum gradieris.*

Serm. 172.

Invidus enim, dum suo livore alium aggreditur, se ipsum deprimit; humi repens, & in serpentem obbrutescens, se ipsum perdit; quia se ab homine dejicit, sicut dœmon invidus, qui se in serpentem transmigravit, séque proprio perdidit livore: huc accersendus S. Cyprianus ubi ait: *Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit, unde, & perijt primus, & perdidit*, nimirum invidia sua priùs in invidum arma retorsit, quem perimeret; ideo enim Angelus perijt, quia invidit; ideo cacodœmon in serpentem abivit, quia hominibus invidit: scitè Tertullianus: *Decepit eum* (seu primum hominem) *quia invideras; invideras autem, quia dolueras.* Quàm vetustum, & antiquum est invidiæ venenum? cùm & in cœlis Angelos infecerit, & in terrestri paradiso primos homines deceperit, ac interemerit. 74.

Lib. de patient.

Lib. de patient. cap. 5.

Serpentibus adsciscuntur invidi, qui suum in alios livorem evomunt, quos perdant, & eorum furor, illi pariatur serpentum hinc David: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Censet Euthimius, Saulem ob invidiam, quam in pectore fovebat in Davidem, eò quia plus laudis puellæ ei dederint in brutum transiisse; cùm à Dœmone liberatus de ipsa salute invidiam ingeminabat, & ipsam Dœmonis malitiam invidentiæ livoribus supergressus in medicum excutientem ægritudinem hastam intorquebat; adeo ut non potuerit officijs deliniri, obsequijs emolliri, beneficijs cicurari; cùm vel ipsa medela in ægritudinis transiret augmentum; & invidiæ fieret fomentum, quod ægritudini depellendæ peraptum erat medicamentum. Appositè Galfridus *in Alleg. Usque adeo incurabilis est ista pernicies, ut blandimentis exasperetur, infletur obsequijs, irritetur muneribus: quia ut idem Salomon ait: Nihil sustinebit zelus: quantò enim amplius aut humilitatis subjectione, aut virtute potentia, aut munificentia laude profeceris; tanto ille majoribus stimulis incitatur, qui nonnisi ruinam, aut mortem ejus cui invidet concupiscit.* 75.

Psalm. 57. v. 5.

Adeo

76. Adeò exitiale eſt invidiæ venenum, ut medicinam non ſuſtineat, alexipharmacum reſpuat; quia vel ipſis remedijs acriùs exaſperatur, blandimentis ferocit, obſequijs irritatur, & beneficiis inſoleſtit: hinc Salomon ait. *Vita carnium, ſanitas cordis, putredo oſſium invidia.* Innuit, quàm noxia, & peſtifera ſit invidia, non ſolùm alteri, cui invidet, ſed etiam ſibi ipſi, torquet enim invidum, & quidem acriùs, ac perniciosiùs, quàm hoſtis lethali odio correptus: inimicum enim licèt infeſtum poteſt quisque habere abſentem, eúmque fugere, ſed invidus ſecum ſemper tortorem vehit, quem in ſinu fovet, & in pectore nutrit; eſt enim invidus ipſe ſibi hoſtiliter inimicus, & nunquam abeſt, nunquam inimicitiæ inducias ponit, ſemper ad nocendum paratus, unde S. Cyprianus de zelo. & livore ait: *Quicunque es invidus, videris, quàm ſis eis, quos odiſti inſidioſus, pernicioſus, infeſtus: nullius magis, quàm tua ſalutis inimicus es. Quisquis ille eſt, quem livore perſequeris ſubterfugere, & vitare te poterit: tu te non potes fugere: ubicunque fueris adverſarius tuus, eccum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabile catenarum nexu ligatus, & vinctus es, livore dominante captivus es.*

Proverb. 14. v. 30.

77. Nullus eſt invido hoſtis pernicioſior, quia ipſe ſibi propriam molitur pernitiem, cùm livorem admittit; hoſtem nutrit, cùm invidiam alit; & in ſe ipſum ſævit, cùm furere invidia incipit, hæc enim non ſolùm extimam invidi faciem devenuſtat; verùm & medullas corrumpit oſſium. *putredo oſſium invidia*, quòd ſi in medulla ſtabulatur oſſium, quis eam non vocet hoſtem ſemper intimum, cùm ſemper adſit, ac præſtò ſit ad nocendum illi, cui invidet. Imò invidos dixeris feris pejores, & dœmonibus pares feceris, ni fortaſſis deteriores; Dœmon enim œſtro percitus invidiæ in alterum hoſtiliter inſurrexit, & veluti ſuperior inferiorem aggreſſus, aut inferior ſuperiorem diſſidia ſimul fovent, & inter ſe ſe altercantur, tunc enim Chriſtus dixit: *Si Sathanas in ſe ipſum diviſus eſt: quomodo ſtabit regnum Dei?* Quos malitia ſuperbiæ ſimul junxerat, invidiæ livor ſeparavit; & quos amicitia confœderavit, livor hoſtes effecit, & obarmavit; quia ubi invidia ſtabulatur, ibi diſſidia, rixæ, inimicitiæ, & cædes foventur; nec poteſt charitas ſtare, ubi invidia ſuum effundit livorem, quo homines non ſolùm feris deteriores, ſed & dœmonibus pares, vel etiam inferiores efficit, dum eos inficit, ut pulchrè ediſſerit D. Chryſoſtomus, inquiens: *Invidi pejores ſunt feris, dæmonibus autem pares, & fortè deteriores. Nam feræ eſca indigentes, vel à nobis irritatæ adverſus nos armantur; invidi verò etiam beneficijs allecti, benemeritos maleficijs ſunt perſecuti. Dæmones quoque licèt contra nos bellum exercent implacatum, conſortibus tamen generis ſui non inſidiantur; unde Judæis Chriſtus os accluſit; cum eum in Belzebub ejicere dæmonia calumniarentur. Invidi verò neque naturæ communionem reveriti ſunt, neque ſibi pepercerunt.*

Luc. 11. v. 18. & Matth. 12. v. 26.

Homil. 40. ad popul.

78. Reliqua vitia contubernalem non renuunt habere virtutem aliquam, & cauſam etiam prætendere propriæ pravitatis, ſed ſoli invidi aſylum ſiunt Dœmonum, & vitiorum omnium pernicioſiſſima ſcaturigo. Acceſſerat ad Chriſtum ex invidorum grege quiſpiam tanti Magiſtri inhians diſcipulatui. *Magiſter ſequar te, quocunque ieris:* quaſi ambitione tumidus, déque proprijs viribus ſe jactans diceret, te ſequar, & quæcunque feceris, imitabor; ac ſi opera Chriſti virtutem non excederent humanam, & ſupra vires non eſſent naturæ, & poſſet propterea Scriba miracula perpetrare, & ea efficere, quæ Chriſtus præſtitit; ſed quid tum Chriſtus repoſuerit? audi; *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet,* quaſi dicat, Ego in vobis non invenio, ubi caput reclinem, nullum reperio in vobis locum, ubi conquieſcere valeam, quia corda veſtra ſunt nidi dœmonum, in quibus ſuos pariunt, & fovent fœtus: Vulpes veſtris in pectoribus adeò abſtruſas ſibi foveas conſtruxêre, ut malitia tutè ibi degat, & ſecurè lateat: invidus erat Scriba, ſatagebat ſe Diſcipulis Chriſti aſciſcere, ut eorum fieret operum imitator, ideóque nil in ſe habuit, quod Deum alliceret, eíque ſedem aliquam appararet, quia ubi invidia ſuum ſpargit livorem; ibi malitia totam ſuam effundit nequitiam; nec quidquam relinquit vacuum: ſcitè Chryſologus expendens præfata Chriſti verba ait: *Aves hic quoque appellat dæmones in aëra volitantes, qui & ipſi in pectoribus Scribarum malitiæ ſua nidos fecerant, ubi tota nequitia ſua germina procrearent.* Invidia ita à quovis abhorret virtutis conſortio, ut omnia invidi viſcera ſuo repleat livore, & totum cor aſylum conſtruat dœmonum, ubi plures nidificent, fœtúsque ſuos procreent nequiſſimos, quia ut ait Chryſologus, *nidos fecerant, ubi tota nequitia ſuâ germina procrearent.*

Matth. 8. v. 9.

Serm. 19.

79. Invidus ſolium eſt iniquitatis, dœmoniorum aſylum, nequitiæ promptuarium, malitiæ ſedes, doloſitatis gymnaſium, & vitiorum omnium ſpinoſus campus; ubi ſola malitia floret, & ratio languet; ideóque, cùm nullam admittat virtutem contubernalem, omni caret venia: cætera vitia ſicut aliquam ſolent cauſam prætendere; ita à conſortio non abhorrent alicujus virtutis: fornicator licèt concupiſcentiam prætendat, fur paupertatem, homicida furorem; non tamen ab omni abhorrent virtute, qui hiſce coinquinantur vitijs, ſed invidus nullam poteſt cauſam prætendere, niſi quia alter, cui invidet in pinguiori ſit fortuna

constitutus, clariori splendeat dignitate, in gradu emineat altiore; sitque propterea aliena felicitas invidiæ fomentum, & invido exitiale tormentum.

80. Plurimùm infert invidus damni, non tantùm sibi intestino livore, quo propria corrodit viscera, sed etiam alteri, cui invidet, linguâ præsertim, dente, & oculo, quo veluti basiliscus solo intuitu alienam nititur gloriam, vel perimere, vel obscurare. Nocet lingua, ad cujus damna deploranda fontem exoptabat lachrymarum Jeremias, quia invidi. *Extenderunt linguas suas, quasi arcum.* (Jerem. 9. 3.) Experimur iridem in aëre curvatam, varióque depictam colore, & quasi ridentem, ac intuentibus arridentem brevi interjectâ mora nimbos sequi lachrymarum: sed invidus linguæ, otiísque arcu etiam nullâ interpositâ morâ, non tela tantùm, sed & fulmina ejaculatur, procellas excitat, grandines demittit, fulgura, & tonitrua cudit; minásque spargit; & velociùs, quàm ab arcu emissa sagitta vulnus infligit, ac interimit: tametsi velox sit sagitta ab arcu emissa, adhuc velocior est livor è lingua invidi evibratus: hic enim fugientem sequitur, & simul assequitur, feritque; si se abdat in reconditissimos terræ specus, illuc penetrat, si maria trajiciat, livor sequitur; si scribas libros, carpit; si doceas, in cathedram conscendit, ut te ignorantiæ redarguat, & ubicunque emineas, te invidus suo inficit livore.

81. Scio quempiam suam in jaculando commendâsse dexteritatem, eò quia unico duntaxat jaculo duas infixerit aves, duósque lepores; sed adhuc celebrior est jactus ille ex arcu, qui simul piscem fortuitò ex fluvio resilientem, ac liberiorem ad auram saltitantem, ac propè circumvolantem hirundinem transfixit, & eodem impetu ad ripas etiam leporem, in quem ictus dirigebatur, percussit, ut cecinit ille,

> *Trans amnem visus lepus est; contenditur arcus.*
> *Ocyus celeri missa sagitta manu.*
> *Fortè salit piscis, progne prætervolat, hærent.*
> *Tres uno in telo piscis, hirundo, lepus.*

82. Verùm id præter spem obtigit, imò & fortassis præter vulgarem fidem; siquidem videtur difficile creditu, quòd eodem jaculo piscis ad elementum pertinens aquæ, hirundo aëris circumvolans campos, & lepus terræ incolens recessus configi uno, eodémque potuerint ictu: sed quod vix videtur fide dignum, ac posse credi de sagitta ab arcu vibrata, id quotidie efficit, fidémque astruit jaculum emissum ab arcu invidæ linguæ: invidus tam dexterè suum evibrat livorem, ut unico sermone imò, & verbo integram familiam, imò totam communitatem, universámque provinciam, & regnum transfigat, nec tres duntaxat unico vulnerat ictu, sed & trecentos, imò plerumque tot millia, quot capit integrum Imperium: quia eodem livore, ac jaculo invidus plures configit, quos proprium ingenium sublimiùs evehit; quos in maritima classe imperium etiam à Neptuno timendos constituit; & in terra conflictus campestris commendat: nullus est sive in imperio potens, sive in castris fortis, sive in pelago strenuus, sive in scholis eruditus, in aula eminens, in quem invidia suum non ejaculetur livoris telum.

§. VIII.

Nulla est virtus, nec vita integritas, nec morum innocentia, quæ petita invidiæ tela retundere, ejus livorem declinare, quò priùs interficit quàm vulnera infligat.

Imò neque innocentiæ vitæ parcit, nec morum integritati; adeò ut nemo sit, qui ab invidæ linguæ se tueatur veneno. 83. Quis Christo Domino, Deique filio innocentior? quis purior? quis sanctior? & tamen tela, & jacula fuit & ipse expertus linguarum invidentium; imò & ab ijsdem vulneratus, crucique affixus: si Evangelistas simul conferamus, deprehendimus nostræ salutis Assertorem in cruce fuisse exaltatum, eique affixum hora tertia, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum,* (Marci 15. 25.) alij verò nonnisi horâ sextâ adstruunt fuisse cruci affixum; sed si horâ sextâ duntaxat fuit cruci appensus, quomodo horâ tertiâ crucifixus? huic quæstioni occurrit D. Petrus Damianus, qui & discrepantias componit Evangelistarum, inquiens: *Quoniam horâ tertiâ tumultuati sunt, & clamârunt invidi Judæi, crucifige, crucifige eum, nimirum horâ tertiâ Dominum crucifixerunt invida Judæorum lingua, quem horâ sextâ corporaliter clavi confixêre gentilium.* Nimirum livor linguæ priùs Dominum crucifixit, quàm sacrilega barbaries eum clavis Cruci affigeret: priùs invidia gladio linguæ eum transfixit, quàm clavi & lancea ejus corpus perforaverint: priùs occidit invidia, quàm ferrum, ut innuit Augustinus, inquiens: *Et vos ô Judæi occidistis. Unde occidistis? gladio linguæ: acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamâstis, crucifige, crucifige?* (In tract. super Psal.) O quanta vis inest linguæ invidæ ad nocendum, cùm nec ipsi parcat innocentiæ, odio enim obarmata, non solùm in homines, sed in ipsum Dei filium debacchatur, quem contumelijs onerat, injurijs afficit, vulneribus sauciat, ac plena suppliciorum congerie opprimit.

Nec suis minorem infert dentibus damnum invidia, hos enim acuit, ut diriùs mordeat, ac sævius dilaceret: vulgata est parœmia: 84.

fœmia: *alijs dentes, alijs lingua*, dentibus ſuis armantur piſces, ſed ut plurimum linguâ deſtituuntur; linguam præſeferunt volucres, ſed dentibus carent: homo verò invidus utriſque ſævior, & linguam exerit, quâ ſauciet, & dentes acuit, quibus mordeat: armamentarium dixeris in ore conſtrui invidentis, & officinam aperiri Vulcani, in qua arma quæque ad nocendum cuduntur, quibus eminùs, & cominùs, punctim, & cæſim ſauciet, ac vulnera infligat:
Pſalm. 56. v. 5. quapropter ajebat David. *Filij hominis dentes eorum arma, & ſagitta: lingua eorum gladius acutus.* Ecce quot armis munitur invidus, quot ex ejus ore prodeunt inſtrumenta nocendi; exitialis eſt gladius invidi lingua, ex utraque parte acutus; ſitque deterius in linguam incidere invidi objurgatoris, quàm in convicia maligni detractoris.

84. Oculis etiam perniciem infert illius, qui invidet, in eo enim virtutum nitores non videt; ſed ſi quæ ſint defectuum caligines, in has ſuas dirigit acies, ut reticendo virtutes, vitia exaggeret; morbo laborant malevolæ invidiæ oculi, cæcutiunt ad virtutum claritatem, & ad caliginem defectuum perſpicaces ſunt, & lincei; ſcitè Plotarchus ait: *Invidia quidem indeterminata*
Lib. de odio, & invidia. *eſt, perinde atque ægritudo oculorum, quæ ad omnem ſplendorem turbatur.* An non veſpertiliones, & noctuas eſſe invidos dixeris, quos ſplendor excæcat, & ſola inoculat caligo? ſi quid illuſtre in æmulo ſplendeat, ſi quid virtutis emineat, id invidus non videt; ſin verò aliquid obtenebreſcat in defectu, caliget in errore, in id linceos ſuos dirigit oculos, videtque invidus etiam in caligine, & obſcuritate; quia per malevolæ invidiæ dioptram videt, non oculo mentis, ſed affectuum cæcitate; videt, quod ſubeſt, non quod ſupereminet. Infima & caliginoſa exaggerat, & multiplicat; quia invidis, & lippientibus multiplex eſt lucerna: & cæcus ille evangelicus, dum lucem
Marci 8. cœpit oculis haurire, Dixit, *video homines veluti arbores ambulantes*, quæ verba expendens Chryſologus. *ſerm. 176.* acotè ait: *Video homines quaſi arbores, quia imperfectis oculis grandeſcunt formæ*, proximus cæcitati plura videt in paucis, & quidem imperfectiùs, ac deteriùs; & cæcutienti ſimilis eſt invidus, cui alieni defectus grandeſcunt, quos uberiùs exaggeret.

85. Invidebat Dœmon Christo Domino ob patrata miracula, ob communem populorum plauſum; cùmque obſervâſſet eum in Jordane baptizari à Joanne, & cœlos diſrumpi, ac cœleſtis curiæ proceres tanti ſpectaculi adeſſe admiratores, & diſertè ab ijſdem filium Dei à Patre Deo genitum proclamari; ductus poſtea fuit à Spiritu in deſertum, ut tentaretur à Diabolo; *Et cùm jejunâſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſuriit, & accedens tentator dixit ei: ſi filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*: quia dœmon voce de cœlo delapſa audivit Chriſtum palam filium DEI proclamari, anceps hæſit, & credere non potuit, eum hominem ſimul, & Deum eſſe; deinde adeò eſt dœmon jejunij refuga, ut quem vidit totis quadraginta diebus jejunantem, aggredi non fuerit auſus; eò quia eum nondum obſervaverat eſurientem, ſed cum quadragintadiali jejunio eſurire obſervâſſet; tunc hominem eſſe conjecit eſurientem, quem Deum agnoſcere noluit jejunantem, & non eſurientem: adeò perſpicax eſt dœmon in obſervandis humanæ neceſſitatis rimulis, ut eſuriem ſpectet, & deficientis naturæ indigentiam, quâ filium Dei non cognoſcat, nec fateatur in homine eſuriente: nimirum malevola invidentia, defectum obſervat, & exaggerat eſurientis humanitatis, cum virtutem nolit aſpicere jejunantis divinitatis; acutè exclamat D. Chryſoſtomus, Homil. 1. ad Math.
O cæcitas Diaboli manifeſta? quomodo ſuſpicatus eſt eum non eſſe filium Dei, quem poſt quadraginta dies eſurientem ſenſit, & per quadraginta dies eſurientem non intellexit? nam ſicut eſurire hominis eſt, ita per quadraginta dies non eſurire, hominis non eſt.

Quòd ſi non eſurire per quadragintadiale jejunium hominis non eſt, procul dubio eſt Deitatis, quam tamen invidus cacodœmonis oculus non vult videre; ne Deum eſſe fateatur, quem eſuries hominem eſſe confitebatur: nimirum invidiæ oculus cæcutit, ne ſublimia videat; & perſpicax eſt, ac linceus, ut defectus videat, & exaggeret; ſitque propterea invidus perſpicaciſſimè cæcus; etenim qui poſt quadraginta jejunij dies Chriſtum eſurientem ſenſit, & per quadraginta jejunantem eſurire non intellexit; eſurientem poſt jejunium videt, quem in quadraginta dierum jejunio non vidit non eſurientem. Videt invidia, quod à naturæ provenit imbecillitate; & cæcutit, ne videat, quod ſupra naturam virtutem ſapit Deitatis; vel non debuiſſet eum videre poſt jejunium eſurientem, vel in jejunio non eſurientem videre. Verùm cacodœmôn invidiæ naturam graphicè voluit exhibere, eſt enim invidia lincea, ut alienos videat defectus; eſt verò veſpertilio, & noctua ad alienæ virtutis ſplendorem, quem, ne videat, cæcutit; tametſi natura & gratia omnes in Chriſti humanitate dotes cumulaverint, non tamen has videt invidia, ſed ad earundem caligat ſplendorem; cùm primùm verò in eſurie poſt quadragintadiale jejunium naturæ manifeſtavit imbecillitatem, tunc linceos in deficientem naturam injecit intuitus: nimirum invido inviſa ſunt & exoſa, quæ magis eminent; quæ verò defectus produnt, hæc accuratè videt. 86.

Jo-

87. Jacuerat per annos triginta & octo languidus ille ex morbi diuturnitate clarior, quàm de generis conditione, & nomine notus: per annos inquam octo, & triginta solutis paralysi membris in grabato jacebat; quia nemo esset, qui à paralysi eum liberaret; pertransiit illac JESUS, qui misertus paralytici

Joan. 5. v. 8. eum sanitati restituit. *Dicit ei JESUS, surge tolle grabatum tuum, & ambula*, & illicò excussa paralysi suum sustulit grabatum, ac pristinæ restitutus sanitati ambulavit: contigit id die sabbatho, propterea dixerunt ei Judæi, cùm primùm viderunt ambulantem, Sabbathum est, non licet tibi tollere grabatum tuum, respondit eis, *qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogaverunt ergo eum: quis est ille homo, qui dixit tibi tolle grabatum tuum, & ambula.* Non scifcitor, an paralyticus noxam violati sabbathi in benefirum suum refuderit medicum, quem propria accusaverat excusatione, & susceptum beneficium ingrata compensaverat accusatione: sed perpendo verba Paralytici respondentis, sciscitantibus Judæis, quis esset homo ille, qui præceperit ei grabatum tollere, & ambulare, *qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula.*

88. Duo fatetur, sibi fuisse à Christo beneficia præstita, quatenus pristinæ restitutus fuit sanitati; & ab eodem jussus grabatum tollere, & ambulare; sed Judæi invido oculo Jesum aspicientes, vespertiliones fuêre, ne in singularitate miraculi virtutem aspicerent Divinitatis; & ne desperatæ ægritudinis ex inopina sanitate cœlestis Medici excellentiam inferrent, nil de sanitate impertita paralytico, nil de virtute patrandi miracula dicunt; sed violati duntaxar sabbathi meminerunt: linceos dirigunt oculos in sabbathi violationem, qui ne excellentiam videant miraculi, studiò cæcutiunt: tale est invidiæ ingenium; reticere, quæ in alijs eminent virtutis excellentiâ; & ea ampliare, quæ defectum, quæ errorem aliquem produnt, scitè Hugo Carensis expendens Judæorũ interrogationem, *quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula?* ait: *Non dixerunt, quis est, qui te sanum fecit, sed hoc bonum tacuerunt; quod eos torquebat; & eam, quam æstimabant transgressionem in medium ducunt, Quis est, inquiunt, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula.*

89. Tametsi insigne miraculum coram ipsis patraverit Christus, & hominem ex diuturnitate ægritudinis inutilem ad perfectam omnipotenti verbo revocaverit sanitatem, & laxata diu membra solutione paralysis corroboraverit, viribúsque muniêrit; Judæi nihilominus suppressâ miraculi excellentiâ, & divinitatis virtute invido oculo solam violati sabbathi noxam vident, quam proferunt, exaggerant; si tamen noxa est, quæ exercitium est charitatis, & beneficium proximo impertitum; sed quia invidiæ perspicilia livor offuscat, invido legis apparet transgressio, & sabbathi violatio, quæ excellentioris virtutis est exercitatio: & transgressionem tantùm commemorant sabbathi, quia excellentia miraculi, & virtus divinitatis exosa ijsdem erat, qui Christo invidebant: ideo linceos se produnt in sabbathi disquisitione, qui noctuas se fatebantur in miraculi aspicienda excellentia. Lusca est invidia, quæ nonnisi dimidiato videt aspectu, cæca ad bonum, perspicax ad malum. *non dixerunt*, ait Hugo Carensis, *quis est, qui te sanum fecit? sed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat, & eam, quam æstimabant transgressionem, in medium ducunt.* Quàm lividi invidentiæ oculi? qui nonnisi ad defectus detegendos, imò & fingendos perspicaces sunt, & ad virtutum nitores prorsus cæcutiunt: hoc inerat Phærisæorum oculis vitium non alio abstergendum collirio, quàm extremo supplicio: adeò suas altè invidia in ijsdem radices egerat, ut nonnisi cùm ijsdem erradicari potuerit. Invidus oculus aliorum semper famam infuscat: opportunè Ennodius in libello, invidos alloquens, ait: *Ad hanc vos dementiam malorum æstuum per gradus suos incrementa traxêre, ut hoc credatis esse lacessere, quod convincere; nec apud vos habeant à veritate differentiam odia, quæ plerumque contra meritum impetiti, studijs, non rationi obsequentia vota concinnant.*

Satagit invidus alienum extinguere, vel obscurare splendorem, ut ex alterius caligine clarescat ipse illustrior, & alienam nititur eminentiam deprimere, quò ab exiguitate alterius sublimitatem fœneret, & ex diminutione alterius crescat ipse, ac incrementa subeat magnitudinis, floreat ex alieno squalore, lætetur ex alieno luctu, & augmentum subeat ex aliorum decrementis. Tametsi sit quis dignitate insignitus, conditione, & gradu cæteris eminentior; si tamen invidiâ intus pulsetur, nullum patitur exteriùs splendescere, tametsi exiguo clarescat nitore, sitque se longè inferior. Etiam sol suos cæteris planetis ac stellis impertitur nitores, cùm sit ipse mundi totius lampas, semper ardens, nunquam deficiens; semper lucida, nunquam nitoribus destituta, sitque fons luminis, à quo reliqua in cœlis astra suos hauriunt nitores; & nihilominus licèt ab ipso totius claritatis census dimanet, & nullum sit in cœlis astrum, quod de splendore certet cum sole, à quo fœnus prodit totius lucis; adhuc tamen videtur sol licèt solus, & reliquis syderibus longè eminentior, & clarior invidere reliquis stellis suos splendores, quibus insidias nectit, & bellum indicit; ut cùm primùm sol oritur, suósque emittit splendores, veluti tot evibret tela, quot ab ipso prodeunt radij, reliquorum phalanges astrorum prosternat, dissipet, fuget; ait enim Philo: *sole exorto tot stellæ quæ apparebant, non obscurantur solùm sed evanescunt etiam pro splendore diffuso.* 90.

Imò

91. Imò etiam ipſa luna ſolis æmula, & noctis lampas, quò ſoli ſit proximior, eò ſit obſcurior, & luce pauperior; non enim patitur ſol ullum ex aſtris ſplendoribus clarum ſibi aſſociari Job. *Ecce luna etiam non*
Job. 25. v. 5. *ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus*: ſcilicet ſolis. Etiam luna ſuo à ſole ſpoliatur aureo jubare, ſi eidem aſſociari velit, nudatur enim luce, & quæ diſſita a fonte hoc luminis ſuos haurit nitores; eidem conſociata caligines contrahit, & umbras: ſed ſi ſol ſuos reliquis aſtris impertitur fulgores, cur lunam luce deſtituit, quam munifica liberalitate impertitur? nimirum quia non patitur ullum coram ſe aliud ſplendere aſtrum, quò de aliena caligine effulgeat ipſe illuſtrior; ſimúlque ſymbolum ponat ſuperioris invidentis inferioribus felicitatem, quâ ſplendent. Ea eſt indoles ſuperioris invidi, & præclarioris, ut ſua luce minus claros obtenebret.

92. Hinc jure meritò Plinius Panegiriſta ſuo blanditur Trajano, eò quia citra decrementa cæterorum creverit ipſe, & potentiæ viribus, & dignitatis nitoribus, ait Plinius *in ſuo Paneg.* alloquens Trajanum. *Tu tamen major omnibus quidem eras, ſed ſine ullius diminutione major*: & hæc fuit maxima Trajani gloria, quâ vel ipſa ſuperavit aſtra, nimirum ita ſplenduiſſe in ſolio, ut nemo ex adſtantibus proprium ſenſerit imminutum nitorem, nec propriæ fortunæ fuerit decrementum expertus: & hæc eſt illa laus Deo propria, cùm ipſe ſolus magnus ſit, abſque ullius diminutione: etenim ſi expendamus juxta nobiliorum Interpretum
Cap. 25. v. 5. ſententiam verba Jobi. *Ecce Luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus*, per conſpectum ejus non intelligunt Interpretes conſpectum ſolis, ſed Dei. Sed ſi ita eſt, cur luna, & ſtellæ dicuntur obtenebreſcere, ſuiſq; deſtitui nitoribus à Deo, & ſol non dicitur obſcurari in ejus conſpecto? An quia non audeat Deus cum ſole decertare de lumine, cum ſit ſol fons, à quo reliqua aſtra ſuos hauriunt nitores, quibus nocte ſplendent, cœlúmque ornant tot monilibus ornatum, quot ſtellis coruſcum? ſed cùm ſol ſuam à Deo lucem derivet, eſt & ipſe veluti ſcintillula à Dei fulgore dilapſa, quæ propterea ſqualeret, & ipſa, perinde ac luna, & ſtellæ reliquæ in conſpectu Dei.

93. Cur igitur ſi luna in conſpectu ejus non ſplendet, nec ſtellæ mundæ ſunt, ſolem Job reticuit, & illius non meminit? Scitè D. Thomas in commentario *hujus loc.* expendens verba Jobi difficultatem ſolvit, inquiens: *Conſiderandum, quod de ſole mentionem non facit, quia non apparet ſenſibiliter, quod ad præſentiam majoris luminis, lumen eius obtenebretur. Sed luna & ſtellæ etiam ad præſentiam corporalis ſolis obtenebrantur*, ac ſi dicat Angelicus Doctor, lunam, & ſtellas, ac reliqua in cœlis exiliora aſtra deficere exoriente ſole, eò quia ad uberioris luminis acceſſum apparent deficere, ſuiſque deſtitui nitoribus, ac obtenebreſcere: unde non mirum, ſi coram uberiori luce, & majori ſplendorum incremento propria ſobeant lucis decrementa, & obtenebrentur, quia ſol quaſi invidus, vel invidi ſaltem ſymbolum, non ſplendet, niſi cum alieno detrimento, ſiquidem invidus propriam magnitudinem ex aliena metitur diminutione.

Quia verò nulla Deum invidia pulſat, 94.
nec ullus tangit livor, magnus eſt abſque alterius diminutione, ideóque ſol in conſpectu ejus non obtenebreſcit, nec ſuæ lucis ullum ſentit decrementum; hæc enim prærogativa licèt à Plinio adulatore, quia laudatore fuerit Trajano tributa, quem dixit, *ſine ullius diminutione majorem*, hominibus non eſt propria. Etenim cùm primùm Nabuchodonoſor devicto, ac proſtrato Arphaxado, potentia, viribus, & dignitate crevit. *Tunc exaltatum eſt Regnum Nabucho-* Judith. cap. 1. v. 7.
donoſor, & cor ejus elevatum eſt: & miſit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damaſco, & Libano. Nimirum miſit nuntios ad alios Reges, ut deponerent regalia inſignia, & ipſi ſubjicerentur. Invidebat Nabuchodonoſor diademata, & ſceptra alijs Regibus, quamvis potentia, viribus, ac ditionibus eſſent inferiores, quo ſcilicet ex eorum diminutione, & decrementis fieret ipſe grandior, ac ſplenderet illuſtrior; quia invidia etiam de alterius diminutione creſcere ſatagit, & ex alterius exiguitate magnitudinem conſuevit affectare. O quàm ſubdola eſt invidi calliditas, nititur alios devenuſtare, quò illuſtrior appareat; ſtudet alios deprimere, quò creſcat major; alienas intentat ruinas, quibus firmiùs fulciatur, & ex alieno lapſu ſtet tutior. Cumulat invidus ex alienis demeritis apparatum meritorum, acſi alienæ caligines nitores ei ſuppeditent, quibus clareſcat illuſtrior, & ex alieno vitio propriam hauriat virtutem, ut & magnitudinem ex aliorum exiguitate.

Quid probroſius invido? qui alieni lu- 95.
minis extinctione proprium admititur ſplendorem accendere? Taboris ſummum verticem inſcenderat Chriſtus, & teſtes ſecum ducit tres Diſcipulos, in quorum præſentia ſummos explicat gloriæ ſuæ fulgores. *Reſplen-* Matth. 17.
duit facies ejus ſicut ſol, ſed illicò oppanditur nubes lucida, quæ vel ſuos à divino ſole nitores hauſit, vel è corpore Chriſti ſplendoribus circumfuſo, vel à lucida Chriſti facie ſolari luce clariore, & à qua nonniſi lucis potuit incrementum hauriri: bene eſt, quòd nubes lucida circum Chriſti corpus ſolis inſtar ſplenderet: ſed ſi ſplendet nubes divinis irradiata fulgoribus, cur umbras projicit, & caligines effundit? ait Evangeliſta. *Ecce nubes lucida* Matth. 17.
obumbravit eos, ſi ſol nocturnas ſuo acceſſu diſpellit umbras, caligines excutit, & tenebras omnes fugat, quomodo hæc nubes lucida umbris extinguendis nata, caligines ſpargit, & umbras diſſeminat? etenim umbras projicere opaco corpori datur probro, non verò laudi

nubi lucidæ. Nimirum quia soli Deo proprium est absque alterius diminutione grandescere, & sine alterius obscuritate splendescere: nubes lucida sive è Christi corpore profecta, sive aliunde ex terræ halitibus compacta è Christi facie suos hauriret splendores, quia tamen creatura erat splendore coruscа; quò clarior splenderet, alios obumbravit; quia uni invidia Principes, & superiores tangit, nesciunt hi clarescere, nisi inferiores obscurentur, quò eorum decrementis crescant ipsi illustriores. Sed invidia quia robur ex aliena ambit imbecillitate, sibi ipsi perniciem molitur; non enim in alterius diminutione bene fundatur magnitudinis moles, neque aliena tenuitas alium potest sublimare, ait Nazianzenus de pace: *Extremæ quippe miseriæ est non proprijs viribus, sed aliorum imbecillitate niti.* Et revera nonnisi infirmus esse potest, qui fulcrũ, quo stet ab alterius mutuatur imbecillitate, & eò est infirmior, quò majori fulcitur aliena infirmitate: non potest non imbecillis esse, cui aliena infirmitas vires suppeditat, & robur communicat.

Orat. 2.

96. Exigua est, imò & maligna ea lux, quæ ut splendeat, ac nitere appareat, opus est, reliqua lumina extinguantur, nec ullum patitur alterius luminis incrementum: quapropter creaturæ, quia minimè sibi sufficientes, exigunt deficientes alienos nitores: Christus verò, quia ut verus Deus sibi erat sufficiens, deficiens non quærit in alio lumen, ut ipse splendeat, pulchrè D. Zeno Veronensis ait: *Christus sua luce splendens, corpus sine umbra gestabat*, ita proprijs prænitebat fulgoribus, ut absque alterius diminutione splenderet, quia scilicet nulla eum invidia pulsabat; nec ullus tangebat livor, ideóque solus Christus sine alterius diminutione magnus erat, & citra ullius detrimentum major; & absque ullius infuscatione lucidus: quia ejus nobilitas non nitebatur dedecore, nec ejus gloria aliena fulciebatur infamia, quia *sua luce splendens, corpus sine umbra gestabat.*

Serm. 2. de Nativ. Mariæ.

§. IX.

Non pulsat invidia, quos summæ virtutes ornant, quarum culturam, qui negligunt, & invidiam intus fovent, de aliena tantùm caligine clarescunt; & nonnisi in alienis decrementis propria quærunt incrementa.

97. Qui summarum culturæ virtutum addicti nullam sentiunt invidiam, nec ullo inficiuntur livore, hi Dei æmulantur splendorem; clarescunt enim absque aliorum diminutione, & satagunt propria splendescere virtute, non vitio alienæ obscuritatis: neque defuerunt in ecclesia, qui ita sine umbra effulsêre, & absque aliorum detrimento creverunt ipsi in claritate excultæ virtutis. Hinc Tertullianus ait. *Ecclesia exuritur de figura rubi*, quia sicut Moysi greges pascenti ignis cœlitùs immissus apparuit in rubo, in quo licèt eximiè splenderet, non tamen rubum absumebat: ita non defuerunt in ecclesia viri sanctitate illustres, qui ita fulserunt, ut neminem obscuraverint, nemini fuerint detrimento, sed isti omnem à se livorem excosserant, nulla tangebantur intus invidia. Qui verò culturam negligunt virtutum, & intus invidiam fovent, in corde miseram sortiuntur conditionem, quia nonnisi de alterius exiguitate incrementa sumunt, eósque non propria celsitudo, sed aliena exiguitas magnos facit: hinc est, quòd humana scientia de aliorum sapit insipientia, & lux nostra ex alienis splendet tenebris; ac ille sit staturâ procerus, quem pusilli muniunt, stipántque: idque causæ, cur invidia aliorum exambiat decrementa, cupiat diminutiones, & obscuritates, & eclipses anhelet; quò nimirum invidus de aliena caligine splendeat illustrior, de alterius diminutione fiat major, & alienis decrementis crescat uberiùs.

In Scorp. Gnost. cap. 1.

98. Joannes tametsi eximius tum eremi, tum virtutum esset cultor, Christi præcursor, ac inter natos mulierum illo non esset major, adhuc tamen minor dicitur, collatus cum Christo, qui procul dubio major erat Joanne; suos Baptista alloquens, ac instruens Discipulos, ait, loquens de Christo: *Illum oportet crescere; me autem minui*, desudant Interpretes, quo sensu verè dixerit Joannes se imposterum minorem futurum, cùm certum sit, nunquam meritorum incremento caruisse, sed virtutum augmento uberiùs semper claruisse, si igitur major semper virtutum culturâ, & meritorum acervatione fiebat; quomodo minor dici potuit? Appositè respondet Cyrillus. *Illum oportet crescere, me autem minui: crescet enim quotidiè, orbémque splendor suus illustrabit; ego verò minuar, nec datam mihi mensuram excedam, sed in eodem termino permanens, tantò minus videbor, quantò ad majora ille procurret.*

Joan. 3. v. 30.

Lib. 2 in Joan. cap. 64.

99. Christus igitur propagatione doctrinæ, & miraculorum ostentatione grandior in dies apparebat famæ incremento, & gloriæ augmento apud homines, qui divinam ejus audientes doctrinam, & miracula videntes uberiori semper laude eum comendabant: ex hoc autem incremento decrevit Joannes, non quia à studio desisteret virtutum, & à meritis cessaret; sed quia in ordine ad uberrimam Christi gloriam, & laudem, videbatur apud homines Joannes decrescere, qui propterea dixit. *Illum oportet crescere, me autem minui*: crescebat Christus, & ejus incrementis decrescebat Joannes, qui Christi sublimitate exiguus erat, & in ejus augmentis videbatur ipse apud homines minui; hoc est, non crevit Christus apud homines, nisi Joannes minueretur, quasi incrementa sumeret Christi Majestas a Joannis exilitate, & quod Joanni detrahitur, Christi incrementaret gloriam. Assueti homines propriam magnitudinem ex aliena metiri exiguitate; Christi incrementa

vix novissent, nisi Joannes mensuram eis exhibuisset propriæ tenuitatis.

100. Nun modicæ datur laudi, si quispiam ita emineat; ut aliorum non intendat diminutionem; ita splendeat, ut nullam projiciat umbram, qua alij infuscentur, ac obscurentur. Scio insanas piramidum, & obeliscorum in Ægypto præsertim substructionea inter orbis miracula fuisse recensitas, non solùm ob molis magnitudinem, sed etiam propter artis excellentiam, & opificij singularitatem: non enim tantum nominis, & gloriæ fuissent assecutæ ob solam molis magnitudinem, nisi eidem accessisset artis excellentia; & in ijsdem resplenduisset ingenij perspicacitas, & opificij singularitas. Nun enim solum ædificium, quamvis in sublime protensum, & ad nubes usque fastigiatum tantùm meruisset ab hominibus plausum, nisi opus magìs à sublimitate artis, quàm ab ipsa materiæ mole fuisset de excellenti singularitate commendatum: materia in immensum coacervata, & in sublime protensa gloriã nõ fuisset inextinguibilem enacta, nisi substructio fuisset ingeniosè, ac singulariter architectata, & aliquid contineret, in quo & ingenij perspicacitas, & artis excellentia resplenduisset. Non solùm in Ægypto, verùm etiam Romæ hujusmodi substructiones ingeniosè fabrefactæ surrexerunt.

101. Plinius pluribus commendat Obeliscum, Lib. 36, cap. 10.
qui fuerat olim Romæ in campo Martio extructus, ait ipse: *Digna cognitu res, & ingenio fæcundo. Manlius Matematicus apici accuratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in se metipsam.* Eminebat Obeliscus in sublime miro protensus artificio varijs insculptus elegantissimis figuris. Hic tamen ex præalta sublimitate conspicuus non erat: sed quia ejus apex eò fuit ingenio constructus, ut collecta in semetipsum umbra nullam vicini situs partem obumbraret, totámque umbram ebiberet, ne quidquam ex circumstantibus obscuraret. Et hoc videtur orbis miraculum, dignúmque stupore, altè eminere citra ullius diminutionem, ac decrementum in claritate; ita in sublime splendere, ut nullus inferiorum projectâ obscuretur umbrâ; ita cæteris altiùs lucere, ut nullus, qui subest, obscuretur; ita Obeliscus propriam ebibebat umbram, ut cùm ipse emineret, ac splenderet, id absque dispendio alienæ lucis obtingeret: & hoc opus de singularitate commendatum inter orbis recensetur miracula.

102. Invidia tametsi splendeat in eminenti throno, non tamen absque alienæ lucis dispendio nitet; nescit invidia eminere nisi alienis decrementis crescat sublimior; neque lucere didicit, nisi inferiores obumbret: proinde miraculorum cathalogo adscriptus fuerat Romanus Obeliscus, quia in campo Martio surgeret sine aliena diminutione, & splenderet abque aliorum obscuritate. Nabuchodonosor non obeliscum, sed giganteam erexit statuam, in qua ejus dignitas & emineret sublimior, & splenderet illustrior; sed nescivit stare, sine aliorum lapsu; surgere non valuit, nisi ex aliorum ruinis; splendere non didicit, nisi alios obscuraret Judith. *Præceperat illi Nabuchodonosor Rex, ut omnes* Judith cap. 3. v. 13.
Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus. Eminuit Nabuchodonosor, sed alienis diminutionibus; surrexit, sed ex aliorum ruinis; splenduit, sed aliorum obscuritate. *Nam & civitates eorum destruxit,* Judith, cap. 3, v. 14.
& lucos eorum excidit. Adeò rarum est splendere in terris sine obscuritate aliorum, & eminere sine aliorum detrimentis; ut id non humanæ conditioni, sed divinæ detur potentiæ, & argumentum habeatur divinitatis.

Premebatur Ægyptiacæ servitutis jugo 103.
gens hebræa duro adacta laterum ministerio: & laboris impatiens libertati inhiabat, & per fusas fortassis preces Deum in sua vota flexit: Moyses tunc sibi, Deóque vacaturus, vitæ sese pastoritiæ addixit in regione, ubi nemini esset notus, eúmque custodem pecoris ageret ad radices Orebi montis, qui pars est jugi Sinai, vidit eminus rubum flagrantem quidem, non tamen conflagrantem, qui licèt igne ureretur, non tamen combureretur, nec ullum ex flamma in ipso crepitante, & simul coruscante detrimentum subiret. *Venit* Exodi 3, v. 1.
ad montem Dei Oreb, apparuitque illi Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses, ibo, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Quid? quòd Deus se spectabilem exhibiturus Moysi deserti senticetum selegerit pro throno? an quia cœlestis philosophia secessum exigit; & quantò quia remotior est a mundi turbis, tantò propinquior sit Deo, ac divinorum capacior? quid? quòd voluerit Deus naturam induere flammæ, & in rubo splendere? an quia ignis in rubo symbolum exhibeat Principis, in quo conjungi debent sapientia ad regendum, ut alios perinde ac flamma illuminet, & spinæ severitatis, ac justitiæ ad delinquentes cuërcendos, reósque puniendos?

Tametsi alia non defuisset augustior spe- 104.
cies, in qua Deus Moysi appareret, & ex qua Moyses etiam clariùs divinam conjiceret Majestatem; adhuc voluit Deus thronum suæ Majestatis præ cæteris deligere rubum, dumis horridum, simúlque flammis coruscum; ut rubus eò clariùs, ac evidentiùs suppeditaret Moysi argumentum divinitatis, quò ipse flammis coronatus splenderet illustrior; non enim elementaris lux esse potest, quæ citra alterius noxam splendeat, quia terrenus splendor, diminutione crescit aliena; & flamma non nutritur, nisi alienam depascatur substantiam; nec vivit, nec pascitur, nisi aliena morte; & quia vidit Moyses flammam in rubo splendentem, & nihil de spineto absumentem conjectavit esse id aliquid supra humanam conditionem, ac naturæ vires, quod nec livor inficeret, nec in-

invidia tangeret; cum hæc non ſplendeat in terris, niſi alios obſcuret; non creſcat, nec emineat niſi aliena diminutione, & decremento; cùm igitur ignis rubum oſcularetur labijs, & non morderet dentibus; coronaret ſplendore, non læderet flammis; illuſtraret fulgore, non abſumeret voracitate; inde conjecit terrenum non eſſe, ſed divinum ſplendorem illum, ut acutè notavit Ph. 1. Philo de vita Moyſis, inquiens. *Rubus frutex debilis eſt, & ſenticoſus, nec abſumitur voraci naturâ ignis: imò conſervatur etiam, qualis antea fuit permanens: adeò ut nihil amittens, niteſcat etiam:* rectè igitur intulit Moyſes, ignem illum cœleſtem, non terreſtrem fuiſſe, & lucem illam divinam, quæ rubi depaſtione non viveret, ſpineti diminutione non emineret, nec plantæ deſtructione, ac ruina ſplenderet; quia ſolus Deus utpote ſibi ſufficientiſſimus alienâ non indiget ope, nec alienis delectatur ruinis, quò ſuam manifeſtet hominibus Majeſtatem.

105 Quòd ſi invidia propria mutuatur incrementa ab aliorum diminutione, & proprium nitorem à caligine, & obſcuritate, quâ nitiiur alios denigrare: propriis etiam ſtudet probris minuere alienam virtutem. Antipas Philippi fratris uxorem inceſto thalamo polluerat, & quia Joannes Baptiſta in eremo fœtorem ſceleris pati non potuit, in aulam venit Herodis inceſtuoſum Principem increpaturus, quia non liceret ei habere uxorem fratris ſui, ſed Joannis Baptiſtæ monitio exulceratum animum acriùs exaſperavit refricante vulnere fœmina inceſtuoſa, quæ Herodi ſuaſit, ut Joannem Baptiſtam in vincula conjiceret, eò quia auſus fuerit neſariam conſuetudinem liberiùs arguere, nec ceſſavit invido livore, & odio innocentem perſequi, donec ejus caput abſciſſum Herodiadi filiæ in prœmium cederet ſaltationis. Refert D. Hieronymus Herodiadem inſultâſſe reciſo Joannis capiti, & acu diſcriminali ſanctiſſimam illam perforâſſe linguam, perinde ac Fulvia quondam Antonij triumviri uxor in diſertiſſimam Ciceronis linguam ſævijt: cæterum ipſa ſaltatricula promeritas dedit illicò pœnas, cùm adſtrictas gelu aquas pertranſiens rupta ſub impijs pedibus glacie, caput dedit abſcindendum gelidis cruſtis; & portentoſum in modum ſubſiliens, choreas, quibus viva aſſueverat, mortua continuavit è glacie pendula.

106. Funus autem Baptiſtæ contigit occaſione convivij, quod Herodes apparaverat natalis ſui celebraturus hilarem feſtivitatem. Erat cœnatio ad oculi laſcivientis delicias compoſita; quidqoid auri, argenti, & unionum, gemmarúmque uſquam fuit partim in vaſis, partim in ſimulacris, imò & parietum ornamentis, mira ſplendebat irradiâtione; cui & reſpondebat pavimenti nitor, ne quidquam perfuſis hac delectatione oculis deeſſet; imò & ne vacarent nares ex fiſtulis emiſſa balſama, & ex calente cinere evaporantes ſuffitus gratiſſimos effundebant odores. Ad aurium oblectationem ſymphoniaci fuêre pueri accerſiti, qui ſtatis legibus mellitiſſimos temperabant cantus. Suæ etiam tactui fuerunt voluptates, quæ tamen ſupra cæteros ſenſus guſtui eblandiebantur; quippe ad unum parandum convivium bellum cœlo, terris, maríque uſque ad internecionem indictum fuerat, ut ex omnibus elementorum ſpolijs una conſurgeret menſa, & elementa tributaria fierent voluptatis; móxque ad numerum licèt non ſine palæſtra, & tanquam in triumpho fercula deferebantur; dapéſque in menſam, perinde ac in orcheſtram prodeuntes, abibant, oti venerant, poſtquam oculis diu inſervierant, quaſi fabula non tantùm palato daretur, ſed & oculis; ne quidquam deeſſet ad voluptatis illicium.

107. Cum generoſo jam maderent convivæ mero, luxuque epularum ſatis ſtomacho indulſiſſent: puella Herodias venuſtè compta, totóque muliebri ornata mundo in medium prodijt ludos datura ſaltationum, ſimúlque caput Joannis Baptiſtæ petitura, illúdque pretium ſaltationum factura; nimirum caput petijt, quia mente vacua, capite verè indigebat: cum totum ingenium in pedes fluxiſſet, vacuum ſenſerat caput, cui implendæ vacuitati caput ſuffeciſſet Joannis, niſi cum antea fuiſſet vox clamantis non ſolùm in deſerto; ſed etiam in urbe, huic voci ſilentium indixiſſet, ne ampliùs in aula ſcelus redargueret; ſed hæc vox qoamvis in ſilentio poſita epicedium Herodiadi, epinicion Chriſto, Euchariſticum ſibi, & paræneticum cecinit aulæ, ſi tamen aula fuit, & non potiùs caula tunc illa Herodis, cum tales enutriret feras, & in qua monſtra ſtabularentur vitiorum. Nec mirum ſi Chriſti prodromus hac in aula, vel veriùs, caula interimitur; lupa non potuit niſi agnum perdere; & qui materno in utero ſalijt, cecidit puellæ ſaltu; an non initijs ſuis affines dixeris eſſe fines? vitam è choræis auſpicatus, in choreis perdidit: luporum erat cœna, fuerat agnus interimendus, qoo inſatiata epulis feritas veſceretur. *Cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ*, (Marci 6. v. 21.) ut tot haberet enormiſſimi flagitij teſtes, quot proceres in cnnvivio diſcumberent.

108. Sed inquirendum ſupereſt, quid convivæ cenſuerint de patrato audacter ſcelere, de capite Baptiſtæ dato in pretium ſaltatrici, de amputatione ſacræ cervicis, de morte Prophetæ, quæ prœmium ſuit Herodiadis, cui cùm optio data fuerit eligendi: quid vellet etiam dimidium regni; huic caput prætulit Joannis, non ut lucraretur, ac poſſideret; ſed perderet enormi amputatione, quæ ſpectatorum oculos

in-

inceſtavit. Acotè, & ſimul eleganter D. Petrus Chryſologus de ferali hoc ſpectaculo, io quo oculi clauduntur Prophetæ non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ, ait: *Herodes cœnam fecit Principibus, Tribunis, & Primis Galilea, ut tot haberet facinoris ſui arbitros, quot habuit præſides diſciplina.* (Serm. 174.) Dicebantur viri prænobiles regníque Præfecti, *Præſides diſciplina*, ſed cur Herodes cùm nobiliores, ac illuſtriores ſui regni truculentæ, ac immaniſſimæ cædis teſtes eſſe voluerit, & ſpectatores; non tamen eos teſtes appellat, ſed facinoris ſui arbitros? ſi diſcumbebant, & ipſi convivio, erántque atrociſſimæ cædis ſpectatores funeſti, ac proinde teſtes oculati, cur arbitri facinoris nuncupantur? Ii dicuntur Judices arbitri, qui de re ſibi commiſſa non ſecundùm juris apices, neque ſpectato legum rigore, ſed prout ex quadam æquitate, & pro ſuo arbitrio expenſis circumſtantijs conſoltiùs viſum fuerit, ſententiam ferunt; adeò ut Judicis arbitri ſententia teſtium depoſitioni non ſemper reſpondeat, & plerumque à juris exorbitet rigore. Igitur qui ſpectatores adſunt funeſti, qui teſtes ſunt oculati atrociſſimi ſceleris, non teſtes vocat Chryſologus, ſed ſceleris arbitros, qui non urgentur ocolorum teſtimonio, nec horroris ſuffragio, nec humanitatis lege, nec compaſſionis jure, nec ductu rationis, ſed arbitrij privilegio.

109. Noloit Herodes teſtes eſſe; ſed arbitros enormioris flagitij, tametſi teſtes eſſent oculati, quia invidia aſſueta alienæ virtuti, vel minuendæ, vel obſcurandæ, non ſolùm Baptiſtam diminuit capitis amputatione, verùm etiam quò propriom ſcelus, quadam excuſaret, ac tegeret diminutione arbitros conſtituit; qui patrati ſceleris teſtes erant oculati. Exigua ſanè fuit Herodis gloria in natalis ſui celebrata feſtivitate, cùm non tam propria luce, quàm aliena ſplenduerit obſcuritate. Quòd ſi Traianus ſine ullios diminutione teſte Plinio in ejus Panegirico major omnibus fuit: Herodes, quò grandior videretur diminutum capite voluit Joannem Baptiſtam.

§ X.

Non ſinit invidia quempiam eminere ſine aliorum depreſſione, nec ſurgere abſque alterius lapſu, nec ſplendere, quin alij obſcurentur: ſitque argumentum Divinitatis eminere ſine alterius diminutione.

110. NOn eſt magnitudo, quæ aliena nititur diminutione. Plures alij majores eſſe ſatagunt, cùm tamen pauciſſimi ſint magni. Deus Iſaiæ objicitur excelſo, & conſpicuo inſidens Throno, adeò ut ſedentis Majeſtatem Thronus promulgaret, & fulgor ſcintillans acies perſtringeret, ac moraretur oculorum: ſed Iſaias prophetico vidit obtutu quod humano occultabatur aſpectui: *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* (Iſaiæ c. 6. v. 1.) Et hoc erat argumentum divinitatis, alios non diſpoliâſſe, ut ipſe ditetreret; non obſcurâſſe, ut folgeret; non diminuiſſe, ut emineret; ſed ita ſplenduiſſe, ut adſtantia repleret: *& ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum*, quia in humanis non ſinit invidia quempiam eminere ſine aliorum depreſſione; neque ſurgere ſine alieno lapſu; neque ſplendere, quin alij obſcurentur: ibi verò character dignoſcitur adeſſe divinitatis, ubi nitor, quo quis ſplendet alios non obſcurat, ſed illuſtrat, & divitiæ, quibus diteſcit, alios non evacuat, ſed replet; *& ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.* Verum juvat inquirere, quid Seraphini tunc egerint, ſi ſenis inſtructi alis *duabus velabant faciem ejus*, ſcilicet *Dei*, *& duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Quid? quòd non omnes alas explirent, quò faciliùs involent, & feliciùs in ſublime avolent? ſed ex ſenis alis duæ tantùm librentur in aëre, & quatuor complicatæ claudantur, faciem obnubilantes, & pedes? cenſet melliſluus Bernardus, Seraphinos binis alis faciem celâſſe, & alis binis pedes occultâſſe, eò quia (Serm. 5 de verbis Iſa.) alis volitarent proprijs: & dum expanſis alis ſplendere cupiunt, Deum obnubilant; quò ſymbolum promant humanæ invidiæ, quæ erigi in ſublime neſcia, niſi alios deprimat; non ſplendet, niſi alios obſcuret; appoſitiè D. Bernardus de verbis Iſaiæ ait: *Quibus putamus alis hoc caput Seraphin velant? duabus ni fallor alis ſua videlicet ipſorum gloria, & felicitatis.* Nimirum alas expandentes propriæ gloriæ nitore conſpicuas, ac propriæ felicitatis ſplendore coruſcas, alterius obſcurant claritatem, & felicitatem occultant, quaſi neſciat invidus ſplendere, niſi alienam lucem imminuat.

Homo invidus homini lupus eſſe dicitur, & quia invidia ſua ubique retia extendit, ideo multiformes ubique inſidias apparat; & quidem majori in aulis apparatu, ubi vitia graſſantur feliciùs, & mores depravantur iniquiùs: ibi videmus caſtitatem ab impudentia triumphatam; fidem à perfidia excluſam; miſericordiam à ſævitie devictam; ſimplicitatem à dolo circumventam; jura naturæ ab ambitione turbatas à verſutia veritatem expunctam; & ab invidia famam alteriùs dilaceratam, honorem conſtupratum, ſplendorem obſcuratum: & diceres aulicæ huic Oeconomiæ congruere, quod de pavone eleganter protulit Tertullianus inquiens. *Pavo pluma veſtis, & quidem de cataclitis; imò omni* (Lib. de Pal. cap. 3.) 111.

cœnobitio depressior, quà colla florent, & omni patagio inauratior, quà terga fulgent, & omni fyrmate folutior, quà cauda jacet, multicolor, & discolor, & versicolor, qua nunquam ipsa semper alia, & si semper ipsa quando alia, totiens denique mutanda, quotiens movenda. A plumis pavonis aulica non abludit policia, nil ibi stabile, quia aura adspirante ambitione mox turget, & colla erigit; mox livente invidia deprimitur, & colores mutat, & alios induit affectus, qui non semper arrident, licèt exteriùs in extima videantur cute ridere: florere diu in aula rarissimum est ex effato lenis cujusdam aulici, qui referente Seneca cùm sciscitaretur, *quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem*, fertur respondisse, id ei contigisse inter fluctantes jugiter fortunæ vices, quibus sus, déque agebatur, mox in sublime evectus, nunc in imum iterum depressus. (Lib. 2. de ira cap. 11.)

112. Imò nulla sanguinis necessitudo animos nectit, licèt corpora confœderet; nullum amicitiæ vinculum plures ligat, quia pelluntur parentes à filijs, excluduntur à parentibus filij, deprimuntur ab amicis, qui vinculo fœderis credebantur ijs illigati; & nullus ibi splendet, quin nitatur invidia ejus obscurare nitores; & nullus est, cui fortuna arrideat, quem invidia suo livore non inficiat; adeò ut rarissimum sit, & mirum, in aula persequentium invidiam non sustinere; quod de Importunij Patritij Majoribus miraculo adscripsit Cassiodorus inquiens: *Ipsi decus Senatus præstitère modernis sæculis moribus ornabantur, antiquis bonitate præditi, constantiâ gloriosi in amicitiam proni, in odia fumenda difficiles. Ita quòd maximum felicitatis genus est, cùm multa probarentur esse potentia, invidiam illos persequentium contigit non habere.* (Lib. 4. variar. ep. 5.)

113. Rarum sanè in aula versari, & invidiæ non corrumpi veneno; eblandientem experiri fortunam, & amarorem non sentire alieni livoris; splendere dignitatis nitore, & nulli esse eclypsi obnoxium: fluctuat aulæ pelagus, ubi & flatus ambitionis, & invidiæ procellæ tranquillitatem turbant, & procellas excitant, parandis naufragijs fluctu quovis decumano aptiores; quod cùm exploratum esset Sidonio, cuidam sibi amicitiâ devincto consuluit, ut se ab aulæ fluctuante subduceret procella scribens: *Igitur si quid nostratium precibus acquiescis, ac te tutum cupis; in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosa familiariti celer exime, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum natura bene comparat, quæ sicut paulum à se remota illuminant; ita satis admota sibi comburunt.* Tutiores in sylvis belluarum inter greges degimus, quàm aulicis adsciti. (Lib. 2. epist. 3.)

Per fluxâ marini tractûs itinera arridente malacia proficiscebatur Jonas Propheta, sed ingruens sæva tempestas cum è navigio ligneo ad navigium aliud translulit vitale: *Dominus misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari.* (Jona 1. v. 4.) Sævijt in Jonam excitata procella, quæ fluctibus obarmata navem quassavit, & Prophetam prostravit, quatenus violento complexu eum absorbuit; sed inoffensus voraginem ingreditur marinæ belluæ, in cujus alvo portum enactus, malacia gaudet, qui procellâ in navi exagitabatur; portum enactus in naufragio incolumis litari restituitur: *Et dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam.* (Jona 2. v. 11.) Sed si Dei Propheta potis fuit marinæ belluæ feritatem coërcere, cur ventos non compescuit, & insanos tempestatis non repressit fluctus? si non minor est virtus, quæ leges infringit sepulchri, quàm quæ violentos insultus cohiber procellæ, cur ventis non imperavit, ut quiescerent, receptuíque canerent; & insolescentibus marinis fluctibus frœnum non injecit, quò coërcerantur? nimirum navis fluctibus agitata typus erat aulæ, cujus nautæ aulicorum imagines exhibebant; venti, & fluctus multiplices signabant affectus, quibus varijs exagitatur aula procellis: & qui in navi tutus Jonas non erat, in ventre ceti securus marinos tractus trajecit; seu qui inter feras securus procedit, inter aulicos tutus non incedit: scitè Zeno Veronensis: *Quantum datur intelligi navis typus est Synagoga ejus proretam sacerdotale corpus accepimus; nautas, scribas, & Pharisæos; venti sævientes diversi sunt Reges.* (Serm. de Jon.) Aulæ percitus procellâ inter procerum furores, palatinorum insanias, invidentium lividos fluctus naufragium incurrit, qui in ipso naufragio securitatem invenit; ait enim Zeno de Jona. *Felix magis sepulchro, quàm navi*, qui tutus fuit inter ferinos ceti dentes, in navi iratæ procellæ fluctus non declinat; sed naufragus fluctibus cedit, quibus & opprimitur. 114.

Sed quidquòd procella invidit Prophetæ, in quem voluit acriter desævire? Non credas, donum invidisse Prophetiæ ipsi Prophetæ, sed præeminentiam, quâ Ninivitis debuit præesse: nullus in aula invidet donis cœlestibus præcellenti, bene tamen humanis splendoribus enitenti; id interest discriminis inter virtutes, & dignitates; quia dignitas frequenter plurium patitur ambientium invidiam; cùm virtus nonnisi paucorum emulantium sustineat querelam. Securus degit, qui miris se virtutibus expollivit, sed pavidus hæret, quem dignitas expetitis honoribus fulcit. Rarus est, qui ægrè ferat virtutum culturâ ab alio vinci, sed rarior, qui non invideat alteri uberioribus cumulato honoribus. David non purpurâ indutus, non coronâ victrici redimitus, sed cantu in dœmonem prævaluit, ac- 115.

cersi-

certitus enim fuit, ut afflicto Sauli eſſet ſolatio, tetrúmque ab eo ſpiritum excuteret, Lib. 1. Reg. cap. 16. *Recedebat ab eo ſpiritus malus*: ſed cùm Goliathum David proſtráſſet, & Jonatas victorem purpurâ exornáſſet, arcu, ac gladio obarmáſſet, voluit ut nonniſi armatus gladio, & arcu aulam ingrederetur, qui ſolâ fundâ munitus ad ſingulare certamen Ibidem. deſcenderat pugnaturus cum Goliatho: *Expoliavit ſe Jonatas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua usque ad gladium, & arcum ſuum*, ſed cur Jonatas Davidem in dœmonem prævalentem armis non munivit, & mox regia tunicâ indutum gladio armavit, & arcu? an non glorioſior erat triumphus de excuſſo, fugatóque dœmone, quàm de proſtrato gigante viciſſe? noverat Jonatas, dœmonem vincere opus eſſe virtutis, ideóque virtute munitus David armis non indiguit, quia noverat invidiam non inſidiari virtutibus; ſed inſidias prætendere digni- Orat. 14. tatibus: hunc accerſendus Baſilius Seleucienſis qui loquens de Davide cantu Saulem demulcente, & dœmonem abigente ait: *Lyra melos veluti telum jaciebatur in dæmonem*, triumphus Davidis in dœmone à livore erat invidiæ exemptus; ſed purpuræ ſplendor periculo fuiſſet expoſitus: purpurâ igitur indutus, ac dignitate ſuffultus armis indiguit David, qui gladio & ſagittis deſtitutus, & ſola virtute præmunitus tutiùs triumphavit, & de fugato dœmone palmas collegit.

DISSERTATIO XXVIII.

Affectus miſericordiæ, ſeu compaſſionis, dum alienæ opitulatur miſeriæ præſertim per elargitionem eleemoſynæ, Dei miſerentis divitias auget.

§. I.

Compaſſionis affectus miſerorum dolores lenit, lacrymas exiccat, mœrores excutit.

1. Affectus miſericordiæ eſt, qui voluntatem incitat ad opitulandum alienæ miſeriæ, eámque depellendam: quapropter 9. de civit. Auguſtinus ait: *Quid eſt miſericordia niſi alienæ miſeriæ quadam in noſtro corde compaſſio, quâ utique ſi poſſimus ſubvenire, compellimur.* Hæc autem miſericordia, quâ inclinamur ad alienam miſeriam benevolè ſublevandam verè, & propriè eſt virtutis, ſi in ſuum dirigatur finem honeſtum; quia poteſt voluntas vario intuitu, & fine incitari ad opitulandum alienæ miſeriæ, eámque depellendam, ut ob vanam gloriam, perinde ac Phariſæi, qui eleemoſynam daturi in plateis canebant tubâ, ſpecie quidem inopum congregandorum; ſed revera ut urbi toti ſuum oſtentarent opus, & inde laudem, ac gloriam aucuparentur popularem, ac in majori haberentur exiſtimatione, de quibus ait Chri- Matth. 6. ſtus: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Opitulari alienæ miſeriæ ob vanam gloriolam virtus non eſt, ſed vitium xenodoxiæ.

2. Poteſt itidem quis alienæ opitulari miſeriæ ob finem etiam inhoneſtum, & tunc ad illam pertinet ſpeciem vitij, cujus affectu depulſio alienæ miſeriæ imperatur, ut ſi quis eleemoſynam elargiatur ut inducat puellam ad libidinem, pertrahat ad hæreſin, tunc enim contrahit turpitudinem illius peccati, & ad vitium pertinet, quod eidem reſpondet. Poteſt etiam quis alienæ opitulari miſeriæ ob finem honeſtum, & tunc opus imperatum ad eam pertinet virtutis ſpeciem, quæ illius honeſtatem reſpicit; quo pacto plerumque eſt actus religionis, ſatisfactionis, charitatis, quatenus ex earundem virtutum affectu procedit.

3. Quamobrem nulli poteſt dubio eſſe, quin miſericordia, ſi finem intendat honeſtum, & præſertim opitulari proximi indigentiæ, ejúſque depellere miſeriam, eò quia Chriſtiana charitas id perſuadeat, & lex naturæ præcipiat, veram induat rationem virtutis;

tutis; de quo cum Christianis dubitare fas non sit; Ethnicis tamen quibusdam secus visum fuit. Vulgare siquidem est illud Plauti in Trinummo, ubi ait; *De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat, aut quod bibat; nam & illud, quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miseriam*, quod tamen effatum Lactantius vocat detestandum, [Lib. 6. instit. cap. 11.] prolatum à viro comico, personam agente sævientis tyranni. Fuit Plautus comicus, qui varias agebat personas, proinde multa lectu, ac relatu indigna ei exciderunt. Manichæi itidem pro eodem habuerunt stipem mendico porrigere, ac homicidium perpetrare, ut refert S. Athanasius. [Epist. ad solitar. vitam agentes.] Putabant erogatam inopiâ laborantibus misericordiam in subsidium cedere, ac adjumentum miseriæ, quam ipsi execrabantur, censentes à malo prodijsse principio. Plato itidem severè prohibuit, [12. de leg.] ne quis esset in urbe mendicus. Verùm legem hanc sancivit, non quia crederet, piaculum esse alienæ miseriæ opitulari, sed ut scelera ab urbe arceret, ac per exclusionem mendicorum ansam præcideret delictis, ut ipse explicat *lib. 8. de Republ.* ubi asserit ab ignavi mendicitate viam sceleribus aperiri: hanc Platonis legem fuisse in usu apud Athenienses, & Massilienses refert Villaricus ex Xenophonte in Laconum Republica [Lib. 3 facta Oeconomia cap. 1.] ubi etiam fatetur Lycurgum exclusisse à Republica mendicos, ac vetuisse ijsdem stipem suppeditari, ut desidiam excuterent, ac otio marcescere desisterent, & fierent Reipublicæ utiles, vel in artibus exercendis, vel proprio labore, ac sudore eidem inservirent.

4. An verò Stoici malè & ipsi senserint de misericordia, quâ quis alienæ miseriæ opitulatur, Cicero pro Muræna eos ob abolitam misericordiã disertè subsanat, additque malè audijsse apud viros probos. Verùm ab alijs excusantur, & à nota purgantur immisericordiæ eò quia misericordia etiam ipsi claruerint, ut opitulante alienæ miseriæ, sed ut non habente adnexam doloris passionem, quam negabant posse in sapientem cadere, ex eò quia inficias iverint, posse in virum sapientem passiones cadere; non enim exiccare lachrymas lugentis, excutere mœrorem afflicti, depellere miseriam inopis, dare manum naufrago, exhibere hospitium exuli, porrigere stipem inopi, probro dari potest miserenti; neque Stoici hoc censuêre à viro sapiente alienum, sed tantùm voluerunt hæc fieri mente tranquilla, vultúque sereno, ut nulla sapiens pulsaretur tristitiâ, sed lætus alienæ miseriæ opitularetur, ac indigentiæ succurreret; adeò ut nec obnixa baculo senectus, nec pannosi inopis arida facies animum turbaret sapientis.

5. Cæterum Vives Stoicos redarguit, eò [Lib. de anima cap. de misericordia.] quia tener ille, ac mollis sensus, quem exradicatum ab animo voluêre sapientis plurimùm promoveat alienæ calamitatis sublevationem; & rarum sit, hanc compassionem, & teneritudinem abjicientes non fieri immites, ac sævos; hinc Augustinus ait: *Misericordiam Stoicorum est solemne culpare.* [9. de civit. cap. 5.] *Sed quanto honestius ille Stoicus misericordiâ perturbaretur hominis liberandi, quàm timore naufragij*, & paucis interjectis subdit: *Quid est autem misericordia nisi aliena miseria quadam in nostro corde compassio, quâ utique, si possimus subvenire, compellimur; servit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur punienti.* Præterea quia tener ille, mollisque compassionis affectus plurimùm solet afflictum relevare, ac solari; qui enim malo premuntur, plurimi faciunt condolentiam, & ex aliena compassione, plurimum hauriunt ipsi solatij. Si igitur Plautum excipias hominem scenicum varias agentem personas, ac nullius probitatis, & Manichæos, quos D. Basilius Marcorem vocat Ecclesiæ; difficulter potest quispiam alius adferri, cui inhonestum visum fuerit alienæ opitulari miseriæ, lugentis lachrymas siccare, mœrentis tristitiam excutere, indigenti opem præstare, naufrago manum dare, exuli hospitium exhibere.

Quòd alij mendicos exclusos voluerint à Republica, non illi malè senserunt de misericordia, sed bene de reipublicæ emolumento: etenim ad industriam promovendam civium, & ad excutiendum torporem, abigendámqoe desidiam aliquorum, qui cum possent, vel saltem putarentur posse necessaria sibi proprio comparare labore; mallent inertes quæstu vivere, & otio marcescere. 6.
Hinc D. Chrysostomus expendens verba illa [Serm. 6. in epist. ad Thess.] Apostoli, *obsecramus autem vos, ut operemini*, ait, Ethnicos consuevisse scandalizari, ac offendi, si Christianos corpore sanos, membris integros, viribus munitos, & qui sibi ipsis possent sufficere ad vitæ comparanda subsidia mendicatò viderent ea quærere; imò & refusâ in omnes Christianos paucorum labe, asserit, ab Ethnicis fuisse Christianos à quæstu *Christemporos* vocatos; idque causæ, cur D. Chrysostomus explicans [Tom. 5.] verba illa Apostoli *salutate Priscillam* mendicitatem ex desidia profectam, & ex otiositate ortam severè corripiat; & tales sunt etiam nostris temporibus illæ mendicorum colluvies, quæ varijs confictis prætextibus totam videntur Europam pervagari, & quos Germani Ægyptios, Galli Bohemos, Itali, Cingaros vocant. Hinc pij Imperatores præsertim Gratianus, Valentinianus, Theodosius, inertem quæstuositatem non quidem ex Evangelico spiritu, quæ inertiæ non esset redarguenda, sed ex ignavia ortam reprehendunt, [l. cunctis C. de mendicantibus validis.] arcéntque à Republica. Quamobrem misericordia prout est affectus animi incitans voluntatem ad opitulandum alienæ miseriæ, ac eam depellendam ob finem honestum, vera est virtus.

An

7. An verò sit misericordia virtus à reliquis distincta, & præsertim à charitate, non videtur carere difficultate. Siquidem in opere misericordiæ non conspicitur ulla ratio honesti propria, quæ ad aliam non pertineat virtutem: etenim vel opitulatur quis alienæ miseriæ, ut se ab importunitate petentis liberet, sicut amicus ille in parabola Christi, qui nocte surgens panes amico petenti commodavit, non quia amicus erat, & ejus indigentiæ succurreret, sed ut improbam ejus importunitatem à se excuteret, & tunc misericordia virtutum non accensetur cathalogo, sed ab eo potiùs expungitur, eò quia magis redoleat amorem proprium, quàm honestatem virtutis; non enim intenditur expulsio alienæ miseriæ, sed depulsio incommodi proprij, quæ per se indifferens est, omnique laude caret virtutis; & plerumque vitium contrahit, ut in Petro Thelonario, qui ut legitur in vita Joannis eleemosynarij, ob importunam pauperis quiritationem excandescens arreptum panem veluti lapidem in pauperem stipem petentem iracundè contorsit.

8. Quòd si alienæ quispiam opituletur miseriæ, eo fine ut misero illi meliùs sit: hoc pacto alienam abigere indigentiam, actus est charitatis, seu dilectionis in proximum: proprium enim est charitatis per se, ac immediatè inclinare diligentem in bonum alterius, non sui commodi causâ, sed alterius levaminis gratiâ, ut illi bene sit; ex consequenti verò inclinat in depulsionem mali, quia ejusdem sunt rationis velle alteri bonum, ac de ejus malo dolere; si enim quispiam procuret misero bonum aliquod ut ei bene sit; ob eundem finem ejus malum aversatur, quod depellit. Affectus siquidem fugæ in affectibus fundantur prosecutionis, & ad eandem pertinent virtutem. Vel opitulatur quispiam alterius miseriæ non eo affectu, ut illi bene sit, sed ne illi sit malè; quia nimirum incongruum, ac inordinatum illi videtur, ut is qui miserijs premitur, cùm sit ejusdem humanæ naturæ individuum, non bene se habeat, sicut reliqui homines, & in exercitio misericordiæ id tantùm spectetur, ut notabili molestia careat, non verò ut ei bene sit; tunc videtur misericordia virtus à charitate, & reliquis distincta, ob propriam, & particularem rationem honesti, quæ à sola videtur misericordia intendi; & in hoc sensu non pauci sensêre misericordiam erga alterum differre specie à virtute benevolentiæ, & charitatis naturalis.

9. Idque ex multiplici fundamento, & præsertim, quia ratio, quâ charitas constituitur, est ipsa amicitia, quâ seclusâ subvenire naturæ rationali egenti adhuc est per se honestum, ac rationi consentaneum: siquidem præcisâ omni amoris consideratione, miseria, quæ hominem premit, per se spectata honestam excitat in alio commiserationem. Rursus quia charitas respicit alium, ut bonum, & ita intendit cum eodem bona communicare: id autem non præstat misericordia, quæ hominem respicit miserum, & veluti benevolentia indignum, quod ingerit specialem difficultatem, in qua superanda relucet honestas non propria charitatis, sed misericordiæ. Præterea ex eo censent, misericordiam à charitate distingui, quia hæc alienam sublevat miseriam ex complacentia proximi indigentis sublevatione: illa ex complacentia ipsius operantis, etenim per misericordiam ideo opitulamur alienæ miseriæ, quia judicamus, id nobis honestum, & ob eandem honestatem, quam nobis volumus, alienam abigimus miseriam: secus per charitatem opitulamur proximo indigenti, eò quia non nobis, sed illi bonum sit ita sublevari.

Putàrim tamen misericordiam virtutem esse charitatis sumptæ non in tota sua latitudine, sed secundùm sui partem, seu ut loquuntur Theologi inadæquatè, quia objectum formale misericordiæ, seu sublevatio alienæ indigentiæ est ipsum charitatis objectum: velle enim sublevare alterius indigentiam, perinde est ac velle amovere ab eo malum aliquod: hæc autem volitio est alicujus alieni boni volitio, quia bonum proximo indigenti optandum est, & malo carere. Præterea quia nomine misericordiæ nonnunquam designatur affectua tristitiæ ex aliena miseria, seu quædam compassio de miseria, quâ proximus noster premitur, & interdum designatur voluntas sublevandi miseriam illam: & ex hisce duobus actibus certò certius est, postremum ad misericordiam intimiùs pertinere: & ratio id evincit, quam producit D. Augustinus, qui diruens fundamentum Stoicorum asserentium non esse sapientis dolere, ac intus pulsari ex alienæ miseriæ perpensione ait. *Quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo? et quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem cum subvenit inopi; cùm esurienti cibum præstat; potúmque sitienti, cùm vestit nudum, cùm peregrinum tecto recipit, cùm oppressum liberat, cùm denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? etiam si id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus ab officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Hinc enim nihil obest nomen, cùm absit miseria. Stoici verò, cùm misericordiam quasi vitium devitant, quia officio satis moveri nequeunt, sic nec perturbatione commoventur, congelascunt potiùs rigore inhumanitatis, quàm rationis tranquillitate serenantur. Itaque multò prudentiùs,* 10. *Lib. de Mor. Eccles. cap. 27.*

Deus etiam misericors dicitur. Vult Augustinus in Deo, & Beatis ob illam voluntatem alienæ miseriæ sublevandæ esse propriè misericordiam, quia hæc sive spectetur, ut ex affectu benevolentiæ miseriam tollit; sive ut ex odio, & displicentia inordinationis in natura rationali, est perfectissimè in Deo, qui cùm sit totius boni, ac perfectionis ac felicitatis in nos derivatæ fons, & author; est etiam omnis miseriæ depulsor, omnísque nostræ indigentiæ exterminator; in qua tollenda, quatenus movetur affectu benevolentiæ, ut creaturæ bene sit, est actus charitatis: & quia Deus in tollendo malo intendit ut creaturæ bene sit, ideo misericordia in DEO est ipsa charitas inadæquatè sumpta; quatenus tollit malum alterius ex affectu, quo vult illi bonum, & ut bene illi sit.

§. II.

Afflictio animi, & miseria cordis non sunt de ratione misericordiæ, quæ propterea Deo inest, tametsi nullâ angatur tristitiâ, nullâ prematur compassione.

11. TAmetsi nulla Deus angatur tristitia, nulla prematur compassione, nulla sit in ipso animi afflictio; & misericordia quandam videatur cordis miseriam insinuare ex sympathia alienæ miseriæ conceptam; adhuc in Deo est vera, ac propria misericordia; quia hæc afflictio animi, & miseria cordis non est de ratione misericordiæ, quæ simplicem dicit voluntatis affectum ad opitulandum alienæ miseriæ: sed est tantùm quid consequens, vel concomitans affectum misericordiæ in nobis, qui cùm simus tristitiæ capaces, ea compassio, ac tristitia pullulat ex anteriore actu: sicut enim gaudium, & delectatio, quæ affectus est animi, ex anteriore pullulat actu prosecutivo; perinde ac germen è sua radice: ita tristitia ex voluntate progerminat sublevandi alienam miseriam, ideóque spectatâ miseriâ proximi ei compatimur, & condolemus, quia propensi sumus ad ei opitulandum, ideóque sive impotentes simus, vel impediti; sive potentes, & expediti, semper dolemus de aliena miseria, & ab hoc dolore, utpote nobis notiore virtus misericordiæ suam traxit nomenclaturam.

12. Quamobrem licèt in Deo nulla sit afflictio, est tamen propriè misericordiæ virtus, cùm hæc omnem excludat imperfectionem, & summam includat perfectionem: sicut Deo tribuitur ira, non ut hæc turbidum animi includit motum, qui humorum concitatione rationem obnubilat, sed ut simplicem denotat voluntatis affectum ad ultionem accensum. Verùm id interest discriminis inter iram Deo tributam, & misericordiam, quia cùm ira propriè significet animi motum bilem concitantem, & misericordia simplicem compassionis affectum; tametsi à miseria cordis suam hauriat nomenclationem; ideo ira nonnisi metaphoricè DEO tribuitur, misericordia autem propriè, & seclusâ quavis metaphorâ; quæ propterea luculentissimè commendatur in scripturis: *Dominator Dominus DEUS misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis & verax.* Exod. 34. Psalm. 85. *Et tu Domine DEUS miserator, & misericors patiens, & multæ misericordiæ* Psalm. 32. *Misericordia Domini plena est terra & universæ viæ Domini misericordia, & veritas*: Psalm. 24. per has enim vias misericordiæ, & veritatis veluti perambulat DEUS hæc omnia inferiora, quæ nostris subjiciuntur oculis, & omnia circumlustrat creata, & ab hoc DEI motu, & progressu ad nos pes misericordiæ est, qui primus attollitur, ut ab illo tanquam dextro omnis incohoetur motio, cùm Philosophus *de incessu animalis* edoceat, fontem, & principium motionis esse à dextra parte, contendátque propterea dextrum ibi in cœlo esse, ubi stellæ oriuntur, eò quia initium motionis à dextra sit; ex quo luculenter liquet, divinæ motionis principium esse ipsam misericordiam, ex qua veluti à dextera parte benefica oriuntur insignium gratiarum sydera. Cap. 4.

13. Præfert David misericordiam veritati; *Universa via Domini misericordia, & veritas*, quia prima motio fit à misericordia, à qua beneficiorum influxus in nos derivantur. Ergo in divina policia primam sedem misericordia occupat, quam justitia, & reliquæ virtutes reverentur. Estque in DEO juxta nostrum captum duplex misericordia, generalis una, altera specialis, illa prior, hæc posterior, non ratione affectûs interni, sed effectûs externi, & operis creati, quia in DEO utraque semper extitit. Generalis igitur est, quâ ab initio tota rationalis creatura, angelica, & humana ad statum fuit supernaturalem destinata, & evecta. Cùm enim natura rationalis sibi relicta, propriisque duntaxat viribus fulta, pluribus sit defectibus obnoxia, imperfectionibus subjecta, ac miseriis pressa, non solùm Dei bonitas statuit, eam ex nihilo condere, donisque omnibus naturæ perfectioni debitis exornare; verùm etiam ad ordinem evehere supernaturalem, suorúmque bonorum æternorum communionem, cujus beneficio omnes in eadem defectus delerentur: adhuc enim fuisset pluribus obnoxia defectibus, ac plurimo ab intuitione divinæ essentiæ intervallo disjuncta, nisi divina misericordia eam supra limites, virésque naturæ sublimâsset. Hæcque est misericordia illa, de qua cecinit

Regius

Psal. 144. Regius Vates: *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*, quòd si super omnia opera, utique etiam super Angelos effusa, & tunc contigit, cum eosdem ad statum evexit supernaturalem. Imò non solùm Dei misericordia effusa est super creaturam omnem Angelicam, & humanam, verùm & supra omnem corpoream; quia cùm hæc sit propter hominem, eò ipso quòd hic ad statum elevatur supernaturalem, trahit secum ad quandam sublimitatem creaturam totam corpoream, ut innuit Apostolus inquiens: *Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cui consonat D. Petrus inquiens: *Novos cælos, & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Universam enim creaturam innovandam; & pro suo captu ad statum incorruptibilem, ac gloriosum subvehendam esse fatentur unanimes SS. Patres.

Ad Rom. 8.

Epist. 2. c. 3.

14. Prima rerum productio quatenus res cunctæ ex nihilo in suas species, & naturas cùm perfectionibus naturalibus fuerunt conditæ non tantùm à divina profluit misericordia, cujus ope miseria omnis depellitur; verùm à divina proficiscitur bonitate, quæ fons est inexhaustus totius bonitatis creatæ. Tametsi creatura antequam ex nihilo traduceretur nullis propriè premeretur miserijs; siquidem quod nondum est, nulli est obnoxium malo, cum malum sit privatio boni, quod supponit subjectum existens, & cui bonum contrarium inesse possit: nihilominus si miseria laxiùs sumatur etiam pro privativo, & negativo, à quo natura abhorret, non existere miseria est non modica; est enim summa imperfectio, ac summus defectus, à quo natura rerum vehementissimè abhorret: non enim natura, quidquam magis exhorrescit, ac refugit, quàm sui interitum; hinc inexhaustus divinæ misericordiæ fons in tres veluti rivos partitur, quorum primus est, quo res omnes præsertim ratione præditæ ex nihilo, in quo delituerant sepultæ in suas fuerunt naturas conditæ, ac distinctæ, cùm enim summa fuisset imperfectio, & miseris æternùm in abysso nihili delituisse, Deus misericordiâ quadam commotus decrevit, hanc tollere imperfectionem, & creaturas ex tenebris sui nihili in lucem vitæ educere, ac in suas proprias distinguere species, & suis facultatibus, potentijs, viribúsque instrüere.

15. Secundus, quo totam rerum naturam ad statum decrevit supernaturalem evehere. Tertius quo naturam humanam ex statu prolapsam supernaturali, ream factam mortis æternæ, omniúmque miseriarum decrevit reparare, ac uberioribus supernaturalibus præsidijs eam fulcire: & ad hoc insigne opus misericordiæ explendum filium suum misit in terram, ut Deus viator fieret, ac eo præeunte nostra dirigeremus itinera; & ita humanitati assuevit assumptæ, ejúsque actibus frequentandis etiam in utero Virginis matris, ut habitu inventus fuerit ac deprehensus ut homo; & vel in ipso Deo consuetudo altera fieret natura. Humanitate indutus patrem misericordiarum imitatus fuit filius, cui viscera alia non sunt, quam misericordiæ, quapropter Salomon ejus ocu- Cant. 1. v. 15.
los illis æquiparat columbarum, *Oculi tui columbarum*; & est perspicua misericordiæ commendatio. Est enim proprium miserationis animos in alium transformare, ac personam induere alienam. Idque causæ, cur cùm animi benefici affectu in aliorum commovemur miserijs, illas ipsas miserias videamur animo concipere, ac ijsdem affligi ærumnis; quâ de causa scripsit Apostolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Hunc 2. Corinth.
commiserationis affectum oculi exprimunt c. 11. v. 29.
columbarum, quarum est proprium, ut rerum species viva quadam, & agente ratione concipiant, ponántque in conspectu: ex quo oritur, quòd se se frequenter osculentur columbæ, quia cùm vicissim se in oculis, perinde ac in pellucidis speculis conspiciant, singulari quodam afficiuntur amore; siquidem in earum oculis adeò conspicua fit repræsentatio, ut se ipsam videre putet columba. Hos igitur columbarum oculos Christo miserenti attribuit Salomon, cum dixit; *Oculi tui co-* Cant. 1. v.
lumbarum: quia nostras infirmitates per com- 15.
miserationem, ita animo suo impressit, ut omnes in se continere videretur, & in oculis ferre, quapropter dixit per Zachariam Prophetam, *qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei*, quia nos cùm nostris miserijs suis gerit in oculis, imò non in oculis utcunque, sed in pupilla, quæ delicatior, ac pretiosior est totius capitis pars, & flos veluti amoris.

Nulli igitur dubium, quin propriè sit 16.
Deo tribuenda misericordia, quæ à charitate minimè distinguitur, si sumatur charitas inadæquatè. Fundamenta enim, quibus contrarium censentes nituntur haud difficulter eliduntur. Non me latet, plerosque in ea versari opinione ut censeant rationem charitatis esse etiam rationem amicitiæ: verùm non diffiteor æquè misericordiam, ac charitatem ad rationem spectare amicitiæ. Etenim charitas non aliter attendit rationem amicitiæ, nisi quatenus vult bonum alterius, ut est bonum illius præcisè à nostro: misericordia itidem bonum appetit alienum, ut bonum est illius, cui miseretur, nil inde sperando proprij commodi, nullúmque optando proprium emolumentum, cùm totùm misericordiæ munus sit malum depellere alienum, & alterius sublevare indigentiam: quod non abstrahit à ratione amicitiæ. Quinimò licèt charitas respiciat alterum ut bonum, & quatenus communicat cum eo bona, quod non videtur præstari à misericordia; adhuc fateor, charitatem respicere al-

terum, qui antecedenter ad volitionem indictum à charitate miseriâ aliquâ premitur, ac sublevationis indigus est, & postea excussâ indigentiâ, & depulsâ miseriâ non ampliùs sit miser futurus; in hac enim volitione propria misericordiæ nulla specialis cernitur difficultas, nec honestas, nisi ea quæ inadæquatè relucet in charitate spectatâ prout ad personas restringitur indigentes, quarum indigentiam depellere adnititur.

17. Rursus quamvis charitas sublevet alienam miseriam ex amore proximi indigentis sublevatione, & misericordia ex complacentia ipsius operantis; adhuc constat, charitatem, quamvis avulsam à studio proprij commodi ipsius operantis; & alterius duntaxat bono addictam, prosequi necessariò bonum operantis, quatenus profundit operationem honestam, cujus exercitium non potest non cedere in operantis decus, & bonum; & dummodo aliud sibi commodum non quærat, à gradu non dejicitur puræ benevolentiæ erga alium: nam propriæ honestatis assecutio impedit totam honestæ actionis tendentiam in alterum; tametsi ob intrinsecum ord.nem, quem actio dicit ad operantem, ut ad suum principium, à quo prodit, nequeat non redundare in bonum ejus, tanquam germen, & fructus bonæ arboris alieno tamen usui procreatus.

18. Imò ita triumphat in Deo misericordia, ut vel ipse rigor justitiæ eidem famuletur, sitque ejus veluti complementum. Si videas hominem injurijs lacessitum, hunc habes naturaliter ad ultionem pronum, & omnes advocantem vires, tum animi, tum corporis ad sævitiem, quin & ipsam clementiam, ac misericordiam sollicitare satagit, ut suo ferant furori auxilia ad cædes spargendas, strages disseminandas. Refert Cassiodorus scelus à quopiam patratum fuisse, & cùm author facinoris lateret, Theodoricus Rex ingentem auri copiam rei scelestissimi spopondit proditori, dixit enim Theodoricus apud Cassiodorum: *Delectat nos munificos esse in amore vindictæ.* Justa fuit hæc severitas, quæ sibi vel ipsam munificentiam voluit ad ultionem asciscere auxiliatricem. Pius fuit Theodoricus ut sæviret; liberalis, ut puniret; munificus, ut castigaret; nimirum ex clementia ultionem conflavit. *Lib. 1 var. Epist. 36.*

19. Verùm sicut homo compellit munificentiam famulari rigori justitiæ; ita Deus adigit rigores justitiæ thesauris servire misericordiæ, ac munificæ famulari liberalitati. Arcum suum curvat in nube, qui tamen ita terret fulmineo telo, ut pompâ etiam arridet discolore; ita minatur sagittas, ut simul solatium adferat, animúmque in spem erigat veniæ: siquidem signum belli præsagium sit pacis, & iræ symbolum misericordiæ constitutor documentum: hinc David ait: *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* iræ meminit Deus tuæ cum severe irascitur, sed pluries *Psalm. 76. v. 10.* misericordiæ recordatur in ira; imò vult in ira misericordias continere suas, hoc est plures misericordias in una tantùm ira, quia prævalet semper misericordia etiam cùm irascitur Deus: *Nunquid obliviscetur misereri Deus aut continebit in ira sua misericordias suas?* ait *aut continebit*, quæ vox emphatica est; ac si impotens esset Deus etiam cùm irascitur cohibere, aut continere misericordiam, quin prosiliat, & frœnum velnti injiciat justitiæ: ac si ex necessitate propendeat in miserationes, à quibus coactus rigorem coercet justitiæ, ne in ultionem erumpat.

§. III.

Ita Misericordia in Deo triumphat, ut vel ipsa Justitia eì famuletur; sitque Dei ira complementum misericordiæ, quæ eò clarescit illustrior, quò ira flammescit uberior.

20. ITa Deus irascitur, & justitiam exercet, ut misericordiam in ipso justitiæ rigore nequeat non continere. *aut continebit in ira sua misericordias suas?* Tametsi irascatur Deus flagitioso, ac reo, ac rigorem exerceat justitiæ, non tamen suam ita coërcet misericordiam, ut eam contineat, ne foras erumpat, & dulcedinis lacte flammas extinguat justitiæ. Hinc D. Hieronymus expendens verba Davidis ait: *Aut complebit in furore misericordias suas*, quia Dei misericordia ita exuberat, ut etiam in magno die furoris sui, seu in tremendo judicio severissimas inter iras sit triumphatura de ipso rigore justitiæ, qui complementum fiet misericordiæ: tunc enim ait Hieronymus *Complebit in furore misericordias suas*: ipsa enim supremi judicij severitas, ipse rigor justitiæ complementum fiet misericordiæ, & decus clementiæ. *Psalm. 76. v. 10.*

21. Tametsi dies illa finalis judicij irascentis divini Judicis implacabiles explicet rigores, & ad sonitum tubæ ab Archangelo inflatæ resumptis corporibus sint mortui surrecturi, ac accessuri ad Christi tribunal, cujus sinistram stipabunt reprobi, & dexteram prædestinati, quos Judex hilari vultu, serena fronte, placido oculo, verbisque mellitis ad æternam evocabit felicitatem, *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Ad has voces invidia reprobos totis visceribus commovebit, ac dirissimo torquebit cruciatu, eritque invidia tortor ipso gehennali incendio dirior. Postea *Dicet his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Et prolatâ hac sententia ope Orcinorum spirituum detrudentur illicò impij in æternum inferorum ergastulum incendijs torquendi gehennalibus, omnibúsque tormentorum machinis mancipati. *Matth. 25. v. 34.* *Matth. 25.*

Nun-

Nunquid hos inter justitiæ rigores suæ videtur Deus misericordiæ oblitus? nunquid rigor justitiæ frœnum injicit misericordiæ, ne foras prosiliat? ultimum, quod Deus verbum mundo proferet, opus erit severioris justitiæ, & rigores eructabit ultionis? An in verbo hoc horrore pleno, acerbitatibus referto: *Ite maledicti in ignem æternum*, deliciabitur misericors Deus? sed si nequitia erat reproborum punienda, cur potiùs reprobos, priùs non detrudit in gehennalem carcerem, & postea prælectos non pertrahit ad cœlestem patriam æternâ cumulandos felicitate, ac divinæ munificentiæ ditandos thesauris, perfundendos delicijs? cur non priùs sententiam æternæ damnationis protulit in reprobos, ut illicò promeritas darent suorum pœnas flagitiorum; & postea prædestinatos secum ducit ad æternam gloriam? nimirum ut severitas justitiæ complementum fieret misericordiæ, pœnas distulit in locum ultimum, ut misericordiam, ea qua posset, majori extensione dilataret: acerba severitas laudes incrementat divinæ misericordiæ, & eò largiorem ostentat munificentiam, quò pœna infligenda differtur in tempus subsequens.

22. Præterea juvat causam perpendere divini furoris, in qua exaggeratior elucet Dei misericordia, ait enim divinus Judex, *Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi, non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere.* (Matth. 25.) Ecce irascentis Judicis furor defectum redarguit humanæ misericordiæ, & zelus ipsius misericordiæ rigorem punit, quem reprobi in pauperes exercuêre: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*, motus amore misericordiæ in pauperes irascitur Deus reprobis, quos & acriter punit: quia opus neglexêre in pauperes exercere misericordiæ, severior igitur hæc ultio, & rigida hæc justitia in die finalis judicii opus est divinæ misericordiæ, quâ pauperibus miseretur; unde est justitia complementum misericordiæ; &, ut ait D. Hieronymus, æternus Judex, *complebit in furore misericordias suas*, quia carpens immisericordes, & reprobos, qui neglexerunt esurientibus panem exhibere, & potum sitientibus dare, causam agit misericordiæ in ipso rigore justitiæ, ut severitas ultionis, complementum sit miserationis.

23. Hinc David ait: *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* (Psalm 93, v. 1.) Licèt videatur Deus nonnisi rigores spirare, & acerbitates spargere; adhuc ibi effusior latet misericordia: ubi enim David ait, *liberè egit*, Hugo legit, *liberaliter egit*, quamvis Deus in die illa finalis judicij sit Deus ultionum, liberaliter tamen, ac misericorditer agit, eò quia ob defectum misericordiæ reprobis irascitur. Huc accersendus est Tertullianus, ubi ait. (Lib. de resurrect. carn. cap. 14.) *Qui apud Deum discis tam bonum, quàm justum de suo optimum* (seu misericordem, & munificum) *de nostro justum. Tamen hoc ipso optimum quod justum.* Tum igitur Deus se justum, ac severum ostendit, quando optimum munificum, ac misericordem se prodit; hoc est, vocando justitiam auxiliatricem in ultionem violatæ misericordiæ. Adeò suæ adhærescit Deus misericordiæ, ut vel in ipsa ira, & indignatione velit misericordiam relucere, & hâc iræ impetus coërcere, & indignationis rigorem compescere; quò ex ira & misericordia alexipharmacum confletur animi curandis ægritudinibus peraptum, quapropter Regius Vates ajebat, *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* (Psalm. 29 v. 6.) Ecce quàm magna, quàm ingens est multitudo divinæ dulcedinis; quâ ira ita temperatur, ut non stragem pariat cruentam, non fulmina jaciat lethifera, non cædes edat funereas, sed iræ tantùm imaginem imprimat, ut misericordia emicet ex ira, & ira in indignatione Dei mortem non intendat in ultione; sed vitam in voluntate protendat: *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.*

Quòd si in divina voluntate ira est vita, 24
jam ira sine vita esse nequit: exardescere nequit ira, quin vivificum emittat calorem, quia sævire nequit ira sine voluntate Dei, in qua est vita. Dei manus voluntas Dei est, quæ si irâ moveatur, nonnisi vitæ beneficium impertit, quemadmodum si hominis irascentis dextera floribus esset referta, & alapam is infligeret, cui irascitur, non posset maxillam percutere, quin genas floribus oppleret, ac fulciret. Tametsi ira Dei sit in indignatione ejus, vita tamen est in ejus voluntate; adeò ut sine vita nequeat ira sævire, cum absque voluntate non vulneret.

Idque cum novisset David, dixit. 26.
Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina, (Psal. 31. v. 3.) nectit Regius Vates vitam divinæ voluntatis cum spina indignationis, quia nequit ira divina absque vitæ beneficio sævire, quapropter etiam Joannes in Apocalipsi gladium vidit ex ore Dei prodeuntem, unde vitæ spiritus fuit Adæ inditus; quia gladius iræ sine vitali spiritu, absque beneficio vitæ non infligit vulnera, & eatenus Dei ira exardet, ut clarior in ea splendeat misericordia: & licèt ira minas spargat, & sagittas jaciat, id veluti perfunctoriè agit, & instar fulguris, quod cum oritur, moritur; vix splendet, & extinguitur, quod cum animadvertisset, David ait: *Vox tonitrui tui in rota.* (Psalm. 76, v. 19.) Tametsi ira Dei minas spargat, & tela jaciat, est tamen vox tonitrui in rota, quia nimirum hæc velociùs transit, & citiùs currit, & ocyus ad pristinam redit tranquillitatem, & quietem: Dei ita rotis utitur, non cur-

rûs triumphantis, sed fugientis, quapropter de jaculis divinæ indignationis, ac iræ ait David. *Etenim sagittæ tuæ transeunt*, hoc est, ut velociùs transeant tela iræ, & indignationis, rotas agit; ac si sagittarum ferreatum tarditatem vereretur, compensat misericordia rotarum pernici volubilitate iræ, ac indignationis moras, quia Dei misericordia lacte clementiæ flammas extinguit iræ. Psalm. 76.

26. Experimento id edoctus dixit David. *Vox tonitrui tui in rota*, quia iræ sagittas veluti in rota vidit illicò pertransire, quando abstersurus Deus geminam adulterij, & homicidij labem, quam David contraxerat, tres duntaxat dies stragi, & cladi indixit, & eorum ne quidem spatio completo; siquidem quasi adhibitis rotis totam intra biduum expiationem absolvit. Ad misericordiam enim pronior, ægrè movetur irâ, & indignatione, & si moveatur, quasi violentiam passus misericordiam accersit, ut illustrior emicet in ipsa accensæ iræ flamma. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum. & ira Dei ascendit super eos?* Quid? (Psalm 77. v, 30.) quòd cùm Dei sedes in cœlo locata sit, ejus ira perhibeatur ascendere super eos, & non descendere ad reos puniendos, & delinquendos delendos? *& ira Dei ascendit super eos*, nimitum indicaturus Deus propriam ad supplicia infligenda repugnantiam, ostendit, nonnisi coactum pœnas irrogare, propterea maluit dicere iram suam ascendisse super impios; quàm descendisse: etenim, qui ascendit, vel per gradus, vel ad montis cacumen, vel per collis fastigium plurimum laborat, tardè incedit, sudore madet, quia corporis mole reluctante progreditur. Deus igitur nostro se accommodans captui, quò mores componat nostros; nósque edoceat, etiam cùm irascitur, misericordiam in nos exercere, non solùm coactè irascitur impijs, quos punit, sed etiam cunctabundus, *& ira Dei ascendit super eos*, id est, ascendit non sine labore, & mora, cùm nos plus difficultatis, ac tarditatis experismur ascendentes, quàm descendentes; & inde intelligimus non festinare Deum ad pœnas, nec iram suam è summo cœlo mitte præcipitem super peccatores, sed ascendisse remorante oltionem misericordia.

27. Quoties irascitur Deus puniturus delinquentes non semitam in via, sed viam in semita iræ suæ construit, quò discamus misericordiam oberiùs semper lacte suæ dulcedinis delinire, quàm iram amarore sui rigoris ferire, ac punire. *Viam fecit semita iræ suæ, & non pepercit animabus eorum. & jumenta eorum in morte conclusit, & percussit omne primogenitum in terra Ægypti.* (Psal. 77. v. 50.) Quid sibi vult, viam facere semitæ, si angustior semita est, quàm via? cur non potiùs fit semita in via? utique patari potuisset semita in via, & non in semita via æterni divinæ iræ. Sed prodigia sunt hæc divinæ misericordiæ, & proprium miserentis, ac benefici Dei à minoribus exordiri, quò à majoribus caveamus. Si per semitam Dei ira incessisset, vix potuisset quispiam eam declinare, quia ob angustias vix apparuisset, sed angustijs semitæ dilatatis in viæ amplitudinem non latenter, sed palam ita properat ira, ut & prævideri possit, & præcaveri: idque causæ cur jumenta priùs interemerit, quàm primogenitorum sanguine terram fœdaret; ut Ægyptijs tempus concederet resipiscendi; non enim prudenter sperare poterant Dei iram hominibus parcituram, cùm absque ullo discrimine jumenta omnia interficeret tur in campis.

§. IV.

Magister Christus nos edocet misericordiæ exercitia, ut misericordiam consequamur: & mavult subsellia stipari viduis protectu; quàm altaria fumare hostiis interfectis.

28. EXemplo suo nos edocet Deus exercitia misericordiæ, si velimus, & nos divinam experiri misericordiam. Vult Deus nos misericordes, ut misericordiam & nos consequamur, quapropter ait per Propheram suum Isaiam. *Discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, ut coccinum quasi nix dealbabuntur.* (Cap. 1. v. 18.) Non præcipit Judæis hic templi restaurationem, victimarum immolationem, idolorum dejectionem, quia hæc non omittuntur à resipiscentibus; sed transituris ad meliorem frugem imperat subselliorum æquitatem, levamen oppressorum, pupillorum tutelam, & viduarum patrocinium; quæ omnia misericordiæ sunt exercitia in beneficium proximi, & utilitatem Reipublicæ vergentia; potiùs idolorum obliviscitur abigendorum, quàm pupillorum non recordetur succurrendorum, maluitque subsellia stipari viduis protectis, quàm fumare altaria hostijs interfectis; nobis suadet misericordiæ exercitia, ut valeamus, & nos misericordiam consequi, ait D. Chrysologus. *Miseretur, qui misericordiam sperat: pietatem, qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet.* Et D. Paulus ad Roman. 12. v. 15. Vult nos, *flere cum flentibus*, quod miserationis est genus, pignúsque animi ad miserendum proni; quin effatum Apostoli clamor est ipsius naturæ nos adhortantis ad lachrymas miserationis: ita enim in matris utero compositus est infans, ut curvus genua gênis,

nis, oculísque adhærescant complicata, adeò ut a genis genua suam trahant nomenclationem, ut observat Rupertus, & quia

Lib. 6 in Cant.

consensu omnium nationom genua hominis misericordias indicant, & in ipso vitæ exordio oculi, & genæ ijsdem cohærent, est procul dubio naturæ mutuum præconium, quo nos edocet, lachrymas miserationis calamitati deberi, & ærumnarum pondere pressis.

29. Id ut nos efficaciùs exemplo, quàm verbis edoceret Christus, voluit in hoc humanitatis, & miserationis officio præire: cum enim vidisset Martham, & Mariam acerrimo confectas dolore, lachrymísque perfusas, flevit & ipse in humanitatis exemplum, & miserationis documentum. Idque etiam præstitêre Prophetæ, viríque sancti, ac culturæ virtutum addicti, qui fontes misericordiæ uberrimos in omnium gentium beneficia aperuêre: cum enim Dei afflatu calamitates prævidérent insanientium populorum, qui veri Numinis spreto cultu se in scelera omnia ingurgitarent; & haberent præ oculis Numinis iracundiam, fulmen, exitium, & horribilem pœnarum apparatum in facinorosos invehendum, mœrebant ipsi: sic Jeremias perpetuis visus fuit lachrymis madoisse, & in genis innocentibus rivi effluxêre lachrymarum, quoties in clades suæ gentis, mentis oculos dirigeret, ait Jeremias, *Quis dabit capiti meo aquam,*

Cap. 9. v. 1.

& oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei: cupiebat Propheta totum verti caput in aquas, novámque venam exoriri perennium fluviorum ad miserandæ suæ gentis piamentum.

30. Sed non solùm lachrymas commiseratio fundit ad aliorum ulcera lenienda; sed & opes profundit, ut alienas excutiat miserias. Est misericordia, quâ per erogatas opes, alienæ quis opitulatur indigentiæ, virtus Principe homine digna, ac insignis nobilitatis character; est enim laudabilis liberalitas, & commendabilis munificentia, quâ clarescit vir Princeps illustrior. Quid enim illustrius, quid laudabilius, quàm posse calamitatem levare miserorum. Observat Apostolus, Deum speciali prærogativa voluisse hanc munificam liberalitatem ostendere hominibus, qui vitijs indulgentes hujus negligunt exercitia virtutis, ait

Ad Roman. 10. v. 12.

Apostolus, loquens de munifica Dei largitate in homines: *dives in omnes, qui invocant illum.* Non quòd non sit etiam dives in eos, qui illum non invocant, cùm Deus sit omnibus beneficus, & suos impertiatur favores omnibus, hoc tamen discrimine, quia Deum invocantibus divitias donorum supernaturalium impertitur: sed D. Paulus voluit homines immisericordes carpere. Tales sunt homines; ut si agatur de honore servando, de dignitate tutanda, de voluptate captanda, divitias profundant; exigente enim humano fastu, si domum nostram ingrediatur amicus hospes, benevolè eum excipimus, lautiori convivio reficimus, quia de honore agitur, & non est sumptui parcendum. Stimulatur quis æstu concupiscentiæ, quò suæ possit libidini satisfacere, ac sensui indulgere, prodigus est; imò & pecunias abligurit cum meretricibus: sin verò ad eum accedat mendicus eleemosynam petiturus, ut propriæ subveniat miseriæ, jam qui cum hospite amico, cum meretrice lenocinante dives erat, & pecunias profuderat; mox inopiâ laborat, pecunijs caret, ne pauperi stipem petenti opituletur. Non sic agit Deus, qui suas omnibus impertitur divitias, & solem suum oriri facit super bonos, & malos.

31. Hominis immisericordis vitium est inopiâ laborare, quoties de eleemosyna eroganda agitur; & divitijs affluere, quoties libido stimulat ad profundendas pecunias, ut sensui indulgeatur, & depravatæ satisfiat concupiscentiæ. Impleturus Christus

Luc. 19.

scripturas jumento insedit, & Jerosolymam ingressus fuit. Ecce, qui divinitate dives erat; jumento caruit, siquidem pascha celebraturus, misit duos ex Discipulis suis, dicens. *Ite in castellum, in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum solvite, illum, & adducite. Et si quis vos interrogaverit, quare solvitis? sic dicetis ei: quia Dominus operam ejus desiderat.* Abeunt Discipuli, qui missi fuerunt, & invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. *Solventibus autem illis pullum, dixerunt Domini ejus ad illos, quid solvitis pullum?* mirum sanè, quod cùm Christus verus Deus; verúsque homo dives in omnes sit, indigeat vili jumento in terris, & pauperem agat, qui omnibus divitijs affluit, & cùm jumentum illud per suos Discipulos humanissimè peteret, ac diceret, se asini illius operâ indigere, statim reclamaverint jumenti Domini. Notandum est, jumentum illud plures habuisse Dominos: *Dixerunt Domini ejus ad illos:* adeòne pauperes erant Domini illius pulli, ut nemo eorum valuerit totam illius enancisci possessionem? adeò erant inopes, ut pullus asini ad plores pertinuerit? putârim ad nostram id contigisse instructionem; quod enim Christus pauper petijt plures statim habuit Dominos, à quibus faciliùs negaretur, quod enim facilè ab uno tantùm impetratur, difficulter à pluribus obtinetur. Quoties mendicus stipem petit à divite, pro nummo rogat, plures statim consurgunt Domini in solidum illius pecuniæ, non enim ab eo duntaxat, à quo petitur, possidetur, sed plures alios etiam sortitur Dominos; nempe avaritiam, quæ non facilè manum aperit ad eleemosynam erogandam; ambitionem, quæ hono-

ris

ris, dignitatisque fumo cæcutiens pannosum non libenter videt mendicum, cui opituletur; libidinem, quæ mavult pecunias cum scortis, & meretricibus abligurire; ecce quomodo petiti nummuli in eleemosynam, plures consurgant Domini; & tamen non possidet quispiam tutiùs, quàm quòd pauperibus elargitur; est enim artificium possidendi ipsa largitio.

32. Id enim tutè possidemus, quod pauperibus erogamus; demus igitur egenis, quod possidemus, ut non habentes possideamus, quod habemus; nullibi divitiæ nostræ tutiùs custodiuntur, quàm in manibus pauperum, à quibus propterea nos Christus hortatur, ne eas repetamus. *Qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Sed cur jubemur non repetere nostra, & quæ fuerunt nobis sublata? An quia nostra non sunt, quæ à nobis possidentur: cum eorundem dispoticum dominium soli Deo conveniat, & nobis divitiæ tantùm commendentur, non dentur? sed si usus est noster, cur non repetendus. Huc accersendus D. Chrysostomus, qui expendens verba illa ait, *A Deo percipimus omnia, quod autem dicimus meum, & tuum, nuda tantùm sunt verba, si namque domum tuam asseris, emisti verbum carens substantia rei, anima tua non possidetur à te, & quo pacto tua reputabuntur opes? Vult autem Deus tua fore, quæ tibi pro fratribus tuis credita sunt, fient autem tua, si pro alijs dispensaveris.*

Luc. 6. v. 3.

Luc. 6.

33. Vera ars coacervandi, & possidendi divitias est earundem in pauperes erogatio. Si hac alienatione pecunias deperdas, eas acquiris; si eas dones, accipis; si eas alieni juris facias, illas possides; si igitur divitias possideas, & eas non eroges pauperibus, pauper es, nec divitijs affluis; sin verò eædem à te concredantur pauperibus custodiendæ eas habes, quia non possides: tutiùs non custodiuntur divitiæ, quàm in pauperum manibus; ubi non sterilescunt, sed aucto fœnore germinant, fructúmque producunt centuplum: pauperes sunt, & exuccæ, ac probro sterilitatis laborantes, quæ à te possidentur divitiæ; fiunt verò locupletes, & excussâ sterilitate fœcundæ, si pauperibus concredantur excolendæ, sciitè Augustinus de verbis Domini: *Ista autem ab iniquitate appellantur divitiæ, quia vera non sunt: paupertate enim plena sunt:* nimirum divitiæ, quia paupertate duntaxat refertæ, possessorem suum depauperant, & dispensatorem divitijs cumulant; & is est ditior, qui plures pauperibus divitias elargitur; pauperes eas non perdunt suo largitori, sed servant, custodiúntque fideliter, quapropter Syracides alloquens locupletem ait: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies eum;* transeuntes aquæ sunt, qui ærumnis, ac miserijs premuntur, qui paupertate laborantes sola frigida sitim extinguunt, & panem quærunt, quò famem depellant, & quibus propterea tenentur opitulari, qui divitijs congestis abundant.

Sermon. 35.

34. Falluntur divites, si arbitrentur, cautum sibi abundè, si manus à facinore abstinuerint, & à scelere sint immunes; & nihil pensi habentes, an opibus suis ad luxum, an ad misericordiam utantur: hi tametsi locupletes, pauperes sunt, & divitiæ, quas possident, nonnisi paupertate sunt refertæ, quia nec possidentibus, nec alijs prosunt: & hos divites D. Gregorius Papa *part. 1. pastor. admon. 22.* eidem subjicit maledicto, quò infructuosa ficus olim à Christo percussa fuit, ait ipse: *Ficulnea sine fructu terram occupat, quando locum, quem exercere alius per solem boni operis valuit, stultus per desidia umbram premit.* Non fœnerant suo possessori divitiæ, nec ullum producunt vitæ fructum, nisi manus pauperum eas in proprio sinu ferant, & foveant.

35. Tutos se credunt divites, si ab homicidijs, adulterijs, & furtis abstineant, dicentes, concessis utimur, aliena non quærimus, & si digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus; & ita loquuntur, qui aures petitionibus, ac precibus lugentium, ac inopum claudunt. Se tamen ipsos decipiunt; etenim neque purpuratus ille Evangelicus, qui divitijs affluebat, & bysso induebatur, & epulabatur quotidiè splendidè, aliena rapuit; sed tantùm infructuosè proprijs perhibetur usus fuisse divitijs, & pannosum, ac ulcerosum Lazarum despexisse, & tamen divitem ultrix gehenna suscepit, non quia quid aliud gesserit illicitum, sed quia immoderato usu totum se luxui, ac delicijs tradidit: qui verò pure scatebat Lazarus, ulceribus toto corpore fractus in sinu Abrahæ recipitur; æterna supplicia dives incurrit, dum misero, cùm posset, non succurrit; perinde ac misericordia cœlum aperit, ita immisericordia claudit: appositè D. Augustinus. *Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.* Verùm si misericordia impedit, ne sui cultores gehennæ patiantur detrimentum; immisericordia stat ante cœli fores, prohibétque, ne ullus illic admittatur, qui fuit immisericors.

Homil. 39.

36. Jerosolymis porta fuit adeò exigua, & angusta, ait Glossa, ut ab exiguitate foramen acûs diceretur: hanc pertransire non poterat camelus nisi deposita sarcina, & submisso poplite. Quid ni? gibber camelus homo est opulentus, variisque fortunarum onustus sarcinis: & quia cœli janua angusta est, & depressa; fallitur, si hanc ingredi putet, non deposita sarcina in levamen alienæ miseriæ, in solatium pauperum: quotquot divitijs affluunt, ac

ac pinguiori gaudent fortunâ, onusti sunt cameli, discant sarcinas deponere, & genua submittere; si angustam cœli januam ingredi cupiunt: non desunt parati bajuli, qui gravitantes sarcinas humeris suis imponant deferendas, & quidem non perdendas, sed servandas; sunt autem hi bajuli, pauperes, qui ubique parati inveniuntur ad sarcinas divitum suscipiendas: divitias, quibus quisque affluit, ne perdat, pauperibus concredat; ad id enim non tam utilitas propria invitat, quàm necessitas aliena adigit: eleemosynas erogare non tantùm possunt locupletes, sed & debent, quia ut ait D. Jacobus Apostolus 2. *Judicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam.* Huc accersendus D. Basilius in locupletes non tam perorantem, quàm detonantem, ait ipse. *Oratio ad divit.* *Non es misertus, non invenies misericordiam, non aperuisti domum pauperi, repudiaberis à regno, non dedisti panem, non accipies vitam æternam.*

37. Ideò Deus divitias impertitur locupleti, ut per ipsum pauper non indigeat, & per pauperis ministerium non noceant divitiæ locupleti, & ne earum pondere prematur, ac deorsum in gehennam trudatur. Mutua est pauperis, & divitis compensatio, dives eleemosynarum largitione miserias excutit pauperum; & pauperes à supplicijs gehennæ immunes constituunt divites, quos à peccatis avertunt, dum stipem accipiunt, quâ & proprijs miserijs consulunt, & divitum occurrunt periculis. Mira sanè providentia est, & bonitas Creatoris, ut uno facto duobus vellet subvenire. Idque causæ, cur æterna sapientia, quos natura pares condidit; impares esse voluerit bonorum possessione, divitijs, fortunis, ac conditione nascendi, ut scilicet necessitate quadam devinctos divitem beneficentia ornaret, & pauperem patientia muniret, & refectio pauperis diviti fieret ansa salutis; & munifica largitio divitis solatium esset pauperi, quapropter *Cap.58.v.7.* monet Deus per Isaiam. Ut pauperibus opitulemur: *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua* (seu ut alij legunt salus tua) *citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te.* Indicat, quantâ sint pauperes humanitate tractandi, cùm nos moneat, ut panem nostrum frangamus esurienti, hoc est panem, quo vescimur, & non deteriorem siligineum, aut furfuraceum; quem avaritia coquit, & cum despectu mendico projicit: vult ut mensa nostra communis sit pauperibus. Rursus nobis injungit, ut egenos, & vagos in domum nostram inducamus, & non sinamus ad fores domus iteratis clamoribus stipem exposcere, sed benignè ad hospitium eos invitemus, imitatores facti Abrahami, qui veluti in excubijs, & è sublimi specula eminùs adventantes fuit conspicatus, ut ultrò hospitibus occurreret, lotísque pedibus fessos epulis recrearet.

Præterea nobis præcipit, ut si nudum videamus, eum operiamus, ejúsque nuditatem nostris obtegamus indumentis, ne carnem nostram videamus despexisse: adeò arctum est humanitatis vinculum, ut homines inter se naturæ similitudine colligatos, humanitatis necessitudine in unam cogat carnem; sitque propterea eadem caro divitis, ac pauperis. *Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Adeò arctum est humanitatis vinculum, ut qui per denegatum pauperibus subsidium illud disruperit, *parricida*, ut ait Lactantius, *existimandus sit.* Nam si ab uno homine, quem Deus plasmavit, omnes, unam, eandémque trahimus originem, procul dubio sumus omnes consanguinei, sitque propterea piaculum hominem odisse, eique indigenti stipem denegâsse, pulchrè D. Ambrosius hoc idem exaggerans, ait alloquens divitijs affluentes. *Quousque extenditis divitiei insanas cupiditates? numquid soli habitabitis super terram? cur ejicitis consortem naturæ? & cùm in communi divitibus omnibus, atque pauperibus terra fundata sit, cur vobis jus proprium soli divites erogatis? nescit natura divites, quæ pauperes omnes generavit: nudos effudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo, nudos recipit terra, quos genuit, nescit fines possessionum sepulchris includere. Quis discernat species mortuorum? redaperi terram, & si potes divitem deprehende: erudera tumulum, & si cognoscis egentem, argue.* Quòd si nullum est in cinere discrimen, nulla in conditione nascendi differentia, nulla in fœditate sepulchri, in carnis corruptione, in vermium ebullitione distinctio; cur dives supercilium attollit superbiens, ut pauperum deprimat indigentem? si natura nos pares fecit, cur inopes despicimus? cur non nostra eisdem communia facimus? cur non proni sumus ad proximi opitulandum miseriæ? cur tam morosi, ac difficiles sumus in beneficijs ferendis, ut uberem colligamus meritorum segetem? cur asperis verbis pauperes excipimus stipem à nobis poscentes, si nostra & ipsi sunt caro? Fabius Verugiosus beneficium ab homine duro asperè datum, panem vocare consueverat lapidosum, quem esurienti accipere necessè sit acerbum esse.

Right margin notes: 38. — *Isaia 58.* — *Lib de Nabuthe cap. 1.*

§. V.

Quò misericordia plus dat, eò ditescit uberior; ea tantùm lucratur, quæ donat; & illa perdit, quæ sibi servat. Fœcundus ager est sinus pauperum, quæ recipit, fovet, & aucto fœnore restituit danti. Cui propterea bonorum temporalium usus commodatur, non datur.

39. QUæ hic congeruntur divitiæ, nostræ non sunt, nisi alterius juris eas faciamus, nisi pauperes eas possideant; tunc ditiores sumus, cùm plura pauperibus erogamus: est enim hæc elargitio vera aurifodina, quâ ditescimus, est vera Chrysopœia, quâ nostræ augentur divitiæ, quarum multiplicandarum artificium est eleemosynæ elargitio. Zachæus Publicanus erat, & ab illicito fœnore dives, ab avaro commercio opulentus, à negotijs instituendis in pingniori constitutus fortuna. Hic à Christo ad meliorem vocatus vitæ frugem illicò cogitavit de opibus restituendis, noverat camelum onustum, & non posse angustam cœli portam, & foramen acûs ingredi, nisi depositâ sarcinâ, nisi accitis bajulis, seu pauperibus, quibus suas concrederet opes. *Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Sed si ex fœnore illicito, ex avaro commercio factus fueras Zachæus dives, cur non priùs cogitat de rebus alienis restituendis, cur non dicit, restituo creditoribus, & postea addit, & do pauperibus, cùm obligatio ex justitia magis urgeat, quàm liberalitas ex misericordia; neque ex pecunijs alienis possit quis eleemosynam elargiri pauperibus? Id justitia exigit, ut priùs quis creditoribus satisfaciat suis, & postea pauperibus eleemosynas eroget; latiùs enim est integrè restituere, & postea si quid supersit pauperibus elargiri. Cur igitur opus consilij, opus anteverit præcepti? cur Zachæus priùs deliberat de media suorum bonorum parte pauperibus danda, & postea de re aliena restituenda? *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum:* ut scilicet liberalior fieret restitutio, quadruplum exhiberet, quò & læsis satisfaciat, & contractam à se noxam expiet.

Luc. 19.

40. Quid? quòd dimidium bonorum det pauperibus redditurus postea quadruplum ijs, quos illicito fœnore, avaróque commercio defraudaverat? si congestæ ex usura divitiæ dimidiam bonorum excedebant partem, quomodo post mediam partem pauperibus distributam, ex alia media, quæ superest reddere quadruplum potuit? providè eleemosynam Zachæus præmiserat distribuendam pauperibus, quia cùm fortassis bona non suppeterent ad tam liberalem, & copiosam restitutionem in quadruplum; artificium enactus cumulandarum divitiarum, has quò uberiori augeret incremento pauperibus priùs distribuit, ut pecuniæ in sinu pauperum, perinde ac in exculto feraci agro sata semina progerminatent, & in ubertimam multiplicatam excrescerent messem, quâ posset quadruplum reddere ijs, quos defraudaverat: quàm ingeniosè, & piè cogitavit Zachæus priùs de eleemosyna dispensanda effusè pauperibus, à quibus certissimè speraverat sancto fœnore cumulandas esse divitias, ut valeret non simplum, sed quadruplum restituere? utinam ab hoc fœneratore discerent divitijs affluentes, ac ijsdem inhiantes artificium eas multiplicandi, ac censum ampliandi: elargitio eleemosynæ est dives aurifodina, quæ veros suppeditat thesauros; quapropter Nazianz. opportunè. *Opus eleemosynæ vocat pietatis promptuarium, & commune locupletum ærarium.* Orat. pro Basilio.

41. Non eleemosyna, quas pauperibus dat opes, perdit, sed serit; ut aucto fœnore eas demetat; non alienat, sed servat; non minuit, sed auget; siquidem eleemosyna ætarinm est locupletissimum, thesaurus opulentissimus. Hinc Syracides ait: *Da partes septem, nec non & octo: quia ignoras, quid futurum sit malum super terram:* quasi dicat, non sit manus tua avara in eleemosynæ elargitione, sit laxa, aperta, & liberalis, ut partes septem, imò & partes octo totius substantiæ tuæ elargiaris: & causam addens subdit: *Quia ignoras, quid futurum sit malum super terram.* Videtur ex hac causa potiùs contrarium inferri, quia si ignorat, quis quid futurum sit malum; ergò potiùs congestas divitias servare debet, ne urgente necessitate quidquam desit; si enim partes septem, & octo distribuat pauperibus ex universa sua substantia; exiguum est, quod illi superest, & minimè sufficiens, si quid ei contingat adversi: abstrusa itaque, & arcana videtur in cortice Syracidis sententia; & tamen si intus aperto nucleo medullam perpendamus, rectè sequitur debere partes septem, & octo dare ex eo, quia ignoret, quid futurum sit malum super terram: qui enim dat pauperibus, id non perdit, sed aucto fœnore recipit; quò igitur liberaliùs dat quis pauperibus, eò recipit abundantiùs, ut urgente necessitate, imminente calamitate sibi consulat. Appositè Lyranus expendens verba præfata Syracidis ait: *Quia ignoras, quid futurum sit malum, id est, in vita præsenti, ab illo liberari poteris per opera pietatis impensa indigentibus; quia sicut prædictum est, pietas, non solùm habet promissionem vitæ futuræ, sed etiam præsentis:* rectè igitur nos monet Syracides, ut partes septem, imò & octo, seu omnia, Eccles. 11.

vel

vel ferè omnia distribuamus pauperibus, ut
imminente necessitate indigentijs nostris
consulamus.
42. Non minnunt eleemosynæ, quibus vir
misericors pauperibus opitulatur, divitias,
quas possidet; sed aucto fœnore incremen-
tant, præsertim si hilari animo, prompta
voluntate impertiantur, ut præstiterunt ge-
minæ viduæ, quarum prima fuit Sarepta-
1. Reg. cap 17. na, quæ modicum farinæ sibi, ac filio ne-
cessariæ in alimentum Eliæ exposuit: qua
largitione, si Chrysostomo credimus, ho-
spitalissimum superavit Abrahamum, quia
si non ad gregem, ut ille; ad modicum tamen
farinæ tucurrit, & unitum, quem habuit,
farinæ pugillum voluntate expedita, mente
hilari in alimentum exhibuit; deditque E-
liæ: & sibi necessarium subtraxit alimen-
tum, quò vires reficeret Prophetæ. Non
tamen pugillum dedit farinulæ, nec modi-
cum obsonij, cùm ob modum largiendi, ho-
spitalissimum, ut censet Chrysostomus, su-
peraverit Abrahamum, qui licèt effectu plus
dederit; affectu tamen plus in modico fuit
vidua Sareptana elargita Eliæ. Altera fuit,
quæ duo æra minuta rem domesticam, to-
túmque censum, ac victum obtulit gazophi-
lacco, de qua Christus *dixit, plus omnibus*
misit, nimirum tanto affectu duo illa mi-
nuta æra dedit, ut reliquorum oblata, licèt
effectu longè majora superaverit: *Imò*
Psal. 124. *tantum dedit*, ait Augustinus in Psal. *quan-*
tum Zachaus. Minores enim facultates
ferebat, sed parem voluntatem habebat,
misit duo minuta de tanta voluntate, de
quanta Zachaus dimidium patrimonij sui.
Si attendas, quid dederint, diversa in-
venies, si attendas, unde dederint, pares
invenies.
43. Imò hoc gemino minuto ære, tantum
dedit pretij, ut regnum sibi coëmerit cœ-
lorum: & vidua Sareptana horrea, & hi-
drias repleverit: nimirum cùm modicum
duntaxat superesset in domo farinulæ, &
olei, ut domûs consuleret necessitati, to-
tum in eleemosynam dedit Eliæ, nec ar-
ca farinæ defecit vacua, sed repleta fuit;
& olei lecythus non imminutus, sed au-
ctus: quia artem didicerat hæc vidua bene-
ficio eleemosynæ divitias augendi, quod in
arca supererat farinæ, totum dedit, ne
arca deficeret vacua, sed abundaret op-
pleta. Hic est Dei mos tacitis incremen-
tis rem domesticam augere, & quæ in
subsidium pauperum elargimur aucto fœ-
nore restituere, quapropter Christus ait;
Luc. 12. v. 33. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt,*
seu qui pertundi nequeunt, nec exhauri-
ri. Divitijs inhiantes, quia pleni diffi-
dentiâ, res suas putant imminui, si
pauperibus dentur, sed falluntur, quia
quo plura dant, qui divitijs affluunt,
majora semper recipiunt; propterea Chri-
stus vult, ut sacculos habeamus paratos,
ut recipere plura semper possimus, quàm
in subsidium pauperum elargimur, *facite*
vobis sacculos, qui non veterascunt. icitè
Chrysologus. *Hoc monstro, ait, te Christus* Homil. 22.
ditare voluit, non nudare; manere tibi tua vo-
luit non perire; perpetuari, non vacuari sac-
culos imperâvit; jussit te trãsferre, nõ perdere.
Eleemosynæ remunerandæ cupidissi- 44.
mus Deus non solùm in cœlesti patria, ve-
rùm & in exilio hujus vitæ, eam uberiori-
bus adauget incrementis, dat semper in an-
tecessum, & plus reddit, quàm expensum
fuerat, ut contigit viduæ Sareptanæ, &
dietim contingit, ac plura passim historiæ
exhibent documenta. Anno à reparata sa-
lute humani generis quingentesimo sexa-
gesimo quarto, cum Cosroes Rex Persa-
rum Sebasten, ac Mellitenem occupâsset,
& Christianos ibidem degentes varijs affige-
ret ærumnis, torqueret molestijs, eorum
plurimi, quò se à sævitie Principis subtra-
herent, Amaseam petierunt, non tam in
urbis præsidium, quam ut beati Eutychij
precibus, & ope juvarentur: in quam ur-
bem id causæ plebs propemodum innumera
confluxit, hinc annonæ charitas, & fames
in civibus; & cùm horrea, tum granaria,
tum farinaria vacua essent, & pistrina o-
tiarentur, Beatus Eutychius Episcopus Con-
stantinopolitanus, qui aderat inter Mona-
chos, fidens Deo, & ad eandem fiduciã Chri-
stianos hortatus in preces se effudit, cúmque
per aliquid temporis orâsset ad Monachos
conversus, bono, ait, estote animo, licèt
semodiolus duntaxat supersit farinæ, egen-
tes ex eo pascite, spero, hanc farinæ arcam
non defecturam. Monachi in spem erecti
eleemosynas continuârunt quotidianas; &
neminem ex petentibus stipem miserunt sine
sportula, multiplicavit siquidem beneficus
Deus moditum illud, quod superfuit fari-
næ, ut sufficeret, & Monachis, & paupe-
ribus.
Hoc idem incrementum divitiarum 45.
fuerunt experti quotquot in subsidium pau-
perum suas profuderunt pecunias. Illustre
dedit hujus incrementi documentum D.
Birgitta Sueca, quam ut refert Surius.
Pater Regi divendere cogitaverat, non alia Tom. 1. in
de causa, nisi quia prodiga esset, & perniciem ejus vita.
adferret toti familiæ, cùm quidquid rerum,
vel pretij posset domi conquirere, totum in
pauperes effunderet, & cum Rex eam sci-
scitaretur, cur etiam gladium parentis abstu-
lerit, ejusque pretium in vilem, ac mendi-
cam turbam projecerit? reposuit Birgitta
eum fuisse Christo elargitam, & subjunxit:
Et certè si te Dominum Regem, & meum
parentem Deus à me peteret, modò possem,
utrumque cum omnibus facultatibus non
invita darem: ad quæ verba subrisit Rex,
& patrem Birgittæ alloquens dixit: Major
est hæc filia tua, quàm quæ vel abs te
vendi, vel à me emi possit: licèt nil ha-

beret, quod pauperibus non erogaret; plus tamen possedit, quàm Rex posset emere: divitiæ enim, quæ pauperibus distribuuntur facultates, non minuunt, sed augent, multiplicat enim munificus Deus, quod suis datur pauperibus, ut contigit S. Franciscæ Romanæ anno à partu virgineo millesimo, quadringentesimo vigesimo, eum diuturna Carites Romam premeret, & fames populum extenuaret, ac interimeret. In id ipsa tunc incubuit studij, ut nullus pauperum è suis ædibus dimitteretur solatio destitutus; non solùm in pauperes munifica fuit, sed & comis, ac perhumana, ut quos pecuniâ non posset consolari, vel pane reficere, saltem mellitis demulceret verbis, adeò ut pecunijs destituta, adhuc esset pauperibus liberalis, quibus bona semper dabat verba: dare autem vultu hilari, & verbis mellitis, est bis dare; & cùm ei deesset, quid daret, mendicare non erubuit ipsa, ne deesset, quod mendicis daret. Cumque Franciscæ Socer præcepisset domi in cellarijs dolium asservari vini generosioris, Francisca pauperum miserta totum illud exhausit dolium, vinum pauperibus largiendo. Dilapso aliquo tempore Socer unà cum Laurentio Franciscæ marito in cellam descendit, dolium aperiturus: quod cùm vacuum invenisset, suspitio subijt, Franciscam vinum totum turbis distribuisse mendicis, idque causa fuit, cur uterque excanduerit in Franciscam, quæ tametsi satageret mellitis verbis asperitatem utriusque delinire, nil profecit: mox cùm non posset ipsa iram sopire utriúsque, & extinguere excandescentiam in cellam descendit ipsa vinariam, & lachrymis madens, in genu procumbens, enixim Deum rogat, ut velit ipsi in tanta domûs afflictione opem suam præstare. Quid ni? post fusas preces dolium explorat, quod plenum reperit generosissimo vino, ac si nulla inde fuisset detracta guttula, & Deus aucto fœnore restituit, quod fuerat pauperibus distributum: optima ars ditescendi est, divitias non coacervare in eistis, sed pauperibus distribuere: opportunè D. Augustinus ait: *Si vis esse mercator optimus, & fœnerator egregius, da, quod non potes retinere, ut accipias, quod non poteris amittere; prabe tectum, & recipe paradisum; da modicum, ut accipias centuplum: da possessionem temporalem, ut consequaris hæreditatem æternam. Attende, quid faciat fœnerator, minus vult dare, vult certè, & plus accipere. Hoc fac & tu, da modica, accipe magna; da temporalia, accipe æterna; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias panem totum; da terram, ut accipias cœlum; da pauperi, ut des tibi.* *In Psal. 36.*

46. Regnum cœlorum explicatiùs in evangelio pauperibus tribuitur, eò quia veluti janitores cœli aperiunt ijs, à quibus per distributas eleemosynas aliquid acceperunt solatij. Si quæras, cur pauperes mortem non formident, quæ horrori est divitibus, respondet Christus. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, non paupe- *Matth. 5. v. 3.* rum dicitur esse terra, sed quid longè majus, seu ipsum regnum cœlorum, quapropter de D. Martino Turonensi Episcopo occinit ecclesia: *Martinus hic pauper, cœlum dives ingreditur.* Non enim pauperes in altera tantùm vita, sed etiam in præsenti sunt divitibus beatiores, & non sibi tantùm, sed alijs sunt utiles, quibus viam sternunt ad cœlestem patriam.

§. VI.

Pauperum est cœlorum regnum, quod ijs impertiuntur, à quibus per exercitia misericordiæ aliquod recipiunt levaminis; faciúntque regni pretium, etiam minuta æra.

47. TAmetsi Christus Regnum cœlorum spopondetit misericordibus, mitibus, lugentibus, mundis corde, *Matth. 5.* non tamen sub expresso nomine regni cœlorum; etenim mitibus sub nomine *terræ* promittitur cœlestis beatitudo; misericordibus sub titulo *misericordiæ*; mundis corde sub claro illicio *visionis DEI*, lugentibus sub nomine *consolationis*; pauperes verò expressè beati vocantur, & ad ipsos dicitur regnum cœlorum pertinere. *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, eminent enim præ cæteris veluti Regia donati dignitate, quapropter non *Matth. 5. v. 3.* ait Christus, quoniam ipsi sunt de regno cœlorum, sicut reliqui virtutum ornatu insigniti, sed *ipsorum est regnum cœlorum*, quia quod Reges inter, & subditos adest discrimen, id quodammodo relucet pauperes inter, & divites beatos, cùm dicat Christus pauperum esse regnum cœlorum, adeò eos extollit, ut pro Regibus velit haberi, sítque propterea potestas pauperum regia etiam in hac vita: hinc D. Bernardus expendens verba Christi ait: *Regnum cœlorum pauperibus non tam promittitur, quàm datur, non enim dicit ipsorum erit, sed est regnum cœlorum.* *Matth. 5.*

48. Sed quomodo pauperum dicitur esse in hac vita regnum cœlorum; si Deum videre in hac vita nemo potest; sed tantùm in altera æterna donatus beatitudine, & regnum cœlorum, perinde est, ac Deum intueri, ac beatitate fulciri, quomodo pauperum est regnum cœlorum in hac vita, si DEUM non intuentur? *Non poteris vi-* *Exodi 33. v. 20.*

videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet. Verùm licèt non sit pauperum Regnum cœlorum, ut in hac vita Deum intueantur; honoris tamen gratiâ, & certitudinis causâ pauperum esse dicitur, quatenus quandam acquirunt jurisdictionem, & potestatem cœlum aperiendi, viámque ad ipsum alijs sternendi, qui misericordes eleemosynas ijsdem distribuunt: quâ de causa plus adferunt utilitatis suis benefactoribus pauperes, quàm divites: siquidem divites ijs, à quibus beneficijs cumulantur, nonnisi vestes, pecunias, argentum, aurum, vel gemmas extradere possunt, non verò cœlum, cujus Regnum soli pauperes dare possunt: nec possent alijs dare, nisi illud eorundem esset: & ut nos Christus alliceret ad eleemosynas profundendas pauperibus, ad eorundem miserias levandas dixit, *quoniam ipsorum est Regnum cœlorum*, non verò quòd ipsorum erit. Quòd si quæras, quomodo pauperes possint alijs Regnum cœlorum dare? respondet Christus, per beneficia, & profusas eleemosynas, quibus nobis pauperes devincimur, nobis ab ijsdem dari
Luc. 16, v. 9. Regnum cœlorum: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Ita est, ad cœlestem evehuntur gloriam quotquot misericordes in pauperes profusis eleemosynis eorum lachrymas exiccant, ærumnas abigunt, mœrores excutiunt, & miserias expellunt. Non ait Christus, quòd postquam pauperes mortui fuerint, recipient vos ibi: sed ut cùm vos defeceritis, seu mortui fueritis, recipiant vos pauperes adhuc in hac vita degentes, in cœleste Regnum, quia tametsi extra Regnum suum versentur, alios tamen in Regnum possunt intromittere. Quamvis igitur pauperes nondum cœlesti donentur beatitate in terris degentes, alios tamen possunt ad cœlum promovere, non solùm impetrando, verùm etiam eorundem viscera commovendo, ut fiant misericordes, & misericordiam
Lib. 6. cap. 11. de vero cultu. consequantur, apposite Lactantius ait: *Hæc est illa perfecta justitia, quæ custodit humanam, de qua Philosophi loquuntur, societatem. Hic divitiarum maximus, ac verissimus fructus est. non uti opibus ad propriam unius voluptatem, sed ad multorum salutem; non ad præsentem suum fructum, sed ad justitiam, quæ sola non interit.*

49. Proprium igitur pauperum est Regnum dare cœlorum, quia per fusas ad Deum preces possunt id impetrare, & pluries impetrâsse edocent munumenta historiarum. Refert Jacobus Gualterius in tabulis conographicis Anno millesimo sexcentesimo duodecimo, fato concessisse, suámque postremam diem clausisse Joannem Antonium Simienæum Cabanensem Dominum: qui cum ab adolescentia errores combibisset Calvini, eósque ad annum ætatis octogesimum oonum mordicùs propugnâsset, potiùs ex quadam protervæ voluntatis pervicacia, quàm tuendæ veritatis causâ; tandem gravi morbo correptus, & morti proximus accersitis duobus ex sacro ordine D. Francisci religiosis eis aperuit, quòd tametsi vixerit Calviniana hæresi infectus, velle nihilominus errores omnes abjurare, detestari perfidam hæresim, & Catholicam profiteri religionem, & in eadem emori: quod non solùm dixit, sed & præstitit ex ope miserentis Dei, voluitque sacra, & generali exhomologesi conscientiam purgare, Eucharistico epulo animam reficere, & Sacramento extremæ unctionis ad luctam cum morte, & dœmone se præmunire. Hujus inopinæ mutationis in sene capulari, qui à teneris unguiculis erroribus epotus, Calvinianæ hæresis fuerat propugnator, fieret nunc expugnator, duæ assignantur causæ, quarum prima ea est, quia Simienæus assueverat sacræ lectioni piorum librorum: etenim post ejus obitum inventus fuit in ejus crumena libellus, cui titulus erat, praxis spiritualis, seu introductio ad vitam devotam à S. Francisco de Sales Episcopo Genevensi gallicè scriptus, deinde latinitate donatus. Hunc libellum Simienæus varijs sua propria manu distinxerat glossulis, & involucro libri hæc legebantur inscripta verba: *Lecta, & relecta. faciat Deus, ut id in misera anima mea consolationem, & proximi mei ædificationem cedat.* Secunda causa, cur Simienæus resipuerit in vitæ extremo ea fuit, quia assuetus eleemosynis distribuendis pauperibus, virisque religiosis, pauperes ipsi viam cœli stravêre, imò & januam aperverunt. Hinc ait David: *Ju-* Psalm. 111. v. 5.
cundus homo qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur.

Plurimum obtinent efficaciæ preces 50.
pauperum ad Deum flectendum in sua vota, & id impetrandum, quod petunt. Idque ostendit D. Petrus in muliere Tabitha in Joppe ejus Discipula, quæ Dorcas dicitur Actor. 9. v. 36.
interpretata: *Plena erat hæc vidua bonis operibus, & eleemosynis, quas faciebat. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur: pro qua Petrum vocârunt & circumsteterunt omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas*, & Petrus lachrymas exiccaturus viduarum, earúmque discussurus mœrores ad vitam revocavit mortuam: *Pe-* Actor. 9. v. 40.
trus ponens genua oravit, & conversus ad corpus dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum erexit eam. Et cum vocâsset sanctos, & viduas assignavit eam vivam. Quòd si preces pauperum Petrum flexêre in sua vota, cur non Deum infinitè misericordem, *qui semper*, ut ait Psalm. 101.
David: *respexit in orationem humilium, & non sprevit preces eorum.* An non Deus eleemosynas respiciens dantis, ac preces in-

Qq qq 3 tuens

tuens accipientis, non erit peccatorem, qui peccata sua eleemosynis redemit ad gratiam, quæ est vita spiritualis, revocaturus? An non defunctos misericordes ob fusas à pauperibus preces ad æternam in cœlis vitam degendam erit admissurus? Ad hunc finem olim, & etiamnum mendici ad fores consueverunt templorum sedere, non ut obstrepentes, ac importunè preces ingeminantes sacra in templo agentibus, ac inibi precantibus molestias ingererent; sed ut ingredientes Ecclesiam ipsos exorarent, quò eorum preces efficaciores fierent; & ad id impetrandum quod orantes exposcebant, eleemosynas pauperibus erogabant, antequam templum ingrederentur, ut eleemosyna, & oratio pauperum impetrarent, quod misericordes exposcebant: siquidem fortior, altiúsque in cœlum ascendit oratio illius, cùm quo orant eleemosynæ pauperibus distributæ,
Matth. 18. v. 19. quod etiam indicat Christus cùm ait: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.*

51. Morem hunc mendicos constituendi ad fores Ecclesiæ viguisse tempore Apostolorum, discimus ex claudo illo, qui à suis expositus fuerat ad portam speciosam templi,
Homil. 28. cujus causam indicat D. Chrysostomos ad popul. Antioch. inquiens: *Propterea & ante Ecclesias, & Martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, ut nos ex ejusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis: considera namque quòd nobis terrenas ingredientibus regias nihil hujusmodi cernere licet, sed viri honesti, & splendidi, & divites, & prudentes passim discurrunt: ad veras autem regias ad Ecclesiam dico, & oratorias ædes, & Martyrum templa, dæmonibus pressi, truncati, pauperes, senes, cæci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tandem? ut tu docearis. Quid? audire illos foris, ut te audiat Deus intus, succurrere illorum egestati, ut sua vicissim necessitati succurrat Deus.* Hoc pacto dicitur Regnum cœlorum esse pauperum, quatenus possunt orantes illud nobis impetrare, si sinamus nos ab ijsdem ad misericordiam moveri, & flecti, si nostras divitias per ipsos in cœlum asportari permittamus, si munifici simus in profundendis eleemosynis, quibus alienæ opitulemur miseriæ: si-
12. v. 8. quidem misericordia Tobiæ 12. *Est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.*

Psalm. 40. v. 1. Hinc Regius Vates ait: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Tametsi Deus sit Judex æquissimus, & nullâ se sinat pecuniâ corrumpi; hâc tamen placatur. Imò si per manus pauperum ad eum transmittatur ex Judice fit patronus. Nobis non prosunt divitiæ, nec nobis fœnerantur, nisi pauperibus concredantur; tunc multum nobis adferunt utilitatis, si in sinu pauperum ferantur; sterilescunt autem, si à nobis asserventur. Imò nec tunc tutè à nobis servantur, quia tandem amittuntur: sicut enim fontes, tametsi pleno gurgite scaturientes, ac redundante alveo fluentes, aquis tandem exhauriuntur, & siccantur; ita cistæ, & arcæ argento, auróque cumulatæ tandem propriam deplorant vacuitatem. Opulentissimum fuit Cresi Lydorum Regis gazophylacium argento, auro, gemmisque refertum, sed tandem direptum fuit, & congestæ evanuerunt divitiæ. Ditissimum fuit ærarium Darij Persarum Regis, sed tandem spoliatum, ac expilatum. Aulæis acu pictis, picturis naturam æmulantibus, statuis aureis, & argenteis splendidum fuit Sardanapali palatium, sed preciosa supellex pabulum fuit excitati incendij: arserunt cum Rege ex Budæi calculo præter vestes ex preciosa supellectili centies centena millia auri talenta. Locupletissimum fuit Salomonis ærarium, ex quo templum Jerosolymis auro illitum, & ad omnem constructum munificentiam prodijt, sed & hoc tandem exhaustum fuit, cœpitque & ipse Salomon egere, ac cives tributis premere, eorúmque etiam sanguinem exugere.

Nil prosunt divitiæ hanc exuentibus 53.
mortalitatem; hi enim præter vilem pannum, vestésque exiguas à putredine etiam & vermibus corrodendas, & absumendas, nihil hinc secum adferre sinuntur; & licèt plura deferreat, adhuc nihil prodessent. Unde superest unicus modus quo nobis prodesse possunt, si nimirum per manus pauperum ad cœlestes transmittantur Thesauros, quia ut scitè ait S. Cyprianus: *patrimonium Deo creditum, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit, in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur.* Tract. de opere, & eleemosyna.
Id duntaxat tutè possidemus, quod pauperibus elargimur. Sumus hìc viatores exules à patriâ cœlesti, ad quam peregrinamur, quòd si amplum viaticum iter reddit jucundum, & eò lætiores iter instituimus, viámque ingredimur, quò plenior est auro crumena: quò alacriores hinc discedamus, & mortalitatem exuentes iter ad cœlestem patriam suscipiamus, necesse est, ut per liberales eleemosynas viaticum ad cœlum tutissimum constituamus; quantò enim largiorem dederimus stipem, tantò nos oppulentius viaticum comitabitur, & securiores erimus cœlum penetraturi, quia ut aptè ait D. Ambrosius: *Sola misericordia comes est defunctorum:* quod confirmans Augustinus *serm. 44. ad fratres in erem*, ait: *Misericordia ad Deum deducit hominem, & ad hominem deducit Deum, nunquam vidi hominem pium mala morte finire:* Qui enim eleemosynas accipiunt preces funduut, ut qui pecuniam dederunt auctiorem recipiant gratiam; non enim quidquam perdimus cùm eleemosynam pauperibus elargimur: imò quæ damus nostra facimus; siquidem pecunia, quam damus, non nostra est, sed nobis duntaxat conce-

credita, & tunc tantùm nostram facimus, cùm eam pauperibus erogamus.

54. Assueverunt fateor homines divitijs affluentes dicere, hæc nostra sunt palatia in modum provinciæ constructa; hi nostri sunt horti ad omnes delicias conciti; hæc nostra sunt prædia ad copiosissimam frugum messem exculta; hæc nostra sunt castra, & oppida; verùm ludibria hæc sunt vocum, & pura nominum figmenta: siquidem hæc omnia ijsdem eripiuntur, & ipsi nudi, & pauperes in tumulum dejiciuntur, ex quo conjicimus, non dominos nos esse divitiarum, sed Oeconomos, ac dispensatores; hinc Chrysostomus ait: *Idcirco sæpius risi testamenta legens dicentia: ille quidem habeat agrorum, vel domûs dominium, usum verò alius: omnes enim usum habemus, dominium autem nemo; & si enim nobis per omnem vitam permaneant, nullam facientes permutationem divitiæ; velimus, nolimus in fine alijs eas cedemus, ipsarum usu solo decerpto.* Et paulò infra subdit: *Cogitemus naturam nostram; discamus, qui sumus, divitiæ nostræ non sunt, sed Dei: Deus enim dispensatores nos divitiarum voluit esse suarum non Dominos.*

Homil. 2. ad populum Antiochen.

55. Perperàm igitur nostra jactamus prædia, pecunias, domus, & alia bona, quæ nostra dicimus, & nostra non sunt; ea tantùm pecunia nostra est, quam pia liberalitas in solatium dilargitur pauperum; quia quod damus pauperibus id aucto fœnere nobis restituitur. Et id causæ fuit, cur Christus orationem illam nos docuerit, ut in terra Dei voluntas, perinde fiat, ac in cœlo: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Sed nunquid homines lutea vasa portantes, infirmitatibus compacti, morti obnoxij, possunt divinam exequi voluntatem in terris, sicut Cœlites eam exequuntur in cœlesti patria? nimis videretur hæc oratio præsumere, nisi plena esset emphasi, & Sacramentis referta. Hugo Cardinalis expendens præfata verba ait: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, id est ut simus misericordes sicut Cælites sunt misericordes*, sed quomodo possunt homines in terra degentes ita misericordes esse, ut beati cœlestibus affluentes divitijs? Quòd si beati Reges dicuntur esse cœlorum, ac opulentissimum possidere Regnum, cujus opes donando exhauriri non possint, eò quia beatitudo æterna sit, & ejus opulentia imminui non possit; quomodo homines morti, & corruptioni obnoxij, perinde, ac cœlites esse poterunt misericordes? quia nimirum terrena misericordia cœlestem imitatur; & sicut cœlites munifici sunt regali munificentiâ, utpote constituti cœlorum Reges, & sunt munifici ac liberales sicut ij, qui minimè indigent his rebus, quas donant, ita vult Deus, ut homines sint misericordes, perinde ac cœlites, qui donant, ut Reges non indigentes ijs, quæ donant, nec donativis quantumvis magnificis minuitur eorum thesaurus. Quamobrem cum orantes dicimus *fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, docemur erga pauperes esse liberales, qui nil deperdunt ex ijs, quæ donant.

56. Sunt enim quæ causâ alienæ miseriæ levandæ pauperibus erogantur, veluti semina non terræ data, sed indigentibus commodata, quæ in uberrimam excrescunt meritorum segetem, quâ opulentiores ditescimus in cœlo, cujus januam nobis pauperes aperiunt, quibus opitulamur. Quamvis Deus sit, qui nos in cœlum recipit; sunt tamen pauperes adeo illi chari, ut hanc jurisdictionem suam velit cum ijsdem habere communem. Satagamus igitur pijs largitionibus hos cœli janitores nobis devincire; studeamus per impertita eleemosynarum beneficia eos nobis amicos reddere, quò ab ijsdem in cœlestem patriam introducamur.

57. Refert Theodoretus Placillam Theodosii Imperatoris uxorem pauperibus, ac infirmis propriis ministrâsse manibus, illos largitione eleemosynarum juvisse; hos pharmaci exhibitione pristinæ sanitati restituisse, omnésque benefica manu recreâsse, cúmque à nonnullis ex suis Domesticis ab hoc pio opere avocaretur, fronte serena, vultúque hilari reposuit; *Aurum distribuere decet Imperatorem: ego autem pro ipso imperio, ei qui id ipsum dedit, operam hanc offerre debeo.* Quotquot virtutum fuêre addicti culturæ, profusi, ac liberales fuerunt in pauperes, D. Augustinus referente Possidonio *in ejus vita c. 24.* vasa argentea, & aurea frangi jussit ob captivos redimendos, ac pauperes reficiendos; quòd si Ecclesiæ pecunia deesset, denuntiare consueverat populo, non habere se, quod in pauperes erogaret ad eorum levandas miserias, exsiccandas lacrymas. Acatius Amidæ Episcopus apud Socratem, ut pauperes Persas captivos numero septies mille redimeret, vasa itidem sacra divendidit, dixitque suis clericis id ægre ferentibus; *Deus noster neque lancibus, neque poculis eget; quare conveniens hæc in milites afflictos dispertiri.* Aursum fuit etiam effatum illud Theophili in pauperes profusi apud Sozomenum; *Præstat ægrotorum corpora, quæ veriùs Dei templa sunt restaurare, quàm lapidea ædificare.* Templa viventia Spiritus sancti præferenda sunt saxeis; & quanto magis amplis, laxisque palatijs, profanis theatris, munificis balneis, sumptuosis sphæristerijs, marmoreis equorum stabulis?

Lib. 8. c. 21.

Lib. 8. c. 15.

DIS-

DISSERTATIO XXIX.

Benefica commiſeratio plus dantibus prodeſt, quàm accipientibus; quia Deus aucto fœnore reſtituit; quæ pauperibus diſtribuuntur.

§. I.

Tunc expeditiores properamus ad cœleſtem patriam, cum onera auri & argenti, quæ nos aggravant, abjicimus in ſolamen miſerorum, ad levandas pauperum ærumnas.

1. PRopenſiores in pauperum levandis miſerijs, quàm in ſtabulis equorum conſtruendis eſſent divites, ſi paupertas eos preſſiſſet; ſi aliquandn fuiſſent & ipſi ærumnas, anguſtias, ac miſerias pauperum experti: Non enim ſatis miſeretur, qui nunquam miſer fuit; neque multa tangitur compaſſione, qui nunquam preſſurâ, & inopiâ angitur: ſcitè dixit Publius Mim. *Homo qui in homine calamitoſo eſt miſericors, meminit ſui:* Benefica commiſeratio non tam accipientibus prodeſt, quàm dantibus; quia ſicut nos erga pauperes gerimus, ita ſe erga nos gerit Deus; nec ulla nos ſolicitudo, ac timor incurrendæ paupertatis impediat à liberalitate in pauperes exercenda: quid? quòd puſillo animo paupertatem timemus, quâ nil tutius, tranquillius nihil? quid veremur bene collocare, ac in tuto recondere quod adverſa fortuna poteſt nobis eripere, vel hoſtilis incurſio diripere? quid timemus fluxum, fragile, ac intutum bonum per manus pauperum Deo concredere cuſtodiendum in cœleſtibus theſauris; ubi nec furem, nec prædonem timemus; nec rubiginem, nec tyrannum veremur? ſi noſtras pauperibus divitias diſtribuimus, diteſcimus apud Deum opulentiores; & qui dives eſt apud Deum, pauper eſſe nunquam poteſt.

2. Quòd ſi cœleſtes nos gazæ delectant; ſi cœleſtis nos beatitudinis ſpes demulcet, cur non ſatagimus illuc celeri curſu properare? cur ut expeditiores ad Deum curramus, onera non abjicimus auri, & argenti, quibus gravamur, & premimur? cur nos à compedibus, ac catenis non liberamur? Divitiæ ſi coacerventur laqueos injiciunt, nósque aggravant, impediúntque, ne in ſublime ad cœleſtem enitamur patriam; cum verò pauperibus diſtribuuntur, nns ſurſum evehunt; ac in ſpem erigunt regni cœleſtis. Alexander Macedo in eam fertur cogitationem deveniſſe, ut totum terrarum orbem longè, latéque difuſum ſui moliretur juris facere. Hac ſpe fretus antequam militares copias Macedoniâ educeret, ærarium evacuavit, & quidquid ſupererat cuſæ pecuniæ Satrapis, ac Ducibus munificâ diſtribuit largitate. Fuit qui cæteris audentior Regem accuſaverit prodigalitatis, imò & reprehenderit, eò quia nihil ex tot opibus ſibi ſervaret; tum Alexander ore ridente repoſuit: imò plura mihi reſervo, quàm dederim, ſpem ſcilicet ampliſſimam ad principatum totius orbis, quem Ducum meorum bellica virtute me eſſe conſequuturum non diffido; mei conſilij fuit hac munifica pecuniarum largitione animos ijsdem addere, ad ſtrenuè pugnandum, ac fortiter vincendum. Quid ni ſua omnia, qui pauperibus dilargitur, ſpem ſibi retinet multo majora enanciſcendi, quàm dederit: & hæc ſpes longè certior eſt, ac opulentior illâ Macedonis, quæ bello, innixa, & armis, anceps eſt, cum varius ſemper ſit belli eventus, ac infelix perſæpe ferri procurſus; ſecus ſpes, quæ supereſt ſua elargienti pauperibus, nulli eſt caſui obnoxia; quia divinis erigitur promiſſionibus, quas
Deus non ſinit in irritum abire: *Cœlum, & Matth. 24.*
terra tranſibunt, verba autem mea non præ- v. 35.
teribunt & Marci c. 9. v. 41. *Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam, quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aqua frigida. Da pauperibus & habe-* Matth. c. 19.
bis theſaurum in cœlis. v. 21.

Præclarum eſt quod de Evagrio philo-
ſopho refertur. Cum illum Syneſius Epi- 3.

ſcopus

ſcopus ad Chriſti fidem, & cultum pertraxiſſet, ac docuiſſet, eum qui eleemoſynarum elargitionibus opitulatur pauperibus *Deo fœnerari*; eáque omnia, quæ in hac vita egentibus erogantur in altera vita præter centuplum, cœlo remuneranda. Audivit id libenter Evagrius, ac credidit; & bona fide dedit Epiſcopo ter centum auri pondo in pauperum ſtipem dicens. *Accipe hoc, & diſtribue pauperibus; & da mihi cautionem manu tua, quòd Chriſtus mihi ipſum reddet in futuro ſæculo.* Accepit [illegible]iſes aurum, ſimul & adjectam ab Evagrio conditionem, & ſyngrapham propria ſcriptam manu dedit Philoſopho; quam ſervavit quamdiu vixit; mox gravi morbo decumbens, ac brevi acturus animam; filios accerſivit, quibus injunxit, ut parentalia illi exutâ mortalitate perſolverent & chirographum à Syneſio Antiſtite conſcriptum ejus illigarent manibus, & cum eodem ſepelirent, ut apud Judicem poſſet ex ſyngrapha agere, ſuámque tueri cauſam, ac repetere ſibi promiſſa. Paruerunt filij, parentem cum ſcripta cautione tumulârunt. Tertius à ſepultura dies effluxerat, cum nocte intempeſta Evagrius Syneſio Antiſtiti ſe viſendum ſtitit, eúmque rogavit, ut ſuum adiret ſepulchrum, ac ſyngrapham fidei teſtem reciperet; abundè enim ſibi ſatisfactum eſſe teſtatus eſt pro pecunia in pauperum erogata ſubſidium; in cujus fidem, chyrographum eſſet reperturus manu propria ſubſcriptum. Mane Epiſcopus unà cum clero ſepulchrum adijt, reſeratóque tumulo ſyngrapham invenit à ſe ſcriptam, & defuncti manu hoc pacto ſubſcriptam: *Ego Evagrius Philoſophus accepi debitum in his litteris manu mea conſcriptum, ſatisfactúmque mihi eſt. & nullum habeo contra te jus, propter aurum, quod dedi tibi, & per te Chriſto Deo, & Salvatori noſtro.* Ita eſt, quæ pauperibus diſtribuuntur divitiæ non amittuntur, ſed fœnori concreduntur; & veluti ſemina non terræ data, ſed miſeris commodata in uberrimam progerminant meſſem meritorum.

4. Id cum innotuiſſet Raberto Regi Galliarum pauperibus ita fuit opitulatus, ut regijs ſuis manibus ſtipem diſtribueret, eorum miſerias excuteret, mœrores abigeret, lacrymas exſiccaret, & quocunque iret plauſtra pauperibus onuſta ſecum circumveheret, dicerétque hoc eſſe illud hominum genus, quibus Deus fores dedit Regni cœleſtis aperiendas ijs, qui in ipſos miſericordiæ viſcera priùs aperuiſſent; hinc Salomon: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Deus enim ait D. Leo Papa: *Fidei juſſor eſt pauperum, & largiſſimus redditor uſurarum*; adeout benefica commiſeratio non tam accipientibus, quàm dantibus proſit, quòd ſi quiſpiam naufrago manum porrigit, exuli hoſpitium aperit, nudos veſtibus operit, egenti ſtipem elargitur, ægro pharmacum apparat, vinctis catenas ſolvit, mancipia libertati reſtituit, periclitantibus opem offert, cadaveri ſepulturam fodit; compatienti huic commiſeratio Regnum aperit cœlorum; & dum alienæ miſeriæ compatitur, propriæ præludit fœlicitati, bonámque ſibi fortunam auguratur, cum alieno infortunio adnititur opem præſtare, & alienas miſerias ſuas facere, quibus promptiùs opituletur.

Proverb. c. 9. v. 17.

Serm. 6. de Jejun. decimi menſis.

Qui aſſueſcit ita alienis compati ærumnis extra fortunæ aleam ſe collocat; quia commiſeratio dum alienam miſeriam accerſit; unà cum aliena propriam arcet. Hæc cauſa, cur tanto ſtudio fuerit commiſeratio à viris pijs exculta, & à viris doctis laudibus excepta, non quæ de aliena miſeria tantùm dolet; ſed quæ benefica etiam eſt; & adnititur impertitis beneficijs alienas excutere miſerias, lacrymæ ſi ſolæ ſint citò areſcunt, præſertim in alienis malis; tunc plurimum habent ponderis, cum alienum mœrorem abſtergunt: hac qui tangitur commiſeratione, non ſinit pauperes angi, nec premi anguſtijs: Huſſæus Princeps cum ſuam in miſeros beneficam exercuiſſet comiſerationem; cauſam multimodam reddens ait Job: *Quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio: & ab utero matris meæ egreſſa eſt mecum:* Textus Hebræus apud Cajetanum legit: *Quia à pueritijs meis grandivit me tanquam pater:* & expoſitio Tigurina habet: *Nam à primis annis educavit me velut parens. & quamprimùm editus ſum in lucem, eam mihi vitæ magiſtram conſtitui.* Quaſi Jobo non ſuffeciſſet, beneficam miſerorum compaſſionem appellâſſe ſororem uterinam, dicens *ab utero matris meæ egreſſa eſt mecum*; eam vocat *Patrem*; imò & parentem; ut etiam *ducem*, & *magiſtram*, quaſi natura eam dictaverit, ac docuerit, ſimúlque officio functa fuerit magiſtræ, & obſtetricis, quò cum lacte eam ſugeret; & cum eadem creſceret, ac æquè veluti coaleſceret ſpiritu, corpore, & benefica commiſeratione, quâ expromptiùs miſeris beneficè compateretur; appoſitè D. Gregorius loquens de hac Jobi benefica commiſeratione ait: *Hanc à Deo, & quod idem eſt à natura dici conceſſam Jobo, quaſi hoc opus à præclara naturæ indole provenerit, non ab ipſius acquiſita virtute. Miſeratio & ſi ejus fuerit arbitrij, ut cum ipſo proficeret, liquet tamen, quòd ejus arbitrij non fuit, ut cum ipſo de utero exiret. Conſtat ergo, quia ſuæ virtuti nihil tribuit, qui profectò teſtatur, quia hanc ex conditoris munere accepit.* 5.

Cap. 31.

in d. c. 31. Jobi.

Fuit Jobus eximius virtutum cultor, probitatis tenaciſſimus, ſanctitatis ſtudioſus; ideóque crevit cum ætate commiſeratio benefica, quâ alienos delinivit dolores, excuſſit mœrores, & miſerias abegit; *crevit mecum commiſeratio* ait Jobus: *Nonnulli*, ſubdit D. Gregorius, *quoad ætatem creſcunt; quoad innocentiam decreſcunt. Electis verò cum foris ætas corporis, intus ſi dici liceat, creſcit ætas virtutis:* adeò 6.

arctè reliquis est commiseratio consibulata virtutibus, ut incrementum cum ijsdem subeat; sitque ad commiserationem proclivior, qui reliquis est virtutibus ornatior. Hæcque ratio cur Jobo veluti connaturalis visa fuerit commiseratio, à qua ad levandas miserorum ærumnas intrinsecus impellebatur; quia ab adolescentia culturæ assueverat virtutum. Hinc Eliphazi sordidam immisericordiam malè objectanti respondit: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi; eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillam, cui non esset adjutor. Benedictio perituri superveniebat:* seu ut legunt LXX. Interpretes *Benedictio pereuntis super me veniat:* nimirum deprecanter rogat, ut benedictio pauperis pereuntis veniat super eum; quatenus possit ipse misero pereunti commisereri, ac opitulari, ne pereat, quò inde ob beneficam commiserationem plurimum hauriat meriti: siquidem juxta textum vulgatum *Benedictio perituri* significat interitum miseri versantis in extremo vitæ, rerúmque discrimine; qui propterea periisset nisi Jobus, benefica commiseratione fuisset eidem opitulatus, appositè Lactantius, *Summum* inquit, *inter se hominum vinculum est humanitas, quod qui surripit, nefarius, & parricida existimandus est:* edisserit Lactantius, beneficam commiserationem nexum esse, quo homines simul colligantur, ac mutuis vinciuntur beneficijs, quibus divites pauperibus, sanitate gaudentes ægris, valentes imbecillibus; extra periculum constituti, in vitæ discrimine versantibus opem ferunt; sibique nexo beneficæ humanitatis devinciunt: hunc nexum qui disrumpit perituro per beneficam commiserationem opem non suppeditans; *nefarius, & parricida existimandus est;* quia se, & alium periturum simul perdit, qui beneficæ compassionis exlex periclitanti non succurrit, & indigenti non opitulatur: quia ut scitè Jobus *Benedictio perituri* super condolentem, & compatientem.

Cap. 29. v. 13.

Lib. 6 divin. Instit. c. 10.

7. Quæ alijs beneficia impendimus, hæc eadem nobis restituuntur auctiora, ut benedictione repleamur: hinc Christus ait: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hac est enim lex, & Prophetæ:* benefica commiseratio lex est, quâ alij, quibus condolemus, ac per beneficam compassionem opitulamur obligantur ad consimilem exercendam commiserationem; saluberrima est eruditio benefica commiseratio, quâ alij edocentur eamdem compassionem, ac eadem rependere, quæ acceperunt beneficia; qui enim cogitat ea alteri præstare, quæ sibi ab altero fieri expectat, in id incumbit studij, ut malis bona, & bonis meliora reddat; quod & Magister Christus in Schola Evangelij suos edocuit Discipulos, quos alijs voluit beneficos esse, ut & ipsi essent beneficia suscepturi; qui enim beneficia serit, meritâ colligit; ac uberiorem præstiti beneficij messem.

Matth. 7. v. 12.

8. Verùm quòd benefica commiseratione miseris, ac periclitantibus opem ferre sit gnome Evangelicæ disciplinæ, ac salubris eruditio sata beneficia aucto fœnore multiplicandi, id non me latet; sed difficultatem ingerit, quomodo benefica commiseratio lex sit Moysis, & Prophetarum? Hanc difficultatem soluturus S. Gregorius Nazianzenus pulchrè ait: *Condolentiam, velatâ lege sanxit ex eadem nimirum infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita:* asserit S. Gregorius, beneficam commiserationem, quâ per impertitam opem alienas miserias excutimus, & lacrymas exsiccamus, legem esse à nobis sancitam, quâ alij ad vices rependendas, ac consimilem commiserationem exercendam adiguntur; sicut durè immisericors adversus alios, immisericordiæ legem imponit; unde sibi invidet, qui alijs non miseretur; propriámque accersit calamitatem, qui alienam non abigit; & lacrymis, quas in alio non abstergit; ipse madet. Hinc Apocalyp. 3. Episcopus Laodicensis quamvis divitijs affleret, delicijs diffueret acerbè reprehenditur; ut miserijs pressus, cæcitate laborans, paupertate nudus, eò quia benefica commiseratione miserisnon opitulaetur: *Quia dicis, quod dives sum & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus;* cum divitijs cumularetur in arca congestis, nullios ope se indigere arbitrabatur, ideóque omnem à se commiserationem in alios beneficam abegerat; & ideo alienas ad se miserias trahebat; quia nulla in alios commiseratione pulsabatur: opportunè Lactantius ait: *Nullius ope indigere se putat, qui alteri suam denegat.* Episcopus Laodiceæ Ecclesiæ immisericordiæ redarguitur, ut beneficæ compassionis expers; dixit enim *nullius indigere* quasi quia non indigus, non curaret miseris opitulari; *siquidem nullius ope indigere se putat, qui alteri suam negat*, ideóque redarguitur ut immisericors, despicitur ut pauper, irridetur ut cœcus, quia nescius commiserationis non videt damna, quæ sibi infert; & licèt congestis affluat divitijs, paupertate adhuc laborat, quia meritis beneficæ commiserationis destitutus.

Orat. de Pauperi. amor.

10.

Lib. 6 de divin. Instit. c. 10.

Apocal. 3.

9. Veræ divitiæ ex aurifodina eruuntur virtutis, ac beneficæ compassionis, quâ miseris opitulamur: hinc Siracides ait: *Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare. Amarè fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam:* sed si benefica in miseros compassio origo est felicitatis, cur honesta compassio limitibus coarctatur unius diei, paucisque dumtaxat clauditur horis? an non quò diuturnior est benefica commiseratio, eò locupletior sit compatiens? si lacrymas exsiccare pauperum perinde est, ac germina irrigare virtutum;

cur

cur non producitur exsiccatio lacrymarum, ut uberior fiat irrigatio virtutum? ac lætior earumdem germinatio? D. Paulinus expendens verba Siracidis exclamat: *o divitiæ bonitatis Dei? quàm piâ id ipsum sollicitudine nostri cavet, non pietatis propensæ invidus, sed infirmitatis nostræ conscius:* Quid? quòd Deus non sit invidus pietatis nostræ propensæ in pauperes, quibus sumus solatio, cum ijsdem opitulamur? si nullâ potest Deus invidiâ tangi; & nulla in homines derivatur fœlicitas, quæ ab inexhausto non dimanet divinæ bonitatis fonte; cur tantoperè Dei commendantur divitiæ, eò quia propensæ nostræ pietatis non sit invidus? quò nimirum discamus, Deum non invidere commiserationi erga miseros, summæ dari commiserationi laudi: ita augustè excellit commiseratio in pauperes benefica, ut si Deus capax esset invidiæ, ei in homine invideret miserente.

10. Brevissimum ad virtutes est benefica commiseratio compendium; cum alimenta largitur misero ad vitam; illius sibi præmia suffuratur ad gratiam; & de aliena miseria suam cumulat felicitatem, valet compassio, quæ alienos excutit mœrores ad vitia expugnanda, & prædura etiam barbarorum pectora emollienda; adeout nullum sit hominum genus, sive inter feras innutritum, sive in urbibus excultum, quod miseratione non tangatur, quapropter aiebat Antoninus Imperator apud Herodianum: *Homo animal est naturâ misericors.* Sitiebat in Ægypto Pharao puerorum innocuum sanguinem, non quò propriam sitim, sed natorum vitam extingueret; ne Judaicus populus multiplicaretur. Satellites Ægyptij tertio quoque mense Hebræorum domus ingredientes intima quæque scrutabantur penetralia, ut si quem viderent, vel audirent natum puerum vagientem violentâ manu arriperent, ac enecarent, idque Moysis parentibus eam injecerat curam, ut infantem tunc adhuc nominis expertem, ob oris venustatem, habitúsque corporis elegantiam sagaci obtegerent custodiâ, ne rumor nati pueri, vel vagitus flentis ad aures cujuspiam pervenirent: sed cùm necessitas parentes adegisset ad puerum prodeundum, ne totam familiam tyrannico objicerent furori, maluerunt incertæ morti puerum committere, quàm satellitibus interficiendum extradere; idcóque in fiscella scirpis contexta à matre puer clauditur, rimis corbulæ bitumine, & pice oblitis, Nili fluminis tenuissimis tunc temporis concreditur undis, quæ ripam adlambebant, datis filiæ mandatis, ut quid fiscellæ, & puero flumini extradito obtigisset, quasi aliud agens diligenter exploraret.

11. Sed cœleste consilium tulit, ut eodem illo die, quo puer expositus erat Nili vado Thermutis Armenopthæ Regis filia juxta amnem descenderet spatiatum, ac meridianos æstus fluvij laticibus temperatura; quæ cùm in hærentem virgultis fiscellam incidisset, eamque aperuisset vagientem in ipsa puerum formâ venustum invenit, quem ex secta pellicula Hebræum esse deprehendit, & à parentibus fluvio concreditum, ne à satellitibus crudeli ferro perimeretur. Stimulante hinc compassione, miserta est Regis filia pueri vagientis, cujus venustate capta, cùm careret ipsa prole, cogitavit probrum sterilitatis filij hujus adoptione abstergere, præsertim cùm ejus lachrymulæ ejus emollirent ad compassionem pectus; quapropter tolli parvulum jussit à pedissequis, & enutriri: *Cernénsque in ea parvulum vagientem miserta ejus ait: de infantibus Hebræorum est hic:* Exodi 2. v. 6. cúmque nutricem Thermutis quæreret ex Numinis providentia obtigit, ut eadem Hebræa mulier, quæ puerum pepererat, selecta fuerit in ejus nutricem, quæ à lacte depulsum Thermutidi restituit, à qua Moysis nomen inditum fuit, eò quòd è Nili vado eum extraxerit, & in proprium sibi etiam filium adoptavit: & hic beneficæ commiserationis fructus fuit, ut improles fœmina infantem adinvenerit, à quo defectus suppleretur sterilitatis. *Mirabilis* (ait Lyranus) *Moysis educatio à filia Pharaonis, qui Hebræos infantes jubebat interfici.*

Compassio non solùm pietatem à parricida extorsit, & probrum extersit sterilitatis; verùm etiam Moysem educavit, omnique propemodum scientiâ erudivit. Hunc septimum ætatis annum ingressum superinductis Instructoribus, ac Magistris omni curavit filia Pharaonis litteratura imbui, & liberalibus in aula disciplinis expoliri. Compassio Tyranni barbaricè sævientis furorem mitigavit, adeò ut exclamaverit Augustinus in catena. *Novum miraculi genus fecit misericordiam filia parricida*, quasi prodigij instar sit, quod efferati hominis legitima proles sola compassione in puerum amni concreditum duritiem emolliret, & feritatem excuteret: ita est vis compassionis tanta est, ut innata proclivitate sentiat humana natura se in eam abripi, quia ut aiebat Antoninus Imperator, *Homo animal est naturâ misericors*, adeò ut propensio ad commiserationem sit à natura homini indita: & id suæ etiam eum miseriæ docuerunt: cùm sit homo plenus miserijs, dignúsque sit ipse commiseratione, pronus esse debuit ad commiserandum: si enim quid sit homo, quæras, certè non aliud, quàm morborum fomes, dolorum officina, ærumnarum scopus, miseriarum receptaculum, mutationis imago, temporis spolium, invidiæ trutina, cujus corpus imbecillum, suapte natura inerme, nudum, fragile, alienæ opis indigum, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, morti obnoxium. Bonorum enim carentia, malorum ingruentium procellæ, casus quotidiani, fortunæ mox ridentis, mox adversantis vicissitudines, corporis humores, vitia, quæ contrahuntur, passiones, quæ accenduntur satis prolixam mœrorum telam texunt; hinc natura provida lachrymas dedit, 12.

quibus mœrores, si non abstergerentur, saltem linirentur: dum enim natura lachrymas profundit, evaporat affectus, & insiti doloris particula in alienum pectus derivatur.

§. II.

Affectus compassionis fons est, à quo scaturiunt rivuli lacrymarum, quibus contracta noxarum sordes purgantur, & cordis nostri sterilescens tellus irrigatur in flores virtutum.

13. Lib. 3. Dialog. cap. 34. DUo sunt genera lachrymarum, quas D. Gregorius in sacris litteris ait, esse indicatas, ut ipse loquitur *per irriguum superius, & inferius*, & vult ex irriguo superiori lachrymas fluere defœcatas à terrestri affectu, proinde puras, cœlestes, liquidas, quarum fons pellucidus & inexhaustus sit Dei amor; sive ob noxarum detestationem, verámque resipiscentiam; sive ob Christi desiderium, ac dilectionis ardorem, sive ob commiserationem patientis in cruce Christi profluant; & hæ illæ sunt lachrymæ, quas D. Basilius in sermone de Magdalenæ lachrymis, vocat *cœli margaritas*, & non immeritò pretiosi dicuntur uniones, cùm hominem suis noxis illachrymentem Deo unient; hæ lachrymæ sunt, quas D. Bernardus vocat *vinum Angelorum*, quo qui madent, divino inebriantur amore: sine quo has lachrymas exigere perinde foret, ac latices è pumice postulare. In Cant.

14. Aliæ enim sunt lachrymæ prorsus naturales, quæ ex causis duntaxat humanis, ijsque naturalibus profluunt, est siquidem lachryma humor ex calefactione humidi, ac tenelli cerebri distillans per oculos, quæ tamen calefactio si vehementior fuerit, ita cerebrum exsiccat, ut ciendis lachrymis sit impedimento, idque causæ, cur ad iracundiam proniores, difficiliores sint ad lachrymas fundendas, fletúsque edendos. Imò alios etiam ingens animi mœror, ac stupor ita confundit, vímque comprimit caloris, ut vel rarus, vel nullus sit lachrymis locus: cùm è converso ubi cerebrum modicè duntaxat calescit, faciliùs humidum colliquescat in lachrymas, quæ interdum etiam eliciuntur ex fumo, vel adversa valetudine, imò & ex risu intemperato, quo humiditas cerebri incalescit, & per oculos defluit in lachrymulas, quæ à varijs etiam excutiuntur affectibus præsertim ab amore æstuante, desiderio ardente, irâ inflammante, invidiâ corrodente, pudore comprimente, lætitia effusa, & præ cæteris affectibus ab ipsa commiseratione, quæ alienas miserias proprias sibi efficit, nititúrque benefica compassione miseris opitulari.

15. Sed sicut nil lachrymâ tenuius, cùm ex aquea coalescat guttula, ex humore concreto; ita nil citiùs exarescit, nil faciliùs exsiccetur: verùm quandóque est etiam ita violenta, ut in intimos sensus, mentésque permeet; & prædura corda emolliat, quamvis nullis viribus flecti posse viderentur. Quamobrem non est necesse multum laboremus ad commiserationem appositè excitandam. Non desunt, qui omnem dimoveant lapidem, omnémque impendant laborem, quò affectum moveant commiserationis in alienam miseriam, & lachrymas cieant, qui tamen in sua flebili monodia se exhibent potiùs deridendos. Delicatissimus est affectus commiserationis, qui tamen nec violentiâ, & imperio, reprimi possit, nec importunis clamoribus, ac ejulatibus excitari. Non omnes sunt æquè proni ad hunc commiserationis affectum: quibus pinguior fortuna arridet, & felicitas ipsa videtur famulari, hi cùm nihil in rebus humanis fuerint acerbitatis experti, difficiliores sunt ad hunc commiserationis affectum: cùm enim secundissimos semper tenuerint cursus, ac ridentem fuerint fortunam jugiter experti, nihil ad se lachrymas pertinere putent: sed perpetuæ cujusdam securitatis spe fulti aliorum negligunt miserias, & nil duriùs eorum pulsat aures, quàm si audiant abstergendos esse alienos mœrores, & indigentibus opitulandum.

Qui etiam ad extremum devenêre calamitatum, difficiliores sunt ad commiserandum, quia neque timendi, neque sperandi ullam ampliùs enanciscuntur occasionem, ac proinde miseriarum diuturnitate pressi, ac veluti hebetati ad flebiles motus obstupescunt. Viri etiam feceti, veteratores, derisores, conviciatores, seriùs flectuntur in commiserationem, eò quia assueverint alienas miserias convicijs potiùs pungere, quàm beneficijs expungere. Secus viri probi culturæ virtutum, & præsertim pietatis addicti ad hunc commiserationis effectum habentur procliviores, quasi cereæ sint jisdem animæ, ad quosque miserationum motus flexiles. Qui ærumnis fuêre obnoxij, & gravia passi, cæterorum miserijs promptiùs commoventur: excitatur enim prioris mœroris, ac infortunij imago, quæ intimis implicita sensibus affectum miserationis in aliorum casibus ex fortunæ similitudine promptiùs exsuscitat. Imbecilles itidem, & cæteris timidiores, ut etiam senes, pueri, fœminæ, ærumnosi, metientes alios ex proprio statu faciliores sunt ad alios benefica miseratione sublevandos, eò quia timeant, ne quid sibi obtingat miseriarum. 16.

Cæterum plura sunt, quæ ad hunc miserationis affectum concitandum plurimum habent roboris, ut paupertas alimenti indiga, senectus viribus destituta, morbi curatu difficiliores, supplicia consuetis atrociora, corporis deformitas, membrorum debilitatio, mentis abalienatio, & pleraque alia id genus, quæ in animos, & corpora cadere consueverunt, quæ sua etiam subeunt incrementa ab ipsa persona, si innocens sit, ac misera, si nobilis, vel optimarum artium exculta disciplinis, si affabilitate sermonis, oris venustate, morum candore, corporis specie, 17.

&

& cæteris ſit inſtructa ornamentis, quibus ſolent homines commendari. Et hi promptiùs ad commiſerationem movent, ſi ab indigniſſimis hominibus, & ijs præſertim, quos beneficijs ſibi devinxerant, præter communem expectationem, illata ſit injuria, tunc enim ſicut indignatio excitatur in contumeliam inferentes; ita & miſeratio in patientes injuriam.

18. Plurimum itidem adfert adminiculi loci circumſtantia, ſi miſer eos ſortiatur ſuarũ miſeriarũ ſpectatores, quos nollet: vel etiam ſi in loco, qui minimè eum deceat cruciatuum patiatur acerbitatem. Ætas etiam non modicas vires obtinet ad affectum ciendum commiſerationis, ut ſi puer unica familiæ ſpes veluti tenerrimus floſculus in ipſo ætatis limine decoctus fuerit à gelidæ mortis pruina. Quòd ſi ad majores inceperit ſpes adoleſcere, ad majorem movet commiſerationem. Sunt etiam pleraque alia adminicula miſerationi excitandæ perapta, ut ſi perpendatur finis, ob quem quis miſerias patitur, vel modus, quo cruciatibus torquetur. Cæterum expeditiùs excitatur miſeratio, cum miſeri noſtros obverſantur ob oculos, & ea doloris ſigna edunt, quæ in hiſce an guſtijs elicere natura conſuevit. Quòd ſi miſer non adſit, qui inflicta ſibi vulnera, vel miſerias, quibus premitur, per ſe ipſum oſtendat, per hypothipoſin exhibendæ ſunt ærumnæ ſingulæ oculis adſtantium: quò enim miſer ſuas etiam deflet ærumnas, quibus premitur; & depromit dolores, quibus torquetur, alienam faciliùs commiſerationem excitat; quam qui vel ſua jactat, vel miſer non vult haberi; ut ille, qui cum cæderetur virgis in medio Meſſanæ foro; cùm nullus gemitus, nulla vox hujus miſeri inter dolorem, & crepitum plagarum audiretur, niſi hæc: *civis Romanus ſum*, jactabat patriam, licèt patrata delicta eum ſuitibus ſubjecerint.

19. Efficaciſſima movendæ commiſerationis ratio habetur per repræſentationem imaginis rerum abſentium; ſi tamen opportunè, & prudenter, & non frigidè, ac effectatè id fiat. Teſtes ſunt Druſi imago, & Cæſaris lacera toga, quæ plurimas excitavit Romæ tragœdias. Apud Sophoclem Electra tenens, ut arbitrabatur in vaſculo fratris Oreſtis cineres flebiliter lamentatur, & affectum excitat commiſerationis, præſertim quia vaſculum intuens in lachrymas liqueſcit, exclamat ipſa apud Sophoclem. O monumentum hominis omnium longè mihi chariſſimi! O dulces fraternæ animæ reliquiæ! qualem te mihi Oreſtes accipio? quantum ab illo mutatum, quem ex paternis ædibus florentem dimiſeram; nunc te infelix iſtis porto manibus cinerem, fabulam, nihil. Utinam potiùs in patrijs ædibus vita fuiſſes defunctus, quàm iſta te infelici pietate, me, & te his funeribus ſervâſſem. Occidiſſes nondum tot miſeriarum conſcius, & te innocentiſſimum animum paterni Manes, ac cineres comites accepiſſent, nunc jaces in aliena terra poſt mortem etiam exul, & fugitivus, tam longè à tua ſorore, quæ miſera, nec morientis ſpiritum accepit, nec mortui cadaver lavit, nec dilectis manibus inferias tulit; ſed te peregrini tumultuario ſepulchro, & tranſlatitia humanitate condiderunt. O ſpes inanes, ô infelicem educationem meam! quid profuit mihi infantiæ tuæ, & matris, & gerrulæ vices reddidiſſe, tibi cibos meo ore manſos in os ingeſſiſſe, tecum luſiſſe, & tibi tenellis luſibus fatigato amanter accubuiſſe? heu! quot delicias unâ mihi dies inſtar infeſti turbinis abſtulit; tecum enim omnia vitæ ſolatia perierunt, tecum in eodem ſepulchro jacent concluſa, atque compoſita. Quid enim aliud ſperem, quàm ſceleratæ matris cultro victimario interfici: ego cruentis doloribus confecta ſum; tu quaſi ſomnium evanuiſti; & tot ſpes irritæ ceciderunt; nunc in noſtris funeribus tripudiant inimici. Deinde promittebas in dies te paternarum, & mearum injuriarum ultorem affuturum: hiccine eſt Oreſtes, quem pollicebaris! umbra, & is, qui tribus digitis portatur cinis. Heu te miſerum! heu me infelicem! ò corpus miſerabile! ò frater; quam infauſto hinc itinere ablegatus es! ò frater amantiſſimè, ut te perdidiſti? amantiſſime frater! ut me perdidiſti? actum eſt; ſuſcipe me tecum in idem vaſculum. Quid enim aliud ſum, quàm umbra, & cinis? noli ſororem in morte ſpernere, quàm tam piè in vita coluiſti. Tecum mihi una ſors, unus animus, unâ omnia ſemper extiterunt, & nunc unà amborum cineres miſceantur, nec ulla nos temporum injuria divellat. Hactenus Electra apud Cauſſinũ Oreſtis illachrymans præmaturæ neci, ſimulque affectum ciens commiſerationis; ſiquidem miſerabile eſt intueri regiam illam virginem, vaſculum, quo fratris cineres exiſtimabat contineri, frequenter exoſculantem, ſuiſque lachrymis perſundentem, quibus & ipſa madebat.

Id compaſſionis proprium, quæ cum in corde naſcatur, foras illicò ſe prodit, prælucet in oculis, & alienis illachrymatur miſerijs, quas detergat, & tot patitur ſupplicia, quot proximus, cujus miſeretur, damna experitur. Regulus ille evangelicus, cùm exegiſſet à ſuis famulis rationes, à ſervo decem millium talentorum debitore rogatus patientiam per aliquid temporis exercere; benefica commotus compaſſione, quia videret famulum ære alieno pergravatum, totum ei remiſit debitum. Egreſſus mox ſervus ille alium invenit de ſuis conſervis, à quo centum denarios ſibi debitos expoſcebat, & quia paratam illicò non exhibuit pecuniam, injectis ad collum manibus ſuffoca- 20.

 bat,

quibus mœrores, si non abstergerentur, saltem linirentur: dum enim natura lachrymas profundit, evaporat affectus, & insiti doloris particula in alienum pectus derivatur.

§. II.

Affectus compassionis fons est, à quo scaturiunt rivuli lacrymarum, quibus contracta noxarum sordes purgantur, & cordis nostri sterilescens tellus irrigatur in flores virtutum.

13. Duo sunt genera lachrymarum, quas D. Gregorius in sacris litteris ait, esse indicatas, ut ipse loquitur *per irriguum superius, & inferius*, & vult ex irriguo superiori lachrymas fluere defœcatas à terrestri affectu, proinde puras, cœlestes, liquidas, quarum fons pellucidus & inexhaustus sit Dei amor; sive ob noxarum detestationem, verámque resipiscentiam; sive ob Christi desiderium, ac dilectionis ardorem, sive ob commiserationem patientis in cruce Christi profluant: & hæ illæ sunt lachrymæ, quas D. Basilius in sermone de Magdalenæ lachrymis, vocat *cæli margaritas*, & non immeritò pretiosi dicuntur uniones, cùm hominem suis noxis illachrymantem Deo uniant: hæ lachrymæ sunt, quas D. Bernardus vocat *vinum Angelorum*, quo qui madent, divino inebriantur amore: sine quo has lachrymas exigere perinde foret, ac latices è pumice postulare.

Lib. 3. Dialog. cap. 34.

In Cant.

14. Aliæ enim sunt lachrymæ prorsus naturales, quæ ex causis duntaxat humanis, iisque naturalibus profluunt, est siquidem lachryma humor ex calefactione humidi, ac tenelli cerebri distillans per oculos, quæ tamen calefactio si vehementior fuerit, ita cerebrum exsiccat, ut ciendis lachrymis sit impedimento, idque causæ, cur ad iracundiam proniores, difficiliores sint ad lachrymas fundendas, fletúsque edendos. Imò alios etiam ingens animi mœror, ac stupor ita confundit, vímque comprimit caloris, ut vel rarus, vel nullus sit lachrymis locus: cùm è converso ubi cerebrum modicè dumtaxat calesit, faciliùs humidum colliquescat in lachrymas, quæ interdum etiam eliciuntur ex fumo, vel adversa valetudine, imò & ex risu intemperato, quo humiditas cerebri incalescit, & per oculos defluit in lachrymulas, quæ à variis etiam excutiuntur affectibus præsertim ab amore æstuante, desiderio ardente, irâ inflammante, invidiâ corrodente, pudore comprimente, lætitia effusa, & præ cæteris affectibus ab ipsa commiseratione, quæ alienas miserias proprias sibi efficit, nititúrque benefica compassione miseris opitulari.

15. Sed sicut nil lachrymâ tenuius, cùm ex aquea coalescat guttula, ex humore concreto; ita nil citiùs exarescit, nil faciliùs exsiccatur: verùm quandóque est etiam ita violenta, ut in intimos sensus, mentésque permeet; & prædura corda emolliat, quamvis nullis viribus flecti posse videantur. Quamobrem non est necesse multum laboremus ad commiserationem appositè excitandam. Non desunt, qui omnem dimoveant lapidem, omnémque impendant laborem, quò affectum moveant commiserationis in alienam miseriam, & lachrymas cieant, qui tamen in sua flebili monodia se exhibent potiùs deridendos. Delicatissimus est affectus commiserationis, qui tamen nec violentiâ, & imperio, reprimi possit, nec importunis clamoribus, ac ejulatibus excitari. Non omnes sunt æquè proni ad hunc commiserationis affectum: quibus pinguior fortuna arridet, & felicitas ipsa videtur famulari, hi cùm nihil in rebus humanis fuerint acerbitatis experti, difficiliores sunt ad hunc commiserationis affectum: cùm enim secundissimos semper tenuerint cursus, acridentem fuerint fortunam jugiter experti, nihil ad se lachrymas pertinere putant: sed perpetuæ cujusdam securitatis spe fulti aliorum negligunt miserias, & nil duriùs eorum pulsat aures, quàm si audiant abstergendos esse alienos mœrores, & indigentibus opitulandum.

16. Qui etiam ad extremum devenère calamitatum, difficiliores sunt ad commiserandum, quia neque timendi, neque sperandi ullam ampliùs enanciscuntur occasionem, ac proinde miseriarum diuturnitate pressi, ac veluti hebetati ad flebiles motus obstupescunt. Viri etiam faceti, veteratores, derisores, conviciatores, rariùs flectuntur in commiserationem, eò quia assueverint alienas miserias conviciis potiùs pungere, quàm beneficiis expungere. Secus viri probi culturæ virtutum, & præsertim pietatis addicti ad hunc commiserationis affectum habentur procliviores, quasi cereæ sint iisdem animæ, ad quosque miserationum motus flexiles. Qui ærumnis fuêre obnoxii, & gravia passi, cæterorum miseriis promptiùs commoventur: excitatur enim prioris mœroris, ac infortunii imago, quæ intimis implicita sensibus affectum miserationis in aliorum casibus ex fortunæ similitudine promptiùs exsuscitat. Imbecilles itidem, & cæteris timidiores, ut etiam senes, pueri, fœminæ, ærumnosi, metientes alios ex proprio statu faciliores sunt ad alios benefica miseratione sublevandos, eò quia timeant, ne quid sibi obtingat miseriarum.

17. Cæterum plura sunt, quæ ad hunc miserationis affectum concitandum plurimum habent roboris, ut paupertas alimenti indiga, senectus viribus destituta, morbi curatu difficiliores, supplicia consuetis atrociora, corporis deformitas, membrorum debilitatio, mentis abalienatio, & pleraque alia id genus, quæ in animos, & corpora cadere consueverunt, quæ sua etiam subeunt incrementa ab ipsa persona, si innocens sit, ac misera, si nobilis, vel optimarum artium exculta disciplinis, si affabilitate sermonis, oris venustate, morum candore, corporis specie, &

& cæteris sit instucta ornamentis, quibus solent homines commendari. Et hi promptiùs ad commiserationem movent, si ab indignissimis hominibus, & ijs præsertim, quos beneficijs sibi devinxerant, præter communem expectationem, illata sit injuria, tunc enim sicut indignatio excitatur in contumeliam inferentes; ita & miseratio in patientes injuriam.

18. Plurimum itidem adfert adminiculi loci circumstantia, si miser eos sortiatur suarū miseriarū spectatores, quos nollet: vel etiam si in loco, qui minimè eum deceat cruciatuum patiatur acerbitatem. Ætas etiam non modicas vires obtinet ad affectum ciendum commiserationis, ut si puer unica familiæ spes veluti tenerrimus flosculus in ipso ætatis limine decoctus fuerit à gelidæ mortis pruina. Quòd si ad majores inceperit spes adolescere, ad majorem movet commiserationem. Sunt etiam pleraque alia adminicula miserationi excitandæ perapta, ut si perpendatur finis, ob quem quis miserias patitur, vel modus, quo cruciatibus torquetur. Cæterum expeditiùs excitatur miseratio, cum miseri nostros obversantur ob oculos, & ea doloris signa edunt, quæ in hisce angustijs elicere natura consuevit. Quòd si miser non adsit, qui inflicta sibi vulnera, vel miserias, quibus premitur, per se ipsum ostendat, per hypothiposin exhibendæ sunt ærumnæ singulæ oculis adstantium: quò enim miser suas etiam defles ærumnas, quibus premitur; & depromit dolores, quibus torquetur, alienam faciliùs commiserationem excitat; quam qui vel sua jactat, vel miser non vult haberi; ut ille, qui cum cæderetur virgis in medio Messanæ foro; cùm nullus gemitus, nulla vox hujus miseri inter dolorem, & crepitum plagarum audiretur, nisi hæc: *civis Romanus sum*, jactabat patriam, licèt patrata delicta eum fustibus subjecerint.

19. Efficacissima movendæ commiserationis ratio habetur per repræsentationem imaginis rerum absentium; si tamen opportunè, & prudenter, & non frigidè, ac effectatè id fiat. Testes sunt Drusi imago, & Cæsaris lacera toga, quæ plurimas excitavit Romæ tragœdias. Apud Sophoclem Electra tenens, ut arbitrabatur in vasculo fratris Orestis cineres flebiliter lamentatur, & affectum excitat commiserationis, præsertim quia vasculum intuens in lachrymas liquescit, exclamat ipsa apud Sophoclem. O monumentum hominis omnium longè mihi charissimi! O dulces fraternæ animæ reliquiæ! qualem te mihi Orestes accipio? quantum ab illo mutatum, quem ex paternis ædibus florentem dimiseram; nunc te infelix istis porto manibus cinerem, fabulam, nihil. Utinam potiùs in patrijs ædibus vita fuisses defunctus, quàm ista te infelici pietate, me, & te his funeribus servâssem. Occidisses nondum tot miseriarum conscius, & te innocentissimam animam paterni Manes, ac cineres comites accepissent, nunc jaces in aliena terra post mortem etiam exul, & fugitivus, tam longè à tua sorore, quæ misera, nec morientis spiritum accepit, nec mortui cadaver lavit, nec dilectis manibus inferias tulit; sed te peregrini tumultuario sepulchro, & translatitia humanitate condiderunt. O spes inanes, ô infelicem educationem meam! quid profuit mihi infantiæ tuæ, & matris, & gerrulæ vices reddidisse, tibi cibos meo ore mansos in os ingessisse, tecum lusisse, & tibi tenellis lusibus fatigato amanter accubuisse? heu! quot delicias unâ mihi dies instar infesti turbinis abstulit; tecum enim omnia vitæ solatia perierunt, tecum in eodem sepulchro jacent conclusa, atque composita. Quid enim aliud sperem, quàm sceleratæ matris cultro victimario interfici: ego cruentis doloribus confecta sum; tu quasi somnium evanuisti; & tot spes irritæ ceciderunt; nunc in nostris funeribus tripudiant inimici. Deinde promittebas in dies te paternarum, & mearum injuriarum ultorem affuturum: hiccine est Orestes, quem pollicebaris! umbra, & is, qui tribus digitis portatur cinis. Heu te miserum! heu me infelicem! ò corpus miserabile! ò frater; quam infausto hinc itinere ablegatus es! ò frater amantissimè, ut te perdidisti! amantissime frater! ut me perdidisti? actum est; suscipe me tecum in idem vasculum. Quid enim aliud sum, quàm umbra, & cinis? noli sororem in morte spernere, quàm tam piè in vita coluisti. Tecum mihi una sors, unus animus, unà omnia semper exstiterunt, & nunc unà amborum cineres misceantur, nec ulla nos temporum injuria divellat. Hactenus Electra apud Caussinū Orestis illachrymans præmaturæ neci, simulque affectum ciens commiserationis: siquidem miserabile est intueri regiam illam virginem, vasculum, quo fratris cineres existimabat contineri, frequenter exosculantem, suisque lachrymis perfundentem, quibus & ipsa madebat.

Id compassionis proprium, quæ cum in corde nascatur, foras illicò se prodit, prælucet in oculis, & alienis illachrymatur miserijs, quas detergat, & tot patitur supplicia, quot proximus, cujus miseretur, damna experitur. Regulus ille evangelicus, cùm exegisset à suis famulis rationes; à servo decem millium talentorum debitore rogatus patientiam per aliquid temporis exercere; benefica commotus compassione, quia videret famulum ære alieno pergravatum, totum ei remisit debitum. Egressus mox servus ille alium invenit de suis conservis, à quo centum denarios sibi debitos exposcebat, & quia paratam illicò non exhibuit pecuniam, injectis ad collum manibus suffoca- 20.

bat, eum dicens: *Redde, quod debes, & procidens conservus ejus, rogabat, eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*, sed patientiæ nescius in tenebricosum eum detrusit carcerem, donec debitum redderet, idque cum delatum fuisset, ac renuntiatum Domino, accersitum ad se famulum, cui debitum remiserat decem millium talentorum, gravissimè coarguit, eò quia miserationem non exercuisset in conservum, à quo centum denarios tam

Matth. 17. v. 32. rigidè exigeret. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me: nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? & iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus quoad usque redderet universum debitum, sic & pater meus cœlestis faciet vobis.*

21. Rex cœlestis nostra dimittit debita peccatorum, quæ debuissemus, si non in ære, saltem in pelle luerere, & tamen cùm ipse solvere pro nobis voluerit, & pretio sui sanguinis divinæ satisfacere justitiæ, & nostra extinguere debita propemodum innumera, adhuc tamen immisericordes sumus, nec minimam volumus injuriam nobis illatam condonare, nec ullum debitum; ideóque gravissimè punimur, quia commiserationis obliti, & in carcerem detrudimur gehennalem: quò inde discamus, quàm sit Deo exosus homo compassionis expers: ap-

Homil. 3. ad popul. Antioch. positè D. Chrysostomus. *Peccata nostra sic graviora faciemus omni nos excusatione privantes; acerbè enim aliena exquirens in suis excessibus nullam veniam nanciscitur. Non enim tantùm quale fuit peccatum, tale illic futurum apparebit, sed quandam magnam, & inevitabilem additionem à judicio in conservum facto accipiet. Sicut enim humanus, & mitis, & clemens majorem peccatorum gravitatem succidet; ita acerbus, crudelis, & implacabilis, magnum proprijs pondus peccatis apponet.* Alienam, qui fuit miserationem expertus, nisi eandem ipse exerceat in miseros, propria incrementat scelera; & gravissimè punitur, qui alienæ non opitulatur indigentiæ, nec aliorum condolet calamitatibus.

22. Servus, cui Dominus totum dimiserat debitum durè immisericors, dum suum debitum sibi reddi, tam districtè exigit, scelus auget suum, ac supplicijs propterea meretur atrocioribus torqueri, ut liquet ex evangelica parabola: cùm enim servus ex Domini benefica commiseratione, inopinatam totius debiti remissionem etiam non petitam susceperit, quia postea immisericors ipse conservo fuit, nec ullo condolentiæ sensu permotus totum voluit debitum exigere, nec ullam exercere patientiam; quasi inde creverit furti scelus, debitum jam solutum iterum contrahit: quia eandem commiserationem, quam in ipsum Dominus exercuerat, noluit in conservum ipse exercere, quia compassione vacuus sui etiam sceleris excusatione viduatur, & inevitabilem additionem præcedenti accumulat debito, non quòd Deus à remisso, & condonato semel peccato etiam quoad reatum pœnæ supplicia iterum exigat; sed quia immisericordia adeò grave est delictum, ut acerbissimos secum cruciatus trahat; præsertim si qui commiserationem est expertus, omnem sensum à se excutit condolentiæ de aliena calamitate. Vera enim compassio est alieni doloris lenimentum, & grande in afflictis solatium; amico enim in ærumnis compati, ac collachrymari exiguum non est doloris solatium, & afflictionis levamentum: siquidem à natura id nobis inditum, ut velimus amari, & quia compassio amoris est testimonium, ac pietatis indicium, lenit procul dubio doloris asperitatem, & veluti solaris radius mœroris discutit caligines; ac animi serenat perturbationem præsertim si injustè afflictus, ac invidentiæ jactatus malignitate, non solùm à compassione solamen mutuetur injuriæ, verum & in- innocentiæ argumentum.

Hinc Socrates ad turpem damnatus 23.
necem ob fœdissima crimina, quæ ab invidentia putabantur conficta in tetro detentus carcere, plurimum hausit solatij à nonnullis ex suis clientibus, & amicis, qui commiseratione commoti, acerbæ ejus illachrymabantur sorti, eorum enim lachrymis acerbitas liniebatur doloris, & afflictio detumescebat patientis. Ob eandem causam Jonatas cùm primùm vidit Davidem ex invidorum malignitate expulsum è patria, & extorrem pervagantem, imò & injuria ad mortem damnatum, commiseratione tactus laxè flevit, & amico solatium attulit. Flevisse enim Jonatam, quo solatium adferret Davidi exulanti, testatur Abulensis, inquiens: *Flebat amici recessum:* Quæst. 35. in Lib. 1. Reg.
Jonatas debuit habere locum consolantis: suppetias à commiseratione expostulavit Jonatas, cùm non ignorâsset, amicorum commiserationem magnum afflictis adferre solatium; quapropter ajebat Apostolus, benefica commiseratione alienas miserias suas faciens. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* quæ verba expendens Hugo de S. Victore ait: *Ex insito sibi pietatis affectu animus alienis ærumnis condolet, cùm scilicet, vel justitiam premi, vel innocentiam affligi videmus.* Quid ni cùm videret Apostolus Christianorum premi innocentiam, & justos affligi; compassionis affectu in eos movebatur, quo alienam infirmitatem proprio dolore exueteret, *quis infirmatur, & ego non infirmor?* affectus enim compassionis alexipharmacum erat præsentissimum alienæ ægritudini curandæ: quapropter Jonatas cum Davidis deploraret afflictionem, non solùm excitata commiseratione ejus tuebatur innocentiam, verùm & dolorem leniebat patientis.

2. ad Corinth. cap. 11. v. 29.

§ III.

§. III.

Quemadmodum commiseratio, si à vera enascatur charitate, virtutis inducit honestamenta; ita vitij contrahit deliramenta, si ab honestatis exorbitet decora.

24. Commendabilis est proximorum commiseratio, si à charitate exoriatur, alioquin si à virtute exorbitet, vitium & ipsa contrahit; sicut enim honestum est miseris opitulari, & alienæ succurrere calamitati, proximique lachrymas siccare, mœrores abigere, anxietates levare, miserias exentere; ita non caret vitio, si proprijs piaculis alieno medeatur quis dolori: à virtutis enim recto tramite deviare; ut alienæ quis opituletur miseriæ, succurrat indigentiæ, subveniat necessitati, non commiseratio hæc est, sed fucata compassio, cui si larvam detrahas, vitium esse deprehendes, quæ enim extimo cortice commiserationis præseferebat speciem, in argumentum transit imprudentiæ. Plerumque virtutis fuco vitium tegitur, ne ejus turpitudo exterreat; & proprio scelere plerumque alienæ succorritur miseriæ. *Triplex enim est communis passionis modus* (ait Hugo de S. Victore.) *Est quippe compassio alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute, compassio ex vitio est, quando affectu illicito ex reprehensibili dolore quis tangitur, ubi illicito priùs amore tenebatur. Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur.* Miserorum indigentijs opitulari propter Deum, & alienis compati doloribus christianæ charitatis est argumentum: vitio autem coinquinari ad alienas levandas ærumnas delitantis mentis est indicium: ita condolendum est miseris, ut à virtutis semita nullatenus declinemus.

In alleg. XII. com. in cap. 2. epist. 2. ad Corinth.

25. Sunt, qui juramento falsa testantur, mendacia mendacijs nectunt, ut alienos abigant mœrores, & miserias excutiant, sed hi se ipsos coinquinant, cum alios nituntur purgare, & in se ditè læviunt, cùm in alios adniuntur commiserationem exercere, & proprio dolore alienis mederi miserijs. Non est id compassione prometeri, sed commiseratione delinquere: sordescunt ipsi maculis piaculorum infecti, ne contristentur alij afflictione pressi. Vera commiseratio ita alienis succurrit necessitatibus, & miserijs opitulatur, ut à studio nunquam vacet virtutis, & ita alienas infirmitates contrahit, ut sanctitatem non lædat, quapropter D. Paulus ait: *Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quòd si quæras, quænam sit hæc crux, cui Apostolus se affixum fatetur. Non credas, hanc crucem aliam fuisse, quàm ipsam charitatem placidè peracerbam, & voluntariè crucifigentem: vel ut placet Anonymo. *Hæc crux virtus est compassionis, quæ crucis præsefert figuram. Huic affixus Apostolus erat, cùm diceret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* acerba est crux compassio, quæ tot clavis compatientem, & commiserantem transfigit, & sauciat, quot miserijs proximus angitur; alienas miserias, suas compassio facit, & alieno dolore torquetur: compatiens Apostolus ideò Christo confixus fuerat cruci, quia patienti Domino ipse compatiebatur, imò dum commiserans alienæ infirmitatis infirmatur, propriæ consulit sanitati, ac saluti.

Galat. 2. v. 19.

Homil. 7. cap. 1.

Sicut cruce mortem Christus devicit, & hostes profligavit tartareos, ita compassio, quæ figura est crucis, cui affixus erat Paulus, salutem promovet compatientis, & de prostratis vitijs triumphos cudit. Quotquot hac pulsantur commiseratione cum D. Paulo cruces, supplicia, flammas, lætantes adeunt; testes sunt laureatæ Martyrum catervæ, quibus substrati carbones, vernantes videbantur rosæ; ignes accensi auræ blandè spirantes: barbaries eorum latera cædebat, & profundos in eis sulcos exarabat, sed in exculta proprij corporis tellure germina serebant inconcussæ fortitudinis, quę sanguineo rigata imbre in triūphales excrescebant lauros, palmásque victrices: cum præcipites è præcelsis rupibus deorsum agerentur, veluti in cœlum ascendentes in ipso descensu lætitiâ afficiebantur, ac si purpuratam vitam in morte sanguine asperfam invenirent; si in mare demergerentur, veluti in sacra pompa, quasi choreas ducerent interno gaudio affecti exilientes, & exultantes lætabantur, & ita cruciatus arripiebant, perinde ac si vernos flores amplecterentur, quibus coronas sibi contexerent. 26.

Non enim commiseratio patitur in cordis coarctari angustijs, sed per oculos, & vultum etiam se prodit, & in alienas miserias diffunditur: oculus enim miserentis solatium est dolentis. Nabuchodonosor truci ingenio turbulentus ad cruentas clades, sævásque strages Holophernem militiæ Assyriæ Strategum obarmavit, eique injunxit, ut egrederetur adversus omne Regnum Occidentis, & eos præcipuè, qui Nabuchodonosorem contemptui habuere. *Non parcet oculus tuus ulli regno, omnémque urbem munitam subjugabis mihi.* Sed si sæviens Princeps omnem inhibet cordis commiserationem, quomodo eam etiam poterit oculorum cohibere compassionem? cùm visa aliorum calamitas compassionem cieat, foveátque in pectore: Biblia Gothica habent: *Non parcet oculus meus*, nimirum ego absens non parcam, quamvis tu spectatæ oculis calamitati præ compassione peperceris. Pulchrè Raymundus Abbas Celensis septem 27.

Judith. 2. v. 6.

De oculo Myst. c. 12.

septem recensens oculorum proprietates ait: *Oculus in eminentiori loco corporis locatur, pro toto corpore speculator; ea qua sunt ab eo distantia non sibi adhærentia, contemplatur; senescente corpore deficit, & debilitatur; cæteris membris dolentibus tanquam compatiens illachrymatur, pilos habet in palpebris, quorum quantitas non augetur, & magna in eo reputatur macula, quæ in cæteris membris modica censeretur.* In eminentiori corporis parte locatus splendet oculus, veluti præclarior ejus portio, & cum membrum aliquod læsum patitur, oculus condolet, & veluti compatiens, alieno dolori illachrymatur: & sicut nobilior est in corpore pars oculus cæteris membris, ad commiserationem pronior; ita inter homines ij cæteris virtutum culturâ sunt eminentiores, qui proniores sunt ad opitulandum alienis miserijs; hi illustriores, qui in exsiccandis alienis lachrymis, in excutiendis afflictorum mœroribus, ac subveniendis pauperum indigentijs sunt propensiores.

28. Est commiseratio veluti spongia, quæ alienas ebibit lachrymas, quas in lugentibus abstergit; alienas ad se trahit infirmitates, ut alij serventur incolumes; unde Apostolus scribit. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* quasi diceret Apostolus, quis miserijs, & angustijs premitur, & ego non angor? quis dolet, & ego non affligor? quis mœrore configitur, & ego dolore non transfigor? quis scandalum patitur, & ego non incendor: quis ægritudine absumitur, & ego non destruor? quia nimirum alienam infirmitatem sibi arrogat, quò miseris uberiùs opituletur; ignescit, fitque flammeus, si quis scandalum patitur, ut quantocyùs illud tollat; infirmatur, si quis malè se habeat, quo alienam [illegible]itudinem dispellat; appositè D. Chrysost[illegible]us expendens verba Apostoli; sic fatur: *Quis infirmatur.* nimirum. *Hoc erat, quod tribulabat ipsum, & angebat, & sauciabat ejus mentem, quad in singulis infirmus hac pateretur, quicunque illi essent. Non enim de majoribus quidem dicebat, minores autem despiciebat; sed etiam abjectum inter necessarios ponebat. Idem dicebat, quis infirmatur? quisquis ille fuerit.* Hoc est, quisquis fuerit sive pauper, & pannosus; sive dives, & nobilis; sive ab omnibus contemptus; sive dignitate insignitus; Apostolus enim, cujuscunque infirmitate per condolentiam infirmabatur, cujuscunque miserijs angebatur: *quis infirmatur,* ajebat, *& ego non infirmor*, in se enim alienæ infirmitatis damna trahebat, & alieno veluti lachrymarum udore madebat, quò exucos redderet, & siccos lugentium oculos: & erat Apostoli compassio veluti magnes, cùm alienas ad se infirmitates, ac

2. ad Corin. cap. 11.

Homil. 20.

passiones traheret; ut alios ab ægritudine, & passione liberaret.

Quòd si amor magnes esse dicitur amoris; compassio alienæ passionis est magnes, ut & condolentia alieni doloris; trahit enim compassio ad se alienas miserias, quas suas facit, ne alij miseri sint, gaudétque premi; imò dixerim, & ditescere alienis miserijs: compassio siquidem cujusvis proximi indolentiam mercatur, & alienis miserijs divitias congerit, quibus regnum ipsum cœleste sibi coëmit, est siquidem compassio alienæ miseriæ bibula, species quædam martyrij, quo miserentes alienæ infirmitatis, & condolentes aliorum miserijs coronam sibi cudunt. Scitè D. Bernardus ait: *Triplex est genus martyrij, unum in sanguinis effusione, alterum in carnis maceratione, tertium in proximi compassione.* O quàm ingeniosa est compassio, quæ in charitatis officina martyrij cudit diademata; quod enim in patiente est miseria, tribulatio, dolor, id in compatiente martyrium esse dixeris: sibi purpura texit compassio, cùm pauperis nuditatem cooperit; gemmulas propriæ addit coronæ, cùm ab oculis lugentium lachrymas suffuratur; & proprias incrementat divitias, cùm egenis, proprias, quas possidet, distribuit. 29.

In. sent.

30. Verùm ad limam Stoicorum expolienda est compassio, quò germanæ commiserationis decorem induat, & notam exuat ingenerosæ compassionis, quia ut ait Seneca. *Est vitium pusilli animi ad speciem alienorum malarum succidentis; itáque pessimo cuique familiarissima est; anus, & mulierculæ sunt, quæ lachrymis nocentissimorum moventur, quæ, si liceret, carcerem effringerent.* Siquidem hæc inconsulta commiseratio non virtutis est filia, sed fortunæ pedissequa; plerumque alienis compatimur miserijs, non ut miseris opitulemur; & tunc alienæ ærumnæ in nostrum vergunt detrimentum. Talis fuit commiseratio Sedeciæ flentis proprios filios à satellitibus coram se trucidatos. Interempto Joakimo à Chaldæis, ejúsque filio Jechonia; Sedecias ejus frater à Nabuchodonosore regnum patrium accepit; adactus tamen priùs in clientelare sacramentum, tributúmque quot annis solvendum, vocato etiam in testem Numine, se Babyloniorum stipendiarium effecit. Is annum agebat ætatis vigesimum primum, cùm cœpit sceptrum Regni tractare, sed simul etiam luxuriare potentiâ, & res sacras, Deique cultum contemnere non erubescens Jeremiæ Prophetæ saluberrimè monentis faciem; & plures alios Dei nuntios extrema minitantes flocci fecit. Integro septennio Nabuchodonosoris cliens, ac vectigalis fuit, cùm præmunita jam urbe jugum Babylonium excutere cœpit, ac ad libertatem aspirare, & ex clandestinis simultatibus tandem in apertam se rebellionem

De clement. Lib. 2. cap. 6.

con-

conjecit; fœdere se obstrinxit Ægyptijs contra Babylonios jam communes hostes, aliósque finitimos accersivit populos, quos contra Babylonios obarmavit, ac militiæ sacramento sibi addixit. Sed cùm primùm defectio Sedeciæ Nabuchodonosori innotuit, instructis, eâ, quâ potuit majori celeritate copijs, in Judæam armatas duxit phalanges, & Jerosolymam acerrima obsidione vallavit, clausítque, ne quidquam intus obsonij ingrederetur. Accendit obsessorum animos salutis desperatio, implacabilis Regis sævitia, & Ægyptiaci subsidij spes, quæ vana non fuit, nec exaruit.

31. Pharao enim Ægyptiorum Rex suo cum exercitu in auxilium veniens Sedeciæ, adegit Nabuchodonosorem obsidionem urbis laxare, sed fractus Pharao, cæsúsque in campestri conflictu à Babylonijs, ac Chaldæis arctiore hi Jerosolymam clauserunt obsidione, & quamvis Jeremias etiam lachrymis madidus à Deo monitus urbis deditionem suaderet, ea conditione ne quidquam detrimenti inferretur rebus sacris, & civibus; adhuc Sedecias monitionem respuit Prophetæ, quem & conjecit in vincula. Cúmque ferè biennio stetisset obsidio, & durissima jam fames urbem premeret, populum urgeret, & ex fame pestis grassaretur, & è peste cadaverum copia passim plateas occuparet, & ex cadaverum multitudine sepulturæ haberetur neglectus; omnia in luctu, & squalore jacebant, & famelicæ belluæ, rabidíque canes æquè funeratos, ac semivivos dilacerabant, nec quidquam aliud in obsessa civitate aderat, nisi pavor, & pallor; nec nisi lamenta, clamores, & querelæ audiebantur.

32. Sedecias ad extrema adactus miseriarum urbem deseruit, quam ultra tenere non potuit, & beneficio noctis per regios hortos mœnibus urbis attiguos dilabitur cum aliquot armatis militibus, sed cùm fugientes sensissent vigiles excubiæ Chaldæos monuêre, qui insecuti fuerunt Sedeciam: ibat Rex, fugiens unà cum agmine miserabili totius regiæ familiæ, paucísque militibus cinctus per avias solitudines, sed instlientes Chaldæi cæsis militibus, Sedeciam cum suis capiunt, & Jerosolymam; cui post decimum nonum oppugnationis mensem luctuosissimus illuxit dies, quo se obsidientibus deditione tradidit; qui victoriâ insolescentes nulla servata lege, factâ in urbem irruptione, domus, officinas expilârunt; miscentes sacra profanis; cesserunt enim omnia victoris furori, rapinis, contumelijs, ac libidini, ubique cædes, & prædæ; ubique luctus, & fusio lachrymarum, & sanguinis: ex populo enim nongenta millia fuerunt trucidata, & captivorum innumera propemodum multitudo ducta fuit in Chaldæam, & inter hos etiam Josedecus tunc Pontifex: Arcam verò, & tabernaculum, ut & altare incensi cum igne perpetuo, cum secum asportare non potuisset, Chaldæi in subterraneo loco abscondêre Jeremiæ potissimum hortatu. In expilatione, ac vastatione urbis mensem insumpserunt Chaldæi integrum, cùm diripientium manus copiæ, ac multitudini non sufficerent prædarum.

33. Sedecias interim cum filijs adductus fuit ad Nabuchodonosorem tunc Rabbáthæ urbis peramœnæ, & quatuor dierum itinere Jerosolyma distantis, degentem: stetit vinctus Sedecias coram irato victore, qui exardens libidine vindicandi violatam à Sedecia fidem non contentus usitata feritate, tetra cœpit, & horrenda animo volvere. Mox fremens, ac minaci, & truci vultu vinctum, & victum contuens dixit, húcne reciderunt promissa tua ò fœdifrage, & perduellis? hæcne jurisjurandi fides tua fuit? hæc pactorum tuorum custodia? hæc clientis in dominum suum obsequia: itáne potestatem regiam, quam à me accepisti in suscepti à te beneficij auctorem armâsti, Deo perjure, & hominibus perfide? eris brevi daturus tuæ perfidiæ promeritas pœnas, Deus, quem perjurio læsisti; tradidit te meo furori, ut injuriam sibi illatam, ac fidem mihi violatam vindicarem, quia verò quò pœna est productior, eò cruciatus est dirior, volo sentias te mori, & per moras funera dispensare.

34. Tunc jussit milites, Sedeciæ priùs filios interficere, ne ex impuro sanguine guttula superesset, quæ posset repullulare: obsequentes mandato regio satellites catenatos filios in conspectum adducunt vincti patris sub ejus oculis lachrymabili sorte enecandos; ac in tenella adhuc ætate veluti flores manè vernantes radicitùs extirpandos; videns infelix pater innocentes filios cruenta clade interfici in has commiserationis voces erupisse creditur. Valete mea viscera, abite mea solatia, occumbite meæ deliciæ, meíque liberi quondam florentes, nunc calamitosi; quondam Regis filij, nunc exulis, & capti parentis nati infelices. Vos miseros effecit fortuna, vos in hanc detrusit sors miseriam, ut sanguinem effundatis, sed non ideo ignobiles vos efficiet. Digni procul dubio fuerunt commiseratione Sedeciæ filij, cùm ob solam Patris pervicaciam adacti fuêre præmaturam, ac crudelem subire necem; & pater commiseratione motus in filios, non tamen olli ijsdem solatio fuit, neque hæc compassio lachrymas exsiccavit suæ familiæ, nec ullam præstitit afflictis opem: & quia causam compassionis scelus fecerat Sedeciæ, parum induit virtutis honestamenti.

35. Laudabilior fuit commiseratio Ægypti neci illachrymantis Jacobi Patriarchæ. *Flevítque eum Ægyptus septuaginta diebus.* Genes. 50. v. 3. Potis fuit fletus Ægypti lachrymas exsiccare Jacobææ gentis, cui plurimum intulit solatij planctus totius Ægypti; lenimentum enim fuit doloris, qui minus torsit Jacobi superstites filios, qui expleto planctus tempore patris cadaver in palæstinam detulerunt ad avitum sepulchrum. *Veneruntque ad aream* Genes. 50. v. 3.

Atad, quæ sita est trans Jordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleverunt dies. Non tamen tam diuturnæ lachrymæ laudi dantur, cùm potiùs decus abstergant compassionis. Ambitiosus, ac tumidus potiùs fuit Ægyptiorum planctus, hujus immodicæ compassionis fastus ad lachrymas fundendas per septem dies superstites filios adegit, & veluti continuato luctu castigavit: ut scitè notat Rupertus expendens fletum Ægyptiorum, inquiens: *Porrò quòd flevit eum Ægyptus septuaginta diebus, non imitandum exemplum est eis, qui se peregrinos, & hospites super terram esse profitentur, qui hic manentem non habent civitatem, sed futuram inquirunt. Nam quòd filij quóque Israël Moysem, & Aaron trecenis diebus flevisse dicuntur in scripturis, hoc ex Ægyptiaca consuetudine populo nondum erudito superérat; deinceps quippe melioribus paulatim assuefactus ab illa superstitione descivit, scriptura dicente eccles. 22. v. 11. modicum plora super mortuum sciens, quòd requievit.*

36. Non igitur commendabilis est tam diuturnus luctus, quo mortuis parentamus; Ægyptiaca igitur super mortuis compassio lugubris totos septuaginta dies perseverans superstitionis potiùs redarguitur, quàm commiserationis laude excipiatur: & licèt Hebræorum populus trecenis diebus Moysis, & Aaronis exequias celebraverit, id ruditati hujus populi datum fuit. Joseph enim in Ægypto nonnisi septem dies parentem sibi charissimum luxit; diuturnæ enim lachrymæ compassionem non irrigant, sed mergunt, & spem funestant superstitum. Area verò, in qua fuit Jacobo Patriarchæ parentatum hebraicè, *Atad* dicitur, desumpta nomenclatura à veprium, ac spinarum multitudine. Refert Procopius apud Cornelium, hunc locum non multum à Jerichunto distare, & nunc aliud sortiri nomen, ac dici *Betagla*, seu domum circuli, quia cùm ibi Jacobi superstites eum luxissent, defunctum in modum coronæ circumsteterunt cadaver, ut notat D. Hieronymus; mos enim standi circum cadaver usitatus fuit apud Ethnicos, ut liquet ex Homero, & Virgilio, & tunc defuncto pacem, & quietem apprecabantur, & in modum coronæ circumstabant cadaver, quasi futuram defuncto præsagirent coronam. Vel quia defunctorum exequijs assistentes de mortis memoria faustè sibi diademata augurarentur.

§. IV.

Luctus ex compassione profectus si limites excedat temperantiæ, sítque immodicus, nisi coërceatur sub larva commiserationis vitium fovet, quod lachrymis lactat.

37. Si luctus ex compassione profectus immodicus fuerit, quia in vitium degenerat, ideo Apostolus compassionem temperat eorum; qui mortuos suos luctu prosequebantur immodico, & tristitiâ limites excedente temperantiæ. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Vocat Apostolus defunctos, ac mortalitate exutos dormientes, eò quia à rerum fluxarum sejuncti tumultu quiescant in pace. Apostolus autem non omnem inhibet Thessalonicensibus tristitiam, sed eam, quæ à regulis deficit temperantiæ, ne Christi fideles Ethnicis similes esse viderentur: Observat D. Augustinus, D. Paulum non prohibere omnem tristitiam in morte amicorum, quia cùm hæc naturalis sit, cohiberi totaliter nequit, sed eam duntaxat, quam Ethnici, qui spem non habent, fovent: ait Augustinus: *Contristamur nos in nostrorum mortibus, necessitate amittendi; sed cum spe recipiendi: inde tristamur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio:* quia Thessalonicenses eâ in suos mortuos angebantur tristitiâ, ut laxiori compassionis pompâ funestiùs plorantes paganam viderentur æmulari infidelitatem, ideò Apostolus eos reprehendit, eò quia ex nimia compassione, & tristitia viderentur fidem excussisse, & infidelitati Ethnicorum quasi adhæsisse.

1. ad Thessal. cap. 4. v. 12.

Serm. 32. de verb. Apost.

38. Lachrymæ, quas tristitia elicit ob demortuum nobis vel sanguine, vel amicitiâ devinctum, testes sunt propensi in eundem amoris, ideóque eas prorsus cohibere laudi non datur, cùm & Christus ipse post triduum functis Lazari, cùm vidisset Mariam plorantem, & Judæos etiam, qui cum ea venerant, illachrymantes defuncto; infremuerit & ipse spiritu, ac se ipsum turbaverit, adeò ut tristitia lachrymas ex oculis elicuerit. *Et lachrymatus est JESUS, dixerunt ergo Judæi, ecce quomodo amabat eum.* quasi compassio, & ex compassione tristitia fuerit nubes illa, quæ imbres fudit lachrymarum: quapropter non compassio, quâ tristamur de nece, vel calamitate amici redarguitur, sed ejus duntaxat excessus damnatur; ploravit & Christus, sed ejus commiserationem intra limites clausit moderationis, ne cùm pietati indulgeret per immoderantiam à mediocritate exorbitaret, aptè Theophylactus expendens verba Joannis. *Et lachrymatus est JESUS,* ait: *Hæc autem omnia Dominus naturam pati permittit, ut confirmet; quòd & verè sit homo, & ut doceat nos, & terminos, & modum tristitiæ ponere; ejúsque contraria. Nam absque compassione, & lachrymis esse, brutorum est: multum autem lachrymari, plorare, & contristari mulierum.*

Joan. 11. v. 35.

39. Est commiseratio affectus, quem humana natura obstetricante dilectione ingenerat, & fovet: & hunc penitus eradicare

affe-

affectum, perinde foret, ac naturam ipsam culpare; non igitur redarguenda est commiseratio, sed ejus immoderatio abigenda: fovenda est commiseratio, sed intra moderatam quandam temperiem, certósque limites; qui enim nulla tangitur commiseratione, non humanam prodit, sed ferinam naturam: compassio verò immodica, & diuturna muliebrem sapit imbecillitatem, quâ sinit, se in nimium abripi luctum, cui propterea est frœnum injiciendum: dedecet enim virum diuturna querula compassio, hinc Syracides probè monet: *Fili in mortuum produc lacbrymas, & quasi dira passus, incipe plorare*, & paucis interjectis subdit: *Amarè fer luctum illius una die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundùm meritum ejus uno die, vel duobus.* Ecclesiast. 38, v. 16. Hæc Syracidis verba intelligit Lyranus de compassionis luctu: & Syracides hortatur, ne ejusmodi luctus ex commiseratione profectos ultra biduum protrahatur; adeò ut non tam planctum prosequi, quàm inchoare luctum permittat, quò discamus luctui frœna injicere, ejúsque immoderantiam coërcere, eleganter D. Paulinus ait: *Scriptura divina, quæ producere nos lacbrymas quasi evaporando dolori permittit, termino quoque designato præscribit tempora, cùm dicit, amaritudinem luctûs uno ferendam die. O divitiæ bonitatis DEI! quàm pia, id ipsum solicitudine nostri cavet, non pietatis impensè invidus; sed infirmitatis nostræ conscius, & omnis immodici temperator lacbrymas in mortuo produci jubet, amaritudinem verò lugendi uno tantùm die claudit.* Epist. ad Pammachium. Subtiliter philosophatur Paulinus, dum asserit, Deum commiserationis lachrymas temperare, easque modico unius diecula spatio claudere; & id non agere, non quia sit *pietatis impensæ invidus, sed infirmitatis nostræ conscius.*

40. Ea etenim est temperatæ commiserationis nobilitas, ea mediocris compassionis præstantia, ut æquum censuerit, nos monere, Deum illius invidia non tangi, nec impensæ nostræ pietatis invidum esse; sed quia infirmitatis nostræ conscius nos edocet moderationem, & modum imponendum tristitiæ ex commiseratione profectæ: *amarè fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam.* Præscribit enim terminum, quo luctus sit claudendus, & modum, quo veluti frœno sit cohibendus, hæc enim commiseratio ita concinnè temperata est; cui Deus invideret, si capax esset invidiâ tangi, & ideo *non pietatis impensæ invidus, sed infirmitatis nostræ conscius* terminos nos edocet, quibus & tristitiam claudamus, & moderantiam eidem injiciamus. Si enim compassio concinnè temperata fuerit, crux est Christi suam bajulantis pedissequa, monet Christus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Luc. 9. v. 23. Neque credas, aliam esse hanc crucem, quam hortamur tollere, ac deferre ex Christi imitatione, quàm ipsam compassionem, ut scitè expendit verba Lucæ S. Gregorius inquiens: *Compassionem animi plerumque latenter obsidet pietas falsa, ut hanc nonnunquam usque ad condescendendum vitijs pertrahat, cum ad culpas quisque non debeat compassionem exercere, sed zelum. Compassio quidem homini, & rectitudo vitijs debetur, quod in uno, eodémque homine, & diligamus bonum, quod factum est; & persequamur mala, quæ fecit, ne dum culpas inanditè remittimus, non jam per charitatem compati, sed per negligentiam concessisse videamur.*

Compassio igitur est crux illa, quam cum Simone Cyrenæo portamus, & Christum sequimur: Simon crucem bajulavit, sed in ea mortuus non fuit; & per compassionem onus, quo proximus premitur, ad nos trahimus, & alienas ærumnas nostras facimus, & crucem post Christum bajulamus cum Simone Cyrenæo. 41. Bona igitur crux est compassio, si hæc, ut ait D. Gregorius, vitia non foveat, imò & eorundem pervicaciam pœnis retundat, & severiore renixu prorsus abigat. Alienæ miseriæ opitulari, qui satagit per commiserationem, in id necessè est, incumbat studij, ut non sinat se ullo inficiari vitio.

Jonathas ea animi firmitate, & inconcussa cordis constantia suos dilexit, ut non pateretur eos ulla solicitudine angi, propulsatis periculis eorum consuluit securitati. 42. Eâ tamen enituit prudentiâ, ut priùs propriam domum voluerit in libertatem asserere, quàm pro aliorum dimicare utilitate. In urbe Gabaa præsidium Philisthæus posuerat, ut tributa ex finitimis Israëlitarum urbibus, ac pagis extorqueret, & Israëlitas servitutis premeret infamiâ. Hanc igitur præmunitam Philisthinorum stationem aggressus Jonathas in primis voluit demoliri, hostésque à suis finibus propulsare, ne ei objiceretur, quòd in perniciem Israëlitarum pateretur in propria civitate adversarios. *Percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa*, 1. Reg. cap. 13. è contra Saul Naas pugnaverat, & Jabesenos ab obsidione defenderat, [illegible]m in propria civitate hostile pateretur præsidium, & non sine dedecore sustineret adversarium: Jonathas verò toto nixu sategit è Gabaa civitate sua præsidiarios Philisthinorum copias depellere, ratus prudenter debere priùs sibi providere; & hostes sua occupantes priùs expugnare, quàm suos propugnare: non enim pati potuit, ut populus sibi concreditus tributario jugo premeretur ab extero præsidiario milite,

lite, quem propterea expulsum voluit priùs à civitate Gabaa, quæ & ipsa hostili præsidio ingemiscebat subjugata, ac tributis nboxia: prima enim compassio est, quæ in se ipsum exercetur, & in suos; non enim datur laudi se ipsum negligere, & vitio coinquinati dedecoris, ut alienæ succurratur indigentiæ, ut igitur Jonathas hoc aboleret dedecus, fortis, & audax aggressus est præsidiariam illam Philisthæorum stationem, quæ sibi, & suis infesta erat, quam ita feliciter perenssit, & fortiter profligavit, ut plurimis cæsis, aliísque fugatis offensionem illam, & ignominiam è patria depulerit civitate.

43. Mox cùm sibi, & suis consuluisset depulso è sua civitate hoste, misertus aliorum ab armis non abstinuit, sed alias aggressus Philisthinorum stationes, aliorum etiam miserias excussit, cùm Philisthinos in alijs nrbibus stationarios percussit. Noluit Jonathas suis, & alienis compassus miserijs ordinem invertere commiserationis, sibi enim, & suis voluit priùs consulere, & postea alienis succurrere miserijs; sunt enim, qui propria neglecta salute alienæ student, & alios ab hoste defendete, quem à se propulsare non satagunt, scitè Seneca de vita beata ait: *Vobis aliena scrutari mala, & sententias ferre decoquam, quare hic Philosophus laxiùs habitat? quare hic lautiùs cœnat, papulas observatis alienas, ipsi obsiti pluribus ulceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum nævos, vel verrucas derideat, quem fœda scabies depascitur.* Cap. 27.

44. Plures vitia carpunt aliena, qui tamen propria vel non videntes, vel negligentes non excutiunt, & quæ in alijs reprehendunt, in se non emendant, felices essent, si sui miserentes, dum aliena carpunt vitia, propria detergerent: sed alienæ ægritudinis medici aliorum irascuntur erratis, cùm laborent ipsi multiplici ægritudine. Commiseratio, ne rectum evertat otdinem, sibi priùs medetur, quàm alienæ consulat ægritudini, quòd si ita afflictis quis subveniat, ut se ipsum non negligat, sed vitia, quæ in se deprehendit, simul corrigat, tunc ijsdem subsidijs, quibus afflictis subvenit, sibi consulit. Elias dum afflicta, ac inopi viduæ exiguam multiplicavit farinulam propriæ simul, & alienæ consuluit indigentiæ, cùm ex eadem farinula sibi confici placentam Imperavit: *Noli timere, sed vade, & fac, sicut dixisti, verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me*, nimirum de eadem farinula, qua indigenti viduæ abundè subvenit, propriæ etiam fami consulnit; eodem subsidio, quo egestatem depulit afflictæ viduæ, propriæ etiam satisfecit indigentiæ: nnn enim potuit Elias sibi nnn elucrari alimentum, dum viduæ indigenti subsidium exhibnit farinulæ incremento; neque tamen Elias ordinem invertit commiserationis, cùm primùm panem sibi fieri præcepit: *verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer.* licèt eadem farina multiplicata alexipharmacum esset curandæ viduæ, & Eliæ ægritudini præsentissimum, volnit tamen Elias priùs sibi provideri, ne ordinem everteret commiserationis; scitè Theodoretus hie ait: *Magnos ille pollicitus quidem est fontes farinæ, & olei, eam autem jussit, & primum & facere; & afferre panem:* eadem multiplicata farinula viduæ consuluit indigenti, & Eliæ subvenit famescenti, ac remedium fuit utriusque.

3. Reg. cap. 17. v. 16.

Quæst. 51.

Ita alienis cunsulamus commodis, ut proprijs non exponamur perlculis, charitas enim, si rectè ordinata sit, à se ipsa incipit, præsertim in ijs, quæ ad spiritum attinent: dementiæ siquidem daretur ei, qui in studio virtutis pati vellet detrimentum, ut aliena promoveret commoda. Eliseus supra defuncti corpus incubuit quidem, sed illicò ad deambulandum surrexit. *Deambulavit in domo semel huc, atque illuc.* Quòd si quæras, cur Propheta illicò deambulaverit, & opus inchoatum non fuerit prnsecutus, respondet Abulensis. Ex extincti cadaveris mortuali frigore vitalem Prnphetæ fuisse calorem quodammodo tepefactum, ideóque surrexit illicò, ut beneficio motus proprium foveret nativum calorem; ne dum defuncti corpus adnititur calefacere proprius vitalis calor, aliquid in Eliseo pateretur detrimenti: commiseratio, ut proba sit, ita alienis consulit commodis, ut propria, non subeat pericula, ait Abulensis: *Descendit de lectulo, & ambulavit per domum scilicet per cœnaculum semel huc, & illuc, id est, aliquando declinabat ad unam partem, & aliquando redibat ad aliam eundo, & redeundo sicut illi, qui deambulant per domum ad faciendum exercitium.* Siquidem motus calorem excitat, quem fovet, & ne Eliseus ullum pateretur detrimentum ex frigescente cadavere, cui adnitebatur vitalem impertiri calorem, surrexit illicò, & deambulavit in domo. 45.

4. Reg. cap. 3. v. 35.

Quæst. 52.

§. V.

Commiseratio commiserationem movet in commiserantem; si hic commoda miseris solicitaturus se ipsum vitijs coinquinat. Vera commiseratio ita alienis opitulatur miserijs, ut proprias noxas priùs excutiat, & alienæ virtutis, ac meriti fiat particeps.

PLures sunt, qui ut temporalia miseris commoda solicitent, non verentur se ipsos vitijs coinquinare, & hi graviori sui dispendio alinrum student subsidio, quæ commiseratio commiserationem movet in commiserantem, quia 46.

vitijs

vitijs coninquinatum, ut alteri prosit, cui commoda solicitantur. Vera commiseratio ita alienis didicit compati miserijs, ut proprias noxas excutiat, & ita alieni doloris est delinimentum, ut proprijs etiam medeatur ulceribus; ita est benefica in miseros, ut eorundem virtutes contrahat, & præmia teneat; suos enim Discipulos edocens Magister Christus lucra commiserationis beneficæ, quà alienas excutimus miserias, ait: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit justum in nomine justi mercedem justi accipiet:* ubi notat D. Gregorius, non dici, mercedem de Propheta, & mercedem de justo; sed mercedem Prophetæ, & mercedem justi accipiet, siquidem aliud est mercedem de Propheta accipere; & aliud mercedem Prophetæ promereri. Sed quomodo improbus mercedem erit Prophetæ accepturus, eò quia beneficam exercuit misericordiam? cùm Prophetarum alij secti fuerint, alij lapidibus obruti, alij telis confossi, alij fuste percussi, & alij circuierint in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in speluncis, & cavernis terræ delitescentes, quibus dignus non erat mundus? beneficus, & misericors fortassis nonnisi panem porrigit cibarium famelico, cum Propheta vitam ipsam profundat; & quomodo si panis nequit vitæ pariari, misericors dicetur Prophetæ accipere mercedem, seu æquale præmium, cùm inæquale sit meritum? quomodo mercedem justi accipiet, si ex justis non solùm plures ut miseris essent solatio suas pauperibus distribuerunt divitias, sed etiam pro Christo sanguinem ipsum profuderunt inter supplicia atrociora, cùm irent catenis vincti, à virgis ad baccillos, à baccillis ad rotas, à rotis ad bestias, & hinc ad pectines ferreos, móxque ad plumbeas glandes, imò & saxis percussi, & lampadibus adusti, scorpionibus corrosi, sartagine frixi, novaculà secti? Quale non dederunt justi spectacula in nece inter cruciatus pro Christo subeunda? vivis effodiebatur terra mox dimidiâ sui parte morituris, manus ardebat, pellis corrugabatur, adeps liquescebat, venæ contrahebantur, sanguis fluebat è toto corpore, adeò ut contremiscerent adstantes, & hærerent consternati supplicia cùm spectarent justorum, qui varijs supplicijs, & instrumentis unà cum sanguine vitam effudêre; ut Paulus gladio, Jacobus fuste, Simon serra, Matthias securi, Thomas hasta, Andreas cruce, & alij millenis, ac diversis alijs instrumentis: plures enim fuerunt in aculeo suspensi, alij virgis cæsi, vel aquis suffocati, vel liquato plumbo epoti, vel candente ferro adusti, adeo ut Diabolus omnem artem, Tyrannus omnem authoritatem, populus omnem furorem exercerent, quò justos atrocioribus torquerent supplicijs: non enim Martyres una nocte, ut vulgò dicitur, nascebantur, tanquam ex putredine fungi, aut ex fimo vermiculi; sed nascuntur ex virtute exculta, justitiæ exercitio, morum integritate, ac vitæ rigore; quî ergo fieri potest, ut qui panis exhibitione alienam famem sedat, vel aquæ porrectione sitim extinguit mercedem justi accipiat? cùm hic non solùm misericordiam exercuerit, verùm etiam ad propugnandam, tuendámque Christianam Religionem caput subjecerit securi, machinas everterit, ac plura terra, marique supplicia toleraverit?

Matth. 10. v. 41.

Plura non diffiteor benefica in miseros compassio præclara egit, sed plurima adhuc & quidem illustriora in justis amor, quo Deum fuêre prosecuti. An non fuit amor in viris justis, & de religione benemeritis, qui plura Martyrum millia edocuit moræ impatientes evolare in districtos gladios, accensos ignes, candentes laminas, forcipes, clavos, serras, uncos, secures, perinde ac in flores, rosas, lilia, tulipas, violas? Ad quid non stimulavit justos amor; cùm ad fornaces ardentes, craticulas candentes, accensas lampades, lentos ignes, picatas vestes eos impulit properare, perinde ac ad melleas delicias, floreásque voluptates: quomodo ergo, qui recipit justum in nomine justi, seu beneficam commiserationem in virum justum exercet, mercedem justi accipiet? 47.

Non me latet pleramque homines divitijs affluentes dignis, ac merentibus præripere præmia surripere præeminentiam, eò quia apud Principum administros exhibita pecunia id obtinet virium, ut virtutes cudat, quibus meritis vacuus ornetur, ob id quia plurimum profuderit auri, & argenti; non raró qui plus elargitur, plus etiam impetrat; & pro muneris modo mensura accersitur meritorum: cùm enim venales exhibeantur dignitates, qui plus exhibet pretij, pluribus & insignitur dignitatibus: sed in Dei officina, nec ex argento, nec ex auro cuduntur virtutes, ut nec ex adamante rutilant dignitates pretio comparatæ, quia Dei æquitas nec muneribus subornatur, nec ejus justitia dolis corrumpitur, nec dignitas fit absque merito solo pretio venalis. Quòd si ita est, cur cibarius panis exhibitus famelico diuturnæ virtutis præmium exæquat, & qui justum recipit in nomine justi mercedem justi accipit? quia nimirum exinde divina commendatur justitia, qui enim Prophetam suscipit, & alit, virtutem Prophetæ ad se quodammodo transfert, & merita Prophetæ exugit, non quòd Prophetam denudet, illato ei damno; sed quia multiplicato commodo Prophetæ, & justi, donatur præmijs justi, ac Prophetæ, quatenus splendet utriusque virtutibus, ut pulchrè edisserit D. Gregorius inquiens: *Is qui Prophetam largitate sua sustentat, quamvis ipse dono careat Prophetia apud omnipotentem tamen Dominum Prophetia præmia habebit. Iste enim fortassis justus est, & quantò in hoc nihil possidet, tantò loquendi pro justitia fiduciam majorem habet. Hunc dum ille sustentat, qui in* 48.

Homil. 20. in Evangel.

hoc mundo aliquid possidet, & fortasse adhuc pro justitia loqui liberè non præsumit, justitia illius libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter præmia recipiat justitia. Benefirè misericors particeps fit alienæ justitiæ, ut præmia recipiat alienæ virtutis; alimentis misero & famelico suppeditatis non solùm propriam fovet virtutem, sed exhibitæ misericordiæ pretio alienum sibi coëmit meritum, quo pari præmio donetur scitè: D. Gregorius *libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter præmia justitiæ recipiat.*

49. Tametsi Propheta divino sit refertus Spiritu, divinóque loquatur afflatu, quia tamen materiei immersus crassitie, & corporea gravatus mole, corporeo indiget alimento, adeò ut nisi corpus reficiatur vox Prophetica subtrahatur: qui vitæ opitulatur Prophetæ propheticam veluti vocem fovet, & Prophetæ ornatur præmio; quatenus beneficæ commiserationis industriâ alieno prophetavit spiritu, & alienæ virtutis particeps effectus est. Ea enim est beneficæ misericordiæ virtus, ut veluti spongia bibula meritum ebibat, cujus miseretur, idque edisserens Deus, se editiotibus in montium jugis flumina evocaturum, & in sinu sterilescentis telluris, se topiarium exculpturum spondet per suum Prophetam Isaiam inquiens: *Aperiam in supinis collibus flumina & in medio camporum fontes: ponam, desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum,* nec benefica Dei largitas hoc duntaxat aquarum irriguo contenta est; subdit enim: *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrthum, & lignum olivæ: ponam in deserto abjetem, & ulmum, & buxum simul,* sed quæ solitudo est ista? in qua cedrus efflorescit, & lignum germinat olivæ, & abies virescentibus luxuriatur foliorum comis, & ulmus gigantescit; si tot plantarum genera ibi luxuriant, quomodo solitudo deserta erit, quæ probro notatur sterilitatis? nimirum solitudo est ad speciem horrida, ac omni voluptate vacua; sed revera perenni manans voluptatum scaturigine.

Cap. 41. v. 18. & 20.

50. Non credas, ulmum quamvis infructiferam frustra tellurem occupare. Quamvis ulmus superbè grandescat nullo suffusa grato odore, nec ullis ditescens fructibus, vitem tamen sustentat indigam alienæ opis, vitem fulcit uvarum exundantem racemis, ideóque licèt proprijs sit ulmus viduata pomis, quia tamen alienæ imbecillitati benefico complexu fert opem, alienis etiam ditescit fructibus, & præmia sugit virtutis à vite, quam fulcit; est siquidem vitis imbecillis, & caduca, & nisi fulciatur in sublime non erigitur, sed in terram serpit, quapropter ut se erigat claviculis suis, quasi manibus quidquid est nacta complectitur, & si ulmo adhærescit, nullo excrescit fine, donec sublimiora proceræ arboris attigerit fastigia; si floret verno tempore nil florentis vitis odore gratius, quin de ejus flore succus expressus voluptati simul, & saluti inservit; & ulmus suo amplexu ita vitem fulcit, ut foveat; gaudet enim vitis hujus arboris ramis illigari, quos circumdat sarertis, vestit pampinis, & sertis coronat uvarum.

Vires igitur ulmis suffultæ, illisque maritatæ lætiotibus luxuriant pampinis, & uberioribus ditescunt fructibus; & ulmus, quia suis ramis veluti brachijs plantam elevat, fulcitque cæteris imbecilliorem, quamvis proprio destituatur ipsa fructu, fœtibus tamen ditescit alienis, ac vitis sibi lucratur honores, pulchrè D. Gregorius ait: *Et si fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet*; & paucis interjectis subdit. *Ad hoc ulmus ponitur, ut quisque eum intuetur, qui habere virtutum fructum spiritualium non valet, sed tamen eos, qui spiritualibus donis pleni sunt, sustentat; ipse quoque sanctorum vita quanta valet largitate inserviat, & cœlestium donorum botros, quos giguendo non valet, sustinendo ferat.* Vitem alienæ indigam opis, quia beneficâ veluti commiseratione ulmus suscipit, tametsi proprijs destituatur ulmus fructibus, alienis tamen ditescit ubetior, pampinis redimita luxuriantibus, & racemis ditescens ad vindemiam despumantibus; benefica enim in indigos alienæ opis commiseratio, aliena potitur virtute, ditescit fructu, & præmia exugit: nimirum quos naturæ avaritia ulmo fructus denegaverat, hos benefica commiseratio uberiùs impertivit. Et inde edocemur, alienæ indigentiæ commiserentes de aliena splendescere virtute, & præmia sugere, cujus indigentiæ opitulatur, *& quos giguendo,* ut loquitur D. Gregorius: *non valet botros cœlestium donorum, sustinendo ferat.* 51.

Homil. 20. in Evangel.

Neque misericordia sinit suos perire cultores, ait enim D. Augustinus: *Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti,* quia sicut misericordia, qua alienæ opitulamur indigentiæ, cœlum aperit; ita immisericordia claudit: imò etiam ipsa immisericordia stat ante fores cœli, nec ullum, qui fuerit immisericors sinit eò admitti. Ne igitur divitijs affluentes se præbeant in operibus misericordiæ lentos, non tantùm invitat utilitas, sed & compellit necessitas, alioquin ut ait D. Jacobus: *Judicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam,* & D. Basilius detonans in locupletes, quos nulla tangit commiseratio, ait orat. ad Divites. *Non es misertus, non invenies misericordiam, non aperuisti domum, repudiaberis à Regno; non dedisti panem non accipies vitam æternam;* & pluribus interjectis: *Seminâsti amaritudinem, amarorem metes, fugisti misericordiam, misericordia fugiet à te: detestatus es pauperem detestabitur vicissim te, qui propter homines factus est,* 52.

Cap. 2.

Divitijs

53. Divitijs affluentes, & quos nulla in pauperes commiſeratio tangit, unde timeant proprium exitium eis oſtendit Evangelicus purpuratus Epulo, hinc D. Auguſtinus ait: *Memento quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus eſt, quòd aliena tulerit, ſed quòd egenti pauperi ſua non diſtribuerit, & in inferno poſitus ad petenda minima pervenit, qui hic parva negavit.* Non proſunt divitiæ, ſed obſunt, & divitiarum aquæ niſi moveantur, & in manus deriventur pauperum, vitium contrahunt, ac putreſcunt; noxiæ aquæ ſunt, ſi ſtagnantes aſſerventur, & ſuos plerunque mergunt poſſeſſores, dum in alios fluere non ſinuntur: id aquis proprium eſt, fluere, opémque ferre areſcentibus plantis, quas irrigant, ac reficiunt: divitiæ aquas æmulantur, fluere debent in manus pauperum; ne ſtagnantes vitium contrahant, ſed alijs prodeſſe valeant, ſcitè D. Chryſoſtomus rem hanc ediſſerit inquiens: *Quemadmodum fons ſi aquarum flumina in ſe ipſo quaſi ſtagnum quoddam retinet, facilè putreſcit; eodem certè modo divites, cùm in ſe ipſis opes ſuas detineant, mareeſcunt. Idcirco trito proverbio fertur: Nulla divitiarum putredo apud talem hominem eſt; nec dicitur magna copia, ingens Theſaurus, putredo enim proſectò in ore poſſidentium, ſed opus ipſarum, nam recondita veſtes corrumpuntur.*

De conf. vit.

Homil. 48. in Matth.

54. Illis divitiæ proſunt, qui eas benefica manu pauperibus communicant; divitijs caret, & inopiâ laborat, qui opes non ſinit in indigentes diffluere, quapropter Salomon ait: *deriventur fontes tui foras in plateis aquas tuas divide, habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui.* Paradoxon videtur nobis Salomon proponere; nullo enim veritatis vinculo videntur extima facie poſſe ſimul ejus verba connecti: quomodo enim ſolus poſſidére aquas poteſt, qui eaſdem jubetur in alios derivare? quomodo aquarum fluenta ſolus is dicitur poſſidere, qui quas poſſidet opes in alios effundit? ſed rectè cohærent verba Salomonis; & probè reſpondent ultima primis: loquitur enim Salomon de aquis divitiarum, quæ ſinuntur in ſinum pauperis diffluere ad alienam ſiccitatem reficiendam, ſeu alienæ indigentiæ ſubveniendum; quia opes, quas pauperibus quis elargitur ſibi aucto fœnore accreſcit, ac retinet in ſe, quod dat alijs; poſſidet enim quod alijs impertitur; & ſub proprio duntaxat dominio conſtituit, quod munificâ largitate vult eſſe alieni juris: jubemur aquas divitiarum diffundere in pauperes, quò tutiùs eas poſſideamus, quia dum ſic effunduntur, ſecuriùs retinentur; & ex eo quòd foras prodeant, & in manus tranſeant pauperum uberiore cum fœnore conſervantur: tunc verè noſtræ ſunt divitiæ, cùm ampliùs noſtræ non ſunt, ſed pauperum: pulchrè S. Petrus Chryſologus ait: *Da pauperi, ut des tibi.* Dat ſibi dives, quæ dat pauperi, cui quò plus dat, plus dives poſſidet, quia quod dat in dantis utilitatem uberiore cum fœnore reſilit.

Proverb. 5. v. 20.

Serm. 8.

55. Quinimò licèt modicum det, adhuc multum recipit; dat enim cœnum, & cœlum ſuſcipit, dat nummum, ut Regnum accipiat, ut innuit D. Chryſologus inquiens: *Manus pauperis Abraha ſinus eſt: ubi quidquid pauper accepit, mox reponit; Theſaurus cæli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Theſaurizate inquit vobis theſauros in cælo. Manus pauperis eſt gezophylacium Chriſti: quia quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum, da nummum, ut accipias Regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi ut des tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis habebit alter.*

Serm. 8.

56. Fœcundus eſt ager pauperum ſinus, quæ accipit cum fœnore reddit; & benefica commiſeratio, quâ pauperibus opitulamur, roſcida eſt cœli pluvia, quâ bona, quæ ſerimus in agro pauperis multiplicantur, & cœleſtia etiam adaugentur munera. Hinc ſtultitiæ redarguitur, qui in Evangelio divitijs diffluens, eas non ſinebat in manus pauperum diffluere: *Habes multa bona*, quæ tamen cum ſordidè avarus pauperibus denegaret, ſibi fructum ſubtraxit: fuiſſet enim lucroſum fœnus exigua ſerere in exculto agro ſinûs pauperum, quò inde uberiorem colligeret meſſem. *Evidenter apparuit*, ait Chryſologus: *qui latebat, quia à deſtructione incipit ſemper inimicus. Agit, agit, ut quæ habes, deſtruas;* ubi enim tartareus hoſtis inſtigavit laxioribus horreis omnia avarè includere, ſtuduit omnia labefactare; & ipſa ſordeſcens avaritia erat tinea divitiarum, vermis corroſor ſubſtantiæ; quæ collegerat, reponebat in horreis, ut aſſervaret; ſed ſervabat, ut perderet, & dum latens inimicus eum avara ineſcabat cupiditate, ipſo deſiderio cumulandi deſtruebat cumulata: quæ indigentibus diſtributa uberrima fuiſſent, & honeſta opum incrementa; eadem denegata pauperibus, ruina extitêre divitiarum, & exitio diviti.

Lib. 12 v. 18.

Serm. 104.

57. Chriſtus refecturus in deſerto famelicas turbas, quæ fuerant eum ſecutæ, eique obſecutæ, obſonium à Diſcipulis petijt, & quos Apoſtoli ad reficiendas proprias vires ſecum tulerant panes, accepit; *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces.* Hos panes penes Apoſtolorum fuiſſe ediſſerit D. Chryſoſtomus in catena inquiens: *Diſcamus autem hic qui voluptati attendimus, quæ comedebant mirabiles viri iſti, & magni.* Sed ſi Chriſto difficilius non fuiſſet omnia obſoniorum genera illicò creare, & lautiùs diſcumbentes turbas recreare, quàm panes hordeaceos ijſdem diſtribuere, & incrementare; cur non potiùs manna è cœlo pluvio, ut quondam in

Joan. 6. v. 9.

deſerto

deserto Hebræos, nunc in eremo turbas pedissequas reficit? cur mavult panes multiplicare hordeaceos? ex quinque enim panibus exsaturatâ multitudine, adhuc tot superfuerunt reliquiæ, ut duodecim cophini impleti fuerint, & ab Apostolis asservati. Sed cur si erat panis multiplicatus turbis distribuendus, Apostolis traditur asservandus? quò nimirum constaret, Apostolos sibi acquisivisse, ac multiplicâsse divitias, quas mox erant distributuri. quia dando famelicis sibi consulebant, sibique dabant aucto fœnore, quæ famelicis distribuebant: *addiscimus* ait Theophylactus in catena *ex miraculo perpetrato non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis*, nisi panes famelicis, & indigentibus distribuissent duodecim cophinos non implevissent, sed quinque duntaxat possedissent panes; quia verò alienæ fuerunt indigentiæ opitulati suam incrementârunt annonam, & quinque panes in agro famelicorum sati, aucto fœnore germinârunt, & uberiori cœperunt Apostoli penu ditescere, ut conjiciamus quantis incrementis redeat ad dilargientem indigenti præstitum, ac misericorditer dilargitum: quòd enim superfuerit tanta reliquiarum copia, non tam evidens fuit dominicæ potentiæ testimonium, quàm efficax argumentum ad reddendum eleemoiynæ debitum: est siquidem eleemosyna ingeniosum, & mirabile artificium incrementandi divitias.

§. VI.

Sinus pauperū ager est adeo ferax, ut si aquâ distributæ eleemosynæ irrigetur, in uberrimam hæc illicò excrescat meritorum segetem, & quæ fuerant terræ concredita, aucto fœnore recipian-tur in cœlo.

58. DErivanda in pauperes est aqua divitiarum, irriganda est aliena ariditas, ut nobis uberiora utilitatis adferat incrementa: pecunia, quæ pauperibus distributa est, fit pretium, quo Regnum ipsum nobis cœlorum coëmimus: quando eam pauperibus elargimur, tametsi vilis sit, & terra, vel in auro rubra, vel in argento alba, pretium tamen enanciscitur in sinu pauperum; & eò fit pretiosior per beneficam commiserationem distributa, quò erat vilior per sordescentem avaritiam asservata. *Vilis est* In Psal. 17. *pecunia*, ait D. Ambrosius: *sed fit pretiosa per fidem. vilis est, cùm conditur, pretiosa cùm dispergitur.* Vult Mediolanensis Antistes, fieri pecuniam pretiosam per fidem, si pauperibus distribuatur, quia beneficè misericors in pauperes, dum pecunias ipsdem distribuit suæ fidei characterem prodit, nisi enim crederet Deum redditurum cum fœnore, quod ille pauperibus elargitur, non ita pronus esset in opes distribuendas. Insani sunt divites, si aquas divitiarum denegent sitientibus pauperibus: vitium contrahunt aquæ fluxi auri, & argenti, ni moveantur, finantúrque diffluere, ni spargantur in pauperes, in quorum manus cùm primum deveniunt maculas abstergunt divitis dantis. Moris est, ut manus frequenter aquâ laventur; sed animæ manus aptiùs non abstergantur, neque citiùs diluuntur, quàm aquis eleemosynæ; abstergunt sordes aquæ divitiarum, si hæ in pauperes deriventur. Sordes conservant, si ipsæ serventur; appositè D. Chrysostomus: *Lavacra cum aqua fiant, ut manus laves: sic & eleemosyna lavacrum est, ne anima manus diluas.* Homil. 6. de pœnitent.

59. Non solùm quæ pauperibus erogantur divitiæ sordes abstergunt, verùm & opes incrementant: est enim benefica commiseratio, quâ dives opitulatur pauperi compendiosum facultatum augmentum: non enim hæc benefica commiseratio egentis tantum miseriam levat, sed bonorum etiam sibi adauget copiam. Ubi sponsa in canticis *fons signatus* dicitur, hoc est clausus, suos alijs minimè latices impertiens, uberrimi rivuli de Libano non dicuntur ad ipsam confluere; sed tantùm de ipsa: *Fons signatus*; Cant. 4. v. 12. sed ubi suas alijs communicat aquas, plantásque irrigat hortorum, alienis succurrit indigentijs, tunc è summo Libani vertice torrentes pleno alveo defluentes ibi thesaurizat: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano:* tunc ad ipsam purissimi confluunt undarum impetus, dum arescentibus hortorum plantis suos dilargitur latices; & tunc ut inquit D. Gregorius, *Sponsa fons hortorum, & puteus aquarum viventium describitur:* non est puteus dum aquas servat, sed fons signatus; ditescit verò in puteum dum suas alijs aquas impertit, quo inde discamus, honestum artificium opum adaugendarum beneficam esse in pauperes commiserationem; quibus quò plura damus, eò majora recipimus.

60. Ficus, quæ famescenti Domino nullum exhibuit solamen, illicò à radicibus aruit: *Arefacta est continuò ficulnea*; non tamen Matth. 21. v. 19. exaruit arbor, eò quia vectigal Domino non solveret; sed quia indigenti alimentum negavit: quam ariditatem providè declinavit hydria, quæ in domo viduæ Eliæ indigentiæ subvenit, *3. Reg. cap. 17. v. 14. Hydria farinæ non deficiet:* quin aucto fœnore repletur uberiùs; huc accersendus Drogo de Sacramento Dominicæ passionis. Ubi expendens hanc refectionem famescenti Eliæ exhibitam ait: *Qui modicum in se habet intelligit, quibus armis debet custodire, ne & hoc ipsum amittat. Ergo Domine corvus, & vidua pascunt te in Sarepta Sydoniorum, cui ficus maledicta aruit in terra Judæorum.* Indiga in Sarepta vidua, quò modicum farinæ incrementaret, & toti consuleret abundè familiæ, pugillum quod superfuit farinæ Prophetæ pascendo adhibuit, & auctis incrementis vacuam implevit hydriam: fera-

cissi-

cissimus enim est indigentium ager, quæ suscipit, illicò in messem incrementat ad centuplum multiplicatam, fatua verò fuit ficus in terra Judæorum, quæ ex denegato famescenti Domino obsonio exitium ad se traxit, cùm exaruit.

Honestum artificium opum augendarum est eas pauperibus erogare, sunt enim veluti semina, quæ in occata foventur tellure, mox incrementum subitura. Tunc sponsa excrescere in puteum cœpit copiosis undarum è Libano proventibus ditata, quando suns incepit arescentibus in horto plantis, ac sitientibus germinibus distribuere divitiarum latices, ut notavit Gillibertus
Serm. 37. inquiens: *Vide, quo in loco ejus aqua fluunt, ubi, nisi in hortis?* arescentia germina reficere, sitientia oleta restaurare, micantem rosarum pompam alere, fragrantem liliorum candorem fovere, & toti vegetantium soboli latices ad sitim extinguendam suppeditare, erat proprias aquas adaugere, & gloriam elucrari uberiorem. Felix erat sponsa, & dives non copiosa ubertate, sed honesta dispensatione. Abigail & ipsa, munera Davidi exhibitura obnixè rogat, ut etiam pueris famelicis, quæ secum tulerat obso-
1. Reg. c. 25. nia impertirentur: *Da pueris, qui sequuntur te Dominum meum.* Non solùm prudens fœmina munerum oblatione iram extinguit Davidis, sed proprio etiam consulit honori, dum munera illa non recondi monet, nec avarè retineri; sed famelicis impertiri; noverat enim tunc distributa munera in utilitatem resilire distribuentis, cùm alienæ indigentiæ levandæ destinantur.

61. Cùm laborâssent nocte tota Apostoli & nihil cœpissent in mari; & postera die jussi rete è dextra navigij jacere, eam transerint piscium copiam, ut rete plenum fuerit, non tamen scissum; tunc eorum Magister Christus jussit ex captis piscibus sibi
Joan. 21. v. 10. aliquos afferri: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc,* non expetivit Christus pisces, ut captos minueret, sed augeret; non ut donum circumcideret, sed incrementaret; nimirum ut Discipuli lucrarentur beneficium, eis præcepit piscium distributionem: non enim cumulata eis arrisisset fortuna, nisi indigentibus fuisset exhibita; tunc enim pinguescit felicior fortuna, dum uberiùs alitur paupertas, si famelicum nutrias tua pinguescit annona, tua implentur hortea: congestæ divitiæ nisi deserviant virtuti commiserationis, non possidenti, sed vanitati famulantur, quapropter Syracides de se ipso aiebat. *Ex-
Eccles. 2. v. 6. truxi mihi piscinas aquarum; ut irrigarem sylvam lignorum germinantium,* & hoc fuerat artificium ingeniosum opum multiplicandarum: extruxerat sibi piscinas aquarum, non ut aquas emortuas servaret & pisces in ijsdem in proprium duntaxat commodum conservaret, sed ut sitientem sylvam lignorum germinantium irrigaret, potúmque exhiberet arescentibus præ siti arboribus, ac alienæ succurreret ipse indigentiæ; neque credas sterilitate laborâsse, quas ipse arbores irrigavit, quas enim benefica miseratio plantas irrigat, sterilitas non inficit, quippe ut notat Gillibertus: *In horto quippe Sapientis nihil sterile, nihil non germinans.* Serm. 37.

Lucrosus est labor ille, quo frugiferæ
arbores irrigantur, & alienæ indigentiæ impertitis subsidijs occurritur. Eleemosyna enim quæ pauperibus impenditur Deo consecratur, qui aucto fœnore reddit, quæ à nobis munera accipit: munera enim qui accipit, se debitorem dilargienti constituit, tenetúrque vel gratiam saltem reddere, vel munera respuere sibi oblata; indecorum siquidem est, spem eludere largientis, quapropter aiebat Cassiodorus: *Quid enim ac- Lib. 11. var.
quiri putatur, ubi bona conscientia perditur.* cap. 7. Tunc bona conscientia deperditur, vel fama denigratur, si acceptentur munera non benefaciendi intentione, sed acquirendi tantùm cupiditate. 62.

Ad officia humaniora, & clementiæ pronitatem Deus Eliam, ut flecteret, ministerium ei subtraxit corvi annonam deferentis diurnam, & famelicum ad viduam delegavit Sareptanam, à qua cum obsonium exposceret, clementiam spondet: *Hydria fa- 1. Reg. c. 17.
rinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur v. 14.
usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ:* hanc machinam excogitâsse Deum ad emolliendam prophetæ duritiem, eúmque ad clementiam flectendam, asserit Basilius Seleuciensis; nimirum Orat. 11. ad eam pertraxit Eliam indigentiam, ut alienæ opis indigus, nequiret non accipere aliena, quibus propriæ succurreret necessitati, pulchrè ait Basilius: *Tertiam machinam Propheta admovet, quâ dejectus Elias, vel invitus ad humanitatem flectatur:* accipere aliena quibus propriæ consulatur indigentiæ perinde est, ac ad humanitatis officia se flectere; alioquin nisi impertita sibi beneficia, humanitatis compensâsset officio; injuriam sibi irrogâsset, & justam viduæ querelam contra se concitâsset. 63.

Habet benefica commiseratio suum unde solvat ærarium; ut quidquid charitas subministrat egentibus, largiùs compensetur. Neque putes, aliud esse hoc ærarium, quàm inexhaustum Dei; est siquidem Deus qui pauperibus erogata compensat; quidquid enim indigentibus in subsidium datur miseriæ levandæ, id Deo præstatur, à quo & uberrimè compensatur. Abigail, ut vulneri, quod Nabalis acerba, ac inurbana avaritia Davidi inflixerat in dimissis inurbanè, ac sine petito subsidio ejus nuncijs, sua lenitate, ac benefica munificentia mederetur, xeniolum afferens venienti Davidi cruentas cædes, ac ferales neces spiranti obviat, cui à se delata offert obsonia, priùs à Nabale ejus marito homine bardo, vecorde, honesti experte, & avaritiâ sordido Davidis denegata nuntijs, ut David ejúsque milites famem propulsarent, vires 64.

reficerent, at propriæ consulerent indigen-
1.Reg.c.25. tiæ: alloquens Abigail Davidem ait: *suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Si Abigail xenium attulit non in refectionem solius Davidis, sed in reliquos etiam milites distribuendum, cur uni dumtaxat Davidi testatur obsonij
Ibidem. xenium oblatum? *Attuli tibi domino meo* (seu ut explicat Hugo) *tibi quem dominum reputo*; quasi diceret: omnibus quod me-cum detuli xenium offero succurrendæ indigentiæ causâ; sed beneficentiæ gratiâ soli Davidi totum adscribo: itaque solus David tenebatur exoluere, cui soli totum obsonium adscribebatur.

65. Hinc David de munifica Dei liberali-
Psalm.146. v.9. tate agens aiebat: *Qui dat jumentis escas ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Sed cur David præ reliquis volucribus corvos dixerit invocare Deum, cùm corvi tantùm crocitent, & nullum edant harmonicum cantum, quo aures demulceant, & adstantibus solatium adferant? cur non potiùs dicuntur lusciniæ cœleste invocare Numen, cum diebus, & noctibus continuis sine ullo intermissu cantum producant, fiantque totæ vocales, ut se totas in laudes Conditoris effundant? si lusciniam audias occinentem, ejus cantus ad perfectæ musicæ leges tibi videtur productus, nunc enim continuo spiritu in longum trahitur, nunc inflexo variatur elegantior, nunc conciso distinguitur argutior, nunc intorto copulatur suavior, nunc revocato producitur prolixior, & nunc ex inopinato infulcatur elegantior; Quid lusciniæ cantu nunc pleno, nunc gravi, nunc acuto, nunc crebro aures potest blandiùs demulcere; cur igitur non potiùs lusciniæ accersiuntur Numen invocantes, & non corvi crocitantes? Vel si luscinia non placet, cur saltem corvo non præfertur alauda, cui proprium est, reperta in campis escâ sursum avolare, & in sublimi elata laudes harmonico cantu occinere, & gratias rependere Deo escam suppeditanti volatilibus cœli? ita alauda beneficium Numinis sentiens in reperto obsonio, benefico suo largitori gratias rependit in sublimi erecta, & eo altius evolans, quò proximiùs ad Deum in cœlis accedat, laudatura eum à quo refecta in terris fuerat. Cur igitur David pullos corvorum accersit ad invocandum Deum, & ad escam ab ipso recipiendam, & non potiùs luscinias, & alaudas? an quia invocare perinde sit ac fame premi, ac siti urgeri? sed reliquæ etiam volucres, & fame torquentur, & siti divexantur? Cur igitur de solis corvis specialem David facit mentionem. Cur non lusciniarum, & aliarum avium ad harmonicos edendos cantus eruditarum non potiùs meminerit? quia nimirum illa invocatio, quâ pulli corvorum escas petunt, non tam videtur esse supplex petitio, quàm debita exigentia; cùm enim fuisset Elias à corvis ministrantibus enutritus; exegit corvus præ cæteris volucribus alimenta veluti sibi debita; cùm enim corvus præ cæteris volucribus famescenti Prophetæ alimenta suppeditaverit; corvorum pulli meritò repensas exigunt vices ab ipso Deo, qui ad solvendum se obstrinxit, quæ ejus servis, ac ministris impertiuntur: pulchrè Euthimius explicans, cur David corvorum duntaxat specialiter meminerit, ait: *Dicunt aliqui quòd cùm ille, qui summa bonitatis est fons, justam Eliæ Prophetæ in Judæos indignationem mollire cuperet, famem induxit, ut satietatis fructus castigaret, & illum præparavit nutriri à corvo.* Cùm igitur Elias fame tortus à corvis ministrantibus enutritus fuerit, & necessaria vitæ acceperit subsidia, ideo corvus præ cæteris volucribus repensas vices exegit, quia Prophetæ præ reliquis alitibus impertierat alimenta. Quod enim Dei famulo, ac pauperi indigenti datur, hoc idem Deo indulgenti commodatur, propterea meritò pulli corvorum à Deo escas exigunt, quas corvi Prophetæ famelico suppeditârunt: & hæc est ars illa quæstuaria, quæ aliis impertita impertientibus incrementat, & dum pauperibus opitulatur, ditescit, qui pauperi subvenit, locupletior.

§. VII.

Quæ piâ commiseratione pauperibus damus, Deo commodamus, à quo multiplicatis incrementis nobis restituuntur.

DAvid aiebat: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem*, sed quænam 66. Psalm.40. v.2.
esse potest hæc intelligentia, quæ beatitatem ingerit, & felicem constituit eum, qui intelligit super egenum, & pauperem? si paupertas pannosa est, & semi-nuda non exigit vim intellectûs, sed solum intuitum oculorum; ea enim dicuntur intelligi, quæ abstrusa sunt, & captu difficillia, & minimè externis sensibus obnoxia, quæ enim oculis sunt subjecta, hæc videri, non intelligi dicuntur; quæ verò à sensibus sunt sejuncta, & deprehenduntur à nobis, vel in terræ visceribus abdita, vel in rerum proprietatibus occulta, vel in naturæ scrinio clausa, quæque nulli patent sensui, hæc intellectu percipiuntur; sed quæ nobis pauperes, & egeni ostendunt, hæc ipsis patent oculis: si enim singula in pauperibus lustremus, singula sensibus potiùs patent, quàm intellectu indigeant; stips à prætereuntibus petitur, cibus est pauperibus aridus panis, vel pecuniola volam eludens; potus latex ex obvio fluvio haustus; vestis detrita lacerna defricando corpori, quàm fovendo aptior; pedum vacillantium fulcrum ipsa nuditas; calcei ipsæ plantæ duratæ, & callosæ, nisi fortassis eas timidè misericors lutum emolliat, vel gelu è dissectis venis purpurâ vestiat: domus plerumque tellus ipsa

ipsa sub dio frigido, & stratum projecti sunt asseres; sive igitur sit pauper nuditate algidus, vel fame tabidus, aut siti aridus, aut lassitudine tremens, aut detrita penula luridus, opus non habet intellectûs, sed soli sufficiunt oculi, ut qualis sit illicò deprehendatur; cur igitur, si ea intelliguntur, quæ à sensibus sejuncta in rerum abduntur, vel naturis, vel propietatibus, Regius Psaltes ait: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem?* quæ enim subjiciuntur oculis, exponuntur in publico, & omnibus illicò patent, non tam intelligi, quàm videri, ac aspici dicuntur. Ut intellectu, quæ abstrusa sunt, & à sensibus sejuncta, percipiantur, plurimum requiritur laboris; secus quæ oculis patent, non indigent, nisi ut obvia nobis fiant. Quòd si intelligere perinde est, ac videre quæ nobis obviant, jam nullus est intelligentiæ labor, proinde nullus intelligentiæ fructus, qui nonnisi prævio maturescit labore excultus; cur igitur beatum dicit David eum, qui intelligit super egenum, & pauperem? quia nimirum non pauper est tunc, qui intelligitur, cùm quis pauperi opitulatur; sed Christus ipse, qui se intelligi in paupere ostendit: id intelligimus, quod sensu non percipimus, & quando benefica commiseratione pauperi subvenimus, qui videtur, & oculis percipitur pauper est; qui verò intelligitur, & non videtur Deus est in ipso paupere delitescens, unde quæ pauperibus damus, Deo ipsi commodamus.

67. Sed quomodo quem cœlum tegit, est nudus in paupere? quomodo quem cœli non capiunt, pannolo arctatur in paupere? at hoc intelligere beatitudo est, ac proinde beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: intelligere enim quomodo in esuriente esuriat Deus, qui rerum omnium saturitas est; intelligere, quomodo sitiat in paupere, qui omnibus potum exhibet; sit nudus, qui omnes abundè vestit; inops, qui divitijs omnibus affluit; egenus, qui nullius opis externæ est indigus; pannosus, & lacerus, qui perfectissima gaudet integritate; mendicus qui ditat mundum, id inquam intelligere beatitudo est efficienter, quatenus quæ pauperibus damus Deo commodamus, qui vices nobis rependens beatitudinem impertitur. eleganter D. Petrus Chrysologus expendens verba Davidis ait: *Quomodo non beatum, intelligere, quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cælum? qui ditat mundum, quòd egeat in egente? quòd frustum panis, aquæ calicem dator omnium quærat? quòd se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Hoc cui videre dederit Deus, ipse videt, sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit; dicat ipse jam nobis: esurivi inquit & dedistis mihi manducare. non dixit esurivit pauper, & dedistis illi manducare: sed esurivi ego, & dedistis manducare mihi, sibi datum clamat, quod pauper acceperit, se manducare dicit, quod comederit pauper: quod bibit pauper, sibi testatur infusum. O quid agit amor pauperis! gloriatur in cælo Deus unde pauper erubescit in terra: & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur injuria: dixisse suffecerat, dedistis mihi potum, sed præmittit esurivi, sitivi: quia parvus fuisset amor pauperis, quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset: & certè verus amor nonnisi passionibus probatur.* Serm. 14.

68. Christus quodammodo se in pauperem transfudit, ait Chrysologus, sed quomodo potest immensus transfundi in pauperem miserijs arctatum? quomodo qui omnibus divitijs affluit potest in egeno inopia laborare? quomodo qui animalia quæque vestit, algere potest ipse in paupere nudo? quæ est hæc transfusio, qualis hæc arcana metamorphosis? non dixit Christus quòd ipse adsit pauperi, sed quòd ipse sit pauper, nec ait, quòd pauper esurierit, sed quod ipse esurivit, quò nimirum intelligamus, non solùm pauperem suscepisse, sed & passiones pauperis induisse; ut glorietur in cœlo Deus, unde pauper in terris erubuisse censetur: hæc est illa intelligentia, quæ beatitudinem invehit, cùm enim Deus non solùm pauperem in se transfuderit, séque totum in pauperem fuderit; verùm etiam ita pauperem susceperit, ut passiones pauperis etiam induerit, ideo quæ pauperi damus, Deo commodamus: cùm enim bona nostra omnia sint Dei, quorum usum nobis indulsit in terris, ea pauperibus cum damus, in ipsos usum nostrum transfundimus, sed non jus, quia hoc solius est Dei dispoticum habentis dominium in res omnes; nec ullum possumus novum jus in ipsum transfundere: hinc gloriatur Deus in cœlo de sibi commodatis in datis pauperi, de quibus putatur is in terris erubescere, ait enim Chrysologus *gloriatur in cælo Deus, unde pauper erubescit in terra*, & non solùm gloriatur ipse, verùm ut & nos cùm ipso gloriemur præstat, si pauperibus fuerimus opitulati.

Idque causæ, cur Tobias senior juniori injunxerit bona sua pauperibus communicare, eorúmque miserias levare Tobiæ 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Seu ut habent Biblia Regia: *De facultatibus tuis fac eleemosynam, & ne invideat tuus oculus in faciendo eleemosynam.* Etenim necessaria erogans pauperi vitæ subsidia, ejusdem miseretur egestatis, vicémque gerit calamitosi, quem pia nititur ope sublevare, ejúsque mœrores excutere, ac miserias abigere; misericordia enim miseriam spectat sublevandam, quæ si non adsit, & ipsa abest misericordia: nisi adsit miseria accipientis, vacare dicitur misericor- 69. Tobia 4. v. 7.

dia donantis; quia hæc tota impenditur per exhibita subsidia in alienis miserijs levandis, & miseris sublevandis; sed quid? quòd Tobiæ seniori exciderit (cùm juniori eleemosynas laxè pauperibus erogandas præceperit) *Et ne invideat tuus oculus in faciendo eleemosynam*, cuinam invidere potest cùm quis eleemosynas dilargitur indigentibus? an sibi danti, vel potiùs pauperi accipienti? Quis sibi invideat? quis sibi nollet bene esse, cùm id unum satagant omnes homines, ut benè, ac beatè ijsdem sit; si non invidet sibi danti, nec minùs pauperi accipienti, cùm nemo alteri miserias invideat, quibus premitur; nec famem, quâ torquetur, nec sitim, quâ æstuat. Cui igitur invideat oculus dantis in eroganda eleemosyna? invidere calamitoso calamitatem insolens est invidentiæ genus. Non tamen hanc invidentiam credamus inconsultè seniori Tobiæ excidisse: versatissimus enim senex in gymnasio misericordiæ hanc edocturus filium, profundam dictavit lectionem, cui dies, noctésque studeret, ait: *Ne invideat tuus oculus in faciendo eleemosynam* invidia non alienâ excitatur miseriâ, sed alterius fovetur felicitate: senior igitur Tobias injungit Juniori laxas erogare pauperibus eleemosynas, & de suis facultatibus alienam sublevare egestatem; ita tamen ut ejus oculus non invideret, quia adeo sublimis est paupertas, & talem secum adfert felicitatem, animique tranquillitatem, & quietem, ut citius posset invidiam movere, cùm de ipsa etiam glorietur Deus in cœlo, ait enim Chrysologus: *gloriatur in*
Hom. 14. *cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra*: hæc est illa paupertas, quæ invidiam movere potuisset, nisi præmonitus Tobias junior fuisset.

70. Non igitur contemnendi sunt pauperes, quibus potius debemus invidere, & paupertatis gloriam expetere, cum Deus ipse in se transfundat pauperem, aut se in pauperem fundat, & glorietur in cœlo, unde pauper erubescit in terra: & hæc est vera, & benefica commiseratio, non solùm pauperem suscepisse, sed & pauperis passiones induisse; an non invidiosæ sunt hominibus pauperis passiones, quas Deus ipse induit, ac proprias facit? Invidiam movent pauperis passiones cùm Deus eas non solùm in se suscipit in terris, verùm etiam de ijsdem sibi gloriatur in cœlis; ubi cum passionibus etiam pauperem ad se trahit; cùm divitem terræ hiatus deglutiat, & tenebricosus gehennæ carcer in se recipiat quando exuit mortalitatem, qui in Evangelio divitijs affluens mendico Lazaro panis reliquias, micas obsonij denegaverat: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, quia quas pauperis passiones susceperat Deus, una cùm paupere in sinum Abrahæ transtulit; & immisericordem divitem egit in gehennam præcipitem: pauperem deportàrunt Angeli in Abrahæ sinum, & divitem bysso, & purpurâ indutum deglutivit infernus, & quem mensa saturavit delicijs diffluentem, sepultura condemnavit supplicijs addicendum; decepit sepultura oculos; & exequiarum pompa divitijs affluentem mentita, defunctum divitem pauperis constituit sorti invidentem, eleganter S Petrus Chrysologus ait: *Mors pauperis totam vitam divitis vicit, & elatio sola pauperis* Serm. 121. de divite, & Lazaro. *totam divitis pompam transcendit, & gloriam. Funus divitis antecedit lugubris turba servorum, sed feretrum pauperis procedit Angelorum psallentium multitudo.*

Quis igitur pauperis non suscipiat 71. passiones, & impertitis eum cumulans beneficijs, personam non libentiùs induat ejusdem, cunctas pauperibus, quas possidet profundendo divitias, ut particeps ipse fiat divinæ hæreditatis, ac cœlesti cum Lazaro paupere donetur beatitate? Decimum quintum annum maritalis thori consortem jam toleraverat Sara probro notata sterilitatis, & senectutis gravata ætate; sed Deus licèt annis provectæ, matris impertiturus honores, ei fœcunditatem contulit, genuitque filium ætatis anno nonagesimo, cum Abrahamus centesimum ageret. Nomen puero ab inopina lætitia inditum fuit Isaacus risum significans. Mox solerter præcavens Sara, ne promissiones à Deo Abrahamo factæ jure primogeniti in Ismaëlem derivarentur, occasionem cnacta puerilis lusûs, Ismaelem cum Agare matre domo expellit: præmonuerat enim Angelus Abrahamum, ne ægrè ferret è domo Ismaëlem excludi, ac sinere cum matre abire extorrem; & Saræ ejus uxori obsequeretur; ejúsque voces audiret, & exequeretur: *Non tibi videatur asperum super puero, & super* Genes. 21. *ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara*, v. 12. *audi vocem ejus: quia in Isaac vocabitur tibi semen; sed & filium ancillæ, faciam in gentem magnam, quia semen tuum est: surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam.*

Quid? quod Abrahamus divitijs af- 72. fluens paupertatem affecter, cùm propriam uxorem, filiúmque legitimum parco viatico, avaróque obsonio è propria dimiserit domo? si divitijs affluebat, si jumenta ei non deerant, cur locupletiori obsonio, commodiorique commeatu eos non ditavit? Huc accersendus Rupertus Abbas, qui præfatum Genesis textum expendens ait: *Sic avarus fuit dives ille Regum victor, trecentorum octodecim vernaculorum dominus, ut præter panem, & utrem aquæ nil filio donaret, quem tristis ejiciebat, nec saltem illi unum asellum commodaret, sed ea scapulæ matris Ismaëlis imponeret.* Redarguenda videretur severa

hæc

hæc in propriam uxorem Agarem, & susceptum ex ea filium Ismaëlem parcius, nisi Abraham divitijs æquè, ac amore Numinis opulentus Dei instinctu prænovisset futurum Ismaëlem in gentem magnam, & opulentam; ac propterea mundi penuria præmunijsset, ac dimisisset immuneratum. Quo feliciùs suum Ismaëlem Numinis oppignoraret providentiæ, bonis omnibus exhæredavit terræ, non tamen sordidè avarus, sed effusè munificus; ut tota ejus possessio, totúsque census Deus esset, qui cùm pauperis in se suscipiat passiones, pauperem etiam suæ vult participem esse hæreditatis, eleganter S. Prosper. *Quem possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia, quæ creavit, expedita mente possideat; & in eo habebit, quæcunque habere sanctè desiderat, sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitùs Dei possessor, & efficietur ei Deus possessor, & portio. Et quid potest eò esse felicius, cui efficitur suus conditor census, & hæreditas ejus dignatur esse ipsa divinitas, ut nihil terrenum cum Deo possideat? quia omnium conditor, cui nihil eorum, quæ facit, valet æquari, non dignatur cum his, quæ condidit possideri.* Abrahamus licèt divitijs afflueret, & amore paterno Ismaëlem prosequeretur, eum tamen immuneratum dimisit, ut nihil terreni possidens efficiatur ei Deus & possessor, & portio, & ejus conditor census, & hæreditas; putans promissiones à Deo Ismaëli factas feliciùs implendas.

Lib. 2. de vita contempl. c. 16.

73. Quis igitur pannoso non invideat egeno, cui Deus & census est, & hæreditas? quis non invideat ærumnoso pauperi, cujus passiones Deus sibi assumit, quò pauperem suæ gloriæ, suæque hæreditatis participem constituat? Quis benefica commiseratione non studeat pauperi opitulari calamitoso, quò erogatis subsidijs, impertitis eleemosynis Deum ipsum sibi devinciat, ejúsque gloriam sibi coëmat? cùm Deus non solùm passiones; verùm, & ipsam assumat personam pauperis, esuriátque, sitiat; indigeat, ac nudus sit in paupere? quæ pauperi impertimur subsidia, hæc Deo elargimur, & quòd pauperibus stipem rogantibus negamus, hoc Deo in paupere subsidium poscenti denegamus. Neque aliam in universali judicio causam æternæ damnationis reprobis æternus Judex exponet, nisi quia fuit eidem in paupere poscenti subsidium denegatum. *Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Sitivi, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me; infirmus, & in carcere, & non visitâstis me.* Non ait, esurivit pauper, & non dedistis ei manducare, sed esurivi ego, quia quem paupe-

Matth. 25.

rem horremus pannosum, & ærumnosum, in ipso Deus ipse latet, qui personam assumens pauperis easdem suscipit pauperis passiones, Deóque negamus, quod pauperi denegamus. Scitè exclamat Damascenus, *quanta pauperis dignitas est. DEI velut larva efficitur. Delitescit enim sub paupertate Deus. At pauper quidem est, qui supplicem manum protendit, Deus autem est, qui accipit.* Vocat pauperem Dei larvam, quia sub persona pauperis latet Deus, & quæ pauperi indigenti damus, Deo suam gratiam indulgenti commodamus.

Lib. 3. parал. cap. 37.

Solet quandoque larvatus Princeps suis horrorem incutere, cui, si larvam detraxeris, gratiam spirat, & clementiam impertitur; & principem, ac patrem se prodit, quem larvatum perhorrescimus. Larva est paupertas, sub qua Deus delitescit; detrahamus hanc larvam profusis in subsidium pauperum divitijs; sinamus ex nostra substantia, nostrísque bonis pauperes ditescere, ut detracta ijsdem larva Deum experiamur in nobis beneficum patrem, dicamúsque auspicaturi dominicam orationem, *Pater noster, qui es in cœlis*, & Deum invocemus patrem, quem sub larva pauperis Dominum non cognovimus; eleganter S. Petrus Chrysologus. *Servus Dominum Patrem vocare audet, Judicem suum Reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce adoptat in filium: qui terrena perdidit, æstimat se divinitatis hæredem:* nimirum, qui benefica commiseratione ærumnosis opitulatur pauperibus, & divitias suas egenis impertitur, terrena quidem amittit, sed cœlestia acquirit; temporalia à se abigit, sed lucratur æterna; mundi fluxa contemnit, sed cœli opes nulli obnoxias vicissitudini enancilcitur, & ut ait Chrysologus: *æstimat se divinitatis hæredem.* 74.

Serm. 70.

Divinitatis igitur hæres efficitur pauper, & qui terrena perdidit, æstimat se divinitatis hæredem; idque causæ Abrahamo fuit, cur Ismaëlem dimiserit cum matre divitijs destitutum, & solo panis subsidio, & utre aquæ præmunitum: dixit Sara Abrahamo adversus Agarem concitatior. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus.* Quid ad hæc Abrahamus? licèt mitissimus, adhùc tamen ut refert sacra historia, *durè accepit hæc Abraham pro filio suo;* recogitabat siquidem promissiones de Ismaële factas, & ejus humanitati, ac naturæ videbatur repugnare, filium ex se genitum cum matre exturbare domo, cùm non deessent modi insolentiam, & ferociam coërcendi adolescentis: non tamen Abraham uxorem Saram objurgavit, nec nimiæ eam severitatis redarguit, sed tacuit, altiùs secum rem perpendens. Meruitque eâ patientiâ uberiùs, ut edoceretur à Deo de uxoris voluntate executioni mandanda, cui propterea se libens, ac volens 75.

Genes. 16.

attemperavit, oimirum id agebat Deus, ut exclusis è domo Abrahami Agare, & Ismaële, in pace & concordia domestica, ac sub optima parentum disciplina Isaacus educaretur, coi potuisset Ismaëlis consuetudo familiaris maculam affricare: & Abraham Agatem, & Ismaëlem dimisit pingui destitutos penu, divitijs vacuos, & sola paupertate divites, quo ijsdem census fieret Deus, & locupletior hæreditas ipsa divinitas; quis enim potest ditior esse, quàm cui efficitur Deus census, & ipsa divinitas dignatur esse hæreditas? scitè Cassiodorus ajebat: *In lucrum cedunt, quæ benemeritis conceduntur: & de ipso munere magis acquiritur, cùm optimis digna præstantur.* Hoc est, 4. variar. cap. 21. quæ benefica commiseratione pauperi ærumnoso honestè præstantur, laudabili lucro adaugentur.

DISSERTATIO XXX.

Quæ levandis pauperum miserijs pecuniæ impenduntur, non deperduntur; sed ad uberiora negotiantur incrementa divitiarum.

§. I.

Pia in ærumnosos commiseratio prudens est propria salutis negotiatio.

1. PEcunias paoperom levandis miserijs impendere, non est eas perdere, sed negotiari ad uberiora incrementa. Abjathar anxius ad Dàvidem accesserat, eò quia à Saule ad internecionem quæsitus esset: David eum benignè excepit, & quamvis & ipse angustijs tunc premeretur, quò tamen indigenti succurreret munifica liberalitate, eum pavit, & benefica commiseratione fovit. *Mane mecum, ne timeas, si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecúmque servaberis.* Hæc benefica Davidis commiseratio, & liberalitas in Abiatharem, uberrimus fuit fons, è quo rivuli scaturierunt bonorum omnium, quæ in Davidem derivârunt, quæ nec scriptura reticuit: siquidem Abiathar sacerdotum summus cum Ephod venerat ad Davidem: *Ephod secum habens descenderat*, ex quo conjicere potuit David, quænam essent Saulis studia, & qoæ Celaianorum insidiosissima obsequia. Negotiatio fuit ea commiseratio, quâ David fugienti sacerdoti necessaria soppeditavit vitæ subsidia, quandoquidem David insidiarum præscius à Saule maturâ se fugâ præripuit, dolósque elusit hostiles, & insidias evasit sibi paratas: *dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod.* (1. Reg. cap. 22, v. 23.)

oisi Abiathar ad Davidem cum Ephod accessisset, David per Ephod, quæ prælcivit, non agnovisset, & nisi prænovisset, captus luxiilet, vel interemptus disperiisset: quia sacerdos secum attulit Ephod periculum avertit à Davide, quod imminebat, & humanitatis hospitium ultro compensavit imminentis periculi evasio. Ait Lyranus. *Fugiens ad David, secum asportaverat Ephod, quæ est vestis summi sacerdotis, in qua erat rationale judicij, in quo apparebat responsio Domini:* quia David fugientem sacerdotem non solùm benigno excepit hospitio, sed etiam liberali refecit oblooio, pavitque generosa munificentia, ejúsque indigentiæ fuit ubertim opitulatus; conlnltum Oracolum hospitij compensaturum humanitatem, lucem impertivit, quâ David, quæ imminerent pericula præcaveret, & dolosas eluderet Saulis insidias: dedit David sacerdoti fugienti hospitium, & obsonium, quo vires reficeret, & Oraculum recompensationis studiosum, quo mortem declinaret, & vitam incolumem servaret, Davidem edocuit.

Plerumque ob pauperem benignè exceptum, solatiúmque ærumnoso exhibitum vir misericors tantùm à patre luminum interna lucis accipit, quò non solùm dæmonum, verùm etiam & hominum eludat insidias. Beneficia, quæ pauperibus impertiuntur, 2.

tiuntur, sunt semina, quæ in sinu pauperum, veluti in occatæ telluris sata, & fota gremio, germinant ad uberiora incrementa; merita enim colligit, qui benficia serit. Ubi Sareptana vidua Eliam excepit, modicum, quod in arca superfuit farinæ incrementum subjit, & mortem depulit è filio, quem suo gelu veluti florem in tenella ætate Libithina decoxerat: ibi primùm imperio suo mors dispoliatur, ubi Dei famulo Eliæ indigenti vitæ subsidium præstatur. Etiam in Canticis sponsa dilecti sui venustissimam pingens pulchritudinem ajebat: *Coma ejus sicut elata palmarum, nigra quasi corvus: oculi ejus sicut columba super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima.* Quia corvus Eliam pavit esurientem, eidem adnectitur pascenti victrix palma, quæ ad prolixiorem excrescit vitæ usuram, & dum curvescentibus, ac crispantibus ramorum comis diffunditur præcelsa, columbæ patrocinatur ad insidiantis accipitris impetus præcavendos: *Palmarum Rami productiores*, ait Cassiodorus expendens præfata verba Cantici. *& excelsiores, interdum aureosi coloris crispantes. & semper ad excelsa tendentes, & nunquam virorem suum amittentes.*

3. Palmis elatis adsociatur corvus, quia Eliam pavit, quasi ob beneficam in pauperem Prophetam commiserationem exercitam, a palma ætatem mutuaturus longævam; & ut corvus, qui præstito obsonio vitam Eliæ servavit, prolixiorem sibi à palma ætatem compararet: productior siquidem cæteris est ad plura sæcula palmæ, & corvi ætas: palma igitur pascenti corvo adjungitur; sitque vitæ subsidium Eliæ præstitum, corvi præsidium ad productiorem ætatem, ut benefica commiseratio in vita compensetur productiore in corvo; & æterna in cœlis, in homine miserente in terris. Prudens negotiatio est fœcundæ telluri grana concredere, ex quibus valeat colonus spicas legere: est sinus pauperis ferax ager, qui si vomere excolatur beneficæ miserationis, & profusis eleemolynis veluti seminibus ditescat; uberrimam aocto fœnore multiplicant in messem, quæ sibi fuerant semina concredita.

4. Is avaræ imprudentiæ redarguendus esset colonus, qui grana in horreis retineret, ex quibus uberrimam posset segetum demetere messem. Vir prudens non solùm attendit, quod expendat, sed quantum expendendo valeat lucri acquirere honesti. Moabita Davidis parentes, & consanguineos enutrivit.
1. Reg. cap. *Et profectus est David inde*
22. v. 3. *in Massphba, quæ est Moab, & dixit ad Regem Moab, maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus, & reliquit eos ante faciem Rrgis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio.* Cur Moabita tam propensa humanitate exteros suscepit hospitio? cur tam munifica liberalitate amplexus est extorres, & benefica commiseratione aluit peregrinos? quia ex Davidis bellica fortitudine, & exculta virtute conjecerat eum Regem futurum; & fore inde speraverat, ut ob exigua illa suis parentibus, & propinquis præstita obsonia, sibi reddenda esset divitiarum copia, ut notavit Abulensis, inquiens: Quæst. 8.
Rex Moab libenter Davidis consanguineos suscepit hospitio, quia putavit David futurum esse Regem, vel magnum virum, qui ei posset rependere vices pro his. Nnverat Moabita, eum colligere merita, qui beneficia serit; & quò sibi gratiam mereretur Davidis, ejus consanguineos uberioribus est beneficijs prosecutus. & illis sumptibus, futuri Regis voluit sibi favorem comparare; & veluti grana aliquot serere, quæ in uberrimam misericorditer excrescerent segetem: coloni sunt, qui aulas Principum excolunt, & velut semina pecunias profundunt, sed quia uberiora inde sperant incrementa; aurum offerunt, quia fortunam præsumunt meliorem.

Didicit Moab commiserationis exerci- 5.
tio, & hospitalitatis studio negotiationem exercere, & sibi Regis comparare gratiam, & pinguiorem sibi providere fortunam; & dum consuluit perhumano hospitio indigentiæ nobilium, quales fuerunt Davidis parentes; crevit ipse meritis. David parentes suos utpote senio prægravatos, nec secum poterat ducere, nec absens ijsdem consulere: quapropter Moab eos benignè excepit hospitio, & liberaliter enutrivit: *reliquit eos ante faciem Regis Moab, manseruntque apud eum*, quos ut nobiles licèt extorres in suam Rex Moab suscepit tutelam. Prudens Rex maluit opes suas in nobilibus indigentibus impendere, quàm in alendis feris, ac parasitis pecunias profundere: non enim eum latebat beneficia indigentibus præstita in uberrimam excrescere segetem meritorum: voluit Davidem sibi devincire, ejúsque gratiam promereri munifica illa liberalitate, quâ ejus parentes, & proximos suscepit hospitio.

Hoc idem præstitit Rahab, quæ Jo- 6.
suë Exploratores, fame pressos, siti tortos, periculis cinctos recepit, & ipsa officiosa hospitio, & abscondit in intimioribus domûs suæ recessibus, ne ulli innotescerent, ob vitæ discrimen, quod imminebat. Josuë successor Moysis in magistratu in ipso sui muneris aditu, omnes probi Imperatoris partes obiturus, non priùs expeditionem Dei jussu statutam in Chananæam suscipiendam cogitavit, quàm per Exploratores emissos hostium vires exploraret, & præsertim mœnia, civésque armatos urbis Hierichontinæ, quæ inter primas erat obsidione cingenda, armatóque vallanda milite. Tametsi exploratores scirent, quanto sua capita objicerent discrimini, fiducia tamen

freti

freti divini præsidij iter suscepêre, & superato Jordane sub solis occasum ad urbis Hierichontis appellunt portas, quas ementito habitu, ac nomine ingrediuntur, séque in ædes mœnibus vicinas conjiciunt. Morabatur in domo illa Rahab fœmina ob infamiam prostituti corporis famosa, cùm sacer textos eam meretricem asserat; transacta ibi nocte postridie urbem Hierichuntinam dissimulanter circumeunt, muros lustrant, quibus cingebatur sedulò explorantes omnia, & ubi præsertim esset urbs expugnatu expeditior; qui, & quales essent intus milites, ac cives armis tractandis idonei itidem observârunt, ad suum sub vesperam se hospitium recipientes.

7. Verùm non potuerunt munus hocce ita dissimulanter obire, quin suspicio aliqua animos pulsaret civium, qui re ad Regem delata per lictores, & emissarios sategerunt exploratores comprehendere, ac in vincula conjicere. Cúmque id præsensisset callida mulier peregrinos abscondit in solario, seu parte domicilij superiore, quos & lini stipulis, quas ad solem expansas siccabat providè cooperuit: sed mox superveniunt Regis Emissari, & lictores, advenas perquirentes, quos ut mulier pio obtegeret mendacio respondit, viros quosdam ignotos paulò ante apud se cœnatos discessisse, qui si proditionis alicuius habeantur suspecti posse, facilè eos de via ab insequentibus retrahi, dummodo quævis disrumpatur mora, & celeritas adhibeatur. Circumventi exploratores fœminæ verbis, omissâ domûs perscrutatione, ne cunctando tempus darent fugientibus, cucurrerunt illicò festinanter per viam, quæ ad Jordanem fluvium ducebat, rati fluminis obstaculo fugam insidiatoribus interclusum iri. Mox mulier adit hospites, quibus indicat, in quanto versentur mortis discrimine, quos tamen ipsa vel capitis sui periculi servatos cupit.

8. Cur tanta in Rahaba misericordia, quæ non solùm Exploratores recepit hospitio, verùm etiam cum sui capitis periculo abscondit. Respondent sacri Interpretes Rahabam prævidisse, Josuë ad totius illius Regionis dominium perventurum, proinde sategisse impensâ ejus Exploratoribus misericordiâ futuram sibi coëmere incolumitatem. Prævidebat fœmina, quamvis ex sui corporis viveret quæstu, omnia sua brevi peritura, ideóque ut cætera redimeret, aliquid ex suis facultatibus voluit impendere in beneficium exploratorum Josuë tunc indigentium, & in vitæ discrimine versantium, quò non solùm reliquam suam servaret supellectilem; verùm etiam impensum beneficium ingenti fœnore reciperet auctum: ait ipsa. *Novi,*
4.Reg.c.26. *quod Dominus tradiderit vobis terram:* illud verbom *tradiderit*, per modum præteriti more hebræorum æquivalet præsenti, ut notat Lyra, inquiens; *Loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinem suæ fidei, quia tenebat ita certum, ac si jam esset factum*, hinc etiam Apostolus Rhaabæ fidem commendans ait ad Hebræos: *Fide Rahab meretrix non perijt cùm incredulis, excipiens Exploratores cum pace.* Epist. 11.

9. Si quæras, quænam fuerit illa fides: non censeas aliam fuisse, nisi quia credidit, populum Israëliticum in possessionem inducendum Chananitidis, ideóque peregrinos illos exploratores excepit hospitio, non ut proditores, sed ut Dei nuntios, quos ingenti hospitalitatis cumulavit beneficio; quod tamen non perdidit; quia incrementavit, quæ in beneficium ipsa impendit Exploratorum; etenim, quæ hospitalitatis exercuit officia, multiplicato fœnore recepit: abstersa siquidem turpitudinis, & idololatriæ labe ob exercitam hospitalitatem, ob studium misericordiæ impensæ in Josuë exploratores meruit ipsa Salomonis connubium: & ut ex ejus stirpe nasceretur Messias, ut notat D. Chrysostomus, inquiens. *Erat Rahab in fornice, ac lupanari velut in volutabro confusa margarita, aurum in lutum abjectum; flos spinis confossus; per fidem verò vivam margarita è volutabro, aurum è luto, flos è spinis emersit.* Homil. 5. de pœnitent.

10. Quòd si calicem frigidæ sitienti exporrectus Deus remunerator in fontem cœlestis ambrosiæ commutat, quantò magis officiosæ charitatis obsequia, & propriæ salutis discrimen, ut periculum caveat alienæ, compensabit? scitè secum ratiocinabatur mulier: non vereor, quin singula, quæ possideo, sint à me citissimè recessura, ac in alterius perventura potestatem: quid ni opportuna se se mihi occasio exhibet, ut in alendis Josuë exploratoribus non solùm indigentibus, & fame pressis, verùm & in vitæ discrimine versantibus aliquid ex meis expendam facultatibus, ut saltem si beneficia seram, sim merita aliquot collectura; quód si futurum mihi obstrinxero Regem collatis beneficijs in suos famulos, non dubito, quin aucto fœnore sim expensum receptura.

§. II.

Alienæ, qui consulit calamitati, propriam à se longiùs abigit: quia propria excutienda miseria nullum amuletum aptius commiseratione, & beneficentia, quá ærumnosis opitulamur.

11. NUllum contra infortunia tutius amuletum beneficentiâ: alienæ, qui subvenit calamitati, propriam avertit; quia beneficij fructus, aut colligitur statim, vel uberius transit in fœnus, si ab accipiente spectetur: est enim beneficium benevola, & honesta actio tribuens gaudium; recipiénsque

piénsque tribuendo, quòd benefaciendo recipit, jam ab accipiente non pendet, & eo ipso, quo vir misericors alijs benefacit, sibi consulit. Hujus veritatis testis fuit Rahab, quæ exploratores è fenestra dimisit per funem, & funiculus ille, quo eos liberavit,
Josuë cap. 2. sibi libertatis tessera fuit. *Demittensque, eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* cùm Rahab à Regijs emissarijs, & lictoribus liberâsset exploratores, eos enixim rogavit, quatenus memores vellent esse, quanto suo discrimine eorum saluti consuluisset, & urbe per vim occupatâ sibi, suæque familiæ parcerent; quod exploratores ultrò promisêre, ac juramento firmârunt, eique in tesseram sponsionis funiculum dedêre coccineum suspendendum in urbis expugnatione ad fenestram, per quam demissi fugæ se dederunt, ne quidquam damni ei inferretur, agnito illo tutelari symbolo. Alienæ igitur libertatis instrumentum suæ fuit incolumitatis pignus, & eodem funiculo, quo exploratores ab insidijs liberaverat, è domo sua omnia exclusetat discrimina: ait Lyra: *petiverat Rahab ab exploratoribus, ut darent ei certum signum salvationis suæ, & suorum, & ipsi dederunt pro signo, quòd funiculus, per quem dimissi fuerant, ligaretur in fenestra.* Ecce salvationis suæ signum aliud non fuit, quàm auxilium exploratoribus misericorditer præstitum; eodem funiculo, quo discrimini consuluit alieno, pericula antevertit propria
Homil. 3. D. Augustinus in Josuë, *per funiculum coccineum Christi sanguinem intelligit, in quo una salus est omnium hominum. Per domum Rahab ecclesiam ortodoxam, cujus ostium, qui egressus fuerit, sanguis ipsius erit super caput ejus, utpote aeternum perituri.*

12. Cap. 21. Rupertus in Josuë. Per funiculum explicat Crucis signaculum jugiter in fronte pingendum, & in fenestra tanquam ante oculos habendum in memoriâ Christi patientis, & vires ejus ab exemplo hauriendas. Sed pulchriùs funiculus coccineus pro tessera sumitur auxilij suscipiendi ob beneficium exploratoribus impensum: non enim, quod in egenos, & in periculis constitutos impenditur miserationis officium, & charitatis exhibetur beneficium, finit datum corrumpi, ac perdi. David edisserens Christi corpus à tabe corruptionis fore immune cecinit. *Non*
Psal. 15. v. 10. *dabis sanctum tuum videre corruptionem*, sed si totum Christi corpus cruci defixum sustollitur, si Libani cedrus immortalis in patibulum diræ necis convertitur; si botrus Cypri dulcissimus in poculum aceto, ac felle permixtum amarescit; si manus olim tornatiles aureæ, nunc crucis affixæ, plenæ sunt, non ferugineis, sed ferteis hyacintis; si tempora fentibus, si pectus vulneribus, si pedes clavis; si totum corpus vibicibus saucium sanguine madet, cur immune esse dicitur à corruptione? vel si corruptio sepulchralis Christi corpus divinitatis illitum balsamo corrumpere, & devenustare non audet, cur mors non expavet suo gelu florem campi pulcherrimum excoquere? aut si mors audet in ipsum sævire, tur mortis timent appendices ipsum tangere, ac lædere? si mors vitam profligavit, cur corruptio corpus non prostravit? cur igitur, cum fuerit corpus morti obnoxium, à corruptione sepulchrali fit immune? quia quo tempore jacuit Christi corpus in sepulchro ejus anima viros pientissimos ab inferni vinculis, contagióque corruptionis liberavit, quapropter *Math. 27. v. 52.* dicitur. *Multa corpora sanctorum surrexerunt.* cum igitur corruptionis ignominiam tunc Christus ab aliorum abegerit corporibus, has putredinis sordes à proprio etiam excussit corpore: scitè Eusebius Emissenus ait. *Nec corpus tenere potuit sepultura, quæ per illud triduum usquaquam carnem mortali corruptione violabat: quia in inferno sub eadem mora omne regnum mortis anima destruebat.* Quia Homil. de latrone beat. 10. in triduano illo spatio Christi anima mortem expugnabat, & sanctorum corpora à corruptionis fœtoribus absolvebat, debuit eandem corruptionem à se abigere, quam ab alijs avertebat.

Cur immune fuerit Christi corpus à 13. sepulchrali corruptione multiplex potuit causa assignari, ut virginitatis privilegium, sanctitatis antidotum, divinitatis unctio: maluit tamen Eusebius producere alienam liberationem à corruptione: *quia in inferno sub eadem mora regnum mortis anima destruebat.* Siquidem triduana illa mora corruptioni vectigalis futura videbatur; sed quia tunc, cùm alienæ mederetur corruptioni, corpus vermes pati nequibat. Christus igitur in ipsa collatione beneficij, dum corpora sanctorum à fœtoribus absolvit corruptionis, fructum percipit collati beneficij, & alienæ corruptionis remedio sui corporis obviat violationi, quia ut scitè Eusebius. *In inferno sub eadem mora regnum mortis anima debellabat, sepultura usquaquam carnis mortalis corruptione corpus violabat.*

Beneficium, quod benefica commiseratio alijs impertitur, auctum in commiserantem refunditur: idq; ritus apud Arabes 14. eleemosynam extorquendi videtur exprimere: refert Augerius Busqner. Moris esse apud Arabes, ut eleemosynam petituri munu- Epist. 2. sculum aliquod offerant, vel florem, vel pomum, vel quid aliud, ut aliquid plus indè accipiant ab ijs, quibus munusculum offerunt. Quasi piscatoriem exercentes, escam projiciunt, piscem capturi: vel colonos æmulantes exigua jaciunt semina manu, multiplicatam segetem demessuri, ait ille. *Arabes non passim, nec ab omnibus mendicant, sed vespere prætereuntibus sebacteam candelam, malum citrinum, vel punicum obtrudunt, ut numum, qui duplò, triplóque pluris sit, recipiant; ut vendere potiùs, quàm turpiter* rogare

rogare videantur. Beneficium, qui impertitur, non perdit, quod dat, sed serit; fructum suscepturus uberiorem. Quòd si ab ægro, & malè valente manus medico extenditur, ut venam exploret, & ægritudine laborantem pristinæ restituat sanitati; etiam dives pauperi manum porrigit, non tam, ut pecuniam largiatur, quàm ut vel ab ipso mendico, quasi medico sanitatem recipiat, animæque salutem.

15. Beneficium, quod commiseratio pauperi impertitur, impertienti augetur ad salutem: & is detrectat sanari, qui renuit manum mendico porrigere: huc flectitur, quod dicitur.

Luc. 6. v. 10. *Extendit, & restituta est manus ejus*, seu sana facta est. Quis non videat in hac manûs extensione expressum symbolum beneficæ commiserationis, quâ impertitis eleemosynis pauperibus opitulamur: id tamen interest discriminis, quòd in eleemosynæ largitione non manus sanatur; sed mens, quæ morbo laborabat avaritiæ, convalescit, & salvatur.

In cap. 6. Luc. Apposité S. Ambrosius, in hac manus extensione exporrectum ægrotanti pharmacum vidit, & eleemosynam ab impertiente veluti medicinam à medico impertitam mendico, ait ipse: *Extende manum tuam. Communis ista, generalisque medicina est, extende sapius eam ad illum pauperem, qui te obsecrat. ac si per ipsum adepturus sis sanitatem.* Mediolanensi Antistiti succinit S. Petrus

Serm. 32. Chrysologus, ubi cum dixisset. *Manum dives in opere pietatis extendat, relaxet eam in misericordia, in eleemosynis porrigat*, postea subjicit. *sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari: respicit medicinam, qui eleemosynam non prabet.*

16. Non solùm temporariam, verùm etiam æternam rependit eleemosyna salutem: est enim paupertas, cui per impertitas eleemosynas succurrimus scala, per quam ad æternam in cœlis salutem scandimus. Acutè Hebræorum Doctores expendentes scalam, quam Jacob Patriarcha nocte intempesta, & somno sopitus vidit, ab imo terræ pro-

Genes. 28. tendi ad cœlum usque: observant Expositores hebraicè nomen *Sullam*, quod latinè scalam adsignificat, eundem numerum producere, ac *Nghani*, quod latinè *pauper* dicitur. Inde conjicitur nexus paupertatis, & scalæ, & faciliùs ad cœlum eum ascendere, velut per gradus, qui expeditus à rerum terrenarum pondere est; & is eò fit levior, & expeditior, quò plura pecuniarum onera pauperibus erogat. Quis eat inficias, cum paupertate cohærere scalam, quæ pauperem, & divitem pauperi opitulantem ad cœlum evehit? dum enim dives eleemosynam ad pauperum miserias levandas profundit, in sublime erigitur; & veluti per scalæ gradus ad cœlum conscendit. Beneficentiâ, & eleemosynâ divitiis affluentes scalam ad cœlum usque sibi struere affirmat

In cap. ult. v. 1 Petrus Blesensis, inquiens. *Eleemosynis propria manus vobis scalam, & ascensorium erigatis ad illam supernorum civium mansionem, in qua est pax aterna, quies immutabilis.*

Térque, quatérque felix est, qui in pro- 17.
fusis eleemosynarum elargitionibus hanc sibi struit scalam, quia viam sibi sternit ad cœleste regnum, & quidem meliori nixu, quàm Jacob Patriarcha. Si igitur pauperes nostræ erunt substantiæ consortes; erimus & nos Regni pauperum, seu cœlestis, participes, id nos edocuit Deus, cum superam nobis suam gratiam communicavit, quò inde disceremus. & nos substantiam nostram cum pauperibus habere communem: si enim voluit Deus sacramenta divitibus æquè, & pauperibus communia esse, æquum est, ut terrena bona sint itidem divitibus, & pauperibus; nobilibus, & ignobilibus; illustribus, & obscuris communia, ut rectè ursit D. Maximus, inquiens, *Homil. in vigil nativ. Domini.*
Simus imitatores Domini nostri, si enim ille pauperes in cœlesti gratia voluit nobis esse consortes, cur nobis non sint in substantia terrena consortes? nec extranei sunt alimoniis, qui fratres sunt sacramentis

Beneficia, quæ aliis impertimur, nobis 18.
ipsis incrementamus, est enim beneficentia, quæ colonum imitatur, qui grana serit uberiorem demessurus segetem: tutus est portus, qui à fluctibus eos tuetur, qui in ejus se sinum recipiunt, imò & ad portum docit cœleste cultores suos, quos non sinit in fluctibus periclitari diviriarum, idque causæ fuit Davidi, cur Saulis iram, & imminens periculum declinaturus, postquam demissus per fenestram fuerat, Achimelechum adjerit, & dissimulatâ inopini adventûs causâ panes petierit, quibus vires reficeret, & gladium, quo ab injusto se defenderet aggressore; exhibuit utrumque Antistes, & panes ad vires reficiendas, & gladium ad vitam tuendam, sed non alium, quàm quo ipse Goliathi caput amputaverat. *Di-*
xit sacerdos, ecce hic gladius Goliathi Philisthai, quem percussisti in valle Therebinti, est involutus pallio post Ephod, si istum vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo: & ait David. si non est huic alter similis, da mihi eum. *1. Reg. cap. 21. v. 9.*
Inquitunt sacri Interpretes: num gladium jam Deo dicatum in anathema prostrati Goliathi, & delatæ victoriæ licuerit Davidi accipere, ac in usus convertere profanos: sed si id datur necessitati, ut si hæc urgeat, fas sit panes comedere propositionis, & spicas die sabbatho evellere; cur jure defensionis non fuerit etiam Davidi licitum gladio obarmari Numini consecrato? discutit hanc quæstionem D. Ambrosius, qui *Lib de offic. cap. 28.*
docet, urgente gravi necessitate, qualis fuit illa Davidis licitum esse, vasa etiam altari inservientia, & Deo sacra confringere, ac vendere, ut eorum pretio fame fracti reficiantur, & non pereant pauperes; unde non dubitârim licuisse etiam Davidi ad propriam tuendam vitam, ad se defendendum

fendendum

fendendum ab injusto aggressore gladio uti Numini jam dudum dedicato.

19 Sed cur David gladium, quo caput amputaverat Goliathi cæteris prætulerit, & nullum adæquè utilem ad propriam tutandam vitam censuerit? dixeritque propterea, *si non est huic alter similis, da mihi eum:* cùm enim appensus hæsisset jam diu parieti, potuisset rubiginem otiosus contraxisse: imò & ejus acies jugulo gigantis amputato retusa minùs apta propriæ defensioni videri potuerat, cur igitur, cùm alij non defuerint gladij, & arte præstantiores, & materia aptiores, illum voluerit cæteris præferre, quô gigantem prostraverit, ejúsque caput abscîderit? quia nimirum eo gladio ingens Israëliticæ genti præstiterat beneficium, cùm eam à gravissimo metu, ab imminenti periculo liberaverit: eodem igitur gladio, quo periculum avertit alienum, securiùs censuit, potuisse suum depellere, & beneficio alijs præstito sibi tutiùs consulere; pulchrè Basilius Seleuciensis. *Inermis pugnator sublato Goliath gladio Dominum dividit, armis in usus debitos versis:* & paucis interjectis subdit: *spiritus hostium unà cum cadente Goliath ceciderunt, stetitque trophæum, & in fugam actus hostis, terga telis præbuit, fuga testes vulnerum loca reportans, & à servitij metu liberatus Israël.* Oratio 13.

20. Gladium, qui ab Israële timorem omnem excusserat, instrumentum assumpsit David propriæ securitatis, sciens impertita alijs beneficia in uberius redundare impertientis beneficium, & quia Goliathi gladio imminentia abegerat à timido Israële discrimina; veritus non fuit proprium declinare periculum eodem obarmatus. Probro non laborat beneficentia sterilitatis, fructus profert suos, & eò uberiores, quò largior in alios derivatur. Fluere aquarum instar divitias Deus voluit, ne in earum amore sisteremus, & tunc securè possidentur, si pauperibus distribuantur. Quòd si suis exagitatur fluctibus divitiarum mare, quærendus in hisce undis portus est: est autem portus iste ipsa beneficentia, quæ à naufragio nos subtrahit, & ad æternam nos pertrahit tranquillitatem; ideóque in divitiarum pelago beneficentiæ portum quærere satagat, qui mergi fluctibus divitiarum pertimescit; eleganter S. Petrus Chrysologus. *Qui intrat carnis pelagus, scindit vitiorum fluctus, inter scopulos criminum transit, præterit litora passionum: nisi citò portum pietatis intraverit exerere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum:* qui igitur divitijs affluunt, ne cum earundem fluctibus fluctuent, portum adeitantur beneficentiæ appellere; est enim beneficentia; quæ in pauperes exercetur portus, in quo non merguntur, quotquot in ejus se sinum recipiunt; quia ut ait D. Chrysostomus. *Si ad pauperem manus* serm. 42. Homil. 67. ad popul.

extendes manum, ipsum cæli verticem tetigeris, qui enim illic sedit, eleemosynam suscipit, & homil. 9. *de pœnit.* vocat eleemosynam virtutum reginam, quæ celerrimè in cœlorum axes adducit, & postea subdit: *Da panem, & accipe paradisum.*

In diarijs cœlestibus beneficæ commiserationis in pauperes, & profusæ largitatis habetur ratio, & in cœlorum tribunali primus, ac præcipuus locus negotijs datur pauperum, quibus per erogatas eleemosynas fuimus opitulati, pulchrè S. Petrus Chrysologus serm. 14. *Quòd Abel passus sit, quòd servavit mundum Noë, quòd Abraham fidem susceperit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solùm, quòd comedit pauper. In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis.* Primus igitur in cœlesti tribunali locus datur beneficio pauperibus impertito; & hi alijs præferuntur in cœlis, qui primum in terris locum dedêre beneficentiæ, ac commiserationi: nec credas perire in terris, quod benefica commiseratio dat pauperibus: hoc idem manus pauperum suscipiunt, non ut terris insepeliant, sed cœlis inserant: tantam enim habet cognationem cum cœlo benefica commiseratio, quâ pauperum profusis eleemosynis levamus miserias, ut soli misericordes ibi recipi videantur: Cœlites enim, qui æterna sunt gloriâ insigniti ob misericordiæ opera, quæ vel in re, vel in affectu exercuêre, cœlestem præcipuè fuêre beatitatem consecuti, ut mirum non sit, si in sacris litteris sub uno, eodémque nomine lateant sancti, & misericordes. *Exultabunt sancti in gloriâ*, ubi Pagninus in lexic. legit, *Exultabunt misericordes in gloriâ*, ac si qui in cœlo regnant, dum viscera induerunt in terris misericordiæ, sanctitatem vestierint in cœlis; & apud Deum sancti, qui in cœlo regnant, & misericordes, qui in terra vivunt, vix discriminentur: idque causæ, cur qualitates cœlestis beatitudinis etiam in terris corpora contraxerint eorum, qui beneficam in pauperes exercuêre commiserationem: scimus enim aliquorum manus incorruptas post mortem in sepulchro remansisse ob solam in pauperem beneficentiam; & manus quod exercuêre commiserationis: Scimus Ugis Homoldi manus post mortem in sepulchro à putredine servatas fuisse immunes ob solam misericordiam in pauperes erogatam, ut refertur *in speculò exempl. tit. misericordia n. 9.* 21. Psalm. 149.

Beneficium, quod alteri impendimus, in emolumentum semper redundat benefacientis. Cæsaria Exactores Christi Discipulos adierunt quos, & eorum Magistrum, Cæsari non pependisse tributum minaci vultu criminantur. *Quare Magister vester* Matth. 17. v. 24.

non solvit didrachma? erat didrachmij tributum, quod olim Cæsari teste D. Hieronymo solvebatur; & quia hæc exactorum criminatio Christum non latuit, licèt immunis à quovis esset tributo, maluit tamen tributo subjacere, quàm esse exactoribus scandalo. & à pisce vectigal mutuatur Cæsari dandum, jussítque, Petrum marinos adire fluctus, hamúmque dimittere, & eum piscem adducere, quem primum extraxisset, alloquens Christus Petrum ait; *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies, staterem, da eis pro me, &c.* Non pauperi, sed diviti pisci marinos inter fluctus insidiæ tenduntur; licèt piscis reliquis opulentior fuerit, deglutito statere ditior, adhuc primus omnium hami inhiavit vermiculo, & avidiùs in medio mari aurum servavit, quod in undis ardentiùs sitiverat; & hamo captus sanguinem priùs, quàm aurum expuit, illum effudit, & hoc servavit: adeò auri sacra fames etiam pisces urget, ut hi sanguini, & vitæ illud præferant.

Matth. 17. v. 26.

23. Sed cur, si à solo Christo didrachmum exigitur, aliud etiam pro Petro solvitur? quòd si pro Christo Magistro, & Petro discipulo solvendum erat, cur non duplex didrachmum offertur, sed unus duntaxat stater exhibetur in vectigal: erat stater duorum didrachmorum pondus, & moris erat, ut unusquisque pro se didrachma unum redderet: maluit unicum pro utriusque tributo dare staterem, & non duplex, ac divisum didrachmum, quo *uno, eodémque pretio* ait D. Hieronymus, *Dominus & servus liberaretur.* quasi dicat, Petrus famulus pro Christo Domino solvit, sed eodem pretio tributi exactoribus etiam pro se satisfecit, à Petro licèt nondum exigeretur tributum, voluit tamen eodem pretio Dominum, & se, à minis liberare Exactorum, ac importunis querelis, quibus divexebatur: staterem obtulit, ne à se tributum exigeretur, & eodem pretio Dominus & servus à querelis exactorum liberaretur. Idem stater duplex continebat didrachmũ, proinde licèt unus tantùm esset stater, duplex tamen didrachmũ, quod piscis servavit pro Petro unum, pro Domino alterum, quò uterque à querelis liberaretur, & ab utroque tributum solveretur. Sed idem indivisum pretium non esset pro utroque solutio, nisi nobis innotesceret, beneficium alteri præstitum, etiam benefacienti prodesse: dedit Petrus pro Domino tributum ex pisce exenterato erutum, & pro se etiam satisfecit uno, eodémque pretio; scilicet eodem non diviso, nec diverso pretio Dominus, & servus liberantur ab exactorum querelis, quia beneficium, quod præstitit Petrus solvendo pro Domino, profuit etiam sibi, ut inde discamus, quàm benefica sit, quæ in pauperes exercetur commiseratio; quæ in beneficium dantis etiam refunditur. Ad nullam tenebatur Christus tributi solutionem, cum nulli Deus subjiciatur: sed quia Cæsarem noverat tributi universalis indigum, jussit Petrum dare pro se, & Domino, quo inde disceremus, quòd ubi de indigentia proximi subvenienda agitur, transit in tributum ex debito solvendum, quod est munus ex liberalitate donandum. Est proximi indigentia, quæ non solum ad commiserationis studia erudit, & exercitia pietatis; verùm etiam latâ lege obligat, ad opitulandum miseris, ac indigentibus.

§. III.

Propria cujusvis indigentia lex est ab ipsa natura nobis indita, intimans exercitia pietatis, studia misericordiæ, ut de nostra condolentia eruditi, alienam discamus excutere.

24. CUm ad redundantiam christianæ pietatis plura edocuisset Christus de benefica in pauperes, & indigos benevolentia, & aliquot de fundendis precibus misenisset præcepta, eò tandem rediit, unde exierat, & ait. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim est lex, & Prophetæ.* Perpende, quæso diligenter, quid tecum velles fieri, si nudus frigore algeres, si famelicus viribus deficeres, si sitibundus æstu torquereris, si ægrotus jaceres in lecto, si delapsus in foveam, non posses inde surgere: certè, si opis alienæ indigus esses, aliquem cuperes, qui tuæ subveniret indigentiæ; si fame perires, velles panem tibi suppeditari; si siti æstuares, aliquem desiderares, qui haustum saltem frigidæ porrigeret; si laceris, ac detritis vestibus tua alijs pateret nuditas, & dedecore tu erubesceres, vel alia calamitate premereris, amictum velles, quò propriam tegeres erubescentiam, & tuum abstergeres dedecus: quòd si hæc tibi velles fieri ab alijs, si prærecensitis esses miserijs pressus; hæc eadem necessè est, præstes, & tu alijs: hæc enim beneficentiæ officia etiam extra limites extremæ indigentiæ exhibenda sunt, Tua necessitas hanc tibi legem injungit, ut quæ tunc tibi velles fieri ab alijs; eadem & tu alijs facias. Appositè Nazianzenus in orat. de pauperum amore expendens præfata verba. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ*, ait ipse: *Condolentiam velut lata lege sanxit ex eadem, nimirum infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.*

Matth. 7. v. 12.

Matth. 7.

25. Nostra propria indigentia, & miseria nobis lex est misericordiæ, & non solùm nos erudit ad studia pietatis, verùm etiam obligat ad exercitia misericordiæ, ut de nostra condolentia eruditi alienam excutiamus, & ex miserijs, quibus premimur, discamus alienas abigere: jubet lex ista, ita

nos

nos malis alienis affici, ut alios erga nos affici, concupiscimus; quòd si de inhumanitate erga nos meritò conquereremur, de nostra itidem inhumanitate conqueritur proximus, cui non opitulamur indigo, non subvenimus misero, non succurrimus calamitoso: misericordiæ exlex est, qui alienas non satagit miserias levare, mœrores excutere, lachrymas abstergere, qui enim in aliena calamitate non condolet, condolentiæ legem erga se abrogat; quia ut scitè Nazianzenus: *condolentiam velut lata lege sanxit ex eadem nimirum infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.*

26. Hanc legem cùm novisset Tobias senior nil impensiùs juniori commendavit,

Tob.c.4.v.7. quàm exercitia misericordiæ in pauperes: *Cave ne aliquando prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam. Quomodo potueris esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*, tametsi misericordia cum Tobia nata fuerit, & cum eo adoleverit; nihilominus postquam declinaturus Regis iram fuit bonis spoliatus, pecuniâ destitutus, facultatibus privatus, quia misericordiam, quam in alios exercueras, & sibi tunc cupiebat, invenit, ab Achiacharo protectus, & enutritus; tunc misericordiam in egenos exercendam inter Dei præcepta recensuit: quasi præceptorum appendicem, ac si quæ ex misericordia erogantur mox ex justitia deberentur, & misericordia vocabulum gratiæ à se excuteret, illud justitiæ, & obligationis suscepturа: & ad

Proverb.21. v.3. id fortassis allusit Salomon cùm ait; *Facere misericordiam, & judicium magis placet Domino, quàm victima:* ubi tamen ante Clementis correctionem pro *misericordia* legebatur *Justitia*, & consentiunt aliæ hujus loci scriptiones; hebraicè enim, & chaldaicè legitur *facere justitiam, & judicium*. Et septuaginta Interpretes ab abstracto ad concretum transeuntes legunt *facere, & vera*.

27. Quæ igitur misericordiæ nomine significatur, justitia est; & ipsa eleemosyna, quæ dicitur ex misericordia profecta, ex justitia est debita; adeò ut eleemosyna non tam sit donum ex misericordia, quàm debitum ex justitia, quod Ecclesiasticus cunctis seclusis

Eccles.cap.4. v.8. ambagibus clarè edisserit inquiens: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum:* vocat eleemosynam, quæ ex commiseratione in pauperem proficiscitur, debitum, non donum, quia qui dat indigenti non sua dat, sed accepta reddit. Rogatus Phocion Atheniensis, ut aliquid conferret ad solemne sacrificium, quod jam alij non gravatè præstitissent repoluit: Me verò puderet donare vobis, & huic non reddere, cui jure debeo, & tunc cùm hæc verba ore proferret, suum digito ostendebat creditorem; censuit enim gratiùs Numini fore, si solveret, quod ipse deberet suo creditori, quam donare alteri tantò ...ditori. Creditores nostri sunt pauperes hisce potiùs reddere, quàm alijs addere tenemur; jus inest pauperibus ea à nobis exigendi, quæ ijsdem necessaria sunt: & iniquum est aliena jura defraudare, impium est creditorem re sua destituere, & eam alijs non donare; quapropter scitè monuit Ecclesiasticus: *inclina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* Idque

iterum inculcat Siracides inquiens: *Et mandavit illis unicuique de proximo suo.* Ne Cap. 17. v.12.
quis fortè diceret, ego rem meam gero, meis ego loculis attendo, quid alius agat, non curo. Non sufficit sibi attendere, quia Deus mandavit, ut quisque sibi, & proximo suo attendat; & injuriam alteri irrogat, qui solùm se ipsum curat, & alteri indigenti, cum potest, non prodest.

Fatuæ virgines non fuerunt à nuptijs 28.
exclusæ eò quia aliena non rapuerint, sed quia propria non dederunt, & non curârunt proprias lampades oleo adornare misericordiæ, quam exercerent in alios. Servus deses, qui susceptum à Domino talentum humo defodit, graviter punitus est, non quia aras spoliâsset, templa expilâsset, ex rapto vixisset, alienum sanguinem fudisset; sed quia concreditam sibi pecuniam non auxisset, & debitum suo proximo non reddidisset. Sunt qui sibi duntaxat attendentes se ipsos tantùm curantes dicunt cum Evangelico divite: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe epulare*, contra quos zelo succensus exclamat Basilius *homilia in illud destruam horrea* inquiens: *O absurditatem! si suilem haberes animam, quid aliud dicere potuisses? destrue omnem domum, avaritiæ custodem, subverte fornices, demolire muros, ostende soli frumentum cariosum, educ ex carcere vinctam opulentiam, duc in triumphum tenebrosa mammonæ tabernacula. Habes horrea, si voles, domum pauperum, recondе tibi ipsi thesauros in cælum. Quid est, quod impedit largitionem? non adest indigus? non sunt plena horrea? non parata merces? non præceptum clarum? esuriens consumitur, nudus riget, unam nosti vocem. Non habeo, neque dabo. Sum enim pauper. Revera pauper es, & omnis boni inops; pauper humanitate, pauper fide in Deum, pauper æterna spe. Cui inquis injuriam facio, si mea retineo, atque conservo? qualia dic mihi tua? unde accepta in vitam intulisti? si à casu spontaneo dicis, impius es. Cur ergo tu dives es, ille verò egenus? profectò omnino quò & tu bonitatis, ac fidelis dispensationis mercedem accipias dans eleemosynas, & ille ob magna patientiæ certamina, præmia referat. Vide igitur quid facias, qui non solùm detines, quæ tua sunt; sed etiam quæ sunt proximi. Esurientis est panis, quem tu detines: nudi est pallium, quod tu*

in vestiario conservas: discalceati est calceus, qui apud te computrescit: indigentis est argentum, quod apud te defossum est. Vidésne divitias esse animarum redemptiones, & qui servas eas, perdere; qui verò perdit propter Deum, conservare.

29. Quis igitur tam injustus, & iniquus est, quàm immisericors, qui alienæ indigentiæ opitulari detrectat; qui proximi miserias levare negligit; qui multorum alimenta proprias facit delicias, & quæ pascendis pauperibus destinantur ad solam propriam abundantiam detinentur: neque minus est crimen habenti tollere, quàm indigenti non dare; famelico panem non suppeditare; sitienti haustum non porrigere; nudo amictum non extradere: siquidem esurientium est panis, quem immisericors apud se detinet, nudorum est indumentum, quod reclusum in arca servat: miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam vel in terram defodit, vel in cistis recondit; aliena igitur rapit, qui indigenti, cùm possit, non opitulatur. Liberalitatem, quam exercuit cacodœmon, ut hominem perderet, non exercet homo, ut Deum lucretur; obtulit unicum Diabolus pomum homini & totum paradisum eidem rapuit; Deus paradisum nobis offert, & pomum à nobis petit; imò etiam quid pomo vilius, nempe panis buccellam, æreum nummulum, frigidæ haustulum, & tamen adhuc deliberamus, num Christo fidere, & obolum cum paradiso velimus permutare, an non luculenta est, ac insana hæc fatuitas? quæ est ista animarum insania ait D. Augustinus de verbis Domini. *Acquirere aurum, aut retinere, & perdere cælum! sed quia nemo cogitat Deum; ideo manet in morte judicium.* Serm. 15.

30. Ea pertæpe laboramus fatuitate, ut pomum rapturi, pictam cucurbitam enacturi, umbratilem voluptatulam acquisituri, mundi gaudium gustaturi, non curemus è paradiso excludi. Joannes beneficam Christi liberalitatem delineans air: *Vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.* Exotica videtur hæc vestiendi nova ratio, quâ cingulum non lumbos stringit, sed supremum pectus ambit; sed si causam disquiramus, rectè zona aurea præcingitur ad mammillas; cor enim Christi cum totum amore flagret rectè auro cingitur: aureum siquidem cingulum veram in pauperes misericordiam exercendam adumbrat: sicut amor commiserationis est pater; ita & eleemosynæ origo in stipe indigenti eroganda cingulum subinde aureum est, sed non pectori appositum, quia ex corde non profilit; liberalitas se prodit, sed non oritur ab amore, nec Christiana miseratione. Plerumque divitijs affluentes sumptibus non parcunt ab ipsis expensæ fiunt maximæ; pecuniæ profunduntur acervatim, sed non ut pauperes pascantur, nudi vestiantur, miseri succurrantur, sed ut luxus triumphet in epulis, ornatus fulgeat in vestibus, gemmæ niteant in supellectili: & quod pauperibus subtrahitur, in famulis, equis, imò & canibus impenditur: tametsi aureum sit hoc cingulum non tamen pectus ambit, quia propriam exambit vanitatem: & nil inde accedit pauperibus emolumenti, de quo gravissimè conquestus D. Chrysostomus aiebat è suggesto ad populum: *Dicimus, rodat tinea, & non comedat pauper; absumat vermis, & nudus non induatur; omnia tempore consummantur, & Christus non pascatur; licèt esuriat. Hoc est valde malum, quòd si præfata non verbis dicuntur, operibus tamen efficiuntur.* Homil. 37. Apocal. c. 1. v. 13.

31. Hanc à nobis contractam obligationem alienæ miseriæ levandæ nos edocturus Magister Christus, pactâ mercede ascendit in naviculam veluti in cathedram despumantes fluctus trajecturus, & in suam appulsurus civitatem: *Ascendens JESUS in naviculam transfretavit, & venit in civitatem suam*, quò nimirum divina nos edoceret mysteria, nostræque intentiùs studeret eruditioni, & in rebus visibilibus invisibilia exerceret negotia. Licèt Erythræi fluctus violento disciderit divortio, fugâritque è proprijs sedibus, ut profunda maris nudaret, & Israelitico populo inter stupentes, ac pendulas utrinque undas sicca aperiret itinera. Licèt marinos fluctus solidaverit, & fluctuum capita induraverit, ne calcata Petri pedibus indignata recederent, sed stantia inter liquidum solidum præberent humanis gressibus obsequium. Licèt cùm ventis imperaverit, & mari, statim tam marini fluctus, quàm ventorum impetus suo præcipienti Domino præstiterint obsequia; nunc tamen maris sibi denegat famulitium. Ait Chrysologus: *Et quid est, quòd sibi maris sic denegat servitutem, ut brevissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit inquit in naviculam, & transfretavit.* Magna sanè Christi dignatio, cum non nisi pacto pretio voluerit navim conscendere, & marinos fluctus trajicere! Mira dignatio, quod omnium largitor divitiarum, retúmque omnium conditarum dispoticus Dominus brevissimum lacum voluerit sub nautica transfretare mercede? Quid nobis impertit hæc transfretatio eruditionis. Pergit Chrysologus, & ad mores nostros informandos respondet dubio à se proposito, inquiens: *Et quid mirum fratres: Christus venit suscipere infirmitates nostras, suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare divina, accipere injurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre sanitates.* Mox causam adferens, cur sub nautica transfretaverit mercede subdit. *Quia Medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem, Christus ergo* Matth. c. 9. v. 1. Serm. 50.

si in

si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nil haberet, & nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio.

32. Mirum sanè quòd compassio in medico satagente infirmum curare tam exactè requiratur; ut nisi cum infirmo infirmetur, eum sanitati pristinæ non restituat; si ita est, perperam medicæ artis studiosi Gymnasia Hyppocratis, & Galeni Scholas frequentant, inutiliter impallescunt libris volvendis cum tota ratio curandi ab ipsa dependeat medici compassione: ait enim Chrysologus *Medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit:* tametsi artem medicam calleat; licèt peritissimus sit in arte, & plurimi ab hominibus fiat; nihilominus ait Chrysologus; *qui non fuerit cum infirmo infirmatus, non potest conferre sanitatem:* ita est ars medica pauperum ægritudinibus curandis, ac miserijs levandis in Schola duntaxat compassionis addiscitur, in qua alia non præscribuntur pharmaca, quàm quæ levandis pauperum miserijs sunt apta; eujusmodi sunt eleemosynæ, & subsidia charitatis. Idque fortassis causæ, cur Christus ægrè tulerit, quempiam è turbis filij expolscentem sanitatem appellâsse eum Magistrum: *Magister attuli filium meum ad te,* cur potiùs eum non vocavit filium Dei, vel cœlestem medicum, cùm ab ipso fore speraret, ut ejus filius pristinæ restitueretur sanitati? *Quid est* ait Chrysologus Serm. 58. *quòd iste non ad Deum venerat, sed ad Magistrum pervenerat? curam non à virtute exigens, sed ab arte,* ac si conquestus fuisset Christus, quòd ad se venisset, ut ad peritum in arte curandi, ut in artificem sanitatis inducendæ; non verò ut ad eum, qui benefica compassione affectus alienas sibi assumeret infirmitates; & cum infirmis infirmaretur, quò sanitatem ijsdem impertiretur, quia ut ait Chrysologus: *Medicus qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, non potest conferre sanitatem.*

Marc. 9. v.16.

33. Imò adeo salubris est, qui ex compassione eruitur aphotismus, ut utrique prosit, & opem ferat compassin, Medico danti, & misero recipienti; utrique sanitatem impertit, Medico, quia eùm infirmetur eum infirmo, plurimum adfert auxilij ad æternam sibi comparandam salutem; & misero, quia ejus abigit ærumnas, excutit miserias, & ægritudines expellit: quinimò plus commiseratio benefico commiseranti prodest; quàm alteri, eui eommiseratur: idque didicit Job in misericordiæ, & patientiæ Schola; licèt enim miseratio eùm eo nata fuerit, cum eo adoleverit, & creverit, adhue tamen utriùsque virtutis exercitio adeò profecit, ut diceret Job: *Auris audientium beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eò quòd liberâssent pauperem vociferantem. & pupillum, cui non erat adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum. Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum.* Licèt inconcussâ animi firmitate omnes sustinuerit cacodæmonis impetus, qui impetrata à Deo facultate in eum sæviendi, maximâ, quâ potuit vi adnixus fuit, eum expugnare: horrendo ulcere totum ejus corpus afflixit, & cum illo morborum omnium cohortem induxit, ut nulla esset membrorum pars à calce ad verticem incolumis: ebullierunt per singula corporis exulcerata membra vermes in purulenta tabe natantes, fuitque spectrum potiùs quàm homo, cujus fœtor naribus intolerabilis mephitim exhalabat; hinc omnium domesticorum veluti à putrescente cadavere fuga, præsertim eùm integro septennio ea lues Jobum torsisset. Et non solùm Acheronticus hostis Jobum invasit in proprio corpore; verùm & in familia, bonisque proprijs ad omnes nocendi vias semper intentus. Sabæos Hussææ regioni conterminos armavit, excitavit, ut in Jobi ditionam irruptione factâ mille quingenta majoris pecoris, seu boum, & asinorum capita abigerent, custodibus gladio peremptis, uno duntaxat excepto, qui nuntium calamitatis Jobo perferret. Mox alter superveniens dixit, voracem ignem septem millia ovium unà cum opilionibus sævo incendio delevisse, ne una quidem superstite victima, quâ Deum placaret. Huic tertius adjungitur famulus, qui lachrymis madens recensuit, Chaldæos assuetos rapto vivere parcitos in tres turmas, tria millia in præda abstraxisse camelorũ cæsis famulis præter unũ, qui tristissimæ stragis testis esset. Adfuit & quartus, qui nuntiavit, septem filios, & tres filias eadem convivantes in domo, vehementi turbine concussis, & quassatâ domo à fundamento, collapsis fuisse priùs sepultos ruinis, quàm mortuos. Probabile est, has calamitates Jobo retulisse dæmonem, qui scissis vestibus, vultu, manibúsque cruentis stiens, & mox ægro anhelitu singultiens totus in lamenta compositus animum Jobi excelsum dejicere adnitebatur; qui tamen nulla potuit clade perturbari, adeo ut nec prædones, nec fortunam, nec dæmones ipsos malorum omnium authores accusaverit; sed satis habuerit vestium dilaceratione intimum suum restari dolorem, & caput pro more lugentium obradere, imò coram luctuosis nuntijs intenta tenentibus ora prostratus in genua Deo flagellanti se demississimè subjecit inquiens: Nudum me nascentem & ad lucis hujus usuram venientem terra mater protulit: & nudum me illuc revertentem eadem me iterum suum recipiet in gremium, spoliatus fortunis omnibus, Manium concedam in umbras. Nihil fortuna, nihil casus contra me egit: Deus quod dedit, abstulit; quæ commodatò accepi, libens restituo: *sicut Domino placuit ita factum est, sit semper ejus nomen benedictum.*

Sed

34. Sed quia Jobus misericors semper fuerat in pauperes, & miseratio cum eo nata, cum ipso itidem adoleverat, ac semper creverei; non permisit miseratio Jobum diu miserijs premi, pristinæ enim imò & pinguiori fortunæ, ot & meliori valetudini restitutus, amicos recepit, à quibus ioter congratulationes reductus sit in Regiam, certatim omnibus inopiam ejus munerum largitione levantibus, & tanto incremento, ut temporelia bona fuerint duplicato fœnore restituta, excepto filiorum, & filiarum censu, quos eodem, qoo entea habuerat numero, suscepit ex uxore; ea felicitate, ut sanitate, & pulchritudine, ac indole posteriores prioribus præstarent ad cœli etiam hæreditatem geoiti: sed pinguiori fortunæ restituto Jobo nullum deinceps fit verbum de illius in pauperes beneficentia: *Et addidit Dominus omnia quæcunque fueraut Job duplicia Dominus autem benedixit novissimis Job magis, quàm principio ejus.* Recessit calamitas, sed cum ea abscessit tolerentiæ materia opulentior accessit fortuna, & cum ea uberior etiam benefaciendi facultas, & temen nulla deinceps benefaciendi fit mentio. Num Jobus pinguiori fortunâ cumuletus post calamitosam inopiam factus est avarior? Imò à calamitetibus, & miserijs, quas fuit perpessus eruditè edoctus in Schole misericordiæ didicit adeò copiosiùs benefacere, & alienas miserias levare, lachrymas abstergere, ærumnas exeutere, ut id referre supervacaneum putaretur: sciè Tertullianus eit: *Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi, & communicandi.* Didicerat Jobus in Schola patientiæ, & miseriarum, perfectiora commiserationis præcepta, adeò ut si in prospera quondam opulentia misericors in egenos fuerit; ejus temen misericordia quasi adhuc inerudita extitit, & exlex; cùm experimento nondum didicisset, quantum iactura bonorum affligat, egestas gravet, infirmites premat, dolor excruciet, contumelia urat, & detrimenta bonorum torqueant: postquam id experientiâ didicerat ad beneficentiam uberiorem eruditus profusior fuit in alienis miserijs levandis, quia ut ait Tertullianus *Patientia in detrimentis exercitatio est largiende, & communicande.* Quinimo ex propria sui dolentia legem sibi condolentiæ in alios sanxit, non ampliùs largitate exlege & rudi, sed experimento erudita: qui enim iose pati non didicit, nec miserijs premi, difficulter aliorum miseretur: exacerbata enim in proprijs detrimentis tolerantia exercitatio est commiserationis: misericordia enim in alios benefica luculentiùs in Schola eruditur propriæ miseriæ: est enim hæc legislatrix, quæ condolentiam velut lata lege sancit, ut qui miserijs premitur ex eadem infirmitate ed exercitia uberiora humanitetis, ac pietatis erudietur. *Tuba erat Job.* ait Augustinus: *quando repente percussus tantis damnis, tunsione illa tanta tribulationis tactus sonuit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, sed hæc tuba non sibi tantùm insonuit, sed aures etiam pulsavit aliorum, quos excitavit ad commiserationis exercitia, ad quæ etiam naturæ juribus adstringuntur, ut & lege divina obstringuntur ad opem ferendam indigentibus.

Job 42. v. 11.

Lib. de patient. cap. 7.

In Psal. 97.

§. IV.

Benefica commiseratio, quâ ærumnosis opitulamur nostrum est debitum Deo solvendum: & is ære alieno gravatur, qui solutis pecunijs alienas miserias non levat, uti abigit.

Clamat lex divina: *Redde debitum tuum; eleemosynam pauperis non defraudes. Frange esurienti panem tuum.* Vocat Syracides beneficam commiserationem, quâ proximo indigenti opitulamur debitum nostrum, eò quia divina lex ad alienas miserias levandas nos obliget: & legi divinæ consonat naturalis, tùm nil principijs naturæ magis accommodatum, & conveniens sit, quàm alienis miserijs auxiliari, quapropter Christus ait: *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc est enim lex. & Propheta.* Si est lex utique præceptum, & quidem non leve, sed capitale cùm violatores hujus legis à divino Judice in æternos ablegantur ignes. Ii igitur sunt meritò reprehendendi, qui ut se se ex omni subducant molestie, fucatis amandationibus pauperes stipem deposcentes circummittunt dicentes; itoed hunc alium, qui te juvabit; & ilte ito ad alium, qui est me ditior, in quem morem dimittendi peuperes invehit D. Augustinus, cujus ævo solemnis erat formula illa abigendi à se pauperes exposcentes eleemosynam: *Vade in ante, & dabit tibi Deus*, in quem morem acriter insurgens ipse ait: *O infelicitas generis humani. Quàm multi inveniuntur, qui ebriosos, & luxuriosos ampliùs, quàm oportet, cogant bibere, & ante ostium pauperibus petentibus, vel unum calicem dissimulant dare; nec attendunt, quia illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit. Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis, sed qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt, vade, vade in ante & dabit tibi Deus, & utique dum ambulaverit homo ei daturus est. Quid est ergo, quod dicis? Vade in ante, & dabit tibi DEUS, vade ad illum hominem, qui habet DEUM, quia daturus est DEUS? ac si ore suo ipse confiteretur, apud se Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus.*

35. Ecclesiast. cap. 4.

Matth. c. 7. v. 12.

Serm. 127. de tempor.

Hinc

36. Hinc quotquot Christianæ virtutis fuê-
re studio addicti beneficam in pauperes ex-
ercuêre commiserationem, ne divinum
transgrederentur præceptum; quin potiùs
exercitio hujos virtutis Christo dantes, quod
pauperibos erogabant, plus essent accepturi.
In sacris epitalamijs sponsa sponsum lauda-
Cant. 5. tura ait: *Manus illius tornatiles, plenæ*
v.14. *hyacinthis*, hoc est ornatæ gemmis, & an-
nulis: ideo plenæ hyacinthis, & gemmis
ornatæ, quia profusæ in pauperes: priùs
enim manus plenæ evacuantur, quàm quid
aliud accipiant, qui enim dexteram nu-
mis aureis impleverat, non ante flores re-
cipit, quàm numos aureos deponat, vel
permiserir manu excidere. Christi manus
plenissimæ sunt, & cùm à nobis in suis pau-
peribus stipem accipit, quas in manu gem-
mas tenet à se excutit, & nobis imperti-
tur: sunt enim manus cœlestis sponsi ple-
næ gemmis, oppletæ hyacinthis: & exi-
gens à nobis exercitium beneficæ commise-
rationis in pauperes, occasionem sibi quæ-
tit, quâ plenas suas manus in nos priòs e-
vacuet: quæ pauperibus damus, hæc Chri-
stus accipit, & accipiendo, quas habet
gemmas suas evacuando manus, nobis dilar-
gitur: idque cùm innotuisset viris pientissi-
mis, ac virtutum culturæ addictis, in id vel
maximè incubuêre studij; ut quidquid pos-
senr, Christo darent, pro ijsdem millecu-
plo plura recepturi, hoc est pro plumbo au-
rum, pro vitro gemmam, pro silice unionem,
pro frustulo panis adamantē, pro quisquilijs
margaritas, & pro crepundijs latifundia pos-
sessuri. Ob id decertârunt, quomodo alter
alterum largiendo vinceret; suásque reculas,
velut viles herbulas propensa miseratione
pauperibus distribuerunt, simúlque Deo
dederunt, è cujus manibus decidentes hya-
cinthos collegerunt.

37. Tametsi varia fuerint sanctorum stu-
dia, quorum alij magis solitudini, & silen-
tio; & alij corporis castigationi, ac jeju-
nijs; alij fundendis precibus, & pijs libris
legendis; alij laboribus manuarijs; & alij
cœlestibus impensiùs vacaverint contempla
tionibus; omnes tamen in id propensissimè
sua direxerunt vota, ut beneficam in pau-
peres exercerent commiserationem: & in
hoc omnes convenerunt, & eorum studia
fuêre uniformia; quia omnes dispersêrunt,
& dederunt pauperibus: de quovis enim
Psalm. 111. sancto sit David: *Dispersit, dedit pauperi-*
v.9. *bus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*;
& ut ex propemodum innumeris paucos re-
censeam id præstitit anno 1123. Carolus
Comes Flandriæ, qui ut refert Christianus
Masseus cum lurida, ac insolenter frigidior,
ac diuturnior hyems præcessisset, ut vix ad
auram maialem arbores nonnihil cœpissent
virescere. & tellos virescere, id causæ
fuit, ut omnis satio agrorum perierit; hinc
annonæ caritas toto biennio Regionem il-
lam afflixit, tunc enim Carolus beneficam
in pauperes exercens liberalitatem, totam,
quæ in horreis ei superfuit, annonam distri-
buit pauperibus, plebémque famelicam pavit;
quavis hebdomada die veneris tredecim pau-
peres mensæ adhibuit, & singulis indosium,
tunicam, & calceos dedit, cùm ipse eandem
diem inediam pane, & aqua tolerâsset, & ci-
licio membra tegeret, cùm indusio pauperes
vestiret.

Id præstitit alius Comes Elcearius, qui 38.
beneficè misericos in egenos, ac leprosos
hos adesse voluit suæ mensæ, & sibi inti-
mos, ac familiares. Diebus singulis ad
duodecim leprosorum pedes procumbens,
eos aquâ abstergebat, & osculabatur, postea
in mensa collocabat, & ijsdem, veluti suis
Dominis officiosè ministrabat. Non tamen
se vinci passus est Deus à comitis benefica
miseratione in pauperes; geminum enim ei
præmium rependit, granarium enim va-
cuum bis occulta vi opplevit. Secundum
fuit, quia cùm iret venatum, jussissétque o-
mnem comitatum cum instrumentis venato-
rijs præcedere, ipse cum Chyrurgo ad le-
prosorum domicilium non valdè dissitum di-
vertit, ubi cùm in primo vestibulo vidisset
sex miserrimorum hominum ferè spirantia
veluti cadavera pristinæ restituit sanitati, cùm
enim preces ad Deum pro ijsdem fudisset, cœ-
perunt illicò convalescere. & absterla omni
lue, excussa omni ægritudine. deleta macie,
eorum corpora viribus munita, vividóque co-
lore suffusa mirificè refloruerunt.

Hanc eandem in pauperes beneficam 39.
commiserationem exercuit Camillus Gon-
zaga Princeps Novellaræ anno 1588. cùm
enim id temporis in plebem sæviret fames,
quotidie ducentos è turba pauperum palceo-
dos suscepit ordine alternato, & prandenti-
bus ministravit Camillus, & cùm centum ple-
no reficeret prandio, alij centeni binos singuli
accipiebant panes, accubituri & ipsi postridie
ad mensam cum interim Christiana erudiren-
tur catechesi. Quinimò adeò crevit Camilli
in egenos benefica commiseratio, ut quoti-
die per non modicum temporis quadringen-
tis pauperibus prandium parari voluerit au-
licis ad mensam ministrantibus, cum ipse
convivator in eadem cum pauperibus mensa
sederet, quos humanitate exhilâravit, libe-
ralitate refecit, consolatione permulsit:
& ægrotis, quos infirmitas in proprijs deti-
nebat domunculis fercula, pecunias, & ve-
stes submisit. De ipso memoratu dignum
est, quòd cùm rei divinæ vacaret, & men-
dicum vidisset detrita veste seminudum, pe-
dibus excalceatum, indusio destitutum, &
frigore rigentem, jussit domum adduci, &
indusio ac nova veste coopertum voluit a-
pud se in prandio assidere, postea pecunijs
aureis donatum dimisit.

Idem egit Ferdinandus Hetruriæ Ma- 40.
gnus Dux, qui cùm anno 1630. epidemi-
ca lues Florentiæ grassaretur toto contagij
tempore triginta quat..or millia pauperum

hominum inclusorum aluit, & singulis diebus octo carnis uncias, & duas panis libras, item oleum, salem, ligna, legumina & alia id genus ad commodam vitæ sustentationem suppeditavit, adeo ut ab initio pestilitatis ad mensem Martium septingenta millia expenderit coronatorum in subsidium pauperum; quinimò ipsemet absque ullo aulico apparatu, sine procerum comitatu, sine Epheborum, famulorúmque turbis cum uno duntaxat, vel altero ex suis familiaribus ad domum pauperum accessit, quos perhumaniter fuit allocutus, & peramanter consolatus, & hujus ducis in egenos beneficam commiserationem Deum approbâsse ex eo conjicitur, quia præmium non distulit dare. Idibus enim Februarij in palatio, dum quid aliud quæreretur reperta fuit cista ferrea ligno vili operta, sed argento oppleta, inventæ enim sunt in eadem occlusæ tessellæ argenteæ, cum effigie Cosmæ primi Hetruriæ Ducis.

41. Hoc idem præstitit Maximus ille Amedeus Sabaudiæ Dux, qui Regias etiam vestes in pauperes divisit, post totius auri, argentique largitionem: sed si regijs destitutus vestibus, solem fuit æmulatus sine nubium integumento nitidiorem; nec mirum si Christi Athleta nobilis Regias exuit vestes; cum trino luctaturus hoste vestium pondera abjecit, ne succumberet; imò & pauperibus erogavit, quò expeditiùs ad victoriam curreret: quòd si Saul Regio denudatus palludamento cœpit Prophetam agere; si Achabus lacerâ indutus lacernâ divino fuit spiritu animatus; Amedeus sine regijs suis vestibus nobilior fuit virtute ornatus: neque vestes poterant ei Regiæ deesse, quem charitas vestiebat, & benefica in pauperes commiseratio tegebat; ac fovebat, quia pauperes protegebat uberioribus affluebat divitijs. Sciscitatus à Magni Principis Legatis, undénam suos venaticos detineret canes, ipse è latere ædium ingentem pauperum multitudinem indigitans respondit, hi mei venatici sunt canes, quos alo quotidie, & quibus fore spero, ut sim non sylvarum feras, sed cœlum ipsum venaturus: sciebat pientissimus Princeps hujus telluris delicias veluti flores, vel inopinæ, ac præmaturæ mortis gelu ac pruina decoqui, vel brevi emarcescere; proinde cœlestibus duntaxat inhiabat amœnitatibus æternùm duraturis. Quòd si Varro rei latinæ indagator testatur, hoc verbum *venari* dici *à venis agri*, quasi per agrorum venas penetrent venatici canes, ut feras capiant: Amedeus idem verbum sumpsit pro cœlestis Regni indagatione.

42. Hæc beneficæ commiserationis exercitia in pauperes digniora sunt, cæteris, quæ à viris Principibus laxandi animi causâ instituuntur in hastiludijs, ludicris pugnis, choreis, comedijs: utiliùs est Principi nudum vestire, famelicum alere, miseros protegere, quam equum gyris exercere, equaria celebrare, equo ad annulum decurrere, Troianos lusus agitare, ac primum præmium cæteris præripere: vana hæc omnia sunt, quæ oblivione illicò sepeliuntur. Quæ famam Principi conciliant, gloriam comparant, verum solatium inferunt, non sunt laboriosæ venationes, nec ludicra armorum exercitia, sed eleemosynæ, quas benefica commiseratio pauperibus elargitur; siquidem ut cecinit Regius Psaltes: *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. In memoria æterna erit justus ab auditione mala non timebit.* Psal. 111 v. 5. & sequent. Quærit Augustinus, quænam sit hæc auditio mala, & respondet, nil aliud esse, quàm sententiam æterni Judicis in reprobos latam: *Ite in ignem æternum:* hæc non mala tantùm, sed & pessima est auditio, quia æterna, & hæc auditio aures eorum pulsabit, & animos terrebit, qui immisericordes fuerunt in pauperes, quibus petentibus stipem, vitæ denegarunt subsidia. Neque credas, levem esse noxam pauperibus non opitulari, quia ut ait Lactantius: *Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* Lib. 6. instit. cap. 11. Si homicidium, grave est flagitium morte plectendum, non impar est scelus, necessaria vitæ subsidia pauperibus denegare; quinimò D. Zeno Veronensis Antistes, calamum acuens in immisericordes egregiè eos pungit, quò immisericordiam à se expungant, ait ipse Serm. de justit. *Non est Tyranno dissimilis, qui solus habet, quod potest prodesse commodis plurimorum. Quid, quòd paupere quotidie moriente, oppressione, fame, frigore, injuria, amicum tibi excolis aurum, custodis argentum, vestem pretiosam, ornamentáque superba, ac superflua pro sacrosancta habes, sicut idolum: se per momenta componis, dives in publico, ditior in secreto. Non intelligis, quia homini inopiâ morienti tantis opibus, quâ eum possis subvenire, non subvenis, ipse eum videtur occidere? O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornata matronæ! ornamentum, cujus unum si solvas in pretium, & distribuas necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces quantorum malorum ille constat ornatus.*

Nil est, in quo magis possint viri principes, 43. & quotquot hic divitijs affluunt, gloriari, quàm in pauperum refectione, & in captivorum redemptione. Benefica commiseratio in pauperes est, quæ divites ad cœlestem gloriam manuducit, quæ Principibus ad æternam beatitatem, ac Regnum cœlorum viam sternit, & per quam invitantur à Christo: *Venite benedicti Patris mei, possidete mecum Regnum cælorum promissum vobis à constitutione mundi. Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere, nudus eram, & vestistis me.* Matth. 24 Quid Regibus, & Principibus gloriosius, quid commendatius, quàm gloriari in beneficæ

neficæ commiserationis exercitio, quo se pasci, ac vestiri, Christus præcipit; & famem suam frustulo fracti panis exsaturari exposcit? inanis non est illa gloriatio, qua per exercitia misericordiæ in pauperes summi Regis redimitur amicitia. Quis non erubesceret, si inter mendicos eum videret esurire, sitire, & nudum esse, qui ubique terrarum animantia quæque pascit, eisque abundè ad sitim extinguendam haustum suppeditat, ac indumenta subministrat, quibus vestiuntur: lachrymas, quas in pauperibus per vitæ subsidia iisdem impertita exsiccamus, Christo abstergimus; famem, quam in paupere per distributa obsonia excutimus à Christo abigimus; & haustu, quo sitientis æstus extinguimus, Christum reficimus.

44. Non sinamus ergo eum, qui totum orbem pascit, ac vestit ad nostram confusionem inter mendicos esurire, & sitire; non errandum est nobis oculo; ut cum nobis pauperes obviant, dubitemus, circa quem potissimum opus impendamus miserandæ erogationis: intelligamus ipsum esse Christum, quem aspicimus cæcum, offendimus claudicantem, videmus nudum, audimus famelicum, & sitientem, pauperem, egentem, & seminudum: in paupere tuguriolo voluit Christus inveniri, cùm quæreretur à Magis; sub hoc enim habitu apertis thesauris oblata sibi munera suscepit; in hoc habitu poni voluit in præsepio, jacere in caula terrestri, cum in aula regnaret cœlesti; frigore cùm pauperibus voluit algere, cum iisdem sitire in ara crucis; & convicijs, calumnijs, flagellis obnoxium esse, ne dubitare mus Christo nos erogare, quæ pauperibus elargimur; & quas iisdem pecunias damus nobis asservari in cœlo: & hoc est

Matth. 6. veras in cœlis divitias congerere: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt.* Sunt enim Thesauri, qui mensis, ac scrinijs deponuntur cœlestibus: sunt thesauri, quos nulla hostium incursio diripit; nulla militum insolentia furatur; nulla adversantis fortunæ invidia corrumpit, ac nullæ rerum vicissitudines contaminant.

45. Si divitijs affluis, & tineam times corrodentem, vel furem metuis surripientem, vel fortunam expavescis evertentem; quas possides divitias, ne perdas, da pauperibus, per quorum manus in cœlo reconduntur: sunt tuarum divitiarum fidi, & tuti custodes pauperes, quibus si opes tuas concrediderîs tibi æternùm erunt profuturæ, & ut ita nobis prosint, nos monet Christus:

Ibidem. *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra,* nos monet, ne thesauros nostros terræ commendemus, sed ut pauperibus concredamus, quia plerumque, quæ in terris congeruntur, periclitantur, & opes quæ vel in excavatis fossis, vel in clausis arcis sepeliuntur, nobis emoriuntur, nec nobis ampliùs prodesse possunt; proinde utilius semper est pauperibus commodare, quàm defossæ terræ caveis sepelire, & dare; utilius fœnori credere, quàm terræ concredere. Dejecti à sana mente est sepultum, ac clausum tenere, quod multiplici potest incremento proficere; & probrum non abstergere sterilitatis à divitijs, quæ pauperibus colendæ extraditæ fructus possunt uberrimos, & quidem vitæ æternæ nobis patere, imò & nos alere cœlesti beatitate; nostros igitur thesauros in defossis non sepeliamus terræ visceribus, sed in cœlestibus congeramus scriniis.

Non sinamus divitias nostras à tinea corrumpi, seu à vanitate mundi surripi, illius enim thesauros tinea corrumpit, quos vanitas absumit; neque sola vanitas tinea est, quæ divitijs insidiatur, quas perdat, sed est etiam vermis invidiæ & avaritiæ, qui cordis intima penetrat, viscera possidet, & quæ in abditis congesta sunt, consumit: hæ sunt tineæ, quæ nostros corrumpunt thesauros; sin verò quæras, quî sint fures, qui eos surripiunt, hos credas cacodæmones esse, qui ut bonis nostris insidientur operibus, per objectam nobis sæculi pompam eblandiuntur, & ut nos à consortio Regni cœlestis excludant, aurum manibus ingerunt, argentum oculis exhibent, gemmas collo inserunt, seu fomenta suppeditant, quibus superbiam nutriant, & desideria carnis stimulo cupiditatis accendant: quibus malis obnoxij non fiunt, qui thesauros suos præmittunt ad cœlum per manus pauperum, quibus benefica commiseratione opitulantur. 46.

§. V.

Quos vera miseratio tangit, profusa in pauperes beneficentia commendat illustriores, suntque Deo gratiores.

47. Viri sanctitatis studio clariores non dubitantes Deo dari, quæ pauperibus erogantur, se ipsos in subsidium pauperum dedêre, ut totos se Deo darent: id præstitit Paulinus Nolæ Antistes, qui licèt prosapiâ nobilis, sanguine illustris, vir consularis, facundiâ insignis, divitijs affluens, Philosophiâ, ac Theologiâ profundè imbutus, oratione tam soluta, quàm ligata pollens, omnique eruditione ornatus, hisce omnibus unam prætulit beneficam in pauperes commiserationem, quibus cum totas suas jam erogâsset divitias, se ipsum etiam dedit, cùm non superesset quid ampliùs ex facultatibus suis daret. Depositis sæculi pompis, ac fastu Christi amore pauper è multis affluente divitijs, & ex viro consulari cœnobita asceterium ingressus, Monachum egit.

egit. Mox è cucullo ad mitram vocatus mensa frugalissima contentus, quidquid de annuis redditibus habuit, laudabili in egenos erogavit liberalitate: & quia non superfuit, quod distribueret tunc, cùm vidua quædam filium ab hoste captum pretio redimi enixim postulavit; commiseratione commotus Paulinus cùm ei non esset, quod in redemptionem filij matri porrigeret, se ipsum ei tradidit vendendum, ut ex pretio acciperet unde filium à famulitio liberaret barbarorum, & unà cum muliere profectus in Africam, quò Vandali Campaniam vastantes filium viduæ abduxerant. Illuc appulsa vidua Gunthari Regis ad generum veniens lachrymis madens filium sibi reddi enixim expostulavit: sed vir barbarus erecto supercilio detrectavit sine litro filium restituere, jussitque matrem abire, quæ tunc iterum: en, inquit, hunc hominem mecum duxi, quem loco litri sufficientis tibi sisto eum suscipe, & filium matri dolenti restitue. Guntharij Gener oculos in Paulinum dirigens, & viri vultu, gravitate, & venustate delectatus, quam calleret artem petijt, cui Paulinus reposuit horti colendi, cúmque id ei gratissimum obtigisset filium viduæ in libertatem asseruit, & Paulinum in ejus litrum lætus suscepit: & commiseratio, quam in pauperes Paulinus exercuit, nomen ei peperit æterna gloriâ illustre, ac cœlestem ei beatitatem comparavit, quia quod pauperibus erogavit, hoc, seu se ipsum Christo donavit, qui inter eos recensuit, quibus ait:

Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete mecum Regnum promissum vobis à constitutione mundi, esurivi & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere: nudus eram, & vestistis me.*

48. Quis Paulino ex benefica commiseratione in pauperes illustrior? hic in Gallia ad felicitatem Italiæ, & gloriam Campaniæ natus, Infulas nactus & coactus unà cum opibus operam suam Nolanis impendere, ita salutem curavit animorum, ut illam non negligeret corporum; aliorum nunquam oblitus, licèt sui persæpe immemor, nilque sibi usurpare appetens, nisi omnium calamitates, quas ut à miseris abigeret, ad se trahebat; & tamen nunquam se miserum doluit, nisi cùm socios se habere ærumnarum vidit, quos ut à miserijs erueret, & etiam propriam libertatem vendidit, ut filium viduæ redimeret: sed favente Numine ex Africa in Italiam redux, ex Italia in cœlum evehitur, eos suscepturus inexhaustos gloriæ thesauros, quos pauperibus erogaverat; quia ait Christus:

Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Plures sunt misericordiæ gradus, ut lapso manum porrigere, erranti viam salutis ostendere, mœrentibus tristitiam excutere, plorantibus lachrymas exsiccare, ærumnosis solatium adferre, infirmis pharmacum exhibere, in carcerem detrusos visitare; sed hæc est præcipuè expectanda misericordia; esurientem pascere, nudum vestire, captivum redimere, ad tempus non habenti necessaria commodare: non pascunt esurientem blanda colloquia, neque alienam nuditatem vestiunt exhibita consilia: neque prodest calamitoso suas ærumnas recensere, si subsidium ei non porrigatur; quo ab ijsdem subtrahatur: nil prodest verbis aures demulsisse pauperis, nisi vel frusto panis, vel cuso ære ejus manum impleveris, non juvat fomentis mollibus palpâsse mendicum; si eundem non reficias fame moriturum: non est opus misericordiæ, si velis hominem vivere, & nolis eidem in necessitate subvenire: imò crudelis est potiùs ea miseratio, quæ scit miseris condolere, & nescit perituris subsidium præbere.

49. Quos vera miseratio tangit, profusa in pauperes beneficentia commendat, talis fuit Eberhardus avito Majorum sanguine illustris, de quo refert Radderus in Bavaria sancta volum. 1. pag 133. quod cum se in sacro D. Benedicti asceterio Deo devovisset, & Abbas Biburgi creatus, adeò munificus in peregrinos, & pauperes extitit, ut nullum tacitè sine beneficio dimiserit, cúmque Biburgense Monasterium miles ex itinere fessus cum suo hero ad vires reficiendas adiisset, precarium poposcit vinum: sed quamvis rei vinariæ Præfectus herum officiose excepisset in cœnobium, famulum tamen extra cœnobium forsan ex oblivione permisit diu expectare, qui tandem moræ impatiens, quasi sibi videretur inhumaniter exclusus Ratisbonam proficiscitur, ad vires reficiendas sibi necessaria comparaturus. Cúmque id Eberhardo innotuisset, jussit Monachum penûs procuratorem licèt senio jam confectum, imò & viribus destitutum ob sanguinis emissionem è secta vena, pedibus Ratisbonam militem insequi, eíque petitum vinum deferre. Miles ad Monachi accessum & sua causa plurimum defatigati sortem miseratus obstupuit, & singulari hac benignitate contentus oblatum sibi vinum accepit, & cum alio obsonio sibi comparato labentes vires refecit, & sitim extinxit.

50. Mox idem Eberhardus ex Abbate Biburgensi Archiepiscopus Salisburgensis mores suos omnes ad normam virtutis præsertim commiserationis in pauperes, & sanctitatis composuit, miseros non solùm consilio, & verbis, sed etiam profusis pecunijs juvit: pauperum ulcerosorum tuguria adire, miseros invisere, afflictos consolari, & indigentibus subsidia ad vitam necessaria præbere volupe ei fuit: nec molestum ipsi obtigit pauperum sordes, leprosorum saniem, ulceratorum vomicas, & tabo fluentes artus contrectare. Quinimò cum in quodam tuguriolo hominem deprehendisset leprosum, & in ea miseria decumbentem, eum interrogavit, quid sibi vellet, Cui miser ille leprâ

lepra infectus, & multiplici ulcere fractus, Eucharistiam excipio, quam Eberhardus illicò attulit, ac in leprosi os immisit, quam tamen æger quasi nauseans cum vomitu rejecit: ad id Eberhardus manum illicò supposuit vomitum leprosi excepit, & in honorem sacramenti fœdam ipse deglutijt expuitionem; cumque die postero miserum revisurus ad idem redijsset tuguriolum, hominem ampliùs non invenit, & vicinos sciscitatus, quid de homine illo leprâ infecto esset, nullus fuit, qui sciverit hominem leprosum in ea fuisse commoratum domuncula: ex quo conjicere licuit, Christum ipsum leprosi formam induisse ad Eberhardi explorandam fidem, & constantiam.

51. Ita est, nascitur homo, conceptus ex misericordia ad opera exercenda misericordiæ, quâ qui destituuntur, perversè degenerant feris potiùs associandi, quàm hominibus. Munificentiam exercere in divites misericordiam non redolet, sed liberalitatem sapit, vel prodigalitatem, fundit enim, & inutiliter spargit, qui in vas plenum refundit: illud benè reconditur, quod vasis vacuis infunditur, & congregatur: scitè Cassiodorus. *Si nullum potiùs indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet, data est Provincijs in Regit nostri laude penuria, steriles facti sunt agri, ut ubertas Domini possit agnosci.* Nisi inopum indigentia abundaret, divitum misericordia vacaret; nisi miseria pauperum urgeret, charitas in divitibus frigeret; & frustra humanitatis igniculus hominibus ingeneratus foret, nisi flammam foras emitterxet, quâ in pauperum beneficentia splendesceret; neque adesset virtus beneficentiæ, si proximi indigentia deesset.

Lib. 12. Epist. 28.

52. Homo ideò ex humanitate est compactus, ut pronus ex natura sit ad actus humanitatis, & commiserationis in indigentes: & nisi avaritia, & vitium coërceat, quod natura, & virtus laxat, in officia necessè est, se profundat humanitatis: nil enim tam cognatum homini, quàm ipsa humanitas, & misericordia, quâ sibi & alijs benefacit; ideò homo à Deo conditus humanitate donatus fuit, ut humanitatem exerceret, & frustra humanitate gloriatur, qui egenis non prodest; causa enim vivendi in homine esse debet illecebra miserendi, & is implet causam nascendi, qui occasiones enancisciur miserendi: qui officia non exercet misericordiæ, propriæ obliviscitur humanitatis, & propriæ invidet felicitati. De homine immisericorditer avaro, aic Salomon. *Qui festinat ditari, & alijs invidet, ignorat, quòd egestas superveniet ei.* ubi textus Chaldæus pro *alijs invidet*, exponit, *Vir oculi nequam*, & textus hebræus. *Vir est mali oculi.* Quòd si quæras, quænam sit hæc oculorum malitia, ac mentis defectio: siquidem mens animæ oculus esse dicitur; non credas, aliam esse, quàm avaritiam, quæ avaros inficit, & à virtute humanitatis, ac misericordiæ in pauperes facit deficere: hinc D. Chrysostomus ad verba alludens Salomonis, hominem avaritiâ sordescentem, & immisericordia ab humanitate deficientem cum belluis componit, inquiens: *Hominum oculi non tanquam propria vident aliena, sed etiam propria tanquam aliena: & non desiderant, quæ data sunt alijs; sed in alios quoque sua effundunt: isti autem non servant, nisi res omnium acceperint. Non enim humanum, sed belluinum habent usum*, & homil. 64. in Joan. ait: *Gravis morbus est avaritia, oculos excæcat, & aures obstruit, & quavis bellua saviores reddit.*

Proverb. 28. v. 22.

Homil 19. ad Corinth.

§. VI.

Homo, ideò ex humo, & non ex alijs elementis dicitur effictus, & ex humanitate compactus, quò inde discat actus humanitatis benefica, & misericordia exercere in miseros.

53. Humanitatis, & misericordiæ oblivisci, perinde est, ac ab humanitate degenerare, & belluinos induere mores, quia ut pulchrè loquitur Petrus Damianus. *Misericordia est speciosum humanæ naturæ ornamentum; cujus expers malè degenerat, & hominem esse diffitetur.* Quamobrem si nobilis ergs pauperes beneficentia humanitatem probat, & hominem asserit; sordescens avaritiâ, & immisericordia gregibus asciscit ferarum: quia nesciens misereri, quasi humanitate destitutus hominem dedidicit, & mores ebibic belluinos. Ideò voloit Conditor Deus hominem humanitate esse compactum, ut non ab alio, sed à se ipso humanitatem addisceret, & commiserationem, quam in pauperes exerceret: siquidem *Misericordia est speciosum humana natura ornamentum, cujus expers malè degenerat, & hominem diffitetur.* quia propriæ oblitus humanitatis in mores degenerat ferinos: idque fortassis causæ, cur etiam ex limo terræ voluerit Deus hominem effingere. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terra, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vita, & factus est homo in animam viventem.*

Sermon. 55.

Genes. 2. v. 7.

54. Sed subaritur illicò difficultas, cur sacer historicus solius limi terræ meminerit, cùm compactus homo fuerit non ex solo limo terræ, sed ex quatuor elementis, ex quibus mista omnia corpora constant, cur igitur de limo, seu humo formatus dicitur homo, qui ex quatuor adæquè constat elementis? Quid in hominis hac formatione ex limo terræ latet Mysterij? quid obtegitur sacra-

 menti?

menti? an quia humanitas ab homine suam trahit nomenclationem, non secus ac homo ab humo? Verùm solius terræ voluit sacer historicus meminisse, ut ex terra matre, & Magistra addisceret homo munificam beneficentiam in alios: ex quatuor siquidem elementis nullum est, quod tam profusam in alios exerceat beneficentiam, sicut terra, quæ in media mundi sede locata, ponderibusque suis in se undique librata, & conglobata, licèt in aliquibus suis tractibus sit læta segetibus, in alijs dumetis, & rupibus hispida, vel salebris, & arenis arida; in aliis sylvis obducta, fontibus uliginosa, in alijs florum, herbarum, frugum, arborum infinita prope multitudine, atque insatiabili varietate convestita; ubique tamen locorum tam volucribus cœli, quàm feris sylvarum, omnibus quadrupedibus, ac hominibus omnibus necessaria suppeditat vitæ subsidia: ideo fontium perennitates, liquores amnium pellucidos exhibet, ut sitientibus animantibus haustum suppeditet, quò sitim extinguant: ideo flavescente segete falcem tellus exposcit, quò uberiori messe sibi consulant homines, sua oppleant horrea, & ad vitæ necessaria sibi provideant: ideo in collibus frugiferis ditescit arboribus, & vitibus coronatur, quæ pampinis vestitæ, & racemis ditescentes spumant ad vindemiam, ut ad delicias usque potum exhibeat sitientibus: ideo in pratis, & montibus videt viretis, ut bestiarum tum cicurum, tum sylvestrium, & ferarum innumerabilia genera suo inter se pastu segregata, sua societate convenientia pascat; pulchrè D. Ambrosius: *Considera ò homo, unde nomen sumpseris ab humo, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, inde appellatur humanitas.*

55. Eatenus igitur homo ex humo duntaxat, & non ex reliquis dicitur conditus elementis, & suam homo ab humo nomenclationem trahit, ut addiscat homo ab humo, & terra munificam in egentes beneficentiam, ac liberalitatem: etenim terra ideo sylvarum recessibus opacatur, herbarum viriditate vestitur, fontium perennitate humectatur, florum infinitis coloribus pingitur, fluminum frigidos latices terrenis circumvehit erroribus; & montium altitudine, vallium profunditate, camporum latitudine, nemorum opacitate variatur, ut alijs prosit, & alienas indigentias commodiùs suppleat: brutis enim ad vires reficiendas, & famem abigendam pascua suppeditat herbarum, & volucribus cœli vermiculos, quos suo fovet in sinu, vel fructus ex plantis, & arboribus prodeuntes: hominibus fructus subministrat è frugiferis pendulos arboribus, & flavescentem segetem, & quadrupedia omnia, quorum carnibus nutritur homo; nisi enim tellus succos suppeditaret arboribus, & segetibus; nisi pascua exhiberet brutis animalibus; nec fructibus, nec pane, nec carnibus vesceretur homo ad vires reficiendas, & vitam conservandam: & quia æquè fami, ac siti sunt volucres, & animantia quæque obnoxia, frigidos iisdem suppeditat fontium latices, quibus sitis extinguitur, & vires recreantur. *Terra* igitur, ait S. Ambrosius, *nihil cuiquam eripit, sed omnia elargitur omnibus, inde appellatur humanitas.*

Hinc terra quidquid ab homine recipit in seminibus, aucto fœnore restituit, ut hominum inserviat indigentijs: etenim gremio emollito, ac subacto semen excipit sibi concreditum, quod benigno complectitur in sinu, & tepefactum vapore fovet, suoque comprimit complexu, donec ex eo herbescentem eliciat viriditatem, quæ fibris nixa stirpium sensim sine sensu crescit, adolescit è culmo erecta geniculato, & vaginis spica pubescens in ordine constructa, vallo præmunitur aristarum contra minorum avium morsus; & summo cum fœnore multiplicatum restituit, quod concreditum sibi, ac depositum fuerat: *Et quia omnia largitur omnibus, inde appellatur humus, à qua oritur humanitas*, nec quidquam excogitari potest hominibus necessarium, & utile, quod è terra eis non suppeditetur: quidquid enim habet terra fructuum in arboribus, segetum in campis, lanuginis in ovibus, auri & argenti in proprijs visceribus; hæc omnia liberalitate benefica hominibus subministrat, ut eorum abundè consulat indigentijs. Idque causæ, cur homo dicatur à Deo conditus de limo terræ. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, licèt ex alijs etiam coalescat elementis, quò ab humo matre, & Magistra, discat homo humanitatem, & beneficam munificentiam in succurrendis aliorum indigentijs, & fordescentem à se avaritiam excutiat, quia ut eleganter ait Valerianus Cemeliensis, & Niciensis Episcopus. *Quidquid avaritia servaverit, aut æstas nimia decipit, aut vetustas ingrata consumit, aut tinea damnosa corrumpit. Hoc solùm sibi homo reponit, quidquid causâ miserationis expendit, Nam ita dicit Dominus Matth. 6. thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec tinea consumit, nec fures effodiunt, & furantur. Præmittamus illuc opes nostras, ubi nullus fur irruat, nullus insidiator incendat. Quisquis enim facultates suas in opere Dei fideliter erogaverit, in parte cœli reconditas, & repositas sub justo fidejussore custodit.* Nullibi divitijs affluens tutiùs suas servat opes, quàm in manibus pauperum, quibus qui facultates suas erogat, eas in tuto reponit, quia manus pauperum in cœlestibus eas thesauris recondunt, ubi fures non effodiunt, nec furantur. 56.

Genes. 1. v. 7.

Homil. 8.

57. Sed quia terra, ex qua dicitur homo conditus non ex alieno, sed ex proprio, quod

quod possidet, alienis succurrit indigentijs; ita homo suam ex proprijs debet in alios beneficentiam exercere, qui enim aliena surripit, quæ det pauperibus, non pietati studet, nec eleemosynam elargitor, sed iniquitatem fœneratur, quapropter Deus modum nos edocens stipem pauperibus erogandi, & ex quibus debeamus ijsdem opitulari, ait per suum Prophetam Isaiam. Cap. 58. *Frange esurienti panem tuum:* notanter dixit *suum*, & non *alienum*, quia indigenti propria sunt distribuenda, non aliena tribuenda, de quibus non valemus disponere: eleemosyna enim ex furto erogata sub larva pietatis scelus fovet, & impietati favet, quia ut apposité D Chrysostomus. Homil. 36. *Nihil illa eleemosyna pejus, quæ cùm ex rapina nascatur, eleemosyna non est: sed quædam sævitia, & crudelitas, & in Deum contumelia.* Is in virturem sævit misericordiæ, qui larvata pietate ex alienis furto sublatis indigentiæ adnititur pauperum succurrere, is pietatem perimit, quam specie pietatis fovet, quia in aureo beneficentiæ poculo scelus propinat, & fuco misericordiæ crudelitatem fovet, quia & Deum ipsum contumeliâ afficit; cui sceotica, & larvata pietate irridet.

58. Hinc Salomon humanam pietatem nos edocens ait. Proverb. 3. v. 9. *Honora Dominum de tua substantia*, seu ut Tigurina versio habet: *Glorifica Deum de opibus tuis.* Hunc enim textum communiter Interpretes intelligunt de stipe indigentibus erogata, quam in Dei honorem cedere, nulli est dubium: ait igitur Salamon. *De tua substantia honora Dominum*, hoc est de proprijs tuis opibus indigentijs succurre pauperum, & non de alienis: apposité Salvianus Episcopus Massiliensis ait: Lib. 1. ad Eccles. *Honora Dominum de tua substantia, cùm utique, totum suum sit, quod ab eo accipimus, nostrum esse dicit, ut demus: ideo scilicet nostrum appellans proprietate possessionis, ut major sit merces operantis; quia plus fructuum necesse est largitor habeat; ubi de suo videtur esse largitio.* Tempestivam nobis proponit in studio pietatis cautelam: non enim bonorum largitio titulo eleemosynæ miseris indigentibus erogata tantùm esse debet aliena à furto, & propria duntaxat largitoris; sed meriti etiam debet ad se prærogativam trahere, & incrementum mercedis: quod enim à Deo ad largiendum verè accipimus, nostrum esse dicitur, ut ex nostro dare possimus alijs, & inde uberiora meritorum segetem colligamus. Vult igitur Salomon, ut quæ stips erogatur pauperibus, solius sit largitoris. Hinc tametsi quidquid homo possidet, sit Dei, cui despoticum est dominium in res omnes: hæc tamen propria Deo possessio subticetur, & bona, quæ possidemos, nostra esse dicuntur, ut nimirum ex nostro, non ex alieno miseris opitulemur indigentibus, quibus, cum damus, nostra facimus data, quia nostra sunt merita, inde nobis enata, ait Salvianus: *Nostrum esse dicit, ut demus*, & ne fortassis, si quod piè datur, non esset donantis, inde gratia devenustetur beneficæ largitatis.

59. Idque præstiterunt, quotquot verè misericordes fuerunt, ut Arelatensis Antistes Cæsarius, qui etiamnum septennis puer non solùm palliolum, & thoraculam, ac reliqua dedit seminudo pauperi vestimenta: sed etiam quidquid auri habuit, & argenti. Id præstitit Ægydius Abbas, qui propriam exuit tunicam, quâ pauperem obtegeret ægrotantem. Id præstitit Oswinus Rex, qui Aidano Lyndisfarnensi nobilissimum suum dedit equum unà cum phaleris, totóque ornatu, ut etiam ipsemet Aidanus eandem beneficam exercuit munificentiam in pauperem indigentem. Nam cùm paulò post Aidanus eodem equo veheretur, ei pauper obviavit, stipem rogaturus, tunc Aidanus in pedes desiliens, equum, ut erat phaleratus, mendico dedit abducendum: quòd cum iniquiùs tulisset Oswinus accersitum ad mensam Aidanum; quid mente volvis, inquit, quòd vilissimo pannoso, ac seminudo mendico equum dedisti regium cum singulis suis ornamentis, & phaleris? An non alij tibi supererant modi hunc hominem mendicum juvandi? cui Aidanus reposuit, nunquid tibi mi Oswine charior est filius equi, quàm filius Dei? ad hæc Oswinus indicto sibi silentio didicit veram in pauperes beneficentiam nullo coarctari modo, nulla limitatâ lege. Idem præstitit Richardus Cicestrensis in Anglia Episcopus, qui cùm ob laxas elargitiones eleemosynarum pecunijs esset exhaustus, equum, quo vehebatur vendi jussit, ne illi deesset, quod ex proprio posset pauperibus distribuere. Id præstitit D. Carolus Borromæus Mediolanensis Antistes, qui Uritano principatu divendito pretium universum ad quadraginta aureorum millia, & quæ sibi fuerant legata in miseros, distribuit. Id præstitit D. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, qui propria bona ea liberalitate erogavit pauperibus, ut ipse nunquam defuerit petentibus; sed petentes potiùs defuerint ipsi.

60. Id præstitêre plures alij, qui non solùm proprias facultates pauperibus erogârunt, sed etiam vestibus, quas suo corpori detraxerant, frigentes egenorum artus cooperuerunt. Is verè est misericors, qui ad pauperum levandas miserias, non alienas, sed proprias erogat substantias; & quò hanc beneficam exerceremus commiserationem precari jubemur in dominica oratione ex Christi præscripto. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis:* Matth. 6. v. 11. & quia æternus pater libenter orationem exaudit, quam suus filius hominibus dictavit; ideò non solùm oramus, ut detur hodie nobis panis,

quò

quò habeamus, unde manducemus, vires reficiamus, & vitam sustentemus; verùm etiam, ot manducemus panem, hunc de manu Dei accipimus, à quo illum exposcimus: siqoidem à Deo Patre, qui est in cœlis, panem petimus, quo notriamur: sed si panis à Deo Patre nobis datur, cur nostrum eum dicimus, & non potiùs suum? non enim ulla potest avaritia Deum tangere, ut panis nostri retentor sit, & ad illum repetendum adigamur ab eo petere, & dicere: *Panem nostrum da nobis hodie:* si igitur quiquid possidemus, Deo est proprium; & panis, quem à Deo petimus, suus est, non noster, cur nostrum dicimus, cùm suus sit panis, quo reficimur, & à quo nobis donatur? apposité D. Chrysostomus expendens verba orationis Dominicæ ait:
In Matth. 6. *Dicis autem nostrum, quia omnia, quæ nobis Deus dat, per nos alijs dat, ut de eo, quod accipimus, partem impotentibus faciamus, qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non tantùm panem suum manducat, sed etiam alienum:* ideò igitur panem dari petimus nostrum, quia non tantùm ad nostras, verùm & ad pauperum reficieodas vires, panem petimus: ideò nostrum, ut de proprio possimus pauperibus opitulari; quia beneficæ commiserationis gratia devenustaretur, si pane alieno, & non nostro pauperes reficeremus, cùm esset panis, quo vescimur, pauperibus partiendus, ut inde disceremus de nostro, & non de alieno alienis succurrere indigentijs: voluit Christus, ut ab æterno ejus patre panem peteremus nostrum, *dicimus autem nostrum*, ait Chrysostomus, *quia omnia, quæ nobis Deus dat, per nos alijs dat, ut de eo, quod accipimus partem impotentibus faciamus.*

61. Hinc, cùm ultrò se oon invitatus Christus invitaverit in domum Zachæi, hic eum gaudens excepit, & hospitij mercedem eleemosynis laxè erogandis redemit.
Luc. 19. v. 8. *Stans autem Zachæus dixit ad Dominum, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum:* cùm artem lucrandi polleret Zachæus, rectè dum laxiores panperibus eleemosynas spondet, bonorum illitò pollicetur restitutionem, ne scilicet alienorum furacitas promissam erga egenos videretur commiserationem fœdare, & pietatem constuprare. Ad id fortassis allusit D. Isidorus Pelusiota, scribens ad Herminum Co-
Lib. 1. epist. 229. mitem. *Petisti per litteras, ut tibi declararem quam ob causam, cum quidam eâ mente venisses, ut de pauperibus benè mereretur, grave discrimen subijt, nec eum animi institutum ex adversis casibus eripuit.* Ad quæ respondet Isidorus, *quoniam Deus victimis iniqua ratione partis minimè delectatur, nec adulterina dona admittit. Neque enim quisquis vult, benignè facit: verùm is demum; qui ut Deo dignum est sacrificium* (seu eleemoysnam) *acquisivit, & promisit.* Zachæus licèt in ptimo resipiscentiæ suæ tyrocinio, veteranus tamen in exercitio beneficentiæ, sciebat, quòd *non quisquis vult, benignè facit:* sed qui quam spopondit beneficam io pauperes commiserationem eleemosynarum laxis largitionibus exercet; & quæ sua sunt bona, pauperum esse juris misericorditer sancit: rei verò malè acquisitæ restitutioni parem noo facit benignitas in miseros; quia malè parta restituuntur ex justitia, noo erogantur ex misericordia; & adulterina sunt dona, quæ larvata in pauperes pietate distribuuntur; quibus exigente justitia debentur.

§. VII.

Omnia possidet, qui sua omnia dat pauperibus, quia Deum lucratur, in quo thesauri omnes continentur.

Is est verè in pauperes misericors, qui non aliena illis tribuit; sed propria, quæ possidet ipse bona, distribuit, sitque cum pauperibus pauper, quò locnpletior habeatur, ut de se ipso scripsit Apostolus, 62.
sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: 2. ad Corinth. cap. 6. v. 10.
omnia possidet, qui sua omnia dat pauperibus, Deum enim lucratut, in quo divitiæ omnes continentur, & à quo bona omnia in nos profluunt; qui plura, quæ habet, pauperibus elargitur, fit locupletior, quia nil habens terrenæ substantiæ, regnum enanciscitur cœleste: dives est, qui ut habeos, non habeat, quæ habet pauperibus erogat: & ut nihil sibi habeat, omnia sua alijs donat; & opes suas oon sibi, sed oon habentibus habet: omnia possidet, quia de suo dat; nihil tamen habet, quio pauperibus donet. Locuples est, quia de proprio habet ad largiendum; non habet, quod de suo non largiatur, nec habet, quod de alieno elargiatur: apposité D. Paulinus scribens ad Severum Sulpitium, qui proprium opulentissimum censum pauperibus erogaverat; ait: *Es locuples, ut habens, non habeas; quia non tibi, sed non habentibus habes, domus tua hospes es, ut sis hospitum domus: patria tua peregrinus es, & exul istius mundi, ut sis incola paradisi.*

Ea habemus, quæ paoperibus damus; 63.
& ea perdimus, quæ ut possideamus, pauperibus denegamus; id obtigisse Cœnobitis monasterij Scopuli, refert Joannes Moschus *in Prato spirit. cap. 85.* ait, moris foisse in Asceterio illo, uc sub finem verni Jejunij prima die Parasceves ingenti propemodum pauperum multitudini ex locis pluribus tum finitimis, tum dissitis conflueotium, laxio-

res quot annis erogarentur eleemosynæ; adeo ut eorum singuli tam mellis, quàm tritici dimidium acciperent sextarium; cùmque annonæ charites ob aëris intemperiem, solique vitium sterilitatis annuos minuisset proventus; Cœnobitæ in Asceterio seniores, Abbatem monuerunt, ne consuetas eo anno pauperibus dilargiretur fromenti portiones, cum triticum parcè pro victu frugali monasterio provenisset, ac mendicis juxta morem accedentibus patientiam suaderet. Quibus Abbas vir pientissimus, & in pauperes pronior, respondit, ne quæso, abigamas è nostro cœnobio benedictionem Patris nostri Theodosij: præceptum senis est; nobis non licet illud transgredi; curam filiorum non abjiciet pius Pater, quæ pauperibus damus, nobis non subtrahuntur, sed uberiùs cumulantur; Christo commodatur, quod pauperibus datur; restituit Christus aucto fœnore, quod pauperibus donatur: sed Monachi proprio insistentes consilio; dixerunt; non suppetit nobis, quod demus alijs: omni tritico Monasterium spoliare, & horrea evacuare, nemo suaserit: ad hæc mœrore dejectus Abbas: Ite, inquit, quod vultis, facite, mihi culpæ non dabitur, si quid nobis adversi contigerit, stipem negare indigentibus nunquam consultum erit; idque Deo displicet. Quid ni post dies aliquot Præfectus annonæ horrea invisit, mirum dictu! frumentum totum, triticum omne in germen, herbámque reperit effusum, nulli ampliùs aptum usui; imò & abjiciendum fuit, ne horrea vitium contraherent ex vitiato tritico.

64. Id Abbati ansam obtulit opportunè Cœnobitas redarguendi immisericordiæ, inquiens: jure meritò hanc totius tritici jacturam fecimus, quia monita Patris nostri Theodnsij negleximus. Quingentis modijs turbis pauperum satisfacere potuissemus, nunc sordidè avari, fatuè providi ferè quinque modiorum millia perdidimus. Quid fratres lucrati sumus ex consueta pauperibus denegata stipe? plurimum nobis intulit damni neglecta in pauperes misericordia; & dum spem nostram non in Deo, sed in horreo posuimus, horreum, & meritum in Deum perdidimus. Discamus hinc fratres, à Deo rerum omnium moderatore universa providentissimè disponi; & consuetas largitiones nunquam pauperibus denegare; & ea nobis aucto fœnore restitui, quæ pauperibus erogamus; & ea à nobis subtrahi, quæ ijsdem denegamus. Quid profuit triticum in horreis congessisse, quod unà cum prævijs omnibus perdidimus curis, ac laboribus, cum potuissemus pauperibus opitulari, & erogatæ annonæ fœnus reportare? discamus ex evacuato penu opes imposterum nostras larga per miseros erogatione dispensare, ne quæ possidemus, perdamus bona; sed dona simus duplicia recepturi: nobis enim præstamus, quotiescunque miseris subvenimus: lucrum nostrum est nostrarum erogatio facultatum, quas si in sinu pauperum, veluti in feraci & occata tellure semina serimus, multiplicatas recipimus: fœnori enim traditur, quicquid esurientibus suppeditatur; hisce omnibus fidejussor est Christus, qui dixit, *ego vobis centuplum reddam*, imò & vita æterna nobis promittitur; quapropter si sordida vetat avaritia opes proprias pauperibus erogare: pia tanti lucri ambitio ad beneficam nos stimulet in pauperes commiserationem: si enim respicimus ad nostra, quæ miseris damus, & simul ad cœlestis pietatis indulgentiam multò plus recipimus, quàm erogamus; siquidem pro pastu pauperis regnum cœlorum nobis spondetur; pro erogatione fracti panis, & hospitij receptaculo, vel nudati corporis vestimento, opem suam nobis invocantibus per Prophetas Dominus pollicetur, damus in terris peritura, & recipimus in cœlis perennatura. Quis ergo non certatim opes suas laxiori per indigos pauperculos largitate non satagat dispensare, cum pro fluxis permansura, pro labentibus statora, & pro temporalibus æterna intelligat recepturum? quid prodest, congestas in terris opes recondere; si nullum nobis fructum producunt in cœlis; si nulli nobis sunt emolumento? tunc nobis prosunt, ac uberrimam fructuum suppeditant messem, si in agro pauperum satæ miserorum sinu foventur, quibus cum benefacimus expensæ pecuniæ auctum fœnus reportamus.

Lucrum nostrum est nostrarum erogatio facultatum: fœnori enim traditur: 65.
quidquid esurientibus datur: hinc Apostolus Paulus commendans incrementum hoc ex 2. Corinth.
eleemosynis in subsidium pauperum erogatis, ait: *Hoc autem dico; qui parcè seminat, parcè, & metet; & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.* cap. 9. v. 6.
Et postea agit de hilari donatione, & comparat eleemosynam semini, quod satum in terra exculta inde fovetur, germinat, adolescit, & aucto fœnore, ac multiplicato censu excrescit: ad quod alludens; D. Ambrosius ait; *Beneficium largientis prabenti magis permanet, quàm suscipienti: nam misericordia quidem ad indulgentiam pervenit: gratia autem multiplicata mercedis permanet ersbuenti. Esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est, sed ad te redit, quod dedisti cum fructibus, & usuris: quod si difficile putas, considera frumentum, quod seminatur in terra, si non ad seminantis potiùs, quàm ad suscipientis lucra cedit.* serm. 8.
Ecce quomodo eleemosyna semen occatæ telluri concreditum in beneficium erogantis

tis imitatur, redit enim ad suum largitorem multiplicata; adeò ut, quod datur, non deperdatur, sed in beneficium dantis augeatur, quod etiam eleganter innuit Eusebius Emissenus; inquiens, alloquitur divites erogantes pauperibus eleemosynam: *Ut cum per vos ad illos pervenerit: & ex illis ad vos multipliciter, revertatur, hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur, & magis dum transfertur, acquiritur: siquidem salubri, jucundóque commercio, & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est.*

De epiphan. Homil. 4.

66\. Cum primùm largitio ex pia commiseratione profecta ad pauperem pervenit: cui divitis beneficentiâ opitulatur, gratia augmentatæ mercedis eidem multiplicatur. Sequebantur turbæ plurimæ populorum Salvatorem per desertum, hoc est oves suum pastorem, ægri suum Medicum, & famuli suum Dominum; cùmque triduano jejunio viribus deficerent, & fame corroderentur, nec Apostoli, qui suum fuerant Magistrum secuti, nisi quinque panes hordeaceos, & duos pisces secum detulissent; ex Magistri mandato libenter exiguum obsonium famelicis offerunt turbis; sed quid inter tantos numero quasi quinque millia? Nihilominus cùm viri illi discubuissent. *Accepit JESUS panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter, & ex piscibus, quantum volebant, ut autem impleti sunt, dixit Discipulis suis, colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant, collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis.* Ecce in quam uberem panes multiplicant messem in deserto, licèt probro laborente sterilitatis; quinque duntaxat panes fracti non solùm discumbentibus augentur; sed & dantibus Apostolis incrementantur: perinde fuit panes in frustra frangere, & distribuere famelicis discumbentibus, ac semina jacere, ac in uberiorem augere annonam, & integritati consulere obsonij: illa erogatio fuit multiplicatio, argutè D. Leo. *Accepit ergo JESUS panes. Illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat*: ferax est Christi manus, quod tangit, hoc auget; & quod erogat, multiplicat: dum panes minuuntur in frustula, in uberiorem grandescunt annonam, quasi frustula è Christi manu in discumbentes dilapsa semina fuerint non consumenda, sed multiplicanda: pulchrè Chrysologus ait. *Qui panes quinque fragmento profluo, & furtivo incremento ad quinque millia hominum tetendit, & dilatavit saginam.*

Joan. 6. v. 11. — *Serm. 10. ad quadrages. cap. 5.* — *Serm. 160.*

67\. Sed cur furtivo tribuitur incremento partitio panis è Christi manibus famelicis distribuendi discumbentibus? cur panis multiplicatio furtivo notatur incremento? si Christi manus nonnisi beneficia spargunt ad supplendam alienam indigentiam. & nemini sunt damno, sed omnibus lucro, cur hæc benefica panum elargitio furtiva dicitur? & panis augmentum, furtivum vocatur incrementum? Quid cum avaro furto, quod alteri obest, benefica Christi elargitio, quæ omnibus prodest? nimirum impensæ commiserationis, & erogatæ eleemosynæ est privilegium, ut res indigenti jam donata, aucto fœnore elargienti augeatur, & multiplicatio donationem antevertat; priùsque in manu erogantis multiplicetur, quàm ad manus perveniat accipientis: nam qui benefica commiseratione pauperibus opitulatur, & per erogatas eleemosynas eorum excutit miserias, quæ miseris elargitur priùs in emolumentum dantis multiplicantur: hinc quia quinque panes in manu dantis ad quinque millia hominum fuêre saginam dilatati, & in obsonium excrevêre, quo abundè plura hominum millia potuerint se reficere, hoc incrementum furtivum dicitur, eò quia clanculò auctum fœnus distribuerit discumbentibus.

Ea est vis beneficæ commiserationis, ut priùs commiserantem ditet incremento furtivo, seu occulto; quàm pauperis succurrat indigentiæ: non tamen censeas hoc incrementum furtivum opus esse hominis largientis, quia opus est omnipotentiæ, & solius Dei miserentis, qui vult furtivo veluti incremento restituere habentibus, quæ ab ijsdem suppeditantur non habentibus. Quàm eximia, & excellens est eleemosynæ prærogativa! quæ dum panem frangit, auget; & dum erogat, multiplicat; videtur enim Dei æmulari Omnipotentiam, cum panum multiplicatio, quæ divinæ tantùm datur omnipotentiæ, beneficæ commiserationi, & eleemosynæ accommodatur: & hoc pacto dicitur hæc multiplicatio panis furtivum incrementum, quia veluti furatur prærogativam soli tributam omnipotentiæ panes multiplicandi. Quàm aptè igitur Chrysologus hoc panum augmentum à Christo famelicis turbis erogatum furtivum vocavit incrementum; quia elargitio pauperum indigentijs succurrens Omnipotentiæ veluti surripiens prærogativam multiplicat, quod erogat, opúsque divinæ omnipotentiæ sibi arrogat. 68.

Hinc Christus redarguit servum illum nequam, qui concreditum sibi ab Hero talentum in defossa sepelivit tellure, & absconditum diu servavit otiosum. *Serve male, & piger sciebas, quia meto ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam Numularijs, ut veniens ego recepissem* 69. *Matth. 25.*

cepissem utique, quod meum est cum usura. Si quæras, quisnam sit servus iste deses, & improbus, qui pecunijs dives heri sui, eas abscondit, quas potuisset negotiari, & fœnus inde recipere in proprium, & Domini emolumentum; & qui sint hujusmodi Numularij, qui susceptam pecuniam cum usura restituunt. Non credas, alium esse servum hunc malum, quàm ipsum divitem, cui Deus omnium Dominus suas concredidit divitias, non ut eas reconderet in scrinijs, clauderétque in cistis, vel sepeliret in terra, sed ut eas pauperibus erogaret; qui sunt Numularij, traditas sibi pecunias cum usura, auctóque fœnore restituentes dantibus: scitè Salvianus Episcopus Massiliensis expendens præfata Matth. verba ait: *Cùm enim numularij Salvatoris pauperes, & egeni rectè intelligantur, quia pecunia, qua talibus dispensatur, augetur: cum usuris absque dubio Deo redditur, quidquid egentibus erogatur.* Sunt igitur Evangelici numularij sibi tradita restituentes cum usura, auctóque fœnore, pauperes: hi enim concreditas sibi pecunias non dissipant, neque in defossa sepelliunt tellure, sed in cœlestes recondunt thesauros, non ut otiosè torpescant, sed ut in emolumentum excrescant largientium. Lib. 3. ad Eccles.

70. Qui divitijs affluentes benefica commiseratione pauperibus non opitulantur, sibi divitias invident, quas dum possident, perdunt, quæ in lucrum excrescerent, si manus pauperum eas negotiarentur, vel miserorum sinus eas foveret: dicitur pauperis sinus divitis opes fovere, ac diviti favere, seu censum augere; cùm propriam obtegit nuditatem; cùm se vestiens frigus à se excutit, & necessaria sibi consulit obsonia, vires reficit, & corrodentem famem à se abigit: quod pauperi datur, nou amittitur, sed commodatur, ac incrementatur; qui enim dat pauperi, sibi cum fœnore donat; proprio emolumento consulit, qui alienæ consulit indigentiæ; dat fluxa, ut accipiat æterna; dat quisquilias, ut suscipiat gemmas; dat vitrum, ut recipiat adamantem; dat terram, ut habeat cœlum, quod ut nobis Deus det, ait per Oseam. *Misericordiam volo*, exigit à nobis beneficam commiserationem in pauperes, ut nobis rependat suam gloriam: nec nostra Deus à nobis exigit, sed sua; cum quæ possidemus, sua sint, non nostra; & nobis tantùm sint commodata, non data; si æquitas exigit, dari exposcenti suum; quis deneget Deo, quod ipse à nobis exposcit? quid est, quod à nobis petit solam misericordiam in pauperes? *Misericordiam volo*, exposcit humanam misericordiam à nobis, ut divinam nobis elargiatur; est enim in cœlis misericordia, ad quam per terrenam in pauperes commiserationem pervenitur: ajebat David Psal. 35. v. 6. *Domino in cœlo misericordia tua*, hanc autem cœlestem misericordiam non alio faciunt sibi pretio venalem homines, quàm per exercitia beneficæ commiserationis in pauperes. Cap. 6. v. 6.

71. Impediturus Pharao incrementa filiorum Israël in Ægypto eos opprimere animo moliebatur, ad quod Magistros operum instituit, qui eis præessent, & verberibus, ærumnisque affligerent, præsertim labore diuturno. *Præposuit itaque eis Magistros operum, ut affligerent eos oneribus, ædificaverúntque urbes tabernaculorum Pharaoni Phithom, & Rhamesses.* Quæ verò textus vulgatus vocat tabernacula, Vatablus ex textu hebræo vertit apothecas, horrea, repositoria, seu publica granaria, in quibus servanda reponebantur frumentum, oleum, vinum, in quibus Ægyptiorum erant divitiæ, quapropter textus Chaldæus habet, *Urbes thesaurorum*, sed aptiùs ad rem nostram Hugo Victorinus *in annotat. in Exod.* has urbes regijs destinatas thesauris asservandis urbes pauperum interpretatur, nec immeritò, quia Regum veri, & locupletiores thesauri pauperes sunt, quibus si suas concredant opes custodiendas, non solùm in tuto collocant, sed cum fœnore recipiunt, quæ tradiderant. O quantùm locupletiores essent Principes, quàm ditiores essent Reges, si eorum thesaurus pauperum foret ærarium: si quæ alendis canibus, equis, ac feris exoticis impendunt, pauperibus enutriendis erogarent; veris divitijs affluentes è terreno ad cœleste regnum avolarent, cum mortalitatem exuerent: sed quia pauperibus neglexêre opitulari, & ipsi pauperes pleromque, & nudi meritorum ex hac emigrant vita. Utinam urbes thesaurorum, quos possident, urbes essent pauperum; pluribus ditescerent opibus, ac longè uberioribus affluerent divitijs. Census enim divitum pauperum sunt subsidia: non congesti thesauri, nec cumulatæ divitiæ Principem ditant, sed pauperes, quos alunt, quos alloquens D. Zeno Veronensis Antistes ait: *Digni estis universi aurum, argentúmque non habere, quàm esse: nam vos estis aurum vivum Dei: Christi vos argentum, vos Spiritus sancti divitiæ: vos si terrena metalla contempseritis, longè his vita vestra thesaurus, vobis aurea, & ætherea illa civitas constructa est*, quàm appositè urbes thesaurorum, urbes dicuntur pauperum; hi enim aurei sunt, quia auro, & argento destituti: sunt aurum vivum Dei, quo divites sibi opitulantes dicent, ac ad æternum promoveant in cœlis regnum. Exodi 1. v. 11. Serm. 1. de avaritia.

§. VIII.

Veram augendarum opum rationem nos Christus edocuit, aliam non esse, quàm nostram pauperibus impertiri annonam; quæ non accessione crescit, sed imminutione augetur.

73. TAmetsi in manibus pauperum opes divitum incrementum subeant, adeò tamen tenaces sunt homines, & proprio æri adhærentes, ut neglecto proprio emolumento malint, quas congesſêre pecunias sibi retinere, quàm levandis proximi indigentijs impendere. Idque fortassis causæ fuit, cur in deserto Discipuli Magistrum JESUM rogârint, ut turbas dimitteret, victum sibi in finitimis oppidis comparaturas: duo enim tantùm pisces, & quinque hordeacei panes Apostolis supererant ad vires reficiendas. Eremi siquidem asperitas, & deserti sterilitas delicias non patiebatur obsonij, & luxum omnem respuebat epularum, cùm Apostoli duobus tantùm piscibus, & modico pane ad vires reficiendas secum per loca illa deserta tulissent; quòd tamen putârim non ex paupertate penuriam illam obtigisse, sed parsimoniæ fuisse argumentum; quia licèt tam exiguus ciborum apparatus Apostolis suppeteret, non tamen ijsdem pecuniæ deerant ad necessaria obsonia etiam pro turbis discumbentibus coëmenda, alloquens Magister Christus suos Discipulos ait: *Vos date illis manducare. At illi dixerunt, non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces; nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.* Non dixerunt emendicatum ibimus, *sed ut emamus*, quia non diffidebat ab Apostolica paupertate etiam numerosa pecunia, dummodo fercula non fuissent in deserto numerosa, nec ad delicias præparata. Luc. 9. v. 13.

74. Quamvis amplum patrimonium religiosos non dedeceat, eos tamen tenuis decet annona; pingui proventu, non lautiore pompa debet mensarum apparatus tumere; ecclesiæ cultus in sacra supellectili debet irradiare, non ferculorum deliciæ debent in cœna redundare; & non pocula, sed altarium ornamenta splendescere. Christus tamen jussit turbas discumbere. *Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.* Sumptori enim viri Christi epulum discumbunt: quia tranquillam ducentes vitam nulla solicitudine anxij sunt, qui in Deo requiescunt, & divino pascuntur epulo. Elias enim tunc ab Angelo subcinericio pane fuit enutritus, quando non solicitus de obsonio tranquillè sub junipero discubuit. Volucres cœli, quamvis terram non excolant, pascuntur tamen, dum arua exhilarant repetito cantûs modulamine. Agri lilia, quamvis non laborent, neque nent, Salomonis tamen exuperant ornatum: cùm è converso bombyces industrij ornamentorum opifices textrinæ incumbentes, dum alijs sericum nent, sibi infelices sepulchrum construant. Luc. 9. v. 14.

Christus igitur non quomodocunque turbas pascere voluit, non stantes, non deambulantes, sed discumbentes; fastidit enim hominum solicitudinem huc, illúcque discurrentium, qui si pari labore cœlum quærerent, ocyus regnarent in cœlis, quàm saturarentur in terris. Opitulaturus igitur discumbentium indigentijs Christus. *Respexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit Discipulis suis, ut ponerent ante turbas.* Inaudita sanè cultura! ad uberiorem inde messem colligendam, non manus terræ infixa, sed oculus in cœlum erectus, fruges in deserto disseminat, annonam in solitudine spargit, & ne in sudore vultus sui vescerentur pane suo discumbentes; non labor, sed fiducia uberem messem inter vepreta montium demetit. Qui manus terræ infigunt, & semina spargunt, proprio sudore irrigatum suum comedunt panem; qui verò cordis oculum in cœlum dirigunt, non pane aluntur doloris, sed fructu reficiuntur cœlestis olitoris; quia frumentum electorum non è terræ sinu, sed ex cœli agro expectandum est. Sed quid? quòd procul à mari in sylvis, & montibus ad delicatioris ferculi delicias, ad gulæ illecebras, ferarum sylvestrium carnes desint, quibus montes, & sylvæ abundare consueverunt, & ad temperantiæ apparatum gemini tantùm suppetunt pisces? An, ne ferculorum delicijs gulæ indulgeamus illecebris, sed per parsimoniam frugalitatis virtuti studeamus temperantiæ? Christus autem turbas refecturus discumbentes, non solùm respexit in cœlum, sed etiam benedixit, ac fregit, quia tunc augemus patrimonium, cùm panem nostrum frangimus, & nostram pauperibus impertimur substantiam: nostra annona non accessione crescit, sed imminutione augetur. 74. Luc. 9. v. 16.

Hanc unam augendarum opum rationem suis reliquit Christus fidelibus: frangere, quod possident, & indigentibus turbis erogare; tunc enim suo crescunt fragmenta dispendio; sua augentur diminutione opes; suo crescit annona decremento. Vigil avaritia divitijs non excubet, à custodia pecuniarum excludatur, ut liberali diffusione uberiùs multiplicentur, quæ possidemus: *Et benedixit illis, & fregit, & distribuit Discipulis suis, ut ponerent ante turbas.* Christi benedictio crucem præsignat, quia nostræ voluptates nonnisi mortificatione augentur, & nostrum obsonium in solitudine ærumnæ solâ conditur patientiâ. 75. Luc. ibid. v. 16.

sup-

Suppeditanda mox discumbentibus turbis obsonia, suis magister Christus diltribuit Discipulis, qui licet fractum panem discumbentibus partiantur; Christus tamen elcas multiplicat, ut quisque fno fungatur officio; discántque Prælati animarum, alijs curam demandare plebis pascendæ, quò sollicitiùs animas ipsi pascant: suos habeant Prælati thesaurarios, per quorum manus pauperes pascantur, habeant per quos necessaria ad victum indigentibus suppeditent;
Luc ibid, v. 17. *Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.* Omnes comederunt, & omnes fuêre expleti, quæ gemina conditio delicijs deest hujus mundi; cùm pauci sint, qui ijsdem diffluant; quapropter non omnes manducant, non omnes dignitatibus insigniuntur, nec omnes saturantur: opes enim sunt paucorum, Regnum unius, & saturitas nullius; qui enim voluptatibus hujus sæculi se se ingurgitant, non famem explent, nec sitim extinguunt, sed supplicio Tantali eò acriùs torquentur, quò ore tenus in laticibus merguntur deliciarum: fuit Tantalus, cujus & sitis inter undas excrevit, nec fames decrevit in copioso fructuum apparatu.

76. Qui in deserto discubuerunt, non solùm manducârunt omnes, sed & saturi vires plenè refecerunt, cùm tamen vix unus in mundo sedens saturetur, qui simul sit dignitate insignitus, & tranquillitate perfruatur; nemo qui saturetur, licèt uberioribus affluat divitijs. Evangelico cuidam diviti uberiores fructus ager attulerat, & messis copiosior horrei superaverat capaci-
Luc. 12. v. 17. tatem: *Et cogitabat intra se dicens quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos: & dixit hoc faciam destruam horrea mea, & majora faciam:* non cogitavit uberioribus affluens divitijs superfluum pauperibus erogare, sed de horreis ampliandis excogitavit; quia minimè satur; quò annona creverat uberior, eò fame discruciabatur acriore; & quasi annona, cui horrea non sufficiebant, eidem non sufficeret, totus fuit in ijsdem ampliandis, non in pauperibus succurrendis: neque communis hominum meminit naturæ, cui omnia communia, imò neque impertiti sibi à Deo beneficij. Divitibus non dantur opes, sed commodantur; quæ non sunt, quas Deus in communes destinavit usus, non recondendæ in horreis, sed distribuendæ sunt divitiæ indigentibus: pulchrè Zeno Veronensis *de duplici tentationis specie ait: Non est utique sine causa, quod tibi à bono, & justo Deo officium tribuitur largiendi, alijs necessitas tribuitur indigendi. Dispensatorem te igitur conservorum tuorum ex dominicis facultatibus te esse cognosce. Nec æstimes, quòd omnia ventri, & delicijs tuis terra producat.*

77. Non pro solis fuit terra divitibus condita, suos communes omnibus voluit hominibus fructus esse conditor Deus; qui sicut avibus cœli vitæ sustentandæ alimenta non denegat, ita neque vult hominibus deesse; & ideo terram constituit feracem, ac annonæ multiplicandæ aptam, arboribus alendis, fructibúsque gignendis accommodatam, ut ex communi naturæ penu sumat quisque, quòd sibi sufficit. Dives autem Evangelicus, cui terræ feracitas uberiorem suppeditaverat messem, non de pauperum succurrendis indigentijs, sed de horreis dilatandis cogitavit, angustior animo factus, quia divitijs amplior; sed divinis ingratus beneficijs, ea domo extraxit, cùm immunificus pauperibus annonam subtraxit; & quas avarè sibi retinuit opes, luridè perdidit; quas aucto fœnore fuisset lucratus, si non de horreis dilatandis, sed de pauperibus alendis cogitâsset. Hinc Augustinus expendens verba Christi: *Si vis perfectus esse vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo:* ait lib. 5. contra Faustum cap. 9. *Nec tamen illi soli, qui ut sint perfecti vendunt, & dimittunt omnia sua, pertinent ad Regnum cœlorum; sed huic militiæ Christianæ propter quoddam commercium charitatis subjungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine. Esurivi & dedistis mihi manducare.* Vult Augustinus non solùm eum habere thesaurum in cœlo, qui omnia pro Christo dimittit; verùm etiam qui fructus suos non sibi tantùm congregat, sed & pauperibus erogat, qui ab Augustino per stipendiariam multitudinem indicantur; quatenus egenis pietatis vectigal semper debetur: divitum stipendiarij sunt pauperes, quibus propterea inserviunt, viam ijsdem in cœlum sternentes, & earum divitias sibi erogatas in cœlesti thesauro recondentes. Matth. 19.

78. Sunt enim eleemosynæ pauperibus erogatæ, quæ divitum sordes abstergunt, noxas delent, de quibus ait Christus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. v. 7.
Non me latet, minimè inter se convenire Interpretes, quinam sint hi mundo corde; scio plures per cor mundum intelligere mentem castam, defœcatam ab omni libidine, & nulla prava concupiscentia fœdatam; alios cor circumcisum à quovis pravo affectu, & improbo desiderio: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Quod si expendas scopum circumcisionis, deprehendes, minus esse, quod circumciditur, cùm resecta pars totum imminuat; & quò plus admovetur cultrum circumcisionis, eò per plures amputatas portiones accersitis decrementis magis decrescat, ac minuatur totum. Quomodo igitur potis erit quis in toto corde suo Deum diligere, si Deut. 30. v. 6.

priùs cor circumciditur? si per cultrum circumcisionis minuitur, ejúsque integritati derogatur, quomodo in toto corde poterit quis DEUM diligere?

79. Non est cor, quod circumciditur, sed luxuriantes cordis propagines, sed lascivientium pampinorum affectus, qui amputantur, desideria plura possidendi, & nihil pauperibus erogandi, sunt hæc extranea involucra, quæ cor præpediunt, eíque libertatem adimunt: tunc cor vera gaudet libertate, quando ab hisce sordescentis avaritiæ est affectibus liberum; sunt hujusmodi propagines, & passiones superfluæ, quæ ad cor non pertinent; & si cor tuum est, tua non sunt hæc involucra affectuum, quamvis tua; sed sæculi, sed opum: amputandum est igitur in corde, quòd ei superfluit, ut quidquid cordis manet, tuum sit, quo Dominum diligas. Exue igitur superflua, da pauperibus, quæ tibi non inserviunt, quæ in horreis, in cellis vinarijs, in ærario redundant. Pulchrè Philo ait: *Circumcidimini cordis duritiem, hoc est, excide superflua mentis germina prognata ex immoderatis affectibus; & coalita, insitáque in animum à malo agricola; insipientia quàm primùm excidenda summo studio est.*

Lib. de victim. offer.

80. Quid? quòd non cor utcunque, sed cor tuum se circumcisurum polliceatur Deus? quia nimirum serpunt in cor hominis plura prava desideria, germinant depravati affectus, subrepunt ambitionis appetitus, excrescunt gramina avaritiæ, ne quæ à divite possidentur indigentibus erogentur: hæc omnia superflua vult Deus, ut è nostro circumcidamus corde, quò simus mundi corde; qui enim cor ab omni pravo mundârunt affectu, hi mundo dicuntur esse corde. Alij, eos esse, ac dici mundo corde asserunt, qui cor, à quovis creaturarum amore purgârunt, quo mundum essent sanctitatis, ac perfectionis speculum. Sed difficile est, lutosi hominis cor ita abstergere, defœcare, ac polire, ut tersum veluti speculum nonnisi DEI referat amorem. Sed hujus circumcisionis cultrum, si benefica acuat in pauperes commiseratio, omnia radicitùs præcidit pravorum affectuum vitiata germina, & accersita munditie cor expolit, id innuit Petrus Damianus inquiens: *Quis potest dicere mundum est cor meum; purus sum à peccato? quis enim gloriabitur castum se habere cor? sed eleemosynis soleriter insiste, & mundum te ex divina pietate confide. Unde Salvator, quod superest inquit, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sicut enim ardor ignium metalli cujusque rubiginem, sic eleemosyna consuevit animæ purgare squalorem.* Nimirum benefica commiseratio cognatum humano cordi squalorem abstergit, & omnem noxæ rubiginem excoquit. Quapropter Christus nos monet, ut quæ nobis superfluunt, pauperibus erogemus, ut à noxis mundemur: *Verumtamen quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.*

Opuscul. 9. cap. 2. Prov. 20. v. 9.

Luc. cap. 11. v. 41.

Quæritur quid sit hoc superfluum à nobis pauperibus erogandum, & communiter conveniunt esse id omne, quo non indigemus, quia id nobis superest, ac superfluit. Si igitur quod superest nobis, damus pauperibus, emundamur, & à noxis purgamur; jam facilè potest homo licèt squalidè sordidus se emaculare, si quæ sibi superfluunt, sinat in pauperes refluere. O quàm potis est benefica in pauperes commiseratio! quæ per erogatas eleemosynas, quibus levat miserias, sitim extingnit, famem expellit, & nuditatem cooperit, noxas etiam omnes delet, & totam abstergit rubiginem; adeò ut totum expurget hominem: *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; nempe interna, & externa, mens, & cor, anima, & corpus, per beneficam commiserationem, ita emundantur, ut veluti in terso speculo ipsa appareat beatitudo. Parum foret, si solam conscientiam contractis peccatorum sordibus emacularet, nisi cor etiam emundaret à vitijs, quæ altiùs in anima, & corpore suas egêre radices, hinc exclamat Petrus Damianus: *O virtus eleemosynæ, quæ velut fluentum fontis irrigui, & peccatorum inquinamenta detergis, & æstuantium vitiorum flammas extinguis! O felix eleemosyna, quæ de gehennæ baratro tenebrarum filios extrahis, & adoptatos luci perpetuæ Regnis cœlestibus introducis! tu de jacentibus sub criminum squalore conspicuos, tu de damnabilibus sanctos, tu de gentilibus Christianos facis.* 81.

Lib. opuscu. 9. cap. 8.

Adeò mira, & potens est beneficæ commiserationis in pauperes virtus, quæ non solùm noxas criminum delet, non solùm peccatorum rubiginem abstergit, & vitiorum altiùs defixas radices evellit; verùm etiam excussis tenebris ignorantiæ mentem hominis illustrat, ac cœlesti perfundit lumine, quo cœlesti donantur beatitate: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt:* si qui mundo sunt corde DEUM in cœlesti patria vident, ac perfruuntur, seu beatitate ditantur, hanc cordis munditiem inducit benefica in pauperes commiseratio, quæ veluti cœlestis pluvia in intimiores cordis recessus delapsa æstuantium vitiorum flammas extinguit, peccatorum omnium rubiginem abstergit, & inquinamenta singula delet; quin & affectus cordis in obsequia flectit rectæ rationis, ac portionis in homine superioris, ne à recto deflectant tramite. 82.

Matth. 5. v. 7.

Est hujusmodi benefica in pauperes commiseratio Bellatrix illa de genere Amazonum, quæ cœlum aggreditur, & ex- 83.

pugnat

Matth. 11. pugnat ait Christus : *Regnum cœlorum vim patitur, violenti rapiunt illud.* Sed quænam est hæc violentia tam valida, & efficax, quæ potis sit cœlorum arcem munitissimam aggredi, expugnare, & capere? scio gigantes olim ausu temerario montes montibus addidisse, ut cœlo viderentur bellum inferre, sed eorum audacia corruentium saxorum, montiumque ruinis sepulta prius fuit, quàm cœlum valeret pertingere : quæ igitur erit hæc violentia, quæ munitissimam cœli agropolin expugnat? non credas, illam esse violentiam, quam militiæ addicti sacramento adhibent in expugnandis arcium propugnaculis, nullis hæc violentia utitur tormentis bellicis ære fusis, ac pulvere pyrio fœtis, ferreóque globo instructis, quorum displosionibus evertuntur mœnia arcium ; nullo utitur pyloclastro ad fores perfringendas ; nullis igniariis ollis missilibus ; nulla armatur hæc violentia catapulta, nullóque sclopo majore, nec minore, nullo gladio, nec sarissa, nec ferreo se munit tegumento ; sed potiùs auro se spoliat, & argento, quo nuditatem tegat indigentium : non è tormentis bellicis ferreos excutit globos, sed ex oculis commiseratione emollitis lachrymas fundit, non igniarias bolides in perniciem jacit alienam, sed pecunias profundit in subsidium miserorum ; non per inflicta vulnera corporis membra sauciat ; sed per profusas eleemosynas manus pauperum aperit, & mentem recreat ; hæc est illa violentia, quæ Regnum cœlorum rapit, appositè D. Ambrosius : *Vim facimus Domino non compellendo, sed flendo ; non provocando injuriis, sed lacrymis exorando : ò beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur : beata inquam violentia, quæ vim facienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti* ; & nonnullis interjectis subdit : *Aggredimur Regnum cœlorum non ferro, non fuste, non saxo sed mansuetudine, & bonis operibus.* Sunt autem hæc bona opera, à quibus cœlorum Regnum vim patitur, seu ut vertit Vatablus *Invaditur*, prælertim eleemosyna, quâ per beneficam commiserationem pauperibus opitulamur, quia ut explicat Petrus Damianus : *Eleemosyna Deum facit hominibus debitorem, ut Regnum sibi cœlorum, non jam quasi quod alienum est, quærant, sed veluti quod sui Juris est, audacter invadant.* Est igitur hæc violentia, quâ Regnum cœlorum rapitur ipsa benefica in pauperes commiseratio : siquidem per elargitionem eleemosynæ Regnum cœleste sibi comparat, facitque sui juris. Opuscul. 9. cap. 8.

DIS-

DISSERTATIO XXXI.

Benefica in pauperes commiſeratio provida eſt negotiatrix; pauperibus opitulatur, & divitias incrementat; dat fruſtum fracti panis, & accipit integrum Regnum; dat cœnum, & recipit cœlum.

§. I.

Deo fœnerat, qui ſua pauperibus erogat; dat terra fragmenta, quæ in cœli commutat ornamenta; dat pecuniolas, & cœleſtes poſſidet Theſauros.

1. QUàm ſagax, & provida eſt negotiatrix benéfica in pauperes commiſeratio, quibus dum opitulatur, dat fruſtum fracti panis, & accipit integrum Regnum; dat pecuniolas, ut cœleſtes poſſideat theſauros, dat terræ quiſquilias, ut cœli potiatur gloriâ; quod perinde eſt ac vitrum commutare in adamantem, lutum in aurum, umbras in ſplendores, & terræ fragmenta in cœli ornamenta,

Iſaiæ c.58. v.10. ait enim Iſaias: *Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua.* Nobis ſuadet, animam effundere, ſeu viſcera miſericordiæ profundere, & cor liquare per compaſſionem, ut cœleſtis lux, ac ſplendor beatitatis in tenebris oriatur noſtræ mortalitatis: ſi effuderimus eſurienti animam noſtram, hoc eſt ſi per intimos affectus compaſſionis condolentes, ac miſerentes miſeriæ inopis copiosè & largiter opitulamur, qood perinde eſt ac animam afflictam replere, inde lux emergit noſtræ felicitatis. Vult Iſaias ut eſurienti effundamus animam noſtram, & animam afflictam fame, nuditate, ac mœrore repleamus cibo, veſte, & conſolatione, tunc enim oritur in tenebris lux noſtra: non dixit explicatiùs ut viſcera effundamus miſericordiæ, & liquatum cor præ compaſſione diffundamus in ſubſidium eſurientium, ſed ut animam noſtram effundamus: *Cùm effuderis eſurienti animam tuam*, quia ut explicat ibi D. Hieronymus Vult Iſaias: *Ut demus animam noſtram, ut pauperem in quibuſcunque poſſumus, adjuvemus: & non quaſi ex triſtitia, & neceſſitate, ſed ex animo tribuamus accipientes magis, quàm dantes beneficium.*

2. Dupliciter eſt benefica hæc in pauperes commiſeratio, cùm non tam qui accipit, quàm qui dat beneficium accipiat, & quidem uberiùs refundatur in dante, quàm accipiente. Et hoc perinde eſt, ac Deo fœnerari, exigua dare pauperibus, quò magna accipiantur à Deo, ait Salomon: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Proverb.19. v.17. Qui enim miſeris opitulatur Domino fœneratur, ſeu mutuum dat Deo ampliori cum fœnore, & incremento recepturus, quod pauperibus erogat: damus fruſtum panis pauperi, & aurum Deo fœneramus, quod enim datur pauperi, Deo mutuatur aucto fœnore reſtituendum: ſed cur non potiùs dixit, quod datur pauperi Deo commodatur, ſed ait Deo fœneratur? an quia ex commodato, nullum percipitur incrementum uſuræ, quod ſuſcipitur ex fœnerato? noverat avaritiam noſtram lucris inhiare, idcóque quo nos proniores efficeret ad eleemoſynas pauperibus erogandas rectè dixit, *qui miſeretur pauperis Domino fœneratur*, hoc eſt locrum ex dato recipit uberius; quia ſi dixiſſet, quod pauperi datur, Deo commodatur, homines avaritiâ ſordeſcentes, & lucris inhiantes non allexiſſet ad beneficam in pauperes commiſerationem; quia deperditum reputâſſent, quod pauperibus dunâſſent: ſed quia avari luceri appetentes perdere nolunt, nec ſuas minuere divitias, ſed augere, & propterea ſuas libentiùs dant fœnori divitias, quas incrementent, quàm commodato; ideo ſcitè dixit Salomon: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis* quia deſiderium fœnoris ſuſcipiendi illicium eſt miſerendi, pul-

pulchrè D. Basilius, quærens cur non di-
In Psal. 38. xerit, qui miseretur pauperi, dat Deo, respondet, ad rem nostram: *Novit scriptura avaritiam nostram, intellexit appetitum nostrum insatiabilem, qui sibi majorem ad habendum proponit redundantiam, ac plus semper quærere, ob eámque causam non dixit omnino, qui miseretur pauperi dat Deo: ut ne simplicem largitionem, & retributionem sortis existimes: sed dixit fæneratur Deo, ut avarus, & lucri cupidus audito usurarum nomine se ipsum misericordiæ dederet.*

3. Deum igitur sibi debitorem constituit, qui beneficus in pauperes laxis largitionibus eorum levat miserias, eorum succurrit indigentijs; demus igitur nostra pauperibus, ut sua nobis Deus eroget; & quia nostra fluxa sunt, lutea, ac rerum obnoxia vicissitudinibus; & quæ Dei, æterna sunt cœlestia nulli obnoxia defectui, cœlum recipimus, si cœnum donamus; æternis ditamur, si fluxa, & temporaria erogamus. Feliciter opulentus est, qui suas in pauperes diffundit divitias, quia Deum sibi eò majorem suum constituit debitorem, quò ipse in pauperes se magis munificum præstitit erogatorem. Demus igitur pauperibus, quo Deus dives, & beneficus fiat nobis debitor; quantum possumus, donemus, ut quantum capimus, recipiamus;
Orat. 16. quia ut ait Nazianzenus de pauperum amore. *Suam vicissitudinem reddet ei, nunquam Dei liberalitatem, munificentiam vinces, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris. Nam hoc quoque ipsum accipere est, Deo aliquid donare.* Non sinit se Deus munificentissimus vinci liberalitate ab homine; Deo dat, qui pauperibus erogat, dicente Christo, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, propterea si Deo datur, quod pauperi erogatur, & non sinit se DEUS munificentiâ vinci ab homine, nequit hic non aucto fœnore recipere, quod pauperibus erogavit. Et hæc est laudabilis illa avaritia, quâ veris divitijs inhiantes DEO fœnerantur accepturi cœlestia, & æterna pro fluxis, & cœnosis, quæ pauperibus erogârunt.

4. Idque causæ, cur Deus per Prophetam Isaiam emolliturus ad pietatem, & commiserationem duritiem Judæorum, eósque avertendos ab impietate, eis suasit exercitia pietatis in pauperes, opera misericor-
Isaiæ 1. v. 17. diæ præstanda oppressis: *Discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, & arguite me dicit Dominus*, hoc est, si hujusmodi opera misericordiæ seriò præstiteritis, si alienas miserias satageritis levare, afflictorum mœrores excutere, lugentium lachrymas exsiccare, oppressos juvare, viduas defendere, pupillos protegere *arguite me* inconstantiæ, nisi sim vobis veniam largiturus, nisi sim vos in gratiam meam recepturus, nisi sim vobis largiùs benefacturus. Sed cur ait Deus: *venite, & arguite me*, quis hominum tam audax, támque cæcus, & impius, qui Deum arguat? non vir impius Deum potest arguere injustitiæ, si eum puniat, si in gehennæ detrudat carcerem, ac ignibus extradat inferni æternùm excruciandum; sed vir misericors auderet Deum arguere, si promissum sibi cœleste Regnum non daret, & quia capax Deus non est, ut ab ullo arguatur, ita neque capax est, ut quod promisit viro misericordi, non elargiatur, eleganter D. Gregorius ex-
plicans illud Jobi: *Non est qui utrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus*, perstringens verba Isaiæ apposité ad rem nostram ait: *Durum sonat, ut quæratur, qui Deum arguat: sed durum non erit si recurrat ad memoriam, quod ipse per alium Prophetam dicit: Discite benefacere, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus. Et námque, quem arguimus, rationis authoritate contradicimus. Venite arguite, ac si patenter dicat: recta agite, & animadversionis meæ motibus non jam per deprecationis gemitum, sed per fiduciam authoritatis obviate.* Nimirum qui assuescit miserias pauperum levare, mœrentium tristitias excutere, lugentium lachrymas abstergere, oppresso subvenire, pupillo succurrere, & pauperi opitulari, piè audax posset Deum arguere, si eum sibi non experiretur beneficum: tantam authoritatem benefica commiseratio fœnerat commiseranti, ut eâ fretus Deum posset arguere, & rationis authoritate contraire, nisi ejus esset beneficentiam experturus: sed quia quæ Deus promisit, erogat, incapax est, ut argui possit. Lib. 9. moral. cap. 10.

Quòd si Deus beneficam exercentibus in pauperes commiserationem Regnum spondet cœlorum, hoc tantùm valet, quantum quis habet; & tanti æstimatur, quantum pauperibus erogatur. Valuit Zachæo dimidio propriæ substantiæ; valuit viduæ duobus minutis; valuit & alteri calice aquæ frigidæ; nemo est, qui si velit non possit sibi Regnum cœlorum coëmere, dummodo ea det pauperibus, quæ sibi superfluunt, quæ enim dat pauperibus, Deus accipit in pretium sui Regni: quidquid enim pauperibus damus, Christo erogamus ex ejus chyrographo: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Philippus II Hispaniarum Rex profecturus in Americam ad sua ibi regna invisenda, suósque recentes subditos propria exhilarandos præsentiâ, Philippum III. filium, regnique hæredem ad Hispaniarum regimen reliquit, eúmque Magnatibus enixim commendavit verbis illis, 5. Matth. 5. v. 40.

quidquid obsequij, & fidelitatis huic meo filio præstiteritis, mihi censebo præstitum: quid ni Magnates omnes certatim sua Philippo III. obsequia præstitêre, & quisque satagit suam sibi gratiam demereri. Pari pacto Christus pauperes instituit, qui suas quoad fidelium eleemosynas suscipiendas vices gererent, ut quidquid pauperibus erogaretur, hoc idem Deo ipsi daretur, non tamen simpliciter; sed ita, ut datum, essent iterum dantes cum fœnore recepturi.: *Fæneratur Domino, qui miseretur, & vicissitudinem reddet ei.* Proverb. 19. v. 17.

6. Qui in pauperes est beneficus, dat Christo mutuum amplissimo cum fœnore restituendum danti; & D. Basilius suadens ad exercitium beneficentiæ explicat quid sit hoc mutuum, inquiens: *Quale hoc mutuum est? Intellige dicti efficacem vim, & legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi das in Domini gratiam, & donum, & lucrum est. Donum quidem quod à paupere non speres te recepturum: lucrum verò quia Dominus promisit cumulatissimam remunerationem pro exiguis beneficijs, quæ in pauperes conferuntur. Nec enim frigida calculus Dei nomine porrectus pramio carebit.* Explicat Basilius, quomodo donum sit, & mutuum, quod pauperibus erogamus, & ait, donum esse, eò quia à pauperibus non ampliùs speramus fore, ut datum recipiamus; & mutuum esse, eò quia Deus hoc idem nobis aucto fœnore restituit: & hoc auctarium præmij, quod DEUS homini in pauperem benefico reddit, vera est usura, verúmque fœnus cum principalem summam tam nimio intervallo superet, quantum distat à cœlo terra: & hæc cæcitas est avaritiâ sordescentium, qui neglecto uberiori fœnore malunt hominibus, quàm Deo fœnerari. Imò ob turpissimum quæstum sunt etiam qui ea lege dant sub anni initium alteri nonaginta, ut elapso eodem anno sint ab eodem centum recepturi; sunt & qui quatuordecim etiam exigant pro quovis centenario fœneratæ pecuniæ, & hæc fœneratio fœda est, ac turpis. O quantò utiliùs fœneraremur, si pecunias nostras superfluas pauperibus erogaremus! tametsi nullam à paupere usuram speremus, Deus tamen est, qui datum à nobis pauperi in mutuum accipit auctario cœlestis præmij restituendum. In Psal. 41.

7. Olim usura inter homines unciaria erat, & pro annuis centum mutuò datis unum duntaxat redibat, sed Christus hanc olim legem antiquavit, & pro uno à nobis pauperibus erogato dat ipse nobis supra centum, & mille; Pulchrè Chrysologus: *Usura mundi est centum accipere, unum pro censu reddere; Deus unum accipit, & centum reddit Et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsan de cautione soliciti? quare? homo homini exi-* Serm. 25.

gua cartula obligatione constringitur, Deus tot, & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? Sed dicis esto, quod debeat, quo exigente restituet? se ipso, quia non potest ille mentiri. Idem ipse est, & executor, & debitor. Non eris tu reddende durus, qui profusus es in largiendo. Si quæras ubi datum tuum cum auctario eris recepturus, Id tibi obtinget in cœlesti patria, in quam transmittitur quidquid pauperibus erogas, & ubi non dolebis, te usuram perdidisse: sunt pauperes, quibus benefica commiseratione opitulamur, qui Deum constituunt fidejussorem; est enim Deus, qui dat fidem per Evangelium suum, nec potest nos fallere, nec sibi deesse.

Imò non tantùm est fidejussor, verùm etiam datum à nobis pauperibus accipit in mutuum, quo noster veluti debitor substituatur; quidquid enim pauperi erogatur, hoc Christo datur, neque is Deum amat, qui pauperes non diligit: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Sed quomodo si Joannes in præmissis loquitur de amore in hominem, postea concludit de amore in Deum? An non si ad Dialecticæ regulas argumentemur, vitiosa est illatio, quâ diversum inferimus ab antecedente? quomodo igitur Joannes à carentia amoris in homines carentiam infert amoris in Deum? sed recta est Joannis illatio, quia dare pauperibus perinde est ac DEO dare, & eleemosyna, quæ recta intentione spargitur in pauperes, DEO datur, eò quia propter Deum erogatur, & stipem pauperi datam Deus sibi collatam computat. 8. 1. Joan. cap. 3. v. 17.

Saulus spirans minarum, & cædis in Christi Discipulos susceptis à Principe Sacerdotum litteris iter instituerat Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset fideles vinctos perduceret in Jerusalem: sed cùm appropinquaret Damasco lux de summo cœlo dilapsa eum circumfulsit, & tanto impetu in eum irruit, ut equo excussus & dilapsus vocem audierit dicentem sibi; *Saule, Saule quid me persequeris:* sed si non Deum, sed homines quærebat Saulus, quos perderet, quomodo dicitur Saulus Deum persequi, qui nonnisi homines, & quidem pannosos persequebatur? Quis hominum in terris potest Deo in cœlis nocere? cur ergo Saul dicitur persequi Deum in cœlis, cum nonnisi primos nascentis Ecclesiæ fideles quæreret in terris? quia nimirum pauperes persequebatur in terris, qui membra sunt Christi: qui igitur pauperes lædit, membra Christi, consequenter & ipsum Christum lædit: & vicissim qui beneficus est in pauperes, talis est etiam in Deum. Martinus cum adhuc octodecim esset annorum dimidiatam sui sagi partem, quam pauperi die donaverat, nocte Christus se conspicuum eidem dedit eadem contectus, ac ei fuit adgratula- 9. Act. cap. 9. v. 4.

tulatus, quod in paupere ipſum veſtierit, inquiens Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit, quia quidquid pauperibus erogamus, hoc idem Deo damus: imò & in cœlo reponimus æternitate tota fruendum, & eſt quod nobis injunxit Chriſtus, (Matth. c. 6. v. 20.) theſaurizare in cœlo: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo:* quas in terris opes congerimus non diu eas poſſidemus, cùm brevi ab ijsdem morte exturbemur: & licèt in congerendis divitijs rem potiùs hæredum, quam noſtram agamus; nec illi erunt diu à nobis, & ipſis congeſta poſſeſſuri; nemo enim ſibi, quod diu ſervet, colligit. Illis tantùm erimus divitijs æternùm fruitori, quas per manus pauperum in cœleſtes theſauros repoſuerimus: ſunt enim pauperes, qui unà cum noſtris opibus, quibus fuimus eorum indigentijs opitulati, nos manuducunt in cœlum.

§. II.

Quod cum pauperibus commiſeratio negotium inſtituit, plenum eſt utilitatis. Accipiunt pauperes fluxa & umbratilia; & dant aeterna: ſuſcipiunt caduca, & dant cœleſtia.

10. VTilitatis plenum eſt, quod cum pauperibus negotium inſtituitur; accipiunt ipſi noſtram pecuniam, & rependunt nobis æternam juſtitiam, & gloriam, (Pſalm. 111.) aiebat David; *Diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi,* quæ verba expendens D. Auguſtinus amicum ſuum eruditurus, ait: (Serm. 10. de verbis Dom.) *Conſilium do lucroſum, diſce mercari, laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit juſtitiam. Eroget pecuniam, qui habet juſtitiam.* Si dicas, te non habere juſtitiam, ac timere ne pecuniam perdas ſi pauperibus eroges. Imò ſi te noveris juſtitiâ deſtitutum, hanc tibi comparas, ſi pecuniam pauperibus eroges, & quò plus pecuniæ dederis, eò uberiora juſtitiæ ſuſcipies incrementa; nec timeas tui diminutionem ærarij, ſi quotidie dones pauperibus: augetur enim miſericordia, augetur, & juſtitia, ſi voluntas creſcat miſeriæ ſuccurrendi: illud tantùm minuitur, quod fluxum eſt, & nos morientes deſerit, quamvis deſiderio nos illud non deſeramus; illud verò uberiora ſemper ſuſcipit incrementa per pias elargitiones, quibus pauperum ſublevamur miſerias, quod in æternum erimus poſſeſſuri, & ad quod benefica in pauperes commiſeratio nos evehit.

11. Admiratione dignum videtur, quòd Salomon in templum a ſe conditum innumeros propemodum inſumpſerit theſauros, & ligna pretioſiora pro illius ſtructura ſelegerit, metallorum itidem argenti, auri, & gemmarum pretia ad ejus ornatum adhibuerit, & ſancta ſanctorum puro puto auro totum veſtierit; adhuc tamen hanc auream ædem gemino duntaxat, & quidem vili clauſerit oſtiolo: (2. Reg. c. 6. v. 31.) *Ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum:* cum nulla eſſet in Judæa olivâ arbor frequentior, nec ulla erat arbor vilior, ac plebeior. Quòd ſi non exotico voluit ligno gemina illa conſtruere oſtiola, cur non ſaltem ex cedro Libani, vel ex therebyntho portas effecit? cur delatus hic honor ſoli fuit olivæ? cur ſi nullus eſt Princeps, qui palatij ſui nobiliorem portam non ex aliquo curet præſtantiori ligno multiplici cœlato emblemate conſtrui; nunc Salomon cæteris arboribus unam in Judæa vulgarem olivam voluit præferri? non credas id obtigiſſe, eò quia grandioribus vellet Salomon ſumptibus parcere; ſed quia oliva, ut obſervat Baſilius de rerum abdicatione, ubique gentium miſericordiæ ſymbolum eſt notiſſimum; *ob lenitatem,* ait ipſe, *ſuavitatem, & pinguedinem:* ſcitè igitur Salomon conſtrui ex lignis olivarum curavit, & quidem inſtinctu Spiritus ſancti gemina illa oſtiola, per quæ ad ſancta ſanctorum patebat ingreſſus; quò ſcilicet nos erudiret, eos in ſancta ſanctorum cœleſtis beatitatis, & æternæ felicitatis, poſſe pervenire, qui per oſtiolum oleagineum ingreſſum quærit; ſeu qui beneficem in pauperes exercet commiſerationem, ac eorundem opitulatur indigentijs.

Hinc eleemoſynæ plus proſunt danti, 12.
quàm accipienti, quod cùm Abrahamo innotuiſſet excepturus peregrinum cum alijs duobus dixit: *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum,* (Geneſ. c. 18. v. 3.) *ſed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore; ponámque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum.* Non neſcius Abrahamus eleemoſynas plus prodeſſe danti, quàm accipienti, ſapienter prævenit, obviavit ipſe peregrino tranſeunti, quem adoravit, eniximque rogavit, ut ſibi pateretur beneficeri, pedes aquâ lavari, & abſtergi, vires obſonio refici, ac recreari, & defatigatis membris quietem indulgeri; quia inde plus erat Abrahamus emolomenti ſuſcepturus, quàm eſſet ipſe pauperibus daturus, cùm veritas ipſa Dicat: *Beatius eſſe dare, quàm accipere;* (Actor. c. 20. v. 35.) quia eleemoſynæ, quas pauperibus erogamus, ſunt bina illa oſtiola ex ligno compacta olivæ, per quæ ingreſſus ad ſancta ſanctorum cœleſtis beatitudinis nobis patet.

Fertur de Luſitana quadam fœmina, 13.
quæ Eboræ ad vitæ extremum deducta, quinque ſupra quadraginta annos in cœno omnium flagitiorum turpiſſimè demerſa manſerat; & profligatiſſima turpitudine pactam etiam cacodœmoni addiderat ſervitutem: quod cauſæ fuit, cur infelicem mulie-

mulierem durissimo orcinus incola exerceret jugo, videreturque interdum eam opprimere: sed cum post dies aliquot convaluisset, & mendico morienti adstitisset, eique fuisset opitulata, eleemosynas suppeditâsset, & suam extremo eo tempore præstitisset opem: defuncto mendico visa est sibi paucis post diebus imaginem conspicere ejusdem, & verba hæc audire. Eleemosynas tuas in DEI conspectum detuli, & quia misericordiam mecum exercuisti, Dei misericordiam exoravi, ut ob eleemosynas mihi in vitæ meæ extremo erogatas, & tuam mihi impensam opem, suam tibi impertiretur gratiam, cujus beneficio è cœno valeres vitiorum tandem emergere, ex corde resipiscere, & ad frugem transire saniorem: & ex miserentis DEI permissu ad te veni, te hortaturus, ut de anteactæ vitæ noxis pœnitentiam non differas agere; sed eas sacra exhomologesi statim eluas, lachrymis tuam purges conscientiam, eleemosynas in pauperes eroges, ut DEI mereaeris misericordiam: & cùm easdem voces auribus illapsas iteratò audivisset; illicò surrexit è lecto, & flexis genibus ante crucifixi imaginem in lachrymas colliquit, seriò proposuit vitæ emendationem, & sua pauperibus elargiri; ut misericordiam quam ipsa esset in pauperes largitura, Deus in ipsam exerceret; & suis parceret sceleribus, in quibus turpissimè vitam egerat. Ecce quàm benefica est largienti eleemosyna, quæ etiam omni scelere inquinatos emaculat, quò per ostiola ex ligno olivæ compacta in sancta sanctorum ingrediantur cœlestis beatitudinis.

14. Proptium est eleemosynæ, contractas abstergere noxas, & peccata delere, hinc Tobias cap. 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur ire in tenebras.* Idque causæ fuit, cur Daniel salutem cupiens Nabuchodonosoris, salubre eidem consilium dederit, ut pauperibus opitularetur, eorum miserias profusis eleemosynis levaret, eorum angustias pijs largitionibus laxaret; eorum indigentias erogatis pecunijs abigeret, quò nimirum, quæ perpetraverat scelera beneficâ in pauperes commiseratione deleret: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum;* ea est beneficæ commiserationis vis, quæ scelerum noxas abstergit, reatum pœnæ ob patrata flagitia delet; conscientiam emaculat, cor purificat, & spiritum innovat Luc. c. 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Id eleemosyna præstat ait D. Hieronymus quod baptismus: est enim lavacrum animæ, fons pellucidus, in quo æstus pravæ concupiscentiæ extinguuntur: quòd si lustrali fonte baptismi semel dumtaxat abluimur; hoc beneficæ in pauperes beneficentiæ fonte centies, & millies possumus uno die ablui, & emundari, quatenus eleemosyna per modum impetrationis, & dispositionis conscientiam emaculat, & à scelerum noxis liberat, ait enim D. Gregorius: *Eleemosyna pretium nos à culpis liberat, cum perpetrata plangimus, & abdicamus.*

Daniel. c.4. v.24.

In Psal. 133.

15. Si misericordes in pauperes simus, suam Deus nobis misericordiam elargitur, & gratiam, quâ resipiscimus, & quas scelerum fœditates contraximus, lacrymarum lavacro abstergimus; ad quod nos hortatur Syracides: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post tempora multa invenies illum.* Aquæ transeuntes sunt pauperes, qui non solùm lavacrum nobis impetrant lacrymarum; verùm quæ ipsis præstamus subsidia, transeuntes deferunt ad cœlestis patriæ portum, nobis cum fœnore restituenda, postquam mortalitatem exuerimus: quapropter ait Isaias: *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Benefica humanitate sunt pauperes tractandi; cum Profeta nos moneat, ut panem *nostrum* esurientibus frangamus; ne scilicet secundarium aliquem, silicineum, aut furfuraceum cum impetu iræ, vel impatientiæ mendico à nobis stipem exposcenti projiciamus; sed ut panem *nostrum*, quo nos vescimur, ac pascimur esurienti frangamus: seu nostra obsonia partiamur, & pauperibus impertiamur; & communione mensæ nostram cum pauperibus eamdem esse naturæ conditionem profiteamur; quos enim communis mensa pascit; charitas arctiori vinculo simul ligat: unde addit Isaias; *& egenos, vagósque induc in domum tuam* hoc est non sinas pauperem diu fores tuæ domûs pulsare; nec ei stipem petenti noli januam claudere, nec cum jurgio frustulum panis è fenestra in plateam projicere; sed portas ei aperi, benignè ad tuum hospitium invita; imitare Abrahamum, qui velut agens excubias ex editiori specula eminus adventantes aspiciebat, & ultrò hospitibus gaudens obviabat, quos in propria reciperet perhumaniter domo, lotisque pedibus, fessos ex itinere epulis recrearet, subjungit Isaias: *Cum videris nudum, operi eum;* idque efficacius persuasurus addit: *& carnem tuam ne despexeris:* quasi qui carnem nudam pauperis vestibus obtegere negligit, propriam despiciat, habeatque contemptui; ita est naturæ necessitudo omnes homines sive Crœso ditiores, sive Codro pauperiores, sive clamydatos in principibus, sive pannosos in mendicis, uno, eodémque humanitatis vinculo nectit, quò singuli in quid unum coalescant humani generis; suámque propterea carnem despicit, qui nudum pauperem vestire negligit: appositè Lactantius: *Summum hominum inter se vinculum est humanitas, quod qui disruperit nefarius, & parricida existimandus est.*

Eccles. c.11 v.1.

Isaia 58. v.7.

Lib. 6. c. 10.

Quòd

86. Quòd si ab uno homine, quem ex humo Deus finxit, omnes eandem trahimus originem, unaque est omnium origo, unus ac idem fons, à quo tot scaturiunt gentium rivuli; quis eat inficias, aliquid commune cum pauperibus sortiri divitijs affluentes? inde maximum scelus putandum est, alienæ indigentiæ non succurrere, pauperum miserias non levare, lugentium lachrymas non abstergere, esurientium vires non reficere. Gravissimus æquè, ac crassissimus divitum error est, qui abunde sibi cautum arbitrantur, si manus à rapina, à cæde, facinore, homicidio abstinuerint; nil pensi habentes, an divitias, quibus affluunt, impendant in pompis sæculi, in luxu epularum, in ornatu vestium supervacaneo, in equis nutriendis, canum gregibus alendis, stabulis construendis; an verò in pauperum nuditate vestienda, in miserorum ærumnis abigendis, in esurientium indigentijs succurrendis? Hos divites D. Gregorius eidem subjicit maledicto, quo olim in evangelio infructuosa ficulnea fuit à Christo percussa, quæ cum terræ succis abundè aleretur ipsa, nullos protulit fructus, quibus esurientes pauperes recrearet, & alios ipsa pasceret: ait D Gregorius. *Terram ficulnea occupat, quando locum, quem exercere alius per solem boni operis valuit, stultus per desidia umbram premit. Hi autem dicere nonnunquam solent: concessis utimur, aliena non quærimus: & si digna misericordia retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus. Quod idcircò sentiunt, quia videlicet aurem cordis à verbis cœlestibus claudunt. Neque enim Dives in Evangelio, qui induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè, aliena rapuisse, sed infructuosè proprijs usus fuisse perhibetur; eúmque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit; non quia aliud illi citum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis eradidit.*

Part. 3. pastor admon. 22.

87. Non fuit dives, qui in Evangelio induebatur purpurè & bysso, & quotidie epulabatur splendidè, in gehennam detrusus æternis excruciandus ignibus, eò quia innocentium sanguinem fuderit; sed quia sitienti haustum vini non effuderit; non quia aliena rapuerit, sed quia propria mendico non exhibuerit; non quia instigante luxuriâ alienum torum violaverit, sed quia ex proprio epularum luxu, nec superstites micas esurienti dederit. Non sufficit divitibus aliena non rapuisse; sed propria distribuisse in pauperum subsidia, in miserorum solamen, hoc illis proderit; non qui aliena non rapiunt è gehennæ subducuntur cruciatu; sed qui sua pauperibus dilargiuntur, ij ab orco eximuntur: qui verò pauperibus necessaria negant subsidia; & negligunt esurientes pascere, nece grassantur in proximos; tot enim quotidiè perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt; iden Deus fuit divitibus opes elargitus, ut per ipsos pauperes alerentur, & cum ipsi abundarent, alij non egerent: sicque mutuis auxilijs per beneficentiam divitum pauperes ab egestatis subtraherentur angustijs; & per pauperum preces, stipémque receptam divites à multitudine liberarentur noxarum.

18. Mira senè Numinis providentia, quæ una, eadémque largitione plurium voluit indigentijs succurrere? idque fortassis causæ fuit, cur æterna sapientia, Deique providencia, quæ in sui dispositione non fallitur, quos pares natura condidit, conditione dispares esse voluit, ut alij divitijs affluerent; quibus alij indigeret; quò nimirum superflua divitum, pauperum supplerent vacuitatem; & refectio pauperum divitibus occasio fieret salutis, quam propterea sibi invidet, qui pauperi stipem petenti non opitulatur, nec vitæ elargitur subsidia; sibique gehennales accendit ignes; qui enim pauperibus eleemosynas non erogant in gehennam deturbantur æternis torquendi supplicijs: etenim supremus Judex in extremo Judicio sententiam damnationis prolaturus in impios, & reprobos dicet. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* *Matth. 25. v. 41.*

19. Si quæras, ob quæ patrata scelera sint reprobi tam extimescendam, ac horribilem audituri sententiam; tamque acerbos cruciatus nunquam finiendos subituri; non ambigis ob solas lethales noxas, quas abstergere lavacro pœnitentiæ, & lachrymis veræ resipiscentiæ neglexerunt, antequam mortalitatem exuerent; sed licèt mortifera scelera mortem hanc gehennalem nunquam emorituram accerserint; non tamen præcipuam hujus damnationis causam credas esse adulteria, qnibus impij alienum thorum violârunt; non fœdas libidines, quibus lilium alienæ virginitatis constuprârunt; non homicida, quibus innocentum sanguinem fuderunt; non cruentas cædes, quibus integras domus funestârunt; non temulentiam, quâ in sympofijs immodico vini haustu usum, luménque extinxerunt rationis: non luxum in epulis, quo palmari stomacho vectigalia effecêre plerisque in provincijs elementa; non usuras, quibus alieno ære pinguiorem sibi coëmerunt fortunam; non delicias, quibus disfluxerunt, sensuum indulgentes illecebris; sed quia, oh grande immisericordiæ scelus! quia esurientes non paverunt, neque sitientibus haustum, quò sitim extinguerent, non porrexerunt: hæc erit præcipua causa æternæ reproborum damnationis, quam supremus Judex expressè significat ad terrorem, non opitulantium pauperibus. *Esurivi enim, & non dedisti mihi manducare: sitivi, & non dedisti mihi bibere,* quasi *Matth. 25.*

 dice-

diceret, non ideo impij in gehennales ablegabuntur Ignes, quia adulteri, ac homicidæ fuerint, quia etiam David hæc patraverat scelera; non quia aliena invito Domino surripuerint, quia etiam latro in cruce pendens, meruit audire, hodie mecum eris in paradiso; non quia pecunijs inhiarunt, quia Matthæus in telonio divitias congessit; non quia mundi delicijs affluxerunt, & carnis, sensuúmque illecebris indulserunt; quia id etiam Magdalena præstitit, quæ tamen lachrymis pedes lavit Salvatoris, & capillis capitis sui abstersit, simúlque fœditates omnes suas, quas peccando contraxerat, plorando detersit; sed quia esurientem, & sitientem Christum in paupere pannoso reficere fracto pane, & haustu congruo detrectârunt; si crimina eleemosynis redemissent; ipsa benefica in pauperes commiseratio à gehennalibus eos retraxisset flammis. Est immisericordia, quæ gehennæ ignes non solùm accendit; verùm etiam ijsdem fomentum suppeditat, ei supplicium accersit.

§. III.

Subsidia pauperibus denegata non solùm flammas è cœlo lacessito evocant; verùm etiam ex imo terra gehennalia advocant supplicia, quibus æternùm torqueantur.

20. VAllis erat in Palestinâ juxta fluenta Jordanis omnium sedes amœnitatum, omniúmque patria deliciarum: in ea quinque extructæ fuerant civitates, quibus nomen commune Pentapolis, scilicet Sodoma, Gomorrha, Sebois Adama, Segor: cives præsertim Gomorrhæi, & Sodomæi hominum reliquorum flagitiosissimi habebantur, quia mundi delicijs difluentes ex præsenti felicitate tumerent, & alienigenas contemnerent, carnis illecebris indulgerent; rerum copiâ ditescerent, & inde juges comessationes, & otium sordium cunctarum putidissimus fons; & ex otio omnium profluebant libidinum portenta; adeo ut nec Loti concivis, virique virtute cultissimi quotidianis monitionibus, & exemplis non sinerent se ad vitæ purioris studia adduci; cúmque enormia eorundem scelera cœlum ipsum lacesserent, Deus Vindex funestam Pentapolitis exhibuit tragœdiam spectandam, non sine lachrymis, non sine sanguine, ac cæde funesta; supremum inchoaturus actum sub matutinum crepusculum tetros quosdam excitavit vapores, qui fuliginea caligine aëris illicò antea arridentem infuscârunt serenitatem; & cum Pentapolitæ adhuc in lectis stterterent, vel otio, vel eidem cognatæ Veneri indulgerent, cœperunt venti flare, turbines furere, debacchari procellæ, quassari tellus; & Jordanis ipse in fluctus, ac fremitus assurgere; micare fulgura cœlo, horrendísque immugire aër totus tonitruis; & vallis tota Palestinæ nocturnis repentè inhorrescere umbris, nigrescere tenebris; mox è nubium disrupto gremio exilire fulgetra, erumpere fulmina, ruere flammæ, quæ sulphure, nitro, pice, bulliente sale, & flagranti bitumine mixtæ brevi tempore urbium tecta, turres, palatia, viarum strata, imò & prata, campos, colles, nemora, viridaria, & quidquid superfuit deliciarum in inanes, funestásque dissolverint favillas.

Non me latet, ob enormia scelera fuisse Pentapolitas urbes incendio deletas: sed si altiùs investigem, ob quam specialiorem causam; reor, quia in egenos asperi nimium, ac præduri fuerint, omnémque à se commiserationem excusserint; noluerintque pauperum succurrere indigentijs, quapropter dicitur. *Peccatum enim eorum aggravatum est nimis:* si petas, quæ nam fuerit hujusmodi circumstantia tam aggravans. Respondet Lyranus ex textu Hebræorum, & Antiquorum traditionibus, hanc gravitatem ex immisericordia ortam fuisse Pentapolitarum, qui puellam morti addixerunt, eò quia pia commota commiseratione pauperi stipem poscenti eleemosynam fuerit erogata; ait Lyranus. *Ista aggravatio fuit, quia quandam puellam occiderunt, quia dederat alimentum pauperi.* Idque innuit Propheta Ezechiel c. 16. v. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ; saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiorum ejus: & manum egeno, & pauperi non porrigebant:* subsidia pauperibus denegata flammas è cœlo lacessito accersiverunt, supplicia evocârunt, & Pentapolitas extremo deleverunt excidio. *O ignis infernalis*, exclamat D. Hieronymus, *luxuria, & immisericordia, cujus materia, gula; cujus flamma, superbia; cujus scintillæ prava colloquia; cujus fumus infamia; cujus cinis immunditia; cujus finis gehenna!* 21.

Genes. 18 v. 20.

In Genes. cap. 1.

Sed cur supremus Judex in extremo universali judicio solius meminit immisericordiæ, ac denegatæ stipis, & enormissima reticet scelera, quibus impij vel cruenta cæde cuncta in mundo funestârunt; vel rapinis violentis aliena bona expilârunt; vel exitialibus incendijs urbes integras deleverunt; vel injustis bellis longè, latéque diffusas provincias, ac regna devastârunt; vel fœdissimis adulterijs alienum torum violârunt; vel insanis libidinibus puellarum pudicitiam corruperunt, ut suis satisfacerent depravatis concupiscentijs, mundi voluptatibus indulgerent, ac sæculi difluerent delicijs? solius meminit immisericordiæ; quia beneficio eleemosynæ potuissent reliqua scelera 22.

lera obliterare, cæteras criminum maculas delere; & omnes abstergere noxas; apposite ait D. Augustinus expendens præfata verba. *Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem eleemosyna increpandam esse judicavit, nonnisi ad nos commovendos. Quare hoc? quia omnia crimina eleemosynis redimuntur. Ideò illam laudavit fœcunditatem, istam culpavit, & damnavit ariditatem. Sed audistis omnia malefacta eleemosynis redimi: nolite sic intelligere, ut intelligunt quidam perversè, Eleemosyna enim possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaveris.* Benefica in pauperes commiseratio, quæ eleemosynarum erogatione veluti roscido imbre, quas contraximus noxas delet, gehennæ ultrices flammas extinguit, quas immisericordia accendit, & fovet.

23. Ardet hoc igne tortus, qui in Evangelio divitijs affluens bysso, & purpura induebatur notus Epulo, qui luxu sartus epularum, deliciisque satur, benefica fuerat in Lazarum ulcerosum commiseratione jejunus: in hunc pannosum inopem adeò durus, & austerus fuit purpuratus dives, ut nec micas panis permiserit ulceroso esurienti exhiberi; cui saltem aliquid ex obsonij, & ferculorum reliquijs debuisset impertiri: mox Libithina ineluctabili sua falce utrumque demetit, florem scilicet discolorem in faturo divite; & exarescens in Lazaro gramen humi serpens; sed hic purpurâ indutus nobiliore in sinu excipitur Abrahæ; & ille exuto bysso, & purpura flammis circumcingitur gehennalibus æternum excruciandus. Si quæras, cur Dives purpuram superbientem cum igne commutaverit torquente; & è suis sympoiijs exelusus gehennali fuerit in carcere detrusus? respondet apposite ad rem nostram D Chrysostomus. *Non quia dives fuerat; sed quia misericordiam non exhibuit:* non fuit in ergastulum detrusus inferorum, quia opibus afflueret, quia mundi delicijs difflueret; purpuram, & byssum indueret; quia reges plurimi purpurati, & chlamydati; divites quamplures licèt peccatores à cœlesti non fuerunt beatitate exclusi; Dives fuit, imò & peccator, Sionis rex David, & tamen æternam fuit felicitatem consequutus; divitijs affluxit Zachæus, noxisque fuit & ipse inquinatus, & tamen æterna, & ipse fuit beatitate donatus, quia dimidiam fusrum opum partem dedit pauperibus. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si aliquem defraudavi, reddo quadruplum:* & David Psal. 111. *dispersit, dedit pauperibus.* & Psal. 103 præ alijs liquoribus commendans oleum ait: *ut exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet:* cum det Deus jumentis fœnum; abundè hominibus panem, vinum, & oleum suppeditat; nimirum panem, & vinum in cibum, & potum; oleum verò in unctionem; vel etiam in cibi condimentum: *ut exhilaret faciem in oleo.*

Homil. 65. ad populu

Luc. 19.

24. Tunc vultus hominis hilarior est, ac lætior, cum obsonia experitur probè condita, ac palato arridentia. Idque causæ fuit teste Cassiano, cur prisci in Ægypto Monachi, quò suos hospites paulò lautiùs susciperent, olera subinde, & lugumina oleo condire consueverint, ut eorum facies exhilararent: de hac hospitis facie exhilarata oleo scitè ait D. Hieronymus, expendens verba Davidis. *Exhilaretur oleo misericordia justorum facies coram Deo. quicunque orbis judicem sereno, ac hilari vultu cupiunt intueri, nunc vultum oleo erugent, ac nitident, guttus olearius assiduo liquore in pauperes stillet: dantis, & accipientis facies exhilaretur,* olei scilicet unctione, seu elargitione eleemosynarum, & exercitio beneficæ in pauperes commiserationis; est elargitio stipis effusio olei exhilarantis faciem pauperis recipientis, & bona incrementsntis divitias elargientis. Ideo divitis in evangelio Epulonis non fuit facies exhilarata, quia oleo caruit misericordiæ, noluitque mendicum, & ulcerosum Lazarum inungere; affusus hic esuriens portæ divitis, flebili voce aliquid exposcebat obsonij, quò propriæ consuleret necessitati, ac deficientes præ fame corporis jejuni vires reficeret; sed lachrymæ, & preces pauperis duritiem non valuerunt emollire divitis, nec ejus rebellem contumaciam flectere ad pietatem; ideòque siti mox ardentissima, & inexplebili jugiter excruciatus; nec unicam valuit aquæ guttulam à patre Abrahamo impetrare, quâ ardentissima arentis linguæ valeret incendia temperare; & meritò, cum & ipse, vel unicam panis miculam, è sua deciduam mensa poscenti Lazaro noluerit extradere, quâ famem viscera corrodentem mitigaret.

Psalm. 103.

25. Hinc Tobias, quò filium suum edoceret artem præcavendi infortunia, enixim ei injunxit, ne unquam manum clauderet, ne faciem averteret ab ullo paupere stipem exposcente. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere:* quæ vero sit hæc vultus aversio variè solet explicari. Is enim vultum suum dicitur à paupere avertere, qui licèt inopis necessitatem exploratam habeat; ne suam tamen ei pecuniam eroget, pauperem à se ad alium amandat, inquiens: ito ad hunc alium, qui divitijs affluit, ille procul dubio te juvabit, tuisque succurret necessitatibus; sed is alter æquè pecuniarum tenax, nec obulum poscenti stipem erogat, & eò liberalior verbis, quò operibus parcior, dulcia plura dat pannoso verba, ut celeriùs eum à se amoveat, & ad alium dirigat ditiorem, qui eodem artificio ad quartum, & hic ad alium ablegat; adigatúrque propterea mendicus semper vacuus circu-

Tobiæ cap. 4. v. 7.

mire;

mire; & jejunio stomacho diem transigere: hi omnes, qui solis verbis munifici sunt, & re immisericordes dicuntur faciem suam à paupere avertere; cum totam solertiam adhibeant, ut quantocyus inopem à se amoliantur. Nemo siquidem ex ipsis est, qui

Psal. 9. v. 34. cum Davide dicat: *Tibi derelictus est pauper*, hoc est, tibi commendatur, derelinquitur pauper alendus, non alijs.

26. Neque te purgas, si dicas, ab alijs ditioribus pauperem non juvari, proinde opus eidem impendere beneficæ commiserationis tuum non esse, cum tot non affluas divitijs, sicut alius: nam cum possis pauperi à te stipem exposcenti opitulari, & id non præstes, æquè faciem toam ab illo avertis, sicut alius, qui te est locupletior: quia eadem avaritia omnium claudit crumenas pauperi, ideo misericordia nulli eorumdem cœlum aperiet; reclamat enim in hos Jo-

1. cap. 3. v. 17. annes. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* commiseratio benefica non linguam fœcundam, sed manum actuosam expolcit; non os ad verba fundenda, sed crumenam ad pecunias pauperibus effundendas aperit; non mollia verba, non fallentes sponsiones, sed plures erogat nummos; & re, non sola spe pauperibus opitulatur; qui sola spe alitur, is re fallitur: Hinc Joannes suos erudiens Di-

Cap. 3. v. 18. scipulos ad exercitia virtutum ait. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

28. Sunt etiam, qui faciem suam dicuntur à paupere avertere, quatenus duriusculis verbis eum à se abigunt, & stipem ab ijsdem poscentes asperè tractant, quâ ægritudine animi in pauperes malè valentes videntur præ cæteris aliquot divites laborare, præsertim, si in florente sint adhuc ætate constituti; hi quasi dedignati, quòd ausi fuerint pauperes pannosi, laceri, seminudi, luridi, famelici ad se accedere, inclementes, & acerbè, ac severè à se abjiciunt. Quòd si quis alius meliore pallio, eleganti veste, vultu hilari se se inferat, melleis hunc verbis excipiunt, qui felleis à se pauperem rejiciunt; nimirum mel, & acetum fundunt, illud divitibus, hoc pauperibus; à quibus propterea faciem suam avertunt; quos ad mitiores erudiens mores Syracides

Eccles. cap. 4. v. 2. ait. *Animam esurientem ne despexeris: non exasperes pauperem in inopia sua: cor inopis ne afflixeris; non protrahas datum angustianti*; seu noli esse cunctabundus quoties pauper stipem à te poscit, ut suæ valeat necessitati consolere, sed hilari vultu, manúque celeri eroga, quod tibi superfluit, noli quærere, an indigus sit, qui suam tibi miseriam aperit; largire nummos tuos pauperi, ut pauperi, quia si talis non fuerit, Christo dedisti, & nihil perdidisti; clausis oculis da pauperi suam tibi exponenti indigentiam, rumpe exosas moras, exporrige cunctatricem manum, ne securis pauperum prometita; quod pro suggesto, pro concione totis lateribus inculcavit sæpe D. Joannes Chrysostomus: sufficiat tibi, si des pauperibus: quia ut monet D.

Augustinus. *Deus non videtur, sed quo animo detur, attendit: qui Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam, quo accedit ad Christum. Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi. Hæc duo nomina non sunt superflua. Duo nomina aliud quod homo, aliud quod peccator, quòd homo opus Dei est, quòd peccator opus hominis, da operi Dei, noli dare operi hominis.* De civit. c. 17.

Hi quoque faciem suam dicuntur à paupere avertere, qui creditores à suis debitoribus licèt spoliatis, quamvis ad necessitatem, & indigentiam redactis, quæ sibi debentur, severè exigunt; & moræ impatientes, nisi stato tempore solvant, eas cogunt, si non solvant in æra, luere in pelle: ad herum suum accedit rusticellus, enixim rogat, & lachrymis madens suam exponit debiti solvendi impossibilitatem; eò quia frequens grando agros vastaverit, segetes protriverit, vithium palmites jugulaverit, vineam dissipaverit; vel quia arva culturæ non responderint; siccitas aëris germina interemerit, vel hostilis incursus, milésque prædator segetes messuerit, priusquam maturescerent; vel quia irruens fulmen ex procellosa excussum nube horreum combusserit, totámque perdiderit annonam: sed herus creditor hisce auditis infortunijs, adhuc rusticum sibi debitorem orget, & ni solvat, minatur carceres, compedes, flagra: & hæc tam rigida exactio est faciem suam avertere à paupere, quam aversionem vehementer aversatus Deus in lege veteri, præcepit suis populis, ne à paupere pignus exigerent, nec debitum; si solutio esset tunc non modicum ijsdem incommodi allatura, *cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam det tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabu foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus.* seu ut explicant Interpretes, qui à pauperibus exigit, quod non habet, violentiam Deo infert, quia plerumque vestis stragula, lectuli operimentum, unica, quæ illi superest olla, violenter adimitur, quò ad solvendum adigatur, & hæc ut ait Salomon. *Sunt viscera impiorum crudelia*, & quidem ferrea, imo & lapidea, quæ ad commiserationem beneficam in pauperes; nec lachrymis emolliri se sinunt, nec precibus flecti. 27. Deuter. ca 24. v. 10. Proverb. c. 12. v. 10.

29. Verùm hisce nec Deus ipse parcet, luculentum specimen dedit in Belisario Justiniani Cæsaris supremo duce, qui tametsi

metsi bellica æquè fortuna, ac fortitudine plures prostrâsset Reges, domuisset populos, vicisset exercitus, collegisset triumphos, palmarum serto redimitus, tandem erutis oculis, devolutus ad saccum; ex divite pauper, ex purpurato pannosus, ex laureato contemptus, adactus fuit publicè mendicare. Ajunt Constantinopoli etiamnum eam exstare columnam, ad quam sedere consueverat, & supplici voce rogare pertranseuntes, ut stipem darent, quâ collabentes præ fame corporis vires restauraret, inquiens: *date obolum pauperi Belisario.* Fuerat hic populorum terror, Martis fulmen, & exercituum ductor, ac Strategus, qui pluries hostili sanguine effuso proprias sibi palmas rigaverat ad triumphos: sed ex apice felicitatis in extremum protrusus fuit miseriarum, factus fortunæ ludibrium, qui Regum fortunas superbo antea pede calcaverat: & spectavit orbis universus Belisarium jacentem in platea vestibus detritis, ac laceratis, vultu emaciato, corpore lurido, viribus destitutum: cujus gladio, & virtute steterat Imperij felicitas. Spectavit orbis Belisarium nudum, & inopem, quem paulò ante militum infinita propemodum multitudo cingebat, & undique affusa lateribus stipabat: spectavit indigum, & miserum, stipem, ac obolum exposcentem, quem auri, & argenti congesti thesauri, & ampla gemmarum supellex felicem constituerant: fundebat ipse lachrymas ærumnis pressus; cùm antea victori ferro alienum funderet sanguinem, & hostes oppresserit: hiccine ille est Bellisarius imperij gloria, Imperatorum deliciæ, barbarorum terror; populorum quondam amor, patriæ clypeus, Martis nervus, qui nunc hæret mendicus, squalore obsitus, corpore luridus, fame exhaustus, siti æstuans, dedecore, & contemptu, pressus? ò fortunæ temeritatem! quæ tam tragicè ludit in capita Principum, quos erigit, & erectos deprimit, quos fovet, & in eosdem sævit! ò fluxas rerum humanarum vicissitudines; ò fortunæ inconstantiam; quæ eblanditur, & interimit; arridet, & lachrymas elicit; favet, & excidia molitur. Sed si quæras quidnam causæ fuerit, cur Belisarius è supremo felicitatis fastigio, in imum fuerit ærumnarum detrusus? non credas, alium habuisse suarum authorem miseriarum, quàm propriam in pauperes immisericordiam; plures enim, cum vinceret Belisarius in bello hostes, vel prosterneret, vel fugaret, & exteras Provincias suo subjiceret Imperio, plures inquam spoliavit pauperes, quorum domus expilavit, quorum bona dissipavit, quorum horrea combussit, quorum fortunas omnes abegit; sed vindex Deus Belisarium prostravit, à quo fuerunt plures depauperati, & suis reculis pauperes spoliati: par pari reddidit; ait enim Christus, *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Luc. cap. 6. v. 38.

Quòd si misericordes in pauperes & beneficiå Deo bonis omnibus replentur; immisericordes ęrumnis premuntur, infortunijs ad extremas trahuntur miserias. Etiam prisci homines sua eis exhibebant obsequia, & in cathalogo Numinum recensitos habuerunt, à quibus Respublica beneficium excepisset; adeò ut frugum, vini, olei authores, & plerosque alios, qui ad humanæ vitæ commoditatem, ad pupillorum tutelam, ad miserorum solatium aliquid attulissent, veluti Deos venerarentur; imò & belluas ipsas, quia sibi beneficas, pro Dijs colebant, ut Ægyptij ciconiam, eò quia infestam serpentium pestem arcere, ac delere penitus crederetur: Romani plurimi anseres fecerunt, & ut sibi beneficos speciali cultu fuère prosecuti; eò quia excitatis clangore custodibus capitolinam arcem à Gallorum impetu, & eruptione servaverint. Quin etiam inanima, ac inertia quædam corpora ab antiquis olim propter beneficium consecrata fuère, ut Luna, Sol, aqua, terra, eò quia ad hominum vitam conducere visa fuerint, & eorundem usu homines juvarentur. Hinc scitè per ventum, gladiúmque veluti per Deos jurare consuevisse homines prisca referunt monumenta, ea duntaxat de causa, quia ille spirandi, hic expirandi, seu vitæ, necisque authores existimarentur: & Horatius vitæ suæ præsidium, ac tutelam in manifesto periculo à Musis accepisse testatur, & easdem sibi Deas fuisse fatetur, cum cecinit, *Non sine Dijs animosus infans.* 10.

§. IV.

Benefica in pauperes commiseratio proximiùs ad Deum accedit, à qua immisericordia recedit; & supplicia, pœnásque promeritas subit.

Nulla est virtus, quâ homines propiùs videantur ad Numen accedere, quàm beneficentia, quæ salutem hominibus impertitur; quapropter laudatur Strabonis effatum, qui ait: Mortales tunc maximè Deos imitari, cùm benefici sunt; & aurea est illa Nazianzeni sententia, quâ Principem suum alloquens ait. *Nil tam divinum habet homo, quàm beneficentiam, ac benè de hominibus merendi studium: licet tibi nullo labore divinitatem assequi: noli oblatam divinitatis occasionem adipiscendæ amittere.* Hinc illa etiam circumfertur paræmia, qua homo homini Deus esse dicitur; quatenus homo est homini beneficus, dives pauperi opitulatur, felix ærumnas miseri 11. Lib. 10.

excutit; valens, & sanus ægrotanti prodest; incolumis periclitanti occurrit.

32. Imò Plutarchus in commentario, quem adversus indoctum Principem edidit. Negat hoc uno nomine Deos esse felices, quod immortales sint, sed quòd virtutum principe, seu charitate, & beneficijs alios juvent, & ab Ethnicis proverbiali schemate dicebatur: *Homo homini Deus*, hoc est, illi in numerum referebantur Numinum, qui alienæ felicitatis soliciti, aliorum semper studuêre commoditati. Hujus verò beneficentiæ cultura, vel maximè Præsules, & sacerdotes decet, qui & voce, & ære miseros juvant; quapropter injunxit Deus olim populo, ut vestes, quibus summus sacerdos sanctuarium esset ingressurus multicolores, ac phrygiano opere variegatæ essent, & rationem addit D. Hieronymus, inquiens: *Ut non solùm pro liberis, & parentibus; sed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur*, ex quo liquet, Pontificis dignitatem taliter esse institutam, ut non solùm amicis, ac domesticis, sed planè omnibus etiam exteris, & inimicis censeatur profutura.

33. Huc etiam pertinet, quòd summus sacerdos nomina filiorum Israël in humeris, & in pectore gestaret scripta, & sculpta Exodi 23. Et utrumque æqua de causa: in humeris enim portabat nomina filiorum Israël, quo inde intelligerent sacerdotes, quomodo in deferendis fratrum oneribus exercitium beneficentiæ, & officium charitatis debeant exercere; & quanta eis ex debito regiminis incumbat solicitudo, ut etiam proprijs humeris deperditas oves reportare debeant ad ovile: si quæ enim oves à recto tramite deflexerint, & per devia erraverint, eas tenentur sacerdotes quærere, & inventas nulli parcentes labori proprijs humeris ad saniorem reducere frugem

34. Quin non in humeris tantùm verùm & in pectore nomina filiorum Israël gerebat summus sacerdos, quò cæteri ordine sacerdotali initiati discerent, pectus eorum, qui in regimine sunt ecclesiastico à quopiam alio non debere occupari, quàm à puro animarum zelo, est enim officium probi pastoris in salutem subditorum toto pectore incumbere, ut si quos laborum pondere pressos deprehenderit, beneficentia humeris suis imponat deportandos ad solatium ovilis; quia *ut sal terra*, cui sacerdos pariatur, ait Hieronymus, *omnem cibum condit, nec est aliquid per se tam suave, quod absque eo gustum demulceat: ita mundi totius, & propria ecclesia condimentum Episcopus est.* Quin idem Hieronymus expendens Christi verba, Matth. 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, asserit: Episcopum, oculum esse totius ecclesiæ, quia quantam oculus

In Matth. 5.

corpori, tantam Præsul ecclesiæ adfert utilitatem. Non solùm ecclesiæ pastor, ut doctor viam præsignat, quà sit eundum, illuminando intellectum: verùm etiam in viam deducit trahendo voluntatem per leges sancitas, per exempla moventia, per verba excitantia, per prœmia exhibita, per supplicia indicta, quapropter ait Jeremias ad pastorem Israël. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes.* Prodest Antistes suo populo exercitio beneficentiæ, si non solùm per erogatas eleemosynas, quibus miserias pauperum levat, & eorum indigentijs opitulatur, verùm etiam si doctrina omnes instruat, erudiat in studijs virtutum, & viam edoceat salutis, ad quod spectat illud Canticorum 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super fæmur suum propter timores nocturnos.* Lectulus Salomonis Christi designat ecclesiam, & illi sexaginta fortes gladio armati ecclesiæ Doctores verbo Dei instructos, ac munitos adumbrant: ut enim lectulum Salomonis milites tuebantur præsidiarij, ne vis ulla hostilis in eum irrumperet; ita ecclesiæ Præsules ecclesiam muniunt, tuentur, ac propugnant contra lupos rapaces ovibus devorandis inhiantes, ne ulla hæresis in ea grassetur, ut interpretatur D. Augustinus contra Julianum. Hæc autem Præsulum beneficentia exprimitur in Canticis, ubi Christus suam alloquens Ecclesiam ait: *Collum tuum sicut turris eburnea:* æquiparat collum turri non luteæ, non lateritiæ, sed eburneæ, quia ut scitè expendit Isidorus: *In collo doctores designati sunt, & Præsules, qui turri eburneæ propter firmitatem, & pulchritudinem comparantur, qui civitati Dei, & robur præstant, & decus.* Tametsi in una, & eadem sede non conveniant robur & decus, & difficulter confœderentur; in ecclesiæ tamen Præsulibus simul confibulantur, & amico nexu junguntur: elucet decus in beneficentia, viget robur in zelo, & utróque juvatur populus.

Cap. 1.

Cap. 10.

In cap. 7. Cant.

Imò benefica in indigentes beneficentia, non solùm alienas levat miserias, sed etiam proprias largientis delet noxas. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat;* quia nimirum disponit ad pœnitentiam, quæ gravissima quæque peccata delet, est enim benefica commiseratio, quæ saniorem impetrat mentem, & maturiùs ad resipiscentiam impellit: & ad id allusit D. Leo, ubi ait: *Eleemosyna peccata delent, mortem periment, & pœnam perpetui ignis extinguunt.* Est eleemosyna veluti panacea curandis moribus omnibus perapta; hinc Daniel veluti Medicus peritissimus Nabuchodonosoris cu- 35.

Tobiæ 4. v. 11.

Serm. 2. & 5. de collect.

curaturus infirmitates, quas per patrata scelera contraxerat spem sanitatis obtinendæ offerens, optimum ei injunxit alexipharmacum. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Si malè vales, & cupis pristinæ restitui sanitati, da pauperibus.

Daniel. c. 4. v. 24.

36. Ferunt ad Hilarionem mulierem accessisse per annos decem cæcitate laborantem, quæ cum coram viro pientissimo queretetur, quòd cum omnem suam in medicos substantiam impendisset, nil inde valuerit solatij haurire, nec suam excutere cæcitatem: cui Hilarion reposuit: si quæ in Medicis perdidisti, pauperibus distribuisses, cæcitatem à te JESUS Christus excussisset; tunc cœpit mulier illi clamare, & misericordiam deprecari & vir Dei, ut legitur in ejus vita, commiseratione permotus in oculos expuit cæcutientis fœminæ, & tenebras excussit cæcitatis. De quodam divitijs affluente, simúlque malè valente narrat Baronius ad annum Christi 553. num. 352. triginta libras argenti in subsidium pauperum erogâsse, eò quia mori timeret, sed præter spem restitutus pristinæ valetudini, fraude Diaboli eò inductus fuit; ut facti ipsum pœniteret, quod cùm fideli cuidam suo amico aperiret; Is eum monuit, ne tam perversæ assentiretur cogitationi, quia id perinde foret, ac Deum irritare, à quo ob hanc beneficam largitionem, quâ fuit pauperibus opitulatus, pristinam fuit ei sanitatem impertitus; alioqnin fore, ut subita morte nondum mutato facto pereat. Et quia preces amici flectere ejus pervicaciam non valuerunt, nec ejus duritiem emollire, & surdis cecinerit auribus, subjunxit: agedum ad templum vade, & non te, sed me in pauperes elargitum hanc pecuniam dicito: ipse statim triginta libras argenti, quas in pauperes distribuisti, ut pristinæ restituereris sanitati, reddam. Quid ni consentiens infelix ille templum adijt, librisque argenti susceptis; ut aliter præceperat, locutus fuit; sed inde egrediens vix pedem extra Ecclesiam posuit, & illicò inopinâ morte in humum cecidit extinctus. Stupentibus clericis de rei novitate, aliisque, qui aderant, jusserunt alterum pecuniam suam recipere; sed is maluit eas pauperibus distribuere, ut egenorum iisdem succurreret miserijs. Infelix ille pristinæ fuit sanitati restitutus ob beneficam in pauperes commiserationem, quam in elargitione illarum triginta argenti librarum, ac distributione in pauperes exercuit: sed cum postea facti eum pœnituisset, & erogatas pauperibus pecunias iterum recepisset, miserè perijt.

37. Aliud exhibet Baronius hujus rei documentum ad annum Christi 1066. num. 13. de Reginhero Misnensi Episcopo avaritiâ sordescente, eùm enim promotus ad Episcopatum, fuisset Goslariam profectus, post refectionem, in cubiculum (ubi thesauros suos nullo conscio consoderat) quasi vellet somno indulgere, & paululum quiescere, se se inclusit. Cúmque jam dies extremè declinaret, & sol suum vergeret in occasum, cùm extra consuetudinem solus quievisset, suspicio famulos subijt, qui ne aliquid adversi Præsuli obtigisset, timentes, ostium pulsârunt cubiculi, sed nec pulsantibus, nec clamantibus ullum dabatur responsum. Hi verò adhibitâ violentiâ fores effregerunt, Mirum dictu! Reginherum fractis cervicibus, tetróque colore exanimem invenerunt suis thesauris infeliciter incubantem. Quia insorduit avaritiâ, quia beneficam in pauperes non exercuit misericordiam, suis incubans thesauris miserè perijt, & quibus cùm potuisset non solùm temporalem, sed æternam sibi salutem comparare, mortem sibi accersivit inopinam, & Deus in ejus ultionem dœmones accivit carnifices.

38. Narrat idem Baronius ad annum Christi 605. num. 8. Sabinianum Papam beneficæ in pauperes commiserationi, ac liberalitati Gregorij prædecessoris sui derogâsse, quem cum Gregorius per visum ter increpâsset, eò quia tam avarus esset in pauperes Christi vices in terris gerentes, & ecclesiæ thesauros in cœlum deferentes; non tamen resipuit, sed eadem maluit avaritiâ inlordescere. Cúmque pauperes turmatim ob annonæ caritem ad eum accessissent, eique Gregorij Prædecessoris sui objicerent munificam liberalitatem, qua neminem passus fuerat fame perire, nec siti torqueri. Respnsuit Sabinianus, non debere exemplum Gregorij eos adducere, eò quia Gregorius bona Ecclesiæ dissipaverit, auram populi aucupaturus; sed effluxis quinque mensibus è suo Pontificatu cum nollet Sabinianus resipiscere, ac detrectaret saniorem mentem induere, eum Gregorius horribiliter increpans in capite percussit, quo ille dolore acriter divexatus, non multò post animam efflavit, ejúsque cadaver, non ut moris est, per mediam urbem delatum fuit cum funebri pompa ad Basilicam D. Petri, sed per portam latinam extra urbem raptatum usque ad pontem Milvium, & inde postea delatum ad ecclesiam D. Petri: adeò exasperatus fuit contra ipsum Romanus populus, eò quia ecclesiæ triticum non distribuisset in egenos, & horrea non evacuâsset in solatium pauperum, uti consueverat Gregorius Prædecessor ejus, sed ad cumulandas divitias venum in foro exposuisset, ut eum funebri pompa privaverit: quòd si beneficum se in egenos exhibuisset, tam infelicia non fuisset fata sortitus, tametsi aliàs religioni fuerit valdè

addictus, cultúmque divinum in ecclesia S. Petri auxerit; quò inde discamus studia reliquarum virtutum absque benefica in pauperes commiseratione veluti emortua jacere. Hinc scripsit Apostolus. *Si linguis hominum loquar, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quia, Interprete Hugone à viro pio esse recessi, quia charitatem in proximum non exarsui, quia beneficâ miseratione pauperes non sui prosecutus, eorum indigentijs non fui opitulatus, eorum lachrymas non exsiccavi, eorum miserias non levavi.

1. Corinth. cap. 13. v. 1.

39. In id Gregorius Pontifex sanctissimus incubuit studij, ut ad Episcopales cathedras nemo promoveretur, quin dotibus singulis ad tale ministerium ritè obeundum foret insignitus. Tametsi quispiam scientiâ polleret, nobilitate claresceret, & studijs virtutum etiam emineret, si tamen in pauperes parcus fuisset, si pronus non deprehenderetur ad opera misericordiæ, & pauperibus succurrendum à dignitate arcebatur Episcopatûs. Hinc anno 604. tum fuisset quispiam de litterarum studijs, fide catholica, ac alijs virtutibus longè meretissimus; non tamen voluit Gregorius hunc ad Anconensem sedem tunc vacantem promoveri; idque quia avaritiâ sordesceret, & in pauperem minùs esset beneficus?

40. Non solùm à dignitatibus arcentur immisericordes, sed etiam acriter puniuntur, si jam fuerint in dignitate constituti. Miecislaus Princeps Poloniæ legibus fuerat christianis imbutus, & quia sanam semper fidem retinuit, fore sperabat, ut promerita suorum scelerum esset flagella declinaturus; sed experimentum eum edocuit, quantum sit Deus in eos terribilis, qui pauperum non miserentur, quin potiùs illos spoliant, Orphanos opprimunt; viduas mœrentes divexant, xenodochia destruunt, & quæ in pauperum sunt institu ta solatium, & miserorum solamen evertere nituntur. Refert Rainaldus ad annum Christi 1237. num. 61. Miecislaum lautissimum suis Optimatibus, ac Ducibus epulum struxisse ex pauperum tamen spolijs paratum, cùm enim plures pagos sus, déque evertisset, pauperum mapalia expilâsset, & plures bonis suis privâsset, ærarium cumulavit, divitias congessit, quibus luxum accivit in epulis. Vix convivæ mensæ accumbunt, soricum ingens multitudo irrepit, è quavis aulæ parte, quos cùm convivantes arcere non valerent Miecislaum adoriuntur, corrodunt, à quibus tamen, ut se se prorsperet, navim conscendit, aquas trajecit, sed id perinde fuit, ac baccillis auras diverberare: conscendentem navim insectati sorices, fugientem assecuti miserè corroserunt, ac devorârunt, ne quidquam superesset ex intimis visceribus: nimirum divinæ justitiæ executores excitavit Deos sorices, qui promeritis pœnis injurias illatas viduis, Orphanis, & pauperibus vindicarent.

Tom. 1.

§. V.

Arescunt, suóque privantur decore reliquarum virtutum licèt exculti flores, nisi benefico misericordiæ imbre rigentur.

Parum prodest virtus, nec multum sapit, ni benefica condiatur in pauperes commiseratione. Quæ virtus virginitate nobilior? & tamen etiam ipsum virginitatis lilium, si profusis non irrigetur eleemosynis in pauperes erogatis languescit, ac deflorescit. Decem fuêre virgines, quarum meminit Evangelium, omnibus, idem erat officium, & par obligatio; nimirum sponso à nuptijs reduci accensis obviare cum lampadibus: sed ex eis quinque desides, & otio torpescentes neglexerunt oleo suas exornare lampades, quæ propterea exclusæ à sponso fuerunt; ideo enim non fuerunt ad nuptias admissæ, *quia non sumpserunt oleum secum.* Quid hoc? tantíne fuit momenti oleo caruisse? ergo licèt lilium excoluerint castitatis, florem custodierint virginitatis, alijsque virtutibus præditæ fuerint, quia tamen oleo destituuntur in lampadibus, à nuptijs excluduntur cœlestis sponsi? Quid est hoc oleum, cujus defectu nec lilium castitatis in horto admittitur cœlestis voluptatis. 41.

Matth. 25. v. 8.

Non credas, ait D. Chrysostomus aliud præsignâsse hoc oleum, quàm beneficam in pauperes commiserationem, cujus ope ærumnæ miserorum liniuntur, & acerbiora pauperum vulnera curantur. Ideóque non de stupro, aut incestu; non de sacrilegio, aut invidia; non de ebrietate, aut infidelitate; non de hæresi, aut alio vitio, ac scelere redarguuntur virgines, & fatuitatis accusantur, sed quia oleo neglexerunt suas lampades exornare: ait D. Chrysostomus: *Olei tantùm defectus reprehenditur, quia scilicet misericordiam non exercuerunt, nec eleemosynas fecerant, id enim significat oleum.* 42.

Homil. 6. in Epist. ad Timot.

Quia virgines illæ desides somno nimium indulsêre oppessulatas cœli januas invenerunt, ad quas, cum appulissent, voce altiore vocârunt sponsum, succlamârunt, enixim rogârunt, misericordiam implorârunt, quam tam- 43.

tamen minimè impetrârunt, cùm à sponso audieriot sibi dici *nescio vos*: hinc ait Chrysostomus: *Vides ut eleemosyna sola neglecta gehennæ ignibus tradat? Ad quid enim es utilis, qui eleemosynam non facis? Jejunas quotidie; at virginibus non profuit hujusmodi studium. Oras? at sine eleemosyna infructuosa erit oratio: absque illa inutilia sunt omnia.* Jejunârunt, orârunt, virginitatem excoluerunt, castitati studuerunt, & plura alia pleraque bona opera exercuerunt virgines illæ: sed quia fuerunt oleo destitutæ, quia opera misericordiæ in pauperes non exercuerunt exclusæ à nuptijs fueruot à cœlesti sponso, quia sine eleemosyna ferè inutilis est abstinentia, quia ut scribit
1 ad Tit. 4. Apostolus: *Pietas ad omnia utilis est.* Qualis verò sit hæc pietas edisserit Glossa inquiens: *Ad pietatem te ipsum exerce, id est ad cultum omnipotentis Dei, & ad opera misericordiæ;* licèt jejuoium se solo pelleodis corporis morbis aptum sit; spiritualibus tamen noxis abolendis impar est, quinimò sæpiusculè jejunio emaciatus, vultúque impallescens auram aucupatur popularem, fitque vanæ gloriæ tributarius: quapropter jejunium oisi misericordiâ in pauperes fulciatur instar venti avolat, iostar fumi evanescit, & plerumque nonnisi corporis secum advehit incommoda; misericordia verò io egenos alexipharmacum est ægritudinibus omoibus aoimi curandis præseotissimum, quatenus impetrat nobis à Deo gratiam, quâ possimus resipiscere, ac ignes declinare gehennales, in quo sensu dicitur Eccles. *Eleemosyna resistit peccatis.*

44. Tametsi reliquæ virtutes plurimum habeant honestamenti, benefica tamen in egenos commiseratio cæteris videtur excellere. Licèt oratio dicatur cœlum penetrare, & Dei Thronum pervadere, nisi tamen consociata fuerit benefitæ in pauperes commiserationi cœlos reperit sibi clausos, nec ejus vox exauditur. Idque apertissimè oos
Prov. 21. v. 13. Salomon edocuit: *Qui obduras aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Quapropter nos D. Chry-
Homil. 69. sostomus monet homil. ad popul. *cum defeceris orans, & non acceperis, cogita quoties pauperum audisti petentem, & non exaudisti.*

45. Plerique audiuntur, qui passim conqueruntur, eò quia, cùm preces jugiter fundant, non tamen ad sua vota Deum flectunt, neque exaudiuntur; qui tamen, si perpenderent, se etiam sæpiùs ab egenis stipem rogatos, surdis aoribus petentium voces transmisisse, non haberent, nisi de se ipsis conqueri: sicut nos in pauperes; ita, & Deus in nos se gerit. Ad studia virtutum nos
1 Corinth. cap. 13. v. 13. inhortans Apostolus ait: *Nunc autem manent fides, spes, charitas; major autem est charitas.* Dicitur hæc virtutum maxima, quia in patria nec fides, nec spes remanebit, sed sola charitas triumphabit: & in via, in peregrinatione hujus vitæ movet fidem ad credendum, excitat spem ad sperandum, & reliquas virtutes ad propria exercitia obeunda, virésque exerendas.

Si vita hominis teste Jobo militia est, 46.
& pugna cum hostibus fortissimis, & virtutes sunt arma, quibus munimur, nósque defendimus ab insultibus hostium; necesse propterea est, ut nos armemus cootra insultus concupiscentiæ, carnisque luxuriantis, castitate; contra fastum, & arrogantiam, humilitate; contra temulentiam insolescentem, olúmque abripientem ratioois, temperantiâ; sitque fides galea, spes torax, fiducia scutum, lancea justitia, & divinum verbum gladius utrioque acutus, suspiria sint sagittæ, preces sint tormenta bellica; benefica tamen in pauperes commiseratio, est, quæ palmas colligit, victorias demetit, trophæum erigit, triumphum agit, est eoim virtus adeò excellens, ut quidquid nobilitatis alijs inest, in gradu perfectiore in se comprehendat, & de hac virtute loquens
David ait: *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Psalm. 111. v. 9.

Sed quænam est hæc justitia, quæ im- 47.
mota dicitur, jugiter permaosura, si dispersit, si dedit pauperibus? Si vir justus avaritiâ non insorduit, sed liberalitate splenduit, & laxissimis in pauperes maoibus se ipsum totum penè profudit, cur non potiùs ejus dicitur misericordia in æternum maosura cœlestis gloriæ præmio donanda? Verùm qui io pauperes liberalis, & misericors est, justitiam exercet, quia debitum, quo tenetur pauperibus opitulari, solvit: eleemosyna enim, quâ miserias pauperum levamus, oon tam donum est, quàm debitum; sic verò quod alteri qoispiam debet exoluat, is justitiam exercet; ideo rectè dispergenti, & daoti pauperibus justitia manere dicitur in sæculum sæculi, quia licèt eleemosynas pauperibus porrigere actus sit misericordiæ; adhuc est etiam justitiæ exercitium, adeo ut utramque virtutem exerceat justitiæ, & misericordiæ, qoi profusis eleemosynis necessaria ad vitæ sustentationem pauperibus erogat. Pulchrè Præsul Mediolanensis, cujus nomen ambrosiam sapit, ait: *Misericor-* In 2. Epist. ad
dia hæc justitia appellata est, quia sciens qui Corinth. c. 9.
largitur, Deum communiter omnibus dare, dividit cum iis, qui copiam terræ non habent, ne beneficijs Dei privati videantur. Justus ergo est, qui sibi soli non detinet, quæ scit omnibus data.

Est eleemosynæ elargitio quædam solu- 48.
tio, & rei alieoæ restitutio, qoæ stricta nititur justitia, etenim cùm erogatis eleemosynis indigentiæ pauperis succurrimus, non nostra damus, sed quæ sunt pauperis erogamus; non enim Deus, divites voluit divitijs affluere, ut suis tantùm studerent commodis, sibique indulgerent; sed ut dispensatores essent divitiarum, & ioopum miserias levarent, indigentias supplerent, famem,

 & si-

& sitim propulsarent. Non enim Deus hunc condidit mundum pro solis divitibus, eum terram, & reliqua elementa communia omnibus effecerit; quapropter sicut divina largitas omnibus dedit; ita qui pinguiori gaudet fortunâ, ut Dei minister debet illis opitulari, qui paupertate premuntur, nuditate frigent, fame anguntur, siti exardent, ne à divinorum videantur pauperes beneficiorum exclusi communione. Esse hanc eleemosynarum erogationem pauperibus debitam absque ullis ambagibus edisserit Syracides inquiens; *Inclina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* Stipis erogationem debitum vocat, eò quia divitijs affluentes ad illam tenentur, quam si negligant, ijsdem culpæ datur ad promeritas luendas pœnas.

Ecclesiast. cap. 4. v. 8.

49. Injurius est alteri, qui sibi tantùm indulget, proprijs duntaxat inhiat commodis, & pauperum negligit indigentijs succurrere. Dives ille Evangelicus, qui purpurâ, & bysso indutus epulabatur splendidè, non fuit in gehennales detrusus ignes æternùm excruciandus, quia luxuriosè vixerit, suis indulserit concupiscentijs, mundi delicijs affluxerit, sed quia frustulum panis, mensæ reliquias, Lazaro denegavit famelico. Fatuæ Virgines à Beatorum nuptijs exclusæ sunt, non quia aliena rapuerint, sed quia sua non dederint, nec oleum misericordiæ suis curârunt in lampadibus habere. Servus segnis, & piger, qui talentum ab Hero suo acceptum humo defodit, graviter fuit mulctatus, non quia rapto vixisset, vel templa despoliâsset, vel domus civium expilâsset; sed quia concreditam sibi pecuniam nullo fœnore auxit, & debitum non reddidit, nec pauperibus fuit opitulatus: adeo est naturali lumini insita hæc præceptio de succurrenda pauperis indigentia, ut vel in ipso theatro Scenicus ille Mimus nomine Publius publicè dixerit: qui succurrere perituro potest, cùm non succurrerit, occidit; plerumque divitijs affluentes laxâ manu pecunias profundunt; non tamen in miserorum solatium, sed in vestes elegantiores, in mensam lautiorem, in supellectilem splendidiorem, in famulorum catervas, in canum greges; & quod pauperibus subtrahitur, equis, brutisque animalibus suppeditator, & ut è suggesto gravissimè conquestus Chrysostomus loquens nomine divitum, qui sibi tantùm indulgent, & pauperes negligunt, ait: *Dicimus rodat tinea, & non comedat pauper; absumat vermis, & nudus non induatur; omnia tempore consumantur, & Christus non pascatur, licèt esuriat.*

Homil 37. ad popul.

50. Non tantùm est utile elargienti, honestum danti, & magni meriti pauperibus opitulanti, sed etiam necessarium, imò, & præceptum, quapropter D. Ambrosius ait: *Quis tam injustus, tam avidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta suum non usum, sed abundantiam, & delicias facit. Neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis, & abundes indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis.* Sed quia avarus pluris aurum facit, quàm proprium solvere debitum, statim erecto supercilio respondet; bona quidem sunt hæc verba, sed mihi melius aurum conducit; miserorum redemptio honesta est, sed pecunia in mea cista reclusa charior. Cui objectioni, statim respondet Ambrosius inquiens: *Qui verò obedire non vult, & negligit, manifesta est ignis æterni comminatio. Qualis tibi horror, qualisque sudor, quales tenebræ supervenient audienti condemnantis Judicis sententiam esurivi, & non dedistis mihi manducare. Neque enim in his verbis, qui aliena invasit, arguitur; sed qui non communiter usus est ijs, quæ habuit condemnatur.*

Serm. 81. tom. 3.

Promiores sumus ad ea recipienda, quæ 51.
mundus, & cacodæmon nobis offerunt in animæ perniciem; quàm ad dandum in emolumentum nostrum, quod Deus nobis injungit. Mirum sanè! unicum obtulit hominibus pomum Diabolus, & totum ei rapuit paradisum; Deus paradisum offert, & pomum petit, imò & quid etiam vilius pomo, panis frustulum, numulum æreum, frigidæ haustum, & tamen adhuc hæremus ancipites, num Christo fidere velimus, & obolum paradiso permutare? An non luculenta hæc insania est, pauxillum terræ nolle Christo dare, ut cœlum ab ipso accipiamus? hinc exclamat Augustinus. *Quæ est ista animarum insania, acquirere aurum, & perdere cœlum? & quia nemo cogitat Deum, ideo manet in morte judicium.* Dementia sanè est cœlum perdere, ut pugillum terræ quis lucretur; æterna non curare, & perituris inhærere; perdere Regnum cœleste, ut parum terræ possit quis lucrari.

Serm. 15. de verb. Domini.

Qui in pauperes munificus est, sibimet 52.
thesaurizat, seritque in agro feracissimo, quæ ijsdem erogat, recepturus locupletissimo cum fœnore. Idque edocuit Tobias senior juniorem, quem cùm hortaretur ad eleemosynas erogandas ait: *Præmium tibi thesaurizas in die necessitatis*, seu ut Hebræa phrasis ait: Depositum bonum, quia quidquid pauperibus erogatur id in Christi gazophilaceo collocatur; & apud Deum deponitur, ubi totum fidelissimè custoditur, cùm inæstimabili lucro, nec obulo inde decessuro. *Tibi thesaurizas*, ait Tobias, quia dans eleemosynam verè sibi thesaurizat, qui verò divitias congerit, thesaurum magis alijs, quàm sibi colligit: promus condus est qui penu congregat, cui præest; sed quod ille vigil asservat, id alter universum abripiet: secus, qui pauperibus opitulatur sibi thesaurizat, quia sibi dat, quod pauperi donat; recipit auctum, quod dat diminutum. Non tamen debet ita imminutum esse, quod le-

Tob. 4. v. 10

vandis

vandis aliorum miserijs non sufficiat, quia ut Luc. 6. v. 38. ait Christus: *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

53. Plerique ut videantur misericordes modicum quid dant, sed manu adeo avara, ut parum adferat datum solatij accipienti; prandium non censeretur, itu quo unum duntaxat ovum apponeretur famelico, & stomacho per triduum vacuo, quod dum lixaretur, dimidium efflueret; vel avenacei panis frustulum, vitrumque exiguum zytho acescente plenum: sicut cœnam non diceres, quam unico tantùm, vel altero bolo totam deglutires; neque elogium meretur eleemosynæ, quæ tam parca, tam sordida est, ut miseriæ inopis levandæ, famique sedandæ impar sit: qui plus stipis spargit, plus metit, quò ampliorem colligat messem. Fuit nescio quis eruditus, qui alchimiæ artificijs asseruit in proprio suo hypocausto posse intra octiduum duodecim libras Mercurij in decem puri puti auri permutare. Idque ope lapidis philosophici, quem putaverat, enactum fuisse; sed nugatoria hæc fuerunt, cùm enim Mercurium crucibulo inclusisset, ac igni admovisset, ferè totus avolavit, non patiens ignis torturam. Verus philosophicus lapis, quo inferiora metalla in nobiliora aucto fœnore convertuntur, est ipsa misericordia, quæ in pauperes exercetur: virtutem hujus lapidis experta fuit S. Cassilda Virgo Regia, quæ cum ex Regis patris mensa cibos clam surriperet, quos captivis Christianis deferret; deprehensa à Patre minas spargente ejus iram declinatura, dixit se rosas ferre: exhibere jussa, & ipsa & parens cibos vidit in rosas conversos. Sed non solùm fercula in vernantes rosas misericordia in pauperes vertit, verùm etiam panis frustum in obsonium lautissimum; vestem absoletam in purpuram regalem; pecuniam vilissimam in aurum purissimum; & terram in cœlum, ubi qui dat parvulam stipem auri recipit thesaurum.

§. VI.

Eleemosyna alexipharmacum est, curandis morbis omnibus corporis, & animi præsentissimum. Panacea, qua omnes excutit ægritudines.

54. QUàm benefica, & utilis sit eleemosyna ex pia commiseratione profecta expertus fuit Tobias, qui ob erogatas pauperibus eleemosynas oculorum usum per Angeli cataplasma felleum meruit recipere; qui quamvis ingentem summam pecuniarum huic beneficio rependere potuisset, minimè beneficium æquâsset. Qui pecuniam omnem, seu talenta decem à Raguele fide optima recepit. Qui ita filium honestissimo collocavit matrimonio, & à Rege Salmanasar gratiam, honores, & opes obtinuit, ut etiam ad senectutem profectam, lætam, vegetam, ac diuturnam vitam protraxerit, cùm annos vixerit duos supra centenos. De hac Tobiæ eleemosyna loquens Augustinus ait: *Videte charissimi quantum sit eleemosyna meritum. Angelum meruit habere Operarium. Videtis, quantum prosit mortuos sepelire, ut oblatio ejus per Angelum Raphaelem ad cœlestem ascenderet Majestatem, videtis quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata; facit purgationem oculorum, liberat à tenebris peccatorum; Tobis via sua deducitur, Sara tot viris contristata per Angelum matrimonio copulatur.*

Dicitur eleemosyna à peccato liberare, quatenùs disponit ad pœnitentiam, quæ gravissima quæque peccata eluit; quâ de causa dicitur eleemosyna alexipharmacum curandis animi morbis omnibus præsentissimum, sitque propterea sibi inimicus, qui hac panacea, quos contraxit animi morbos non satagit excutere, & quæ cum pauperibus debita contrahit, non solvit, malens avaritiâ sordescere, quàm per exercitia pietatis splendescere; & per debita justitiæ soluta Regnum sibi cœleste coëmere. Debitum solvit, qui eleemosynam erogat, hinc lex divina clamat: *Redde debitum tuum: eleemosynam pauperis non defraudes. Frange esurienti panem tuum.* Lex naturæ hoc idem inculcat, nil enim ejus principijs magis consentaneum, quàm alienis miserijs auxiliari. 55. Eccles. c. 4. v. 1.

56. Quòd si erogare stipem pauperi petinde est, ac debitum solvere, quis vereatur misericordiam asserere justitiam? Idque nos edocuit Christus inquiens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus,* quod Theophylactus expendens ait: *Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus:* quasi justitia, & eleemosyna, seu misericordia in pauperes pura sint synonima; sitque propterea erogatio eleemosynæ exercitium justitiæ, & solutio debiti; teneantúrque divites etiam ex justitia opus exercere misericordiæ, ac pauperibus opitulari, quod inculcans D. Ambrosius ait: *Quo usque extenditis divites insanas cupiditates? nunquid soli habitatis super terram? cur ejicitis consortem naturæ, & cum in communi divitibus omnibus, atque pauperibus terra fundata sit, cur vobis jus proprium soli divites arrogatis? nescit natura divites, quæ pauperes omnes generavit:* nudos ad hujus lucis usuram natura effudit homines egentes cibo, amictu, & potu, & ut quos pares edidit, impares non reciperet; nullo discrimine in sepulchris divites secrevit à pauperibus. Quis in pleno ossuario, in vasto cœmeterio species discernat mortuorum? redaperi terram, humum altiùs fode, & si potes purpuratum à pannoso, divitem

Matth. 6. v. 1.

Lib. de Nabuthe cap. 1.

divitem à paupere, nobilem à rusticello secerne; eruderato tumulum, & si cognoscis egenum argue; si deprehendis divitijs affluentem indica; si reperis dignitatibus insignitum innue: in Throno olim sedentem, diademate redimitum, nobilitate illustrem, doctrinâ insignem, victorijs in bello delatis clarum secerne si potes à pauperibus, egenis, indoctis, rusticis, alijsque, quos nulla dignitas, nec nobilitas insignivit. Quòd si nullum in cinere discrimen est, nulla in fœditate nascendi differentia, cur divites supercilium attollunt, & pauperes habent contemptui? cur sanguine illustres, ignobiles despiciunt? cur in dignitate constituti superbiunt, & inferiores flocci faciunt? si natura pares omnes voluit in utraque conditione nascendi, & moriendi, cur hanc cùm vivimus æqualitatem nolumus tolerare? cùm Christus dicat; *omnes autem vos fratres estis.* Matth. c. 23. v. 8.

57. Si fratres sumus: ergo nulla sanguinis nobilitas, nulla dignitatis præeminentia, nullus fallentis mundi fucus debet fraternitatem hanc delere: ergo debet hæc fraternitas mutuam fovere charitatem, quâ alter ab altero juvetur; cùm id nobis etiam præcipiat Deus: *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc dicit Dominus; si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Malach. c. 3. v. 10. Decimæ, quas jubet Deus in horreum inferri tributa sunt pauperum, ut exponunt sacri Interpretes præsertim S. Augustinus: ergo sunt hæc tributa pauperibus solvenda & libamina sacerdotibus exhibenda. Nil possidet homo, quin à Deo acceperit; quid, quid enim boni, quidquid divitiarum habet, id eidem Deus indulsit: & cùm suæ sint divitiæ, sui terræ fructus, & quidquid boni in nos derivatur; primitias, & decimas à quovis possidente exigit pro se, seu pauperibus, qui veluti administri Dei petunt, & exigunt jura, quæ Deo debentur: & tamen sunt plerumque divites adeo protervi, & avaritiâ sordidi, ut has decimas, hæc tributa detrectent Deo solvere, à quo bona omnia susceperunt. Quòd si Deus rerum omnium, quas divites possident, novem pro se portiones exigeret, unicâ duntaxat homini relictâ; an posset de Deo conqueri, qui nonnisi suum exigeret? imò & munificentiam etiam exerceret, unam relinquendo homini portionem, quam posset etiam ut suam exigere.

58. Interdum puniturus Deus divites immisericordes nonnisi ex decem unam ijsdem indulget partem bonorum, & subinde nullam; idque contingit, quando in mari suborta procella navem absorbet onerariam, mercibus prædivitem, quando in excultis campis grando totam segetem conterit; terra aquis inundatur, vel pluvijs non irrigatur; vel urentium ventorum ardore exsiccantur germina; quæ in fructus non procrescunt; quando incendium domum absumit, & tota domestica supellex in cineres proterit; quando irruunt bella, & exercitus, qui, quæ impenso fuêre coacervata labore, momento temporis diripiunt; quando ob patratum scelus fisco addicuntur singula, quæ dives possederat, & quæ pauperum necessitatibus impiè fuerant denegata. Quòd si decimæ ex debito exiguntur, & qui eas detrectat solvere, res dicitur alienas invadere. Hoc idem dixerim contingere diviti detrectanti stipem erogare pauperi, esurienti, vel semi nudo: quia detrimenta pauperum scelera computantur divitum, qui tantorum fiunt rei homicidiorum ante divini Judicis tribunal, quot sunt pauperes, quibus subsidia denegârunt, & miserijs obruti perierunt. *Ergo communes*, ait Ambrosius, *judica partus annonæ, qua omnibus ad usum generat terrarum fructus: ut quod habes, largiaris pauperi, & consortem, & conformem tuum adjuves. Tu nummum largiris; ille vitam accipit; tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat; tuus denarius census illius est, debitum est. Ad hæc plus ille tibi confert, cùm sit debitor salutis. Si nudum vestis, in te ipsum exerces justitiam. Si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquiret sanctorum amicitias, & tabernacula æterna.* Lib. 1. offic. cap. 11.

Plures etiam Reges, qui id noverunt, non solùm profusi in pauperes fuerunt, sed suis etiam ipsi manibus inservierunt, ut Robertus Rex Franciæ, qui referente Bodino stipem manu sua consueverat pauperibus erogare, eorúmque deosculari manus, & quot septimanis die Jovis trecentis jusculum, piscem, panem, & nummum argenteum porrigere, & quocunque iret, plena pauperum plaustra secum circumveheret; adeo ut interrogatus interdum, quorsum iret cum tanta pauperum multitudine, responderit cœlum se ire expugnatum: & hoc esse hominum genus, quibus Deus fores tradidit Regni cœlorum aperiendas misericordibus. Quòd si fuit Robertus in pauperes munificus; Deus uberiùs ei compensavit, quæ pauperibus erogavit, non solùm in cœlesti patria, sed & cùm viveret in terris ad pinguiores proventus promotus; quia ut ait Salomon: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Hinc D. Leo ait: *Deus fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usuræ rum.* Idque causæ, cur D. Chrysostomus erogationem eleemosynæ vocet artem omnium quæstuosissimam, ait ipse: *Est eleemosyna ars omnium quæstuosissima.* Plus enim adfert utilitatis, & emolumenti eam exercenti, quàm quævis alia. 59. Lib. 6. de Repub. cap. 2. Proverb. 19. v. 17. Serm. 6 de jejunio decimi mensis.

Sunt & alij, qui divitijs tam avidè inhiant, ut avaritiâ sordescentes, nec prima hujus quæstuosissimæ artis didicerint rudimenta, 60.

menta, & hi, quò plures congerunt divitias, & parciùs vivunt, miseriores fiunt, & quas ipsi impenso labore congessere pecunias superstites dilapidant, ad quod alludens Seneca *Lib. 1 de benefic. c. 15.* aiebat: *Veto liberalitatem nepotari*, hoc est, non approbo diurnis, nocturnisque curis, ac solicitudinibus premi ad divitias congerendas, quibus nepotes lautiùs pinguescant, si enim tu parcè vivis, nepotes lautiùs epulabuntur; & quas tu congessisti divitias, libidini, ambitioni, pompæ, brevi tempore nepotes dispergent: sunt divitiæ, si non probè impendantur, spongiæ vitiorum, quæ illicò totam exugunt substantiam, saccum evacuant: *Luc. 12.* hinc Christus ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis Regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Sed cur jubet timorem excutere, & bona divendi, quæ possidentur ad largiendam pauperibus stipem; si Discipuli infulas sperant principatûs induere? cur ad Regiam purpuram per timoris pallorem se disponunt? si non timuissent minimè eos monuisset, ut timorem abigerent; sed quia anxio premebantur timore, rectè de eodem eluendo præmonitos voluit, & simul ut divitiarum sarcinam deponerent; quia mundi divitiæ, nisi pauperibus erogentur pretium non fiunt Regni, sed servitutis, & aureis catenis possidentes ligant, quia quò pluribus abundant bonis, plurium efficiuntur Dominorum famuli.

61. Inserviunt enim divites bonis, quæ possident, ut ab ijsdem mercedem accipiant famulitiam: possidet quis vineam, campum? eidem inservit, vites amputat, fulcris alligat, campum excolit, arat, serit, occat, an non id genus est famulitij? quære, cur tam solicito labore vineæ, & campo divites inserviant? ut mercenarium inde accipiant in vindemia, in messe stipendium; hæc vincula, ut Discipuli disrumperent servitutis, monentur à Magistro Christo timorem excutere, possessa divendere, & eleemosynae erogare pauperibus: neque curandæ timoris ægritudini aliud adhibuit pharmacum, quàm ipsam eleemosynæ elargitionem, *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam*, ac si diceret, cùm vos destinaverim ad Regnum nulli obnoxium vicissitudini, sed jugiter duraturum; ideo non est cur timeatis, & ut hunc à vobis timorem abigatis, mundi divitias à vobis abjicite, quia hæ servituti deputant, non Regno; non libertatem afferunt, sed famulitium afferunt: quò expeditiùs regnetis, hæc deponite servitutis insignia: *Serm. 23.* huc accersendus Chrysologus: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Plebeium cultum regia non admittit potestas, augustus honor nonnisi diademate confertur, & purpura. Abjicere ergo debet habitum servitutis, qui se Regem credit divinitus consecratum.* Vocat plebeium cultum sæcularem censum, mundique divitias; quia ijsdem inhiantes vili famulitio, cultúque plebeio eis inserviunt: quantos non sustinent labores, quot non subeunt pericula, fundunt sudores, ducunt noctes insomnes, prolixa instituunt itinera, viribus destituuntur, defatigantur anxij, ut divitijs inserviant, à quibus mercenario donentur stipendio: & quia hunc plebeium cultum Regia dedignatur potestas, ad quam Christi Discipuli destinabantur, jubentur serviles compedes abjicere, jugum excutere, seu possessa divendere, & dare pauperibus.

Sed si possessores divitiarum ne ijsdem famulentur, cultúque plebeio inserviant; 62. jubentur bona possessa divendere, cur eorum pretium jubentur pauperibus distribuere? si sunt divitiæ indumenta servorum, cur monemur per manus pauperum in cœlestes thesauros eas transmittere, ut *Luc. cap. 12 v. 33.* nobis fœnerentur: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Quia ea est sacri fœnoris abundantia, ea hujus sacræ usuræ ubertas, ut quæ fluxa, ac terrena elargimur pauperibus, in æterna, ac cœlestia nobis restituantur conversa: sunt pauperes veluti canales, per quos mundi fluxa, non delabuntur in amarorem Oceani, sed ascendunt ad melleas cœli voluptates: sunt enim pauperes veluti bajuli, qui divitiarum nostrarum pondera ijsdem concredita, fideliter ad cœleste transvehunt ærarium, ubi nos manent in centuplum incrementanda; hinc Chrysologus ait: *Serm. 25.* *Si regnaturos, si vos jam divites esse creditis in supernis, quò migraturi estis, ubi regnaturi estis: vos illa, quæ vestra sunt, jam præcedant: opes miseris misericordia elargiatur: quæ humana sunt in divina convertite; & ne tui forsitan deesset evectio ad portanda illa, quæ dimittitis, angariatus est pauper: ferunt pauperes onera nostra, nec tali deprimuntur pondere, sed levantur.*

Ecce quàm quæstuosissima est ars, mi- 63. sericordia, quæ fluxa in solidissima, humana in divina, terrena in cœlestia permutat; & quæ sub terræ visceribus vili, & obscuro situ delitescunt metalla per bajulos in cœlestes transmittit thesauros, & Deo fœnerat, quin & Deum ipsum fœneratur, ut argutè indicat D. Prosper, qui loquens de eleemosyna, quam pauperibus erogamus ait: *De promiss. part. 2. c. 26.* *Hæc fænerat Deum: hæc continet Regnum cælorum: hæc est, quæ discernit agnos ab hædis: hæc est, quæ ad dextram collocat Judicis: hæc Angelis sociat: hæc ex servis filios Dei fieri præstat:* sed quomodo dicitur misericordia Deum fœnerare, cùm potiùs dicenda esset Deo fœnerari? qui enim dat pauperibus nummos eosdem Deo fœnerat: sed illicò Deum sibi devincit, ac promeretur, ideo non tam Deo videtur nummos fœnerare, quàm Deum ipsum in nummis sibi fœnerari;

nerari; quasi Deus suæ multiplicet divinitatis ubertatem, quam sub multiplici fœnore exhibeat erogandam divitibus misericordiam in pauperes exercentibus; est enim misericordia ait D. Prosper, quæ Deum fœneratur, quæ continet Regnum cœlorum: est continens semper contento laxius: ergo si misericordia Regnum cœlorum, seu objectivam beatitudinem, quæ Deus est clarè visus, in se continet: utique, quotquot beat etiam continet, adeò ut quilibet beatus perhibeatur in gaudium Domini sui introire:
Matth. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui*, ubi Angelicus Doctor: *quare dicit, intra in gaudium, non accipe?* (scilicet beatitudinem) *quia quod est in aliquo continetur ab illo, & continens majus est, quando ergo gaudium est de aliquo quod minus est, quàm cor tuum; tunc gaudium intrat in cor tuum: sed Deus major est corde, & ideo qui gaudet de eo, intrat in gaudium.* Hoc est Deum ipsum ingreditur, qui est fons totius gaudij.

64. Quòd si misericordia Regnum cœlorum continet, ut ait D. Prosper, quanta non erit ejus amplitudo, & laxitas, cùm continens majus sit contento? sit ergo misericordia in pauperes non parca, non arida; sed laxissima, ut Regnum ipsum contineat cœlorum, ut non solùm Deo fœneretur, sed Deum ipsum fœneretur; quod contingit, si vir misericors se totum pauperibus eroget, in Deum cor suum dirigat, nihilque sibi relinquat humani, quia tunc spatiosior fit, & reciproca vicissitudine Deum continet: quò intellectus creatus uberiori lumine gloriæ instruitur, eò clariùs, ac perfectiùs Deum videt; & qui plus participat de charitate, uberiori etiam lumine instruitur; & ardentiori etiam desiderio inflamatur, quò aptior fit ad possidendum desideratum, ut docet D.
1. part. quæst. 12. art. 6. Thomas inquiens: *plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate, quia ubi est major charitas, ibi est majus desiderium: & desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati, unde qui plus habebit de charitate, perfectiùs Deum videbit, & beatior erit:* Sicut amans se in amatum evacuat, ut in amati proventum totus evanescat; ita benefica hæc charitas in pauperes, quò crescit uberior, eò magis se evacuat; & quò vacuitas crescit, eò capacitas fit grandior, neque ulla potest capacitas major excogitari, quàm omnimoda sui inanitas, quæ Deum ipsum continet in Regno cœlorum.

Ea igitur vis est beneficæ in pauperes commiserationis, ut non solùm Deo fœneret, quæ pauperibus erogat; verùm etiam Deum ipsum fœneretur miserenti, seu Deum clarè visum beneficio luminis gloriæ in cœlorum regno, quatenus gloria in ipsa continetur dispositivè; disponit enim miserentem ad illam, consequenter ad Deum clarè videndum, quod est Deum fœnerari opitulanti pauperibus; non tamen eo pacto, quo Sol dicitur suum cæteris astris nitorem fœnerare, sed imperativè, ac dispositivè. David
Psal. 4. v. 4. aiebat: *Scitote, quia mirificavit Dominus sanctum suum*, seu ut ex Hebræo textu scribitur *beneficum suum, ac misericordem*, sed quomodo potest homo beneficus esse Deo, si quidquid boni, quidquid divitiarum ipsi inest, Dei est, non hominis? nimirum vocat Deus beneficum suum, qui pauperibus opitulatur; quia quod datur inopi, tanquam sibi datum recipit Deus; qui beneficum suum mirificat ob beneficentiam, quam in pauperes exercet: mirificare hominem perinde est, ac supra humanum fastigium hominem extollere, quò inde discamus, quantæ sit præstantiæ, & efficaciæ misericordia, seu benefica in pauperes elargitio, quæ hominem elevat supra hominem usque ad ipsam divinitatis æmulationem, ut appositè expendit Nazianzenus inquiens: *Nihil enim tam divinum habet homo, quàm beneficentiam, ac bene de hominibus merendi studium. Licet tibi nullo labore divinitatem assequi: noli oblatam divinitatis adipiscendæ occasionem amittere.* Ergo ne hac prærogativa frauderis, noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, & manus tua sit æquè omnibus stipem petentibus aperta. Orat. 19.

Indifferens, & communis esse debet beneficentia in pauperes, & solem æmulari, qui radios suos, influxúsque beneficos omnibus æquè inferioribus impertitur; & æquè præcelsas arbores, ac hispida vepreta, ac terræ gramina fovet: à nullo igitur paupere avertenda est facies, sed oculi misericordiæ æquè omnes debent benignè aspicere, quos recreent expulsis miseriarum caliginibus: si enim unum à te abjicias, non hominem, sed Deum ipsum abjicis; est enim Deus, qui sub persona pauperis stipem, seu potiùs, quod suum est, à te exposcit, cùm dicat ipse: 66.
Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere: quæ verba expendens Salvianus Massiliensis Episcopus nervosè, & eleganter ait: *Ego plus addo aliquid, Christum non solùm egere cum cæteris, sed plus multò egere, quàm cæteros: in omnium enim pauperum numero non est universorum una paupertas. Sunt enim quidam, quibus & si vestimenta desunt, alimenta non desunt: multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes. Sunt denique, quibus & si desunt multa, non desunt omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quod in humano genere non desit.* Etenim cùm singulis pauperibus eget Christus, & in singulis pauperibus pauperior semper est Christus, qui sitit cum sitientibus, esurit cum famelicis, friget cum nudis, mœret cum afflictis; proinde ne Christum à te abjicias noli faciem tuam ab ullo paupere avertere, non solùm in plateis, in foro, in trivijs, ne redarguaris immisericordiæ ab alijs, sed etiam in secessu, in domo, in locis abditis, ubi nullus te videt largi- Matth. 25. v. 35. Lib. 4. ad Eccles.

largientem; quia tunc ſuſpicionem hypocriſis excutis, & virtutem beneficentiæ tutiùs exerces, *Fugienda enim eſt hypocriſis*, ait Chryſologus, *quæ captiva gloria verecundiam pauperum non relevat, ſed fatigat; quæ de gemitu inopis pompam ſuæ gloriationis inquirit; quæ ſuam laudem dilatat pauperum ex dolore, quæ de miſeria petentis famam ſuæ oſtentationis expandit.* Serm. 9.

§. VII.

Miſericordes cum mortalitatem exuunt, ovantes gloriam induunt: feralis tumulus eſt ijsdem victoria thalamus; & cùm morte cadunt, ſurgunt de victa morte glorioſiores.

68. NOn præſcrutari debet beneficus in pauperes, an qui ſtipem petit multum indigeat, neque an multi, vel pauci ſuperſint largienti nummi, id enim perinde eſt, ac occaſiones quærere faciem ſuam à paupere avertendi: ſi Abraham talia fuiſſet ſcrutatus minimè confugientes ad ſe Angelos hoſpitio recepiſſet: ſed quia omnes pertranſeuntes ſuſcepit, meruit, & Angelos ipſos ſuos habere hoſpites; ſi vidua Sareptana annonæ indiga, divitijs deſtituta, fame oppreſſa, curioſiùs hanc ſuam perpendiſſet paupertatem, non meruiſſet Prophetam recipere hoſpitio, nec propriè conſuluiſſet indigentiæ, ait Chryſoſtomus: *Erat & Sidonia vidua, quæ Eliam hoſpitio excepit pane, & aqua, & authorem famis non eſt reverita.* Homil. contra Iudam. Si eurientem Eliam à ſe abjeciſſet, illum tanquam famis authorem repuliſſet; ſe procuidubio neceſſario defraudâſſet annonæ incremento; ita nobiſcum Deus ſe gerit, ſicut nos in pauperes, quòd ſi nos non averterimus faciem noſtram ab ullo paupere, ſed piè ſuper egenum, & pauperem intellexerimus; nec Deus faciem ſuam à nobis avertet, & ſuâ nos perfundet gratiâ, & gloriâ. De hiſce enim in pauperes beneficijs modullatè ait Regius Vates: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, ſeu ut alij legunt *gloriabuntur ſancti in gloriâ*, vel ut alij etiam expreſſiùs: *Exultabunt ſancti cum magnificentia, ſummáve gloria, & decore.*

69. Si quæras, quænam ſit hæc magnifica ſumma, & eminentiſſima gloria, quâ ſancti exultim gaudebunt; & qui ſint hi ſancti tam uberi gloriæ incremento donandi. Lorinus ex textu Hebræo legit: *Exultabunt miſericordes in gloria*, quia hi præ cæteris gloriâ lætabuntur, & ubetiori decore gloriabuntur: & huc alludit apud Arabos vulgata parœmia, quâ vir beneficus, & liberalis Deo proximior eſſe dicitur; proinde vir munificus, & in pauperes beneficus ſanctè exultabit in gloria, & in ſuis cubilibus lætabitur, ſeu ut alij legunt, *Ovabit*: denotat enim ovatio lætitiam poſt partam victoriam, lætámque laudationem de hoſtibus proſtratis, de conflictu fortiter peracto, & ſuperato, quia vir miſericors, in pauperes beneficus Numinis fulcitur auxilio, munitur gratiâ, qua pravos omnes affectus compeſcit, fœdas concupiſcentias extinguit, inſoleſcentium motus compeſcit, mundi inſidias declinat; cacodæmonis technas evadit, & in Martio hujus vitæ campo ita fortiter pugnat, ut hoſtes expugnet; & cùm mortalitatem exuit immortalem induat gloriam, æternùm in cœleſti capitolio triumphaturus: hi enim ovabunt in cubilibus ſuis, ſeu in vitæ extremis, in morte, cùm hinc erunt demigraturi. In Pſal. 149. Græci enim patres apud Lorinum per cubilia mortem intelligunt ſanctorum, ſitque propterea ſenſus, ut miſericordes ſint in morte triumphaturi: & mors quæ alijs eſt horrori, ſit viro miſericordi gandio, & exultationi; eſt enim feretrum viro in pauperes benefico nuptialis thalamus, & elargitio ſtipis, ovatio triumphi, imò & veluti quædam divinitatis æmulatio.

Exodi 7. vidit Deus Moyſem greges paſcentem in monte & beneficentiam in omnes exercentem, ac proinde voluit ipſum ad ſe accerſitum in Rubo flammis irradiante citra detrimentum foliorum, cui dixit: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Scio multum deſudâſſe Interpretes, non intelligentes quomodo conſtitui potuerit Deus Pharaonis, cùm divinitas ita Deo ſit propria, ut creaturæ minimè poſſit congruere; eſt enim divinitas, quæ ab omni eximitur dependentia, cum creatura nequeat non dependere à Deo, à quo quidquid boni poſſidet, haurit: S. Hilarius verſans hunc locum ait: *ſic Moyſes Pharaoni Deus datus eſt, dum timetur dum oratur, dum punit, dum medetur: & aliud eſt, Deum dari, & aliud eſt Deum eſſe. In Pharaonem enim Deus datus eſt. Cæterum non ei eſt, & natura, & nomen, ut Deus ſit.* Non igitur eſt Moyſes Deos Pharaonis, ſed in Deum datus, quatenus vices Dei gerit, non quia à Pharaone timetur, ſed quia Pharao ſupplex Moyſem erogat, ut ab Ægypto plagas velit avertere, & Moyſes vir miſericors illicò adnuit, & munifica largitate Ægyptiorum miſerijs fuit opitulatos; tametſi infida Pharaonis obſtinatio, cordiſque durities Moyſis beneficentiam exaſperaret, & munificam in miſerendo liberalitatem niteretur impedire, quia tamen pronior fuit Moyſes ad miſerendum, & opitulandum miſeris, ideo Pharaoni Deus datus eſt, ut ait Hilarius, *dum oratur, dum medetur:* & revera ultra humanæ naturæ faſtigiom elevatus Moyſes divinitatem fuit æmulatus, cum licèt durè, ac dirè tractatus à Pharaone, nunquam deſtiterit eum munifica proſequi beneficentia; & Pharao nil à Moyſe expetierit, quin confeſtim impetraverit: pronior enim ſemper ad miſerendum, maluit impertitis beneficijs ejus duritiem emollire, quàm promeritis pœnis ſu-

licium ejus cor frangere, semper enim ei adfuit tranquillè pacatus, largitor beneficus, & solers curator: ideo Moyses Pharaonem terruit, ut ad rogandum flecteret; ideo minis eum perterruit, ut à pervicacia desisteret; ideo plagis sauciavit, ut insanientem sanaret; ideòque Moyses æmulator divinitatis constitutus fuit Deus Pharaonis, quia pronior ad miserendum timorem incussit Pharaoni, ut saltem metu malorum imminentium cordis exoeret duritiem, & impertitis beneficijs ejus mederetur ægritudini.

70. Beneficentia igitur non solùm Deo fœnerat, sed & Deum fœneratur, cùm vir beneficus ipsam æmuletur divinitatem; idque caosæ, cur Christus; nos admoneat, ut sacculos nobis faciamus, qui deteri non possint; *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Sed cur monemur sacculos construere, ne noster in cœlis thesaurus deficiat? an desinit thesaurus esse, nisi in sacculis asservetur? an non potest thesaurus sine sacculis custodiri; quinimò si in sacculis asservatur thesaurus, amplus esse non putatur, bene tamen qui laxioribus servatur in cistis, qui ampliori custoditur in ærario: avara est manus, quæ in saccolis nummos recondit; liberalis verò, quæ super mensam pecunias projicit ad usus impendendss communes: sed rectè docèmur sacculos nobis construere, & simul thesaurum non deficientem in cœlis congerere in terris; sunt enim sacculi, qui non veterascunt, pauperes pannosi, quibus si nostrum concredimus thesaurum, si nostras elargimur pecunias, ut suis consulant necessitatibus, propriásque excutiant miserias, non deficit nobis in cœlis, quod ijs donamus in terris; expulsio alienæ miseriæ, inductio est nostræ gloriæ: quamvis pauper mendicus, sacculus esse, non thesaurus, nobis videatur, Deo tamen sacculus iste thesaurus est, & qui sacculos istos implet, seu pauperibus opitulatur, eorum miserias excutit; thesaurum sibi congerit non deficientem in cœlis: vacuitas enim temporalium bonorum adeò capax est, ut thesauris ipsis impleatur cœlestibus.

71. Qui igitur benefica manu, suas dispergit opes, quibus sinum pauperis cumulat; & suom evacuat sacculum, ut stomachum repleat esurientis, & famelici pauperis, sacculum sibi facit, thesaurúmque sibi congerit non deficientem in cœlis, pulchrè Beda in

Cap. 52. Lucam: *Facite vobis sacculos, eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum manet.* Facimus igitur nobis sacculos, cùm pecunias nostras pauperibus erogamus: thesaurum non deficientem in cœlis cumulamus, cum saccolos nostros evacuamus; & quas possidemus in terris pecunias egenis erogamus; quas perdimus nisi pauperibus demus; luctamur verò si eas è sacculis nostris in sacculos pauperum refundimus; & isti sunt sacculi, qui non deteruntur, non veterascunt; quos enim habemus ex canape, vel lana contextos sacculos, vel tinea corrodit, vel tempus absumit, vel usus deterit, vel flamma in cineres vertit, vel incendiom vorat, vel ferrum lacerat; & qui in jisdem recondebantur nummi, vel dissipantur, vel amittuntur: sed sacculi pauperum nunquam veterascunt, & si nostris eos erimus pecunijs repleturi aucto fœnore eas nobis restituent in cœlis, ubi noster non deficiet thesaurus. O deploranda hominum cæcitas! qui non vident, in quibus debeant sacculis suos recondere thesauros, ne perdant! loculos quærunt in terris, & quidem ab hominum oculis remotiores, ut quæ possident bona, vel in pecunijs, vel in gemmis, vel in re frumentaria à furum periculo longiùs avertant, sed ubi in tuto credunt recondere, quæ habent, infeliciùs perdunt; quæ tamen lucrarentur, si darent, si proprios sacculos evacuarent repleturi sacculos pauperum, qui minimè veterascunt.

Cum uberrimorum incubator proventuum observâsset lætiores segetes, telluris ubertatem, & aëris salubritatem, uberiores eo anno dedisse messes; noctem traduxit insomnem, & culcitram ipsam varijs defatigavit cogitationibus, ut tam uberem fructuum proventum posset in tuto recondere: *Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mibi.* O quam cæca est avaritiæ fortuna, quæ cùm abundent ubique sacculi, in quibus tutissimè segetes reponantur; horrea quærit, quæ destruat, & laxiora construat! hianti pecunijs sacculi deficiunt, horrea non sufficiunt, quia nunquam proprium explet desideriom. Cur anxius de horreis est, cui ager proventibus abundavit? An quia cor viri avaritiâ sordescentis eò angustiatur arctiùs, quò divitiæ dilatantur ampliores? crescunt enim cordis desideria, si quæ sitiuntur pecuniæ, augeantur; & desideria multiplicata arctitudinem produnt desiderantis, cui eò plus deest, quò plus desiderat. 72.

Luc. 12. v. 17.

Si dixisset destruam horrea mea, & majus mihi, laxiúsque horteum construam, ut omnes in unum congestas habeam messes; ne divisim loca occupent, ne diversa, plurséque adigar custodes alere, ac mercenarios habere famulos, parcendum fortassis cogitatui fuisset; sed cum spondeat, se majora facturum, ac plura laxiora; prodit ipsum non numeri tædere, sed arctitudinis pœnitere; quia nil angustius corde divitijs inhiante, quódque abundantia depauperat, & messis uberior premit, nocturnámque illi furatur quietem: angustatur dives, si opes dilatentur; & copia inopem facit, quia uberioribus ditescit desiderijs; avaro & angusto cordi, angusta sunt horrea, 73.

angusta

Luc. 12.

angusta & nox ipsa insomnis, quæ non sinit quietem protendi: unde exclamat D.
Homil. 6. Basilius. *O angustia ex satietate nata! dicens enim: quid faciam, profectò indicat, quia votorum suorum affectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat. Erat quidem in promptu dicere: aperiam horrea, convocabo egenos: sed cogitat, non ut distribuat, sed ut congreget:* Si dixisset, dispergam, dabo pauperibus, opitulabor inopi, tunc sine destructione horrei arctioris suos auxisset thesauros, & uberiorem meritorum messem cœlesti recondidisset in horreo; quia verò superflua, quæ proventuum ubertas abundè dederas, pauperibus distribuere noluit; ideo multiplici cogitatione non solùm arctiora horrea, sed & pectoris viscera rumpebat, ac præcordia dilacerabat, quia anxia torquebatur solicitudine, ne quidquam de proventuum superfluis, in pauperum redundaret solatium; sed omnia proprio saginando corpori destinarentur; propterea de ampliandis horreis totum erat studium; ne proventui devorando incapax ab ingluvie fuisset stomachus; ajebat enim. *Anima mea, habes multa bona, requiesce, comede, bibe, epulare.* O insolentiam humanæ voracitatis! quæ animam ipsam in depravata corporis deprimit edulia; nunquid suam anima vitam haurit à vite, vel segete? non ferculis saginatur anima, sed pietate, & virtutum cultura vegetat, ac impinguatur. Verùm adeò corporis escis homo assuescit, & ea depravato concupiscit appetitu, quibus corpus saginatur, ut eadem animæ adaptet indigentijs; quasi obsonia corporis, carnalis hominis mentem reficiant, & animam nutriant; sed nonnisi improvidè, quæ ex superfluis erant pauperum miserijs levandis eroganda, animæ tribuuntur, quam minimè reficiunt: sed truculenter interficiunt: huc accersendus D. Basilius. *Tam impro-*
Homil. 6. *vidus es erga bona animæ, ut escas corporeas animæ adscribas, quæ si Deo adhæsit, bona plurima possides, & bono gaudio gaudet. Verùm quia totus carnalis es, à ventre, non ab anima clamas.*

74. Corpori saginando, qui tantùm studet, officia mentis in obsequia deprimit ventris; séque totum carnalem prodit, cum nonnisi corporis inhiet commodis, & à vero se gaudio avertens terrenis quisquilijs, bonisque fucatis sese ingurgitet; & eò magis vacuus inanescit, quò pluribus congestis opibus ditescit: huic enim dixit Chri-
Luc. 12. v. 20. stus. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parâsti, cujus erunt?* perpendendum est, quod cum sit Deus, qui loquitur, cur non dicit in singulari, *repetet*; sed in plurali *repetent*? Deus unus est ex singularitate, nullum admittens parem, omnem excludens sibi æqualem, cum ipse sit, à quo reliqua omnia dependent, quibus & munifica largitate impertitur, quidquid possident boni; si igitur ipse animam elargitur, quam creat; cur eam non repetit? & ait: *hac nocte animam tuam repetet à te:* cur non dator animæ debeat ipse etiam esse petitor? quia stultus ille pluribus gravatus divitijs, quas sibi impenso labore, ac multiplici curâ, & solicitudine paraverat, oculos sursum elevare non valuis, quò Deum videret; neque caput, & mentem sursum erigere, quasi nimio pondere pressus curvesceret pronus in humum; rectè non à Deo, qui unus est, & quem videre non valet, repetitur; sed à pluribus gehennalibus exactoribus, qui in multitudine divitiarum lætabuntur, scilicet à multitudine repetetur dæmonum: scitè D. Chrysostomus. *Dicit* Homil. 25. in Math.
autem, repetent à te; exposcebant enim eum forsan terribiles quædam virtutes ad hoc missa. Deinde concludit Christus: *Sic est, qui* Luc. Luc. 12. v. 21.
thesaurizat, & non est in Deum dives: hoc est, qui ita congerendis divitijs studet, *ut dives in Deum non sit*, seu divitias, quas possidet in pauperes, non erogat, ejus animam dœmones repetent, cùm audient, *di-* Math. 25.
scedite à me maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedisti mihi manducare.

Qui suas in pauperes divitias erogat Dei 75.
munificam æmulatur largitatem, indolémque beneficam; est enim Deus dives erga suos pauperes, ait Apostolus. *Dives in* Ad Roman. 10.
omnes, qui invocant illum, nunquid solum in eos, qui invocant, opulentus? Imò cur non omnibus dives; sed in omnes dicitur divitijs affluere? quia Dei divitiæ non metallica sunt terræ excrementa, non conchiliorum uniones, non pellucidi adamantes, non frugum redundantiæ, non segetum ubertates; sed dona & charismata fidelium: aurum, argentum, fruges, gemmas mundi divitibus, regibus, ac principibus Deus impertit; hæc verò dona charismatum omnibus invocantibus eum erogat; súntque suæ divitiæ, nostræ salutis emolumenta; dives igitur in omnes dicitur, qui invocant illum; quia per charismatum dona iisdem impertita, omnium eum invocantium salutem operatur; suásque in nostræ salutis emolumentum divitias censet: appositè D. Chrysosto-
mus ait. *Vides, quomodo Deus salutis* In cap. 10. ad Rom. Homil. 17.
nostræ vehementer se cupidum ostendat: siquidem divitias suas peculiares non æstimat, ita ut illi jam nihil habeant causa, quâ desperent. Qui enim peculiares suas putat esse divitias, si nos salvet, ditescere utique non cessabit. Nam & ista sunt divitiæ, quòd donum suum in omnes effundit.

Mundi divitiæ, quas libido decoquit, 76.
vel luxus disperdit, vel superbia spargit, vel ambitio erogat, vel concupita dignitas effundit; vel etiam avaritia in defossis terræ latibulis sepelit, cum è manibus effluunt possidentis, nonnisi vestigia relinquunt pau-

pertetis, est enim hæc proles terrenarum divitiarum superstes. Idque dixeris interesse discriminis inter Dei, & hominum divitias, quia hominum divitiæ, cum possidentur, divites efficiunt; Dei verò divitiæ cum dantur; illæ paupertetem, cum relinquuntur, vel deperduntur, invehunt; istæ verò tunc divitem Deum nominanr: quasi Deus non priùs dives reputetur, quàm sues in homines divitias refuderit, *dives in omnes, qui invocant illum:* ut nos doceret, beneficæ in pauperes commiserationis thesaurum, quem ijsdem impertimur, tunc excrescere cum minuitur; augeri cum exhaurirur; incremente subire, cum alijs dispertitur; ecquiri cum donatur; & lucrari eucto fœnore, cum perditur, sitque juris pauperum: *sic est*, (ait Christus) *qui*
Luc. 12. *sibi thesaurizat, & non est in Deum dives:* ergo qui non sibi, sed pauperibus thesaurizat, est Dei imitator, qui est dives in omnes; qui non congregat in horrea, sed distribuit, etiam in Deum dives est; & quo plura erogat peuperibus, eò fit in Deum ditior; & quò minus sibi thesaurizat, eò plures sibi congerit divitias, quibus fit in Deum locupletior.

77. Hoc artificium cumulatiùs ditescendi nos edocet benefica in pauperes commiseratio, quæ cum sues pecunias, non in mensis negotiatorum, sed in finu pauperum reponit, ultre centesimas licitè lucratur usuras; ipsa enim effusio effundenti fœneratur; & danti longè uberiores impertitur thesauros; neganti verò stipem pauperibus, reddet etiem, sed thesaurum iræ, ac indignationis, quia
Ad Rom. 2. v. 5. ut scribit Apostolus. *Reddet unicuique secundùm opera ejus*, sed quomodo Deus reddet negantibus stipem mendico? si nihil ab ipso accepit? is reddere dicitur, qui, quod accepit, restituit; quomodo igitur immisericordi reddet, ac restituet, à quo nihil eccepit? quâ igitur de causa dicetur Deus in novissimo judicio reddere, seu restituere unicuique, etiam ei, à quo nihil acceperat? quia nimirum omnis boni, pravíve operis status, qui in judicij statera appendendus est, divitiarum putatur thesaurus sive bonitatis, sive iræ. Qui benefica commiseratione fuit pauperibus opitulatus, qui erogatis pecunijs pauperum miserias, excussit, sitienti frigidum laticem porrexit; vacuis stomachis ferculorum exhibuit obsonia; collabentes famelicorum vires fulcro munivit, sustinuitque opportuni viatici; erescentes præ inopia familias repetitis eleemoiynarum imbribus irrigavit; frigescentium nuda membra vestivit; periclitantem in puellis pudicitiem, ne detrimentum pateretur adjuvir profusis pecuniarum subsidijs, huic thesauros reddet suæ bonitatis: thesauros verò iræ ei, qui esurientem non pavit, sitientem irrigua haustùs beneficentia non recreavit, nudum non cooperuit, & quei possedit pecunias, ne pauperibus impertiret, tenebris damnavit, vel humi sepelivit, ne earum usu pauperes viverent: is iram sibi thesaurizet, quam Deo sæculum judicaturo commodat; qui propterea in die iræ reddet unicuique, quod cum viveret, ei commodaverat in pauperibus; vel in ijsdem denegaverat, & ed iram ei commodaverat indignationem: sibi enim Numinis iram thesaurizat, qui in Deum dives non est, qui peuperibus necessaria non suppeditat subsidia; quie tunc divitias ejus bonitatis in furoris thesaurum convertit, ut observat D. Anselmus, expendens præfata Apostoli verba, inquiens. *De benignitate Dei iram reprobus thesaurizat: & omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpa augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in judicij districtionem vertit; ut inde plus feriat, unde modò ampliùs expectat.*

§. VIII.

Quos pia in pauperes commiseratio Dei filios non instituit; hos immisericordia gehennæ mancipia constituit.

Thesaurus Dei in sola est ejusdem benignitete, quam vel expendit in dona gratiæ ad salutem; vel in iram convertit ad damnetionem; ut immisericordi obrigit Diviti, qui in Evangelio byssso, & purpure indutus epulabatur splendidè; & mendico, ac famelico Lazaro supersites de mense denegavit micas; cum Lazarus, quæ possederet bona, benefica largitate alijs erogâsset indigentibus; sed quorum dissimilia fuerunt opera, dispar & exitus fuit; Lazarus filius asseritur Abrahæ æterna donatus beatitate; Dives eutem, quia immisericors supplicijs addicitur gehennalibus; ubi immisericordiæ assuetus lategit à sinu Abrahæ Lazarum amoveri, pravos quos impius habitus contraxit, nec cum ipsa mortalitate exuit, sed ipsum in gehennam comitantur, quem acriùs torqueant; ajebet tortus in gehenna dives: *Pater Abraham mitte Lazarum.* An non cæcutit fumo, & caligine obrutus gehennalis fornacis? vocat patrem, à cujus filiatione immisericors degeneraverat; nimirum filius Abrahæ fuerat etiam dives, sed ut citiùs hanc decoquerer filiationem, purpuram accersivit, & ingluviem, quâ centum omnem virtutis deglurivit, ac dissipavit, & quem origo filium effecerat Abrahæ; immisericordia mancipium instituit gehennæ. Quòd si publicanum fraudulentia, & rapina, avaritiæ servum fecerant, benefica in pauperes commiseratio in filium recuderat Abrehæ; è converso dives ex Abrahæ genere ortus, ex ejus

Marginalia (right margin, cropped): Ibid. 14. / 79. / Ibid. 10. / Ibid. 10 14. / 78. / Luc. 16. vers.

ejus honorifica filiatione degeneravit in filium gehennæ; huc accersendus D. Chrysologus, qui expendens verba illa: *eo quod, & ipse filius sit Abrahæ*, ait. *Inhumanus dives, cum esset filius Abrahæ: factus est gehennæ filius: iste cum esset rapinæ filius, dando sua, & aliena reddendo, Abrahæ adoptatur in filium.* Epist. 54.

79. Sicut benefica in pauperes commiseratio à morte liberat, & non patitur misericordem in gehennam detrudi; ita è converso immisericordia, quos origo filios lucis effecerat, mancipia instituit gehennæ. Purificat beneficentia in pauperes, quod vitium deturpaverat: sub animalium immundorum specie in linteo è summo cœlo pendulo repræsentatus Ethnicismus D. Petro ostenditur; quin & monetur, ut surgens animalia indiscriminatim occidat, & manducet, *Surge Petre, occide, & manduca*; quia verò promiscuè cum puris immunda aderant animantia, recusavit hæc comedere; tunc vocem audivit de cœlo delapsam: *quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*; quia verum erat, quod de Cornelio ad Petrum veniente dicebatur, & de quo prædixerat Angelus. *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Oh quàm potens, & efficax est eleemosyna in maculis abstergendis, in sordibus excutiendis, ac immunditijs purpurandis? in bruta desciverant homines animalia, quatenus vitiorum cœno obruti suilem visi fuerant contraxisse naturam; hos tamen in pauperes beneficentia non solùm è cœnoso extraxit calle, verùm & detersit vitiorum sordes, ac pia metamorphosi in columbas convertit innocentiæ: idque edisserit D. Augustinus, inquiens: *Quoniam in significatione Petrus personam gestabat ecclesiæ, Ecclesia corpus Christi est. Respiciat ergo jam mundatas gentes, quibus peccata donata sunt. Unde miserat ad illum Cornelius gentilis homo, & qui in illo gentiles erant. Hujus eleemosynæ acceptæ mundaverunt eum ad quendam modum; restabat ergo ut tanquam cibus mundus incorporaretur.* Censet Augustinus, per lavacrum beneficentiæ etiam ipsum Ethnicismi abstergi squalorem, ut emaculatæ gentes unà cum Petro Christi convescerentur corpori: est eleemosyna post baptismum, & lachrymas sacræ exhomologesis tertium lavacrum, ut si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, unde valeat, quas contraxit sordes deponere; disponit enim eleemosyna ad resipiscendum, & Dei miserentis impetrat auxilium, quo lapsi resurgunt, ægri sanitati restituuntur, & vitiorum cœno sordescentes emundantur, ne gehennalis ignis incurrant discrimina: eleganter Chrysologus, *Loth, quia hospitio suscepit Angelos, judicium prævenit, hinc gehennam vicit in carne: misericordem nescit divinus ignis exurere: faciat ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere.*

Actor. 10.

Actor. 10. v. 4.

Serm. 16. de diversis.

Serm. 42.

Plus igitur benefica in pauperes commiseratio, seu eleemosyna prodest danti, quàm accipienti; illum eripit ab igne gehennæ; hunc à corporis subtrahit necessitate; illum ab æterno liberat eruciatu; hunc à temporaria fame, siti, nuditate: éstq; propterea plus largienti fructuosa, quàm accipienti utilis; quod cum innotuisset Abrahamo, non patiebatur ullum pertransire peregrinum, quin perhumaniter hospitio reciperet: excepturus enim peregrinum cum duobus socijs, non eum expectavit; sed illi festinus, ac festivus obviavit, inquiens: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponámque buccellam panis, & confortetur cor vestrum:* hac animi submissione peregrinos alloquebatur, quos ad suum alliceret hospitium; quia non nescius eleemosynas plus prodesse danti, quàm accipienti, sedulus voluit prævenire, occurrere, adorare, ac enixim rogare, ut sibi pateretur benefieri: scitè D. Ambrosius causam adferens, cur beneficentia plus danti prosit, quàm accipienti, ait: *Misericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicata mercedis permanet tribuenti.* 80.

Genes. cap. 18. v. 3.

Si quæras, cur Deus tam beneficus sit, ac munificus in miserieordes, ac opitulantes pauperibus? quia per exercitia misericordiæ in alios Deo sumus similiores: est enim similitudo, quæ conciliat amorem, & amicitiam; quos enim nobis similes, vel in corporis habitudine; vel in animi affectionibus, vel in studijs virtutum, vel in moribus novimus, hos impensiùs amamus: Deus autem in nullo hominum evidentiorem suæ naturæ similitudinem invenit, quàm in homine misericorde; non enim homo Dei valet sapientiam, vel potentiam, immensitatem, independentiam æmulari, id enim humanæ negatum imbecillitati; cui tamen concessum est Dei imitari beneficentiam; hinc quò plus est homo misericors in pauperes, eò est Deo charior, ac uberioribus cumulatur beneficijs: pulchrè Nazianzenus ait, *Fac calamitosis sis Deus, Dei misericordiam imitando. Hæc est omnium laudatarum virtutum præstantissima; hæc est felicitatis comes; hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine conjuncta.* 81.

Orat. 16. de pauperum amore.

Divini certè aliquid in se misericordia continet, eum quadam dicatur necessitudine Deo conjuncta; quid præstantius, quid sublimius, quàm attributo cohonestari divinitatis? hoc præstat benefica in pauperes commiseratio; quæ dum miseris opitulatur, 82.

ac

ac impertitis beneficijs pauperum indigentias supplet, imitatione in Deum transit; cujus beneficijs sumus, vivimus, movemur, & subsistimus; quòd enim terra stet suis librata ponderibus, & in mundi totius meditullio pendula, solida, globosa, & undique in se se collecta, & conglobata, vestita herbis, ornata floribus, locupletata arbustis; & hinc in camporum longè latéque patentium se extendat protensam planitiem; illinc in montium editissima juga nivali perpetuò albicantia hyeme assurgat; in hisce tractibus sit læta segetibus, altrixque hominum; in alijs dumetis, & rupibus hispida; quà salebris, atque arenis arescat, quà proximis fontibus uliginosa, quà sylvis obducta, quà circumjectis montibus clausa, & quà vastu, ac longè, latéque patente oceano obducta ad uberiora hominum commoda, ad societatem cum exteris ineundam, ad commercia instituenda; beneficia sunt hæc omnia, quæ munifica largitate voluit Deus hominibus impertire. An non, quòd sol oriatur, pluviæ stillent, nubes bajulæ imbres deferant rigandis, reficiendísque plantis accommodatos, fontes fluant pellucidi, sata germinent, segetes crescant, fructus maturiant, aves in aëre, pisces in aquis, feræ in sylvis, & homines sive rusticelli in mapalijs, sive urbani in civitatibus alantur, beneficia sunt munificentissimi Dei hominibus impertita? Quòd si Deus omnes pascit, omnibus opitulatur; Dei procul dubio munificentiam æmulatur homo in pauperes, in egenos beneficus, qui profusis eleemosynis, impertitis beneficijs pauperum miserias excutit, lachrymas exsiccat, mœrores abigit. Sibi beneficus eò prodest utilius, quò miseris opitulatur uberius: unde Seneca ait: *Nihil magis me possidere credam, quàm benè donata.*

Lib. de vita beat. c. 21.

83. Beneficia, qui serit, uberrimam colligit fructuum messem; hinc Isaias, hanc in pauperes beneficentiam nobis commendans ait: *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum; & carnem tuam ne despexeris;* quasi seipsum negligat, qui nudum non vestit; pergit Isaias: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & antebit faciem tuam justitia tua,* quibus postremis verbis bonorum cœlestium affluentiam derivandam in misericordes innuit Propheta; quia ut expendit D. Chrysostomus, Non dixit: apparebit tibi lux, sed erumpet, quò nimirum celeritatem, simúlque copiam exprimeret remunerantis: *Ut intelligamus,* ait D. Chrysostomus, *Deum nostra salutis esse cupidissimum, plerúmque muneribus velut ex largiendi festinatione in munificentiam prorumpere, quemadmodum lumen matutinum qualibet nobis bona momento repræsentat.* Appositè matutino lumini beneficam in pauperes æquiparat commiserationem; quia sicut quas rerum formas, mitámque colorum varietatem terra suo nox peplo obduxerat, ac latere inter nocturnas umbras coëgerat, lux matutina, ubi primùm erumpit, confestim aperit; flores exhibet discolores in oculorum oblectamenta; plantarum varietatem ad hominis voluptatem; ac rerum omnium elegantes formas, ad illicium intuentium: ita benefica in pauperes commiseratio omnia nobis reservat bona; non enim minus est Dei studium, erga misericordem hominem; quàm luminis matutini beneficium, quo dies nobis aperitur, & exclusâ noctis caligine solares radij ad nostram utilitatem demittuntur in terras, ut plantæ foveantur, flores rideant, vario depicti colore, fructus maturiant, segetes flavescant, & tellus omnia nobis commoda suppeditet.

Cap. 58. v. 7.

Homil. 55. in cap. 16. Matth.

84. Sed non solùm corpori erogantis plurima adfert benefica in pauperes commiseratio commoda; sed uberrimam etiam animæ suppeditat fructuum segetem. *Eleemosyna peccata delet, & à morte liberat:* qui enim inopum miseretur per misericordiæ largitatem, Deus ipsam ei gratiam elargitur; quâ resipiscens fusis lachrymis, quas contraxerat, noxas abstergit; idque causæ cur Daniel Nabuthodonosori suaserit eleemosynis peccata redimere; quia ut monet D. Chrysostomus. *Non est peccatum, quod non possit purgare eleemosyna, quódve non possit extinguere. Omne peccatum infra illam stat. Remedium est ad omne vulnus utile. Omnis injustitia fomes est avaritia; sed hanc omnem abluit eleemosynâ Zacchæus.* Avaritiâ insorduisti, vitijs indulsisti, fratrem necessè est remiteris, si pervenire cupis ad patrem; fac, quod Zachæus præstitit, ut è cœno emergas, à quo ipse emersit; & merearis, quod ipse meruit.

Tobiæ cap. 4. v. 11.

Tom. 5. in cap. 11. Act. Homil. 25.

85. Ex quo benefica in paupetes commiseratio peccata delet, lavacrum, ac veluti alterum dixerim baptismum esse, quo mundati renascimur saniori frugi. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* idem præstat eleemosyna, ac baptismus, hoc discrimine quod lustrali fonte semel duntaxat abluimur; hoc verò salutari lavacro toties tingimur, quoties pauperibus opitulamur. Hinc beneficentia in pauperes ad Christi tribunal reis patrocinatur, & Judicem in suam flectit vota; quia in Proverb. *Munus absconditum extinguit iras;* non solùm lenit, sed iram extinguit judicis, quem propterea vir misericors blandissima vi sibi devinctum tenet. Quin est etiam eleemosyna sacrificium Deo gratissimum, ait Apostolus ad Hebræos. *Beneficentia, & communionis nolite*

Luc. cap. 11. v. 41.

Cap. 21. v. 14.

Cap. 13. v. 16.

nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.

86. Quamvis oves non imponamus aris immolandas; nec boves circumducamus cultro destinandos, flammisque tradendos; si tamen stipem erogeverimus inopi, si nostrum eidem panem fregerimus, canistrum, vel crumenam eperuerimus, arcam reseraverimus vestiariam, opimum jam sacrificium instituimus, eò gratius Deo, quia non immolatorum sanguinem; sed cistæ pecunias fudimus in manus pauperum: sitientem haustu recreare, famelicum pascere, nudum vestire, pecunias partiri, ac impertiri indigentibus, pinguius est sacrificium, quò peccata expiantur.

87. Quòd si beneficentiam in pauperes columbæ æquiparaveris argenteæ, aureis tamen instructæ alis, ejus præstantiam prodes: sua emiserat Noëmos ab Arce columbam: quæ sub vesperam reversa viridem olivæ ramum retulit: quid ni ad obitus nostri vesperam, ubi cataclysmo obruemur dolorum, & angustiarum; revertetur ad nos beneficentia in pauperes, ramúmque referet oleagineum æternæ pacis, et lætitiæ, nunquam interituræ; aureas tunc suas expandet alas, sursum misericordes evectura: apposite D. Chrysostomus. *Pennata est eleemosyna, & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos.* Non solùm sursum evolat, sed quam in terris stipem accipit, sursum in cœli thesauris recondit; jacturæ detrimentum non petitur eleemosyna; quia diffugere nequeunt, neque deperdi, quæ viduis, pupillis, pauperibus eroganter opes; Deo creduntur, quæ miseris donantur; ideòque in tuto reconduntur; huc accersendus Cyprianus de opere, & eleemosyna, inquiens: *Patrimonium Deo creditum nec fiscus invadit, nec calumnia forensis evertit. In tuto ponitur hæreditas, quæ Deo custode servatur.* Imò & incrementum subit; eleemosyna enim divitias auget, quas minuit; cumulat, quas erogat; acquirit, quas donat; quia ut ait Salomon Proverb. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem ejus reddet ei.* Assis unicus pauperi erogatus usuræ incrementum centesimum parit, veluti granum, non sinui excultæ telluris mandatum, sed inopis manui datum in oberrimam multiplicat fructuum messem.

Homil. 7. de Pœnit.

88. Refert Plinius, geminas urbes Cordubam in Hispania, & Carthaginem in Africa ex solis sativis carduis annuatim incredibilem pecuniæ summam cumulâsse, lucróque ingenti divitijs affluxisse, ait Plinius: *Certum est Carduos apud Carthaginem magnam, Cordubámque præcipuè sestertia sena millia, ut parvis reddere:* & computantur centum quinquaginta millia philippeorum: addit Plinius: *Quoniam portenta quoque terrarum in gaudeam vertimus, etiam ea, quæ refugiunt quadrupedes conscia.* Non inficior, quæstuosa est hujusmodi carduorum mercatura; sed longè quæstuosior est, quæ cum pauperibus à nobis instituitur; lucrosissima est mercatura, quæ dat cœnum, & accipit cœlum; dat assem, & acquirit thesaurum; dat vitam, & gemmam invenit; dat frustum panis, & integrum accipit cœli regnum; dat nummum, & paradisum sibi comparat; dat peritura, & consequitur æterna.

Lib. 19. natur. histor. cap. 8.

89. Est benefica in pauperes commiseratio navis Institoris, quæ de longè portans panem suum portum eppellit æternæ melaciæ; nec ulli unquam est obnoxia naufragio: vulgo putatur philosophia pecuniis cumulandis, paulque lucrando inepta, propterea pingitur pannosa, ac detritis vestibus lacera, inopiâ laborans perpetuâ; sed quàm falsò, vel ex eo deprehenditur, quòd una, vel altera ejus pars Mathesis, seu Geometria novum repererit, occupaverítque orbem, cujus divitiæ totam locupletârunt Europam; hanc imitatur scientiam beneficentia in pauperes: licèt videatur deperdere, seu non ampliùs possidere, quod erogat indigentibus, ac suis destitui opibus; arte tamen sua novum invenit, sibíque comparat in cœlis orbem.

90. Refert Suidas, Atheniensium Archones, seu summos gubernatores, cum magistratum inirent, consuevisse publicè jurare, se à Republica sancitas leges religiosâ custodituros observantiâ, neque passuros ullis se muneribus corrumpi; quòd si quis ipsorum secus faxit, hunc mulctæ nomine statuam auream corpori suo æquilibrem Delphis aræ daturum. Legem suam nobis proficuam sancivit Legifer noster Christus, & quidem laconicè, hac scilicet unicâ vocula, *Date*, cui laxissimum adnexuit sponsionem. *Et dabitur*: si pauperi dederis, dabitur tibi uberrimo cum fœnore; eleganter D. Petrus Chrysologus. *Quidquid pauper acceperit, pater cœlestis suscipit. Et ubi recondit? in cœlo. At ne fortè perdidisse te doleas usuram, centuplum in cœlesti fœnore recipies.* Da inopi stipem à te petenti, & auream tibi in cœlo statuam consláasti, & quidem millies proceriorem: hæc est illa scientia, quæ verum adinvenit philosophicum lapidem, cujus virtute cupreæ monetæ pauperibus erogatæ in aureos mirifica metamorphosi mutantur thesauros; hæc est, quæ edocet infortunia declinare, & æternam enancisci felicitatem: hine David. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.*

Sermon. 25.

Psal. 40. v. 1.

91. Idque causæ, cur D. Laurentio ignita craticula, mollis fuerit culcitra; & prunæ candentes, veluti rosæ vernantes: Deus enim in hoc lecto doloris prunas quasi plumas versabat, & instrumenta doloris in trophæa convertit victoriæ. Vulcanus licèt olim fulminum; nunc palmarum faber flammas excitavit, quibus illustriores cuderet triomphos, & eò clariores, quò flammæ acriùs arderent: neque audiendæ ampliùs sunt sophorum barbaræ classes, ignem redarguentes infœcunditatis: desiscant nunc sterilitatis pro. bro ignis splendores obscurare: quis non fœcundum eum imposterum crediderit, cum Laurentio laureolam, palmámque pariat? Christi enim Atleta Olympium Stadium nactus in pyra, flamma si murmurat, triumpho plaudit: quòd si ignis armatur in pugilem, & alitur pice, hoc agit inscia barbaries, ut Christi Atletam arctiùs Deo adglutinet: si perfunditur oleo, linitur pugil ad palmam; in conum, si erigitur flamma, fit gloriæ monumentum; si circumdat, amplectitur; si cingit, coronat: sed cur Agonotheta Deus ignitam craticulam, lectum doloris in currum vertit triumphi, tot ornatum rosis, quot ardentibus prunis stipatum? quia nimirum Laurentius Numinis affectum, ac singularem providentiam erogatis in pauperes ecclesiæ thesauris, sibi conciliaverat.

92. Illud etiam optabilius quod præmittitur: *In die mala liberabit eum Dominus:* hoc est, extremo illo judicij die reliquis timore perculsis, ac pavore exanimatis, misericordes in pauperem stabunt intrepidi, manebunt inconcussi: hinc ait D. Chrysostomus. *Quanta voluptatis est in illa die horribili fiduciam consequi, & audire verba illa: Venite benedicti Patris mei, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Quàm ingens igitur est misericordiæ vis, quàm efficax energia in perorando salutis nostræ negotio? quàm diserta misericordiæ eloquentia? hæc enim DEUM illicò in vota flectit nostræ salutis: appositè S. Leo Papa expendens verba Christi. *Venite benedicti: esurivi enim, & dedisti mihi manducare,* eleganter ait: *Quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri: sed illo magno, summóque judicis tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas; vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per unum bonum isti introducantur in regnum; & per unum malum, illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur de ullo sibi bona vita meritu blandiatur, si illi defuerunt opera*

Homil. 34.

Matth. 25. v. 31.

charitatis. Hæc virtus omnes facit utiles esse virtutes, quæ ipsam quoque fidem, ex qua justus vivit, sui admixtione vivificat.

93. Est eleemosyna, quâ pauperibus opitulamur, tributum, quod Regi cœlorum jure a divitibus penditur: & hoc tributum solvendum est statim, cùm inde plura in nos commoda deriventur: reddendum est, quod debemus: ait enim Apostolus. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal:* quin & Christus nos monet, ut cuique, quod suum est, tribuatur, Matth. cap. 22. v. 21. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo:* quidquid autem pauperibus erogamus, hoc tributum est, quod Deo præstamus; à quo cùm nobis aucto fœnore restituatur, veriùs cum pauperi damus, accipimus, quia nostro cumulimus emolumento: hinc Salomon ait: *Misericardia, & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui: & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.* Eleemosyna enim, quæ pauperibus erogatur, in utráque vita illustres commendat misericordes; in hac enim famam sibi comparat præclaram, & in alia gloriam enancilcitur nunquam perituram.

Ad Rom. 13. v. 7.

Proverb. 3. v. 3.

§. IX.

Virtutem, & affectum misericordiæ non Deus tantùm, sed & universa rerum natura nos edocet exemplo efficaciùs, quàm voce. Et viri misericardis preces tanta sunt efficacia, ut Deum flectant in sua vota.

94. AD saniorem reversa frugem Magdalena procumbens ante Servatorem Christum, unxit ejus pedes, quos & proprijs extersit capillis, ut domus tota unguenti impleretur odoribus. Sunt Christi pedes pauperes seminudi, pulvere sordescentes, & cæteris hominibus bonis fortunæ inferiores: hos Christi pedes perlinunt, & capillis abstergunt, qui erogatis eleemosynis pauperes alunt. Demus egenis; ut pedes Domini tergamus, quæ nobis superfluunt, Domini pedibus necessaria sunt: hæc pauperes à nobis exigunt, quibus & sunt debita, proinde reddenda pauperibus, quæ sunt pauperum: ideo superfluum accepimus, ut non habentibus impertiremur, quibus & necessaria sunt; & ut inde plurimum hauriamus meriti: nullus est, qui misericordem in pauperes non

commendet, dignúmque afferat quovis bono, cùm etiam ipse Christus dixerit: *beatiùs esse dare, quàm accipere.*

95. Idque natura ipsa suo fortiùs exemplo voluit edocere, nósque dando præire: etenim nil est in ipsa, quod munifica non splendeat liberalitate. Cœlestes orbes lumen, lucémque hisce inferioribus suppeditant, & plura occulta subsidia per miros influxus impertiuntur plantis, & animantibus; sol suis radijs inferiora quæque, quibus vel maximè favet benefico influxu fovet; nubes imbres, & pluvias perfundunt, terræ siccitatem corrigunt, fertilitatem promovent, sitientibus arbustis haustum exhibent, prata irrigant, flores alunt, & veluti lactis stillicidio germina quæque nutriunt; ignis calorem suppeditat, & multiplex ad vitam servandam commodum; aër nobis aves subministrat; aqua pisces donat; terra fructus porrigit; animantia lanas suppeditant, quibus tegimur, & carnes præbent, quibus nutrimur.

96. Quinimò non natura tantùm, sed ipse naturæ author hanc nos suo voluit exemplo beneficentiam in egenos edocere: æternus enim Pater filium suum unigenitum nobis dedit, & filius se ipsum in ara crucis immolandum, ut sua morte nos vivificaret, & pretio proprij sanguinis nos redimeret. Æmulemur & nos naturam, imitemur ejus authorem, & miserias pauperum eleemosynarum largitione redimamus: est eleemosyna, quæ virum misericordem Deo similem constituit, siquidem imaginem Dei misericordis in homine misericorde pingit, quia ut ait D. Leo. *Ubi Deus curam misericordia, ibi & imaginem sua pietatis invenit:* (Serm. 10. de quadrages.) non enim quidquam homo habet, quo magis Deo approximet, quàm benefacere: est enim Deus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, misericors, & miserator, longanimis, & multùm misericors, quapropter nos Christus monuit, ut misericordes simus, & Deum patrem imitemur. (Luc. cap. 6. v. 36.) *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est:* non dixit, ut per instituta jejunia vires corporis deteramus; per repetitas flagellationes sanguinem è venis eliciamus; nec ut ferreis catenulis, arctísque cilicijs insolescencis concupiscentiæ coërceamus impetus, nec ut die, noctúque preces fundamus; sed ut misericordes simus, quia misericordia opus Dei est, & vir misericors in pauperes opus Dei, ejúsque auxilium habet, quo à pravis omnibus affectibus se eximit: est enim misericordia, sine qua frigescit jejunium, sterilescit oratio, quia eleemosyna est, quæ efficaciam precibus addit, & jejunio vires suppeditat, quapropter Tobias senior juniori præcepit, nequnquam faciem suam à paupere avertere. (Tobiæ 4. v. 7.) *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.*

97. Is à Deo exauditur, qui preces pauperum libenter audit; propitiant pauperes Numen viro misericordi: sunt enim pauperes apud Deum, veluti familiares cubicularij apud Principes terræ, qui eos solent audire, & exaudire, quapropter ait David. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus:* (Psal. 10. v. 27.) hoc est, præ cæteris Deus audit, & exaudit pauperes: hinc moris est in quibusdam ecclesijs, ut quædam affigantur arculæ, ut ecclesias oraturi ingredientes in easdem priùs eleemosynas injiciamus, quàm preces fundamus, quia eleemosyna precibus nostris vim tribuit impetrandi, quapropter ait D. Leo. *Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur: qui suum ab inope non avertit animum, citò ad se Domini convertit auditum.* (Serm. de jejunio decimi mensis.)

98. Imò non solùm vir misericors Deum in sua vota per fusas preces flectit; verùm etiam centuplum recipit ex pauperibus erogato: est enim eleemosyna, veluti semen, & sinus pauperis, perinde ac excultus ager, cui, si concredatur, in uberem exerescit messem, ait Apostolus. *Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum:* (2. Corinth. cap. 9. v. 10.) æquiparat semini eleemosynam, quam pauperibus impertimur, quia si semen excultæ sparsum telluri in eam excrescit granorum ubertatem, ut horrea repleat nostra: eleemosyna pauperibus concredita in hac vita, messem longè uberiorem nobis in altera suppeditabit: sed si semen glebis occultatur; gaudet & eleemosyna latere, fugit videri, jactantiam odit: si semen pateat in superficie, facilè ab avicuiis deglutitur; eleemosyna, si alijs pateat, facilè evanescit, & à vana gloriola voratur infructuosa. Si semen non sterilescenti montis jugo, nec arescenti arenulæ, sed fertili concreditur agro: eleemosyna solis erogatur indigentibus; & miseris: non verò meretriculis, quæ ad scelera alliciunt. Si semen incrementum non subit, nisi sæpius irrigetur: eleemosyna, quò in uberiorem excrescat messem exigit, passim profusione alterius succedentis irrigari. Si semen excultæ concreditum telluri flaccescit, putrescit, emoritur, quò inde cum usura reviviscat: eleemosyna etiam deperditur, cùm in pauperes spargitur, sed inde cum fœnore longè uberiori ad suum revertitur Dominum. Si semen vile fuerit, vel nobile in messem excrescit vilem, vel nobiliorem: eleemosyna si parca fuerit, si tenuis, si morosa, nonnisi talem producit fructum. Si semen, quò in uberiorem excrescat segetem, non uno duntaxat spargitur loco; eleemosyna eò augetur uberior, &

& crescit fœcundior, quò pluribus erogatur pauperibus. Si semen hyeme alta sepultum nive, vel frigida pressum pruina lætiùs intus germinat; eleemosyna, quamvis hyeme præsentis vitæ videatur præmio destituta, imò & varijs cincta miserijs, oppressa calamitatibus, lætiores tamen spondet æternæ beatitatis proventus. Si semen in publicam viam, vel nuda saxa jactum arescit, interit, fructúque destituitur; eleemosyna perit, si in viam cadat vanæ gloriæ. Appositè Augustinus.
Psal. 125. *Opera misericordiæ semina nostra sunt. Qui parcè seminat, parcè & metet. Ergo qui multum seminat, multum metet, & qui nihil seminat, nihil metet.*

99. Ne hujus veritatis ulla nos dubitatio pulsaret, suo id voluit nos Christus edocere exemplo: seminavit ipse paurulos panes in deserto, quorum frustula veluti semina danda, & multiplicanda quinque millibus impertivit hominum, quibus exsaturatis superstites reliquiæ duodecim implevêre cophinos, ut messis eò cognosceretur uberior, quò ex tantillo semine copiosior surrexerat. Christum fuêre viri pientissimi imitati, qui pauca eleemosynæ semina in pauperes ejecerunt, & uberrimum inde incrementum collegerunt. Scimus, Ivonem illustrem sacerdotem, virúmque notæ pietatis aliquibus panis frustulis complurium pauperum famem explevisse, & cui sedandæ vix sexcenti sufferissent integri panes. Arnulphum Suessionensem Præsulem quinque solis panibus, totidemque vini mensuris supra septingentos famelicos, & sitientes pauperes abundè pavisse, & ubertim recreâsse. Richardum Cisterciensem Antistitem pane unico exiguo tria millia exaturâsse hominum: & id pleros que alios præstitisse legimus, quia eleemosyna perinde ac semen, si pauperum sinui, veluti feracissimo agro concreditur, in messem germinat, gemiuátque uberrimam; cujus fructus æquè in præsenti, ac in altera vita percipiuntur. Deus enim, qui dando auget, accipiendo multiplicat, incrementavit opes divitum, quas in suis pauperibus acciperet, ut quas auxit in hac vita, multiplicaret in alia; & divites misericordes in pauperes non solùm centesimum, sed & millesimum suscipe-rent incrementum.

100. Quòd si divitijs inhianti hæc indita virtus esset, ut si granum triticeum suo concrederet agro, hoc unicam extruderet spicam, sed auream, & non jam tritico plenam, sed nobilioribus refertam gemmis, nobilitatam adamantibus, onustam carbunculis, virescentem smaragdis, splendentem topazijs; credis, quòd non statim agrum excoleret, granúmque ei concrederet triticeum? certè hæc facultas nobis a Deo datur, semina sunt cuprei nummuli, quos pauperibus erogamus; vel argenteæ monetulæ, quibus alienas miserias levamus: hæc semina, si à nobis serantur in sinum pauperum, in spicas emergunt aureas gemmis onustas, quibus in Regno æternæ gloriæ coronamur: eleemosynæ enim messis non solum aurea est, sed auro, gemmísque æternùm fructuosa. Hinc viri studio pietatis addicti in id vel maximè incubuêre studii, ut in hac vita per erogatas pauperibus eleemosynas feracem pauperum excolerent, ac sererent agrum, uberiorem lecturi in cœlis messem: præ cæteris Cornelius centurio ad christianam fidem, & ad cœlum per erogatas pauperibus eleemosynas viam sibi stravit, dixit enim Angelus. *Orationes, & eleemosynæ illius ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Actor. cap. 10. v. 4.

Quapropter nullum imminente mortis discrimine majus solatium, quàm misericordiam in pauperes exercuisse, quod cùm Regium Prophetam minimè latuisset, dixit. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem;* & causam innuens hujus felicitatis subdit. *In die mala liberabit eum Dominus.* seu ut scitè explicat D. Chrysologus. *Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. In angustijs illum Deus clamantem audiet, qui pauperem, cùm clamaret, audivit; sine causa accusant peccata, quem pauper excusat: Dominus conservabit eum, & vivificabit eum. Conservabit, ne rapiatur ad pœnam: vivificabit, ut à mortuis resurgat, & recipiat vitam.* Dies mala est, ac plena miserijs, quia mors nostras pulsat ædes ingressura, & nos raptura; sed die hac mala misericors in pauperes ab omni liberabitur miseria, à quovis eximetur incommodo: aderit enim Pater misericordiarum opem ei præstiturus suam; ipse enim doloris lectulum solatijs perfundet, imminentis mortis cruciatus minuet, & angustias omnes abiget, quia vir misericors in pauperes nunquam perit, sit enim Augustinus. *Nunquam vidi hominem pium mala morte finiri:* & D. Hieronymus fatetur ingenuè, se nunquam legisse, vel audivisse virum studio misericordiæ addictum mala fuisse morte sublatum.

102. Commenti sunt Poëtæ, Antæum in singulari certamine nunquam ab Alcide vinci potuisse, eò quia Antæus terræ filius, quotiescunque in terram fuisset dejectus, fortior inde resurgeret: cùm primùm pedibus tellurem matrem contingeret, hæc filio decertanti novas suppeditabat vires. Pauperes dixerim pedum instar divitibus esse: ne igitur succumbant divites, ab hisce pedibus per erogatas eleemosynas vires mutuent: tametsi in die mala cum tartareo Alcide congrediantur, non succumbent, & in tempore casûs sui firmiores invenientur; quin & post terræ complexum in sepulchro, glo-

Margin notes: 101. (beside "Quapropter"); Homil. 59 (beside "Chrysologus"); Serm. 44. ad frat. in Erem. (beside "Nunquam vidi hominem")

gloriosiores resurgent cœlesti beatitate donati. Est enim eleemosyna luculentum prædestinationis signum, & Jobus, qui præ reliquis fuerat electus, aiebat: *Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum:* nimirum adeo miseros subsidijs fovebat, ac eisdem favebat, ut cæcis esset oculus, claudis pes, miseris solatium, nec largitor tantùm, vel patronus fuit, sed & pater pauperum.

Cap. 29. v. 15.

103. Jocatur plerumque filius, vel indormit, sed pater curis anxius pluribus torquetur molestijs, & sub jacens in lectulo, huc, illúcque vigil se versat de pane cogitans ob curas insomnis. Job ut pater pauperum, licèt hi dormirent, pervigil ipse secum cogitabat, quomodo mœrentibus lætitiam, ægris sanitatem, ære alieno gravatis levamen, viduis solatium, & pupillis opem ferre posset, & hoc fuit intelligere super egenum, & pauperem; & quia tam rectè intellexit, verè beatus fuit, quia Numinis gratiâ donatus; est enim eleemosyna gratiæ impetratrix, & auctrix felicissima: & sicut gratia nobis nunc necessaria est, ut ad ipsam in altera vita sequatur gloria; ita & commiseratio in pauperes, ac eleemosyna, quâ miseris opitulamur: eleemosyna siquidem gratiam impetrat, & gratia gloriam parit, cujus est semen; hinc licèt stimulis insolescentis concupiscentiæ urgeretur Apostolus, & enixè Deum rogaret, ut vellet carnis fomitem in ipso extinguere, non aliud audivit responsum nisi illud: *Sufficit tibi gratia mea:* quia est gratia semen gloriæ, & voluit Deus, ut contentus esset Paulus hoc semine, quo uberiorem gloriæ segetem meteret.

2. Corinth. cap. 12. v. 9.

104. Quòd si gratia semen est gloriæ, ut uberius germinet, ac feliciùs crescat eleemosynis indiget irrigari, hæ siquidem veluti beneficii imbres semen gloriæ fovent, ac feliciter promovent, quapropter Isaias cùm præcepisset esurienti panem frangi, nudos operiri, & egenos, ac vagos in domum induci, sponsionem illicò addidit munificentissimam inquiens: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dices, ecce adsum.* Quia eleemosyna immortalitatis, beatitudinis, & æternæ vitæ est pretium: hac enim pecunia, hoc pretio datur nobis cœlum venum; hac negotiatione cœnum in cœlum permutamus; hoc modico ære summum bonum nobis comparamus; quia ut luculenter ait Chrysostomus: *Eleemosyna regina virtutum est, quæ homines celerrimè in cœlorum axes adducet, advocati optimi loco fungens. Magna res eleemosyna, præcidit aërem, transit lunam, solis radios cadit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos, & Angelorum populos decurrens, & Archangelorum choros, & omnes superiores Potestates ipsi assistit regali throno.* Dandum est eleemosynæ posse cœlos ipsos penetrare, & misericordes ante Dei Thronum sistere. Quòd si sub mundi exordio terrestris paradisi januam unus ex Cherubinis flammea obarmatus romphea interclusit; nunc cœlestis paradisi excubat ad fores misericordia; ut suis cultoribus aditum adaperiat, Imò non solùm foribus adstat paradisi, ejus januas misericordibus reserauras, verùm & januis gehennæ, ne ullus misericors in carcerem illum tartareum detrudatur, ait enim Augustinus: *Ante fores gehennæ stat misericordia, & nullum misericordem permittit in carcerem illum transmitti.*

Cap. 58. v. 8.

Homil. 8. & 9. de pænit.

Lib. 50. hom. 29.

§ X.

Benefica in pauperes commiseratio non morosâ, sed expeditâ, & laxâ manu, vultúque hilari necessaria miseris erogat subsidia.

105. VT suas misericordia in pauperes vires exerat suis est prærogativis munienda, quibus si destituatur veluti languescit, vel saltem plurimum deperdit roboris, ac venustatis: misericordiæ igitur cultor non per alienas, sed per proprias manus eleemosynas erogat, quibus pauperi opitulatur, quia cum manum aperit ipse inopi, cœlum misericordia eidem reserat; crumenam ipse evacuat, ut anima cœlesti gloriâ repleatur; id præstitit S. Stephanus Pannoniæ Rex, qui tam profusus in pauperes fuit, ut quntquot haberet pecunias, iisdem manu propria distribueret: & cùm nocte quadam sacculum nummis turgidum pro regio assumpsisset comitatu, & solus in pauperum turbam se immisisset; hi pecunijs avidiùs inhiantes temerarias manus in Regem injecerunt, nec à Regis vultu abstinuerunt, cujus & barbam evulserunt, ut alter alteri pecuniam præriperet; quæ mendicorum licentia nobile dedit regiæ sanctitatis documentum; quod enim fatale fuisset alijs, hoc lucrosum extitit mendicis: non enim Rex in hanc pauperum turbam excanduit, sed & sibi ipsi adgratulatus fuit, quòd gerens Christi vices pulveres excusserint alij ab ejus barba, & subridens secum aiebat, aut plus pecuniarum in mendicos sparges, aut plus barbæ amittes: sed noluit Deus hanc sinceram Regis munificentiam, tam illustris patientiæ, ac humilitatis munitam documento præmijs carere. Consueverat Stephanus frequenter interrogare de pauperum, ac ægrotorum valetudine, quibus ut esset solatio non solòm obsonia, & pecunias, verùm etiam ad delicias serta florum immittebat ad eosdem exhilarandos, & plerumque illud addebat à se misso: Dic ægroto, cui flores eris daturus, ut quàm primùm convalescat, & è lectulo surgat: quod non raró obtigit; unà enim cum floribus flore-

scentem etiam sanitatem ijsdem misit, adeò
ut plures ad Regis imperium sani, & inco-
lumes surrexerint.

Non solum expectandi sunt pauperes,
106. ut ad nos accedant stipem petituri; sed quæ-
rendi etiam sunt, ac in Cathalogo signandi,
ne memoria excidant: id præstitit S. Fulgen-
tius, qui lethali morbo correptus assiduò
Deum precabatur, ut patientiam in illa ægri-
tudine ei concederet, & postea indulgenti-
am: hic enim pientissimus Antistes animam
acturus omnium pupillorum, viduarum,
ac egenorum nomina, tam exactè tennit, ut
præceperit aliquibus plus, alijs minus eroga-
ri eleemosynæ, pro ut eorum necessitas exi-
gebat: id etiam præstitit D. Gregorius
Magnus, qui interrogatus, num adessent
pauperes, libellum extraxit inquiens: videa-
mus, quid meus dicat Syllabus, nomina enim
pauperum in quodam libello scripta secum
ferebat, ut eorum levaret miserias. De Ro-
manis refert Guido Pancirollus, consuevisse
Tom. 1. me- olim Romanos alere servos, quibus hic unus
mora erat labor injunctus, ut cives Romanos co-
gnoscerent, ac eorum nomina memoriâ
complecterentur, quos propterea nomencla-
tores vocabant: & eorum usus tunc maximè
opportunus erat, cùm Dominis suis candi-
datis, ac Magistratum ambientibus, civium
nomina suggerebant, prout quisque ijsdem
obviabat, quo nimirum civium hac arte be-
nevolentiam aucuparentur, & ab ijsdem ad
Magistratum promoverentur, majore enim
voluptate afficitur, qui proprio se nomine
vocari audit.

Omnes nos non fluxum terræ Magi-
107. stratum, non perbrevem in Republica di-
gnitatem, sed Regnum ambimus cœlorum;
candidati sumus, non famulos alamus, qui
nomina civium altiùs memoriæ imprimant,
sed pauperibus opitulemur; nudos coope-
riamus, esurientes pascamus, sitientibus
haustum porrigamus: hi enim sunt, qui vi-
ros misericordes promovent ad Regnum
cœlorum; hi sunt, de quibus ait Christus:
Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquita-*
tis, ut cum defeceritis recipiant vos in æter-
na tabernacula. Pauperes sunt hi amici,
quorum captanda est benevolentia, quo-
rum nomina debent nobis innotescere, ut
nos ipsis promptiùs opitulemur, & ipsi no-
bis gratiosiùs faveant. Quod ut feliciùs
contingat non morosè, sed citò & expeditâ
manu est ijsdem subsidium erogandum; sunt
enim qui cum possint citò dare, remoran-
tur ab avaritia, & ægrè dantes misericor-
diam devenustant; & frequentes sunt ijsdem
voces, redi perendie, veni cras, modò non
est mihi commodum, dabo tibi postea: an
non frigidum est hoc solatium, quod tam
exosa exhibet cunctatio?

Scio, priscos homines oculis subjectu-
rus hujus dilationis damna, Erinaceum pin-
xisse addito lemmate: *Procrastinationis*
damna. Referunt plures cum Plinio, Eri-
naceum nonnisi difficulter parere ob dolo-
res, quos enitendo fœtus experitur; idque
causæ, cur partum quamdiu potest, protra-
hat, sed quò longiores moras interponit eni-
tendo, dumosus in utero fœtus acerbiùs
pungit, diriùs vulnerat. Hoc idem pleris-
que obtingit; quò enim tardiùs pariunt, seu
statuunt pauperibus opitulari, ægriùs dant;
dilatio ipsa arctiùs eisdem pecuniam adglu-
tinat, quæ difficiliùs è manu elabitur, qua-
propter monet Christus: *Quod facis fac* mil 17.
citò, & Syracides ait: *Mane semina semen* Joan c. 13. v. 27. ipopul.
tuum, & vespere non cesset manus tua: quia Eccles. c. 11. v. 6.
nescit, quid magis oriatur hoc, an illud. Cun-
ctatio misericordiam deturpat, ac devenu-
stat, quæ tanto est sterilior, quantò morosior.
Innatat marinis fluctibus piscis quidam pal-
maris, cui nomen torpedo, qui dicitur na-
ves etiam in pleno cursu sistere, suúmque
torporem ijsdem imprimere; q[illegible] & alijs
piscibus, ac piscatoribus: quo pacto alios
dicitur pisces capere, & piscatores eludere. 110.
Misericordiæ dilationem torpedini paria-
verim, quæ liberalitatem cunctabundam
efficit, & largitionem segnitie corrumpit.

Non solum expedita manu, sed etiam 108. li. 4. illustr.
hilari vultu est eleemosyna pauperibus ero- nu. c. 68.
ganda: jucunda enim celeritas est, quæ plu-
rimum adjicit misericordiæ venustatis, &
meriti miserenti; est celeritas, quam verbo
mittendi sive projiciendi nobis innuit Eccle-
siastes inquiens: *Mitte panem tuum super* Cap. 11. v. 1.
transeuntes aquas, quo scilicet omnem hæ-
sitantis animi amputemus cunctationem, du-
bijque affectûs excludamus suspicionem. *In-*
gratum est enim beneficium, ait Seneca: *quod* Lib. 2. de be-
diu inter manus dantis hæsit, quod quis nef. cap. 1.
ægrè dimittere visus est, & sic tanquam
sibi præriperet. Si quid igitur intervenit
moræ satagamus omni modo præcidere, ne
videamur deliberâsse. Parum distat à ne-
gante, qui in dando cunctatur; nullámque
promeretur gratiam, qui dubitat: siqui-
dem cum in beneficio jucunda sit tribuentis
voluntas, qui nonnisi ægrè, ac invitè se tri-
buisse ipsâ cunctatione testatur, non dat,
quia ægrè vel invitus donat. Ea beneficia
grata sunt, quæ parata, & expedita, quæ-
que nulla remorantur cunctatione: hinc
Hussæus Princeps Job paratissimum semper
se exhibuit pauperibus juvandis, miseris e-
nim fuit promptissimum solatium, paupe-
ribus expeditum obsonium, & egenis om-
nibus paratissimum semper præsidium.

Non tantùm læto vultu; & expeditè, 109.
verùm etiam laxa manu est pauperibus dan-
dum, quæ enim è parca manu, ab angusto
pectore proficiscitur eleemosyna è pellucido
non diffluit charitatis fonte, sed è lacuna,
quam sordescens avaritia coinquinat: quæ
enim pauperibus Dei intuitu erogantur, nec
minuta esse debent, nec accisa. Refert
Maphæus, moris fuisse apud Sinenses popu- Histor indic, lib. 6.
los, ut quidam ex ipsis religioso cultu Deum
prosecuturi, postquam in prægrandi disco

porcini

porcini capitis imas auriculas, unguésque altilium, & aliquot vini guttulas in ara posuerint; reliquas ipsi dapes cum tripudio, & effusa lætitia comederent. Non censeamus minoris noxæ reos dantes paucula quædam pauperibus, vel potius nauseantis jam luxûs frustula ijsdem projicientes, cùm ipsi omnibus diffluant delicijs, & abdomini unicè indulgeant, ventri inservientes. Quomodo hi erunt Dei misericordiam implorataturi, cùm ipsi misericordes non fuerint?
Homil 37. ad popul. *quomodo dices*, ait Chrysostomus, *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, cùm secundùm magnam misericordiam ejus tu non miserearis, fortassis etiam neque secundùm parvam?* non arcto igitur, sed laxo corde cum Deo est negotium instituendum, nec ad minutos calculos revocanda sunt beneficia, si liberalem ergo nos, & laxe misericordem cupimus Deum experiri.

110. Non sinit Deus se ab homine misericorde vinci, restituit ipse, quæ pauperibus erogantur; parcè tamen retribuit ei, qui parce dedit, & lautiùs liberaliori. Refert
Lib 4. illustr. mirac. c. 68. Cæsarius de quodam Abbate, qui cùm esset hospitalitatis amans, in pauperes præ cæteris profusus fuit, & ne in hisce pietatis exercitijs remoram sentiret, sibi similes curatores suo instituit in asceterio: & quantò plures hospites recepit, quantóque largiores indigentibus eleemosynas erogavit, & tantò etiam copiosior fuit cœnobij proventus; adeo ut asceterium bonis omnibus etiam temporalibus afflueret. E vita decessit misericors Abbas, sed alius, qui eidem successit, cum avaritiâ sordesceret amotis prioribus curatoribus, alios sibi similes tenaces, & arctos ascivit, scilicet avarus avaros: suo consueverat prædecessori objicere, quod nimium fuisset dapsilis, & supra modum effusus; & quod contrahendæ nunc essent manus; ne si agros sterilitas, vel pecus morbus, vel segetem grando invaderet, inesset monasterio, quo possent Monachi commode ali: hoc pallio propriam nitebatur Abbas avaritiam obtegere, ac parsimoniam illaudatam velare. Sed cùm hospites exclusisset, consuetúmque pauperibus subsidium subtraxisset, cœperunt simul cœnobij census decrescere; adeo ut agri exculti non ampliùs felices segetes, & uberem messem darent; nec pecus optatos fructus; & asceterium, quod misericordia in pauperes, & hospites locupletaverat, avaritia depauperavit, & inops illicò fuit opulentia. Cúmque vir quidam canitie venerandus ad januam pulsâsset asceterij, & pro hospitio enixim janitorem rogâsset, hic ut erat vir pius, & eleemosynis erogandis assuetus, eum prædecessor Abbas viveret, hominem clangulò, & timidè admisit, cui cenulam attulit prorsus tenuem, offulam exoculatam, brassicas malè onctas, lactucam parcè oleo rigatam, sed si pauca dedit fercula, bona tamen. & plurima dedit verba, séque excusavit cum hospite, quòd non posset lautiora ei apponere fercula ob asceterij paupertatem. Tunc senex ille: ideo paupertate laboratis in hoc monasterio, quia jam pridem duos ex eo fratres expulistis, quos nisi eritis revocaturi actum de vobis erit, & nunquam asceterium è paupertate emerget. Tunc Janitor: dic mi bone senex, quinam sint hi duo fratres, quia scio plures fuisse hospites vacuos dimissos. Tum senex: sunt fratres, quorum alteri nomen est *date*, & alteri *dabitur vobis*, & illicò hospes se se oculis subduxit Janitoris, qui rem totam Abbati, & reliquis Monachis recensuit, qui decreverunt pristinam in egenos misericordiam exercere, & inde cœperunt iterum monasterij proventus augeri. Tam arcta nectuntur necessitudine hi duo fratres *date, & dabitur vobis*, ut unus ab altero nolit separari, & excluso uno alter excludatur. Janitor pristinam restituit monasterio opulentiam, quia perhumaniter, bonóque vultu senem illum admisit, à quo caussam didicit invectæ paupertatis.

Plurimi interest si humaniter, læto 111.
vultu, serena fronte indigentibus opitulemur, frons enim exasperata, & verba contumeliosa totam corrumpunt misericordiæ venustatem. Lenis, placida, & comis oratio persæpe ipsis impertitis beneficijs est potior ad flectendum in nostra obsequia, quem muneribus cumulamus: ut serotinus ros emortuæ diei æstus temperat, & arescentes plantas recreat; perinde mœrores, quos urens secum trahit paupertas, blanda verba, mitia, & serica colloquia veluti roscidus imber mitigant; si hominem videas fronte rugosum, supercilio austerum, vultu tetricum non tibi est solatio, sed potiùs mœrori, à quo propterea satagis te avertere; è converso te allicit, rapitque ad se vir comis, placidus, fronte serenus, ore lætus, vultu hilaris: quò eleemosyna pauperi sapiat non solum laxa manus eam eroget, sed lingua verborum sacchara, mellisque dulcedine condiat; canem, licet famelicum, non alliceres, si manu panem ei exhiberes, & altera fustem ostenderes echinatum, mallet enim famem pati, quàm verbera, quæ timet. Plerique eleemosynam pauperibus erogantes ita se gerunt, stipem porrigunt, sed vultu adeo tetrico, & verbis ita desidiam, ac otium pauperis increpantibus, ut mitiùs cum ipso ageretur, si non verbis illis pungeretur, sed verberibus exciperetur: exosa est hæc eleemosyna, quæ dum pauperi opitulatur, ejus mœrores incrementat; & dum vult prodesse, vulnerat, & cruentat; viscera misericordiæ induat, qui pauperis nuditatem vestit; benignitatem, ac sere-

serenitatem accersat, qui mœrentis paupe-ris terras vult caligines excutere, ait Apostolus: *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humanitatem, modestiam, patientiam.*

Ad Colos. cap. 3. v. 12

112. Hisce virtutibus non claruit purpuratus ille in Evangelio, qui cùm lautè epularetur Lazarum inclementer dimisit; ijsdem carent, qui pauperes stipem petentes priùs convicijs mordent, quàm numulis donatos dimittant. Non debent divitibus esse contemptui pauperes, quos natura pares ijsdem fecit; nec dissimiles sepulchrum recipiet. Quòd si pauperibus æquè Regnum cœlorum promittitur, ac divitijs affluentibus, cur quos æterna gloria fortassis eminentiores excipiet in cœlis, contemnuntur in terris, eò quia fortuna ijsdem non arrideat, & sors fluxis eos destituerit bonis? eleganter Guilelmus Linconiensis: *Dic mihi quæso ô dives, quare pauper tecum non accipiet cibum, qui tecum accepturus est Regnum? quare non accipiet veterem tunicam, qui tecum accepturus est immortalitatis stolam? quare pauper non meretur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptismi Sacramentum? cur indignus sit accipere reliquias ciborum, qui tecum venturus est ad convivium Angelorum!*

In expos. Evang. p. 3. cap. 28.

113. Imò non solùm pauperibus stipem efflagitantibus, sed etiam Ecclesijs, locisque pijs sunt eleemosynæ laxiori manu erogandæ, ut elegantiùs restaurentur: sunt enim qui sacras ædes permittunt squalore obduci, & in illis omnia pessum ire, neque parietes restaurant, si vitium contraxerint, nec collapsos erigunt; quin potiùs domesticis profanant usibus, & hi sunt de quibus conquestus Christus dixit: *Fecistis domum Patris mei speluncam*, si non latronum, saltem vespertilionum, vel araneorum, cùm alijs non tegantur parietes aulæis, quàm telis, quas araneorum industria texit. Plures sunt divitijs affluentes, qui domum nobili, ac eleganti suppellectili ornatam, & instructam habent, quorum sacella in ijsdem squalent, sordéntque neglecta. Quòd si nullum est tibi domi sacellum, quod restauratione indigeat, animata satage Dei templa reparare, pauperes famelicos pascere, nudos vestire: ait enim Chrysostomus, *Vis domum Dei ædificare, da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificâsti rationabilem domum Dei. In ædificijs enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis.* Neque avara, sed liberalis manus debet pauperibus aperiri, ait enim Christus: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Non dixit estote misericordes, perinde ac Abrahamus, Tobias, & Jobus misericordes fuerunt, sed sicut pater vester misericors est, est enim pater cœlestis cujus misericordiarum non est numerus, cùm omnia nobis elargiatur; quod cùm viri studio pietatis addicti perpenderent, hanc pro suis modulis sategerunt misericordiam imitari omnia dantes, quæ possiderent, ut de Germano Antisiodorensi Antistite fertur, qui in itinere rogatus à nonnullis mendicis pro stipe, quæsivit statim vir sanctus à Diacono suo quantum superesset viatici? qui cùm respondisset, tres duntaxat superesse aureos, hos omnes jussit Germanus pauperibus erogari. Sed tunc Diaconus reposuit, & quid nobis superfuerit, si nummos pauperibus damus? sed subridens præsul subjunxit, non desunt Deo media, quibus nobis necessaria ad victum, & iter suppeditet, interim nos, quos habemus nummos, pauperibus non subtrahamus. Diaconus verò, quasi non plenè divinæ fideret providentiæ, ex tribus aureis duos duntaxat pauperibus distribuit tertio retento. Quid ow? non post multum temporis concitato equestri cursu Germano obviant nuntij duo à Leporio viro locupleti missi sancto Præsuli ducentos aureos allaturi, & suum Herum sancto Præsuli commendantes illicò retrocesserunt. Tunc Germanus Diaconum alloquens dixit, scito quòd cùm pauperes deceperis, quibus duos duntaxat aureos erogasti centenos nobis aureos ademisti; si enim mendicabulis illis omnes tres aureos, ut jusseram, dedisses, remunerator Deus trecentos nobis aureos misisset. Disce impostèrum laxiorem in pauperes misericordiam exercere, & divinæ providentiæ firmiùs confidere.

Matth. 21. v. 13.

Homil. 41.

Luc. cap. 6.

Non solùm laxa esse debet, quæ pauperibus eleemosyna erogatur; verùm & submissa non animo elato, sed corde humili distribuenda est, ne quod charitas ædificat, vana gloria destruat, quapropter Christus modum nos edocens erogandi eleemosynam ait: *Cùm facis eleemosynam noli tubâ canere ante te, te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito;* non censum, sed affectum; non manum, sed cor Deus aspicit: hinc Christus Jerosolymis assidens Gazophilaceo tacitus aspiciebat turbas pecuniam Gazophilaceo immittentes: *Et multi jactabant multa: cùm venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta.* Tunc Christus conversus ad Discipulos veluti quæstionem, ac dissertationem instituturus quæsivit ab ijsdem, quisnam plus ex turba illa dedisset, cúmque ipsi ex injecto in Gazophilaceum metallo dantis metirentur largitatem; Christus hanc viduam reliquis prætulit, quia licèt censu minus dederit; affectu tamen reliquos superavit: quamvis venerint plures divites, qui multum auri, & argenti in Gazophilaceum injecerint; quia tamen vanam fuere in illâ elargitione gloriolam aucupati, minus effecerunt, quod plus dederunt: sed si vult Christus ut exercitia nostra virtutum, bonæque actiones luceant coram hominibus, 114.

Matth. 6. v. 2.

Marc c. 12. v. 41.

quo-

quomodo nunc præcipit, ut eas abscondamus, & ut nesciat sinistra, quid boni faciat dextera, ut sit eleemosyna nostra in abscondito; & pater, qui videt in abscondito, reddat nobis? si in abscondito eleemosynam erogamus, quomodo opus nostrum lucebit coram hominibus, ut nimirum vanam gloriolam fugiamus, est enim hæc tinea illa, quæ purpuram charitatis corrodit; & indumentum, quo nuditatem pauperis tegimus, corrumpit: apposité Chry-

Homil. 9. sologus: *quomodo justitiam vult celari, cujus opera sic cupit elucere? fratres hic præcepto cælestis vult jactantiam tollere, auferre, pompam, vanitatem demere, submovere inanem gloriã, sic justitiam vult celare. Justitia quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit; à Deo genita, cælum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, ut glorificetur expectat.*

115. Neque ex alieno ære, sed ex proprijs pecunijs, & bonis, probáque intentione erogandæ sunt pauperibus eleemosynæ, nec pauperum sunt merita discutienda, sed eorum egestas spectanda. Noluit Deus sacrificium sibi institui de præda, fœnore, rapinis, ac bonis improbè partis, hinc Syracides

Ecclesiast. c. 34. v. 21. ait: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata*, & paulo infra subdit: *Hostia impiorum abominabiles:* non enim licet, unum spoliare, ut nuditas tegatur alterius; neque sunt manus in alienam crumenam injiciendæ, ut raptæ pecuniæ pauperibus erogentur, sunt hostiæ istæ impiorum abominabiles; thus enim furto sublatum, & in acerram injectum fœtorem redolet cœlitibus, non odorem exhalat. Improbatur Gothorum Rex Totila, qui cùm Romam occupâsset, domos expilâsset, sacras aras spoliâsset, postea Deo, & Apostolis preces fusurus, D. Petri Basilicam ingressus fuit, & obviantibus pauperibus eleemosynas distribuit, ut propitios sibi Apostolos Petrum, & Paulum faceret, quorum potiùs iram, & indignationem excitavit ob patrata sacrilegia in urbis, & Ecclesiarum direptione, id enim perinde fuit, ac de re aliena tanquam de propria misericordiam exercere in pauperes: sunt hujusmodi hostiæ Deo abominabiles;

Homil. 80. in Ioan. quia ut notat D. Chrysostomus: *Christus dixit, date eleemosynam, non avaritiam; quæ ex alieno datur, eleemosyna non est, quamvis egentibus impendatur: eleemosyna est, quæ omnis caret iniquitate: hæc omnia munda facit e aliena rapiens non est profectò misericors, licèt infinita impertiatur.*

116. Non de ære alieno, sed de proprio debet quisque munificus esse, quidquid enim furtivum, vel mala fide partum erogatur pauperibus; hostia quidem esse videtur, sed abominabilis coram Deo; non solùm de proprio exercenda est in pauperes misericordia; verùm etiam, ut non eorum merita, sed miserias spectemus: qui enim pauperi dat in nomine pauperis, suo non destituitur præmio, nisi constiterit quod rarissimum est, pauperem ex quæsita stipe peiorem fieri, & pecunias petere, quæ sunt fomenta scelerum, quia tunc non aperienda, sed contrahenda potiùs esset manus, ut licentiæ peccandi frœnum injiceretur. Cæterum si miseriam tantùm spectemus pauperis, ad quam levandam opem erogamus, pro merito non destituemur præmio; non disquirere pauperum merita debemus, sed eorum miserijs succurrere: eleganter D.

Chrysostomus: *Vos in adultam noctem bibitis, deinde pleno ventre plumis sepulti in multam lucem stertitis, cum dulcissimus etiam somnus amarescat; sic dies alter priori non dissimilis sumit exordium. Ubi autem mendiculus frigore, ac fame penè enectus prorepserit vita diarium ab eo exiguis tempus est misericordia, non discussionis scrupulosa, nutriri, ac vestiri vult pauper; efficiamur misericordes, non quomodocunque, sed ut pater noster cælestis, qui & improbissimos nutrit, & vestit omnes.* Edisserit, non merita spectanda esse pauperum, Homil. 22. in 2. Corinth.

sed eorum miserias, ait Christus: *Omni petenti te tribue*, hoc est indiscriminatim pauperibus spectatis eorum miserijs opitulemur. Luc. cap. 6. v. 30.

Refert Laërtius quempiam Aristoteli exprobrâsse, eò quia homini nequam, & viro sycophantæ stipem erogâsset: cui retorsit Philosophus, non mores, sed miserias in homine illo fuisse commiseratum; quia etiam improbis, si miserijs angantur, si in extrema sint necessitate constituti succurrendum est, tametsi nil petant, nec sint precibus importuni, quia tunc miseriæ ipsæ disertæ loquuntur; qui verè intelligit super egenum, & pauperem non solùm petenti tribuit, sed petiturum etiam prævenit, nec expectat à precibus flecti petentis, sed à propria commiserationis virtute pronior fit ad alienas miserias levandas erogatis eleemo- 117.

synis; scitè Augustinus: *Non est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur.* Ut enim vulgaris fert parœmia: *carò venditur, quod precibus emitur;* nec hujus rei ignarus Patriarcha Abraham peregrinos expectabat, donec hospitium peterent; sed eos præveniebat, ac humanissimè ad se invitabat, aiebat enim: *Maximam interpretabor gratiam, si Domini mei dignentur ad servum suum divertere*, & in obsequium hospitum ipsemet armentum adibat, & quid optimum, ac tenerrimum sibi videretur, deferre consueverat, & hospitibus coquere, lacte, & butyro eos reficere, ac exhibita promulside eos sibi devincire; & ideo Deus Abrahamo, ejúsque semini uberrimam suam fuit benedictionem impertitus; Lib. 1. homil. 39. Genes. c. XVIII. v. 3.

præsertim, quia pauperum semper consueverat preces prævenire, & benevola intentione ijsdem opitulari, nisi enim intentio recta fuerit, totum opus corrumpitur, qui enim eleemosynam pauperi elargitur non ea intentione, ut ejus miserijs succurrat, sed ut vanam aucupetur gloriolam, meritum deperdit: hoc debet opus præstare, non ut inde vanam aucupetur gloriolam, sed ut alienæ miseriæ opem ferat, & proximo suo indigenti succurrat; Deus enim plus donantis animum, quàm donum ipsum respicit, ait enim Augustinus: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis,* In Psal. 125. 5. *unde autem procedit eleemosyna? de corde: si enim manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti. Si autem in corde miserearis, etiam si non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam.*

Da igitur intentione, quâ potes optima.

F I N I S.

Menda, quæ currente Typo irrepserunt emendanda. Exhibentur Regulæ pro Accentibus.

QUamvis centoculum accerseres Argum Typi emaculatorem, difficulter à quovis prorsus errore immune opus præsertim spissum quantalibet adhibitâ diligentiâ obtineres. Singula huc Errata referre supervacaneum foret; cum nec sensum corrumpant, nec lectorem morentur, cui vel mediocriter erudito facile erit intelligere pag. 39. *quia* ubi malè ponitur *quia*. pag. 17. *nulla* ubi *nullo*. pag. 164. *clipeos* ubi *elipaos*. p. 113. *expendit* ubi *expendet*. pag. 269. *mulierum* ubi *mulierem*. pag. 317. *Joua* ubi *Jonas*. pag. 449. *pacatum*, ubi *peccatum*. Oculos præsertim effugerunt accentus, quorum regulæ generatim sunt hæ. Ablativi Masculini, & Fœminini Singulares primæ declinationis, qui desinunt in â accentu circumflexo imminente notantur, ut *musâ*, *Poëtâ*. Genitivi Singulares nominum quartæ declinationis desinentes in ûs eodem accentu circumflexo à cæteris distinguuntur casibus, ut *sensûs*. Accusativi singulares nominum à Græco derivantium desinunt in *n*, ut *etbicen*. Adverbia ut distinguantur à verbis, vel nominibus exposcunt accentum gravem ultimæ imminentem vocali, ut *finè ampliùs*, & alia id genus. Non ita si æquivocationem excludant, ut *frustra, retro, illico*. Eodem accentu gravi notantur præpositiones assumptæ pro adverbiis, ut *quà* pro *partim*. Conjunctiones itidem *eò*, *quò*, *quòd* eodem accentu gravi distinguuntur à relativis. Ablativus Singularis generis fœminini primæ declinationis petit accentum circumflexum, si eidem nectatur enclitica *que* ut *herâque*, *ancillâque*. Alij verò casus, & verba cum eadem enclitica *que* postulant accentum acutum supra vocalem proximiorem eidem encliticæ, ut *patérque*, *amátque filiósque*. Præpositiones, quarum in *a*, vel *e* exit terminatio, ut *contra*, *ante*, accentum respuunt, nisi vice fungantur adverbiorum. Hæ sunt præcipuæ circa accentus regulæ, quibus tamen non omnes Authores etiam emunctæ latinitatis utuntur.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Quæ in hoc ſecundo volumine de humanis Affectibus continentur.

Prior Numerus Paginam indicat ; poſterior eſt Marginalis.

Ambi-

Bono-

Rerum præcipuarum.

D.

Deus

F.

G.

H.

I.

L.

Lachry-

M.

Manus

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Scylla

T.

Vipe-

F I N I S.

Ne quæ supersunt columnæ, vacuæ sinantur, quæ ab Authore fuerunt hactenus opera in lucem edita, & Monachij præsertim cusa, hic subjiciuntur.

Apotheosis S. Cajetani Thienæi Clericorum Regularium Fundatoris, carminibus, symbolis, & inscriptionibus exhibita. 4. Messanæ.

Pantheon Argutæ Elecutionis complectens omnia politioris literaturæ genera: seu Rhetorica universa. 4. Messanæ.

De Eruditione Poëtice, Mythica, & Iconica. Déque Metaphoricis Argutiarum Fontibus. 4. Messanæ.

Emblemata Ethico-Politica, Historiæ, & Heroica symbola exhibita in Electorali Residentia Monacensi Serenissimi Electoris Bavariæ: & jussu Serenissimi Clementis Josephi Electoris Coloniensis germanicè edita. 4. Monachij.

Venatica institutio, seu Dianæ, ejúsque Nimpharum Apologi picturis, emblematis, ac symbolis heroicis repræsentata in suburbanis Ædibus Niphimburgicis Serenissimi Electoris Bavariæ.

Multiplex Venationis eruditio vario picturarum illicio Schlaischemij in Ædibus ruralibus Serenissimi Electoris Bavariæ delineata.

Monumentum extremi Honoris perennis Virtutis pijs Manibus Serenissimi Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis, & Electoris cum emblematis ære incisis, oratione funebri, Inscriptionibus, Elogijs, solutâ, & ligatâ oratione. fol. Monachij.

Ingressus Martio-Nuptialis Serenissimi Electoris Bavariæ Maximiliani Emanuelis Monachium ex Hungaria reducis cum lectissima sponsa Maria Antonia Archiducissa Austriæ Leopoldi I. Imperatoris filia ex Margarita Hispana. fol. Monachij.

Philosophia universa in quatuor divisa Tomos in folio.

In Logicam Aristotelis, cui adjiciuntur plures quæstiones Metaphysicæ. fol. Monachij.

In octo Libros Physicorum Aristotelis. fol. Monachij.

De Mundi totius systemate, corporibus cœlestibus, elementis, mistis, & Meteoris, fol. Monachij.

In Libros de Anima, & Metaphysica. fol. Monachij.

Nucleus Theologicus enucleatus. 8. Monac.

Theologia speculativa universa, Dogmatica, & Moralis octo Tomis in folio digesta.

Tomus primus de Deo uno, ejúsque Attributis, fol. Monachij.

De Visione beata, Scientia, & Voluntate Dei Déque Prædestinatione Sanctorum, & Reprobatione Impiorum. fol. Monachij.

De Ineffabili Mysterio SS. Trinitatis. fol. Monachij.

De Angelis, & Homine, fol. Monachij.

De beatitudine, Actibus Humanis, eorúmque principio activo, naturali, voluntario, & libero. Morúmque causa morali: seu de Moralitate, ejúsque bipartita specie, Honestate, & turpitudine. De vitijs, & peccatis. Recto usu probabilitatis juxta Pontificias sanctiones. De Gratia, Justificatione, & Merito. fol. Monachij.

De Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. Déque earum partibus subjectivis, & Potentialibus. Vitiísque, oppositis. fol. Monachij.

De Sacrosancto Mysterio Incarnationis Verbi Divini. De cultu Sanctorum, tum absoluto, tum respectivo. De Immaculata Conceptione Virginis Matris. Et de Legibus. fol. Monachij.

De Sacramentis in genere, & specie. Déque Indulgentijs, Jubilæo, & censuris. fol. Monachij.

Juris Canonici universi Commentarius Paratitlaris. Opus digestum quinque Tomis respondentibus quinque libris Decretalium.

Tomus primus in librum I. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus secundus in librum II. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus tertius in librum III. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus quartus in librum IV. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus quintus in librum V. Decretalium. fol. Monachij.

De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis ad hominem ab eorundem servitute manumittendum, & ad libertatem Christiani Instituti manuducendum. Opus tribus Tomis in folio distributum.

Tomus primus de Humanis Affectibus generatim sumptis. fol. Monachij.

Tomus secundus. De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis in Appetitu concupiscibili. fol. Monachij.

Tomus tertius. De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis in Appetitu irascibili. fol. Monachij.